



IO STEPH WISGA D G
EPS GNESNE PRIMAS

HOMILIÆ CATHOLICÆ
De
SACRIS ARCANIS DEIPARÆ MARIÆ ET IOSEPHI


AVCTORE

P. F. IOANNE DE CARTHAGENA HISPANO ORD. Minorum de Obseruantia, Sacræ Theologiæ Lectore generali Romæ de mandato Sanctissimi in Regali Conuentu S. Petri in Monte aureo.

CVM GRADRV PLICI INDICE,

Atque Priuilegio & Superiorum Facultate.

Ex Cathalogo Libr. PP. Eremit. Camald. Montis Regij ppe Varsauiam



COLONIAE AGRIPPINAE.
Sumptibus BERNARDI GVALTERI.
ANNO M. DC. XXV.



ADMODVM REVERENDO IN CHRISTO PATRI,

DOMINO HVBERTO GERMYS,

INSIGNIS MONASTERII S. STRVDONIS ABBATI DIGNISSIMO, &c. DOMINO iugiter colendo.

Bernardus Gualterus ciuis ac Bibliopola Coloniens. F.



QVod proborum hominum preces ac vota continuò moliri ſolent, vt optimi quique viri periclitantium Eccleſiarum gubernaculis admoueantur, nullibi terrarum confectum eſt, Ad^um. Reuer. in CHRISTO pater, ſi factum non eſt in celebri Monaſterio veſtro S. TRVDONIS; vbi non ita pridem Religioſi Electores, cùm vnanimis vocibus in Te conſpirarent, Præſulem adepti ſunt, non qui dignitatem ſitierit, ſuffragatores ſollicitârit, aut oblatos ſibi titulos lætanter arrepturus videretur; ſed qui æquè à momentaneo ſplendore ac regendi priuilegio alienus, per omnem ætatem ſubijci & parêre, quàm imperare maluit; adeoque præparatam ſibi Honoris cathedram non rogatus, ſed coactus aſcendit.

Iure igitur dicti imprimis Monaſterij membra inuicem ſibi gratulantur, & cum gaudio, quotquot filij pacis ſunt, tam benigni Capitis ſe moderationi attemperant. Cæterum, ne optata hæc inauguratio

ipsis solis solatio fuisse videatur, omnes pariter Cholinianæ familiæ palmites vel eo nomine mirificè recreat, quòd Reuerenda Paternitas Vestra olim quidem cum MATERNO CHOLINO Socero meo, viro sæculi sui clarissimo, tam liberaliter versata fuerit, vt non minùs ipse de HVBERTI virtute, quàm hic de MATERNI in se beneuolentia gloriaretur: Nunc verò eandem consuetudinem cum amplissimo D. IOANNE CHOLINO MATERNI F. Insignis Eccles. Bonnensis Præposito & Archidiacono, fraterno hinc inde affectu redintegratam continuet. Ac singuli profectò tantam, quantam dixi, lætitiam se concepisse non obscuris indicijs probaturi sunt.

Ad me quod attinet, posteaquam Epistolis ad ERNESTVM CHOLINVM nepotem scriptis Reuerenda Paternitas Vestra declarauit, quàm gratæ sibi nuper acciderint, cùm ipsius lucubrationes in Psalmum MISERERE, tum farrago illa sermonum F. ADAMI SASBOVT Franciscani, ambæ typis meis, præterito anno illustratæ, præsentes Parthenicas Homilias F. IOANNIS de CARTHAGENA, memoratæ S. FRANCISCI Familiæ Oratoris in Vrbe, ac Theologi celeberrimi, Nomini Ipsius consecro: Codicem, inquã, cuius si doctrinam ponderemus, grauissimũ; & si materiã, de eâ Reginâ, Magistrâ, ac Tutrice pertractantem, quâ non præsidente, nemo obtemperat;
non

non docente, nemo instruitur; non protegente, nemo defenditur; sed omnia susque deque, velut in cæco Inferni Barathro, confunduntur.

Neq; verò miretur, me Librum potiùs, quàm aliquod aliùs generis munusculum Reuerendæ Paternitati Vestræ decreuisse. Hoc enim consilium, siue Ipsius adhuc viuentis fama exteris quoque promulganda esset, siue exacto demum vitæ curriculo præclara in Rempubl. Christianã merita posteris commendanda; omnium maximè opportunũ fore, multi mecum sibi persuaserunt præstantes viri; vtpotè non ignari, similia volumina, vbi imprimis Patronorũ suorũ nomina ex vno vsq; in aliũ orbẽ, vt ita loquar, pernicibus alata velis transuexerint; deinde etiam ab interitu Typographię beneficio vindicata, eorundem virtutes suâ immortalitate perpetuare.

Quocirca agnoscet, spero, specimen hoc voluntatis meæ, Ad.^m Reu.^da P.^tas V.^a, & studiũ, quod me videt in Ipsa publicè honoranda collocâsse, si non vsq; adeò gratum, certè neque ingratum erit. Interim autẽ locupletissimum laboris mei fructũ consecutus fuero, si me in eorum numerum adscripserit, qui apud Ipsam aliquod obsequij genus subeunt. Atq; hic, ne mox in limine dignitatis prolixiore alloquio Ipsi molestus sim, quiesco, Optimum DEVM deprecãs, vt tãtum Patronum meum fortiter tueatur, & suauiter foueat AD MVLTOS ANNOS. Valeat Coloniæ Vbiorũ, Prid. Non. Martij, An. M. DC. XIII.

 PHILIP-



PHILIPPO III. HISPANIARVM REGI, SVMMO PRINCIPI, HVMANITATE ET PRVDENTIA CONSPICVO,

PLVRIMORVM REGNORVM


DVCI OPTIMO, NOVI ORBIS DOMITORI, DOMINATORI Inuicto, Imperÿ gloriâ super omnes euecto, Catholicæ Religionis Propugnatori acerrimo, Vindici Tutelari Vnico Fidelißimo,

FR. IOANNES DE CARTHAGENA HISPANVS HVMILLIMVS SERVVS ÆTERNAM FELICITAtem precatur.



ER MVLTA cùm sint, eaq; augustißima, quæ in regia tua Maiestate elucent ornamenta, Potentißime Rex, vt emicantium radiorum fulgoribus omnium perstringant oculos, ac veluti numen quoddam ad te obseruandum, colendumq; rapiant; tum verò pietas, quâ non tantùm Catholicæ fidei conseruandæ, sed & propagandæ tibi insita cupiditas, maximè effulget. Vt enim ea sileam, quæ tibi cum alÿs Principibus communia sunt, (licèt tamen ita excellas, vt nemo inter omnes Orbis Reges tecum de dignitate iure contendere poßit,) latißimam, inquam, dominy ditionem, amplißima Regna, insigniores tuo regali sceptro obsequentes Prouincias, quas maiorum virtute & bellicâ, & ciuili partas prudentißimo & humanißimo Imperio hac florenti ætate frænas; certe vna hæc pietatis mirifica virtus, & diuini cultus promouendi incensus ardor, quo sacrum illud tuum pectus exæstuat, non tam dignum te esse maiorum tuorum hæreditariâ gloriâ, ac regiâ maiestate, quàm illam te dignam esse testatur. Nisi parcerem angustÿs breuis Epistolæ huius, tuæ prærogatiuæ singulares testes afferrem insignes actiones, & eas innumeras: recentem tantùm recolam, quæ nulla vmquam obliuione ab hominum animis serâ etiam posteritatis memoriâ obliterari poßit, egregÿ pro tuenda religione facinoris, quod vel maximo impendio Mauritanos

ritanos omne sub Hispaniarum finibus, tum quod regiæ maiestati tuæ ac toti Regno ruinam perduelles molirentur, tum hoc etiam nomine depuleris, quia de Christiana religione pessimè sentirent, ne quis pestilens morbus, quo diuinus honor dehonestaretur, per pientissimas tuas prouincias serperet. Quid dicam de singulari animi tui erga Deiparam Mariam affectu, ac deuotione, quâ tantam Virginem prosequeris, quæ neque obscura est, neque vulgaribus argumentis à te declarata. Qua in re maiorum tuorum gloriã, qui mirificis pietatis monumentis clari fuêre, præsertim verò religioso Mariæ obsequio & cultu, non solùm reuocasti, sed adæquasti, Rex Potentissime; vt iure optimo prædicare possim, non tam prouinciarum, quàm omnium earum virtutum, quibus regia maiestas vero gemmarum diademate enitet, fuisse te hæredem constitutum. Sed peculiaris celebranda dos illa est, quâ Salomonis præcepta sequeris admonentis, sapientum consilijs adhærendum: quod vel hoc locupletissimo testimonio declarasti, qui prudentissimum virum, verè virum, Ducem de Lerma, à consilijs adsciuisti, approbantibus ac laudantibus viris, quotquot bonæ mentis & clari nominis. Fauet etiam, quòd tuo Diademati præclaram vnionem Deus Opt. Max. inseruerit, celeberrimam scilicet fœminam, ac Virginem vnicam, Reginam Margaritam tibi coniugio copularit: diuinum enim oraculum est: *Mulier bona, pars bona, dabitur viro pro factis bonis.* Atque vna hæc causa mihi amplissima, vt lucubrationes hasce meas Tuo nomini consecrem: cùm enim sacri Euangelij Concionatoribus de Deipara Maria Homilias elaborassem, quibus sana, ac sincera ad pietatem tantæ Matri debitam hominum pectoribus serendam suppeditantur argumenta, sacra Scriptura eluciantur, profundissimi sensus eruuntur, vera germana doctrina proponitur, mecum perpendens, an Regio nomini dicatum opus prodiret in lucem, continuò deliberaui, ita quidem deberi; vt, qui tuas animi præclaras dotes probè norunt, vbi illud viderint regio tuo nomine decoratum, nutu tuo, qui inuiolatæ legis vim habere debet, euulgatum iudicent; quod ad illibatæ pietatis candorem fidelium in animis conseruandum (quam rem omnium maximè cupis) sit accommodatum. Accedit illa magis neruosa ratio, priuatus in Regem meum affectus: sum & ego tua in ditione natus, in tuo Regno educatus, in tuis Academijs in literis adoleui: planè decebat eos etiam, quos comparaui prouentus, tibi destinare, qui tui sunt, cùm clientis tui sint, & tuis prouincijs in religione conseruandis, quæ vna summa Imperia stabilire potest, valde inseruient. Subnectam denique & eam rationem mittendi ad te Mariam huius operis volumen primum, quod in hoc regali tuo Cœnobio, cui sacræ Theologiæ Lector generalis à summo Pontifice electus fui elaboratum sit; fructus planè est agelli tui, ac proinde meritò tibi offerendus. Accipe igitur, Rex potentissime, opus hoc, quod grauissimorum virorum iudicio, Ecclesiæ Catholicæ non parum profuturum iudicatur. Excipe eâ animi magnitudine, quâ alios soles complecti, eiusq; Auctorem tua manus vmbrâ, tui sinus custodia tuere. Interim Deum Opt. Max. quod meum est, precabor, vt omnia bona vota tua & secundet, & fortunet, ac sinceræ tuæ religionis candorem incolumem seruet, veraq; vtriusq; vitæ Te cumulet felicitate.



PIIS, AC BENEVOLIS LECTORIBVS AVCTOR S.



QVOD quisque pollicitus est, Candidi Lectores, id non præstare, nec officiosi, nec prudentis hominis esse, cùm mutua officiorum vicissitudo, tum sanctissimæ leges testantur: quæ res me præcipuè impulit, addo etiam, calcaria quasi subdidit, vt extremam manum his Homilijs admouerem. Cùm enim superioribus mensibus Typis commisissem, quas in enodandis arcanis ad Christum Dominum spectantibus elaboraueram, Conciones (opus diuini Verbi præconibus, vt mihi ipsi persuaseram, accommodatum) ac sponsionem quasi dedissem cœpta prosequendi, præsertim de B. Virginis Mariæ laudibus Marianum (vt ita loquar) opus me emissurum promisissem, hac conditione, si meis laboribus vestræ beneuolentiæ, & gratiæ auram arridere animaduertissem. Video pollicitationis meæ conuictum, ac voti compotem me esse factum; quòd benignissimè meis elucubrationibus vestri fauoris prærogatiua singularis blandita est, & iam quod mihi proposueram, aliqua ex parte peregisse cognosco. Nolui igitur desiderium vestrum quamprimùm prælo committere non dubitaui. Vtinam verò vestræ expectationi respondeant elucubrationes istæ: certe vt responderent, summoperè contendi: sed non humanitati vestræ mihi diffidendum esse existimo, quin serenâ fronte excipiatis eorum labores, qui vobis operam aliquam pro ingenij sui modulo nauare conantur: nec est, cur Aristarchi, & Criticorum valde obductas frontes, & censuras pertimescam; vt enim mihi ipsi non blandior, & meis scriptis non ita delector, quin cognoscam me aliquem in lapidem offendisse, eorum tamen me recreat comitas, qui cùm in aliena incurrunt scripta, quæ commendanda deprehendunt, debitâ laudatione non defraudant; quæ verò improbanda videntur, vel prudenter dissimulant, vel tacitâ lectione percurrunt, vel etiam benignâ emendatione (vt nos in aliorum scriptis factitamus) sine morsu dignantur. Accipite igitur, quod vobis offertur, munus: si vtile, fruimini vestro commodo, & vtilitati elaborato opere; sin minùs, voluntatem meam de vobis benè merendi æqui boniqúe consulite.



DE SACRIS ARCANIS ÆTERNÆ PRÆDESTINATIONIS, AC IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS DEIPARÆ VIRginis Mariæ

LIBER PRIMVS.

Homilia Prima.

QVAM ARDVVM, AC PERDIFFICILE SIT de Marianis laudibus concinnè eloqui, aurea ex sanctorum Patrum verbis contexta catena palàm facit.

I. VM deabditissimis sacrosanctæ Deiparæ Mariæ arcanis longum texere sermonem cogitabam, ingens difficultatum agmen ab hac pia & religiosa cogitatione me absterrere gestiens inuasit. Primum quidem celsitudo, ac sublimitas Mariæ, quæ abyssus est inscrutabilis, timorem incussit vehementem; vt enim ait D. CHRYSOSTOMVS: *Quid illa sanctius? non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Patres, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Cherubin, non Seraphin, non aliud deinde quidpiam inter creatas res visibiles, aut inuisibiles vna hac maius, aut excellentius inueniri potest.* His consentiens B. PETRVS DAMIANVS non tam suo, quam totius Ecclesiæ nomine sequens hoc reliquit testatum elogium: *Quid mirum, si hæc ineffabilis Virgo in suis laudibus modum humanæ vocis exsuperat, quum & ipsam humani generis naturam excellentium meritorum dignitate transscendat? non excellentissimus ille Patriarcharum chorus, non prouidus Prophetarum numerus, non iudex Apostolorum senatus, non Martyrum victor exercitus, non aliquis antiquorum, non quisquam sequentium Patrum huic beatissimæ Virgini poterit comparari; quid enim sanctitatis, quid iustitiæ, quid religionis, quid perfectionis singulari huic Virgini deesse potuit, quæ totius diuinæ gratiæ charismate plena fuit?* Compendiosius tamen S. GERMANVS Archiepiscopus Constantinopolitanus ait: *Omnia tua sunt admirabilia, ó Deipara, omnia supra naturam, omnia ingentia, & cunctorum vires superantia.* Id magis explicans D. BERNARDVS dixit: *Profundissimam diuinæ sapientiæ penetrauit abyssum, vt quantum sine personali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa.* His persimilia scripsit noster S. BERNARDINVS, dicens: *Tanta fuit perfectio Mariæ, vt soli Deo cognoscenda reseruetur, iuxta illud* ECCLESIASTICI: *Ipse creauit illam in Spiritu sancto, & vidit, & dinumerauit, & mensus est,* hinc sponsus Mariæ sublimitatem probe agnoscens, dixit ei: *Oculi tui columbarum, absque eo, quod intrinsecus latet:* vbi Septuaginta transtulerunt: *Oculi tui columbarum extra silentium,* vel *extra taciturnitatem tuam*, quibus verbis non obscure significauit, tantam esse Virginis præstantiam, vt non tam illam vocibus extollere, quam religioso silentio admirantes, venerari debeamus.

In hypopanti Dom.

Sermon. de Mar. natiuit.

Orat de Zona virg.

In ser. Signum magnum.

Ser. 51. c. 1. Ecclef. 1.

Cant. 4.

LXX. versio.

II. SECVNDO, id me etiam vehementer deterruit, quod non semel obseruaui, de hoc genere argumenti disserere tentantes, non solum doctrina pusillos, sed & sapiẽtissimos viros, ac celeberrimos Ecclesiæ Doctores, valde pertimuisse, ingenue fatentes, ad Mariana præconia digne promenda omnino se impares esse, vnde D. BERNARDVS dixit: *Non est, quod me magis delectet, non est, quod magis deterreat, quam de Virginis gloria sermonem habere.* & alibi inquit: *Licet de Maria loqui gestiant omnes, tamen quidquid dicitur de indicibili, eo ipso, quod dici potuit, minus gratum est, minus placet, minus acceptatur, quænam etenim poterit lingua, etiamsi angelica sit, dignis extollere laudibus Virginem Matrem, non cuiuscunque, sed Dei?* hæc Bernardus.

D. Ber. ser. 4. de Assumpt.

Idem Bern. super Missus est.

Ser. 2. in Assumpt. Virg.

Audiamus nunc magnum Patrem AVGVSTINVM in hunc modum loquentem: *Quid nos tantilli? quid actione pusilli? quid in eius laudibus referemus? cum etsi omnium nostrum membra verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus, altior cœlo est, de qua loquimur; abysso profundior, cui laudes dicere conamur.*

Ibidem.

Et ibidem etiam ad Virginem se conuertens, sic illam affatur: *Quid dicam pauper ingenio, cum de te quidquid dixero, minor laus est, quam dignitas tua meretur, si cœlum te vocem, altior es; si matrem Gentium dicam, præcedis: si formam Dei appellem, digna existis; si Dominam Angelorum vocitem, per omnia te esse probaris.*

Ser. 3. de natiuit.

Accedit B. PETRVS DAMIANVS, qui excellentiam Virginis admiratus, in hæc verba prorupit: *Ad eius efferenda præconia, non Rhetoricorum diserta facundia, non Dialecticorum subtilia argumenta, non acutissima Philosophorum apta reperiuntur ingenia.*

Lib. de Virgin.

Conspirat in idem D. AMBROSIVS dicens: *Quid splendidius ea, quam splendor elegit? quid castius illa, quæ sine contagione generauit? tanta est huius Virginis excellentia, vt in eius narratione omnes balbutiant linguæ, cæcutiant omnes intelligentiæ, deficiant omnes similitudines parabolicæ.*

Ser. de laud. virg.

hanc eandem insufficientiam profitetur D. EPIPHANIVS, dum ait: *Exili voce sum, tardaque lingua, & minime disertus, vt verba facere possim de percelebri sancta Deipara Maria, de qua leuiter loqui non debet humana lingua.*

D. Anton. 3. p. tit. 18. cap. 8.

ac tandem D. ANTONINVS, vt non suam solum, vt Epiphanius, sed omnium creaturarum tam terrestrium, quam cœlestium, ad Mariæ encomia proferenda, indignitatem & insufficientiam attestaretur, hæc nobis carmina scripta reliquit:

Si fieri posset, quod arena puluis, & vndæ,
Vndarum guttæ, rosa, gemmæ, lilia, flamma,
Æthera, cœlicolæ, nix, grando, sexus vterque,
Ventorum pennæ, volucrum, & pecudũ genus omne;
Syluarum rami, frondes, auium quoque pennæ;
Gramina, ros, stellæ, pisces, angues, & aristæ,
Et lapides, montes, conualles, terra, dracones,
Linguæ cuncta forent, minimè depromere possent,
Quæ sit, vel quanta Virgo Regina Maria,
Quæ tua sit pietas, nec litera, nec dabit ætas.

III. HANC difficultatem, quam in Mariæ laudibus decantandis sancti Patres experti fuere, multo ante Isaias prænouisse mihi videtur, cum dixit: *Erit vobis visio sicut verba libri signati, quem cum dederit scienti litteras, dicent: lege istum: & respondebit: Non possum, signatus est enim. Et dabitur liber nescienti litteras, diceturque ei: lege: & respondebit: Nescio litteras:*

Isai. 29.

per hunc librum arbitror Virginem designari, in qua purpureo virginei sui sanguinis atramento Deus Pater ineffabilem mentis suæ conceptum expressit, cum *Verbum caro factum est*: hunc ergo librum si indoctis porrigas, continuo ignorantiam suam ad eius reseranda arcana non diffitentur; si vero sapientes ac doctrina conspicuos ad illa perscrutanda vocites, incunctanter respondent: *Obsignatus est liber sigillis septem*: quorum D. IOANNES reseratorem, & interpretem desiderans, & non inueniens, cœpit amare lachrymari: *& ego flebam multum, quoniam nemo dignus inuentus est aperire librũ, nec videre eum.*

Ioan. 1.

Apoc. 1.

Igitur cum recondita sacramenta, quæ in hoc Mariano libro delitescunt, non solum humanũ, sed angelicũ captũ transcendant, temeritatem quandã incurrere pertimesco, dum abdita eius mysteria reserare tento; maxime quod memini tum HORATII Poetæ dicentis:

Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam,
Viribus, & pensate diu, quid ferre recusent.

tum D. HIERONYMI ad Vigilantium scribẽtis: *Prudentis hominis est nosse mensuram suam, nec zelo Diaboli concitato, imperitiæ suæ cunctum orbem testem facere*, vt enim sapienter dixit D. AMBROSIVS: *Vnumquemque fallunt sua scripta, & auctorem prætereunt; atque vt filii etiam deformes delectant parentes: sic etiam scriptores indecoros quoque sermones suos palpant.*

Lib. 8. epist. 70.

vnde fit, quod cum ipsis arrideant, facile eas in publicam lucem prodire sinunt; sed id inde commodi nanciscuntur, vt vnde honorem, & nominis gloriã comparaturos falso sibi blandiebantur, inde contumeliam & dedecus non modicum sibi pariant: dum eorum inscitia, quæ latebat, iam cuncto orbi fit patula. hæc omnia, rogo, quem etsi fortissimum Achillem non terreant, & stupefaciant?

IV. TERTIO, id quod vehementius ab hac sublimi tractatione animũ arcebat, & auocabat, multitudo sane erat peccatorum, quæ ad laudes tantæ Virginis decantandas, non solũ indignum, imperitum, ineptum, & insufficientem, sed & impotentẽ (prô dolor) effecerunt. Scio quidem, D. HIERONYMVM dixisse: *Timeo satis, & valde pertimesco, dum vestris cupio parere profectibus, ne forte, sicut improbus, ita & indignus laudator inueniar; profecto, cum nec sanctitas, vel facundia suppeditet, vt beatam, & gloriosam Virginem Mariam digne laudare queam.*

Ser. de Assumpt.

Noui etiam D. ANSELMVM hæc scripsisse: *Supereminentem omni, quod post hominem Deum creatum est, excellentiam beatæ Matris Dei quomodocunque, & saltem lippienti oculo cordis contemplari anhelans, & quod mihi inde capere conceditur, ad communem notitiam proferre desiderans, horreo peccatorum, quibus premor, enormitatem, & valde timeo, ne mihi tam alta petenti non obiiciatur*

Lib. de excell. Virg. cap. 1.

hoc

hoc sacræ Scripturæ dictum: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Verum hæc, quæ D. Hieronymus, & Anselmus humilitatis studio permoti de se scripsere, ego veritatis euidentia conuictus, de me dicere compellor. Atque hinc magis, ac magis excrescit timor, & tremor: nam si vera fuit AGESILAI Lacedæmoniorum Regis sententia dicentis, quod, cum quis ab aliquo laudatur, conditio, & mores laudantis sunt attendendi, quia boni bonos, mali malos soliti sunt laudare, non ero execrandi sacrilegii expers, si, cum teterrimus peccator inueniar, sacrosanctam Deiparam Mariam laudare temere præsumam, vt enim dixit Eloquentiæ parens, *laudabile est laudari, sed à viro laudato*; cui sententiæ consonat alia SOCRATIS, qui audiens se à multis laudari, respondit, *quid mali feci?* indicans certe, quod cum pauci sint boni, laudatores multi, non poterant non esse mali; mali autem malum commendare consueuerunt; atq; hinc ECCLESIASTICVS dixit; *Non est speciosa laus in ore peccatoris*: ob quam etiam rationem inter alias, arbitror Christum Dominum immundis spiritibus illum laudantibus apud MARCVM, & LVCAM, silentiū seuere indixisse, quia non erat speciosa laus in ore eorū, qui patres mendacii erant: vnde DEVS peccatorem illum laudantem acriter increpauit, dicens: *quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentū meum per os tuū?* huc etiam faciunt egregia verba D. ANSELMI dicentis: *Frustra quippe conatur dicere: super omnes docentes me intellexi, qui proferre non audet: quia testimonia tua meditatio mea est: & mendaciter pronunciat: super senes intellexi, cui non est familiare, quod sequitur: quia mandata tua quæsiui.* Ecce sacra dicentem; vult Anselmus sacris indui moribus, alioquin auditurum illud Apostoli: *Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem consensus Templo Dei cum Idolis?* Ergo tacebo? Absit: quia ISAIAM audio dicentem: *Væ mihi, quia tacui*; nec non regium Vatem obseruaui taciturnitatem sibi nocuisse affirmantem: *Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis, & dolor meus renouatus est*; quibus consonat illud, quod quidam Poetarum cecinit:

Nam siluisse nocet, multosque silentia damnant.

Vnde D. AMBROSIVS acute dixit: *Si pro ocioso verbo reddemus rationem, videamus ne reddamus & pro ocioso silentio.* quare non dubitabo, D. EPIPHANII vestigia sequens, aurea verba illius mihi vsurpare: *Desiderium me trahit, vt de Deipara verba faciam, & formido me retinet in silentio, vt qui non habeam facultatem dicendi pro dignitate. Animus hortatur, & metus deterret; ille quidem trahit me, iste vero me abstrahit; cum ergo ab vtroque detinear, expedit mihi, vt sermonem habeam de præcelebri, & sancta Virgine.* hæc Epiphanius. A quibus non abhorrent verba illa D. HIERONYMI eandem sententiam diuersis verbis proferentis: *De tali, tantaque Virgine loqui me indignum fateor, sed & puto, quod nemo præsumat, nisi, qui tanta sint, quæ panduntur, penitus ignorat: tamen, etsi ad hæc nemo idoneus inuenitur, votis tamen omnibus cessare non debet, quilibet etiam peccator in laudibus, quamuis explere non queat, quod sentitur.* Non dissimilia scripsit CHRISIPPVS presbyter, dum ait: *Agite ergo, & nos, & si munera digna offerre nequimus, pro viribus tamen bonam voluntatem adferamus.* Consona etiam sunt alia Anonymi dicentis: *Danda est opera, vt texamus Mariæ laudationem; scit enim ipsa apud Me- quoque filii cedens legibus, gratum habere id, quod fit pro viribus.*

Agesilai sententia.

Eccles. 15.

Marc. 1.
Luc. 4.

Psal. 49.

D. Ansel. Psal. 118.

2. Cor. 6.

Isai. 6.
Psal. 38.

D. Ambro. l. 1. offic. c. 3.

Serm. in assumptione, Ioanne Pico interprete

Ser. de Assumpt.

Hom. de S. Mar. Deipara.

Anonymus apud Metaphr. orat. in Assump.

V. QVAMVIS enim quidquid dixerimus, id satis non sit, si dignitatem Mariæ attendimus; satis tamen id erit, si eiusdem benignitatem aspicimus, quia quidquid ex bono affectu promitur, id ipsa satis esse ducit. quare, cum illud Iob merito pronuntiare possim: *Plenus sum enim sermonibus, & coarctat me spiritus vteri mei, & venter meus, quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas disrumpit*: sumpta de Mariæ pietate audacia sacra eius arcana diuino spiritu afflante (vt de summa Dei benignitate afflaturum spero) toti Orbi pandere adnitar; licet enim Maria mare profundissimum sit, & scopulos, syrtes, scyllam atque carybdim in eius nauigatione ingenii nostri cymba merito pertimescere & possit, & debeat, ipsa tamen stella maris esse perhibetur, vnde licet, vt profundum mare me terreat, vt maris tamen stella me allicit, me dirigit, me illuminat, me irradiat, & nauigationem absque procella fortunatissimam pollicetur. Equidem, vt RVPERTVS me docuit: *Qui magno feruntur pelago, pauidi nautæ, placidam sibi aurā imprecati, fixa cœlo sydera respiciunt, terra amissa tenent cœlum, sedentesque ad clauum, syderibus currunt, erratica vero sydera sequi fugiunt.* Idem nobis, qui inscrutabilium arcanorum Deiparæ Mariæ vastissimum mare ingressi sumus, agendum est; primo placidus nobis ille spiritus implorandus, de quo Psalmista: *Spiritus* (inquit) *tuus bonus deducet me in terram rectam*; deinde sancti Doctores pia mente, ac vigilantibus oculis lustrandi sunt, qui tanquā Arcturi nunquam occidentis lucida sydera stabili fide semper fixi steterunt, & lucem fidei fundentes, erroris occasum nescierunt. Hæreticorum vero stella erratica longe fugienda est; sunt enim (vt Apostolus IVDAS ait) *sydera errantia, quibus procella tenebrarum in æternum seruata est.* Quod si Apostolus IOANNES cap. 11. suæ Apocalypsis narrat, cum visa fuit arca testamenti, facta fuisse fulgura, & voces in eius honorē, æquum magis est, vt sacra illa, & animata arca inspecta (vt DAMASCENI verbis vtar) micantia laudum fulgura, variasque encomiorum voces insonent, atq; vtinam in tantæ Matris præconiis, vt Pericles, qui ab Aristophane fulgurare, & tonare dictus est, nos radiantia encomiorum fulgura mittamus; quod si hæc mittere non valemus, saltem instar auicularum in voculas prorumpamus.

Iob. 32.

Rupert. l. 3 in Ioan.

Psal. 142.

Iud. c. 1.

Ser. 2. de Assumpt.

VI. Hoc desiderio ardens sanctus EPHRÆM Diaconus Ecclesiæ Edissenæ dicebat Mariā alloquens:

Orat. de sanctissimæ Dei matris laudibus.

Ser. 61. de Virg. bene dicta, serm. 4. post resurr. Domini.

Imple os meum gratia dulcedinis tuæ, illumina mentem, ô gratia plena, moue linguam meam, & labia ad laudes tibi alacri, & læto animo canendas. hoc eodem flagrans desiderio noster S. BERNARDINVS Senensis, tam pie, quam eleganter in hæc verba prorupit, quæ libenter mihi vsurpo: *Hic totum decurrat ingenium, & aureus sermo totus reluceat, maiestate voluntaria oris mei beneplacita faciat sibi Dei Genetrix, Domina mundi, Regina Cœli, ipsa sensum acuat, dirigat stylum, & linguam pauperis venustiori respergat eloquio; vt de magnificentiis eius aliquid, tametsi balbutiendo, depromam.* Ad quod sane præter gloriam Dei, Virginis honorem, ac publicam Ecclesiæ Catholicæ vtilitatem (ad quæ tanquam ad præcipuum scopum Marianæ laudis præcones respicere debent) non parum etiam ad id munificentissima eius pollicitatio animum allicit, & impellit, dum SALOMON ait; *Cogitare de illa sensus est consummatus, & qui vigilauerit propter illam, cito erit securus*: & in

Prou. 1. Prouerb. inquit: *Ne dimittas legem matris tuæ, honora illam, si vis ab ipsa honorari, & in bonis ditari.* Vt

Eccles. c. 3. enim dixit ECCLESIASTICVS: *Sicut qui thesaurizat, ita qui honorificat matrem*, hunc autem thesaurum cœlestem esse, his verbis piissima Mater explicuit.

Eccles. 24. *Qui me elucidant, vitam æternam habebunt*: quibus (arbitror) non obscure insinuasse, eorum capita, qui laudabiliter in eius encomiis celebrandis, & elucidandis se exercent, laurea Doctoribus promissa in cœlesti patria redimenda fore. Tandem finem dicendi facio, charissimi amici nostri Martini (quippe, amicorum omnia sunt communia) aurea carmina mihi vendicans:

Mart. del-Rio in florida sua Mariana.

Angelici Regina chori; dilecta Tonantis
Filia, cui coniux, tu soror, & genitrix:
Suscipe: sed facili vultu, quo cuncta serenas,
Sint licet hæc meritis non satis ampla tuis.
Ingenio sunt apta meo, sint parua necesse est,
Grandescent genio (iusseris) illa tuo.

HOMILIA II.

Ostenditur, Beatissimam Virginem inter omnes puras Creaturas primum, ac principem locum tenere in diuina prædestinatione, ex quo illibata eius Conceptio comprobatur in illa verba: Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret, nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram.

Prou. 8.

I. NTEMERATÆ Virginis Deiparæ Mariæ excellentissimam prædestinationem, tametsi reliquorum Sanctorum prædestinationi in eo persimilem fateamur, quod vtraq; æterna, & in neutra propria merita desideranda sint; cum omnimodam eius causam ex solo diuinæ voluntatis beneplacito petendam esse sanior Theologorũ doctrina censeat, vt perelegan-ti metaphora docuit D. PAVLVS, qui de æterna illa electione sermonẽ instituens, de qua ipse: *elegit nos ante mundi constitutionem*; diuino quidẽ spiritu afflatus, *sortem*, illam vocauit: *sorte vocati sumus*: sicut n in sortib. nulla habetur meritorũ ratio erga illos, quib. felix contingit sors: ita Deus neminẽ Sanctorum ꝓpter eius merita prædestinauit, sed ob merã eius gratiam & munificentiam. Quod & veteres illi Ethnici præodorasse mihi videntur, dum ingeniose satis fingebant, singulos Deos pro insigni suo singulas infructiferas arbores sibi elegisse, quarũ peculiarem curam gerebant: Iupiter elegit quercum, Apollo laurũ, Neptunus Ipinum, Venus myrthum, Iuno iuniperũ. Huius tam singularis, & inopinatæ electionis nouitatẽ Minerua Dea admirata valde, sciscitabatur ab eis causam, ob quam arbores omnium infructuosiores sibi elegissent? cui Dii respõderunt, ea propter id factum fuisse, vt arbores illæ palam agnoscerent, non ob earum merita, sed ex gratuito Deorum munere electas fuisse. Quænam quæso Saulo infructuosior arbor excogitari potest, ad cuius vmbram Iudæi Stephanum lapidarunt? quæ nociua magis, quã Magdalena, quæ instar veneficæ Taxi ciuitatẽ inficiebat? quænã extirpanda magis, quam Dimas, latro, & viatorũ deprædator? has nihilominus infructiferas arbores consulto Deus sibi elegit, vt eorum prædestinatio non ipsorum meritis, sed diuinæ misericordiæ adscriberetur, vt disertis verbis dixit Apostolus. *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit.*

Ephes. 1.

Ibid.

Ingeniosa fabula Antiquorum.

Tit. 3.

II. IN eo tamen beatissimæ Virginis singularis electio cuiuscunq; puræ creaturæ prædestinationẽ valde excelluit, quod licet absque propriis meritis fuerit, prioritate tamen rationis, & dignitatis longo interuallo reliquas superauit. Quæ duo mirifice elucidant egregia illa ECCLESIASTICI verba, quibus singularẽ quandam excitauit quæstionem, dicens: *Quare dies diem superat; &* iterum, *lux lucem, & annus annum à sole?* quasi dicat: Cum dies omnes sint velut filii, aut partus solis, vnde prouenit, quod dies hæc celebrior, & honoratior habeatur, quam dies ferialis, cui nullus honor defertur? Certe huius disparitatis causam minime dixerim ipsum Patrem, scil. solem: subiungit enim ECCLESIASTICVS: *Separati sunt facto sole, & præceptum custodiente*: nec etiam putauerim causam solem mouentis, & dies diuidentis imperitiam: continuo enim addit: *à Domini scientia separati sunt; & per Dei sapientiam diuiduntur*; quemadmodum enim annum partitus est Altissimus in quatuor illa tempora, frigidam hyemem, floridũ ver, calidam æstatem, & fructiferum autumnum; sic etiã & Ecclesiastici anni festiuitates diuisit: *& immutauit tempora, & dies festos*: hoc est, quasdam voluit stabiliri primæ classis, alias secundæ;

Eccles. 3.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

cundæ; has celebres, illas celebriores, quaſdã celeberrimas: [*Ibid.*] *& ex ipſis exaltabit, & magnificabit Deus, & ex ipſis poſuit in numero dierum.* Nec fit ſatis quæſtioni, ſi quis reſpondeat: Natale Domini (exempli gratia) tali die celebrari, quia palam in eo mundo apparuit; Reſurrectionis, quia tunc ad vitam reuocatus eſt; [*Act. 2.*] Pentecoſtes, quia in eo deſcendit Spiritus ſanct⁹ in linguis igneis; id (inquã) nihil prorſus refert. Nam, quod Chriſti Natiuitas, eius Reſurrectio, & Spiritus S. miſſio illis potius diebus contingerent, quam aliis, certe id non merito dierum, ſed diuinæ voluntatis electioni, & beneplacito adſcribendum eſt.

III. Non diſſimiliter hominib accidit, qui licet (vt ait ibidẽ Ecclesiasticvs) ex terra orti ſint, nõ ſecus, quam dies à ſole: [*Ibid.*] *Et omnes homines de ſolo, & ex terra, vnde creatus eſt Adam*, nihilominus tamen quos Naturæ conditio æquales effecerat, duæ illæ prædeſtinationis, & reprobationis ſortes abſque propriis meritis impares, & inæquales reddiderũt: [*Ibid.*] *In multitudine diſciplinæ Dominus ſeparauit eos, & immutauit vias illorum*; immutationem autem hanc ſubiicit, dum de reprobis ait: [*Ibid.*] *Ex ipſis maledixit, & humiliauit.* de Prædeſtinatis vero: [*Ibid.*] *Ex ipſis benedixit, & exaltauit.* Inter hos ergo p̃deſtinatos Chriſtus Dominus, de quo D. Pavlvs: [*Rom. 1.*] *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute*, primum locum obtinet, vt indicant verba illa: [*Pſal. 39.*] *In capite libri ſcriptum eſt de me.* Secundum vero ſanctiſſima eius Genitrix, quos diuina omnipotentia adeo exaltare dignata eſt, vt ille ad diuinæ, & increatæ filiationis celſitudinem, hæc ad Dei matris culmen pertingeret. ſicut enim [*Geneſ. 2.*] decreuit Deus primum parentem Adamum generis humani caput conſtituere, eique ſociam Euam adhibuit ex dormientis ipſius latere formatam; ita ad reparandum genus humanum, &, vt in mundo eſſet caput alterius propagationis ſpiritualis, nõ ex ſanguinibus, neq; ex voluntate carnis, ſed ex Deo, & eius diuino ſpiritu Chriſtum prædeſtinauit: quẽ [*1. Cor. 15.*] ob id Pavlvs ſecundum & nouum Adamum crebro appellat: ex cuius latere dormientis in cruce eduxit hanc ſecundam Euam, id eſt, Matrem viuentium, per gratiam. Vnde ſicut Eua ſecunda poſt Adam procreata fuit, ita & Maria immediate poſt Chriſtum ſecundo loco prædeſtinata fuit. Ex quo diui Avgvstini doctrinam ſecutus, [*D. Aug. in præfat. in Pſal. 47.*] non immerito Chriſtum Dominum, *primam ſabbati*, Virginem vero *ſecũdam ſabbati* dicemus; maxime, quod *prima ſabbati* dies erat ſolis, ſecunda vero ſabbati dies lunæ, quæ Mariam deſignat, quam canit Eccleſia pulchram vt Lunam: cum ergo beatiſſima Virgo ſecunda fuerit poſt Chriſtum, [*Rupert. 2. in Cant.*] conſequens fit primam fuiſſe prædeſtinatorum inter puras creaturas; vt præter Rvpertvm, & Galatinvm [*Galatin.*] nõnulli Patres docuerunt, præſertim D. Gregorivs [*D. Greg. in lib. Reg. c. 1.*] dicens: Mariam poſt Chriſtum omnes tranſcendere creaturas dignitate ſuæ electionis: & S. Bernardinvs Senenſis [*D. Bernar. ſerm. 51. de Virg. c. 4.*] B. Virginem alloquens: *Tu* (inquit) *ante omnem creaturam in mente Dei prædeſtinata fuiſti, vt Deum ipſum, hominem procreares.* Accedit Andreas Cretensis, [*And Cre. tenſ. ſer. de Aſſumpt.*] dicens: *Hæc eſt declaratio profundorum diuinæ incomprehenſibilitatis, hic eſt ſcopus qui excogitatus eſt ante ſæcula.*

IV. Facit ad idem, quod refert Franciscvs Venetus: [*Fr. Venet. in Armon. mũdi Can. 1. to. 5. c. 6.*] nimirum, inter reconditiſſima Hebræorum arcana, illud celeberrimum haberi, vnam apud Deum eſſe primam omnium creaturarũ, quæ reliquarum omnium perfectiones contineret, quam illi appellabant (Mitatròn.) Hanc autem eſſe Matrem Meſſiæ, ex eo colligebant quod nomen (*Mariæ*) Hebræis conſtituit numerum ducenteſimum nonageſimum, quem eundem reddunt extremæ literæ illarum vocum (Mitatròn.) Ratio etiam idipſum confirmat: Nam, cum Deus decreuit Filium ſuum ex beata Virgine futurum eſſe hominem, conſequens erat, nihil immediatius prædeſtinare, quam Matrem, ex cuius thalamo tanquam ſponſus proceſſurus erat: hæc enim fuit, *quam præparauit Dominus filio Domini mei*, [*Geneſ. 24.*] vt in figura eius prædictum fuit de Rebecca: deinde, quia dignitas Matris Dei adeo præcellens eſt, vt ſuo modo pertineat ad ordinem vnionis hypoſtaticæ naturæ humanæ cum verbo diuino, cum Maternitas hæc ita illam intrinſece reſpiciat, & ab ea dependeat, vt omnino repugnet, eſſe Matrem Dei vnione hypoſtatica deficiente: igitur, cum Mater Dei ſit, quæ magis accedit ad Chriſtum, tam in eſſe naturæ, quam gratiæ, vt Scholaſticorum Doctorum more loquar, non eſt, cur dubitemus, prædeſtinationem Virginis fuiſſe immediatam prædeſtinationi Chriſti: immo, cum Mater, & Filius relatiua ſint, mutuo ſe reſpicientia, non poterat præordinari filius: non præordinando ſimul & matrem. Tandem idem proclamant non pauca ſacræ Scripturæ teſtimonia: In perſona enim illius canit Ecclesia: [*Eccleſ. 24.*] *Ego ex ore Altiſſimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam.* & Sponsvs ait: [*Cant. 6.*] *Adoleſcentularum non eſt numerus; vna eſt columba mea, perfecta mea.* & Ecclesia [*Eccleſia Romana in offic. Concept. & Nat. B. Virg.*] inquit: *Elegit eam Deus, & prælegit eam*, quid autẽ eſt præeligere eam, niſi æternam eius electionem reliquorum omnium Sanctorum prædeſtinationem præcedere?

V. Sed pergo iam propoſita Eccleſiaſtici verba, quæ idipſum mirifice illuſtrant, elucidare, ex quibus immaculata Virginis conceptio nõ parum corroborabitur: ait enim illa: [*Prou. 8.*] *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum: Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis, antequam terra fieret.* Non me latet, hunc locum varias ſubſtinere expoſitiones: nam D. Basilivs, Origenes, Tertvllianvs & Ivstinvs [*Baſil. lib. 1. cont. Eunõ. Orig. lib. 1. Periar. Tertul. lib. con. Plac. Iuſt. Dial. con. Trip.*] autumant; ibi loqui Filium Dei, qui eſt ſapientia patris, vt terminat naturam diuinam, non vt terminat naturam humanam. ſed D. Ambrosivs [*Amb. de fide lib. 1. cap. 7.*] refellit hanc expoſitionem, eo quod verbum illud, *Dominus*, aperte illã excludere videatur: cum enim Filius Dei, vt terminat naturam diuinam, ſub nullius poſſeſſione & dominio fuerit, nec poſſit eſſe, nemo vnquã illum poſſedit, vt Dominus. Verba Ambroſii ſunt

hæc: *Si filius loqueretur vt Deus, non diceret, Dominus, sed Pater.* Alii Doctores Salmanticenses arbitrantur in prædictis verbis sermonem non esse de sapientia Incarnata, sed de sapientia absolute, prout est directiua actionum, quæ quidem introducitur ibi per figuram, vt aiunt, prosopopæiam, qua solent Rhetores munus personarum rebus inanimatis accommodare: Vnde, inquiunt, sensum germanum illorum verborum esse: sapientiam fuisse comitem indiuiduū Dei in productione creaturarū, iuxta illud, *Prou.8.* quod infra subditur: *Cum ipso eram cuncta componēs* atque adeo nihil se fecisse, nisi sapienter.

VI. Sed longe isti errant, non enim legerant *Epiphanium* asserentem, locum illum plane esse in- *In Anchor. hæresi 67.* telligēdum de sapientia incarnata, & hanc expositionem esse magnorum Patrum, quod procul dubio verissimum est. Nam illam tradunt imprimis Hieronymus super Epistola ad Ephes. 2. dicens: in Hebræo nō haberi: *Creauit me*, sed, *possedit me*: vtrūque tamen verbum referendum esse ad Sapientiam incarnatam: Cyrillus Alexandrinus 5. Thesauri c.4. & 8. ait. *Quarendum est quis est, qui dixit: Dominus creauit me*, & Respondet: *Christus iam homo factus.* Damascenus lib. 4. cap. 19. Chrysostomus de sancta, & mirifica Trinitate, Nyssenus de fide ad Simplic. Hilarius 12. de Trinit. Ambros. 1. de fide, Avgvst. ferm. 58. de verbis Domini, & 1. de Trinit. cap. 12. Nazianz orat. 2. de filio. Athanas. 3. contra Arrianos. D. Thomas p. p. q. 41. art. 3. ad quartum. Idem habet Patres omnes sextæ Synodi actione 6. tom. 4. & vniuersi etiam Patres Concilii Hispalensis secundi c. 13. & Ivstinvs Imperator in edicto fidei misso ad Ioannem II. Papam, vbi adducit Basilium id docentem lib 4. cōtra Eunomium; & ante omnes illos id docuit Clemens I. lib. 1. Constitutionum Apostolicarum c. 12. vbi hanc ait esse doctrinam Apostolorum; estq; valde consentanea Textui prædicta expositio, vt satis indicant verba *Prou.8.* illa: *Et delicia mea esse cum filiis hominum*, quæ de sapientia Incarnata debere intelligi tradunt commu- *Laur. Iust. ser de Euch.* niter Expositores; & docuit Lavrentivs Ivstinian. quæ ideo *ab initio, & ante secula creata* dicitur, quia antequam Deus quidquam facere decreuisset, Verbi Incarnationem futurā disposuit; additurq; *creata in initio viarum Dei*, quia fuit primū initium operū Dei ad extra, non in exequutione temporali, vt cōstat, sed in æterna Dei prædefinitione. *Viarū* etiam nomine, opera Dei esse intelligenda satis in- *Isai.55.* dicat illud Isaiæ: *sicut exaltati sunt cœli à terra, ita* *Psal.144.* *exaltantur via mea à viis vestris*, id est, opera mea ab operibus vestris; & illud Psalmi: *Iustus Dominus in omnibus viis suis:* quod statim magis exponens Re- *Ibid.* gius Vates, subdit: *& sanctus in omnibus operibus suis:* Cum ergo sapientia Incarnata dicatur initium operum Dei, & id nequeat intelligi secundum exequutionem, necessario est intelligendum secundum prædefinitionem æternam.

Ecclesia Romana VII. Vervmetiam in sensu mystico proposita verba [illegible] satis intelligi de sanctissima Deipara Maria, Ecclesiæ Catholicæ Romanæ Authoritas nos *in offic. Concept. & Natiu. B. Virg.* docet, dum non semel ei illa accommodans Virginem introducit ea loquentem, quod non parum arbitror tantæ Virginis excellentiam commendare: nam quis quæso non mirabitur, vt, quæ secundum sensum literalē de increata sapientia, aut Verbo incarnato intelliguntur, Beatæ Virgini in sensu mystico facile adaptentur? Sane vestis magno Giganti apta, statura pusillis congruere minime potest: cum ergo, quæ de infinita Dei sapientia dicuntur, de Beata Virgine etiam verificentur; necesse est illam ex infinitate filii infinitam quantam dignitatem mutuasse, indeq; est, vt vtriq; (licet in diuerso sensu) verba illa plane conueniant. Et quidē in primis, vt iam nonnulla ex multis, quæ in illis delitescunt sacramenta, aperire exordiar, non absq; singulari mysterio beatissimam Virginem dixisse reor. *Dominus possedit me*; & non, *Deus possedit me*: nam, *Prou.8.* cū in Conceptione Beatæ Virginis Creator generis humani, tanquam absolutus Dominus nullo positiuo iure adstrictus se gessisset in vniuersali lege de contrahenda labe peccati originalis cum Beata Virgine dispensans, ideo ad id significandum non verbum, *Deus*, sed *Dominus* vsurpauit, dicens: *Dominus* *Ibid.* *possedit me.* Aliud ēt sacramentū latet in hoc verbo, *Dominus*, ad ꝙ aperiendū obseruo cū D. Avgvstino, quod Moyses quandiu locutus est de creatio- *August. lib. 2. de Genes. ad literam c. 11.* ne Mundi; dum à supremo Opifice formarentur elementa, & corpora cœlestia, & hæc Astrorum varietate, illa vegetabilium piscium & animantium diuersitate locupletarentur, minime Deum vocauit *Dominum*; sed hanc *Domini* nomenclaturam ei solum tribuere cœpit, cum primum hominem in Paradiso collocauit: *Tulit ergo Dominus Deus hominem,* *Genes. 2.* *& posuit eum in Paradiso voluptatis*, cuius rationem eam putauerim esse, quod supremum eius dominium non in eo potissimum effulget, vt instar terrestrium dominorum, de quibus dicitur: *Reges gen-* *Luca 11.* *tium dominantur eorum*, ingentem famulorum multitudinē suo imperio subiiciat, sed in eo, quod Dominos ipse constituat, ac Regna & dominia quibus ipsi libet distribuat, iuxta illud: *Per me reges regnāt*: *Prou. 8.* vnde quia introducens Adamum in Paradiso, eum constituit Dominum illius, & animantia omnia suo dominio subiugauit; *omnia subiecisti sub pedibus eius*: *Psal. 8.* ideo Moyses distulit Deum *Dominum* appellare *Gene. 2.* quousque Adamum Orbis Dominum constituerat: quia ergo mirum in modum magis perfulget supremum Dei dominium in eo, quod Beatissimam Virginem Angelorum Reginam, ac mundi Dominam, sibi subiectam habeat, quam quod super humanam, & Angelicam naturam dominetur; ideo ad id explicandum consulto ipsa dixit: *Dominus posse-* *Prou. 8.* *dit me.* hac enim ratione dominium illius mirum in modum commendauit.

VIII. Aliter etiā idipsum explicare possumus, vt dixerit: *Dominus*, ad significandum Deum à principio suæ conceptionis perfectum illius dominium habuisse, atque adeo per peccatum originale diabolico

bolico dominio nec per momentum subiacuisse. Cum enim idem non possit a duobus dominis sub perfecto dominio possideri; vt habetur, l. si vt certo. §. si duobus vehiculum, & ibi Glossa, & Dd. ff. commodati, consequens est, quod cum beata Virgo à principio suæ Conceptionis sub Dei dominio extiterit, peccati originalis labe, quæ sub diaboli dominio animam constituit, omnino caruerit: sed & verbum *possedit* id adamussim explicat. Porro possessio rei à proprietate, & dominio eius longe adeo distat, vt tritum sit Iuristarum Axioma: *Possessioni cum proprietate nihil est commune.* Vnde locator domus possessionem eius habet, è contra vero in mutuo penes patronum manet dominium, non possessio: Idem accidit non dissimiliter in rebus spiritualibus: Deus enim habet dominium, & proprietatem omnium Prædestinatorum, vt non obscure indicant verba illa: *Nec rapiet eas quisquam de manu mea.* Cæterum quando aliquis illorum incidit in peccatum mortale, diabolus est, qui possessionem eius habet, licet Deus iure prædestinationis dominium & proprietatem. E contra vero diabolus dominium, & proprietatem habet omnium reproborum. Cæterum, si quem eorum (vt sæpe contingit) pœnitet de peccatis, & acquirit Dei gratiam, tunc Deus habet possessionem illius, licet diabolus dominium. Hæc igitur est mira excellentia beatissimæ Virginis super omnes prædestinatos, quod quamuis Deus eorum omnium semper dominium habuerit, & proprietatem, non tamen semper possessioné, quia toto tempore, quo fuerunt labe peccati originalis infecti, dæmon habuit eorum possessionem; beatissimæ autem Virginis, quia nulla vmquam macula peccati infecta fuit, semper, & pro omni instanti Deus habuit dominium, proprietatem, & possessionem.

Ioan. 10.

IX. CONFIRMAT mirifice hanc expositionem, quod D. HIERONYMVS hæc eadem verba explicans in sensu literali de increata sapientia ait: *Possessio significat, quod semper filius in Patre, & Pater in filio fuerit*: igitur, eadem verba in sensu mystico, de beata Virgine accepta, licebit explicare, quod dum ait se possessam à Domino, talis possessio significet, quod semper filius in Matre, & Mater in filio fuerint in diuina acceptatione: nunquam igitur, nec per momentũ fuit Deo ingrata, & inuisa, quæ gratiæ, & vitæ Auctorem paritura erat. Ad hoc ergo significandum, introducit SALOMON immaculatam Virginem dicentem: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, ac si diceret: Deus non solum perpetuum mei dominium, & proprietatem, sed & perpetuam, & nunquam interruptam possessionem habuit, ita vt nec per momentum quidem sub alterius possessione, quam Creatoris mei iacere me permiserit. Certe Christus Dominus, licet tanquam supremus omnium pastor, ouium suarum etiam ab æterno curam gesserit, singularem tamen illam adhibuit in custodienda ab initio suæ Conceptionis has mitissima oue, ne inter vngues diabolicas immanissimi lupi incideret, sciens, quod paruus error in principio (vt dixit Philosophus) maximus fieri solet in fine. Originale quidem peccatum, velut error in principio conceptionis humanæ fuit, vt ait DAVID; *Errauerunt ab vtero*, potestque dici paruus in comparatione peccati mortalis, quod grauius est: ille autem error ab Adam semel commissus, factus fuit magnus, dum in omnes nos late se diffudit: Nemo enim nostrũ est, qui cum DAVID lachrymans dicere non possit: *Erraui sicut ouis quæ periit.* Qua metaphora apte vsus est Dauid, ad significandum, quod quemadmodũ iter faciente grege, si ouis, quæ præcedit, vetitũ locum ingrediatur, aliæ perplures oues eam insequi solent: sic erranté Adamũ omnes nos instar ouiũ errantium secuti sumus, vt prædixit ISAIAS: *Omnes nos quasi oues errauimus.* Ab hoc tamen errore in principio conceptionis custodiuit Deus hanc purissimã ouem, ex qua nascitur⁹ erat. *Agnus occisus ab origine mundi*: vt sic ab originali labe eam præseruans aptã, & idoneã se exhiberet, vt præfinito tempore inuenta foret habens de Spiritu sancto; vt dixit D. MATTHÆVS, subdit deinde, *in initio viarũ suarum.* RVPERTVS ABBAS nomine viarũ intelligit oẽs sanctos, D. vero HIERONYMVS Angelos, quia tam illi, quam isti precibus, quas pro peccatoribus fundunt, viam illis parant ad æternam fœlicitatem capessendam.

Epist. ad Cyprianũ.

Prouerb. 8.

Psalm. 57.

Psal. 118.

Isai. 53.

Apoc. 5.

Matth. 1.

Rupert. Abb. lib. 1. in Thren. cap. 16.

D. Hieron. cap. 4. Michea.

X. ALII curiose opinantur, nomine *viarũ* denotari diuinas processiones Filii, & Spiritus sancti; Filius n. producitur à Patre per viam intellectus, Spiritus sanctus per viam voluntatis, vt Theologi loquuntur; cum ergo (inquiunt) beata Virgo dicit, possessam fuisse à Deo in initio viarum suarũ, significare voluit, ab æternitate in qua Filius, & Spirit⁹ sanctus fuere producti, ipsam esse prædestinatam ad hoc vt ab instanti suæ Conceptionis ita possideretur à Deo per gratiam, vt nullus pateret aditus diabolicæ possessioni per maculã originalem. Alii existimant, sub nomine *viarũ* significari omnia opera Dei, iuxta illud ISAIÆ, *Sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris*, id est, opera mea ab operibus vestris; & illud Psalmi: *Iustus Dominus in omnibus viis suis*: quod magis exponens Regius Vates, continuo subiungit: *& sanctus in omnibus operibus suis*: Cum ergo beata Virgo, initiũ se glorietur esse operum Dei, & id nequeat intelligi secundum exequutionem, consequens est intelligendum esse secundum prædefinitionem æternam, quod & sequentia verba aperte indicant: *ab æterno ordinata sum & ex antiquis*, vbi Hebræum originale habet: *principatum habui in vexillifera tuorum operum.* sicut enim vexillifer anteit omnem exercitum, sic in diuina prædestinatione beata Virgo præiuit ante omnes sanctorum, & Angelorum exercitus. Latet etiam illud arcanum in verbo isto: *ordinata sum*: ait enim diuus August. *Ordo est parium, dispariumque rerum, sua cuique loca tribuens, dispositio*; proinde miseri in pace non sunt, tranquillitatis quidem ordine carent. Cum ergo beata

Isai. 55.

Psal. 144.

Ibidem.

Prou. 8.

Hebræa lectio.

D. August. lib. 19. ad Marcell. cap. 13.

Virgo

Virgo ait: *ab æterno ordinata ſum*: ſuppoſuit in ſe fuiſſe partes inæquales, ac diſpares animam ſcilicet, & corpus, rationem ſuperiorem, & appetitum ſenſitiuum; has tamen partes ita bene inter ſe diſpoſitas, & ſibi cohærentes habuiſſe, vt neutra contra aliam vnquam conſpirarit, nec enim corpus rebellionem tẽtauit aduerſus animam, nec ſenſualis appetitus rationi vnquam reſtitit. Tali quidem ordine decebat Dei genitricem ordinatam fuiſſe, quæ regulatiſſimum (vt ita dicam) ipſum ordinem mundo, ad illum regulandum paritura erat.

XI. Illvd autem, quod ait: *ex antiquis*, non parum beatę Virginis commendat excellentiam: ſicut enim excellentes Pictores ſolent antiqua exemplaria obſeruare, vt ad eorum inſpectionem, quæ pulchriora ſunt, ſeligentes, pulcherrimam ipſi imaginem efforment: ita Deus Angelos, ac veteres Patriarchas, qui antiquitate tẽporis reliquos homines præcellunt, ab æterno contẽplans, pulchriora ex eis ſelegit, vt in beatã Virginem omnia illa ſimul cõferret, & pulcherrimam omniũ imaginẽ illam effingeret. Vel certe, cum (ſacra Scriptura id atteſtã-
Dan.10. te) Deus trinus, & vnus vocetur, *antiquus dierum*, nõ incongrue dicemus, per verba illa: *ex antiquis*; ſignificari ſingulas diuinas perſonas ex appropriatis ſibi attributis ſingulares quaſdam nulli creaturæ in eo gradu vnquam communicandas perfectiones, Virgini liberaliter donandas prædefiniuiſſe: Pater virtutem, & potentiam ad generandum Deum; Filius, ſapientiam, qua velut ſapientiſſima
Iudic.4. magiſtra inſtar Deboræ, quæ filiis Iſrael reſponſa dabat, ipſa præeſſet Eccleſiæ; Spiritus Sanctus feruentem adeo amorem, vt ardentiſſimos quoſque Seraphinos longe ſuperaret.

XII. Cæterum non poſſum, nec debeo ſubtilẽ aliam diui Thomæ expoſitionem in verba illa: *In*
S. Thom. in c.4. Iob. *initio viarum ſuarũ*, ſilentio præterire, vtpote, quæ mirum in modum faciat ad immaculatam Virginis
Prou.8. Conceptionem illuſtrãdam: ait enim nomine *viarum*, apte poſſe intelligi viam miſericordiæ, & viam iuſtitiæ, iuxta illud, quod cecinit Dauid, *vniuerſæ*
Pſalm. 24. *viæ Domini miſericordia & veritas*; vbi obſeruandũ eſt, in primo loco poſuiſſe miſericordiam, quia hæc adeo illi placet, vt ad illam exercendam opus non habeat extrinſeco aliquo excitante; Iuſtitia vero, vt illam exequatur, indiget irritante, & impellente, quia ergo miſericordia præit ante iuſtitiam, ideo vocat illam initium viarum ſuarum; vnde
Pro.8. cum Beata Virgo ait: *Dominus poſſedit me in initio viarũ ſuarum*, ſignificauit, Deum miſericordiæ ſuæ innitentem, non iuſtitiæ ab inſtanti ſuæ Conceptionis illam poſſediſſe; nam ſi iuſtitia, & nõ miſericordia vti voluiſſet, non ab ipſo, ſed ab hoſte peccati originalis à principio poſſideri incepiſſet. Ab hac autem pacifica poſſeſſione Beatam Virginem nunquã cecidiſſe, id ſatis perſpicue oſtendit, quod caſus ille non poterat eſſe, niſi, vel quod Deus illã à ſe pelleret, vel quia ipſa Voluntarie ab eius poſſeſſione ſe ſubtraheret; vel tandem, quia per vim, ac violentiam ab infeſtiſſimo humani generis hoſte è manibus Dei raperetur. Conſtat autem, Deum neminem venientem ad ſe vnquam expuliſſe, ipſo dicente: *eum, qui venit ad me, non eiiciam foras*; nec Ioan.6.
Beatam Virginem iugum diuinæ ſeruitutis à ſe vnquam abieciſſe, quæ ſemper humilem ſe Ancillam eſſe profeſſa fuit: *Ecce Ancilla Domini*; nec tandem Luc.1.
in Dæmonis prædam datam fuiſſe: Chriſto dicente: *Nec rapiet eas quiſquam de manu mea*. Ioan.10.

XIII. Deniqve ſubiungit, quod & prædicta omnia confirmat: *Nondum erant Abyſſi, & ego iam concepta eram*. Prou.8.
Mirabile quidem eſt, quod cum Beata Virgo poſt quatuor millia annorum ſupra creationem Mundi concepta fuerit, & antequã quidquam faceret à principio dicat de ſe creatam ab æterno extitiſſe, & antequam eſſent abyſſi, conceptã: nam ſi ab æterno non erat, quomodo ab æterno conceptam ſe dicit? Nec ſatis fit difficultati reſpondẽdo: fuiſſe conceptam ab æterno in mente diuina; id enim nullam præ ſe fert ſingularem Virginis laudẽ, cum creaturæ omnes, etiam infimi gradus in diuina mẽte ab æterno conceptæ fuerint. Sane ad hoc elucidandum, oſtẽdere oportet, qua ſpeciali ratione dicatur B. Virginem præ cæteris aliis creaturis ab æterno fuiſſe conceptã: licet enim omnes creaturæ ſint eminenter in illo, immo, & quæ carent vita, in illo vitam habeant, iuxta illud Ioannis; *Quod* Ioan.1.
factum eſt, in ipſo vita erat, ſuper quæ verba D. Thomas ait: *creatura in Deo eſt creatrix eſſentia*: quia tamẽ in Deo ſunt ſimilitudines omnium creaturarum, quas Idæas, Theologi vocant; quanto res repræſentata per illas excellẽtior eſt, tanto idæa perfectior iudicatur. Vnde D. Thomas ait: *Si autem accipia-* D. Thõ in
mus idæam pro ſimilitudine, ſic cum diuerſa ſit conſide- qq. de ve-
ratio Socratis, vt Socrates eſt, & vt homo eſt, reſponde- rit. q. vnica
bunt ei plures idææ, vel ſimilitudines. cum ergo Beata de idæis art.
Virgo excellẽtiſſima ſit inter omnes puras creatu- 8. ad 2.
ras, conſequens eſt, idæam eius in mente diuina o- Idem in
mnium aliarum eſſe perfectiſſimam. Et ne à doctri- 1. ſent. diſt.
na D. Thomæ diſcedamus, cum ipſe doceat: idæam 16. q. 2.
eſſe eſſentiam diuinam ſecundum quod eſt exemplar imitatum à creatura, manifeſtum eſt, creaturã magis imitantem ipſum Deum nobiliorem, & excellentiorem idæam in Deo habere. Vnde cum B. Virgo inter omnes puras creaturas exactius omnibus Creatorem imitata fuerit, euidens eſt, idæam in mente diuina illam repræſentantem, omnes alias longo interuallo antecedere. Ob exceſſum ergo, & præcellentiam huius perfectionis, ſpeciali ratione ait Beata Virgo, ſe ab æterno fuiſſe conceptam.

XIV. Deinde, quamuis in Deo omnia æqualia, & ſine vllo diſcrimine durationis fuerint ab æterno, in electione autem, & coordinatione illorũ ad dignitatem, & finem ſuum, ad quem illa Deus creauit, & in donis gratiarum, & prærogatiuarum, quas illis impartitus fuit, minime æqualia fuerunt. Cœlum enim, & Terra æque ab æterno per Deum fuerant diſpoſita, ſed terrena humilitas, & ruditas cum cœleſti excellentia, & pulchritudine

tudine qui conferri possunt? Angelus, & equus, homo atque brutum sine prioris, & posterioris temporis differentia fuerunt in præcognitione, & diuino exemplari; sed quid est in bruti turpitudine, quod comparari possit cum angelica dignitate & mentis humanæ acie? Almam igitur Virginem, & reliqua omnia pariter in mente æterna fuisse fabricata, & conflata dico, sed quid est quæso ad illorum omnium electionem cum præordinatione, & excellenti fine, ad quem Maria electa fuit, & disposita? Quare ad Ephesios Apostolus scribit: *operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Cœlum enim, quod futurum esset locus fœlicium, & Beatorum, amplitudine quadam & singulari elegantia illud perpoliri voluit: Terram autem hominum, & reliquorum viuentium domicilium arboribus, plantis, floribus variis, ac preciosissimis lapidibus vestiuit; hominem denique illius futurum dominum, & quem ad altiorem finem prælegerat, variis ad eum finem exornauit dotibus. Cum ergo Deus in donis, & diuinis charismatibus Matri suæ conferendis non aliorum velle, sed solam sui ipsius voluntatem, quæ sibi carissimam illam habebat, consuleret, tot eam oppignorauit muneribus, ac tantis cumulauit virtutum ornamentis, vt inter puras omnes creaturas, nihil iucundius ipse contemplaretur, quam B. Virginem præstantissimum omnium, quæ præconceperat, opus; ob hanc ergo præstantiam ait: Ab æterno se ordinatam, & antequam essent abyssi, conceptam.

Ephes. 1.

XV. MEMINI S. IOANNEM DAMASCENVM, qui erga Dei Genitricem deuotionis zelo claruit, in quadam oratione de laudibus B. Virginis, dum versaret verba illa: *Ab æterno ordinata sum*, dixisse: certissimum esse, Deum, cum aliquem sanctitate, & dignitate insignem alios præcellere decernit, valde à longe principium eius præparare, ac disponere; quod probat Sampsonis exemplo, quem non tantum ab incunabulis, sed ab vtero materno sanctum præordinauit; & Ioannis etiam Baptistæ, quem in maternis visceribus Spiritu sancto repleuit. In operibus etiam, & artificiis externis (experientia ipsa id comprobante) videmus, quanto excellentiora sunt, tanto longiore retro tempore incipi, delineari, ac fabricari. De quatuor illis Pyramidibus Ægypti, quæ inter septem mundi mirabilia connumerantur, refert PLINIVS, earum fabricationem per nonaginta annos trecentis & sexaginta millibus artificibus collaborantibus durasse. Et si, vt par est, D. ISIDORO credimus, Arcæ Noe constructio centum consumpsit annos; Templum etiam Salomonis (vt sacra Regum narrat historia) septem annis extructum fuit, concurrentibus ad eius fabricam (vt ex eodem lib. Regum colligitur) quinque centum fere millibus ædificatoribus: non secus B. Virgo, quæ inter Dei præstantissima miracula merito numeratur, quæ etiam veri Noe, Christi Domini, Arca futura erat; quæ tandem tanquam Dei incarnati templum viuum à Deo corporaliter erat inhabitandũ, tot retro annis in mẽte diuina cœpit ædificari, vel, vt verius dicam, ibi non cœpit, ipsa dicente: *Ab æterno ordinata sum, & nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram?*

Iud. 13.
Luc. 1.
Plin. lib. 35. *cap.* 12.
D. Isid. in Gloss. super c. 7. *Gen.*
3. *Reg.* 6.
Prou. 8.

XVI. PORRO, in horum verborum elucidatione, restat explicare; quid nomine *Abyssi* hoc loco intelligatur; Celebris ille ARCHIDIACONVS docet: Abyssum dici ab *A*, quod est sine, & *Byssus*, quod genus quoddam lini candidissimi significat: vnde ait; idem esse abyssum, quod sine Bysso, seu, sine candore: hoc supposito, apte quidem per *Abyssum* intelligitur peccatum, quod candore diuinæ gratiæ animam priuat, & nigram reddit, iuxta illud HIEREMIÆ: *Denigrata est super carbones facies eorum*: Ne autem cuiquam videatur nouitatem aliquam redolere, hanc expositionem, aduertat quæso, prius illam DAVIDEM adhibuisse dicentem: *Abyssus abyssum inuocat*: id est, (vt D. GREG. exponit) *vnum peccatum ad alium trahit.* Aiunt Iurisperiti, negatiuam partem in controuersiis difficilis admodum esse probationis; vnde hoc potissimum superest remedium, vt accusatus probet, cum delictum sibi impositum, patratum fuit, longe se ab eo loco tunc abfuisse; non dissimiliter in proposito, cum mors peccati originalis ex Adamo primo Parente ortum habuerit, omnibus eius filiis per naturalem propagationem ab ipso descendentibus mors illa imputatur, tanquam præuaricatoribus in ipso capite contentis; at B. Virgo apertissime probat, sibi non imputandam esse mortem peccati, quia antequam essent abyssi originalis culpæ, etiam in æterna permissione, permittente omnes ab Adam naturali via propagatos infici, iam ipsa in mente Dei concepta, & in diuina voluntate præordinata erat: atque hinc est, quod licet in profundo illa abysso, ac profluuio originalis peccati submersi fuerint omnes ab Adamo progeniti, de quibus in sensu mystico intelligi possunt verba illa EXODI: *Submersi sunt in Mari rubro, Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis*: Beatissima vero Genitrix ex speciali filii sui beneficio, in conceptione sua submergi non potuit; ipsa dicente: *Nondum erant Abyssi* peccati originalis *& ego iam concepta eram* in mente Dei, cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Archid. in c. nonne, 37. *d.*
Thren. 4.
Psal. 41.
Exod. 15.
Prou. 8.

HOMILIA III.

Prædestinatam fuisse Beatam Virginem in Matrem Christi Domini, & coadiutricem illius ad redemptionem Generis humani; priscorum Patrum monumentis ostenditur: ex quo immaculatam fuisse eius conceptionem non obscure deprehenditur.

I. NTER alia pleraque, quibus diuina prouidentia humanam prudētissimorum quoque Principum superat, illud singulare est, quod isti Principes, etsi officia subditis, non tamen sufficientiam conferunt, sed illam supponunt: cum enim eligunt aliquem in iudicem causarum ciuilium, literatum, & in Iure versatum sibi suasum habent: Et cum quempiam in belli alicuius magni momenti generalem Ducem creant, prænoscunt illum iam in arte militari peritum: vnde nec illi Iuris, nec isti artis militaris peritiam conferunt. Deus autem, *cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur*, cum quempiam eligit ad munus aliquod obeundum, non solum officium, sed, & idoneitatem, ac sufficientiam ad illo fungendum ei confert, huic maiorem, illi minorem iuxta mensuram, & exigentiam officii, & dignitatis collatæ. Vnde D. THOMAS ait: *Quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat, & disponit, vt ad illud, ad quod eliguntur, inueniantur idonei*, iuxta illud Apostoli: *Idoneos nos fecit ministros Noui Testamenti*: Sapiens enim regulator ea, quæ sunt ad aliquem finem, debet regulare secundum ordinem ipsius finis. Elegit Deus IEREMIAM Prophetam, vt alios doceret: *Prophetam in gentibus dedi te*: ipse autem renuit munus hoc suscipere, dicens: *Ecce, nescio loqui; quia puer ego sum*, tamen Dominus, cui contulit officium, dedit & sufficientiam. Ais, te puerum esse, atque adeo pauidum, & timidum? *Ne timeas à facie eorum, quia ego tecum sum.* Ais, te loquendi facundia penitus carere? Ego tangam labia tua, & infundam in eis dicendi gratiam; *Et misit Dominus manum suam, & tetigit os meum.* Hæc in veteri lege.

Eccl. orat. Dom. 7. post Pente. — *D. Thom. 3. p. q. 27. art. 4.* — *1. Cor. 3.* — *Ierem. 1.* — *Ibidem.* — *Ibidem.* — *Ibidem.*

II. IN noua autem videmus, Christum Dominum iuxta mare Galilææ quosdam piscatores vocasse ad Apostolatum, quod piscandi animas munus erat, eis tamen ad id muneris obeundum, qua indigebant, sufficientiam large dedit, dicens: *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Cum igitur Beatissima Virgo fuerit electa à Deo ad præstantissimum, & excellentissimum omnium Matris Dei officium: ipsa enim tribuit Verbo diuino carnem, & sanguinem, vt ex ea Deus homo fieret; cōsequens est, Deum copiosissime ei præstitisse omnem sufficientiam, & idoneitatem ad tantum munus recte gerendum. Vnde, si Ioannem Baptistam, quia Præcursorem aduentus sui in carne præelegerat, in vtero materno sanctificauit, eam, quam prædestinauit in Matrem, suæ carnis genitricem, nonne par erat, vt excellentiore sanctificationis genere (cuiusmodi est peccati originalis præseruatio) illam donaret? Sane, quēadmodum in Christo Domino supremus ille titulus; Filii Dei naturalis, principium est, vnde vniuersi Theologi colligunt excellentissima dona humanitati eius collata: ita titulus ille augustissimus (Matris Dei naturalis) principium est, & origo, ex quo prudenter inferimus, præclarissima gratiarum munera Virgini fuisse donata: Vt enim decuit, naturam, quam creator sibi hypostatice vniebat, omni diuinorum charismatum genere plenissimam esse: ita & decebat, quam Virginem in matrem elegit, cœlestibus donis repleri; habet enim hoc hierarchicus ordo, vt docuit magnus DIONYSIVS, vt inferiorum perfectiones, ac virtutes sint in superioribus præstantiori modo repositæ. Vnde, cum intra latitudinem, & ambitum ordinis gratiæ Dei Genitrix superiorem locum teneat super omnes puras creaturas, cōsequens est perfectiones tam Angelorum, quam hominum excellentiori modo in ea reperiri. constat autem, non solum Angelos, sed & primos nostros parentes in gratia fuisse creatos, ita vt simul Deus in eis esset condens naturam, & largiens gratiam; satis ergo rationi consonum est, vt dicamus beatam Virginem ab instanti suæ Conceptionis gratam Deo extitisse. Vt enim sapienter dixit diuus BERNARDVS: *Quod vel paucis cōstat fuisse collatum, fas certe non est suspicari tanta Virgini esse denegatum.*

Matth. 4. — *Luc. 1.* — *S. Dionys. de cœlest. hierarch.* — *Ad Canon. Lugdun.*

III. HÆC omnia confirmant egregie diui HIERONYMI verba ad Eustochium: *Nulli dubium est de Matre Domini, quin talis debuerit esse, quæ non posset argui de peccato*: id enim sine dubio cederet in improperiū filii: sicut enim parentū nobilitas transit in filios: *Natus enim ex ciue, ciuis est; & natus ex comitarensi, comitarensis est*; vt docet textus; è contrario vero ignominia parentum labitur in filios; ECCLESIASTICO dicente: *Ne glorieris in contumelia patris tui: nō enim est tibi gloria eius confusio: gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filii pater sine honore*: Quia ergo si beata Virgo originalis culpæ labe fuisset deturpata, adhuc sanctificata, peccati illa infamia remansisset, ob quam semper de ea posset dici, semel in peccatum fuisse prolapsam, & inimicam Dei, & odio habitam illi; ideo ad sapientissimam Dei prouidentiam spectabat, vt quam in matrem elegerat, à peccati originalis macula omnino præseruaret, si enim nullus sanæ mentis, cui fingeremus optionem dari, vt matrem sibi eligeret, minime alicuius infamiæ nota inquinatam acciperet: vt quid, increatam Dei sapientiam, matrem sibi elegisse putabimus originalis peccati litura deformatam, cum Angelis, & primis parentibus puriorem assumere facile potuerit? Adhæc legimus Abrahamum famulo suo dixisse: *Non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum*, si ergo Abraham adeo sanctitatis cultor fuit, vt specialem curam haberet, ne genti peccatrici, aut fœminæ nequam committeretur eius filius, quis, quæso, diffitebitur æterno Patri curam nullam fuisse dandi filio matrem, quæ peccati iugo, ac satanico dominio subdita numquam extitisset?

Lib. 1. & l. assumpt. §. filius ff. ad municipalem. — *Ecclesi. 3.* — *Genes. 24.*

IV. PORRO, si ex alio capite beatissimæ Virginis prædestinationem cōtemplemur, quatenus scilicet electa, & prædestinata fuit, nō solum vt mater Christi foret, sed vt coadiutrix eius esset, & comes indiuidua in redēptione, & reparatione generis humani, haud difficile erit, illibatam eius Conceptionem

inde deprehendere. Quod, vt altius repetamus, supponere oportet, quod sicut iuxta communem, & receptissimam Patrũ sententiam, primus parens Adã Christum Dominum præfigurauit, ita & Eua eius vxor B. Virginis typũ ad viuum gessit, sicut enim in formatione Adæ non aliæ causæ concurrerunt, quã Deus, & terra: ille, vt efficiens, hæc vt materiã limi subministrans; sic in corporis Christi generatione Deus solum, & Virgo cõcursum suum adhibuerũt; ille effectiue viri operam ineffabili modo supplens; hæc materiam fœtus, purissimum scilicet sanguinem suppeditans, vt docuit Angelicus Doctor: sicut etiam terra illa, ex qua procreatus est Adam, virgo erat, vt pote quæ nullius cultoris semen susceperat, ita virgo erat, & virgo perpetuo mansit, quæ semen viri, & peccati corruptionem semper nesciuit: & sicut terra illa, ex qua productus fuit Adam, nulli vnquam maledictioni obnoxia fuerat, ita & B. Virgo, ex qua secundus prodiit Adã, nulli originalis peccati maledicto subiacuerat. si enim decuit terrenum Adã ex terra non maledicta efformari, potiori ratione decebat cœlestem Adã, Christum scilicet Dominum, ex terra virginea, peccati maledictione numquam infecta, procreari Quod ea propter in spiritu præuidens Regius Vates, arbitror dixisse: *Benedixisti Domine terram tuam*, benedictione inquã diuinæ gratiæ animam sanctificantis: Ne autem quispiam putaret, ipsum loqui de benedictione sanctificationis post contractum peccatum originale, continuo subiunxit: benedictione illã fuisse præseruatiuã, ne in Dæmonis captiuitatẽ veniret: *auertisti captiuitatem Iacob*; non dixit: *Abstulisti* captiuitatem, quasi iam illam incurrisset; sed auertisti, vt palam significaret originalis peccati seruitutem propulsasse, & beatam Virginem prohibitam seu impeditam fuisse, ne in illam incideret. Vnde notanter loquens in eodem Psalmo de sanctificatione aliorum, non dixit: *auertisti captiuitatem*, sed, *Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum*: quo dispari loquendi genere non obscure docuit Dauid, hoc fuisse discrimen inter sanctificationem Virginis, & aliorum, quod illius præseruatiua horum sanatiua extiterit.

D. Thom. 3. p. — *Psalm. 84.* — *Ibidem.* — *Ibidem.*

V. VERVM, ad rem nostram propius accedẽtes, in eo valde (vt ad præsens institutum spectat) opinor Euam B. Virginis typum gessisse, quod sicut illa data fuit Adæ in adiutricem ad temporalem filiorum generationem: *faciamus adiutorium simile sibi*; ita & Christo Domino data fuit beatissima Virgo in coadiutricem ad spiritualem filiorum sobolem procreandum, & humanum genus à diabolica captiuitate redimendam. quam veritatem tametsi nonnulli inficiari tentauerint, sacræ nihilominus scripturæ testimoniis, & veterum Patrum monumẽtis cõfirmare adnitar. Id enim sibi volunt (ni fallor) verba illa PROVERBIORVM: *Cum eo eram cuncta componens.* sane ante conceptionem Virginis cuncta erant incomposita, propter enormia hominum scelera, quibus diuinam iram irritauerant: B. autem Virgo in mũdum veniens, cuncta composuit, è potestate diabolica precibus suis peccatores eruens; & creatori suo illos reconcilians. Vnde D. ANTONINVS hanc loci huius intelligentiam amplexus ait; *Cum eo eram cuncta componens, scilicet, recreando quæ per culpam quasi destructa erant.* quibus consonant verba D. BERNARDI: *Merito, ô Domina, respiciunt in Te oculi vniuersæ creaturæ, in qua, & ex qua benignissima manus Dei, quid quid creauerat, recreauit.* Idipsum magis adhuc perspicue, & distinctius indicant verba illa GENESEOS: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & inter semẽ tuum, & semen illius; ipsa conteret caput tuum*; ex quo loco non obscure patet, opus redemptionis Virgini suo modo attribui; licet enim in Hebræo legatur: *Ipsum*, scilicet, semen, *conteret caput tuum*, hoc est, Christus, qui redemit nos ab originali; quam lectionem amplectuntur IRENÆVS lib. 4 ca. 78. CYPRIANVS lib. 2. ad Quirinum, cap 95. PETRVS CHRYSOLOGVS serm. 137. HIERONY in q. 69. Hebraicis. AVGVSTINVS tamen 12. de Gen. ad literam cap. 13. AMBROS. de fuga sæculi cap 7. GREG. I. Moral. cap. 38. BERNARD. serm. 2. in *Missus est*; EVCHERIVS & BEDA in Genes. non *ipse*, sed *ipsa* legunt; sicut legit nostra vulgata: ex qua versionum diuersitate infero, iuxta vnam interpretationem Christo, iuxta alterã Virgini opus redẽptionis attribui; Christo, vt principali auctori; Virgini, vt minus principali: sicut peccatum originale principaliter Adæ, minus principaliter Euæ adscribi solet. Vnde B. Brigitta ait: *Dolor Christi erat dolor meus, quia cor eius erat cor meum. sicut enim Adam & Eua vendiderunt mundum pro vno pomo; sic filius meus, & ego redimimus mundum quasi vno corde.* quod considerans LANSPERGIVS dicebat: *Voluit Christi matrem adesse sibi in doloribus, vt ex iis, quæ oculis foris cerneret, intus animo vulneraretur, vt sic Christi passionis, redemptionis quoque nostræ particeps fieret, & cooperatrix.*

Genes. 2. — *Prou. 8.* — *D. Anton. 4 p. Theologiæ tit. 15. c. 14 §. 3. in fine.* — *D Bern.* — *Genes. 1.* — *Lib. reuel. cap 35.* — *hom. 48. de Passione Dom.*

VI. IN eandem sententiam clarissimi Ecclesiæ Patres conspirant; celebris enim ille ANDREAS CRETENSIS Episcopus Hierosolymitanus eleganter dixit: *Sola præter naturam fuit electa ad naturam renouandam; sola deseruijt opifici vniuersæ naturæ*: quibus consonant egregia verba B. PETRI DAMIANI, dum ait: *In ipsa hoc totum faciendum decernitur, vt sine illo nihil factum est, ita sine illa nihil refectum sit.* Et serm. de Assumpt. ingeniose aptat locum illum Dauidis: *Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt*; Vocat enim Virginem, virgã, crucem vero, baculum, quibus Christus Dominus nostram redemptionem operatus est. inter antiquiores etiam Patres idipsum docuit D. AVGVSTI. dicens: *Mater sceleris nostri pœnam intulit mundo, Genitrix Domini nostri salutem attulit mundo: auctrix peccati Eua; auctrix meriti Maria: Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit: percussit illa, sanauit ista*; hæc ille. Audiamus D BERNARDVM: *Maria, ait, omnibus se debitricem fecit, omnibus misericordiæ*

And Creten. de dormit. Virg. — *Pet. Dam. ser de annunt.* — *Ser. de Nat. Virg.* — *D. Bernar. serm. 89.*

ſinum aperuit, plenitudinem eius accipiunt vniuerſi: Captiuus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator Veniam, iuſtus gratiam, Angelus lætitiam, tota Trinitas gloriam; denique Filij perſona carnis humanæ ſubſtantiam, vt non ſit, qui ſe abſcondat à calore eius Non diſſimilia tradidit S. GERMANVS, alloquens B. Virginem: *Nullus*, inquit, *eſt, qui ſanus fiat, niſi per Te Virgo ſanctiſſima; nemo eſt, qui liberetur à malis, niſi per Te, ô puriſſima; nemo eſt, cui donum cõcedatur, niſi per Te, ô caſtiſſima.* Accedit D. IREN. *Sicut Eua inobediens facta eſt, & ſibi, & vniuerſo generi humano cauſa mortis; ſic & Maria habens prædeſtinatum virum, tamen virgo obediens & ſibi, & vniuerſo generi humano cauſa facta eſt ſalutis.* ac tandem S. EPHRÆM beatam Virginem vocat: *Captiuorum redemptionem, & omnium ſalutem.* Et SERGIVS Hieropolytanus eam compellat: *tenebrarum expultricẽ, reparatricem Adæ, Euæ reuocatricem, immortalitatis fontem, corruptionis interitum.*

Pſal. 18.
S. Ger. ſer. de zona Dominæ.
Iren. l. contra Valent c. 33.
S. Ephram orat. ad. Virg.
Serg. Hierop, de Natiuit. Virg.

VII. QVID plura? ſane ſi ſacroſancti Mariæ nominis arcana ſcrutemur, haud difficile erit inde colligere beatam Virginem cooperatricem cum Chriſto in reparatione generis humani extitiſſe. RABBI n. ACCADOS exponens Antonin. Vrbis Romanæ Conſuli locum illum ISAIÆ; *Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis*, colligit hinc, matrem Meſſiæ vocandam fore Mariam, cuius nomen contineri ait in dictionis Hebræa למרבה, lemarbe, id eſt, *ad multiplicandum*, vt ſignificaretur Mariam ad multiplicationẽ humani generis iam extincti ſeruatam, & ad ſpiritualium filiorum ſobolem propagandam ab æterno vna cum Chriſto deſtinatam eſſe: itaque tam ex ſacra Scriptura, quam ex Patrum, & antiquorum Doctorum teſtimoniis: immo ex ipſa nominis Mariæ ſignificatione colligimus, præelectam fuiſſe à Deo, in coadiutricem Chriſti ad opus redemptionis; non quia ſolus ipſe non ſufficeret, ſed quia *conſentaneum erat*, vt ait IRENÆVS, *vt ſicut per fœminã Adamum ſeducentem mundus fuerat perditus, per fœminam Chriſto inſeruientem reſtauraretur.* quod & D. BERNARD. his dulciſſimis verbis pereleganter dixit: *Ad reſtaurationem humani generis ſufficere poterat ſolus Chriſtus, ſicut omnis ſufficientia noſtra ex ipſo eſt, ſed bonum non erat nobis hominem eſſe ſolũ: congruũ magis erat, vt adeſſet noſtræ reparationi ſexus vterque, quorũ corruptioni neuter defuiſſet.* Cũ ergo Deipara Virgo ſuo modo noſtra redemptrix fuerit, pretiũ ſanguinis filio ſuo tribuens, quo nos ipſe redemit; conſequens eſt, ab omni peccato originali alieniſſimã fuiſſe; ſicut enim (vt ait D. PAVLVS) de Chriſto redemptore loquẽs: *Talis decebat nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus*; ſic etiam, Virginem, Chriſti coadiutricem, & ſociam in reparatione generis humani oportebat & cœlo ipſo puriorem eſſe.

R. Accados lib. Reuel.
Iſai. 9.
Lib. 3. cont. Valentin.
De Aſſũpt. B. Virg. ſuo ſerm.
Hebr. 10.

VIII. SED iam aliter exponamus præadducta verba GENESIS; quæ poſt Adæ infelicem caſum crudeliſſimo ſerpenti dicta fuere: *ipſa conteret caput tuum.* his quidem non obſcure mihi perſuadeo, immaculatam Virginis conceptionem aperte comprobari. Cum enim ſerpens de Eua victoriam reportauerit, conſtat verba illa de B. Virgine caput ſerpentis conterente, intelligenda eſſe, quæ vt altera Debora Tyrannum deridens dicere potuit in inſtanti ſuæ conceptionis: *in hac vice non reputabitur tibi victoria.* per caput autem ſerpentis intelligit D. Auguſtinus: ſane *originali peccato omnes ſumus in vtero materno iugulati*, vt eleganter dixit D. BERNARDVS, *omnes naſcimur morituri, & tanquam abſorpti naſcimur mortui, quia in vteris matrum ſumus à ſerpente ſtrangulati*: at tanta fuit Virgini diuinitus data fortitudo in cõceptione ſua, vt hoc Diaboli caput, peccatum ſcilicet originale, penitus cõtereret; quod ſane ſi ſecus accidiſſet, potius Diabolus Virginis caput cõtriuiſſet, eius conceptionem maculans, quæ caput fuit, & principium curriculi totius eius vitæ. Hanc diabolici capitis cõtritionẽ egregie adumbratam contemplor in fortiſſima illa Iudith; poſtquam enim Nabuchodonoſor expugnauerat Ecbatanem inclytam vrbem, à Rege Arphaxad conſtructam, decreuit alias omnes imperio ſuo ſubiugare; quod vt præſtaret, miſit Holofernem ad ſubiiciendã ſibi Bethuliã; at occurrens illi mulier quædam Hebræa, nomine Iudith, caput eius mira fortitudine euaginato enſe amputauit. Nõ ſecus cum primum ſuperauit Adam ciuitatem fortem, continuo omnes (nemine excepto) ſibi ſubiugare Diabolus tentauit, ſed mulier quædam Hebræa, nomine Maria, imperio ipſius minime ſe ſubiecit, quin potius caput eius cõtriuit in magnum ipſius dedecus & confuſionem, vt & verba, quæ milites Holofernis tunc protulere, aperte præſignificarunt, dicẽtes: *vna mulier Hebræa fecit confuſionẽ in domo Nabuchodonoſor.* Cum enim Diabolus de integerrima Virgine victoriam reportaturus ſperaſſet, econtra vero illuſus, & expugnatus ab ea remanſiſſet, non potuit non turpiſſimam pati confuſionem, quemadmodũ etiam (id referente ſacra Scriptura) Iudith donata fuere omnia Holofernis ſpolia, eo ꝙ caput illius præcidiſſet: ita beatiſſimæ Virgini, quæ caput Dæmonis, hoc eſt, originale peccatũ ꝙ principiũ & caput eſt reliquorũ peccatorũ, contriuit; omnia gratiæ ſpolia, quæ Dæmon ante miſerũ eius caſum poſſidebat, conceſſa fuerunt: inter quæ illud vnũ magni momẽti fuit, vt in gratia inſtar Angelorum oriretur, nullius peccati labem ſciens. Vnde ſicut de eadem Iudith ibidem dicitur: *Nec erat, qui loqueretur verbum malum de ea*, ita oportet, vt nemo ſit, qui malum aliquod in Virginis conceptionem irrepſiſſe ore ſuo audeat proferre.

Geneſ. 3.
Iudic. 4.
D. Auguſt. ſuper Gen.
D. Ber. ſer. de 12. grad. humilit.
Iud. 1. & 2.
Iud. 7.
Iud. 13.
Iud. 14.
Iud. 15.
Iud. 8.

IX. TANDEM prædicta omnia, quæ de capite Dæmonis per Mariam contrito, in medium produximus, egregie confirmant Dauidica illa verba ad Virginem relata: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem*; beata enim Virgo non ſolum leonem, & draconem actualium peccatorum expugnauit, ſed etiam aſpidem, & baſiliſcum

Pſal. 90.

ſiliſcum, quibus originale peccatum obumbratur; quia ſicut baſiliſcus ſerpentum rex, & caput eſt, (vt indicat ipſum nomen Græcum, ex quo Latinum deductum eſt) ſolo oculorum aſpectu etiam ex diſtanti loco intuens homines occidit; ita peccati originalis teterrimus baſiliſcus ex diſtanti illo paradiſi loco per Adami oculos, velut per cancellos nos proſpiciens, peſtifera faſcinatione lethaliter nos omnes infecit. Modus etiam ſatis in Eccleſia Dei vſitatus in depingenda B. Virginis conceptione, dum illam pede draconem conculcante pictores deſcribunt, ſatis indicat, eum primum concepta fuit, caput illius contriuiſſe. Vt enim ex naturalibus hiſtoriis refert RVPERTVS: tanta eſt inter mulierem & ſerpentem, ſeu draconem antipathia, vt ſi illa pedem ſuper caput eius imponat, continuo illum interire compellat: Verba Ruperti ſunt hæc: *Si nuda mulieris planta dentem ſerpentis præuenerit, & viuaciſſimum caput eius vel leuiter præſenſerit; ſtatim totum cum capite corpus repente interit, ita vt nullus omnino motus, nullus ſenſus in aliqua parte reſiduus ſit.* Non ſecus inter beatam Virginem, & diabolicum ſerpentem tam ſingularis extat antipathia ac inimicitia, Deo ipſo dicente: *inimicitias ponam inter te, & mulierem*; vt cum ipſe calcaneo Virginis inſidiaretur, peccati originalis venenum in illam euomere tentans, ipſa mundiſſimo ſuæ conceptionis pede illum conculcans caput contriuerit. Narrant fabuloſi Authores, antiquos finxiſſe Deam Palladem ex cerebro Iouis natam, galea, & lorica armatam, & fortem haſtam in manu tenentem, & mundo formidabilem foras prodiiſſe; huius fortitudinem tantam eſſe aſſerebant, vt veneficum quendam ingentem draconem, & omnibus infeſtiſſimum enecaret: fabuloſam hanc narrationem, velut veriſſimam hiſtoriam Deiparæ Virgini adſcribere poſſumus, cum ab inſtanti ſuæ conceptionis adeo fortis, inexpugnabilis, & omni ſpiritualium armorum genere præmunita prodierit: vt non ſolum antiquus ſerpens peccati veneno illam inficere non potuerit, ſed nec contritionem ſui capitis vlla ratione præcauere valuerit, Deo ipſo illi dicente: *ipſa conteret caput tuum*: cui ſit honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Ruper. 3. de Trin. c. 20.

Gen. 3.

HOMILIA IV.

Deum ſingularem curam habuiſſe, vt immunis eſſet conceptio beatæ Virginis à peccato originali, cuius natura more concionatorio explicatur; ſimulque oſtenditur, doctrinam hanc cœlitus eſſe delapſam; & rationes aperiuntur, ob quas decuit, vt adhuc ſub Iudice ſit.



I. SI clariſſimi illius viri Gamalielis, quondam magiſtri Diui Pauli, ad cuius pedes multa ipſe ſe didiciſſe fatetur, ſolidiſſimam doctrinam, & omni exceptione maiorem conſulamus, reperiemus ſententiam aſſerentem, immaculatam Deiparæ conceptionem, doctrinam cœlitus eſſe delapſam. Gamaliel n. in publico Concilio, dum de Apoſtolorũ doctrina acriter altercaretur, mille ſophiſmatum tela in eam coniicientibus, alta voce dixit: *Sinite illos, quoniam ſi eſt ex hominibus conſilium hoc, aut opus, diſſoluetur: ſi vero ex Deo eſt, non poteritis diſſoluere illud, ne forte & Deo repugnare inueniamini.* Non diſſimiliter, ſi aſſertio immaculatam Virginis conceptionem adſtruens, falſa fuiſſet opinio, aut humanum conſilium, firmiſque fundamentis non inniteretur, certe, tot fortiſſimis oppugnatoribus acriter illam labefactare conantibus, iam deuicta, ac ſuperata penitus corruiſſet: at, cum econtra certe àccidat, experientia ipſa comprobante, vt in dies noua incrementa ſuſcipiat, ac tenacius quotidie fidelium etiam doctiſſimorũ mentibus inhæreſcat, & Eccleſia Catholica magis, ac magis in illam propendeat, non leue argumentum eſſe arbitror, iuxta ſententiam Gamalielis, legis Doctoris honorabilis (ſic enim eum vocat ſacer textus) doctrinam hanc ex Deo eſſe, & non humano ſolum ingenio adinuentam. Ad eam tamen magis elucidandam præſupponere oportet catholicam veritatem, quam docet ſacroſanctum CONCILIVM TRIDENTINVM, poſt peccatum primorum parentum per traditionẽ naturæ traduci etiam peccatum originale vnicuiq; proprium, quæ (vt ibidem ait Concilium) *Mors eſt animæ*: quod ſub egregia metaphora prædixerat EZECH. *Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt.* quod Hiſpanicè eleganter dicitur: *los Padres comieron el agraz, y los hyjos padeçen la dentera*; ſed clarius, & abſque vllo tropo HIEREMIAS: *Patres noſtri peccauerunt, & non ſunt, & nos iniquitates eorum portauimus.*

Act. 5.

Conc. Trid. ſeſſ. 5. decreto de peccato originali.

Ezech. 18.

Thren. 7.

II. MVLTI hæretici veritatem hanc oppugnarunt, inter quos acerrimus fuit Iulianus Apoſtata, qui (vt refert D. AVGVSTINVS ad Valer.) dicebat: *Non peccat iſte, qui naſcitur, non peccat ille, qui genuit, non peccat ille, qui condidit, per quas igitur rimas inter tot præſidia innocentiæ peccatum fingis ingreſſum?* Huic hæreticæ obiectioni reſpondet diuus PAVLVS, oſtendens rimas, per quas ad nos penetrauit peccatum: *per vnum* (inquit) *hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit.* Modum autem, quo ſubintrat peccatum originale, antequam explicem, placet familiari quodam exemplo eidem Iuliano reſpondere: Certe, ſi frumentum, quod terræ mandatur, conſideres, nec in eo paleas reperies, nec illæ in manu ſeminantis adſunt, nec in terra, in qua ſeritur, præerant, neq; tandẽ cum pluuia cœleſti, qua hæc irrigatur, decidunt; & nihilominus frumentũ

D. Aug. 2. ad Valer. de nupt. c. 28. tom. 7.

Ad Rom. 5.

postea palea inuolutum nascitur: Non secus, peccatum originale nec erat in anima, quæ secundum se omni macula caret, nec erat in manu Dei creantis, cum ipse sit fons totius puritatis, neq; in vtroq; parente generante, quos suppono iustos & sanctos esse; nihilominus tamen dum per naturalem propagationem anima tangit carnē ex primo illo præuaricatore ortā, in quo oēs nos peccauimus, peccati turpitudinē contrahit. Atqui huc sine dubio tendunt verba AVGVSTINI, dum ait: *Pone iustum baptizatum, tanquam granum purgatum, nō attendis, quia de grano purgato nascitur frumentum cum palea, sine qua seminatum fuerat?* quo autem modo id fiat in hunc modum debet explicari, nimirū, quod Adam fuit constitutus à Deo caput suæ posteritatis tam naturale, quam morale: naturale quidem, quia omnes posteri ab eo erant per naturalem generationem propagandi: morale vero, quia in illius deliberatione constituit Deus tam pro se, quam pro filiis suis permanentiam in statu innocentiæ, vel culpabilem illius amissionem. Vnde in voluntate Adæ moraliter constituit Deus voluntates omnium posterorum: ex quo fit, vt ipso transgrediente diuinum præceptum, omnes in illo transgressores facti sint; quoad sufficientiā quidē, antequā generarentur; quoad efficaciā vero, quando actu geniti sunt: tunc n. actu contrahunt peccatum ipsum originale, ꝙ licet non fuerit voluntarium actu proprio, & formali, vere tamen quasi virtualiter, & interpretatiue, in actu primi parentis, quatenus in eius voluntate, vt in capite morali omnium voluntates continebantur, & omnes in illo vnum erant.

Aug. de verbis Apost. serm. 14.

III. Hoc duplici exemplo Angelici Doctoris magis explico. Primū est ex corpore humano sumptum, in quo voluntas animæ, est voluntas etiam membrorum, quatenus anima est principium motiuum ipsorum, & inordinatio actus externi dicitur illis aliquo modo voluntaria, quatenus cōcurrunt ad eum, vt instrumentū motum ab ipsa animæ voluntate: consimili ergo ratione voluntas Adæ, voluntas dicitur posterorū, quaten⁹ Adam est principiū mouens illos motu generationis ad actū essendi; & inordinatio peccati originalis dicetur illis voluntaria, non voluntate propria, sed voluntate Adæ tanquam capitis, vtentis illis veluti instrumētis mouendo vnumquemq; motu generationis ad actualiter existendum. Secundum exemplū adducit ex Ciuilibus: omnes namque ciues pro vno corpore reputantur, & ꝙ Reipublicæ capita efficiunt, omnia illius membra fecisse dicuntur, vt non obscure constat in voto. Certe nihil magis voluntariū debet esse, quam votum, & nihilominus, vt votum ieiunii alicuius ciuitatis obliget futuros ciues, nōdum natos, sufficit votum illud emisisse non per seipsos actu proprio, sed per actum eorum, qui capita erant Reipublicæ, in quorum voluntate censebantur eorum voluntates moraliter existere. Ad eundem ergo modum, quia voluntates omnium posterorum co[illegible]tinebantur in Adamo, velut in capite morali, originalia eorum peccata censentur voluntaria, quatenus membra erant illius capitis.

D. Thom. 1.2. q. 80. a. 1.

IV. HAc igitur supposita catholica veritate originalis culpæ, quæ peccatū dici solet naturæ, non personale, quia per naturalē propagationē traducitur in natura, & non per actum proprium illius personæ, quā maculat, constanter asserimus; quod licet peccatum primi Parentis ob rationes dictas habuerit sufficientiā ad maculandū beatam Virginē, sicut & reliquos posteros Adæ, re tamen ipsa non habuit efficaciam inferendi ei maculam aliquam: quia Filius Dei præuideus illā ipsius matrem futuram, diuina sua gratia, ne inficeretur, illam præmuniuit. Obseruaui non semel, cum intuitus sum hostias consecrandas fieri, ꝙ in illis imago inprimeretur, dum ferra ipsa coniungebantur, seq; osculabantur: ac certe, cum frigida erant, figurā, aut imaginem Christi non exprimebant, si vero calida, confestim sacrā illam similitudinē recipiebant: nō dissimiliter, culpa originalis, non inficit animam, nisi quando corpori infunditur, & in coniunctione cū eo ipsum exosculatur. Illud ergo interfuit inter beatā Virginem, & reliquos posteros Adæ, quod hi tanquam frigidi sufflante, ac sibilante vento aquilonari peccati originalis: *quia ab Aquilone pandetur omne malum*, non receperunt sacrā imaginē filiorū Dei; at beatissima Virgo, quia Spiritus sanctus, qui non solum essentialiter, sed & personaliter præ omnibus aliis diuinis personis ardentissimus amor est, eam in sponsam præelegerat, in dotem, & arrhas solitas in sponsalitiis dari, ignē sibi amoris copiose adeo effudit, vt à principio suæ conceptionis, velut mollis cera Dei imaginē per habitualem gratiam in se reciperet, quam postea tempore Incarnationis secundum diuinam ipsam substantiā, corporaliter erat receptura. Vnde quemadmodū fœminę, quando aliqua maiorum suorum debita soluenda sunt, ne à creditorib. opprimantur, ad iudicē confugere solent; vt eas in dote protegat, atq; defendat; quod Hispanice dici solet: *Que las ampare en su dote y arras*; ad eundē modū certum est, plurima debita ob Adæ peccatum humanum genus cōtraxisse: at beata Virgo, cum acceperit gratiam in dotem, Angelo dicente: *Aue gratia plena*, in hac dote protegenda est, & liberanda à solutione debitorum, ad quā alii tenentur. Vnde si lex dicat: debitū esse, vt mulieres cum dolore pariant filios: respondere poterit, partem suæ dotis esse gratiam præseruantem illam ab eo dolore, atq; adeo ad illud debitum soluendum minime teneri. Et, si proclamet lex illa: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*, Virginem in puluerem reuertendā; respondebit etiam, ab hac corruptione gratiam præseruantem partem suæ dotis esse, ac ideo solutionem huiuscemodi debiti non esse ab ea exigendam. Similiter, si lex dicat: oēs ex Adam originem ducentes, in peccato fore concipiendos: dotem & arrham suam dicet esse gratiæ plenitudinem, atque adeo ab hoc communi debito re ipsa soluendo immunem esse.

Hierem. 1.
Luc. 1.
Gen. 3.

V. PRÆVIDERAT Regius Vates hanc Marianã
prærogatiuam, ac ſingularem excellentiam, cum
Pſal. 44. dixit: *Adſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato*
circumdata varietate, ſtatim in primo conceptionis
inſtanti Regina noſtra à dextris Dei extitit, nun-
quam nec puncto quidem temporis adſtitit à ſini-
ſtris, tunc veſtitum induit gratiæ deauratum; tunc
circumdedit eam omnium virtutum varietas. D.
D. Hieron. HIERONYMVS, vbi Septuaginta verterunt *varietate*,
vertit *ſcutulatas veſtes*, dicens: *faſciis aureis veſtita*
eſt, in ſcutulatis ducetur ad Regem. Scutulatæ veſtes
dicuntur, quia orbibus, & ſcutulis diſtinctæ erant.
Certe beatiſſima Virgo aureis charitatis faſciis in
ipſo matris vtero veſtita fuit, & ſcutulatis gratiæ
veſtibus amicta. Merito autem veſtes gratiæ illius
ſcutulatæ appellantur, quia mille ſcuta peccato op-
Cant. 4. poſuit copioſa illius gratia, SALOMONE dicente:
Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortiũ, quo
rum ſane fortitudinẽ peccati originalis arma mini-
me expugnare, aut infringere potuerunt. Verum ſi-
lentio non præteribo, ꝙ in propoſitis verbis Dauid
(ni fallor) alludit ad varietatẽ ornatus veſtium, qui-
bus ſponſæ olim vtebantur, qui in eo conſiſtebat, vt
eodẽ genere veſtimenti, & coloris ſe ornantes, quo
ſponſi earum induebantur, incederent; Vnde ſicut
illi ſuorum maiorum imagines pulchre depictas
portabant; ſimiliter & ipſæ, vt hoc ſymbolo indica-
retur, ſponſam hæredẽ eſſe virtutũ illorum omniũ
maiorum, quorum imagines in veſte exaratas ge-
Propert. rebat: inde PROPERTIVS dixit: Anthetem in die de-
ſponſationis ſuæ ornatam veſte, quæ maiorũ ſuorũ
effigies continebat, in publicũ prodiiſſe. Cum igi-
tur B. Virgo induatur eodem genere veſtimẽti, quo
Pſal. 103. filius, hoc eſt, luce; ſicut enim *ipſe eſt amictus lumine*
ſicut veſtimento, ita & ipſa amicta ſole, vt vidit IOAN-
Apoc. 12. NES; *Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius*, & ſic-
Iſai. 49. ut Chriſtus induitur varietate, vt ISAIAS dixit: *his*
omnibus velut ornamento veſtieris; eadem & ipſa ve-
Pſal. 44. ſtitur, vt ait DAVID: *in veſtitu deaurato circumda-*
ta varietate, manifeſtum inde relinquitur, turpi
illa peccati originalis veſte minime fuiſſe indu-
tam, ſed perpulchra illa, in qua imagines progeni-
torum ſuorum deſcriptas ferebat; Abrahæ ſcilicet
obedientiam, Iſaaci patientiam, Iacobi amorem,
Dauidis manſuetudinem, & Salomonis ſapientiam
oſtentantes.

VI. SED neque in his ſolum bonis arbitror B.
Virginem ſuis maioribus ſucceſſiſſe, ſed etiam in
ſingularibus beneficiis, quæ diuinitus illis collata
fuere. ſic enim varietas illa magis innoteſcit. Intu-
Gen. 10. eamur primum Abraham: hunc legimus Deum ab
Vr Chaldæorum liberaſſe. Iſaachum videmus eo-
Gen. 22. dem temporis momento, quo gladius patris caput
eius præcidere pergebat, diuinitus fuiſſe admoni-
tum, ne quidquam mali puero inferret. Cum etiam
Gen. 32. Eſau armata multorum militum acie fratrem ſuum
Iacobum inuaſit, vt totam eius domum deuaſtaret,
Angelus Domini præſto adfuit, vt ab eo malo illum
1. Reg. 26. præſeruaret. Dauid etiam, quando Saul adeo illum
obſidione circumdedit, vt non aliter ab eius mani-
bus eripi poſſe videretur, quam per aera volitans,
ad quod alludunt verba eius, cum in hac perſequu-
tione dixit: *Transmigra in montem ſicut paſſer*; noui- Pſal. 10.
mus quidem tanto Dei fauore fuiſſe præmunitum,
vt non ſolum manus eius euaderet, ſed eius ho-
ſtem in manibus eius daret. Quod ſi ad Raab men- Ioſu. 2.
tis oculos conuertamus, ſacra commemorant elo-
quia, ꝙ quando domus vniuerſæ vrbis Iericho de-
uaſtatæ, & ſolo æquatæ fuere, ſola huius fœminæ
habitatio, & domicilium ex ſingulari priuilegio e-
uerſionem non ſuſtinuit. De Thamare deinde cõ- Gen. 38.
pertum ſatis eſt, quando iamiam ad mortis ſuppli-
cium in publicum erat ducenda, neminem inuen-
tum, qui eius ſanguine manꝰ ſuas inquinare aude-
ret. Ac tandem, ſi per alia non pauca ſacræ Scriptu-
ræ teſtimonia, iis perſimilia, peruagari vellem, di-
cendi materia nunquam, bene quidem tempus mi-
hi deficeret. Si ergo Deus tam ſolicitam curam ad-
hibuit, vt ꝓgenitores Virginis à corporis periculis
eriperet, quis poterit inficiari eandem (vt minimũ)
adhibuiſſe, vt in periculo illo graui incurrendi ſpi-
ritualẽ animæ mortẽ, Matrem ſuam præcuſtodiret,
& præliberaret, quam tanto magis præ illis dilige-
bat, quanto à piiſſimo filio ardentius mater, quam
ſerui diligi ſolent?

VII. HIS ergo ornatiſſimis veſtimentis induta
B. Virgo, per ISAIAM dixit: *Gaudens gaudebo in Do-* Iſai. 61.
mino, exultabit anima mea in Deo meo, quia induit
me Dominus veſtimentis ſalutis, & indumento iuſti-
tiæ, vel (vt alia verſio habet) *quia induit me Dominus*
veſtimentis Ieſu. Vnde ſicut veſtimentum Chriſti
Domini fuit iuſtitia, & ſanctitas, hoc eodem veſti-
menti genere beatiſſima Virgo ex meritis filii ſui
induta ſemper fuit. Tandẽ, dum hodierna die au-
dio ab Eccleſia Catholica in laudẽ Virginis adduci
verba MATTHÆI: *Liber generationis Ieſu Chriſti*, nõ Matth. 1.
incongrue per illa puto myſtice ſignificari, Beatiſſi-
mam Virginẽ librum fuiſſe omnis peccati adeo ex-
pertem, vt nec in prima eius impreſſione vllus irre-
pſerit error; alioqui oẽs in conceptione, velut in
prima eorũ impreſſione, turpem illum errorẽ incur-
runt, de quo DAVID: *Omnes errauerunt ab vtero.* Hic Pſal. 57.
autem ſacer liber, in quo conceptus Patris ſcriptus
fuit: iuxta illud ISAIÆ: *Sume tibi librum grandem, &* Iſai. 8.
ſcribe in illo ſtylo hominis, quia in ea *Verbum caro fa-*
ctum eſt, peccati originalis errorẽ penitus neſciuit.
IOB dicebat: *Sapientia vbi habitat?* in quo libro in- Iob. 28.
uenitur? Multi quidem libri varia Dei attributa ex-
plicant, inter eos, quos SALOMON compoſuit, vnus
extat, qui dicitur, *Liber Sapientiæ*, qui diuinã ſapien-
tiam mirifice oſtendat. Moyſes ſcripſit alium, quem
librum Geneſeos vocauit, in quo eximia Dei potentia
in productione rerum ex nihilo enitet. Librum aliũ
in lucem edidit D. MATTHÆVS, cui titulus eſt: *Liber* Matth. 1.
generationis Ieſu Chriſti, in quo Dei bonitas ꝑcipue
effulget; *ſic enim Deus dilexit mundum, vt Filium* Ioan. 3.
ſuum vnigenitum daret; & (vt ait PAVLVS) *factum* Gal. 4.
ex muliere, factum ſub lege: ſed omnes hos libros
longo

longo interuallo excellit sacer hic liber beatæ Virginis; tum quod singula, de quibus illi pertractant, nimirum de potentia Patris, de sapientia Filii, de bonitate Spiritus sancti, simul ille in vnum complectitur; nam, dum in visceribus eius velut in candidissima papyro verbum Dei abbreuiatum rubicundo virginei sanguinis atramento exaratur, omnia illa mirifice fulgent: in generationem enim Dei hominis ex Virgine, Pater potentiæ thesauros, sapientiæ Filius, bonitatis Spiritus S. copiosissime effuderunt, cuius sane effusionis particeps adeo facta fuit beatissima Virgo, vt excellentiæ illius culmen soli Deo notum, humano autem, & angelico intellectui prorsus ignotũ sit: Licet enim beatissima Virgo liber sit, sed non apertus, sed clausus septẽ sigillis, vt vidit IOANNES in sua Apocalypsi; quod tamesti in plerisque aliis mysteriis ad Deiparam spectantibus verum sit, verius tamen in stupendo hoc immaculatæ eius conceptionis, vt in prima Euæ formatione egregie adumbratũ reperio. Vt quid enim Deus produxit Euam dormiente Adamo, nisi quia volebat, vt productio illius non innotesceret Adamo, sed solus ipse oculatus eius esset testis? præsignificans in hoc productionem, seu conceptionem secundæ Euæ, hoc est, beatæ Virginis, ita mirabilem futuram, vt soli ipsi Deo innotesceret, & cui voluerit ipsa reuelare.

Apoc.5.

Gen.2.

VIII. QVOD adeo verum est, vt quamuis Deus per plura alia obscurissima arcana Ecclesiæ suæ manifestauerit, immaculatæ tamẽ cõceptionis Matris suæ mysterium occultauerit, nolens hanc veritatẽ à Sede Apostolica tanquam catholicam fidei assertionem definiri, cuius diuinæ dispositionis, vt pote secretissimæ, causas inuestigare, licet difficile admodum sit, eas tamen, quæ nobis occurrunt, in medium producere nõ erubescam. Prima sit, quod (vt S. EPIPHANIVS refert) nonnulli fuerunt, qui tãtum honoris B. Virgini detulere, vt eam tanquam veram Deam colerent, & quidem VBERTINVS commemorat S. Dionysium, cum primum illam vidit, dixisse, quod, nisi fides sibi obesset, putaret, illam Deum esse; quia ergo non pauci rudes homines, si exploratum habuissent, beatissimam Virginem non cõtraxisse peccatum originale, facile deciperentur, illam Deum esse putantes, ideo noluit Deus eos certos facere de hac veritate. Si enim olim, D. PAVLVM ad Mileti Insulam peruenientem, intuentes incolæ illius, quod inuadente illum vipera, nihil veneni in eum euomuit, nec momordit, aut quidquã damni ei intulit, acclamarunt omnes illum esse Deum; quanto facilius indocti homines, si certi fuissent, viperam peccati originalis, alioquin omnes filios Adæ veneno suo inficientem, beatam Virginem non tetigisse, Deam esse arbitrarentur? Disposuit ergo diuina sapientia hanc veritatem de immaculata Virginis conceptione sub opinionum tegumento latere, ne si id certum omnino fieret, inde rudib. hominibus occasio daretur pristinum illum errorem refricandi, quem diuus Epiphanius præcitato loco commemorat.

S. Epiph. hæres. lib. 3. tom. 2.

V er. lib. 4. de vit. Sal.

Act. 20.

IX. SECVNDAM, eamq; certissimam causam arbitror, quod ea propter sub opinionis inuolucris latitet, vt tanto solertius, ac diligentius propugnatores immaculatæ Conceptionis ad eam ab omni labe vindicandam animum appellerent. vt enim dixit diuus AVGVSTINVS: *Multa ad fidem Catholicam pertinẽtia, dum aduersariorũ callida inquietudine agitatur, vt aduersus eos defendi possint, & cõsiderantur diligentius, & intelligũtur clarius, & instantius prædicantur, & ab aduersario mota quæstio discendi existit occasio.* Sane propositæ controuersiæ occasione stupenda, quæ latebant, beatæ Virginis encomia cum immortali eius gloria in lucem prodierunt. Consueuit quidem Reginis non semel fieri sericas vestes aurea tela intus subornatas, quæ data opera per varias partes scinduntur, ac lacerantur, vt per scissuras, ac foramina auri splendor intus latens effulgeat; non secus arbitror diuina prouidentia factum, vt pauci quidam immaculatam Virginis cõceptionem lacerarent, vt (cum *omnis gloria filiæ Regis ab intus sit*, vt Dauidicis verbis vtar) internus eius splendor eorum impugnatione magis effulgeret. Vnde contigisse arbitror, quod quemadmodum in rebus naturalibus per antiperistasin cõtraria contrariis augentur, ita per inuoluntariam quandam antiperistasim illibatã Virginis conceptionem oppugnantes magis ac magis illam elucidant, dum vel omnia illorum tela in eos retorquẽtur, vel nullius roboris esse ostenduntur, vt penultimã homiliam huius primi libri legenti facile constabit. Dicendi ergo finem facio verbis illis Danielis: *Tu autem Daniel claude sermones, & signa librum vsque ad tempus statutum, plurimi pertransibunt, & multiplex erit sciẽtia:* ac si diceret: Nondum aduenit tempus præfinitum, vt veritas hæc tanquam de fide referetur; interim tamẽ, dum clausa est, dũ sub opinionũ velamine latet, multiplex erit scientia, hoc est (vt ait ibi GLOSSA interlinearis) *diuersi diuersa opinabuntur.* Scio locum hunc intelligi de Ecclesia Catholica, & impugnatoribus illius; at satis constat apud Catholicos ea, quæ de Ecclesia Catholica in sensu literali intelliguntur, frequenter à Patribus, imo & ab ipsa Ecclesia beatissimæ Virgini mystice accommodari: Cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

D. Aug. lib. 16. de ciuit Dei, c. 2.

Psal. 44.

Dan. c. 12.

Gloss. interl.

HOMILIA V.

Prosequimur idem Argumentum, duplicem aperientes viam, qua intelligi potest, Deum facile Beatam Virginem à peccati originalis macula præseruasse.

I. T duplex hæc via ad beatam Virginem ab originali labe præseruãdam clarius omnibus innotescat, præmittere oportet duplicem cõditionem apprime necessariam extitisse

ext'tiſſe ad huius peccati maculam contrahẽdam: prima, vt nõ ſolũ prim⁹ parens eſſet caput naturale ſuorum poſterorum, ſed & morale, hoc eſt, vt non ſolum eſſet radix totius humanæ ſobolis, ſed inſuper etiam per ſpeciale pactum Dei, caput omnium eligeretur; ita, vt Deus omnium voluntates in eius voluntate hac ratione conſtitueret, vt ſi ipſe iuſtitiam originalem vel conſeruaſſet, vel amiſiſſet, omnibus eam retinuiſſe, vel omnibus eandem perdidiſſe iudicaretur. Cum enim peccatum oporteat eſſe formaliter, virtualiter, aut interpretatiue voluntarium, ideo ad id opus fuit, vt Deus omnium voluntates in voluntate Adæ collocaret, vt ſic eo peccante, omnes eius filii per ſeminalem rationem propagati, peccatores cenſerentur, non per proprias voluntates, ſed per voluntatem capitis, cuius membra ſunt. Secunda conditio eſt, vt præceptum, ſeu lex impoſita Adæ ad omnes eius poſteros pertineat, quatenus in illo continebantur: nam, vt APOSTOLVS dixit, *vbi non eſt lex, nec præuaricatio.* ad contrahendum igitur peccatum originale, oportet vtramque hanc conditionem omnino ſubſiſtere.

Ad Rom. 4.

II. HIS præiactis fundamentis, Communi omnium conſenſu admiſſis, bifariam aſſertores immaculatæ Conceptionis Deiparæ Mariæ, præſeruationem à peccato originali intelligi poſſe arbitrantur: Graues enim quidam Doctores, & partim ex Illuſtriſsima Prædicatorum familia affirmant, beatam Virginem non ſolum non contraxiſſe peccatum originale, ſed nec debitum incurrendi illud: vnde aiunt, non ſolum non peccaſſe in ſe, ſed nec in Adamo; hi ſunt Galatinus & Catherinus: exiſtimant enim, B. Virginem exceptam fuiſſe per merita Chriſti à Deo præuiſa in pacto illo cum Adamo inito, quod ſi ipſe peccaret, omnes eius poſteri per naturalem propagationem traducti contracturi eſſent debitum incurrendi peccatum originale: Atque hoc (inquiunt) fuiſſe optimum genus redemptionis, quo B. Virgo ob eximiã Matris Dei dignitatem præ omnibus aliis redimi decebat; ad eum certe modum, quo ſi quis, cum ei venditur fœmina aliqua inſeruam, exceperit in contractu primũ filium, ne ſeruus naſcatur; certe talis filius excellentiori modo eſſet redemptus, & liberatus, quam ſi poſtquam captiuus extitiſſet, libertate donaretur: ad eum etiam modum, quo ſicut dominus fundi, habens ſibi obligatos fructus, antequam naſcãtur, & actu ſint in re, poteſt tunc illos vendere accepto pretio pro illis, taliter, quod ſecundum eſſe, quod poſtea actu, & formaliter habituri ſunt in rerum natura, numquam ſint debiti, vel obligati domino fundi, ſed emptori, qui iam ſoluit precium pro illis: ita beata Virgo, prout erat in ſuis parentibus, ſeu in quantum indiuiduum erat naturæ humanæ, ſecundum rationem ſeminalem propagatũ, peccare deberet quidem in Adamo, vt in ſua radice, ſecluſo priuilegio; ab hoc tamen debito fuit exempta per beneficium, & priuilegium, excipiens eam à pacto illo cum Adamo inito, vnde factum eſt,

Galat. lib. 7 de arcan cath. verit. Catherin. lib. de pecc. orig. & lib. de concep. ad Syn. Trid. par. 1. cap. 1.

de B. V.

vt nunquam eſſet debitrix peccati, ſed ſolum Dei, & Chriſti filii eius.

III. EQVIDEM modum hunc præſeruationis poſſibilem fuiſſe Deo, nemo Catholicus negabit, cum legis lator Deus, nulla neceſſitate coactus, ſed ex mera ſua, & libera voluntate pactũ iniit cum Adamo, vniuerſalemque legem condidit, à qua potuit pro libito, quemcumque vellet, excipere, ita vt in eo pacto minime illa comprehenderetur. Quod ita factum fuiſſe fundatur in probabili opinione grauiſſimorum Doctorum aſſerentium, quod etiam Adamo non præuaricante, Verbum Caro fieret; tunc certe Chriſtus Dominus, & Mater eius prædeſtinati fuere, ante præuiſionem caſus primi parentis, & ſic ex præuiſis meritis Chriſti Domini potuit excipi in futuro pacto cum Adamo; decuiſſe autem ita fieri, idque reuera Deum optimum maximũ effeciſſe ſatis id perſuadet, quod Dei genitricem apprime deceat, quantum fieri poſſit, in fragili natura eſſe magis alienam, & elongatã ab omni labe peccati: nam ſi (vt dixit D. ANSELMVS) oportebat Virginem ea puritate nitere, qua ſub Deo maior intelligi nequeat, conſequens eſt, prædictum modum puritatis ſibi conuenire per prædictam elongationem; ita vt non ſolum non contraxerit peccatum, ſed nec debitrix fuerit illud contrahendi, ex meritis Chriſti; atque adeo cum modus iſte poſſibilis, & intelligibilis ſit, tribuendus eſt beatæ Virgini iuxta ſẽtẽtiam D. Anſelmi. Atq; huius præclaram figuram hũc modum dicendi adumbrantẽ legimus, vbi Rex Aſſuerus Reginæ HESTER dixit: *Noli metuere, Non morieris: non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt: accede igitur, & tange ſceptrum.* Non ſecus (inquiunt prædicti Doctores) lex incurrendi peccatum originale lata non fuit pro B. Virgine, immo ab ea excepta propter ſceptrum crucis Chriſti, ob cuius merita præuiſa tantum priuilegium ei donatum fuit.

Sco. in 3. ſen. d. 7 q. 3. Alēſ. 3. par. q. 2. mēb. 9. Galatin. l. 2. de arcan. cathol. c. 4. Alb. Mag. lib. 8. de liber. arb. c. 1. a. 2. Viguer. in inſtit. Theolog. c. 20. Cater. opuſ. de eximia Chriſti prædeſt. Iacob. de Valentia ſer. 81. & 102. Eſther c. 15.

IV. NONNVLLI vero ex iiſdem aſſertoribus, ac propugnatorib. immaculatæ Virginis Conceptionis omnino dicendum autumant, beatam Virginẽ, licet non traxerit peccatum ipſum originale, contraxiſſe tamen debitum illud incurrendi, quia comprehenſa fuit, ſicut cæteri, in pacto inito cum Adã: ſicut enim, ſi ille non peccaſſet, iuſtitia originalis omnib. eius poſteris abſq; exceptione donaretur, ita & carentia illius, ob peccatum primi parentis, eos omnes tetigit. fuit enim peccatum originale perſimile lepræ, quam Giezi Prophetæ famulus cõtraxit; cum enim à Naamam Syro, quem Propheta à lepræ contagioſo morbo liberauerat, ille munera quædam accepiſſet, ita percitus Heliſæus, in hunc modum ei maledixit: *Lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo in ſempiternũ;* quod quidem, ſicut prædixit Propheta, re ipſa factum eſt, quia Giezi lepra laborare cœpit, & omnes eius poſteri eam contraxere: ad eundem modum, propter præuaricationem Adami, munera illa à ſerpente ei oblata acceptantis: *Eritis ſicut Dii:* Deus ei, & o[illegible] eius po-

Cordub. tractat. de Concept. Suarez 3. p. q. 27. diſput. 3. ſer. 2. Thomiſtæ omnes communi conſenſu.

Reg. 5.

Gen. 3.

 ſteritati

ſteritati maledixit; adeo, vt non ſolum ipſe peccaret, ſed per quandam contagionem omnes eius poſteri naturali modo propagati, peccati originalis lepramſibi contraherent, ad quod nõ incongrue applicari poſſunt verba illa Ieremiæ, *ad vocem loquelæ grandis exarſit ignis in ea, & combuſta ſunt fruteta eius*; loquela namque audita Euæ tortuoſi ſerpentis ſibilo infecta primus parens peccati virus concepit, ac illud in poſteros ſuos euomuit; licet tamen B. Virgo, quia erat in Adamo, ſicut cæteri, tanquam in radice, ac principio ſuo, naturali, & morali, peccato originali infici debebat, ob diuinæ tamen gratiæ illam præſeruantis mirabile antidotum neutiquam infecta fuit. Quemadmodũ enim, vt refert eruditus auctor IOANNES RAVLINVS auctoritate Plinii id cõfirmans; apud Indos inuenitur ſerpens quidam, nomine *Attuſo*: præ omnibus aliis ſerpentibus veneno abundans, hic quandam arborem, maximo odore fragrantem ac dulciſſimũ fructũ ferentem tanto odio proſequitur, vt radicẽ eius virulẽto ſuo halitu inficiens, flores, ac fructus eius penitus perdat: nam infecta radice arboris, ex conſequenti rami ab ea infectum humorem ſugentes, inficiuntur: addit tamẽ, cultores arborum, ad hoc damnũ præcauendum, illud præſentiſſimũ inueniſſe remediũ, confectionẽ quandam, ex theriaca arboris germina inungunt, per quam à radicis infectione contrahenda omnino præſeruantur: nõ ſecus infeſtiſſimus ſerpens antiquus pulchram illam humanæ naturæ arborẽ, quam ad imaginẽ ſuã Deus creauerat, ſuauiſſimum iuſtitiæ originalis odorem exhalantem, ac dulciſſimos bonorum operum fructus germinantem inuidiæ odio proſequens, iuxta illud SAPIENTIS: *Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum*; radicem eius, hoc eſt, primum parentẽ humani generis primordium, peccati veneno infecit, & in eo etiã conſequenter ramos, ex eo oriundos maculauit; vt tamẽ hæc infectio ad ramũ, ſeu germen B. Virginis non pertingeret, diuinus ille agricultor, qui filium agricolæ ſe eſſe gloriatur, *Pater meus agricola eſt*, mirabili, ac ſalutifera illa confectione aquæ, & ſanguinis ex latere eius in Cruce fluẽtis, velut probatiſſima theriaca, ab æterno præuiſam futuram Matrẽ ſuã inunxit, atq; hac ratione illã præſeruauit, non à debito contrahẽdi maculã originalẽ, ſed ab actuali huius maculæ contractione.

Ierem. 11. — *Ioan. Raulin. ſer. de concep. in princ.* — *Sap. 2.* — *Ioan. 15.*

V. QVAM veritatem, etſi non pauca perſuadeant, tam à me iam producta ac pleraq; alia mox producenda: illa tamen verba DAVIDIS canentis: *Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei*, non parum illam confirmãt: Sì inter alia præclara, atq; glorioſa, quæ dicta ſunt de Mariana hac Ciuitate, quam Deus ſibi ædificauit, illa memorãda ISAIÆ verba perpendamus: *Vrbs fortitudinis noſtræ Sion, Saluator ponetur in ea, murus, & antemurale*; ecce vocat beatam Virginem: Vrbem fortitudinis, per Antonomaſiam, quia Ieſus Saluator Mundi, erat eius inexpugnabilis murus, & antemurale; vnde cum infeſtiſſimus humani generis hoſtis ſolidiſſimum hunc murum irrumpere nequiuerit, nec Ciuitatem hanc deuaſtare aut quidquam lædere potuit. Prædixerat quidem filius Dei per Prophetam ZACHARIAM: *Ego ero ei murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius*, ecce, nõ ſolum ait Dominus, ſe inſtar muri, propugnaculũ fore in protectionem huius Ciuitatis, ſed & gloriatur, ſe in medio illius, ſanctitatis ſuæ ſplendoribus coruſcare. quæ autem conuẽtio lucis increatæ ad tenebras peccati? aut quæ ſocietas Chriſti ad Belial originalis culpæ? Scio quidem impugnantibus immaculatam Virginis Conceptionẽ placere ſibi magis, vt prædicta tam Dauidis, quam Iſaiæ verba de Eccleſia militante, & non de beata Virgine intelligantur; ſit vtique; prout illis placet, meminerint tamen SAPIENTEM dixiſſe: *ædificatio Ciuitatis cõfirmauit nomen, & ſuper hac mulier immaculata computabitur*: Ciuitas quidẽ poſita in quadro, quatuor ſc. Euangeliſtis roborata, Eccleſia ſancta eſt, hãc nomẽ Chriſti conſtabilit, & contra hæreticos acriter pugnantẽ tuetur, ac protegit: ſuper hanc autẽ Ciuitatem, cum Maria concipitur, mulier quidem nulla peccati labe polluta, ſed immaculata conſtituitur.

Pſal. 86. — *Iſa. 26.* — *Zachar. 2.* — *Eccleſ. 40.*

VI. NE autem quiſpiam dicat, Virginem immaculatam quidem fuiſſe poſt Conceptionẽ, non in Conceptione ipſa; reuocet quæſo in memoriam verba D. PETRI: *à quo enim quis ſuperatus eſt, huius ſeruus efficitur*: ex quibus apertiſſime conſtat, quod ſi B. Virgo in Conceptione ſua maculam contraxiſſet, à diabolo quidem illam maculante ſuperata extitiſſet, & conſequẽter ſerua eius facta fuiſſet, quia, *à quo quiſque ſuperatus eſt, huius ſeruus efficitur*. Vnde neceſſario fieret, vt prius diabolus per peccatum, quam Deus per gratiam, Virginis poſſeſſionem accepiſſet, quod piæ abhorrent aures. Nam, cum poſſeſſio idem ſit (vt Iuriſperiti adnotant) quod *pedis ſeſſio*, ſeu *pedis poſitio*; vnde dominus fundi, aut domus non aliter eius poſſeſſionem accipit, quã illam pedibus calcando, ad quod alluſiſſe mihi videntur verba Deuteronomii, & Ioſue: *omnis locus, quem calcauerit pes, veſter erit*: quis (rogo) non exhorreſcat dicere, electam Virginem in Matrem Dei in ingreſſu huius mundi ab infeſtiſſimo hoſte poſſeſſã, ac pedibus Sathanæ impudenter calcatam? è contra certe accidit, ipſa Virgine dicente: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*. Quod ſi rurſus occurras: hæc, quæ pias aures horrere nobis videntur, neceſſario admittenda, niſi Mariam captiuam negemus, & à Chriſti redemptione illam excludamus: mentis aciem, obſecro, conuerte ad celebrẽ illã hiſtoriã exitus filiorũ Iſrael de Ægypto, vt inde facile conijcias, B. Virginem ſingulari modo à Chriſto fuiſſe redemptam, quantumuis in eius Conceptione ſub Diaboli captiuitate nõ extiterit. Sane in exitu illo filiorum Iſrael, nec non in itinere, quod in Terram promiſſionis confecerunt, duplicem lego redemptionem. Prima fuit à dura Ægyptiorum ſeruitute. Secunda à miſera Pharaonis captiuitate, in quam iterato ſine dubio venirent, niſi Domi-

2. Pet. 2. — *Ibid.* — *Conrad. de contractib. q. 4. concl. 3 Sylu. verbo poſſeſſ. Moli. de iuſt. & iur. tex. 1 tract. 2. diſp. 12.* — *Deut. 11.* — *Ioſu. 1.* — *Prou. 8.* — *Exod. 33.* — *Exod. 14.*

Dominus in brachio excelso eos præliberasset, mare rubrum eis aperiens, vt sicco pede transirent; hostesq; eorum aquarum vorticibus inuoluens, vt facile suffocarentur; primam illam redemptionem, subleuatiuã dixerim; secundã, præseruatiuã merito compellarim, sacris eloquiis id me docentibus: Exod.6. nam in Exodo, de prima illa redemptione loquens Deus, ait: *Ego Dominus qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & eruam de seruitute; ac redimam in brachio excelso, & iudiciis magnis*; ecce redemptionẽ subleuantem eos à miseria, in qua iacebant; referẽs autẽ gratias Deo Moyses, quod Ægyptios, & Pharaonẽ submerserat, ac filios Israel ab eorũ perse- Exod.15. quutione eripuerat, ait: *Dux fuisti in misericordia tua populo, quem redemisti*: ecce redemptionẽ præseruantem à seruitute, & captiuitate, in quam denuo venirent, si à Pharaone iterum comprehenderentur. Hoc ergo excellentiori genere redemptionis præseruatiuæ redempta fuit B. Virgo.

VII. Illvd deinde (quod & nostro argumento valde inseruit) in hac sacra historia obseruatione non minus dignum censeo, quod quamuis duplex illa redemptio subleuatiua, & præseruatiua in exitu ab Ægypto intercessisset, Maria tamen soror Moysis tympanum non assumpsit ad diuinas laudes in gratiarum actionem decantandas, quando prima accidit redemptio subleuatiua, sed cum secũda aduenit præseruatiua: tunc enim sacer textus ait: Ibidem. *Sumpsit Maria prophetissa, soror Aaron tympanũ in manu sua, &c. quibus præcinebat dicens: Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est*; equidẽ Maria illa Virginem Mariam adumbrabat, quæ quia minime redemptione subleuatiua à miseria peccati, sed præseruatiua per Christum redimenda erat; ideo ad singulare hoc mysterium adumbrandum Maria soror Moysis nõ cecinit, nec retulit gratias in prima redemptione, sed in secunda, quæ Virginis redemptionem præfigurabat. Illud etiã silentio præterire non licet, quod sacer textus, postquam Maria diuinas illas laudes Deo cecinit, non amplius illam vocat Moysis sororem, sed Aaronis summi sacerdo- 1.Cor.10. tis, vt significaret (quia omnia *hæc in figura contingebant illis*) per sacrificium, quod Christus summus sacerdos in ara Crucis Deo Patri obtulit, singulari illo præseruatiuæ redemptionis genere Deiparam Mariam redemptam fuisse.

Ad hæc illud mihi facile suadet, Deum optimum maximum puritatis Matris suæ sollicitam curam gessisse, quod in veteri lege præcauit, ne quidquam Leuit.2. sibi offerretur fermẽto admixtum: *omnis oblatio, quæ offertur Domino, absq; fermento fiet*; exquirentes autem Interpretes huius præcepti causam, communi consensione respondent; propterea Deum à Tabernaculo suo fermẽtum relegasse, quia peccati figurã 1.Cor.5. gerebat, iuxta illud D. Pavli: *Itaque epulemur non in fermento veteri, neq; in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis*; cum enim fermentũ nihil aliud sit quã massa acida, & corrupta, peccati corruptionem merito delineat, & præsertim originalis; quia sicut *modicum fermentum totam massam corrumpit*, Gal.5. vt ait Apostolus, ita culpa originalis totã naturam humanam infecit: si igitur Deus fermentum, quia figura erat peccati, à tabernaculo suo longe propulsauit: quanto magis credendus est, peccatum ipsum à Matre sua propulsasse, in cuius vteri tabernaculo per nouem menses corporaliter requiescere decreuerat, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA VI.

Ex Triplic figura, Ciuitate scilicet Dauidica, Arca Testamenti, & Salomonis Throno, immaculata Virginis Conceptio singulari eruditione deducitur.

I. TRiplicem præcipue Ciuitatem reperio supremi opificis sapientiã, ac singulari eius industriã constructam. Primam ædificauit in cœlo, naturam scilicet Angelicam, sed continuo magna huius ciuitatis pars cecidit superbiæ fulgure illam deuastante: *Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Luc.10. Secundam postea condidit ciuitatem, naturã scilicet humanam in campo Damasceno, sed flan- Gen.3. te rapido vanitatis vento (*Eritis sicut dii*) breuissimo tempore corruit. Tertiam tandem firmiorem, ac robustiorem ciuitatem erexit, quam non super lapides impolitos, Apoc.18. sed instar *cœlestis Hierusalem* super *preciosissimas* diuersarum gratiarum *margaritas* mirifice fundauit; & ne ab infestissimo hoste vnquam expugnari posset, fortissimis propugnaculis vndique illam circumdedit, vt non obscure adumbrauit Ciuitas illa Dauidica, de qua, cum illam deuastare tentaret Rex Assyriorum, sacer textus ait: 4.Reg.19. *Non ingredietur Vrbem hanc, nec mittet in eam sagittam, protegamque Vrbem hãc, & saluabo eam propter me, & propter Dauid seruũ meum*, non dissimiliter Deus beatam protexit Virginem, dum eam vndique adeo muniuit, vt iniquissimus Assyriorum Rex (Dæmonem intelligo) non solum in illam per peccatum actuale ingredi, sed nec in eam peccati originalis sagittam mittere potuerit: Ibidem. *Nec mittet in eam sagittam*: Merito sagittæ comparauit Dauid originalem culpam, quia quemadmodum sagitta à longe proiicitur, vt vehementius feriat, sic Dæmon à longe, id est, à principio mundi omnes homines ancipiti sagitta peccati originalis vulnerauit, sed illa Virginis animam configere prohibitus est, quod fecisse fatetur Deus *propter se*, & *propter Dauid*, id est, propter Christum filium suum, ad cuius dignitatem spectabat ciuitatem istam regiam custodire, quia in medio eius regnaturus erat: vnde

Psal. 46. optime PROPHETA cecinit: *Deus in medio eius non commouebitur*, scilicet ab ea, per actum peccati proprium, sed neq; commouebitur per actum alienum ad motum primi parentis se mouens, hoc est, non
Ibidem. contrahet peccatum originale, quia *Deus in medio eius*, quia de medio vteri illius nasceturIesus, quem istud maxime decebat, immo non solum illum, sed etiam Angelos, quorum Regina futura erat: nam sicut nobiles Israel murmurabant eo, quod
1. Reg. 10. Samuel in Regem populi Dei elegisset Saulem, qui iumenta custodiebat, ad dominandum super eos: ita etiam ipsi conqueri possent, dicentes: consentaneum non esse Diaboli ancillam Sathanico peccati originalis charactere insignitam eorum regi nam constitui, qui numquam peccatum commisissent.

II. DECEBAT etiam ciuitatem istam fortissimis muris circumcingi instar ciuitatis sanctæ, quæ Dei
Ioseph. l. 6. de bello Iuda. c. 6. erat habitaculum, de qua refert Iosephus de bello Iudaico, tribus muris vndique septam esse: sic beata Virgo, vt ciuitas esset perfectissime munita, tribus erat Spiritus sancti virtute circumdata gratiarum propugnaculis contra tria peccatorum genera, veniale, mortale, & originale; vnde factum est, vt vndequaq; acerrimus humani generis hostis præclusum omnino aditum ad eam expugnandam inue-
Isai. 26. niret, & ideo DAVID cecinit: *Vrbs fortitudinis nostræ Sion, Saluator ponetur in ea, murus, & antemurale*, hoc est, Saluator, qui in Virginis vtero delitescet, erit velut murus contra peccatum originale, & antemurale contra actuale, huius singularis protectionis gratias agens Deo, beata Virgo dixit:
Eccles. 51. *Confitebor tibi Domine rex, & collaudabo te Deum Saluatorem meum, &c. quoniam adiutor, & protector factus es mihi; & liberasti me à rugientibus præparatis ad escam, & de manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum, quæ circumdederunt me*: quasi apertius diceret: Aliis, in auxilium misisti Angelum, vel strenuum aliquem Ducem, qui ab hostium incursu eos tutaretur, mihi autem tu ipse fuisti protector, custos, & defensor.

III. MAGNOS inter fauores, quos Deus optimus maximus carissimæ sibi Hierusalem promisit, ille vnus magni momenti fuit, quod nec speculatoribus illius tutelam esset commissurus, quia illi forsitan somno correpti dormirent: nec Ducibus, quia ab inimicis debellari, & expugnari poterant, cum varius sit euentus belli, sed ipsemet pollicitus
Psal. 12. se est illius tutorem, ac defensorem futurum: *Ecce*, inquit, *nō dormitabit, neq; dormiet, qui custodit Israel*. Custos domus Isboseth dormiuit, & inimici in eam inuaserunt. Id quidem præseruatissimæ ab omni culpa Mariæ nequaquam accidere poterat, cum Deus ipse sollicitus custos, & protector eius esset, qui cum dormire neutiquam possit, ac infinita fortitudine polleat, quas ipsa *portas tribulationis* vocat facile hostes ab earū ingressu arcere potuit. Deus quicumq; mortalis habet tribulationis portas. Primum in conceptione, ad introitum animæ in corpus: Secundam in morte, ad egressum illius à corpore: in introitu n. maculatur anima labe peccati originalis, in egressu vero dolore, & anxietate premitur, quia ergo B. Virginis anima neq; ad introitum in corpus maculata, neq; ad exitum ab illo anxiata, & afflicta fuit, ideo ait: *Liberasti me Domine à portis tribulationum, quæ circumdederunt me*. Eccles. 51.
Contigit quidem B. Virgini id, quod accidit ei, qui fugit ad fores Ecclesiæ, ne comprehendatur à iudice sæculari; iste quidem vellet, ne prodesset illi immunitas Ecclesiæ, Clerici autem è contra auxilium ei impendentes intromittunt illum in Ecclesiam. Tunc sæcularis iudex vociferatur, quod Hispanicè dicitur: *A qui de la iustiçia*. Clerici vero feruentius proclamant: *A qui de la iglesia*. & hac ratione liberant illum è manibus iustitiæ. Simili ergo modo Dæmon ad introitum huius vitæ, prout fit in conceptione, insequutus fuit animā B. Virginis, illam sub maledictione peccati comprehendere tentans: vnde valide clamauit: *A qui de la iustiçia*; siquidem iuxta legem vniuersalem incurrere debebat peccatum originale, tamen in fauorem Virginis proclamauit filius Dei: *A qui de la gratia*, quia futura est mater Authoris gratiæ: & hæc dicens: copiosissima gratia illam præuenit, & à macula peccati præliberauit: ideoque ipsa canit: *liberasti me secundum multitudinem misericordiæ tuæ*. Ibidem.

IV. PLACET, ad hanc misericordiam explicandam in medium proferre singulare illam ALEXANDRI historiam, qui volens ædificare ciuitatem Leontopolim, cum copia calcis ad fundamenta iacienda non suppeteret, iussit ex imperiali aula sua farinam selectissimam, & candidissimam adduci, quæ calcis vicem ad amussim adeo suppleuit, vt solidissima omnium manerent fundamenta. Eo certe differunt fundamenta huius ciuitatis à fundamentis reliquorum sanctorum, quod hæc calce peccati originalis, illa candidissima diuinæ gratiæ farina elaborata sunt; & quemadmodum ferunt iidem historici, tunc Augures dixisse, felicissimum illud fuisse præsagium, per illud significari autumantes, fœcundissimam, & cibo abundantissimam futuram esse illam ciuitatem, non secus fundamenta huius ciuitatis fuisse farinam diuinæ gratiæ ab omni macula illam præseruantis, præsagium quoddam fuit non obscurum, B. Virginem futuram fore fœcundissimam, adeo, vt conciperet Deum, & hominem, & cœlestem panem, quo cibantur omnes fideles, in lucem proderet. Historia Alexandri.

Porro, vt multa de hac sacra, ac cœlesti Mariana ciuitate paucis complectar, nihil sane mihi videtur humano, aut angelico mentis acumine ad excellentiam alicuius vrbis commendandam excogitari posse, quod in ea cumulatissime non reperiatur, nam si à nomine eius exordiamur, nullū sublimius ei imponi potuit, quam quo Propheta EZECHIEL illam insigniuit: *nomen ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem*: in cuius figura legimus 2. REGVM, quod *cœpit Dauid arcem Sion, & vocauit eam ciuitatem suam*: Ezech. vlt. 2. Reg. 5.

Ædifica-

Psal. 86. Ædificatorem habuit supremum omnium artificem, vt idem etiam DAVID cecinit: *ipse fundauit eam Altissimus*: illam inexpugnabili fortitudine premuniuit: *Lauda Deum tuum Sion, quoniam confortauit seras portarum tuarum*, adeo quidem, vt ab hoste, nec ob impotentiam, ignorantiam, aut malitiam minime capi potuerit: non ob impotentiã, vt & ipsa testatur, *quia fecit mihi magna, qui potens est*: non ob ignorantiam, cum Deus catholicæ doctrinæ illam constituerit Magistram, & Apostolorum doctricem: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem*: non ob malitiam, cum Spiritus S. bonitatis fons perennis, tanquam eius sponsus fluenta diuinæ suæ gratiæ copiosissime in eam effuderit: quod si ciuium pax, atq; concordia, monile, & ornamentum preciosissimum ciuitatis est, hoc minime desideratur in hac sancta Vrbe, DAVID dicente: *Qui posuit fines tuos pacem*: si rursus magna populi multitudo ciuitatem illustrat, sane ad hanc Marianam Vrbem omnes indiscriminatim confluunt, quia ciuitas refugii est: *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic*, in cuius figuram Deus olim ciuitates refugii designauit, quibus rei se possent ab hoste protegere. Ac tandem si ad gloriam Vrbis pertinet à tributis, quibus aliæ opprimuntur ciuitates, ipsam omnino liberam, & exemptam esse, id etiam minime defuit huic ciuitati, cum ex regio priuilegio immunis facta fuerita communi illo peccati originalis vectigali soluendo, ad cuius solutionẽ reliquæ omnes compelluntur, & forte hoc est, quod Spiritus sanctus per ISAIAM dixit: *Alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephtalim, & nouissime aggrauata est via maris*. Per hanc terram mystice intelligo B. Virginem ortam ex tribu Iuda, & sacerdotali Nephtalim ciuitate, nulli tributo subiecta, quæ primo illo tempore, id est, primo illo instanti suæ conceptionis alleuiata fuit, dum à pondere peccati originalis communi lege supprimenda, singulari Dei gratia præseruata fuit: sequentia etiam verba: *aggrauata est via maris*, recte eidem argumento inseruiunt, si Tertulliani translationem sequamur legentis: *impedita est via maris*, id est, Deus torrentem peccati originalis in Mariam fluentem, diuinæ gratiæ suæ obice interposito, ne illam contingeret, impediuit. Hæc cum ita se habeant, nemo quæso sit, qui corde, & ore semel atq; iterum non canat cum DAVIDE: *Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei: Magnus Dominus, & laudabilis nimis in Ciuitate Dei nostri*.

Psal. 147. (first), Luc. 2., Isai. 2., Psal. 147., Psal. 86., Isai. 9., Ibidem., Psal. 86., Psal. 46.

Exod. 25. V. PORRO iam ad figuram Arcæ testamenti properemus, quæ non minus egregie immaculatam Virginis Conceptionem nobis ob oculos ponit; sicut n. illa ex lignis incorruptibilibus affabrefacta fuit ad seruandum tabulas legis, Virgam Aaron, & cœleste manna, ita B. Virgo ex anima, & corpore diuino munere, incorruptibilibus (illi n. impeccabilitatem, huic incorruptibilitatem impertiuit) fabricata fuit: & quidẽ si immunitate, ac corruptione donata fuit illa inanimata arca propter seruandas in se tabulas legis, Virgam Aaronicam, & manna cœleste, nonne multo conuenientius erat, vt quæ in se continere, ac custodire debebat, non vt illa tabulas legis, sed legislatorẽ ipsum; non manna de cœlo decidens, sed filium Dei de sinu Patris descendentem; non virgam Aaronis, sed omnipotentis Dei brachiũ, per quod facta sunt omnia, ex corpore, & anima coalesceret, nulla vmquam peccati corruptione infectis, aut inficiẽdis? Legimus apud Iosue, aquas Iordanis hac vrbanitate vsas fuisse erga sacrã testamenti Arcam, vt dum illa pertransiret, impetũ sui fluxus reprimentes, retrocederent, quo non obscure arbitror significari aquas peccati originalis ab Adamo per omnes Virginis progenitores defluente, cum ad hanc mysticam arcã peruenirent, minime illã fore inuasuras, sed retrocedẽtes, sicco (vt aiunt) pede liberum ei transitum daturas: vnde licebit nobis cũ DAVIDE mirantes interrogare: *Quid est tibi mare quod fugisti? & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum?* cuius interrogationis ea noscitur legitima responsio, quod aquæ Iordanis peccati originalis ea propter retrocesserint, quia arca Domini pertransibat, B. scilic. Virgo, quam Arcam appellat Ecclesia Catholica. *Beata Mater munere, cuius supernus artifex, mundum pugillo continens, ventris sub Arca clausus est*. Iosu. 3. Psal. 113. Eccl. Rom. in officio B. Virg.

VI. QVOD autem eadem testamenti Arca (vt 1. REGVM narratur) ferre non potuit, vt Dagonis Idolum in altari, in quo ipsa aderat, simul collocaretur, sed illud longe à se expulit, & capite, pedibusque confractis prohibuit, ne in consortio ipsius commoraretur; id apertissime præfigurauit, beatã Virginem, velut mysticam arcam diuinæ gratiæ fortitudine præmunitam, idolum peccati originalis nec per momentum sibi commorari permissuram, sed potius caput, & pedes eius ab ea fore conterendos: tandem sicut per illam arcam, quatuor olim antiqui patres beneficia susceperunt; sic quatuor alia per hanc mysticam arcam nos recipimus: primo in periculis magnum auxilium (vt habetur NVMERORVM 10.) Nam cum eleuaretur arca, dicebat MOYSES: *Surge Domine, & dissipentur inimici tui; & fugiant qui oderunt te, à facie tua*: secundo, in dubiis bonum consilium, quod significatum est 1 REGVM: vbi cum Saul vellet consulere Deum, dixit: *Applica mihi arcam*: tertio in aduersitatibus magnum solatium, vt adumbratur 3. REGVM, vbi Salomon dixit Abiathar sacerdoti: *Equidem vir mortis es: sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini*: quarto, arca impetrauit diuinam benedictionem; vt enim 2. REGVM dicitur: *Ad introitum arcæ fœderis Domini in domum Obededom Deus ei benedixit*. Denique si arca illa, quæ omnia bona per hanc mysticam beatæ Virginis arcam obsequio eius addicti cumulatius, ac plenius obtinent, intrinsecus portabat Testamenti Tabulas; Maria Testamenti gestabat hæredem; illa terreno ornabatur auro, ista cœlesti; illa pedibus induebatur, ista solis splendore, vt ait IOANNES, *Mulier amicta sole*. 1. Reg. 5. 1. Reg. 14. 3. Reg. 2. 2. Reg. 6. Apoc. 12.

3. Reg. 10. VII. Caeterum, ad tertiam Throni figuram iam-iam accedens, 3. Regum haec verba lego: *Fecit sibi Salomon thronum de Ebore grandem*. Thronus qu dē fuit B. Virgo pacifici Salomonis Christi Domini: Nam in primis, vt Spiritus sanctus immaculatam eius Conceptionē in illo veteri throno praesignifi caret, voluit ex ebore lacteo, nullis maculis deturpato confici. Sicut n. ebur, licet ex foedissimo Elephante oriatur, ipsum tamen est vndiq; intrinsecus, & extrinsecus candidissimum; sic beata Virgo licet ex parentibus peccato originali aliquando infectis concepta fuerit, illius tamen foeditatis, instar pulcherrimi eboris, expers semper fuit: & sicut in illo Throno nullus sedere permittebatur nisi solus Rex Salomon; ita in Throno eburneo candidissimę animae beatae Virginis solus verus Salomon, Sapientia Dei Patris sedit, solus illum occupauit, solus sua Maiestate impleuit; si ergo solus, ergo nec per momentum gloriari potest Daemon, quod illa Thronꝰ eius fuerit. Illud etiam quod sacra Scriptura addit, vndiq; auro circumdatum fuisse Thronum illum
3. Reg. 10. Salomonis: *& vestiuit eum auro fuluo*, non obscure adumbrauit, mysticum hunc Thronum B. Virginis vndique charitatis auro circundatum fuisse.

Apoc. 21. VIII. Verum alius isto excellentior thronus B. Virginē praefigurauit, ille, scilicet, in quo Ioannes vidit Deum sedentē, quem ait ex Saphirinis lapidibus esse constructū ꝙ & praedixerat Ecclesiasti-
Eccl. 1. cus: *Quasi aspectus lapidis Saphirini similitudo Throni.* Sane, si nobis scrutari licet, ob quā causam Deus ex Saphiris voluerit Thronum eius confici, satis cum ratione coniunctum arbitror, hanc praecipue fuisse,
Vercor. in reductorio moral. lib. 11. cap. 118. Gemin. l. 2. de metall. & lap. c. 13. & 23. quia beatissima Virgo, quae Thronus Dei futurus erat, per illum praefigurabatur. Saphirus namque (vt referunt diligentissimi rerum naturalium historiographi) coelo sereno est simillimus, caeteros lapides excedit specie, & valore; castitatis ita amicissimus est, vt si illum secum deferens castitate careat, innatae suae virtutis mirabiles effectus non experiatur. Aiunt etiam vim habere animos discordes reconciliandi; necnon venenum expellendi, eaque virtute pollere, vt ad aspectū eius aranea continuo intereat; ac tandē, quod mirabilius est, mater Carbunculi esse dicitur, quia in venis eius generatur. Haec ita clare in B. Virginem conuenire noscuntur, vt ad illam solum adumbrandam à supremo rerum omnium conditore saphirus genitus videatur. Illa saphirini lapidis coelesti serenitate pdita fuit, quia sicut peregrinae impressiones coeli serenitatem turbare non possunt; ita nec diabolicae suggestiones Marianam pacem, ac tranquillam animi eius serenitatem quidquam laedere potuerunt: illa omnes creaturas, etiam angelicas, valore & dignitate longe excedit: illa castitatis adeo amantissima, vt si quispiam etiam obsequio eius deditissimus, castitatis custos non sit, licet alioquin munificentissima, beneficiorū tamen suorum fluenta contineat, & illum longe à se abiiciat: illa instar saphiri, mater coelestis Carbunculi extitit, quae Deum & hominem genuit: illa Dei & hominum diligentissima reconciliatrix, inimicitias, ac rixas inter illos suscitatas singulari industria sedans, atq; componens: illa tandem, non secus ac saphirus tali diuinitus data contra venenum peccati originalis praedita fuit virtute, vt in puncto conceptionis illius solo eius aspectu perterrita spurcissima Aranea, humani generis hostem intelligo, continuo contabuerit, ac venenum originalis culpae in eam euomere minime potuerit.

IX. Haec omnia confirmat aeterna Sapientia, quae de hoc Mariano Throno loquens, dixit: *Thronus meus in columna nubis*. Ad cuius loci intelligen- Eccl. 24.
tiam suppono Deum olim filios Israel per desertum Exod. 13.
itinerantes, intra thronum cuiusdam nubeae columnae latitantem duxisse, quae sine dubio fuit egregia quaedam imago ac typus, B. Virginem recenter conceptam adumbrans. Nam imprimis sicut columna illa intuentibus Aegyptiis obscura & caliginosa, Israelitis vero clarissima & fulgentissima videbatur; ita negantibus immaculatam Virginis conceptionem videtur illa, quasi nubis peccati originalis caligine obscurata, Assertoribus vero, atq; propugnatoribus eiusdem illibatae conceptionis, clarissimis diuinae gratiae radiis à principio suae formationis, coruscans apparet. Deinde, sicut nubes, licet ex vaporib. terrae concipiatur, terrestrē grauitatē non contrahit, & ideo in terra nō quiescit, sed superiora loca petit; non secus beatissima Virgo, licet originem ducat à maioribus suis, terrestri peccati originalis pondere grauitantibus, eius tamen pondus, ac grauitatem minime contraxit, sed instar leuis nubis superam regionem velocius Pavlo petiit, qui dicebat: *Conuersatio nostra in coelis est.* Philip. 3.

X. Verum si altius Thronum hunc Marianum contemplari desideramus, mentis aciem ad Angelos, Thronos nuncupatos, conuertamus, quibus D. Dionys. de coelesti hierarch.
D. Dionysius quoque ista tribuit: magnam celsitudinem, insignem stabilitatem, munus Deum in se suscipiendi, dignitatem eum deferendi, familiarem cum eodem confabulationem. Quae omnia cum excellentius, atq; cumulatius multo in Virginem conueniant, reliquum est, Throni nomenclaturam aptius ei, quam angelicis Thronis conuenire. Huius equidem Throni celsitudo ex eo non obscure liquet, quod à principio suae conceptionis dicat: *Ego in altissimis habito*: eius autem stabilitas satis in- Eccles. 24.
notescit, cum vacillantibus in fide discipulis, ipsa in fide stabilis semper permaneret; & fugientibus Apostolis, nunquam à cruce recederet: Ioanne Ioan. 19.
dicente: *stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius*: munus Deum suscipiendi, nemo vnquam, vt illa, exercuit; alii enim non aliter recipiunt Deum, quam per essentiam praesentiam & potentiam; alii insuper per gratiam iustificantem; at Maria per gratiae plenitudinem in mente, & per praesentiam corporalem in ventre: dignitas tandem Deum deferendi quomodo quaeso Virgini non conueniet, quae & Filium Dei ex sinu Patris in terram detulit, & Deum

& Deum in vtero gestans, Matris Dei dignitatem obtinuit? Hac enim ratione per ferculum Salomonis præfigurata fuit, de quo in CANTICIS: *ferculum fecit sibi Rex Salomon*, hoc est, verus SALOMON Christus Dominus; cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen. *Cant. 3.*

HOMILIA VII.

Permultis aliis figuris idem illibatæ conceptionis Deiparæ argumentum locupletamus.



CONSVEVIT Diuina Sapientia, quæ suauiter omnia disponit, obscura quædam arcana, quæ multis difficilia creditu futura prænouit, variis tropis ac figuris prædelineare, vt hac ratione humana ruditas miram rei figuratæ ad figuram consonantiam obseruans, facilius eis assentiret. Præuidens ergo Deus quorundam fluctuantes animos, imo & negaturos fore immaculatam Matris suæ conceptionē, voluit, ad eos in hac veritate firmandos, ac stabiliendos, varios tropos, ac figuras præmittere, quæ illam velut digito commonstrarent. Inter quas non infimum locum tenere arbitror illud, quod Deus in GENESI dixit, dum Euam produceret: *faciamus ei adiutorium simile sibi*. *Gen. 2.* Simile siquidem non solum in natura sed etiā in gratia iustitiæ originalis, & in carentia ab omni labe peccati. Id sane præfigurauit, secundo Adamo, Christo scilic. Domino, dandam fore in nouissimis temporibus secundā Euam, hoc est, beatissimā Virginem, adiutorium simile illi, simile, inquam, in eo, quod sicut Christus omnis peccati expers semper fuit, ita & ipsa nullius culpæ particeps vnquam fieret; ille quidem per naturā, hęc per gratiam, ille ex vi suæ conceptionis absq; opera viri, Spiritu sancto illā supplente; hęc ex diuino munere, ac cœlesti priuilegio, naturali propagationi eius minime debito. Vnde apte mihi videntur præfigurati Christus, & Maria per lapides illos, in quibus Moyses legem Dei exarauit, non quidem primos, qui confracti fuere, sed secundos, qui absq; vlla ruptione aut scissura integri permanserunt; *Exod. 34.* illi namq; primi primos parentes Adam, & Euam, secundi vero secundos, Christum scilicet, & Mariā eius Matrem adumbrarunt, qui nulla peccati ruptione confracti, sed velut adamantina quadam duritie adeo præmuniti fuere, vt peccati characterem in eis imprimere nunquam diabolus potuerit.

II. HIS adiungamus celebrem ac famosam imaginem Reginæ Esther, quæ quanto communior est, tanto diligentius curabitur à nobis singulariter expendi, atq; illustrari. Inprimis ergo sacra Scriptura Reginæ ESTHER pulchritudinem commendans, ait: *Erat formosa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa & amabilis videbatur.* *Esth. 2.* Incredibile videtur multis, quod Maria ex peccatoribus parentibus ac peccati originalis labe deturpatis, pulchra, & absque macula prodeat; sed sane B. Virgo incredibili hac pulchritudine minime caruit, ad quod mirifice facit, quod CAIET. Esther pulchritudinem commendans ait: *Vsque adeo describitur gratiosa apud oculos omnium, vt tanquam offerens munus eisdem haberetur, cum coram eis apparebat.* *Caiet. sup. c. 2. Esther.* Non dissimiliter fideles illi, quibus B. Virgo pulchritudinem, quam habuit in immaculata sua conceptione, manifestat, merito id putare debent speciale munus, ac beneficium sibi ab ea impendi.

III. AD rem ergo propius accedens, præmittere oportet, hanc vniuersalem legem à Rege Assuero impositam fuisse, vt nemo non vocatus a Rege, ad illum accedere auderet. Esther autem Regina, vt populo Hebræo, qui ad mortem damnatus erat, libertatem, & veniam à Rege obtineret, non vocata, ingressa fuit ad eum: *ingrediar* (dixit ESTHER) *ad Regem contra legem*: *Esth. 4.* non dissimiliter B. Virgo in conceptione sua ait: ingrediar ad Regem cœlorum in vtero matris meæ absque peccato concepta etiamsi id sit contra vniuersalem mortis legem per peccatum primi parentis inductam, & quemadmodum tunc Regina Esther intrauit ad Assuerum Regem veniam populo petitura; ita purpureo charitatis colore decorata Maria, non metuit ad Dominum appropinquare. Assuerus vlnis suis tenuit Esther ne forte timore percita rueret in terram: Filius Dei Matrem suam Reginam nostram manibus suis in conceptione tenuit, ne luto peccati originalis fœdaretur. Nec mirum; anticipata enim solutione eam, quæ se in vlnis suis hominem factum delatura erat, vlnis suis voluit eam tenere: quapropter cantare poterit suaue illud melos Dauidis. *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me*: *Psal. 72.* verba autem, quæ Rex Assuerus Reginæ ESTHER dixit, hæc sunt: *Non morieris; non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est*: *Esth. 5.* sic sane, quamuis lex generalis, *omnes in Adam peccauerunt*, vniuersos filios Adæ comprehendat, in B. tamen Virgine, quam Deus præseruauit, exceptionem patitur. Vnde PETRVS COMMÆSTOR ait: *Noli timere, propter subditos lex data est; Tu vero mihi corregnas, non morieris, non pro te lex constituta est.* *Commæst. in l. Hest. 15.* quasi diceret: illius est legem abrogare, cuius est eam condere: ego ipse legem hanc statui, ego spontaneus ab ea te liberam feci, minime mortem peccati originalis incurres.

IV. ILLVD etiam obseruatione dignum arbitror, quod sicut, cum lex illa de vniuersis Iudæis occidendis ad petitionem Ammanis lata fuit, nunquam in mentem Regis cecidit, vt Regina ESTHER sub ea comprehenderetur, atque adeo quod morte mulctanda foret licet alioquin, sicut reliqui ad mortem damnati, Hebręa esset; *Esth. 15.* ita iustum, ac pium est, & rationi consonū, vt fideles religiose credant, vniuersalem legem contrahendi re ipsa peccatum

origi-

originale, Dei Genetricem non comprehendisse. Ad idem etiam facit celebris illa figura Arcæ Noe ab aquarum inundatione immunitas: ſicut enim illa diluuii aquis montes etiã celſiſſimos inundã- *Gen.7.* tibus, ſubmerſa non fuit, ſed *ferebatur ſuper aquas*; ita; licet altiſſimi illi montes, hoc eſt, Reges, Patriarchæ, & Prophetæ peccati originalis inundanti alluuione ſuffocati fuerint. Deipara vero, vt quæ Arca futura eſſet veri Noe, aquis illius minime ſubmerſa fuit. vnde in antiquo officio immaculatæ cõceptionis, quod olim in Eccleſia Romana viguit, & in eo, quo ex approbatione Sedis Apoſtolicæ *Ibid.* nunc vtitur Seraphica noſtra Religio, dicitur: *Factum eſt diluuium peccati ſuper omnem terram, opertique ſunt omnes montes, excelſi ſanctorum: Arca vero Deifera eleuata eſt in ſublime, & ferebatur ſuper aquas.* *Cant.8.* quod præuidens SALOMON dixit: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*, ſcilicet Mariæ, *nec flumina* ſcilicet peccatorum, *obruent illam*, ferunt *Hebræi Rabbini in Gen.* MAGISTRI HEBRÆI, Arcam illam cryſtallinam quandam feneſtram habuiſſe, per quam ſolaris lux irradiabat; aquarũ tamẽ diluuii nec gutta vna per illam intrare poterat; ad eundẽ modũ myſticæ illius Arcæ feneſtra, nempe Virginis conceptio, per quã ipſa intrauit in mundũ, cryſtallo illo clarior fuit, quã ſolus diuinæ gratiæ ſplendor ita illuſtrabat, vt peccati originalis nec minima gutta illam penetraret.

V. REFERT Moyſes columbam, quam ex arca *Gen.8.* miſit Noe, tranſacto diluuio, nõ inueniſſe, vbi pedem ſiſteret, nec enim lutum, cadauera aut diluuii aquas contingere voluit, ſed ſicut è manibus Patriarchæ egreſſa fuerat, ſic ad eum regreſſa eſt, ramum virentis oliuæ roſtro deferens. Beatam Virginem in ſacra Scriptura Columbam appellari, ſatis com- *Cant.6* pertum eſt ex libro CANTICORVM: *Veni colũba mea: Vna eſt amica mea, vna eſt colũba mea.* Hæc cum per *Gen.7.* creationem exiuit ex ſinu ſupremi artificis, in quo velut in arca Noe omnes continentur, non ſolum animalium, ſed & cunctarum rerum ſpecies, diuino munere factũ eſt, vt peccati originalis lutum, quod animam inficere ſolet, eam non contingeret, ſed pura ipſa, ac immaculata oliuæ ramũ detulit, in argumentũ diuinæ vnctionis, qua Spiritus ſanctus præ illius cõſortibus miſericorditer eã præuenerat.

VI. VIDEO etiam hoc myſterium adumbratum in Abacho illo, cuius meminit DAVID: Nam vbi no- *Pſal.74.* ſtra vulgata inquit: *Perfice eam, quam plantauit dextera tua*: translatio quorundã Hebræorum, (id re- *Galatin de Arcanis Cathol. verit. c.3.* ferente GALATINO) ait: *perfice abachum, quem plantauit dextera tua*; quæ verba explicans Galatinus refert, Antoninum Romanũ Conſulem à quodam Hebræorum doctiſſimo rogaſſe, quid ſibi vellet abachus ille? Reſpondit Hebræus, Virginem per illum ſignificari: quemadmodum enim Reges ac Principes ad ſuæ dignitatis magnitudinem. ac diuitiarum copiam oſtentandam pulcherrimos, ac præſtantiſſimos abachos habere ſolent, in quibus nullum vas æreum aut luteum, ſed ſolum vaſa pretioſiſſima aurea, & argentea, immo & quandoque pretioſis lapidibus diſtincta, collocare ſolent: ita Deus, vt oſtentaret diuitias gloriæ ſuæ, nullum in Virginis abacho ex luto peccati vas confectum collocari permiſit, ſed quæ ibidem depoſuit, inæſtimabili argenti & auri, hoc eſt, inſignis puritatis, & ardentiſſimæ charitatis ſplendore ornabantur, argentum enim & aurum rubigini non cedunt.

VII. FIGVRAM huic aliam ſingularem ſubiungo; arcem ſcil Ionathæ, quam ipſe, vt MACHABÆORVM hiſtoria refert, à ciuitate ſeparatã ædificauit, & in *1. Mach.12* qua emptiones ac venditiones minime fieri permittebat; ſic enim ait ſacer textus: *Vt ſepararet eam à ciuitate, vt eſſet ipſa ſingulariter, & nequeemant, neque vendant*: ita Deus inexpugnabilem Virginis arcem ſibi extruxit, in qua prohibitus fuit Dæmon aliquid emere, aut vendere: nihil enim nocumenti Virgini adferre potuit fraudulenta illius in Paradiſo facta emptio, vbi vili cuiuſdam pomi aut fici pretio primos parentes emit; quod ſi colũbas in templo Chri- *Geneſ.3.* ſtus hominibus vendi paſſus non fuit, multo mi- *Ioan.3.* nus Virginis columbam Diabolo vendi permittet, quam iam ipſe prius inæſtimabili præuiſi ſui ſanguinis pretio emerat, atque redemerat.

VIII. AREA itidem illa Dauid, in qua ipſe victimas Deo immolare ſolitus erat, B. Virginis ab om- *2. Reg.24.* ni peccati contagione liberam conceptionem apertiſſime præſignauit; ſicut enim graſſante peſte per infectionem aeris in omnem populum, Dauidicã illam aream incontaminatam reliquit; non ſecus, quia beatiſſima Virgo futura erat area, in qua verus Dauid Chriſtus Dominus victimã ſui corporis Deo Patri oblaturus erat, vt dixit Dauid, & refert D. PAVLVS ad Hebræos: *Hoſtiam, & oblationem noluiſti, cor- Hebr.10.* *pus autem aptaſti mihi: holocauſtomata pro peccato non tibi placuerunt; tunc dixi: ecce venio*: quamuis infeſtiſſima peccati originalis peſtis omnes Adæ filios infecit, illam nihilominus omnino intactã, & ab eius contagione immunem reliquit. Lamina deinde, quam Deus fieri præcepit ex auro puriſſimo abſque alicuius vilioris metalli permixtione, vt in ea ſanctũ nomen eius imprimeretur: ſic enim ait ſacer *Exod.28.* textus: *facies & laminam de auro puriſſimo, in qua exſculpes opere cælatoris ſanctum Domino*, eandam Virginis immaculatam conceptionem præfigurauit; nam ſicut lamina illa ad digne in ſe ſuſcipiendum nomen Dei ſcriptum opere cælatoris, oportebat ex puriſſima auri materia nullo vili metallo permixta confici; ita etiam potiori iure oportuit, vt quæ in ſuo vtero ſuſceptura erat non nomen Domini exaratum opere cælatoris, ſed ipſum Dominum Spiritus ſancti opera hominem factum, nullo vnquam adulterino peccati metallo fuiſſet permixta.

IX. IN vaſtiſsimo etiã illo Regno Ægypti, ſacra *Gen.47.* GENESEOS cõmemorat hiſtoria, ſolã terrã ſacerdotalẽ fuiſſe ab omni tributo ac vectigali liberam, quod perſpicue ſatis hoc ipſum myſterium præſignauit: Nam ſicut ibi propter honorem ſacerdotalis muneris

neris immunis erat à tributo terra illa sacerdotum, potiori quidem iure propter honorem summi sacerdotis Christi Domini sacerdotalis terra beatæ Virginis immunis omnino esse debuit à peccati originalis tributo. Præsignauit deinde libertatem B. Virginis in sua conceptione, libertas illa serui Iobiani, qui liber effugit ex infelici illa calamitate, quæ ruente domo, importuno ventorum flatu concussa vbi filii Iob aderant, omnes pariter peremit, quã ruinã peccati originalis calamitatem præfigurasse docet D. GREGORIVS, [*D. Gregor. lib. 1. sup. c. 16. Iob.*] sicut ergo ibi effugit seruus vnus Iobi, vt mortem filiorum ei nunciaret: *Effugi ego solus, vt nunciarem tibi*; [*Iob. 1.*] ita toto genere humano ruente ab infestissimo peccati originalis vento concusso, sola Virgo inter puras creaturas calamitatem illam vniuersalem effugit, ac nuntium suæ immaculatæ conceptionis nobis attulit. Tandem cum B. Virgo præfigurata fuerit per cœlestem Hierusalem, de qua IOANNES dixit: [*Apoc. 21.*] *Nihil coinquinatum introibit in illam*. & D. PAVLVS: [*Gal. 4.*] *Quæ sursum est, Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra*. Nec enim Christus Dominus filius est seruæ, sicut Ismael, [*Gen. 16.*] sed liberæ, qua liberatione ipse matrem suam præmagnifice liberauit. Cum item adumbrata fuerit per Turrim Dauidicam, [*Cant. 4.*] ex qua mille clypei pendebãt; per fortẽ illam Iael tempora Sysaræ clauo confodientẽ: [*Iudic. 4.*] per insignem illã Iudith Holofernis caput proprio eius gladio viriliter amputantem: [*Iudith 13.*] per Paradisum terrestrem à maledictione terræ immunẽ: [*Gen. 3.*] per Templum SALOMONIS, in quo malleus non est auditus: [*3. Reg. 6.*] per Thronum Saphyrinum EZECHIELIS, [*Ezech. 1.*] & per Eburneum SALOMONIS: [*2. Par. 3.*] per Rubum Moysis ardentem, sed nunquam combustum: [*Exod. 3.*] per solem tenebras nescientem: per Cœlũ omnis peregrinæ impressionis expers; ac per alia permulta, quibus scatent diuina eloquia.

X. Ex his Christiana pietas rationabiliter sibi persuadeat, Deiparam Mariam præseruatam fuisse in sua conceptione ab omni labe peccati originalis: vnde apte satis existimo huic argumento accommodari posse verba SALOMONIS, qui de Muliere illa forti Mariam adumbrante loquẽs, dixit: [*Prou. 31.*] *Non extinguetur in nocte lucerna eius; non timebit domui suæ à frigoribus niuis: byssus & purpura indumentum eius, fortitudo & decor indumẽtum eius*: bene inquit: *Lucerna eius nõ extinguetur in nocte*, quia beatæ Virginis anima ab instanti suæ conceptionis inextinguibilis lucerna fuit, ardens semper, & lucens, ac peccati originalis obscuram noctem omnino nesciens. subiungit: [*Ibid.*] *Non timebit à frigorib. niuis: byssus & purpura indumentum eius*, quia candido innocẽtiæ bysso, & purpureo habitu charitatis aduersus peccati frigiditatem induta erat. Ac tandem addit: [*Ibid.*] *fortitudo & decor indumentum eius*, vt significaret, quod sicut vestimentum vndique corpus circumdat, ita insignis, ac inexpugnabilis Mariæ fortitudo omne genus peccati facile superans, velut amictus beatam Virginem vndique semper circumdedit. Cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

de B. V.

HOMILIA VIII.

Varia sacræ Scripturæ loca, ad eandem illibatam Virginis conceptionem illustrandam, secundum mysticam intelligentiam, pulchre explicantur.

I. VM Diuus BERNARDVS beatam Virginem *Collum* appellat, non obscure nos docet, verba illa Spõsi ad Sponsam: *Collum tuum sicut Turris eburnea*, secundũ mysticã interpretationẽ de beata Virgine apte exponi posse. [*D. Bern. de Assumpt. & super Missus est. Gregor. Ven. Cant. 1. tom. 8.*] Scio RVPERTVM ABBATEM in hunc modum ea explicare: [*Cant. 7. Rup. Abb.*] *Igitur, ò dilecta, collum tuum (quod est, humilitas tua) turris eburnea, idest, fortissima est, atque pulcherrima, quam respiciens Altissimus, dedit tibi gemellos istos, dulces hinnulos, duo vbera hæc, virginitatem, & fœcunditatem*. Verum alio tendit nostra expositio; comparat enim Virginem collo, quia, sicut collum nunquam est non coniunctum capiti; nec caput nunquam est non influens vitam in collum; ita sane beata Virgo nec per momentum extitit non coniuncta capiti suo Christo Domino, neque per momentum caput hoc cessauit vitam gratiæ in illam influere; nunquam ergo peccatum diuisit collum hoc à capite suo, ad quod significandum comparauit ibidem eandem sponsus Turri Dauidis, quam (vt adnotauit GREGORIVS NYSSENVS) [*Greg. Nyss. serm. 7. in Cant.*] ad hostium aduentum præuidendum, simulq; ad irruentium impetum repellendum Rex Dauid opibus, & scientia rei militaris pollens, in monte Sion extruxerat; vnde, sicut Turrim illam adeo præmuniuit, vt Iebusæus nunquam eam dominari posset; ita sane tot Christus Dominus fortissimis diuinæ suæ gratiæ propugnaculis Matrem suam præmuniuit, vt neque potentia, neque industria, aut machinamẽta aliqua Diaboli illam expugnare, & à capite suo diuidere vnquam potuerint.

II. SED & aliter etiam explicemus hãc colli nomenclaturam, vt præsenti argumento multifariam, multisque modis inseruiat; Collum sane erat beata Virgo, sed Collum Dæmonis iugo nunquam subiectum, nec ferrea illius catena, qua omnes filios Adæ tanquam mancipia deuinxerat, oppressum; sed aurea potius diuini amoris catena, multis gratiarum gemmis, margaritisque virtutum distincta, decoratum erat, vt plane indicant verba illa eiusdem sponsi: *Collum tuum sicut monilia*. [*Cant. 1.*] Hanc ergo auream gratiæ, & virtutum catenam nos ex isto eburneo collo suspendimus. Collum enim est Maria, & ideo indifferens ad vtramque, cum neutram opinionem damnet Ecclesia; ego tamen illud præclarissimis ornamentis induam. Audio enim Habacuc dicentem: *Denudasti fundamentum eius vsque ad collum*: [*Habac 3.*] quasi diceret, quamuis cætera omnia membra fuerint gratia denudata, collum tamen, sicut & caput denudatum non est; quia nec Christus per caput, nec Maria per collum significati, diuina gratia vnquam caruere.

Cant. 2. III. Locvs etiam ille Canticorvm, qui in ore omnium versatur; *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*, præsenti argumento satis conueniens est: quia, sicut lilium oritur inter spinas, ab ipsis tamen non pungitur; ita B. Virgo, etiamsi in sua conceptione à progenitoribus peccati spinis confixis oriatur, ipsa tamen, velut cœleste lilium, peccati originalis spina confossa, aut aliqua eius punctura lacerata minime prodiit. Ita explicant hunc locum grauissimi Doctores. Nam Adamvs de S. Victore dixit: (Adam. de S. Vict.)

Salue Christi sacra Parens,
Flos de spina, spina carens
Flos spineti gloria.
Nos spinetum, nos peccati
Spina sumus cruentati,
Sed tu spinæ nescia.

Similia tradit Sedvlivs, dum ait: (Sedulius lib. 1. Paschal. carm.)

Et velut è spinis mollis rosa surgit acutis,
Sic Æua de stirpe sacra veniente Maria,
Nil est, quod laniet Matrem: hæres seruat honorem.

Plin. lib. 2. c. 19. & lib. 23. c. 4. IV. Plinivs lilii naturam describens affirmat, lilium virtutē habere efficacissimam contra leprā, contra vlcera, & contra ignē sacrum, ne proserpat, nec nō contra serpentium morsus Non secus beata Virgo, cum concepta fuerit sicut liliū inter spinas, ea diuinæ gratiæ virtute prædita fuit, vt nec peccati originalis lepra, nec antiqui serpētis morsus quidquam eam lædere potuerint. Quod, si quispiam miretur, quomodo, si Virgo lilium est, cuius tanta esse noscitur teneritudo, vt nec minimum ferat contactum cuspidis, quin perforetur, quomodo, inquā, in sua conceptione resistere potuit antiqui serpentis brachio aduersus eam sagittam vibranti? Certe id non virtuti humanæ beatæ Virginis fuit, sed virtutis illius, *qui potuit facere mundum de immundo cōceptum semine*, vt Iobianis verbis vtar. Possumus etiam non incongrue per has spinas intelligere eas, quæ capiti nostri seruatoris affixæ fuerunt, quibus suauissimum beatæ Virginis lilium præseruauit, ne illud Dæmon contrectaret, peccatorumque feræ pedib. conculcarent; vnde est illud Isaiæ: *Dabo in solitudinem cedrum, & spinam, & myrtum, & lignum oliuæ, vt videant, & sciant, & recogitent, & intelligant pariter, quia manus Domini fecit hoc*: id est: Cum in conceptione sua Mater mea sola videatur existere, ita vt nemo ei præstet auxilium, tunc manu mea circumdabo illam cedro, spina, & myrto; quæ quidem arbores (vt inquiunt Lyra, & Adamvs, & alii interpretes) quia incorruptibiles sunt, significant animam Virginis non fore peccato corrumpendam: circumdabo etiam illam oliua, quæ signum est victoriæ, vt ita Virgo victoriam de omnibus peccatis comparasse declaretur. (Iob. 14.) (Isai. 14.)

Cant. 7. V. His adnecto egregium illum Canticorvm locum: *Coma capitis tui, sicut purpura Regis iuncta canalibus.* Aristoteles dixisse fertur, hominem esse arborem inuersam, cuius radices sunt capilli: certe ad eum modum, quo radices sunt principia arboris, ad eundem principia vitæ capilli appellantur. Ait ergo sponsus: Principia vitæ Virginis, hoc est, conceptionem fuisse velut comas purpureas, ac regias iunctas canalibus, hoc est, purpureo sanguini Christi Regis Regum, veluti ostro tinctas, quia ex Christi sanguine, & meritis Mariana conceptio fuit immaculata, & ab infestatione antiqui serpentis omnino libera. Ob cuius beneficii largitatem ipsa debitas gratias Deo agens, vsurpare sibi poterat verba illa David patris sui: *In hoc cognoui, quoniā voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me. Me autem propter innocentiam suscepisti, & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.* Psal. 40.

VI. Primvm opus, quo Deus manifestauit amorem feruentem erga Matrem suam, fuit, illam ab originali peccato præseruare, ne Diabolus gloriaretur, sub peccati tyrannico iugo eam habuisse: idq; sibi volunt verba illa: *quoniā gaudebit inimicus meus super me.* Id autem, quod subdit: *Et confirmasti me in conspectu tuo in æternum*; indicat in Maria repertam fuisse copiosam illam gratiam, quam Adam perdiderat, non quasi mutuo, aut per aliquod temporis spatium datam, sed in æternum confirmatam: vnde ipsa omnes ad hoc singulare prodigium intuendum inuitans dicit: *Venite, audite, & narrabo, quanta fecit Deus animæ meæ*, quæ autem hæc fuerint, reuelauit illa Deus sancto Iob; cum illum interrogauit: *Nunquid gyrum Arcturi poteris dissipare?* Arcturus est currus cœlestis constans septem stellis, quarum prima est, mundi polus, semper fixus, & immobilis; aliæ vero ita sunt dispositæ, vt illarum tres modo superiores sint, & aliæ tres inferiores, & econtra, viceuersa moueantur. Nunquid igitur (Deus ait interrogans sanctum Iob) poteris currui clauum figere, ne ipse diurnis motibus moueatur, & quod omnes eius stellæ solum polum suū respiciant? hoc admirandū opus Deus soli sibi reseruauit, & in Maria perfecit. quod, vt recte intelligatur, notandum est: in homine septem esse stellas, & vnā earum polum, in quem illæ respicere, & intueri debent. Polaris stella est ratio, quæ fixa, & immobilis debet esse, Deo intenta semper; in anima vero sunt tres potentiæ fulgentes, vt tres stellæ, & in corpore quatuor potentiæ: Æstimatiua, phantasia, sensus communis & appetitus sensitiuus; quæ ita mouentur, vt earum quædam aliquando subsint, & obediant, aliquando exaltentur, & dominentur; nonnunquam enim appetitus rationi obsecundat, & econtra, quandoque Ratio appetitui paret: at vero in Alma Virgine Maria, currui clauum Deus affixit, ne motibus contrariis volueretur; sed omnes eius tam rationales, quam sensitiuæ, tam interiores, quam exteriores potentiæ mira pace, ac tranquillitate fruerentur; vtpote vnanimi consensu absque vlla discordia in Polum Rationis semper respicientes. Vnde merito sanctissima Virgo herbæ solis assimilatur, quæ fixas terræ radices habens, solem incessanter adeo intuetur, vt neque per momentum ab eius adspectu desistat, vnde *æmula solis* dici solet; (Ibid. Ibid. Psal. 65. Iob. 38.)

at con-

at conſtat, quod ſi peccatum contraxiſſet originale, nec Ratio ſuperior tunc dominaretur, nec inferior in officio contineretur, nec potentiæ eius Rationis Polum proſpicerent, nec ſolem iuſtitiæ inceſſanter intuerentur. Reliquum ergo eſt, dicamus, conceptam fuiſſe beatam Virginem abſque labe peccati originalis, his cœleſtibus donis animam exſpoliante.

VII. SED nec locus ille alius CANTICORVM nobis prætermittendus eſt, vbi Sponſus comparat Virginem equitatui ſuo, cum pergebat aduerſus Pharaonis currus: *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te, amica mea.* (Cant. 1.) Apta ſatis metaphora ad explicandam immunitatem B. Virginis à peccati originalis macula: ſicut n. in tranſitu maris rubri Ægyptii oēs aquis vndiq; illos obruentibus, ſubmerſi ſunt, (Exod. 14.) equitatus tamen, ſeu equeſtris exercitus Dei Iſrael ſicco pede pertranſiit, aquis ipſis ſe diuidentibus, velut in duos cryſtallinos muros, vt liberum à ſubmerſione tranſitum ei præberent: Non diſſimiliter, cum commune ſit omnibus filiis Adæ in tranſitu de non eſſe ad eſſe aquis peccati originalis ſubmergi, hoc tam ſingulari priuilegio donata fuit B. Virgo, inſtar equitatus Dei, vt non ſolum in eo tranſitu non ſubmergeretur, ſed nec aquæ illæ eam contingere auderent; vnde merito cum DAVID canere poſſet, *Cadent in retiaculo eius peccatores: ſingulariter ſum ego, donec tranſeam.* (Pſal. 140.)

VIII. SED ne à libro CANTICORVM digrediamur, alium egregium locum adiungamus, vbi ſponſus beatam Virginem alloquens, ait: *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis?* (Cant. 7.) locus hic ob id difficilis eſt, quod plerumq; calceamenta effœminatorum animos captiuarint. Vnde Deus ſemper illa videtur execratus. De Holoferne narrat ſacra Scriptura, quod *Sandalia* IVDITH *rapuerunt animam eius.* (Iudith 16.) Et ALEXANDER ab ALEXANDRO de quodam Rege commemorat, quod, cum aquila quædam per aera volitans quendam perpulchrum calceum roſtro ſuo portaret, calceus cecidit ad pedes Regis, cuius pulchritudo ita illum cepit, vt per varias ſui regni prouincias perplures nuncios mitteret, qui explorarent, cuiuſnam ille calceus eſſet, qui agnito cuiuſdam fœminæ eſſe (nomine Rodopeæ) illam in vxorem accepit. Deus tamen econtra, mille indicia ſæpe exhibuit, quib. aperte calceamenta deteſtari commonſtrauit: vnde nec amiciſſimo ſuo MOYSI calceatum ad ſe accedere permiſit, cum aderat in rubo, qui ardebat, & non comburebatur: *Solue* (inquit) *calceamenta de pedibus tuis.* (Exod. 3.) Cum etiam vir repudiabat nubere aliquam in vxorem, quæ iure erat ei nubenda, præcepit Deus, vt ipſa calceo ſui pedis poſſit illum percutere. Falſi etiam Dii hoc eodem genere ritus volentes ab idololatris coli, præcipiebant, neminem calceatum eorum templum introire, vt de templo Dianæ, quod erat iuxta paludem Meothidem, narratur.

IX. QVOD ſi rationem inquiramus, quare Deo ſint ingrata calceamenta? Eam vnanimi conſenſu tradunt frequēter Patres, quod pedes in ſacra Scriptura ſignificant paſſim prauos animi affectus; ſicut n. corpus pedibus progreditur; ita animus affectib. incedit: iuxta illud tritum D. AVGVSTINI teſtimonium, qui de affectu amoris loquens, ait: *illo feror, quocunq; feror:* (D. Aug. 1. de ciu. Dei, cap. 28.) atque hinc eſt, in ſacris eloquiis per *pedes* ſignificari varias peccatorum ſpecies. ISAIAS enim, vt oſtenderet ſuperbiam filiorum Sion, ait: *Pro eo quod eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo: & compoſito gradu incedebant:* (Iſai. 3.) Et infra auaritiam, per pedem ſignificauit; *Exſiccaui veſtigio pedis mei omnes riuos aggerum.* (Iſai. 36.) Et IOB, ad ſignificandam fraudem, & hoſtilem traditionem, eadem pedis metaphora vſus eſt, *ſi ambulauit in dolo pes meus.* (Iob 31.) DAVID eandem vſurpauit ad crudelitatem oſtendendam: *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.* (Pſal. 13.) ac tandem DANIEL, vt tyrannidem ſignificaret, dixit: *Reliqua pedibus ſuis conculcans:* (Dan. c. 7.) Praui igitur affectus, & obliquæ inclinationes, manifeſtum eſt, per pedes ſignificari: quibus ſane, quia inſidias parat antiquus ſerpens, dicitur: *Tu inſidiaberis calcaneo eius:* (Gen. 3.) & illud, *Ceraſtes in ſemita mordens vngulam equi.* (Gen. 49.) volens igitur Deus ſeruos ſuos humiles eſſe, & non ſuperbire, ſed ante oculos habere Pauones, affectuum ſuorum deformes pedes; ideo ad id ſignificandum, nolebat eum ad ſe prauis ſuis affectibus calceatum accedere, quia calceus operit maculas pedis.

X. Ex his iam gradum faciamus ad verba ſponſi intelligenda: *Quam pulchri ſunt greſſus tui, in calceamentis filia Principis:* (Cant. 7.) vt enim oſtenderet tantam eſſe puritatem ac ſanctitatem affectuum Virginis per *pedes* ſignificatorum, vt nihil in ea deforme eſſet, à quo deberet expoliari, non iubet illi ſoluere calceamenta de pedibus ſuis, ſed potius calceatam ad ſe accedere. At, ſi illa peccatum originale contraxiſſet, ingentem deformitatem, & Deo valde execrandam habuiſſet, à qua oporteret denudari, & exſpoliari, ac proinde non permitteretur, ſicut nec Moyſes, calceata accedere, ſed eius calceamenta, ſicut & illa, Deo diſplicuiſſent. (Exod. 3.)

XI. ACCEDIT ad hæc quod cum ſponſus laudet ſponſam eo, quod nullis prauis affectibus, & obliquis inclinationibus appetitus eius fuerit deturpat⁹, aperte ſatis indicat, peccati labe caruiſſe, cum hæc in eodem inſtanti commaculet animam, & appetitum effrænem, ad malum pronum reddat: vt eadē in pedis metaphora perſiſtens, indicauit IOB, dicens: *Poſuiſti in neruo pedem meum, & veſtigia pedum meorum conſideraſti:* (Iob. 13.) Cum ergo beata Virgo nullo vnquam prauo affectu, aut inclinatione ad malum, vt ſponſus fatetur, fuerit affecta, conſequens eſt, radice peccati originalis, vnde illa omnia pullulant, caruiſſe. Aliter etiam eadem verba: *Quam pulchri ſunt greſſus tui*, poſſumus explicare, (Cant. 7.) dicentes: omnes ingreſſus filiorum Adæ in mundum, turpes eſſe in oculis Dei, ex ſententia DAVIDIS: *Ecce n. in iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis concepit me mater mea.* (Pſal. 50.) Mariæ autem per Conce-

ptionem ingressus in hunc mundum, quia pulcher, & gratus Deo extitit, vtpote nulla peccati labe maculatus, sed diuinis charismatibus cumulatissimus, ideo ait illi: *Quam pulchri sunt gressus tui filia Principis.* Et quod subnectit: *in calceamentis*, idipsum magis confirmat, quia, si mysteria beatæ Virginis contemplemur, sicut assumptio gloriosa in cœlum fuit eorum finis, & corona; ita & principia extitere immaculata eius Conceptio, ac sancta eius Natiuitas: Ait igitur hæc principia, quibus, tanquam pedibus ingressa fuit beata Virgo in mundum, calceata esse, instar pedum, diuina gratia; & quidem, si vt PAVLVS ait: Ad promulgandum Euangelium voluit DEVS Prædicatores diuina gratia calceari, vt verbis ipsius vtar, *calceati pedes in præparationem Euangelii*, quanto magis id necessarium erat ad concipiendum, seu generandum Christum Dominum Auctorem ipsius Euangelii?

Cant. 7. *Ephes. 6.*

XII. ATQVE ex his inferre licet beatam Virginem obtinuisse benedictionem illam DAVIDIS ei dicentis: *Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum; ex hoc, nunc, & vsque in sæculum*; Lex quidem generalis imposita erat hominibus, vt ad exitum huius vitæ in puluerem redigerentur; iuxta illud: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*; sed ab hac lege immunis facta est Virgo, cum corpus eius nec vermibus corruptũ, nec in puluerem fuerit redactum. Alia etiã lex lata erat ad introitum vitæ, vt scilicet omnes peccato originali inficerentur; desiderans ergo DAVID, vt ab hac etiam liberaretur Deipara Virgo, ita vt in introitu portæ Conceptionis, in cuius limine corruebant omnes filii Adæ, ipsa singulari Dei protectione custodiretur: ideo dixit: *Dominus custodit introitum tuum, & exitum tuum.* Cum ergo beata Virgo benedictionem hanc Patris sui Dauid plenius, quam dici possit, receperit, merito in gratiarum actionem ob tam singulare beneficiũ vsurpare sibi potest verba illa IVDITH, quæ typum eius gessit; *viuit Dominus, quoniam custodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem. Et non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari.* Ac si clarius diceret: Gratulor omnipotenti Deo, quod filius eius magni consilii Angelus diuinæ suæ gratiæ munimine ita me protexit, vt in introitu per Conceptionem peccati originalis turpitudine non inficerer, & in discursu vitæ veniali labe non commacularer; nec in reditu ad Deum per Assumptionem in puluerem verterer.

Psal. 120. *Gen. 3.* *Psal. 120.* *Iudith. 13.*

XIII. HVC etiam facere existimo locum illum IEREMIÆ: *Virgam vigilantem ego video*: hæc est beata Dei genitrix, quæ nunquã somno peccati correpta fuit, sed semper vigilauit. Aduertere tamen oportet, quod vbi nostra Vulgata legit: *Virgam vigilantem* alia translatio vertit: *Virgam amygdalinam*, quæ recte præsenti illibatæ Conceptionis mysterio quadrat: tum, quia, sicut amygdalus prius inter omnes arbores germinat, & florescit: sic beata Virgo prius gratia, & charitate floruit, quam reliqui omnes; cum ipsa in sua Conceptione sancta, & immaculata extiterit. Alii vero post natiuitatem, vel paulo ante illam, vt sanctificati in vtero materno: tum, quia, prout referunt ARISTOTELES, & PALLADIVS de vegetabilibus; sicut ad hoc, vt amygdalus non contrahat amaritudinem, interponitur radici eius quædam virgula dulcis, & sic dulcoratur; ita sane diuina hæc amygdalus, Maria, quæ secundum legem peccati amaritudinem contrahere debebat, prohibita est per Spiritum sanctum, ne illam contraheret; dum radici illius, hoc est, Conceptioni, quæ radix est vitæ humanæ, dulcem virgulam gratiæ immisit ab omni peccati amaritudine illam præseruantem. Tandem ad præseruationem Virginis ab omni originali labe ostendendam spectare arbitror explicationem ANDREÆ CRETENSIS Hierosolymitani Episcopi super illud Iob: *expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis auroræ*; spectabat dæmon, postquam stellas, id est, sanctos omnes viderat peccato originali obscurari, spectabat, inquam, quando esset oritura lux vera Christus, quia secundum diuum BERNARDVM, & alios quosdam doctores, occasio casus illius fuit reuelatio, & prænunciatio Angelis per Deum facta futuræ diuini verbi Incarnationis: tantoque odio prosequutus est hanc solarem lucem, vt etiam Auroram illius prænunciam in principio suæ Conceptionis maculare tentaret. Diuina autem virtute factum est, vt scelestus ille nequaquam videret hanc lucem, nec ortum, & Conceptionem huius coruscantis auroræ. Vnde adeo se ostendit conspicuam, & rutilantem diuino, & angelico conspectui, vt Angeli illius splendorem admirantes, dicerent: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens; pulchra vt luna, electa vt sol?* & addunt: *sicut castrorum acies ordinata*; vt significarent, nequissimos spiritus nihil magis exhorrescere, quam beatam Virginem. Vnde merito dicere possent, quod olim Holofernis milites, cum viderunt phalanges, & turmas suas dissipatas, & omnem vincendi spem penitus amissam: *Vna mulier Hebræa fecit confusionem in domo Nabuchodonosor.* Quare non immerito putauerim diabolum post primum casum nunquam maiori confusione & verecundia perfusum, quam in Conceptione B. Virginis illius fuit. Cui honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Ierem. 1. *Iob. 3.* *D. Bern. ser. in Cant.* *Can. 6.* *Iudith 14.*

HOMILIA IX.

Ostendimus ab instanti suæ Conceptionis beatam Virginem purissimam ac pulcherrimam fuisse, atque adeo omni peccati macula carentem; in illa verba Canticorum: Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te: *quæ multiplici Patrum eruditione, variisque animi conceptionibus elucidantur.*

Cant. 4.

BEATIS-

Cant. 1.

I. EATISSIMAM Virginem ad eos, qui peccati originalis labe illam commaculant, arbitror dirigere verba illa CANTICORVM: *Nigra sum, sed formosa, filiæ Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*, quasi dicat: licet nigra sim apud vos, qui me peccati originalis nigredine deturpatam fuisse putatis, sed vestra vos fallit opinio, quia formosa, & pulchra sum, sed pulchritudine instar tabernaculorum Cedar, & pellium Salomonis, quæ licet extrinsecus deformia esse viderentur, intrinsecus tamen miram pulchritudinem abscondebant: non secus ego, licet per communem generis humani propagationem progenita fuerim, & hac ratione maculam contraxisse videar, intrinsecus tamen illius propagationis labe, quæ omnes inficere solet, nec per momentum temporis infecta, sed miris diuinæ gratiæ splendoribus illustrata fui. Ad idem etiam faciunt sequentia verba: *Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decolorauit me sol*; ac si dicat: Quamuis obnoxia sim peccato originali, sicut & reliqui omnes, atque ex hac parte fusca appaream propter debitum contrahendi hoc peccati genus, veruntamen ex diuina solis iustitiæ irradiatione ab eo præseruata, & purpureo charitatis habitu colorata sum, *quia decolorauit me sol*. Hæc ita esse, non obscure indicant verba Sponsi ad beatam Virginẽ: *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.*

Ibid. — Ibid. — Cant. 4.

II. SCIO nonnullos Doctores, hunc locum explicare de Ecclesia Catholica, sed non video sane, quomodo omnino congrua sit explicatio. Nam vel sermo est de macula peccati mortalis, aut venialis: si de mortali, certum est Ecclesiam, quæ congregationem fidelium sub vno capite visibili importat, non esse in hoc sensu immaculatam, cum multi eorum peccato lethali sint infecti: si vero sermo sit de macula peccati venialis, manifestius est, id ei non conuenire. Immo, si per figurã Synecdochen nomine Ecclesiæ militantis accipiam principaliorem eius partem, quæ iustos & sanctos comprehendit, duo hanc intelligentiam refellunt: primum, quia omnes illi nunquam carent macula peccati venialis, Apostolo IOANNE dicente: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*, tum quia, cum expresso sermone dicat Sponsus: *Tota pulchra es*; omnem præcludit aditum ad sumendam partem pro toto. Vnde diuus HIERONYMVS, & diuus AVGVSTINVS & diuus BERNARDVS videntes non ita congrue posse aptari Ecclesiæ militanti prædicta verba, exponunt illa de Ecclesia triumphanti: quam intelligentiam secutus est Honorius in Commentario huius loci, dum ait: *Ibi conspicitur amica tota pulchra, quæ est Ecclesia regnans in omnibus suis ordinibus gloriosa, & macula non est in ea, quia illa aula non recipit aliquam peccati maculam.* Verum alii doctores, quos secutus est ALANVS, & diuus BERNARDVS SENENSIS, interpretantur verba hæc de beata

Ioan c. 1. in sua Canon. — Hieron. lib. 3. aduersus Pelagianos. — Aug. lib. 1. tract. c. 19. — Beda in Cõmen. huius loci — Bern. serm. 38. in Cant. — Alanus super 4. cant. — Bernard.

Virgine, vt pulchra corpore, & pulchra anima fuerit, nullaque vnquam actualis, vel originalis peccati macula in eam irrepserit, & quidem, si vnquam hæc macula eam infecit, id certe fuit, quando verum non erat dicere: *Tota pulchra es amica mea*: quomodo autem potuit vnquam verbum veritatis verum non esse?

Senens. tract. de laud. Virg. — Cant. 4.

III. CONSONANT his præclara, quæ multi Patres nobis tradiderunt: Nam D. AVGVSTINVS inquit: *Vnde sordes in domo, in qua nullus habitator terræ accessit, solus ad eam eius fabricator, & Dominus venit?* Diuus BERNARDVS Marianam puritatem explicans, ait: *Quæ, vel Angelica puritas virginis illi valeat cõparari quæ digna fuit sacrariũ fieri Spiritus sancti, & habitaculum filii Dei?* Sed beatus ARNALDVS ABBAS Angelos supergreditur in hac comparatione, dicens: *Inter tot animas hominum, quæ saluantur, vt electa columba est vna illa sola, quæ Christum genuit, Virgo Mater, puella Maria, quæ puritate profecto Cherubim, & Seraphim antecellit.* Ac tandem Diuus ANSELMVS cumulatius Virginis puritatem commendans, ait: *Decenserat, vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit, intelligi, Virgo illa intret, cui Deus Pater vnicum filium suum, quem de corde suo æqualem ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus idemque communis Dei Patris, & Virginis filius.* Hæc ille: à quo non longe absunt verba Diui AMBROSII dum ait: *Pulchritudinem quis potest maiorem existimare decore eius, quæ amatur à Rege, probatur à Iudice, dedicatur Domino, consecratur Deo, semper sponsa, semper innupta; vt nec amor finem habeat, nec damnum pudor? Pulchritudo ista, interior est, non exterior, quæ non marcescit, neque defluit.*

D. August. lib. contra duas hæres. — D. Bern. ser. de Assump. — B. Arnald. Abbas serm. de laudib. Virg. — D. Ansel. lib. de Concept. Virg. — D. Ambr. super c. 4. Cant.

IV. VETVS est consuetudo, vt cum de probanda innocentia alicuius agitur in aliquo tribunali prius diligenter inquiratur, an culpam commiserit, postea vero promotore fiscali, illa non inuenta, declaratur à iudice liberum esse à macula, quæ ei imponebatur, atque adeo iustum, & innocentem. At contra Virgini accidisse contestantur verba proposita: Nam Spiritus Sanctus, qui supremus est iudex omnis sanctitatis, & innocentiæ, prius affirmat beatam Virginem esse pulchram, & sanctam: *Pulchra es amica mea*: & deinde ait, nullam in ea inueniri maculam culpæ: *Et macula non est in te.* Illud in hoc suspicor latere mysterium, quod duo præuidit reuocanda fore in dubium. Primum, an beata Virgo ita omni ex parte pulchra fuisset, vt nec deformitate peccati venialis infecta extitisset? Secundum, an peccatum originale contraxisset? ad primum quæsitum respondet: *Tota pulchra es amica mea*: ad secundum: *Et macula non est in te.* Responsionem vero illius secundi cum primo coniunxit, quia ex eo, quod beata Virgo omni peccato veniali semper caruerit, quod minus commaculat animam, congrue satis infertur, etiam caruisse originali, quod deformius inficit illam: si enim dedecebat Ma-

Cant. 4. — Ibid.

trem DEI legis culpa, multo magis grauis, & mortifera, cuiusmodi est peccatum originale.

V. HANC Virginis spiritualem pulchritudinem egregie adumbrauit pulchritudo corporalis Rebeccæ, Rachelis, Esther, & Iudith, quæ à principio suæ Conceptionis singulari corporis pulchritudine fuerunt decoratæ, & præsertim ESTHER, de qua legimus: *Erat formosa valde, & incredibili pulchritudine, omniumque oculis gratiosa, & amabilis videbatur, quæ placuit Regi Assuero, & inuenit gratiam in conspectu eius; tradiditque ei septem puellas speciosissimas, atque amauit eam super omnes mulieres; posuitque diadema regni in capite eius, & fecit eam regnare in loco Vasthi*: Hæc ibi. (*Esther.2.*) Per Esther, quæ interpretatur *Abscondita*, seu, *eleuata in populis*, aut, *præparata in tempore*, recte designatur Virgo Maria, tum quia fuit abscondita sub figuris in veteri Testamento; tum quia super choros Angelorum eleuata; tum quia ab æterno fuit præparata, & electa, vt in tempore gratiæ esset Mater filii Dei. Hæc igitur sacra Esther tanta pulchritudine præcelluit, vt & illam sol, & luna mirarentur. Pulchra fuit interius, pulchra exterius: interius quidem per gratiæ nitorem; exterius vero per carnis integritatem. Hæc itaque diuina Esther propter singularem hanc pulchritudinem summe placuit Assuero, qui interpretatur; *Beatitudo*; ac proinde recte præfigurat Dei filium; qui cum Deo Patre, & Spiritu sancto ipsa est obiectiua beatitudo, & tota merces Beatorum: ipso dicente: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum, & quem misisti Iesum Christum*. (*Ioan.17.*) Nec solum nostra Esther placuit Assuero, verum etiam inuenit gratiam in conspectu eius, Gabriele dicente: *Inuenisti gratiam apud Deum*. (*Luc.1.*) Septem quoque pulchræ Ancillæ illam semper concomitatæ sunt; virtutes scilicet septem, quatuor Cardinales; Iustitia, Temperantia, Prudentia, & Fortitudo; tres Theologales: Fides, Spes, & Charitas, quibus pulchra adeo in sua conceptione prodiit, vt sponsus eam compararit lunæ: *Pulchra vt Luna*; (*Cant.6.*) quibus verbis significasse mihi videtur, quod sicut sol lucis suæ irradiatione nullum planetarum, aut aliorum astrorum pulchrius, clarius, aut rutilantius efficit, quam lunam; ita inter puras creaturas diuinus sol iustitiæ nullam diuinæ suæ gratiæ radiis clariorem, ac pulchriorem reddidit, quam beatam Virginem. Atque hinc est, quod si reliquorum sanctorum gesta explorentur, maculam saltem leuem haud difficile erit inuenire, Apostolo dicente: *In multis enim offendimus omnes*; (*Iac.3.*) at si vniuersam B. Virginis vitam importuni, etiam criminatores diligenter scrutentur, nullam nec leuissimam peccati maculam inuenient. Vnde recte ei congruit illud Dauidis: *Quæretur peccatum illius, & non inuenietur*. (*Psal.9.*)

VI. PRÆVIDENS tamen Spiritus sanctus non sufficienter explicari eximiam Virginis pulchritudinem solius lunæ decori comparatam, consulto illam contulit multiplici rerum pulchritudini, vt ipsam omnes illas simul in vnum complecti ostenderet. Vnde comparauit eam pulchritudini solis. *electa vt sol*, (*Cant.5.*) pulchritudini stellarum: *Orietur stella ex Iacob*: (*Num.24.*) pulchritudini fortissimæ, & inexpugnabilis arcis: *Collum tuum sicut Turris eburnea*: (*Cant.7.*) pulchritudini nauis onustæ prospero vento nauigantis: *facta est quasi nauis institoris de longe portans panem suum*: (*Prou.31.*) pulchritudini vasis summo artificio elaborati: *Vmbilicus tuus sicut crater tornatilis*: (*Cant.7.*) pulchritudini fontis, & putei clarissimam aquam scaturientium: *fons Hortorum, Puteus aquarum viuentium*: (*Cant.4.*) pulchritudini amœnissimi Horti: *Hortus conclusus soror mea sponsa*: (*Ibid.*) pulchritudini Paradisi voluptatis: *Emissiones tuæ sicut Paradisus*: (*Ibid.*) pulchritudini sublimiorum arborum, vt Palmæ, Cypressi, & Cedri: *Quasi Cedrus exaltata sum in Libano, & quasi Cypressus in monte Sion, quasi Palma exaltata sum in Cades*: (*Eccl.24.*) pulchritudini vitis vberrimos fructus producentis: *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris*: (*Ibid.*) pulchritudini Nardi: *Nardus mea dedit odorem suũ*: (*Cant.1.*) pulchritudini lilii: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*: (*Cant.1.*) pulchritudini rosæ: *Quasi plantatio rosæ in Iericho*: (*Eccl.24.*) pulchritudini magni acerui frumenti: *Venter tuus, sicut aceruus tritici*: (*Cant.7.*) pulchritudini margaritarum & lapidum preciosorum: *Tamquam vas auri solidum, ornatum omni lapide precioso*: (*Eccl.50.*) pulchritudini flauescentis vini: *pulchriora sunt vbera tua vino*: (*Cant.1.*) pulchritudini vnguentorum aromaticorum: *odor vnguentorum tuorum super omnia aromata*: (*Cant.6.*) pulchritudini dulcissimi faui mel distillantis: *fauus distillans labia tua sponsa, mel, & lac sub lingua tua*: (*Cant.4.*) pulchritudini regalis purpuræ: *Coma capitis tui sicut purpura regis iuncta canalibus*: (*Cant.7.*) pulchritudini auium, vt Turturis, & Columbæ: *Oculi tui Columbarum: pulchræ sunt genæ tuæ sicut Turturis*: (*Cant.1.*) pulchritudini Piscium: *Murenulas aureas faciemus tibi*: (*Cant.1.*) pulchritudini gregis vberrimis pascuis enutriti: *Capilli tui sicut grex caprarum: Dentes tui sicut greges ouium*: (*Cant.6.*) (*Cant.6.*) pulchritudini inuincibilis exercitus: *Terribilis vt castrorum acies ordinata*: cuius pulchritudinem nullus inferorum hostium labefactare potest, sed potius deterritus, recedere compellitur.

VII. HINC fit pulchritudinem internam beatæ Virginis cumulatissimam fuisse, cum omnes illas simul in vnum complectatur; vt etiam testatur D. BERNARDVS: *Nihil est virtutis, quod in te non resplendeat, & quidquid singuli habuere sancti, tu sola possedisti*. (*D. Bern. ser. 4. super Salue Regina.*) Et quidem, si verum est illud, quod diuus AVGVSTINVS docet, vt reuera est, *quantum in te crescit amor, tantum crescit pulchritudo; quia ipsa Charitas est animæ pulchritudo*. (*D. Aug. to. 3. tract. 9.*) Vnde D. DIONYSIVS dixit: *Deus mittit vniuersis iustis pulchrificas fontani radii sui traditiones*; (*Dion. 4. de diuin. nom.*) facile inde colligitur, tantum internam pulchritudinem Mariæ aliorum pulchritudinem superasse, quantum amor eius amorem eorundem excessit. Memini etiam diuum AVGVSTINVM dixisse: *Sicut animus facit decus in corpore, ita Deus in animo. Decus corporis, animus: decus animi, Deus*. (*Aug. tr. 32. in Ioan.*) Vnde cum in nulla pura creatura intimius vmquã extite-

extiterit Deus, cum non solum in mente, sed in
ventre hanc Virginem ab eo inhabitandam præ-
elegisset, manifestum inde fit, (iuxta doctrinam Di-
ui Augustini) internam Virginis pulchritudinem
omnem etiam Angelicum decorem longe supe-
rasse.

VIII. Cæterum, vt id clarius innotescat, altius
(si placet) argumentum hoc repetamus ad illustrã-
dam Virginis Conceptionem. Nemo sanæ mentis
inficiabitur, hanc summi opificis mundialem fabri-
cam pulchram valde esse; hac enim ratione Græci
Mundum κόσμος vocitarunt; quod *ornatum*, *ac*
pulchritudinem significet: Pulchri sane sunt cœle-
stes orbes stellarum, lunæ, & solis ornamento de-
corati: pulchra tellus florum ac plantarum varie-
tate distincta: pulchrum mare, fluxibus, & refluxi-
bus, ac fluctuantibus vndis cunctis mirabile: pul-
cher aer, omne crystallinum corpus sua diaphanei-
tate superans: pulcher ignis, aureis flammis corus-
cans: pulchræ aues, diuersis pennarum coloribus,
purpureo, candido, rubicundo, pallido, & cæruleo
rutilantes: pulchri pisces, in quibus nõ solum faci-
em hominis, sed figuram Episcopalis mitræ, ac per-
fectam imaginem Crucis, ac plurium aliarum re-
rum ipse in exemplaribus fide dignissimis viderim:
pulchra tandem animalia, quorum pulchritudine
pellium potentissimorum etiam Principum vesti-
menta non parum exornari solent: Inter ipsa etiam
animantia pulcherrimus homo, sed & pulchriores
illo spiritus angelici; nihilo secius tamen vniuersa
hæc mundi structura non tanta pulchritudine pol-
let, vt omni defectu, ac deformitate prorsus careat.
Nam si terram contempleris, tametsi optimos fru-
ctus ferat, pessimos etiam vepretes, & spinas produ-
cit: Mare non semper tranquillum inuenies, sed
frequenter aquarum vortices superbe adeo exal-
tat, vt munitissimas quasque naues submergat: A-
er, tametsi clarus, & serenus, grassante peste, facile
inficitur: Ignis quot Ciuitates voracibus suis flam-
mis deglutierit, & in fauillas conuerterit, nullus
ignorat: Cœlum nociuo suo influxu nonnunquam
inferiora hæc mirum in modum lædere, experien-
tia ipsa quotidiana non semel docuit: De stellis Iob
Iob. 15. dixit: *Cœli non sunt mundi in conspectu eius:* Homo
denique, quem Deus pulchrum ad imaginem suam
formauit, per peccatum tantam turpitudinem con-
traxit, vt brutorum animantium similitudinem in-
Psal. 48. duerit, Davide dicente: *Comparatus est iumentis in-*
sipientibus, & similis factus est illis. Angeli etiam, non
pauci turpiores adhuc ipso homine facti sunt; de
Iob. 4. quibus Iob: *Qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in*
Angelis suis reperit prauitatem.

IX. Itaqve quãuis elementa cuncta, Terra, A-
qua, Aer, Ignis, Cœlum, Homo, & Angeli singulari
pulchritudine fuerint ab Auctore naturæ donati,
supra enarratis tamen imperfectionibus minime
carent; sola beatissima Virgo omnes puras creatu-
ras in eo valde præcellit, quod pulchritudo eius
adeo est omnibus numeris absoluta, vt minimæ
etiam moralis imperfectionis maculæ penitus sit
expers. Idque sibi volunt præadducta Sponsi verba: *Cant. 4.*
Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Pi-
ctores quidem (quantumuis peritissimi) nunquam
adeo pulchram formarunt imaginem, vt omni
prorsus defectu careret; ad quod significandum
subscriptionem illam apponere consueuere: *Apelles*
faciebat, Prothogenes faciebat: vt huius imperfecti
temporis nota sui operis imperfectionem inge-
nue faterentur; tamen pulcherrima hæc imago bea-
tæ Virginis (sic enim illam vocitat Sponsus: *Si igno-* *Cant. 1.*
ras te ô pulcherrima inter mulieres) perfecta adeo ex
manibus supremi pictoris prodivit, vt hanc ei sub- *Cant. 4.*
scriptionem apposuerit: *Tota pulchra es amica mea;*
ac si diceret; nihil perfectionis Genitrici Dei debi-
tæ in te desideratur.

X. Atqve ad eum modum, quo in rebus natu-
ralibus philosophati sumus, ad eumdem etiam phi-
losophari nobis licebit, in rebus supernaturalibus:
Quemadmodum enim licet, cum dignitates Eccle-
siasticæ conferuntur, certo pensionis onere affici
soleant; si tamen contingat filio alicuius magni
Principis conferri, donantur quidem absque vllo
pensionis onere: non dissimiliter, licet beneficia
supernaturalia, quæ Deus hominibus in hac vita
præstat, semper ab eo donentur aliqua pensione af-
fecta, confert namque quibusdam preciosam virgi-
nitatis margaritam, sed cum onere carendi fœcun-
ditate filiorum: confert aliis fœcunditatem, sed
cum onere amittendi virginitatis florem; confert
prægnantibus fœlices partus, sed nullum vmquam
absque dolore: *In dolore paries filios*: confert corpus *Genes. 3.*
bene complexionatum, sed non absque onere fu-
turæ corruptionis: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*: *Ibid.*
confert aliis pulchritudinem, ac miram venusta-
tem, sed cum eo onere, vt possint concupiscere, &
concupisci: confert aliis diuersitatem scientiarum,
sed cum onere, vt superbia possint intumescere,
Apostolo dicente: *Scientia inflat*: confert aliis ora- *1. Cor. 8.*
tionis donum, sed cum onere non semel mentis
vagationẽ, ac distractionem patiendi: confert aliis
iustificantem gratiam, sed cum onere incertitudi-
nis conseruandi illam: confert aliis, quod excel-
lentius, est, beneficium Confirmationis in gra-
tia, vt Apostolis; immo & sanctificationis in vte-
ro materno, vt Ieremiæ, & Ioanni Zachariæ fi-
lio, sed cum onere incidendi pro humana fragili-
tate in aliqua peccata venialia. Contulit aliis in-
signem fortitudinem ad vincendas omnes carnis
illecebras, sed cum onere experiendi rebellionem
sensus aduersus rationem insurgentis, Apostolo
dicente: *Video aliam legem in membris meis repu-* *Rom. 7.*
gnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege
peccati.

XI. Ac tandem, vt silentio non prætoream,
quod præsenti argumento magis inseruit, & cu-
ius gratia reliqua diximus; confert Deus om-
nibus filiis Adæ per naturalem propagationem
genitis, beneficium creationis immortalis animæ,

& æter-

& æternæ fœlicitatis capacis, ſed cum eo graui onere, vt, cum primum illa corpus ingreditur, peccati originalis macula coinquinetur: hæc, inquam, licet ita ſe habeant, tamen Deus Optimus Maximus præuidens beatam Virginem futuram eſſe eius Genitricem, conferens ei commemorata omnia beneficia, ac cœleſtia chariſmata, abſque vlla quidem penſione aut onere contulit illa; quia filia Principis erat: ſic enim illam vocat Sponſus: *Cant. 7.* *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia Principis*; contulit ei inſignem Virginitatem, ſed cum fœcunditate coniunctam: contulit maternitatem, ſed abſque violatione virgineæ integritatis: contulit fœlicem partum, ſed abſque dolore: contulit præclaram corporis complexionem, egregiamque eiuſdem compaginem, ſed abſque futuræ corruptionis onere: contulit inauditam pulchritudinem ac venuſtatem, ſed abſque periculo, vt concupiſceret, vel eſſet concupita: contulit ſcientiarum varietatem, nullis tamen erroribus expoſitam aut permixtam: contulit beneficium confirmationis in gratia, ſed abſque vllo onere prolabendi in aliqua venialia, vt ſacrum Concilium Tridentinum docet: *Conc. Trident. ſeſſ. 6. can. 23.* contulit inſignem fortitudinem aduerſus carnales motus, & concupiſcentiam, ſed ſine moleſta illa penſione, ac faſtidioſo onere rebellionis partis ſenſitiuæ contra rationalem, vt quæ omni fomitis igne penitus careret. Ac tandem, ſi eodem genere philoſophandi vtamur, conferens Deus beatæ Virgini beneficium creationis immortalis eius animæ, illud certe contulit abſque illa penſione, & vniuerſali onere contrahendi reipſa peccatum originale. Quæ omnia ſpiritu prophetico præuidens Regius Vates, in illa verba prorupit: *Pſal. 147.* *Poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te:* ſane nihil aliud excogitari poteſt, eſſe adipem frumenti, quam ſelectiorem, ac puriorem farinam, & ab omni furfure purgatiſſimam: ſignificat ergo Dauid, in eo beatiſſimam Virginem, reliquos omnes ſanctos longo interuallo antecellere, quod illi in hac vita adipem frumenti minime receperunt, hoc eſt, cœleſtium munerum farinam abſque admixtis imperfectionum furfur bus, quas humana fragilitas ſecum fert: Beatiſſima autem Virgo frumenti adipe fuit ſatiata, diuina munera abſque onere, & penſione alicuius imperfectionis in ſe ſuſcipiens, vt ſic digna eſſet Mater Dei. Cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

HOMILIA X.

Variis ſimilitudinibus, tam ex S. literis, quam ex humanis monumentis deproptis, Virginis Conceptionem immaculatiſſimam fuiſſe oſtendimus, in eadem verba: Tota pulchra es amica mea; & macula non eſt in te. *Cant. 4.*

I.  RGVMENTVM propoſitum altius repetens, admirandam illam operum ſex dierum creationem ad viuum immaculatæ Virginis miram excellentiam exprimere, ex eo mihi facile ſuadeo, quia præterquam quod ipſa apud ECCLESIAST. ait: *Memoria mea in generatione ſæculorum*: *Eccl. 24.* certe ſicut prima die creauit Deus cœlum, & terram, *Gen. 1.* quæ pariter ad fructus, quibus vtimur, producendos concurſum ſuum exhibuerunt; ſic etiam creauit Ioachim, & Annam, qui maritali affectu ex diuina ordinatione coniuncti (vt docet D. GREGORIVS NYSSENVS) *D. Greg. Nyſſ orat. de B. Virg.* fructum benedictum Beatæ Virginis in lucem ediderunt: quorum quidem nomina futuræ prolis præcellentiam non obſcure indicabant; nam Ioachim, *eleuationem Dei*, Anna vero *gratiam* ſignificat, quaſi dicerent: Deus gratia ſua eorum prolem eleuabit. Eleuauit quidem adeo, vt ad dignitatis Matris Dei faſtigium illam erigeret. In eo tamen inter alia Ioachim, & Anna valde cœlum, & terrã excelluerunt, quod hæc fœcunditate pollebant, cum fruct⁹ ſuos produxerunt; at Ioachim & Anna infœcundi erant, & ſteriles; *Erat enim*, vt habetur in GENESI, *terra inanis & vacua*, *Gen. 1.* & ſubditur, *& tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*. *Ibid.* Erant quidem ob ſterilitatem tenebræ afflictionis, & confuſionis ſuper faciem Ioachim, & Annæ; quia, vt dixit IVVENALIS:

Præterea tormentum ingens nubentibus hæret. *Iuuen. ſat. 3.*

In eo tamen perſimiles fuere cœlo, & terræ, quod abſque vlla libidine etiam licita (prout inter coniuges contingit) beatam Virginem generarunt; vt tradit GALATINVS, *Galat. l. 7. cap. 8. de arcan. Cathol. verit.* dum ait; illos conueniſſe inſtar primorum parentum in ſtatu innocentiæ, hoc eſt, abſque perturbatione rationis, & ſine libidinis ardore, ac extra omnem fœditatem. Et D. EPIPHANIVS & DAMASC. *Epiph. hær. 78.* *Damaſc. l. 4. c. 15.* affirmant, generationem illam fuiſſe valde miraculoſam, vtpote ex parentibus ſenili ætate prouectis.

II. SECVNDA die dixit Deus: *fiat lux*, *Gen. 1.* per quam egregie B. Virgo adumbratur: tum quia, ſicut ibi ſacer textus ait, Deus ſeparauit lucẽ à caligine tenebrarum; *& diuiſit lucem à tenebris*; *Ibid.* ita B. Virginem longe adeo ſeparauit à peccatorum tenebris, vt caligine peccati originalis, qua oẽs filii Adæ in puncto conceptionis ſuæ obſcurantur, ipſam nec per momentũ inuolui permitteret, vt non immerito de ea dicere liceat: *& tenebræ eam non comprehenderunt*: *Ioan. 1.* tum quia, ſicut ex luce format⁹ fuit ſol, vt non pauci Doctores docuerunt cum MAGISTRO SENTENTIARVM, *Mag. ſent. & alii in 2. diſt. 13.* ita Sol iuſtitiæ Chriſtus Dominus ex Virgine, tanquam ex ſplendidiſſima luce proceſſit ipſa dicente: *Ego feci, vt oriretur lumen indeficiens.* *Eccl. 24.* Videbatur certe cõuenientius prius produci ſolem, qui fons eſt totius luminis, deinde lucẽ; at, cum econtra factũ fuerit in prima rerũ creatione, id myſterio vacare minime poteſt. Ego ſane illud latere puto, quod in illa creatione adumbrabat creator recreationem, & reparationem eiuſdem; vnde quia futurum

rum erat, vt Sol iustitiæ Christus ex matre nasceretur immaculata, ideo ad id delineandum voluit Deus, vt sol ex luce splendidissima, quasi ex matre nasceretur: tum tandem, quia, sicut lux, etiamsi per immunda loca transeat, nihil prorsus inquinatur; ita B. Virgo, etsi naturali propagatione per progenitores suos peccatorum maculis infectos transierit, ipsa tamen instar lucis, omnis inquinamenti expers semper fuit.

D. August. super Gen. ad lit.

III. TANDEM quia D. AVGVST. lucem, quam tunc Deus creauit, describens dixit: *Lux est simplex, summe multiplex, summe mobilis, penetrationis magnæ, minimæ resistentiæ, summe disparia generans, & concilians, summe conuertibilis, omnis naturalis motionis principium, summe perfectibilis, summe iucunda, summe communicabilis: vnde luce in corporibus nihil est vtilius, nihil communius, nihil pulcrius, nihil velocius, nihil subtilius, nihil impassibilius, nihilque virtuosius inuenitur.* Sane mirabiles isthæ lucis proprietates inaudita ac ineffabilia beatæ Virginis præconia nos edocent. Illa enim fuit summe simplex, ea columbina simplicitate, de qua Christus Dominus: *Estote simplices sicut columbæ:* fuit multiplex in filiorum spiritualium procreatione, IOB dicente: *multiplex erit semen tuum*, de quo semine multi intelligunt verba illa Genesis: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum ac semen illius*, hoc est, inter aduersarios Virginis, qui sunt semen Diaboli & inter fideles, & obsequentes Mariæ seruos qui sunt semen illius. Est etiam non solum multiplex, sed mobilis, ita vt ad solum nutum Dei in omni sua actione moueretur, vnde SAPIENS dixit: *Est enim in illa spiritus intelligentiæ, sanctus, vnicus, certus, suauis, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus*: hæc ibi: est etiam summæ penetrationis respectu electorum, quorum corda penetrans profundissimas in eis suæ deuotionis mittit radices, iuxta illud: *In Israel hæreditare, & in electis meis mitte radices*: quod autem subdit: *& minimæ resistentiæ*, eximiam eius clementiam, ac maternum Virginis amorem significat, quæ instar piæ matris filiorum precibus ad eam confugientium nescit resistere: Ipsa item disparia conciliauit, dum Deum & hominem generans distantissima extrema vnitate personæ coniunxit, & inimicitias inter Deum & genus humanum composuit.

Matth. 10.
Iob. 5.
Gen. 3.
Sap. 7.
Eccles. 24.
Gene. 1.

IV. Secunda die posuit firmamentum in medio aquarum superiorum, & inferiorum: non dissimiliter Deus, vt est auctor gratiæ, posuit B. Virginem, tanquam cœleste firmamentum, inter aquas superiores firmas & immobiles, qui sunt beati, & aquas labiles, ac fluxui, & mutabilitati obnoxias, eiusmodi sunt viatores: vnde sicut medium participat conditionem extremorum, ita beata Virgo cum beatis fruebatur securitate diuinæ gratiæ, cum viatoribus merendi virtute, & potestate pollebat: cum beatis exultatione & amoris ardore flagrabat, cum viatoribus cordis compassionem exercebat: cum beatis Moyse & D. Paulo clarius diuinam essentiam non semel vidit, cum viatoribus vero in dies maiora fidei incrementa suscipiebat,

Gen. 1.

V. TERTIA die dixit Deus: *Congregentur aquæ in locum vnum*, quarum congregationem vocauit, Maria: ad eundem modum B. Virgini diuinitus hoc nomen MARIA, impositum fuit, quia gratiarum fluenta in ea erant simul in vnum congreganda: vt enim dixit D. HIERONYMVS: *cæteris per partes; Mariæ autem tota se infudit gratiæ plenitudo.*

D. Hieron. serm. de Assumpt.
Gen. 1.

VI. QVARTA die produxit Deus solem & lunam; illum *luminare maius*, hanc *luminare minus* appellauit; & merito, quia luna totam suam lucem a sole mutuat. Hoc etiam mirabile opus auctoris naturæ præterquam illud stupendum diuinæ incarnationis in vtero Mariæ factum prosignificauit. Sol enim iustitiæ, Verbum scilicet diuinum, & humanitas per lunam significata Spiritu sancto cooperante coniuncta fuere. Verbum diuinum est luminare maius, humanitas luminare minus, quod ab ipso Verbo omnem suam lucem, ac splendorem accepit: præter hoc, inquam luminare illud maius & luminare minus Christum & Mariam prænotarunt, hæc enim velut luna a Sole iustitiæ Christo totam suam lucem mutuauit: in eo tamen valde dissimilis fuit lunæ (quod & Marianam excellentiam non parum commendat) quod illa non semel eclypsim patitur ex interpositione terræ inter solem & ipsam: Beata autem Virgo, in qua nullus terrestris affectus vnquam dominari permissus est, eclypsim nunquam agnouit.

Ibid.

VII. QVINTA die fecit Deus volucres, & pisces: illa incredibili velocitate, hos tali conditione præditos, vt vastissimi aquarum gurgites eos suffocare nequeant. Non dissimiliter Deus beatam Virginem condidit tam singulari velocitate præstantem, vt infestissimi etiam accipitres (Dæmones intelligo) in puncto Conceptionis peccati originalis vnguibus illam dilaniare tentantes, non solum non comprehenderint, sed nec ad illam appropinquare potuerint. Altissimus namque tanto suæ gratiæ fauore eam præmuniuit, vt inter medias propagationis humanæ aquas, quibus omnes filii Adæ, cum primum concipiuntur, suffocantur, ipsa instar piscium suffocari non potuerit.

Ibid.

VIII. ET sicut sexta die hominem, quem creauit, constituit dominum reliquorum omnium; sic certe beatam Virginem in Angelorum Dominam, & cœlorum Reginam, & vniuersi Imperatricem elegit, ECCLESIA CATHOLICA canente: *Aue Regina cœlorum, Aue Domina Angelorum.*

Ecclesia in offi. diuino.
Gen. 2.

IX. SEPTIMA, & postrema die requieuit Deus ab omni opere, quod pararat; ita factus homo in postrema mundi ætate in vtero Virginis requieuit, vt & ipsa testatur: *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Sanctus IOANNES DAMASCENVS non longe ab hoc laudationis genere discedens, Virginem vocauit *animatum cœlum*; & merito, quia quemadmodum cœlum incorruptibile est, & ideo non patitur peregrinam aliquam impressionem; sic Virgo nullam peccati infectionem passa est: erat namque cœlum, ex quo Sol iustitiæ egressus

Eccl. 24.
D. Damas. serm. de Assumpt. B. Virg.

1. Cor. 15. nus erat, iuxta illud PAVLI: *Secundus homo de cœlo cœlestis*, id est, de Virgine cœlesti, incontaminata, purissima, ac libera ab omni peregrina peccati impressione: vnde sicut in materia cœli priuatio cœlestis formæ nunquam extitit; ita in Mariam diuinæ gratiæ priuatio, quæ per culpam originalem induci tur, nunquam irrepsit; cuius sane non leue indicium esse arbitror, quod totam vitam absque leui etiam macula traduxerit, nullaque eius cogitatio, aut actio à rationis regula deflexerit.

X. EXPERIENTIA docet, quod si rami sunt optimi, radicem oportet optimam esse: sicut enim, quando talpa, vel vermis radicem arboris corrodit, rami siccari solent; sic infecta radice per peccatum, non potest non aliquis ramus infectus nasci. Econtra vero si radix sancta est, & ramos sanctos esse oportet, quare cum rami sancti fuerint, etiā radix, & principiū debuit esse in Virgine sanctum: Radix enim fuit ab instanti suæ conceptionis de terra sitienti, rore diuinæ gratiæ fœcundata, atq; adeo ab omni macula tunc præseruata; alioquin Filius Dei minime illam corporaliter postea inhabitaret. Etenim si Arminius (vt vnanimi consensu referunt ARISTOTELES, & PLINIVS) Aristot. & Plinius de hist. anim. adeo mundus est, vt si in limine speluncæ suæ lutum apponatur, canibus illum insectantibus, à venatoribus potius se capi patiatur, quam quod domum suam ingrediens illam inquinatam inueniat: vnde insigne illud Arminii Epitaphium in Arminij Epitaph. ore omnium versatur: *Malo mori, quam fœdari*; si animal, inquam, hoc rationis expers munditiam ardenter adeo amat, quis auctorem munditiæ sibi persuadeat in ventrem illum fuisse ingressum, si speluncæ portam, hoc est conceptionē, quæ velut vitæ humanæ porta est, peccati originalis luto fœdatam præuidisset? Absit: Qui enim corpus eius virginitatis pudore integrum esse voluit, quia in illo per nouem menses habitare decreuerat, animam, in qua semper habitaturus erat, peccati corruptione deflorari pmisisse arbitrabimur? Absit.

Mag. sent. 2. dist. 21. XI. HVC etiam facit, quod MAGISTER SENTENTIARVM acute dixit indignum fuisse, vt Diabolus appareret primis parentibus sub forma columbæ, cum postea sub ea Spiritus sanctus foret apparlturus: *Si permitteretur*, inquit, *in columbæ specie venire maluisset, sed non erat dignum, vt spiritus malignus illam formam homini odiosam faceret, in qua Spiritus sanctus appariturus erat.* Si ergo Spiritus sanctus minime sumpturus carnem ex columba, noluit illam à spiritu immundo inhabitari, quia ipse decreuerat sub columbina forma mundo aliquando apparere, quomodo, quæso, quispiam credat, Filium Dei ex Virgine carnem sumpturum, pmisisse eam ab immundo spiritu peccato originali illam maculante, prius inhabitari? Deinde, si indecens quidem esset corpus virginis alicuius denudari, quod adeo verum est, vt cum ciuitatis cuiusdam Virgines nescio quo furore cor-Aul. Gel. reptæ se occiderent, (vt refert AVL. GELLIVS) hoc remedium ad eas reprimendas gubernator adhibuit, vt quæ se occiderent, nudæ in plateis su- lib. 15. spenderentur; at ipsæ, quia honestissimæ erant, nu- Noct. Att. ditatem sui pudoris exhorrescentes à tanto furore se coercuerunt, & ab eo die, quo lex illa promulgata fuit, nulla deinceps mortem sibi intulit. Si ergo corpus cuiuscunque virginis denudari, inhonestum est, quanto erit magis indecorum virginum Virginem, quæ Dei Genetrix futura erat, gratiæ veste denudatam in suam conceptionem mundum ingredi? non sic, non sic, sed præclarissimis gratiæ ornamentis induta, velut Reginam Angelorum, & Dei Matrem decebat, ingredi.

XII. FERVNT PROTOGENEM arte pingendi peritissimum imaginem quandam inter cæteras ab illo depictas primum tenentem locum ingenti pulchritudine præditam, miroque ornatam artificio, septem annorum spatio depinxisse, & illis septem annis in cibo & potu parsimoniam seruasse, vt ita ingenium eius aptius esset ad illam effingendam; feruntque eam viuis coloribus quater exornasse, ne temporum iniuria colorem, & splendorem amitteret; adeoque ea cura ac diligentia opus illud euasit insigne, vt eius causa Rex Demetrius Rhodos Insulam oppugnare noluerit, quia si ingredi voluisset Insulam, ea parte necessario bellum erat ineundum, in qua imago illa collocata erat: vnde maluit ciuitatem illam inexpugnatam relinquere, quam illud pretiosum, ac eximium opus destruere. Postea imago hæc in Romanorum potestatem venit, & Pacis Templo consecrata est; quam videns insignis APELLES raptus in admiratione exclamauit, dicens: *O eximiū opus, miræ res, summus labor, artificium maximum, sed deest illi gratia, quam si habuisset, proculdubio foret immortalis.* Gloriabatur Apelles, quod, nescio, quid gratiæ imaginibus tribueret, quod alii præstare non valebant; eximium certe opus Dei, imagoque omnium præstantissima fuit Virgo sanctissima, in qua depingenda non per septem annos, sed per quadraginta duas generationes ipse moratus est, eam effingens in Patriarchis, Regibus, & aliis eius maioribus, ac postea virtutum, ac donorum Spiritus sancti coloribus, eam illustrans. Hanc pulcherrimam imaginem DEVS in die Conceptionis in theatrum mundi producit, vt ab omnibus inspiciatur. Absit ergo, vt quispiam defectum aliquem ipsi attribuat, aut illi gratiam, vel vno tantum temporis momento defuisse affirmet. Maxime cum artifex omnium peritissimus laudet illam dicens: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*: eamque præ omnibus aliis tan- Cant. 4. ti faciat, vt licet cæteræ omnes imagines obscurentur peccati litura, hanc tamen omnino incolumem esse voluerit.

XIII. REFERT PLVTARCHVS; Romanam quandam matronam à Zeuxi postulasse, vt sibi ima- Plutar. in suis Apoph. ginem aliquam ex multis ab eo depictis donaret: ille optionem dedit, vt quam mallet, acciperet: at

ipsa

ipsa respondit, melius esse, vt ipse, qui pingendi arte peritior erat, illã eligeret. Zeuxi vero renuente, illa hoc vsa est artificio, vt exploraret, quamnam illarum imaginum pluris ille æstimaret: vocauit quẽdam illius seruum, qui Zeuxi mendaciter diceret; omnes eius imagines igne repente suborto accendi; detulit nuncium seruus, & confestim illo audito, exclamauit Zeuxis: *seruate mihi Adonidem, seruate mihi Adonidem:* quibus verbis demonstrauit, Adonidis imaginem maxime omnium ab illo æstimari, cum eam saltem voluisset in eo incendio incolumem manere, etiamsi aliæ igne absumerentur: sic etiam Deus Optimus Maximus solam hanc Virginis imaginem, licet alias omnes incendio generali peccati originalis concremari permiserit, liberam, & incolumem eam esse voluit, quasi dicẽs: *Seruate mihi Mariã*, sicut Zeuxis; *seruate mihi Adonidẽ.* nec id sane mirum videri debet. Nam si (teste eodem Plutar.) noluit Cæsar Augustus Alexandriã æquari solo, eo quod ab Alexãdro ædificata fuerat, quomodo Deus Virginẽ quam fundauit ipse, iuxta

Psal. 86. illud: *Et ipse fundauit eam Altissimus*, à Dæmone oppugnari ac destrui pateretur? Quod si etiam ipse

Plutar. de Alexand. Alexander Magnus (vt asserit idem PLVTARCHVS) templũ Dianæ Ephesinæ inter septẽ orbis miracula numeratũ euertere noluit, quia erat templum dicatum Deæ Puritatis, cũ tamẽ cætera templa euertisset; quĩ fieri poterat, vt templũ Virginis, quæ Dea (si fas est poetico more loqui) puritatis est, ac sanctitatis, euerteretur per peccatum originale, aut in templo Dei sacrificiũ aliquod dæmoni offerretur? posset enim, si Virginis templum aliquo peccato fuisset pollutum, gloriari quidem ipse in Virgine sibi oblatum fuisse sacrificium.

XIV. MEMORIA dignum est illud, quod refertur

1. Mach. 4. 1. MACHABÆORVM fecisse Iudas: *Cogitauit*, ait sacer textus, *de altari holocaustorum, quod prophanatum erat, quid de eo faceret, & incidit illis consilium bonum, vt destruerent illud, ne forte illis esset in opprobriũ, quia contaminauerunt illud gentes, & demoliti sunt illud.* si ergo opprobrium erat Iudæ offerri holocausta Deo in altari à gentibus polluto; quanto maius esset Domino, si altare Virginis ipsi consecratum, à Dæmone aliquando peccati originalis macula pollu-

Deut. 7. tum fuisset? Quod etiam alio eiusdem S. Scripturæ simili exemplo sic declaro: Nã si Deus ex auro Idoli, quod fecerãt Israëlitæ, noluit fieri vasa ad templi honorem, ac splendorẽ, vel ad templi ministeria necessaria, non quia aurum Idoli optimum nõ esset, sed quia erat aurũ Idoli; quanto minus ex Virgine,

Cant. 4. si Dæmonis per peccatum fuisset Idolum, voluisset Deus vas pretiosissimum fieri, vbi manna diuinitatis reconderetur? & si indecens est, vt ex linteo, quod in coquina ad abiectissima deseruit munia, sacra fierent corporalia ad Missæ sacrificium in illis offerendum; indecens etiam esset, ex Virgine, si Dæ-

Plutar. in suis Apoph. moni deseruisset, corporalia sacra fieri, vbi Christus Sacerdos summus offerret oblationem Patri. quare, cum ipse posset eam mundam eligere, nulla ratione immundam elegisse credam: potuisse autem quis negat? habebat enim Christus maiorem potentiam ad defendendam Virginem, quam Dæmon ad illam offendendam. quemadmodum enim, si adamas inter duos magnetes poneretur, qui maiorem haberet virtutem, & proximior esset, adamantem ad se traheret, sic in Virgine contigit, quæ in conceptione sua fuit velut adamas inter duos magnetes positus, Christum scilicet, & Dæmonem; à Christo tamen, quia & magnus maioris virtutis, & quia erat Virgini proximior, iuxta illud: *De qua natus est Iesus*, vehementius attracta fuit: maiorem ergo vim habuit gratia Christi ad Virginem ad se alliciendam, quam peccatum ad illam inficiendam. Matth. 1.

XV. VERVM quia humana ruditas in eo semper hæret, qui fieri possit, vt, cum beata Virgo ex progenitoribus peccati labe infectis descẽdat, nullam ex eis infectionem participaret? his, quæ sequuntur, exemplis edoceri, & manuduci potest. Obseruarunt non semel Nautæ, flumina quædam tam veloci, ac rapido impetu mare ipsum ingredi, vt amaritudinem maris nullam contrahentia, dulces aquas secum ferant: ad eundem modum diuina virtute factum est, vt pertransiens B. Virgo per salsum illud mare suorum progenitorum amaritudine peccati infectorum nihil huiuscemodi amaritudinis contraxerit. Tradit etiam Philosophus in Meteoris, si vas ex cera virginea confectum, & vndique clausum in profundum maris immittatur, aqua repleri dulcissima, longeq; à se marinæ aquæ amaritudinem, aut salsedinem propulsare. Non dissimiliter vas virgineum Mariæ, vndique Diabolo clausum, in mare huius sæculi per naturalem propagationem immissum, omnem peccati amaritudinem longe à se repellens, dulci solum diuinæ gratiæ aqua repletum fuit; vt postea Angelus ei dixit: *Aue gratia plena.* Item sicut (non paucis rerum naturalium Historiographis id attestantibus) salamandra in medio ignis posita non comburitur; ita Virgo sanctissima inter parentes peccati originalis igne adustos posita, nec minima illius scintilla offenditur: & sicut herba, quam Græci vocant Adyantum, vt iidem historici docent, quamuis in medio puteorum nascatur, ac truncus & radices inter aquas sint, rami tamen illius neutiquam aquas contingunt, puteorum aqua quantumcunque magis, ac magis crescente: ita, quamuis progenitorum beatæ Virginis truncus, & radices, vnde ipsa oritur, peccati originalis aquis fuerint submersi, illum velut adyanti ramum infectæ huiuscemodi aquæ nunquam tetigerunt. Arist. 2. Meteor. Luc. 1.

XVI. QVOD si ad rerum artificialium structuram mentis aciem conuertamus, reperiemus, quod licet aurifices puluere, fumo, immo & carbonis nigredine fœdati sint, ex detur patis tamen eorum manibus, ac turpibus, & impolitis instrumentis vas aureum, aut argenteum miro artificio elaboratum, ac purissimum prodit, vt diuus AMBROSIVS no- D. Ambro.

sup.1 Mat. tauit: Non secus, licet B. Virginis progenitores, qui fuerunt velut aurifices, qui aureum hoc vas beatæ Virginis elaborarunt, peccati originalis nigredine deformati fuerint, ipsa tamen è manibus eorum prodiens, nec minimam illius nigredinis labem secum tulit: cum enim esset vas, in quo cœleste manna diuini verbi incarnati collocandũ erat, oportebat certe nullo antea turpi, ac mortifero liquore fuisse coinquinatum, ac tandem eidem difficultati apte responderi potest per verba illa DAVIDICA: Psal. 28. *vox Domini intercidentis flammam ignis:* sicut enim Deus nouit, & potuit flammam ab igne diuidere, & calorem à luce, & econtra lucem à calore separare: Dan. 3. in camino namque illo Babylonico ignis illuminabat pueros, sed non calefaciebat; ecce diuisionem lucis à calore: In inferno autem diuidit calorem ignis à luce, cum ignis ibi comburat, sed non luceat; sic sane omnipotentia sua nouit Deus diuidere naturam humanam Virginis per naturalem propagationem ab Adam traductam ab infectione, & macula peccati originalis, diuina Spiritus sancti gratia illam præueniens. Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum Amen.

HOMILIA XI.

In honorem immaculatæ Conceptionis Deiparæ Mariæ erudite explicantur verba illa Canticorum: Cant. 6. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens; pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis, vt castrorum acies ordinata.

I. CONSVEVERE Astrologi felicem sortem alicuius ex puncto Conceptionis, seu natiuitatis augurari, volentes eam ex beneuolo adspectu astrorum venari. Vnde SVETONIVS scribit, Suet. in vita Cæsaris. illum in stemmata, & insignia sua accepisse figuram, quam magnus Astrologus Diogenes in natiuitatem eius ediderat, in qua animal quoddam descripserat semicapram, & semipiscem, significans in hoc duo hæc astra capricornum, & piscem, in eam natiuitatem concurrisse. Depinxit etiam inter pedes huius animalis globum, & gubernaculum nauis, nec non & cornucopiam, vt globo mundũ, gubernaculo sceptrum regium, cornucopia diuitiarũ abundantiam significaret, quibus feliciter Cæsari fruendum erat. Vt tamen hanc fatalem felicitatem ostenderet Cæsar à principio sui natalis secum cœpisse, & ineuitabilem esse, vt falso ipse putabat, voluit pro stemmatibus prædictam figuram accipere. Certe si nos tanquam Catholici astrologi explorare cupimus punctum Conceptionis Virginis, reperiemus fauorabilem adeo ei fuisse solis aspectum, vt nulla peccati nebula eam obscurari pateretur: Ingressus est enim tunc sol in signum Virginis, dicente IOANNE: *Signum magnum apparuit in cœlo; mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Apoc. 12. Ecce describit Virginem à capite vsque ad pedes vndique perlucidam, ac fulgentem, vt significet, à principio vsque ad finem gratiæ splendore semper coruscasse; Cuius tam singularis excellentiæ admiratione rapti Angeli dixerunt: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Cant. 6. Inprimis comparant illam auroræ, quia sicut hæc lucens incipit esse, & in luce crescit, quoadusque fulgenti soli coniungitur, sic immaculata Virgo in puncto, vt concepta fuit, cœpit diuinæ gratiæ luce clarere, & in hac claritate in dies succrescens, tandem cum Sole iustitiæ Christo Domino in cœlesti beatitudine miris gloriæ decorata fulgoribus fuit coniuncta. Atque huc faciunt verba illa DAVIDICA: *Adiuuabit eam Deus mane diluculo.* Psal. 45.

II. SANE quosdam sanctos adiuuit Deus ad occasum solis, vt bonum latronem; alios tardius, vt Magdalenam; & alios in meridie, vt martyres, qui in feruore persecutionũ fideles inuenti sunt: alios adiuuit hora tertia, vt Apostolos, qui primitias spiritus habuerunt: aliis opitulatus est mane, vt Ieremiæ, & Baptistæ, ab vtero materno eos sanctificãs; hucusque progressa fuerat diuina gratia in subleuanda hominum miseria; tamen vt adiuuaret Virginem, non solum mane surrexit, sed *mane diluculo* eam præliberans, & præseruans in puncto conceptionis suæ à macula culpæ originalis. Obseruare etiam oportet circa eundem locum, quod vbi nostra vulgata legit: *Adiuuabit eam Deus mane diluculo,* Ibid. alia versio habet: *Adiuuabit eam ab aurora matutina:* hoc est, cum primum illud mirabile factum est, vt in principio auroræ Conceptionis Deiparæ Mariæ præter communem ordinem humanæ conceptionis diuinæ gratiæ noua lux oriri visa sit, vt habetur Esther 8. Noua (inquam) secundum intensionem, quia copiosior gratia fuit illi collata in principio suæ formationis, quam reliquis sanctis in fine vitæ illorum: noua etiam, quia nemini vnquam contigit in media caligine Conceptionis humanæ, diuinæ gratiæ luce perfundi, nisi soli beatæ Virgini; vnde recte ei congruit illud IOANNIS: *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt,* Ioan. 1. hoc est, in medio tenebrarum Conceptionis, vbi nemo vnquam vidit lucem, noua hæc diuinæ gratiæ lux emicuit; hincque factum est, vt tenebræ caliginosæ noctis peccati originalis eam comprehendere non potuerint. Quare, sicut in constructione mundi, quod primo effecit DEVS, fuit lux, dicens: *Fiat lux, & facta est lux,* Gen. 1. in eaque adeo sibi complacuit, vt dicat sacer textus: *& vidit Deus lucem, quod esset bona, & diuisit lucem à tenebris:* Ibid. sic Deus in constructione beatissimæ Virginis, hoc est, in eius Conceptione,

primum quod effecit fuit lux diuinæ gratiæ, quam Virgini inesse tantopere Deus sibi complacuit, vt illam à tenebris peccati diuisam semper permanere voluerit. Etenim, quamuis ita sit, quod in aliis iustis lux gratiæ diuisa sit à caligine peccati mortiferi, cum quo habet intrinsecam incompassibilitatem, non tamen diuisa est, & maxime per longum tempus à tenebris peccatorum venialium, à quibus nemo immunis viuit, iuxta illud IACOBI: *In multis offendimus omnes*, & illud IOANNIS: *si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*: tamen in B. Virgine illud mirabile fuit, ob præseruationem à peccato originali, quod sic Deus diuisit lucem à tenebris, vt nec minima vnquam peccati venialis obscuritate obnubilata aliquando fuerit. Vnde de beata Virgine altius verificatur illud GENESEOS: *Vidit Deus lucem, quod esset bona, & diuisit lucem à tenebris.*

Iacob. 3. 1. Ioan. 1. Gen. 1.

III. ADDIT etiam Regius Vates: *Deus in medio eius non commouebitur.* Nullum beneficium maius excogitari potest, quam quod DEVS nunquam ab anima recedat; sicut econtra nullum maius exectandum malum ei accidere potest, quam quod DEVS ab illa absens fiat: hinc per Prophetam ait. *Væ eis, cum recessero ab eis.* Non ignorabant Gentiles illi Tyrii, de quibus narrat CVRTIVS, fortissimis vinculis Dei sui Apollinis statuam imagini Herculis, qui eorum aduocatus erat, obligasse, vt si quandoque contingeret Apollinem velle ab eis recedere, Herculis fortitudo eum persistere compelleret: opinabantur enim illi Deos facile se conferre ad absentes, qui eos multis precibus vocitassent, vt eorum prouincias protegerent. Vnde Romani, vt auctor est CHARTARIVS maximam adhibuerunt curam, vt nomen Dei tutelaris, cuius patrocinio specialiter Romana ciuitas commendata erat, omnino ignoraretur, ne incolæ aliarum prouinciarum possent illum euocare. Si ergo summa infelicitas est, recessus Dei ab anima, felicissima sors beatæ Virgini contigit, in qua semper Deus inhabitauit, & in qua permanenter adeo pedem fixit, vt non solum non recederet ab ea per peccatum originale aut mortale, sed neque commoueretur leui aliquo veniali, DAVIDE dicente: *Deus in medio eius non commouebitur.* Vel aliter eadem verba explicemus, dicentes, quod aliquando Deus ab anima discedit, aliquando non discedens, in illa mouetur. Discedit quidem per peccatum mortale; mouetur, quasi qui ad discessum appropinquat, per peccata venialia, quæ ad mortalia disponunt. De Virgine igitur ait DAVID: *Deus in medio eius non commouebitur*, hoc est, non solum per peccatum mortale ab illa non discedet, sed neque per veniale commouebitur.

Psal. 45. Ose 9. iuxta vulg. Chart. l. de Imaginib. Psal. 45. Ibid.

IV. SVBIVNGVNT deinde Angeli: *Pulchra vt luna*; quia sicut luna in primo instanti suæ creationis fulgentissimis solis radiis cœpit irradiari; ita sacratissima Virgo in puncto suæ Conceptionis solis iustitiæ clarissimo lumine illam irradiante, cœpit diuinis fulgoribus coruscare. Vnde sicut luna in sui creatione tenebras nesciuit; ita & Virgo in sua Conceptione peccati originalis caliginem ignorauit. Obseruaui non semel, quod cum pulchra aliqua imago depingitur, si forte tabula felicis ac bonæ lunæ tempore ab arbore præcisa non fuit, scissuras patitur, quod Hispanicè dicitur: *quiebra Haze vizio.* Si tamen econtra præciditur, vigente (vt aiunt) bona luna, solida manet semper absque rimula vel scissura; ita certe philosophari nobis licebit in hunc modum: beata Virgo fuit cœlestis quædam imago supremi pictoris arte confecta, catholicaque fides nos docet, nullam vnquam nec leuis peccati venialis scissuram substinuisse; fuit ergo præcisa vigente bona, ac felici luna, quod Hispanice dicitur: *fuè cortada in buena luna, ò que el corte de su Concepcion fuè en dichosa luna*: constat autem, quod si peccati originalis macula in sua Conceptione deturpata fuisset, infelici potius, & aduersa luna influente concepta extitisset. Idque sane est, quod valde Angeli admirantur, vt præter communem omnium Conceptionem maculam ipsa nullam contraxerit, & ideo aiunt: *Quæ est ista, quæ progreditur, pulchra vt luna?* obseruaui rursus (idque ingenti admiratione dignum esse reor,) quod tempore noctis, quanto luna clariorem ac lucidiorem se ostentat, tanto canes altiori voce, & rumore contra illam oculorum aciem intendentes oblatrant: cuius rei rationem inuestigans, inueni ALCIATVM in quodam suorum Emblematum illam reddere: Ait enim, canem inspicientem lunam videre in illa, quasi in splendenti speculo suam propriam imaginem, ac figuram, indeque imaginatur adesse ibi alium canem similem sibi, & ideo oblatrat, vt frequenter consueuerunt canes, cum alios vident. Verba Alciati hæc sunt:

Cant. 6. Ibid. Alciat. in Emblem.

Seque videns, alium credit inesse canem.

Tamen luna intrepide nihil omnino eius oblatratione præpedita progreditur vlterius velocè suum motum peragens: non dissimiliter accidit Virgini: clamant quidem nonnulli aduersus pulchritudinem & claritatem immaculatæ eius vitæ, peccatum etiam actuale ei obiicientes, quam pulchram vt lunam compellat diuinus Sponsus, quia videntes illam similem sibi in natura, & in ratione habendi illam per naturalem propagationem, imaginantur conspicere in ea, atque in seipsis rabidum canem peccati originalis & actualis:

Seque videns, alium credit inesse canem.

At beata Virgo nihil pendens hanc falsam calumniam, progreditur vlterius, profundiores in dies huius veritatis radices in fidelium animos mittens.

V. SED iam ad lunarem velocitatem accedamus, quæ eandem immaculatam Virginis Conceptionem non parum illustrabit. Ferunt Astrologi

(nemine dissentiente) lunam omniũ astrorum velocissimam, ac celerrimam esse, & ideo breuiori tempore, quam reliqua, cursum suum peragere. Mercurius 355. diebus, & totidem Venus illum perficiunt; Sol 365. & reliqui Planetæ quanto altiores, plus temporis in cursu suo consumunt; Luna vero ita velox est, vt viginti octo diebus totum suum spatium percurrat. Lunæ ergo comparant Virginem, vt miram eius velocitatẽ, & inauditam celeritatem in progressu spirituali designent; qua reliquos sanctos adeo excelluit, vt, cum quidam paulo post natiuitatem, vt Innocentes Martyres, & infantes baptizati, alii paulo ante in vtero materno sanctificati fuerunt, vt Ieremias, & Ioannes Baptista, ipsa tamen diuina virtute adeo cursum accelerauit, vt in primo instanti suæ Conceptionis diuina gratia perfusa, ardentibusque diuini amoris flammis inardescere cœperit. Sed quid non filius sanctus accelerasset sanctificationem Matris, qui & nomen accelerationis habebat, ISAIA dicente:
Isai.8. *Voca nomen eius: Accelera, festina, prædare*, & opera sua ita festinanter exercuit, vt cum primum
Luc.1. conceptus, properare fecerit Matrem: *Abiit in montana cum festinatione.* Et mox Ioannis sanctificationem accelerauit, non exspectans eius ortum, sed illum potius præueniens: Et cum deinde primum natus est, in Bethleem confestim absque vlla mora Pastores vocat, & Reges magos accersit. hanc celeritatem præuidens DAVID di-
Psalm.18. xit: *Exultauit vt gigas ad currendam viam.* Si ergo filius Dei ita festinauit, vt seruis suis benefaceret, quanto amplius festinasse credendus est, vt Matri suæ in euidenti periculo in Sathanicam seruitutem incidendi constitutæ præsentissimo remedio opitularetur? Igitur cum illa in conceptione hoc periculum subierit, dicendum est, filium celerrimo cursu festinasse, vt peccato originali aditum prorsus præcluderet, & Sathanæ tyrannicam seruitutem, quæ per illud incurritur, longe à Maria propulsaret. Nec sufficit sane dicere, satis vtique Christum festinasse, cum immediate post instans Conceptionis, & contractionem peccati originalis illam sanctificaret, & ab inflicto vulnere sanaret. Arbitror namque (neque vllus sanæ mentis in hoc dissentire potest) satis illum opem suam differre, qui cum posset res facile à præcipitio præseruare, solum tamen occurrit, & auxilium præstat post casum, & lapsum, vt illatum vulnus sanet. Addo, quod ad infamiæ notam incurrendam parum refert, paruo, vel multo tempore ea labe, quæ illam parit, aliquem infectum fuisse. Crimen enim læsæ maiestatis humanæ, vel diuinæ, vt hæresis, aut proditionis breui tempore committi potest, & tamen infamia inde pullulans in mille generationes labitur, & vt cancer, per omnes filios serpit. Ne ergo dicamus beatam Virginem ancillam vnquam fuisse diaboli, & sub potestate eius iacuisse, quod in infamiã Matris Dei cederet, opus est fateri, nec per momentum peccati originalis labe maculatam extitisse, alioquin illa infamiæ nota semper durasset, vt cecinit OVIDIVS de Ponto: *culpa perennis erit*, scilicet infamiæ, quæ ex ea manet, licet ipsa pereat.

VI. CÆTERVM non contenti Angeli auroræ, & lunæ comparatione beatam Virginem cohonestare, cum sole lucidissimo omnium planetarum illam comparant. in quo ea occurrit merito enodanda difficultas, cur Angeli comparaturi Virginem huic solari planetæ, prius auroræ, & lunæ, quæ multo minori claritate, quam ille, fulgent, eam compararunt? Respondeo primo, solis comparationem addidisse, vt significarent in hac immaculatæ Conceptionis prærogatiua per auroram, & lunam præsignificata, solam & vnicam instar solis inter omnes puras creaturas beatam Virginem extitisse. Vt enim docet diuus ISIDORVS, sol dicitur, quia solus est, & vnicus. Secundo respondeo, id consulto effecisse, ne, si tantum Virginem soli comparassent, quæ supremam habet lucem, & cuius nullum decrementũ, aut augmentum esse noscitur, Deus esse crederetur. Vnde, vt puram creaturam esse faterentur, compararunt illam primo auroræ, quæ minus lucida, deinde lunæ, quæ lucidior est, ac tandem soli qui reliqua omnia claritate superat. Hæc enim mutabilitas per incrementum lucis, & per verbum illud, *Progreditur*, significata, quæ DEO minime cõpetere potest, ipso dicente: *Ego Deus & non mutor*, manifeste relinquit beatam Virginem non Creatorem sed creaturam esse. Tanta certe fuit beatæ Virginis sanctitatis excellentia, tanta dignitas, atque maiestas, vt oporteret Spiritum sanctum illo dicendi artificio vti, ne mundus deciperetur, putans illam esse DEVM, vt facile se deceptum iri ingenue fassus fit diuus DIONYSIVS, nisi fides Catholica sibi obstitisset. Denique Soli apte Virginem comparari ex eo non obscure liquet quod, quia medius est inter planetas, ita vt super se habeat tres, & infra totidem alios, sic beata Virgo in excellentia, & puritate ita medium locum tenet inter Deum, & Angelos, vt, si de Personis loquamur, super se solum habeat tres diuinas Personas, quæ sunt præcipuæ planetæ, ex quorum influentia tota mundi machina pendet, infra se vero habet tres alios planetas, triplicem scilicet Hierarchiam Angelicam, omnes Angelos in se comprehendentem. si ergo in puritate medium locum tenet Beata Virgo inter Deum, & Angelos, aperte efficitur, non æquare eximiam Dei puritatem, excedere tamen Angelicam, & consequenter caruisse omni labe peccati tam actualis, quam originalis, cum etiam Angeli ea penitus caruerint; alias puriores fuissent illi, quod illi neutiquam ipsi concederent, qui Reginæ suæ in omnibus diuinæ gratiæ charismatibus primas facile deferunt.

D.Isid. lib. Etymolog.

Cant.6.

Malach.3.

In vita B. Dion. Areopag.

VII. PORRO sequentia verba iam exponamus, quæ non parum immaculatæ Conceptionis argumento

Cant. 6. mento deseruient: *Terribilis vt castrorum acies ordinata*; vel, vt vertunt SEPTVAGINTA INTERPRETES: *pauor, vt ordinatæ acies*, siue, vt legit VATABLVS, *formidabilis, vt acies instructæ*; vel, vt transfert PAGNINVS, *Terribilis, vt astra cum vexillis*, vel, vt placet GREGORIO NYSSENO, *stupor tanquã instructa acies*; vel, vt vertit AMBROSIVS: *Terribilis, sicut admiratio ordinata*; vel tandem, vt alii ad vim vocabuli Hebræi attendẽtes: *vertibilis vt rotunditas*, alludentes ad corporum rotundorum naturam, quæ in omnem partem absque sui læsione sunt apta moueri.

D. Ambr. lib. Isa. c. cap. 7.

Hebræa lectio.

VIII. MERITO quispiam mirari posset, cur sponsus, postquam vocauerit beatam Virginem solem, & lunam, eandem compellet *aciem Castrorum*? hæc enim, vt omnino dissimilia, inter se coniunganda minime videbantur, cum nihil cum astro lunari, & solari commune habeat castrorum acies. Illa namque morantur in Cœlo, hæc in terra; illa sunt inanimata, hæc animata; illa infatigabilia, hæc fatigabilis; illa inuincibilia, hæc vincibilis, & expugnabilis. At arbitror multum per omnem modum prædicta Epitheta inter se conuenire: tum quia sicut nihil est pulchrius in die, quam Sol, nec pulchrius in nocte, quam luna: ita in bello pulchrius nihil, quam castrorum acies bene ordinata: tum quia puto Angelos alludere ad solem, & lunam, qui tempore Gedeonis cursum suum cohibentes steterunt, vt milites Gedeonis hostes suos expugnare possent. Vnde gloriosa illa Victoria non tam fuit Gedeonis, quam solis, & lunæ, cum eorum auxilio illam tulerit. Cum ergo fideles continuum bellum gerant aduersus Principes tenebrarum, iuxta illud Diui PAVLI: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & Potestates tenebrarum harum*, sitque etiam perquam manifestum, nihil magis opponi tenebris, quam lucem solis, & lunæ, recte beata Virgo, quæ ad pugnam illam eos vehementer adiuuat, soli, & lunæ merito comparatur; cum instar terribilis exercitus Principes tenebrarum profliget, vnde hac eadem metaphora vtens Diuus PAVLVS dixit: *Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis*; si igitur beata Virgo in defensionem fidelium est velut terribilis exercitus, quanto magis credendum est in defensionem sui terribilem Dæmoni se ostentasse, cum in principio suæ Conceptionis illam expugnare, & in seruitutem suam redigere tentauit? Maxime, quod sponsus non componit illam cum quacunque castrorum acie, sed cum bene ordinata. Ordo autem Exercitus in eo præcipue attenditur, vt principium, & finis illius, quod vulgari sermone Italice dicitur: *L'antiguardia, & retroguardia*, vndique clausi sint, vt hostis nulla ratione possit illum irrumpere, alioquin confundet ordinem, & facile tota militum acies vincetur. Beatissima igitur Virgo fuit velut acies castrorum recte ordinata, quia nec in fine, nec in principio suæ Conceptionis, quæ fuit velut *antiguardia*, nec in fine suæ mortis, quæ se habuit velut *retroguardia*, aditus vllus vnquam Dæmoni patuit, & ideo nec anima eius in Conceptione corruptionem peccati originalis, nec corpus in morte conuersionem in puluerem sustinuit. Ad quæ hoc mirifice facit, quod de Balaam Propheta sacra narrat historia. Num. 23. Postulauit ab eo Rex Balac, vt malediceret exercitui populi DEI, falso existimans facile ab eo fore deuincendum; at renuente Propheta id facere, compulit eum in locum sublimem ascendere, vnde totus exercitus patebat, vt si forte videret illum quidquam mali facere, ad maledicendum ille commoueretur: At contra Regis opinionem res accidit: nam postquam ascendit in montem: *cumque duxisset eum in locum sublimem super verticem montis Phasga*, Ibid. intuens exercitum populi DEI, & obseruans nullum in eo erectum Idolum, nec quidquam flagitii ab eo committi, non solum non ei maledixit, sed benedixit, & multis laudibus eum cumulauit dicens: Ibid. *Non est idolum in Iacob, nec videtur simulachrum in Israel, Dominus Deus eius cũ eo est, & clangor victoriæ Regis in illo*: sic, sic, noui ego non paucos, qui quibusdam apparentibus, sed reipsa infirmis rationibus conuicti, idolum peccati originalis in beatissima Virgine extitisse autumarunt, sed ascendentes in montem contemplationis huius sinceræ veritatis, quod beata Virgo vera Mater, & Genitrix Dei originalis peccati expers fuerit, continuo exclamarunt: *Non est idolum in Iacob, nec videtur simulachrum in Israel, Dominus Deus eius cum eo est, & clangor victoriæ Regis in illo*: ac si clarius dicerent; nunquam fuit idolum peccati originalis in Maria; nunquam alicuius actualis culpæ simulachrum extitit.

IX. TANDEM, vt iam finem dicendi faciam, existimo addidisse Spiritum sanctum quartam aciei terribilis comparationem, vt si humanus intellectus adeo proteruus fuisset in assentiendo huic veritati immaculatæ Conceptionis, vt neque comparatione auroræ lunæ, & solis conuincatur, saltem audiens Angelos dicentes in die Conceptionis eius; Cant. 6. *Terribilis est vt castrorum acies ordinata*, persuadeat sibi ab omni peccato immunem fuisse; nam si, velut exercitus armatus, & diabolo terribilis ac formidabilis ingreditur mundum, manifestum est, non ingredi velut captiuam dæmonis. Hanc n. captiuitatem peccatum originale inducit. Et quidem B. Virgo adeo semper dæmoni terribilis extitit, vt nõ defuerit, qui dixerit, Christum Dominum voluisse tentari à dæmone in deserto, & nõ in domo beatæ Virginis, cum qua permultos annos habitauit, quia sciebat beatissimam Matrem suam adeo terribilem esse dæmoni, illumque eius præsentiã adeo exhorrescere, vt minime in propria eius domo filium suum tentare auderet. Nec refert, si quis obiiciat ad hoc inficiandum, Christum Dominum diabolo terribiliorem Matre sua

extitisse

extitisse; potuit enim (& maxime ad tempus) non tam innotescere illi terribilitas Filii, quam matris; diuino namque consilio multa, quæ ad Christum Dominum pertinebat, occulta fuisse dæmoni communi consensu frequenter docent sancti Patres.

HOMILIA XII.

Sub metaphora Templi, & domus Dei varis locis sacræ scripturæ, multisque animi conceptionibus illustrata, immaculata Virginis Conceptio magis stabilitur.

2. Paral. 8. & 3. Reg. 8. I. VEMADMODVM (sacra narrante Historia) postquam Salomon ædificauit templum Domini, festum instituit ædificationis illius; ita sancta mater Ecclesia, diuino spiritu afflata, celeberrimo hoc templo beatæ Virginis per manus superni artificis ædificato, solemne festum celebrat ædificationis illius, quæ fuit immaculata eius Conceptio. Obseruatione autem ante omnia duo præcipue digna arbitror, quibus proposito argumento pergratum, ni fallor, dabimus exordium. Sacer EXODI textus ait; Moysem non potuisse intrare tectum
Exod. vlt. fœderis: *nec poterat*, inquit, *Moyses ingredi tectum*
Num. 10. *fœderis, nube operiente omnia; & maiestate Domini coruscante.* Certe Moyses incredulus voci Domini dicentis: quod ex dura petra aqua suauissima educenda erat, impeditur à nebula ingredi sanctum illud fœderis tectum; non secus, qui dubius est, beatam Virginem exturbido parentum fonte, qui peccato infecti fuerant, velut purissimam aquā profluxisse, non admittitur ad celeberrimam huius templi ædificationem pro dignitate celebrandam: vnde si omnes ingredi volumus, omnes pariter credamus immaculatam Virginis Conceptionem: Nulla sit inter nos sententiarū diuisio: id enim gratum Deo fore non obscure ipse præsigni-
2. Paral. 5. ficauit; subiungit namque idem textus: *Nec adhuc in illo tempore vices, & ministeriorum ordo inter eos diuisus erat:* quæ verba explicans Glossa, & CAIETANVS aiunt, quod quamuis Dauid statuerat diuisionem inter Sacerdotes, & Leuitas: in hac tamen ædificationis templi solemnitate non fuerunt seruatæ diuisiones sacerdotum; sic sane in Conceptione beatæ Virginis per ædificationem illius templi adumbrata oportet non esse sententiarum diuisiones, sed omnes vnanimes, & concordes immaculatam illam proclamemus.

Ibid. II. ADDIT etiam sacer textus verba alia, quæ singulari mysterio non vacant: nam loquens de nebula, & caligine operiente templum, molestam fuisse sacerdotum oculis illorum, quorum officium erat clangere tubis: itaque maiestate DEI ingrediente illud templum, sacerdotum oculos nebula prohibebat videre gloriam eius ibi coruscātem, non tamen impediebat ore tuba canere ad celebrandam solemnitatem illam; non secus in celebri hoc immaculatæ Conceptionis festo vult quidem Dominus oculos humani intellectus non curiose illud aspicere, aut humano discursu illud scrutari; vnde noluit infallibilis definitionis Ecclesiæ lumine illud clarere, sed quod sub opinionum nebula velut velamine lateret; cupit tamen, eique gratissimum est, vt omnes sacerdotes tubis clangant, hoc est, vnanimes ore & opere celebrent ædificationem mystici huius templi DEI, quæ est immaculata Virginis Conceptio: sic enim implebitur, quod ibidem dicitur: nam vbi vulgata nostra loquens de templo illo, legit: *com-* Ibid.
pleuerat gloria Domini domum Dei; originale Hebræum ait: vt egregie adnotauit CARD. CAIET. Caiet. in c. 5 lib. 2.
Impleuit honor Domini domum Dei intus, & extra. Paral.
Sane cum Deus diuinis charismatibus sacrosanctum hoc templum B. Virginis interius, & exterius locupletauerit; ad nos spectat diuinis laudibus, & encomiis, tam interius, quam exterius immaculatam eius Conceptionem plaudentes celebrare. Quod vt præstemus, celeberrimi illius templi Salomonis, quod B Virginem præfigurauit, singularem fabricam contemplemur, & quidem (vt à temporis circumstantia exordiamur) sicut templum illud ædificatum fuit à pacifico Salomone tempore pacis, cum nullum bellum imminebat, & quando, vt dicitur lib. REGVM, *non est Sa-* 3. Reg. 5.
than, neque occursus malus; ita sacrosanctum Virginis templum ædificari cœpit in eius Conceptione, cum Dæmonis occursus non adfuit, quia Dominus ligauerat illum, & os eius concluserat, ne in Virginem, quæ futura eius Mater erat, peccati originalis virus euomeret.

III. IN isto ergo fœlicissimo tempore pacificus Salomon, filius Dei ædificauit hoc sacratissimum B. Virginis templum, cuius adeo firma, ac solida aperuit fundamenta, vt Regius Vates non dubitauerit dicere: *Fundamenta eius in montibus san-* Psal. 86.
ctis. scio receptissimam esse multorum intelligentiam, per hos montes intelligi sanctos Dei, quorum sanctitatis verticem prima gratia, & reliqua charismata, quæ velut fundamenta Virgini collata fuere, longo interuallo superarunt; ita vt in maiori perfectione illa acceperit, quam alii per totum vitæ curriculum acquisierint: bene quidem, haud inficior hanc intelligentiam, sed altius tendit explicatio IACOBI Episcopi Ianuen- Iacob. Epi-
sis, qui ingeniose, ac pie per montes illos intelli- scop. Ian.
git potentiam Patris, sapientiam Filii, bonitatem super Psal.
Spiritus sancti; cum ergo Conceptio Virginis, in 86.
qua iacta fuerunt eius fundamenta, nitatur super potentiam Patris, nemo sane oppugnabit, possibile esse immunem fuisse à peccato: cum etiam nitatur super sapientiam Filii quis non vere itur dicere, defuisse menti diuinæ, & infinitæ eius scientiæ modum, quo virtute sanguinis Christi, & in-

&intuitu meritorum eius, ab originali labe Genitricem suam præseruaret? ac tandem, cum conceptio huius gloriosæ Virginis nitatur super bonitatem Spiritus sancti; reliquum est, vt omni peccati malitia caruerit, atque adeo ab originali labe præseruata fuerit, ipsa dicente per ECCLESIASTICVM:
Eccl. 24. *In me gratia omnis viæ, & veritatis*; si ergo, *omnis*, gratia præseruationis ab originali ei non defuit: *si viæ*: ergo loquitur de gratia accepta in via, non de ea, quam habet in patria; si tandem, *veritatis*, ergo Virginem in sua conceptione præseruatam fuisse verissimum est.

IV. DENIQVE prædicta verba pariter etiam probant iuxta propositam intelligentiam, B. Virginem omni prorsus peccato actuali perpetuo caruisse: sane peccata actualia ad hæc tria capita reuocantur; aut enim sunt ex infirmitate, vel ignorantia, aut ex
Matth. 26. malitia. Peccatum Petri negantis Christum ex timoris infirmitate processit, quia tunc non erat fir-
Actor. 9. miter fundatus super potentiam Patris: peccatum Pauli Ecclesiam Dei persequentis ex ignorantia
1. Tim. 1. ortum habuit, vt ipse testatur, *Ignorans feci*: nondum enim fundatus erat in sapientia Filii: peccatum Iudæ ex pura malitia fuit, vt clare indicant verba
Psal. 108. DAVIDIS: *Dilexit maledictionem & veniet ei*: fundatus quippe minime erat super bonitatem Spiritus sancti: at beatissima Virgo nulla vnquã huius triplicis peccati macula inquinata fuit; nam qua parte fundabatur in Patre, per potentiã Patris roborabatur, ne ex infirmitate conditionis humanæ in peccatũ etiam leuissimum laberetur; quatenus vero super Filii infinitam sapientiam nitebatur, ab hac ne per ignorantiam à recto deflecteret, mutuabat; vt vero super bonitatem Spiritus sancti à peccato per malitiam committendo, longe semper aberat.

V. PORRO iactis iam fundamentis erexit supremus huius templi opifex varias columnas cum ba-
Prou. 9. sibus suis firmissimis: *Excidit columnas septẽ, miscuit vinum, & posuit mensam*. Per has columnas communiter Patres docent, intelligi septem virtutes, tres theologales, & quatuor cardinales; vel septem dona Spiritus sancti: his enim columnis nitebatur fabrica huius miraculosi templi: sed addit, quod nostro
Ibid. instituto mirifice facit, *Miscuit vinum, & posuit mensam*, quia vere vterus virginalis fuit velut sacra quædã officina, in qua factus est panis cœlestis cor-
Zach. 9. poris Christi, & vinũ sanguinis eius *germinans virgines*: ex quo inferre licet, quod si Deus vult panem consecrandũ in altari absq; fermento esse, quia fermentum ad corruptionem tendit, sub quo tamen tamdiu solum delitescit, quamdiu durant species panis, quod modicum temporis est; coniunctum valde cum ratione arbitror, vt ad sumendam carnẽ ex B. Virgine, quæ secum indissolubili vnionis hypostaticæ vinculo vnita in æternum perseueratura erat, non desumeret illam ex materia, quæ alicuius peccati fermento corrupta vnquam fuisset.

VI. DEINDE inter alia memoranda, quæ de templo illo sacra narrat Scriptura, illud vnum mirabile refert, quod, vt habetur lib. 3. Regum, in eius 3. Reg. 6.
ædificatione nec malleus, nec serra, vnquam audita fuere: quod, qua ratione sit intelligendũ, non est vna omnium sententia: Quidam arbitrantur, quod vel murmur, vel strepitus nullus esset in templo ædificando, si cum ingenti artificum multitudine ibi operantium conferatur. Aliis placet, quod nullus prorsus sonus audiretur, quia lapides ita artificum opera iam elaborati, ac dolati in templum deferebantur, vt absq; vllo strepitu inuicem copulari possent; sed S. THEODORETVS hanc difficulta- Theod.
tem mouens, respondet his verbis: *ipsum quidem* q. 21.
templũ ædificauit ex lapidibus minime cæsis securibus, cum diuina voluisset prouidentia, vt inuenirentur huiusmodi sua sponte nati lapides, adeo, vt ad eos compingendos nullo ferro opus fuerit, sed absq; vlla arte ædificandi apte coniungerentur. hæc ille: sed quidquid tamẽ sit de hac opinionum varietate, certe in magna huius Mariani templi fabrica erigenda audeo dicere, nec malleum, nec serram fuisse auditam; non malleum peccati caput Virginis conterentem, quæ Diaboli caput contriuit; nec serram ferream culpæ originalis, quæ illam à Deo, vel per momentum separaret: sed quid dico, separaret? quin etiam nec leuissima venialis peccati scissura, aut rimula feruorem eius quoquo modo minueret, aut interrumperet; quod singulare priuilegium nulli etiam Apostolorum collatum, ab eius conceptione vsque ad extremũ vitæ halitum in ea perdurasse docet Sacro-
sanctum CONCILIVM TRIDENTINVM; nec obscure Concil.
in sensu mystico id indicãt verba illa DAVIDIS: *Ve-* Trid. Sess.
nite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super 6. can. 23.
terram, auferens bella vsq; ad finem terræ, quasi dicat: Psalm. 45.
Venite, & videte magnalia Dei, non terram, quam arboribus, animalibus, & metallis, ac gemmis ornatam creauit, non vastissimum mare piscibus plenum, & aerem volucrum domiciliũ, non splendentem, & flammigerum ignis orbem, non denique cœlos, aut Angelos mira virtutum varietate distinctos; sed hoc mentis acie perspicite mirabile: quod abstulit bella à terra B. Virginis, & eius fines in finem vitæ in pace posuit.

VII. CERTE si lasciuientes oculos nostros à videndis, quæ non decent, vsq; in finem vitæ compesceremus, si labilem linguam, ne ad illicita proflueret, incessabili, & nunquam interrupta cura coerceremus, ingens id prodigium, & admirandũ portentum esset. Venite igitur, & videte id in Maria, quæ nec immodeste vnquam respexit, aut leue aliquod verbum ociosum per totum vitæ suæ curriculum protulit, erat namque inter portionem superiorem, & inferiorem illius mira consensio, &
inaudita pax: pax, inquam, illa, de qua ISAIAS: *Ecce* Isa 66.
ego declinabo super eam quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam gentium; illa procul dubio erat, semperq; fuit gloria Diaboli, vt pacem ab humano pectore deturbaret, & cruentũ bellum
in terram mitteret, vt enim ait IOANNES: *Data illi* Apoc. 6.
erat potestas super quatuor partes terræ interficere gla-

dio, fame, & morte. At Deo Sathanicum hoc bel
lum longe à Maria propulsante, Regius Vates di-
Psal.45. xit: *Auferens bella vsque ad finem terræ*, vbi obser-
uatione dignum est, quod GALATINVS, vbi no
stra vulgata legit: *Posuit prodigia super terram*; ipse
vertit: *Posuit benedictionem super terram*, instructus,
& edoctus hanc versionem ab insigni illo R. ACCADOS, ab Hebræis inter sanctos reputato, qui
præfato modo prædicta verba transferebat. Cer
te Deus in principio creationis mundi terram ma-
Genes.3. ledixit: *Maledicta terra in opere tuo, spinas, & tri-
bulos germinabit tibi*, quæ maledictio totam terram
adeo infecit, vt nec minima eius portio (vt non
nulli opinantur) inueniri posset, quæ maledictio
ni non subiaceret; quia ergo Deus è contra à prin
cipio creationis huius sacrosanctæ terræ B. Virgi
Eccl.1. nis illam benedixerat, vt clare verba illa ECCLESIASTICI indicant: *Ipse creauit illam in spiritu
Psal. 45. sancto*; ideo ad hoc prodigium respiciens DAVID,
dicebat: *Venite, & videte, quæ posuit prodigia super
terram*: intueamini rem nunquam visam, & atten-
dite rem inauditam: terram à principio suæ crea-
tionis; benedictam, & in hac benedictione perpe-
Richard. lib. de Emman. c. vlt. tuo perseuerantem. vnde RICHARD. de S. VICTORE ait: *In cæteris sanctis magnificum habetur à vitiis
non posse expugnari, in ista mirificum videtur, quod à
vitiis non potest ipsa vel in modico impugnari.* vnde
Richard. lib. 2. de Emman. c. 29. & 30. egregie idem RICHARD. versans illa verba: *Venite,
& videte opera Domini*, ait: *Quæ est ista, obsecro, terra,
de qua bella omnia fine tenus auferuntur, nisi illa, de
qua idem Propheta alibi protestatur: Veritas de terra
Psal.84. orta est, & iustitia de cœlo prospexit: De hac itaque
terra omnis pugna tollitur, in hac tota, pax plena repa-
ratur.*

VIII. DENIQVE de hoc sacrosancto templo Virgi-
Ag.2. nis existimo intelligi debere verba illa: *Magna est
gloria domus istius nouissimæ plusquam primæ*; non n.
tam apte verificari possunt de templo illo secundo
Hierosolymitano, cum hoc fuerit minus glorio-
1. Esdr. c.3. sum, quam primum, vt testatur ESDRAS; aptius ergo
intelligenda veniunt de B. Virgine, animato tem-
plo, & regia domo Dei cuius gloriam ex triplici
capite deprehendere possumus, primo ex sanctita-
Psal 92. tis splendore: iuxta illud DAVIDIS: *Domũ tuam Do-
mine decet sanctitudo in longitudine dierum.* In domi
bus Regum, ac Principum splendere solent lapides
ex iaspide, columnæ marmoreæ, cubicula præstan-
tissime ornata, contignationes aureæ preciosissimę
supellectiles; at huius sacrosanctæ domus vniuersa
supellex est charitas, gratia, & sanctitas; vnde He-
bræum originale (vt refert CAIET.) legit: *Domus
tuæ pulchritudo, sanctitas*, quasi diceret: præclarissi
mum omnium huius domus ornamentum esse san-
ctitatem, qua vndiq; circumdabatur, vt olim præ-
Ezech.43. uidit EZECHIEL dicens: *Ista est lex domus in summi-
tate motis: omnis finis eius, in circuitu, sanctum sancto-
rum est.* Hæc verba solum huic sacrosancto virginis
templo, in quo Deus corporaliter inhabitare de-
creuerat, possunt adaptari, illi n. Ezechielis templo
non videntur apte conuenire posse; nam hoc in tres
partes diuidebatur. Prima in atriũ exterius, quod in-
discriminatim Iudæi, & Gentiles, immo & pecora,
quæ mactanda erant, ingrediebantur: Secunda in
atriũ interius, in quod soli sacerdotes introibant, ibiq;
erat altare, panes propositionis odoramentorũ, &
cãdelabri: Tertia pars erat, sancta sanctorum, ad quod
nemo, nisi summus Sacerdos semel in anno ingre-
diebatur ibi solũ aderat Deus assistens Arcæ, vnde
oracula dabantur. Cum igitur Ezechiel ait: in cir-
cuitu Templi esse sancta sanctorũ, apte satis arbi-
tramur de beata Virgine intelligi, cuius verũ tem-
plum sanctitas vndequaque circuit, & circumdat.
Immo Deus ipse, qui est sanctus sanctorũ, per solẽ
significatus, omni ex parte velut vestimentum il-
lam ambit. vt testatur IOANNES, cum vidit beatam
Virginem indutam sole: *Mulier amicta sole.* *Apoc.12.*

IX. AD hæc, si hoc sacrosanctum templum con-
templemur, in eo reperiemus nihil, quod non sit
sancta sanctorum; ostium oris eius, sancta sancto-
rum erat, cum nunquam nisi sancta proferret: ocu-
li eius, sancta sanctorum erant, cum eorum intui-
tus non nisi modestiæ, & sanctitatis indicia darent:
Manus eius, sancta sanctorum erant, cum sacro-
sanctum Christi corpus millies contrectarent: Vir-
gineum tandem eius ventrem, sancta sanctorum
dixerim, cum ECCLESIA CATHOLICA canat: *Tem-
plum Dei factus est vterus nesciens virum.* Quod si mi-
ram inhabitantis hanc domũ sanctitatem intuea-
mur, ex hoc etiam valde innotescet, quam magna
sit gloria domus istius. Multi sapientes interrogati,
in quo putarent præcipue sitam esse gloriam, atque
splendorẽ alicuius domus, in varias abierunt sen-
tentias; COELIVS enim RHODIGINVS refert ex alio- *Cœlius Rhodiginus lib. 6. cap. 26.*
rum sententia, felicitatem cuiuscunq; domus in eo
solo consistere, quod plurimis diuitiis bene partis
affluerer, & earum custodes fideles essent. Philoso-
phus BIAS dixit: eam potius felicem putandam
esse, cuius patronus nullis legibus adstringeretur.
THALES MILESIVS illam affirmabat fœliciorem,
in qua domino eius suauissimis cibis pinguescere,
variisque deliciis animũ laxare licebat. CLEOGOLVS
aliam viam ingressus; eam bene fortunatam domũ
autumabat, in qua eius dominus magis amaretur,
quam timeretur. PITAGVS autem omnes istos as-
sertores ab scopo longe aberrare demonstrans iu-
dicauit, eam pulcherrimam, & fœlicissimam domũ,
in qua non solum necessaria non desiderabantur,
sed tanta rerum copia suppeteret, vt dominus ex eis
multa posset aliis liberaliter impertiri. Verum neq;
iste, vt mea fert opinio, veritatis scopum attigit: *Opinio Auctoris huius operis.*
Nam præcipua alicuius domus fœlicitas in eo re
uera sita est, vt dominus eam inhabitans, multis
virtutibus effulgeat: præcipuum enim ornamen-
tum domus, virus domini est.

X. CVM ergo beata Virgo ab æterno electa fue-
rit in habitaculum Verbi diuini Incarnati, & in ea
per nouem menses sanctus sanctorum, & perennis
totius sanctitatis fons corporaliter habitauerit,
inde

inde tantum splendorem, & honorem sacra hæc domus mutuauit vt nulla alia, etiam Empirea, valeat ei vllo modo comparari. Scio Ouidium in sua Metamorphosi Solis domum in hunc modum eleganter descripsisse:

Regia solis erat sublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flammasque nitente pyropo,
Cuius ebur nitidum fastigia summa tegebat.

At domo illa, quam inhabitauit sol iustitiæ, longe hæc inferior extitit: excellentiora namq; erant illius ornamenta aureæ quidē columnæ, Spiritus S. dona: pyropꝰ qui velut ardens pruna effulget ardētissima eius charitas, candidū ebur, inuiolata Virginitas erant. Vnde cū beatissima Maria Spir S. donis cumulatior, charitate ardentior, & virginea puritate cœlestib. spiritibus nitidior esset; certe hanc sacram domum firmiores aureæ columnæ, preciosior pyropus, ac præstantius ebur, quam Ouidianū illud solis domiciliū exornarunt. Quid plura? quāuis magna fuerit gloria antiquissimi templi illius Salomonis, illum tamen defectum nemo negabit, quod Dei magnitudinem capere non poterat, ipso SALOMONE dicente: *Si cœlum, & cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quā ædificaui:* at beatæ Virginis viuum templum cœlis ipsis capacius existens magnitudinem Dei vndiq; circumdedit, vt dixit IEREMIAS: *fœmina circumdedit virū;* & ECCLESIA CATHOLICA canit: *Quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.* Cæterum, silentio non præteribo, quod si inter alia, quæ domus, aut Templi alicuius gloriam cōmendant, non infimū locum tenent à peritissimo artifice delineatam, fabrefactam, & ad finem vsque perductam esse; sane ex hoc capite non parum ostentabitur gloria huius domus, cum Deus ipse supremus omnium opifex eam ab æterno sua mente prælinearit: *Ab æterno ordinata sum,* & in tempore; *ipse fundauit eam altissimus;* & alibi: *Ædificauit sicut vnicornium sanctificiū suum;* vbi non absq; singulari mysterio Dauid comparasse arbitror Christum vnicornio, quia sicut animal istud singulare, ea virtute præditum esse noscitur, quod cornu suo contingens aquam mortifero veneno infectam omnem veneficam, ac morbidam qualitatem ab ea expellit; ita quidem Christus Dominus cornu potentiæ suæ maculam peccati originalis instar virus, fontem prosapiæ naturæ humanæ inficientem, medio sanguine suo abstergit: sed longe aliter id præstitit beatæ Virgini, quā reliquis, illam enim à culpæ originalis veneno, ne inficeretur, præseruauit, alios vero post actualem infectionem spirituali regenerationis lauacro sanat.

Apoc. 12. — 3. Reg. 8. — Ierem. 31. — Prou. 8. — Psal. 86. — Psal. 77. — Cœlius Rhodiginus lib. 6. cap. 26. — Opinio Auctoris huius operis.

XI. CVM Templi ergo huius, ac sacrosanctæ domus tanta maiestas atq; gloria sit, vt ex prædictis copiose liquet, quis, quæso, audebit peccati originalis macula illud contaminare? Legimus olim Templi contaminationem factam fuisse per Antiochum, qui posuit Idolum in Templo Dei. Antiochus interpretatur, *contra currus impugnantes,* ergo immaculatam Conceptionem beatæ Virginis, quæ vehiculum fuit & currus filii Dei, aperte nituntur ponere in hoc sacrosancto Dei templo idolum peccati originalis, quod an mundissimo Dei templo congruat, ipsi viderint. Simile etiam quidpiam facere tentauit quondam Nicanor, *sed Iudas Machabæus linguam impii Nicanoris præcisam iussit particulatim auibus dari;* additq; sacer textus: *omnes igitur cœli benedixerunt Dominum, dicentes: Benedictus, qui locum suum incontaminatum seruauit.* Quæ verba merito nobis vsurpare licebit; Gratias agentes Deo & Patri Domini nostri Iesu Christi, quod sacratissimum Virginis templum à principio suæ ædificationis, vsque in æternum, & vltra impollutum, & incontaminatum semper esse voluerit: Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

1. Mach. 1. — 1. Mach. 14. & 15.

HOMILIA XIII.

Sub metaphora Tabernaculi immaculatam Dei Genitricis Conceptionem ostendimus in illa verba Dauidica: Sanctificauit Tabernaculum suum Altissimus. Psal. 45.

I. CVM antiquis illis *Patribus omnia in figura contingerent,* vt docuit Apostolus, non immerito putauerim vetus illud, ac solemne Tabernaculorum festum vmbram, ac typum extitisse celeberrimi huius festi, quod in lege gratiæ sancta Romana colit Ecclesia in honorem sanctificationis illius tabernaculi, quod Altissimus corporaliter inhabitare dignatus est per nouem menses in eo delitescens. Refert sacra Scriptura, MOYSEN fecisse olim antiquum illud Tabernaculum ex diuino præcepto, *secundum exemplar,* quod sibi *in monte monstratum est:* sane Deus fabricauit hoc celebre tabernaculum Virginis secundum pulcherrimum exemplar, quod non in monte, sed in mente ab æterno præhabebat, vt & ipsa prædixit: *Ab initio, & ante sæcula creata sum.* Tria Tabernacula olim Deum sibi elegisse, sacra commemorant eloquia; primum in deserto; secundum; quod Salomon extruxit; tertium, quod Propheta Ezechiel vidit; quæ omnia multis priuilegiis, & muneribus cumulauit. De deserti Tabernaculo ait sacer textus: *& gloria Domini impleuit illud.* LXX vero vertunt: *gloria Domini repletum est tabernaculum.* Chaldaica paraphrasis: *gloria Domini impleuerat tabernaculum.* PAGNINVS: *Et repleuit illud spiritus Dei.* Hæc sane multo congruentius in beatam Virginē conuenire, nemo Catholicus negabit. Nam præterquā spiritus Dei, tanquam in eius proprium tabernaculum descenderit, cœlesti Paranympho dicente:

1. Cor. 10. — Exod. 25. — Eccl. 24. — Exod. 25. 37. — Exod. 40.

Luc.1. Psal.109.

Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: æternus Pater filium suum naturalem, quem ex proprio vtero generat, vt ipse prædixit: *ex vtero ante Luciferum genuite*; in Virgeneũ Mariæ vterum transmisit, vt fortem illum armatum, humani generis hostẽ, expugnaturus, armis nostræ humanitatis muniretur.

D.Isid.l. 15.ori.c.10.

II. MEMINI D. ISIDORVM, dum explicaret, quid esset Tabernaculum, dixisse: *Tabernacula tentoria sunt militum*: Vnde, cum manifestum sit, corpus & sanguinem Christi, quem ex Genitrice sua sumpsit, arma fuisse illi, quibus hostes suos profligauit; ipse enim proximus passioni iam corpus suum & sanguinem in oblationem cruentam Patri offerẽs, dixit: *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras*: apte quidem hac ratione beatam Virginem tabernaculũ appellauit Dauid. vt enim ait HVGO CARDINAL. *Tabernaculum fuit B. Virgo, in qua ipse armauit se armis nostræ mortalitatis, quibus contra Diabolum militauit.* De secũdo autem tabernaculo legimus lib. PARALIP. *Elegi enim, & sanctificaui locum istum, vt sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* Tabernaculum illud Salomonem habuit ædificatorem per manus artificum, quos peritissimos quæsiuit ad eius fabricam; at tabernaculum hoc Deiparæ Virginis Mariæ æterna Dei sapientia sibi in proprium domicilium, ac regiam aulam extruxit; & ideo maximam adhibuit curam, vt in fundamento illius, quod fuit eius conceptio, primus lapis, qui iaceretur, esset gratia, ne alioquin, si fundamentum defectuosum esset, ædificium ruinam pateretur, aut illius periculo maneret expositum, id enim (vt solet) prohiberet Dominum in eo habitare: Nam vt tam pie, quam eleganter dixit S. CYRILLVS Homilia habita in Concilio Ephesino: *Quis vnquam de architecto audiuit, quod sibi ipsi templum construxerit, & in eo habitare prohibitus sit propter inimicum?* quasi dicat: quis vnquam artifex domum sibi ædificauit, quam præcognouisset continuo deuastandam esse ab inimico? Cum ergo vnigenitus Dei Filius, Patris sapientia ædificarit sibi inhabitandum hoc sacrosanctum tabernaculum, quis, quæso, sibi persuadebit, cum primum illud construxit, confestim prohibitum illi fuisse in eo habitare?

Ioan.12. Hsacr.vbi supr. Hugo Car. in eum locum Dauidis. 2.Par.7.& 3.Reg.9. S.Cyrillus homil.6.

3.Reg.6. S.Theod. q.21.

III. NARRAT sacra Scriptura de illo Salomonis tabernaculo, ac celeberrimo templo, ædificatum fuisse ex lapidib. iam dolatis, perfectissimeque elaboratis; quod non hominum arte, sed ex speciali Dei miraculo, absque artificum industria factum docuit S. THEODORET. vt supra adnotauimus. Id proculdubio egregie mihi delineat immaculatam Virginis Conceptionem, quæ præ omnibus aliis sanctis donata fuit. Hoc enim manifestum interest discrimen inter statuam ex ligno vel lapide confectam, & imaginem, penicillo depictam, quod illa non aliter elaboratur, quam extrahendo, & artificiose ab ea demendo superflua; ista vero addendo colorem colori, & splendorem pulchritudini; Non secus accidit beatæ Virgini, si cum reliquis sanctis conferatur; Illos enim diuina gratia dolauit, & elaborauit, extrahẽs ab eis peccatum originale, ac demens antiqui serpentis infectionem: at beatam Virginem tanquam excellentissimam imaginem, ac diuinum tabernaculum singulari suæ omnipotentiæ industria non maculam, quam nunquam contraxerat, auferens, aut quidquam imperfectionis, cuius expers semper fuit, adimens, sed gratiam gratiæ superaddens, variis charismatum fulcimentis extruxit, ac virtutum splendoribus mirifice perpoliuit, & exornauit; adeo vt merito ei dici possit, quod olim de Apelle dicebatur: *manum de tabula nescit tollere.*

Exod.15.

IV. REFERT deinde sacer EXODI textus, singulos, pro facultate vniuscuiusque ad tabernaculũ illud ædificandum obtulisse varia munera; aurum, argentum, purpuram, & similia. Qui autem paupertate premebantur, caprarum pilos offerebant, itaque singulorum temporalia bona in tabernaculi ædificationem confluebant. Non dissimiliter factum intueor in ædificatione huius sacrosancti Tabernaculi: singula enim virtutes, ac cœlestia dona, quæ in variis sanctis emicuerunt, in ornamentũ huius sacrosancti tabernaculi beatæ Virginis simul confluxere: In eam namque fides Saræ à D. PAVLO laudata cumulatissime descẽdit: in eam liberalitas Rebeccæ, quæ non tantũ seruis Abrahæ, sed etiam camelis potum dedit: in eam fortitudo Iudith, quæ Holofernem occidit, & caput eius amputauit: prudentia Abigail, quæ veniam à Dauide pro Nabale Carmelo viro suo impetrauit: in eam misericordia Raab; quæ exploratores hospitio excepit: in eã pietas, & deuotio Annæ, quæ in Templo feruentissime orabat: in eam profunda humilitas RVTH, quæ messores pascebat, & spicas colligebat: in eam gratitudo Esther, quæ meruit spõsa esse Regis Assueri: Quid plura? vno verbo multa dicam. Eam puritas Virginum, Confessorum perseuerantia, Martyrum fortitudo, Anachoretarũ abstinentia, ardens Apostolorum zelus, ac feruentissima Seraphinorum charitas copiose locupletarunt.

Heb.11. Gen.24. Iudith.13. 1.Reg.15. Iosu.2. 1.Reg.1. Ruth.2. Esth. 2.

V. TOT hæc, ac tanta in Virginem collata cœlestia charismata attente contemplanti memoriæ occurrit pergrata illa de Ioue fictio, cuius meminere Plutarchus, & Hesiodus. Finxere Poetæ, illum Vulcano præcepisse, vt fœminam quandam pulchram efformaret, quæ reliquas omnes pulchritudine, ac venustate longe antecelleret; postquam autem manum operi admouit, & quoad potuit, perfecit, Iouem, & reliquos Deos deprecatus fuit, vt singuli singulas perfectiones fœminæ illi liberaliter impertirent; Pallas cõtulit fortitudinem, Minerua sapientiam, Venus pulchritudinem, Iupiter potentiam, Mercurius eloquentiam, Apollo Musicam, atque hanc fœminam Pandoram vocitabant, h. e. *aggregationem donorum*: fabulosa quidem enarratio, sed quæ reuera altius & excellentius in Deiparam Mariam historice conuenit; quam

Hesiod.to. 1. Plut. lib. de fortuna, & lib. de consolat. ad Apoll.

tres

tres diuinæ personæ adeo locupletarunt, vt nulla vnquam virtus in sanctis omnibus præfulserit, quam in Virginem copiosius non effuderint, quod & nomen ipsum (*Mariæ*) non obscure præ se fert, quod *Mare* interpretatur, quia sicut (& habetur in GENESI) congregationes aquarum Dominus vocauit Maria, ita, quia Virgo erat, in quam congregationes gratiarum cœlitus confluebant, consulto eam vocauit, Mariam, quod Mare significat.

Genes. 1.

VI. Inter alia, quæ commemorat sacra Scriptura ad Tabernaculum illud, quod Salomon ædificauit spectantia, lucernam & ignem coram Tabernaculo semper extitisse ait; quod in hoc sacrosancto Virginis Tabernaculo excellentiori modo factum reperio; nam cum primum Altissimus illud extruxit, continuo in eo lucernam posuit altissimæ contemplationis, quam nec per momentum fuisse extinctam per totum vitæ illius tempus, etiam, dũ somno vacaret, multa mihi suadent. Primum, quod de ea apte intelligendum venit illud SAPIENTIÆ: *Inextinguibile est lumen ipsius*; & illud CANTICI: *Ego dormio, & cor meum vigilat*; quod non de Sponso, sed de Sponsa B. Virgine egregie exponit RVPERTVS & de eadem explicat sanctus BERNARDVS verba illa: *Virgam vigilantem ego video*: instar Iacobi, qui dormiens contemplabatur scalam, & sermon. 4 expresse ait: Cum dormiebat, fuisse Virginem in altiori contemplatione, quam fuerit quicunque alius, cum vigilaret. Secundum, quod in eandem sententiam conspirant grauissimi Theologi, ALBERTVS MAGNVS, RICHELIVS, BERNARDINVS BVSTENSIS, & CANISIVS cum aliis modernioribus, qui lib. 1. *Cuius cogitatio, cura, & volutas omnis in lege Domini noctes ac dies versabatur, vt etiam dormiente illa, sicut meminit* AMBROS. *Maria vigilaret animus, qui frequenter in somno, aut lecto, repeteret aut somno interrupta continuaret*, quæ vltima verba desumpsit ex D. AMBR. de Virginibus. Tertium, quod rationes etiam non parum vrgentes eidem sententiæ adstipulantur, quarum primã desumo ex auctoritate D. AVGVSTINI, qui de hominib. in statu innocentiæ sermonem faciens, ait: *Tam felicia erant somnia dormientiũ, quã vita vigilantiũ*; potiori ergo ratione de beata Virgine dici potest, somnum eius tam felicem fuisse dormiendo, quam vigilando; illud enim, quod perfectionis gratiæ in illo statu communicatum est, quis negabit verisimile esse beatæ Virgini non fuisse concessum? Deinde quia valde probabile est, idq; docent grauissimi Doctores, beatam Virginem habuisse scientiam infusam diuinorum mysteriorum, vt asserunt D. BERNARDINVS practica de beata Virgine, sermon. 4. art. 1. cap. 4. & ALBERTVS MAGNVS lib. de beata Virgine, cap. 71. & cap. 96. & D. ANTONINVS 4 part. tit. 15. cap. 17 §. 1. & cap. 18. §. 2. approbat in hoc Alberti Magni doctrinam; idem & DIONYSIVS RICHELIVS super caput 5. Cantici: at est manifestissimum in Theologia scientiam infusam esse independentem in sua operatione à conuersione ad phantasmata, & ab operatione sensuum; poterat ergo beata Virgo dormiens vti illa scientia, & per actus illius dormiens vigilare.

3. Reg. 7.

Sap. 7. Cant. 5. Ruper. sup. ca. 5. Cant. D. Bernar. ser 51. art. 1. cap. 2. Albert. de B. Virg. c. 176. & 177. & 197. Rich. in illud Can. ego dormio. Bernard. Bustens. in Marial 3. p. serm. 1. Pineda l. 3. de reb. Sal. c. 8. Suarez. to. 2. 3 p. q. 37. d. 8. s. 1. D. Ambr. l. 2. de Virg. D. Aug. lib. 5. cont. Iulian. c. 9.

VII. AD hæc, quia, vt communis fert Doctorum sententia cum D. BERNARDO, *Quod aliis, licet paucissimis, est concessum, beatæ Virgini minime creditur fuisse denegatũ*: sed Salomoni concessum fuit, vt dormiens corpore, mente vigilaret, vt docent NICOLAVS de LYRA, & DIONYSIVS: & colligitur ex 3. REG. 3. quia ibi narratur, quod Salomon in somno petiit a Domino sapientiam, postulatio autem actus est mentis, & arbitrii. Multi etiam viri sancti, & præcipue Prophetæ ex speciali dono Dei diuina mysteria dormientes intellexerunt, vt constat ex verbis Iob dum ait: *Quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo: tunc aperit aures virorum, & erudiẽs eos, instruit disciplina.* Vnde D. Thomas adducens illud Numer. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini per somniũ, aut in visione, loquar ad eũ*, ait, in tali casu conseruari vsum liberi arbitrii. Ac tandem, quia in somnis contingere potest, vt quis mente vigilet, docuerunt ABVLENSIS lib. 1. Paralyp. ca. 1. q. 18. PETRVS THIREVS de Apparatu Imaginum cap. 5. PERERIVS lib. 2. de obseruatione somniorum. q. 4. & PINEDA super Iob. ad c. 33. v. 15. adductis ad id testimoniis ex Platone & Cicerone, quibus addo HIPPOCR. lib. de insomniis: quanto ergo verisimilius est id supernaturali Dei virtute Virgini accidisse, vt non solum vigilans, sed & dormiens a contemplatione nunquã cessaret? Imo D. GREG. NYSSENVS vbi in Cant. Cant. B. Virgo cinnamomo comparatur, ait, hac speciali virtute præditam esse hanc arborem, *vt si dormientis ori imponatur, nulla re impediri dormientem, quo minus interrogantibus respondeat.*

D. Bern. ep. 174. ad Con. Lug. 3. Reg. 3. Dionys. super 3. Reg.

Iob. 33.

D. Thom. 1. 2. q. 113. a. 3. ad 2. Num. 12.

D. Greg. Nyss. sup. cap. 4. Cãt.

VIII. SED iam veniamus ad ignem ante tabernaculum non deficientem. Aderat in hoc sacro beatæ Virginis tabernaculo ardentissimus, & nunquam deficiẽs charitatis ignis, non solum in habitu, vt loquuntur Theologi, sed in actu, vt pote quæ flammigeris amoris actibus etiam dormiens absque vlla intermissione æstuaret, vt præcitati Doctores vnanimi consensu docent. Quemadmodum enim antiquitus (prout testantur D. AVGVSTINVS, & D. ISIDOR.) in templo Veneris erat candelabrum, continens mirabilem illum lapidem nomine Abeston, qui in modum prunæ ardentis inextinguibile lumen, & calorem continebat; sic in sacrosancto Virginis templo ab instanti suæ Conceptionis ardentem atque inextinguibilem amoris ignem constituit, in cuius figura Deus præcepit, ne ignis vnquam deficeret de altari suo. Quod si de Seraphinorum charitate loquens D. DIONYSIVS vocat illam acutam, incessabilem, calidam semper, immobilẽ, ac semper feruidam, haud difficulter mihi persuadeo amorem Marianum nunquam intermissum, qui plusquam Seraphicus erat, & feruentiorem fuisse illo, adeo vt cœlestium spirituũ amor in comparatione amoris illius, frigus, & glacies esset.

D. Aug. lib. 21. de ciuit. Dei. D. Isid. lib. 16. Etymol.

Leuit. 6. D. Dionys. de cœlest. Hierarch. cap. 7.

Exod. 25. 37.

esset, quod mihi videntur significasse duo illi Cherubini, qui iuxta Mosaicam Arcam, Mariam adumbrantem, faciem, & pedes suos contegebant, quia pudebundi verecundabantur amorem suum ardore Virginis tepidiorem. Vnde eleganter diuus HIERONYMVS, dixit: *Totam incantauerat eam diuinus amor, vt nihil esset in ea, quod mundanus violaret affectus, sed ardor continuus, ebrietas perfusi amoris.* & diuus ANSELMVS altitudinem huius amoris contemplans, dixit: *Superat omnes omnium rerum creatarum amores, & dulcedines magnitudo amoris Virginis in filium suum, & dulcedinis immensitas, qua exultabat, & liquefiebat anima eius in Dominum Deum suum*: sed melius omnibus sponsus ardentibus lampadibus Virginis amorem comparauit: *Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum.* originale Hebræum legit: *flamma Dei*, id est, maxima; consueuit enim Scriptura, quæ maxima sunt, *Dei* appellare; vt PSAL. 35. *Montes Dei*, id est, maximi, SYMMACHVS vertit: *Impetus eius, Impetus ignei.* quia sicut ignis subiectus turribus, ac fortissimis hostium arcibus, solo eas æquat; ita charitatis ignis, quo beatissima Virgo ab instanti suæ Conceptionis exarsit, dæmones deterruit, ac omnes peccati originalis insidias longe à se propulsauit.

D. Hieron. serm. de Assupt. Virg. — D. Ansel. lib. de excellent. B. Virg. c. 4. — Cant. 8.

IX. PORRO, quia si singula quæque illius Templi, ac Tabernaculi Salomonis stylo prosequi tentassem, in infinitum abiret oratio; diuisionem illius solum attingam; fuisse typicum illud Tabernaculum in tres partes diuisum, sacra referunt eloquia. Prima, Atrium vocabatur, quæ pars erat externa. Secunda, Sancta. Tertia, Sancta sanctorum nominabatur. Totidem quidem partibus constare hoc sacrosanctum Virginis templum, haud difficile erit ostendere. Prima erat externa corporis species, quæ Atrio respondebat. Secunda, illa, in qua appetitus sensitiuus sedem habebat, quæ per locum, qui *Sancta* dicitur, præfigurabatur. Tertia erat pars superior, vbi ratio, & lex diuina dominabatur, quæ inferiorem semper in officio continebat. In prima ergo parte mira effulgebant interioris sanctitatis indicia, de qua DAVID: *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus*: lux tamen, quæ interius latebat, foris quidem radiabat, vt eleganter describit D. AMBROSIVS his verbis: *Nihil toruum in oculis Virginis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum; non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, in qua corporis species simulachrum fuerit mentis, figura probitatis.* His consonant, quæ D. DAMASCENVS tam pie, quam erudite dixit: *Quonam modo honestissimũ tuum, ô Virgo, incessum exprimam? quonam modo amictum? quonam modo oris tui venustatem? senilem in iuuenili corpore prudentiam? honestum vestitus, mollitiem omnem, ac luxum fugiens, gressus honestus, ac sedatus, mores seueri, atq; hilaritate temperati, sermo iucundus ex leni animo progrediens.* Hæc clarissimi hi duo Patres, ex quibus haud obscure colligitur, quale fuerit huius tabernaculi Atrium, & vestibulum, vt enim dixit diuus AMBROSIVS: *Bona domus in ipso vestibulo debet agnosci, lux intus posita foris luceat.*

3. Reg. 6. Hebr. 9. — Psal. 44. — D. Ambro. orat. 1. de Natiuit. — D. Ambr. lib. 1. offic. cap. 14.

X. SECVNDA Mosaici Tabernaculi pars, quæ, Sancta, dicebatur, secundam quoque Virginis partem recte adumbrabat, portionem scilicet inferiorem, seu concupiscibilem, nam licet concupiscentiam, quę in nobis regnat, D. PAVLVS vocauerit peccatũ, quia stimulat ad illud; in Virgine tamen, quæ omni peccati fomite caruit, minime peccati, sed sanctitatis nomenclaturã meretur. Tria quidem fuerunt valde pretiosa in secũda illa parte Tabernaculi Mosaici: Cãdelabrũ, Mensa, Altare Thimyamatis, quibus opponuntur tria, quæ in nostro appetitu reperiuntur; caliginosæ tenebræ, esuries importuna, pestiferi halitus. Aduersus tenebras cãdelabrũ; aduersus esuriem mensa; aduersus pestiferũ halitum Altare Thimyamatis suauissimum odorem exhalans: at in appetitu Virginis minime hæc tria mala nostra, sed tria pretiosa, per tria illa adumbrata, bona reperiuntur; Erat enim in ea aureum rationis, fulgẽtissimumque fidei Candelabrum, & quidem cum esset *Mulier amicta sole*, tenebræ eam comprehendere non poterãt; *quæ enim societas lucis ad tenebras?* Appetitus deinde Virginis terrena hæc nunquam esuriuit: vnde BERNARDVS *Accipe, quemadmodum in mente hominum cupiditates hient semper, & poscant. Virginis appetitus non esuriebat, nihil præter Deum poscebat, nihil expetebat terrenum: Dei mensa Dei dulcissimis epulis satiebatur; quidni satiata Virgo viueret, quæ propositum semper ante oculos habebat Panem propositionis, qui e cœlo descendit?* Tandem quamuis humanus noster appetitus pestiferos emittat cogitationũ halitus, Auerno Lacui similes, de quo Maro:

Rom. 7. — 2. Cor. 6. — D. Bernar. lib. 7. de Ben. c. 26. — Maro. li. 6.

Spelunca alta fuit, vastoq; immanis hiatu
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumque tenebris,
Quam super haud vllæ poterant impune volantes
Tendere iter pennis; talis sese halitus atris
Faucibus eructans supera ad conuexa ferebat;
Vnde locum Graij dixerunt nomine Auernum.

Virginis tamen affectus, Altare fuit cœlestis Thymiamatis, suauissimum semper odorem emittens; vt satis clare indicauit Sponsus, componens illam cum *Virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* Apta quidem comparatio Virginis, & virgulæ fumi in eius Conceptione: nam quemadmodum illa pastillo igni admoto recta, semper odorifera ascendit, & nec minimam ignis scintillam secum fert; non secus beatissima Virgo, quamuis ex progenitoribus igne peccati originalis adustis processerit, nullam tamen illius scintillam secum tulit, sed instar virgulæ fumi aromatici nunquam non recta, aut non odorifera extitit.

Cant. 3.

XI. TERTIAM deinde Tabernaculi partem, Sanctum sanctorum, diximus esse, per quam egregie adumbrari autumo superiorem portionem animæ Virginis, quæ cum prius mente, quam ventre conceperit Sanctum sanctorum, ac totius sanctitatis fontem, potiori iure, quam locus ille veteris Ta-

berna-

bernaculi, Sancta sanctorum nominari meretur. In eo tamen elucet mira proportio huius spiritualis Tabernaculi ad illud corporale, & inanimatum, quod sicut in interiori parte illius duo erant Cherubini, in quibus Deus sedere dicebatur, vt loquitur DAVID: *Qui sedes super Cherubin*, eratque ibi Arca Testamenti foris, atque intus auro contexta; nõ dissimiliter in superiori Virginis parte duo Cherubini erant; intellectus scilicet, & voluntas quæ velocissimis alis præditi in Deum incessanter intendebant; & sicut Cherubini verios semper habebant vultus in Propitiatorium; ita intellectus, & voluntas Deiparæ Deum ipsum propitiationis fontem incessanter adeo respiciebant, vt ab eius cognitione, & amore, ipsa etiam dormiente, ne per momentum se auerterent, vt supra late ostendimus.

D. Ambr. lib. 1. offic. cap. 14.

Psal. 98.

Rom. 7.

XII. TANDEM id quod de tertio Tabernaculo dicere à principio pollicitus sum, omnia de mira Virginis sanctitate dicta egregie confirmat. Hoc ergo tertium tabernaculum fuit illud, quod vidit Ezechiel, de quo sacra Scriptura ait: *omnes fines eius in circuitu Sanctum sanctorum est*. Chaldaica paraphrasis: *omnis terminus eius per circuitum Sanctum sanctorum est*. VATABLVS vertit: *& circumposita quoque versus sacra, sancta sunt*. Si ergo Deus ita sollicitus fuit, vt ea, quæ circuirent Tabernaculum, sancta essent, nonne illa, quæ circuitu sui vteri circundedit Deum, IEREMIA dicente: *fœmina circumdabit virum*, oportebat, vt sancta semper, & immaculata fuisset? Si enim Deus inanimati Tabernaculi puritatis tam sollicitam curam gessit, quanto illa sollicitiorem credendum est gessisse erga custodiam animati tabernaculi Matris suæ? Concludo igitur, quod cum sanctum idem sit, quod mundum, atque purum, seu absque terra, certe cum beata Virgo sancta sanctorum fuerit, non solum peccati malitia, sed & fomitis turpitudine ad peccatum instigantis omnino caruerit. Etenim cum experientia compertum sit, quod quantumuis pecus herbam depascat, iterum illa virescit, & ramusculos mittit, quia radix intacta mansit: certe si in beata Virgine mansisset radix peccati, quæ est fomes ad illud instigans, neutiquam totam suam vitam absque peccato veniali traducere potuisset, vt vere traduxisse sanctum CONCILIVM TRIDENTINVM docet, quia manente radice, semper herba repullulat, germinat, & iterum atque iterum virescit. Vnde eleganter D. BERNARDVS excellentiam sanctificationis huius sacri tabernaculi beatæ Virginis contemplans, dixit: *Ego puto, quod copiosior gratia sanctificationis in ea descenderit, quam in aliis in vtero sanctificatis, quæ totam vitam eius immunẽ ab omni peccato efficeret; quod nemini in natis mulierum credimus esse donatum*. Hæc ille. & diuus IOANNES DAMASCENVS, postquam Virginem appellarat Dei tabernaculum, ac templum animatum, subdit: *Cedant Moysis, & Salomonis Tabernaculum viuo, & ratione prædito*; sed & nos insuper addimus: cedant huic Tabernaculo præstantissima Romanorum ædificia; cedant antiquorum Mausolea, cedant regales Principum aulæ, cedant superba palatia Mosaico aut Corinthio opere affabrefacta; cedat tandem huic stupendo Tabernaculo cælestium orbium, & vniuersæ mundialis machinæ celeberrima structura; quia si ad illius ædificationem supremus opifex digitos admouit, iuxta illud DAVIDIS: *opera digitorum tuorum, quæ tu fundasti*; in huius constructionem brachii sui omnipotentiam exhibuit, Virgine ipsa dicente: *fecit mihi magna, qui potens est*, &, *fecit potentiam in brachio suo*. Cui sit honor, & gloria in secula seculorum, Amen.

Ezech. 43.

1. Cor. 6.

D. Bernar. lib. 7. de Ben. c. 16.

Maro. li. 6.

Cant. 3.

Con. Trid. sess. 6. Can. 23.

D. Bern. in ser. de natiu. Virg.

D. Io Damasc. orat. 1. de natiu. Mariæ

Psal. 8.

Luc. 1.

Ibid.

HOMILIA XIV.

Ostenditur, Dei Genitricis Conceptionem minime esse regulandam, aut metiendam eadem mensura, qua reliquorum omnium Conceptio regulatur, in eadem Dauidica verba: Sanctificauit Tabernaculum suum Altissimus. Psal. 45.

I. DEVS optimus Maximus omnipotentiæ suæ magnitudinem, ac supremum omnium dominium mundo ostentandi gratia consulto permulta operari voluit supra totum ordinem naturæ, & communem legem gratiæ, vt non obscure inde omnibus innotesceret, tanquam supremũ legis latorem, ac naturæ & gratiæ Conditorem eius leges, ac iura, prout sibi libuisset, soluere, ac impune irrumpere posse Soli quidem, & lunæ à principio creationis mundi hæc eis noscitur imposita, & promulgata lex, vt incessanter circulari tramite mouerentur, in quo valde discriminabantur ab aliis Planetis stationariis, & retrogradis, vt Astrologorum more loquar; Dei tamen mandato sol & luna steterunt: *Et sol decem lineis retrocessit*, in signum longioris vitæ, quam Deus Ezechiæ concedebat. Contra naturæ cursum est, animalia articulatam vocem emittere, vt Philosophi testantur, Nam *vox, est sonus ab ore animalis prolatus, certis quibusdam naturæ instrumentis efformatus, cum imaginatione aliquid significandi*, quod soli homini competere potest: nihilo secius tamen asinam Balaam verba illa protulisse legimus: *Quid feci tibi? cur percutis me*? Deinde quis vnquam vidit ex serpente fieri virgam, & ex virga serpentem prout contigit Moysi, qui & aquas in sanguinis naturam conuertit, & fluenta maris velut in duos muros diuisit, dum filii Israel in terram promissionis proficiscerentur. Quis, quæso, vnquam audiuit aquas Marath amaras, immisso ligno, alio

Iosu. 10.

4. Reg. 20.

Num. 22.

Exod. 4.

Exod. 14.

Exod. 14.

alioquin amaro, vt multi putant, dulces factas fuiſ-
Exod.15. ſe? ex lapide erupiſſe maximam aquarum copiam,
Num.20. inauditum ſane eſt, ſed dum Moyſes virga percuſſit
bis ſilicem, ex eo largiſſimæ fluxerunt aquæ. Quis
hominem, vt fœminam in ſalem conuerti vidit? ne-
que enim natura hominis ea diſpoſitione pollet,
vt tã facile in ſalis ſubſtantiã conuerti poſſet; ſacra
Gen.19. autẽ Scriptura refert vxorẽ Loth in ſalẽ repente cõ-
uerſam, eo quod contra Dei mandatum Sodomam ad
ſpexiſſet? Quid rogo, debilius & infirmius ſono, &
tamen clangentibus tubis, & militibus vociferan-
Ioſu.6. tibus muri fortiſſimi Iericho corruerunt? Et quid
magis contra ignis naturam, quam proximam ma-
teriam recte diſpoſitam non comburere? & tamen
Dan.c.3. in ardentem fornacem miſſis Sidrach, Miſach, &
Abdenago, *factus eſt veluti ventus roris flans, neq; eos
tetigit ignis, neque quidquam moleſtiæ intulit.* Leo-
Dan.6. num natura vorax, & ſuperba eſt; dum autem Da-
niel in lacum leonum detruſus fuit, propriam vo-
racitatem, ac feritatem deponentes, quaſi agni mi-
tes erga illum ſe habuerunt.

II. His alia non minus prodigioſa ſubiungo.
Hebr.9. PAVLVS ait: *ſtatutum eſt hominibus ſemel mori*, &
Ioan.11. tamen Lazarus, & alii ſuſcitati bis mortui ſunt.
DAVID vitæ noſtræ periodum breuem adeo eſſe
Pſal.89. teſtatur, vt dicat: *Dies annorum noſtrorum, in ipſis
ſeptuaginta anni: ſi autem in potentatibus octoginta,
& amplius eorum labor & dolor.* Videmus tamen
Enoch, & Eliam, qui cum multo ante Chriſtum
fuerint, adhuc ſuperſtites ſunt, immo & erunt vſ-
Malach.4. que ad tempus Antichriſti, vt conſtat ex MALACH.
Eccl.44. ECCLESIASTICO, & multis aliis locis. Quid
45. plura? Nonne a Deo lex illa condita fuit, vt, dum
homo vitam hanc mortalem ageret, videre ipſum
Matth.7. minime poſſit? *non videbit me homo: & viuet.* Et
Apoc.11. illud: *Deum nemo vidit vnquam.* Ab hac autem re-
Ioan.1. gula generali excipiuntur Moyſes, & Paulus, quos
ad tempus mortalitate indutos diuinam vidiſſe eſ-
D.Tho.p.p. ſentiam, grauiſſimi docent Doctores cum D. Tho-
ma. Ad eundem ergo modum, non obſtante vni-
uerſali illa lege, qua ſtatutum eſt, vt omnes filii
Adæ per naturalem propagationem generati pec-
catum originale contrahant, vt verba diui PAVLI
Rom.3. indicant: *Omnes in Adam peccauerunt:* ab hac ta-
men communi lege omnipotentia Dei Matrem
ſuam excipere dignata eſt: In inſtanti enim Con-
ceptionis, in quo, iuxta legem latam originalis
macula ineſſe debebat, impedita fuit per infuſio-
nem gratiæ, quæ peccatum nullum abſtulit, ſed
vetuit, ne ineſſet. Sicut ergo Deus diſpenſauit cum
Gen.3. Virgine in lege illa vniuerſali: *In dolore paries filios:*
Iſai.66. vt clare docet ISAIAS, dicens: *Antequam parturiret,
peperit*, id eſt, abſque dolore, vt communi conſenſu
explicant ibi Patres; & ſicut diſpenſauit cum ea,
Gen.3. lege illa: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*; inte-
grum ſeruans eius corpus abſque vlla corruptio-
ne. Et ſicut etiam impugnatoribus immaculatæ
Conceptionis non diſſentientibus, ab ea lege Deus
eam exemit, de qua PAVL. ad Gal. *Caro enim concu-
piſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus
carnem.* Nam, vt docet D. THOMAS: Ra- D.Thom.
bidus canis fomitis peccati ligatus fuit à prin- 3.p.q.27.
cipio ſuæ ſanctificationis, vel, vt aliis placet, peni- art.3.
tus extinctus. Et ſicut, non obſtante regula illa
vniuerſali S. Scripturæ: *Non eſt homo, qui non peccet:* 2.Paral.
&: *in multis offendimus omnes*, ab hac lege excepit Iacob.3.
Deus beatam Virginem, vt docet CONCILIVM Concil.
CLAROMONTANVM ſub Vrbano II. celebratum; & Clara.
TRIDENTINVM: ita Chriſtus Dominus eadẽ ratio- Concil.
ne, immo potiori iure diſpenſauit cum eadem, ne Trid. ſeſſ.
graue illud peccati originalis iugũ ſuſtineret. Nam, 6.Can.23.
cum illud magis coinquinet animam, quam venia-
le, vt fides Catholica docet: illud enim mors ani-
mæ eſt, hoc non; illud in odium, & inimicitiam Dei
inducit, hoc vero non; conſequens eſt, Chriſtum
Dominum, qui Genitricem ſuam à macula veniali
præſeruauit, etiam & ab originali eandem præli-
beraſſe, & præſeruaſſe.

III. VNDE Conceptionem Deiparæ Mariæ mi-
nime regulandam eſſe reor per ea, quæ ſecundum
communem legem in omni filiorum Adæ Conce-
ptione contingunt. Nam, ſicut olim alia erat vul-
garis menſura, alia ſanctuarii, vt conſtat ex LEVI-
TICO; ita quoque diuerſa debet eſſe menſura qua Leuit.27.
ſanctiſſimæ Virginis, id eſt, diuini ſanctuarii, & ani-
mati tabernaculi Dei res metimur, à menſura illa,
quam reliquis omnibus filiis Adæ adhibemus: Ibi
enim dicitur: *Omnis æſtimatio ſiclo ſanctuarii ponde-
rabitur.* Recte reliquorum omnium menſura eſt
pondus illud DAVIDICVM: *Ecce n. in iniquitatibus* Pſal.50.
conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Et
illud IOBIANVM: *Nemo mundus à ſorde, neque in-* Iob.25.
fans vnius diei: ſanctuarii tamẽ Dei, id eſt, Deiparæ
Mariæ, non eſt hæc menſura, non eſt hoc pondus,
ſed illud: *ſanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus:* Pſal.45.
ipſe creauit eam in ſpiritu ſancto Nec non illud CAN- Ecleſ.1.
TICORVM: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut* Cant.3.
*virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vni-
uerſi pulueris pigmentarii?* quem locum ita PAGNI-
NVS legit: *Quaſi columna fumi.* COMPLVTENSIS le-
ctio, *quaſi truncus fumi*; VATABLVS, & nonnulli alii;
quaſi palmæ fumigantes.

IV. CERTE Angeli cum præuiderant primos Pa-
rentes in amœniſſimo Paradiſo iuſtitia originali
præmunitos, & Angelos in cœlo empyreo gratiæ
decore exornatos, miſere, ac turpiter fuiſſe coin-
quinatos; merito nunc mirantur, quod ex impuro,
ac fætente deſerto mundi huius aſcendat beata
Virgo omni virtutum odoramẽto fragrans, & ideo
exclamant: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſic-* Cant.3.
ut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & Thuris?
quem locum vt exponamus, obſeruandũ eſt, quod
teſte CICERONE, virgula appellari ſolebat Deo- Cic.lib.1.
rum fatalis, quæ omnia bona, fortunæ, opes, hono- de offic.
res, pulchritudinem, & ſalutem conferebat: Mer-
curio autem Antiqui virgam tribuebant ſoporife-
ram, qua animos mortalium, in quam partem vel-
let, flectebat. Homerus tamen Palladi dedit au-

ream virgam, qua Vlyssem ex sene deformi in pul-
chrum conuertit iuuenem. Hæc quidem omnia
Antiquorum sunt somnia, & figmenta; at Spiritus
sanctus non ficte, sed veracissime vocat beatam
Virginem virgulam: est enim ipsa Virgula illa,
Num.17. quæ, vt libro NVMERORVM legimus, in taberna-
culo testimonii sola subito germinauit, & gemmas
cœpit turgescere, è quibus confestim frondes eru-
pere, & flores, qui mox dulcissimos fructus produ-
xerunt. Quod autem ait: virgulam hanc fuisse
fumi ex variis aromatibus, & speciebus composi-
tam, virtutum, ac donorum varietatem mirum o-
dorem exhalantium, quibus exornata in sua Con-
ceptione prodiit Deipara Maria, significat. Nec
mysterio vacat, quod inter illas species aromati-
cas primo loco enumerat myrrham, quia cum illa
sit à corruptione præseruata, ideo ad significan-
dum primum donum Virgini collatum in sua
Conceptione, fuisse gratiam præseruantem à cor-
ruptione peccati originalis, primo loco myrrham
commemorauit.

V. SOLENT peritissimi Agricultores, vt arbor
fructum odoriferum producat, perforata eius ra-
dice suauissimum odoris muschium, aut similem
aliam speciem aromaticam ei immittere. Nemo sa-
ne est mortaliū, qui infœlix planta non fuerit pro-
pter peccati originalis vermem, qui illum corrosit.
Adam enim omnes suos fructus amaros, & fœten-
Psal.50. tes producit: ad quod DAVID respiciens: *Ecce enim*
in iniquitatibus conceptus sum. Verum cœlestis ille
Ioan. 11. Agricultor, de quo Christus Dominus dixit: *Pater*
meus Agricola est, ad radicem huius arboris, hoc est,
ad Conceptionē B. Virginis apposuit præseruantis
diuinæ gratiæ muschium, vt postmodum produce-
ret preciosum illum, ac odoriferum fructum, Chri-
stum Dominum, cuius odorē participantes fideles
2.Cor.2. cum Diuo PAVLO dicunt: *Christi bonus odor sumus.*

VI. ADHÆC Fabritius Dateranus in aureo illo
suo libello cuiusdam Iacynthi meminit, qui ex vna
parte effigiem Cœsaris Laurea redimiti, ex alia ve-
ro Virginē sub vmbra palmæ continebat, quæ ma-
nu dextera Scorpionem tenens, & turribus coro-
nata super Leonem sedebat, ferunt veteres illos hac
imagine describere voluisse Africam, quam magnā
matrem vocabant, sed reuera subscriptio illa, *Tu*
ne cede malis; non apte ei congruebat, quæ multis
malis cessit. Aptius tamen in B. Virginem conuenit.
Nam si respicias Mariam prægnantem, videbis
splendidissimum Iacynthum non effigiem Cæsa-
ris, sed æterni Patris expressam figuram in se conti-
Heb. 1. nentem, vt loquitur PAVLVS: *figura substantiæ eius*:
intueberis etiam castissimam Virginem, cuius sta-
tura, vt ait Salomon, assimilata est palmæ: Insedit
etiam super leonem, dominans Diabolo, immo, &
Psal. 90. pedibus eum conculcans; iuxta illud: *Conculcabis*
leonem, & draconem. Quod si illa Scorpionē manu
tenebat, B. Virgo serpentem manu potentiæ suæ
ita compescuit, vt, voce Domini id attestante, ca-
Gen. 3. put eius contunderet; *Ipsa conteret caput tuum.* Inter
sanctos quidem nonnulli Dæmonis pedes, alii cor-
pus, alii faciem percusserunt: pedes percutiunt qui
in calce vitæ, velut bonus latro, conuertuntur. cor-
pus verberant, & acriter pungunt, qui, quod excel-
lentius est, à pueritia, velut D. Thomas, Deo con-
secrati, absque peccato mortali vitæ curriculum
peragunt: faciem percutiunt, grauiterque lacerant
(quod rarius euenit) qui in visceribus maternis,
velut Ioannes Baptista latentes, prius sunt sancti, *Luc.1.*
quam in lucem editi. At beatissima Virgo po-
tentius omnibus ob gratiam præseruantem à pec-
cato originali iaculum suum contra antiquum ser-
pentem proiiciens non manus, non corpus, non
faciem leuiter percussit, sed caput eius gloriose
comminuit, peccatum originale, quod reliquorum
peccatorum caput esse noscitur, fortiter à primor-
diis suæ Conceptionis conterens: Hanc enim vi-
ctoriam soli illi reseruauerat, qui prædixit: *Ipsa con-* *Gen.3.*
teret caput tuum.

VII. QVOD tandem Virgo illa turribus laureata,
ac redimita describeretur, non incongrue B. Virgi-
ni adaptari posse video, cuius immaculatam Con-
ceptionem tot Vrbes, tot prouinciæ, ac tot Regna
vnanimi consensu, & alacri animo probant, colunt,
atq; suspiciunt. Quæ cum ita se habeant, iudicent
quæso, quam longe (ni fallor) à veritate absint, qui
B. Virginem originali, aut veniali labe aliquando
maculatam dicere audent; meminerintq; id, quod
olim contigit in ædificatione illius celeberrimi
Templi, in quo Deus inhabitare elegit. Narrat
enim sacra EXODI historia, omnes filios Israel qua- *Exod. 25.*
si certatim ex bonis suis pretiosiora quæque, quæ *26. & 27.*
habebant, ad Templi fabricam ei obtulisse, structo
tamen iam, & fabricato Templo iussit Dauid ab
oblationibus cessare, quia nihil amplius iam desi-
derabatur, vt Templum esset omnibus numeris ab-
solutum. Non secus accidit huic sacrosancto tem-
plo B. Virginis, de quo Dauid: *Sanctum est Templum* *Psal.64.*
tuum, mirabile in æquitate. Quod cum grauissimi
Ecclesiæ Patres, Augustinus, Hieronymus, Atha-
nasius, Cyrillus, Cyprianus, & plerique alii, quos
suo loco referem⁹, adeo magna illi obtulerint mu-
nera, vt solus S. GERMANVS Archiepiscopus Con-
stantinopolitanus oratione de Zona Virginis di-
xerit: *Omnia tua sunt admirabilia (ô Deipara) omnia*
supra naturam, omnia ingentia, & cunctorum vires
superantia. Hæretici tamen huic sacro Templo, id
est, beatæ Virgini impolluto Dei tabernaculo pœ-
nitentiam à peccatis venialibus tribuunt. Catho-
lici etiam nonnulli offerunt eidem Templo gra-
tiam sanctificantem, & emundantem à præexisten-
ti macula originali: at hæretici prohibentur mu-
nus illud pœnitentiæ offerre. nam præter D. BERN- *D. Ber. ser.*
ARDVM dicentem: *Ab innocentissimo eius corde pœni-* *de assumpt.*
tentia longe fuit; sacrosanctum CONC. TRIDEN- *Conc. Tri-*
TINVM, dum veniale peccatum commisisse negat, *dent. sess. 7.*
pœnitentiam ab illa manifeste excludit; Catholici *cap. 23*
vero quidam etsi gratiæ mundantis, & sanantis
donum offerre huic templo non prohibeantur, co-

rum tamen oblationem necessariam non iudicamus, cunctis fere iam fidelibus singulari cultu, ac religione ac summo applausu immaculatam Virginis Conceptionem venerantibus: Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA XV.

Persimilem esse demonstramus beatam Virginem Paradiso voluptatis, quem Deus à principio condidit: ex qua similitudine immaculata Virginis Conceptio, ac mira eius excellentia singulari eruditione illustratur, in illa verba Genesis: Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio: in quo posuit hominem, quem formauerat.

Genes. 2.

I. Cvm pergratum sit hoc argumentum, cuius tractationem nunc aggredi tento, mira illa deinde est consonantia, ac proportio inter terrestrem Paradisum voluptatis à Deo conditum, & beatissimam Virginem, hortum deliciarum Dei, oportet prius stabilire veritatem Catholicam circa terrestrem illum Paradisum à grauissimis quibusdam Doctoribus acriter laceratam: vt enim docuerunt diuus Avgvstinvs & diuus Anastasivs prius est statuendus literalis sensus, deinde spiritualis. Vnde Angelicus Doctor dixit: *In omnibus, quæ sic scriptura tradit, est pro fundamento tenenda veritas historiæ, & desuper spirituales expositiones fabricandæ.* Origenes quidam, & Philo Ivdævs ausi fuere contra totam Patrum antiquitatem falso effutire, Paradisi narrationem Mosaicam non historicam, sed mysticam esse: ita vt nullus vnquam fuerit in terra corporeus Paradisus, sed allegoricus tantum, & intellectualis. verba Origenis sunt hæc: *Quis vero ita idiotes inuenitur, vt putet velut hominem quendam Agricolam Deum plantasse arbores in Paradiso in Eden contra Orientem, & arborem vitæ plantasse in eo; id est, lignum visibile, & palpabile, ita vt corporalibus dentibus manducans quis ex ea arbore, vitam percipiat, & rursus ex alia manducans arbore, boni, & mali scientiam capiat: sed & illud, quod Deus post meridiem deambulare dicitur, in Paradiso, & Adam latere sub arbore boni & mali, equidem nullũ arbitror dubitare, quod figurali tropo hæc à scriptura proferantur, quo per hæc quædam mystica indicentur.* Hæc Origenes. Quibus persimilia sunt, quæ Philo Ivdævs scribit; vbi recitata vniuersa Mosis de Paradiso sententia, hæc subdit: *Hæc potius symbolice, quam reuera, & proprie videtur mihi Moyses philosophatus. siquidem arborem vitæ, & arborem cognoscendi bonum nunquam vel antea, vel post è terra pullulasse, sed videtur Paradisum quidem innuere animi principatum, qui quasi infinitarum arborum, variarum opinionum est plenus. Per arborem autem vitæ innuere pietatem, quæ maxima est omnium virtutum, [illegible] quam anima efficitur immortalis. Arbor autem dignoscendorum bonorum & malorum, designat illi prudentiam in medio positam, qua naturæ contraria diiudicantur. Positis igitur his terminis in animo, tanquam iudex contemplabatur, in quam se rapi partem permitteret. Vt vero aspexit, in scelus quidem inclinantem, pietatem, & sanctitatem, ex quibus immortalis efficitur vita, contemnentem proiecit, vt par erat, & fugauit è Paradiso, vt ne spem quidem redeundi reliquam ei faceret, immedicabilia, & irreparabilia dans præuaricanti animæ. Ea enim deceptionis occasio, vel excusatio fuit non mediocriter detestabilis.*

D. Aug. l. 13. de ciuit. Dei. c. 21. D. Anast. lib. 7. in examer. S. Tho. p. p. q. 102 a. 1. Origenes, & Philo Iud. Orig. in c. 1. Gen. Philo de opif. mundi, & 1. lib. Allegor.

Verum hanc sententiam tanquam fidei Catholicæ dissonam acriter impugnant omnes Antiqui Patres: Epiphanivs, Hieronymvs, Avgvstinvs, Theodoretvs, Ambrosivs, S. Methodivs, S. Thomas, necnon & D. Chrysostomvs, qui ad eius impugnationem, egregiam his verbis indicauit rationem: *Ideo Moyses describens Paradisum, & nomen loci, in quo erat, scilicet Eden, & plagam orientalem, quam spectabat, & nomina fluminum è Paradiso egredientium, fere omnibus tam subtiliter, & accurate enarrauit, vt non liceret nugari volentibus decipere simpliciores, dicendo: nullum fuisse in terra Paradisum, sed in cœlo, & alias fabulas suaque somnia iactando. Nam si, cum Moyses tantam in describendo Paradiso diligentiam posuerit, nihilominus tamen fuere nonnulli fabulantes, non fuisse super terram Paradisum, multaque alia à doctrina Moysis alienissima inducentes, & verba eius aliorsum, quam dicta sunt, detorquentes; quid futurum fuisset, si non tam minutim, tam dilucide, denique tam enucleate Paradisum descripsisset?* Hæc ille.

Epiph. in Anchorat. S. Hier. in c. 10. Daniel. Aug. l. 12 de ciuit. Dei. c. 11. Theodor. q. 25. in Gen. D. Ambr. lib. de Paradiso c. 1. S. Methodius apud S. Epiph. hær. 64. S. Thom. q. 102. art. 1.

II. Qvo iam præiacto fundamento, narratio- n. m illam Mosaicam. *Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio*, historicam esse, & non mysticam, exordiamur quæso allegoricum sensum ex illa eruere, & quidem in primis, Paradisum illum, locum fuisse in orientis partibus constitutum, auctor est diuus Isidorvs, nec non & diuus Damascenvs. Vnde Tertvllianvs canit:

Gen. 2.

Est locus Eois Domino dilectus in oris,
Lux vbi clara nitens, spiratque salubrior aura,
Æternusque dies, atque immutabile tempus.
Nox ibi nulla, suas defendunt astra tenebras.

D. Isid. lib. 14. Etym. c. 13. D. Damas. l. 2. orthod. fidei c. 11. Tertul. lib. de Iud. Domin. c. 8.

Hoc certe interest inter beatam Virginem, & reliquos homines naturali propagatione ortos, quod illi concipiuntur ad occidentem caliginosum peccati originalis tenebris suis animam offuscantem: beatissima autem Virgo instar Paradisi concepta, ac nata fuit ad orientem solis iustitiæ, diuinæ gratiæ splendore eam irradiant[e]s, qui à culpæ originalis tenebris illam præseruauit: sicut enim Paradisus à principio suæ productionis luce clarissima illustratus fuit, & in ea vsque in hodiernum diem perseuerat,

seuerat, eaque fruitur Enoch, ECCLESIASTICO dicente: *Enoch placuit Deo & translatus est in Paradisum*, sic & beata Virgo primam, quam in sua Conceptione diuinæ gratiæ lucem accepit, eandem magis ac magis auctam perpetuo conseruauit. Vnde DAVID ad id significandum, comparat beatæ Virginis lucem orbium cœlestium luci: *Ponam*, inquit, *thronum eius sicut dies cœli.* Alii quidem sancti, licet Dei throni fuerint, erant tamen sicut dies terræ, quos atra nox antecedit, & subsequitur, at immaculata Virgo fuit thronus sicut dies cœli, noctis expers, nullam culpæ originalis obscuritatem admittens; vnde de illa melius, quam de throno Salomonis verificantur verba illa: *Non est factum tale opus in vniuersa terra:* Deinde si verum est, vt verissimum esse arbitror, quod eruditissimus PHILOXENVS in eleganti illa oratione, quam de arbore vitæ scriptam reliquit, tradit super portionem illam terrestris Paradisi, illam Dei maledictionem: *Maledicta terra in opere tuo, spinas, & tribulos germinabit tibi*, minime cecidisse: sic enim ait de Paradiso & eius plantis verba faciens: *Nequaquam subiecta sunt execrationi, atque damnationi, hæc enim in eam modo terram pronunciata sunt, quæ extra Paradisum est, post violatam ab Adamo legem, ita vt ab ipsis Paradisus maneret immunis, sicut in hanc vsque diem quoq; immunis, liberque est, eoque delicatissimæ, & speciosissimæ arbores in ipso etiam extant.*

Eccl. 44. *Psal. 88.* *Iosue 3.* *Gen. 3.*

III. ID sane non obscure præfigurauit communem illam peccati originalis maledictionem vniuersam terram inficientem, beatam Virginem Paradisum voluptatis Dei minime comprehensuram, sicut de facto sacrosanctum CONCILIVM TRIDENTINVM in decreto vniuersali de peccato originali minime voluit illã comprehendi: *Declarat*, inquit, *sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto (vbi de peccato originali agitur) beatam, & immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem.* vnde ABDIAS refert D. Andream Apostolum dixisse, quod sicut terra non maledicta fuit, ex qua primus Adam formatus est; ita B. Virgo terra fuit nunquam maledicta, ex qua secundus Adam conditus fuit. Atque hinc est, quod sicut, id attestante Tertulliano, in Paradiso nunquam ab arboribus frondes defluebant, vt nostris accidit arboribus, è quibus tanquam superflua decidere solent non pauca folia; sic enim ait:

Virentesque grauant vberrima germina ramos,
Nulla cadunt folia, & nullo flos tempore desit.

Quod & Ezechiel non obscure pronunciasse videtur, dum ait: *Orietur in ripis eius ex vtraque parte omne lignum pomiferum, non defluet folium ex eo.* cui persimile est quod DAVID dixit: *Et folium eius non defluet*: sic tanta fuit Virginis excellentia, vt nec ab eius ore ociosum verbum deflueret, aut ab interiori homine superfluum quidquam, aut superuacaneum in exteriorem hominem redundaret.

Conc. Trid. Sess 5. decr. de peccat. orig. *Abdias lib. 4. hist.* *Genes. 1.* *Tertull. de Iud. Dom. cap. 8.* *Ezech. 47.* *Psal. 1.*

IV. NARRANT etiam grauissimi auctores, Paradisum illum conditum fuisse in eminentissimo omnium totius Orbis monte: Hi sunt: S THOMAS, MAGISTER SENTENTIARVM, ALEXANDER ALENSIS, BEDA, RABBANVS, STRABO, ABVLENSIS, immo ALBERTVS MAGNVS, ait: *Hoc tamen dico sine præiudicio melioris sententiæ, quia in quibusdam libris antiquissimis reperi, quod illius sententiæ, quæ attribuitur Bedæ, & Straboni, primus auctor fuit Thomas Apostolus, quod scilicet Paradisus tantæ altitudinis sit, vt vsque ad lunarem globum ascendat.* Hæc ille: sed quidquid sit de hac tanta illius loci sublimitate, illud tanquam certum pronunciat D. BASILIVS, quod ob celsitudinem illius nulla erat in Paradiso immodica ventorum vis, nulla tempestatum procella, nullus hyemis horror, non veris nimia humiditas, non torrens æstatis ardor, non molesta autumni siccitas, sed temperata, & pacifica, omnium temporum inter se consonantia gaudere: superabat namque Paradisus mediam aeris regionem, vnde præfata incommoda oriri solent. Illud etiam tanquam rem indubitatam tradidit LACTANTIVS FIRMIANVS in Carmine de Phœnice aquarum alluuionem vniuersam terram inundantem, Paradisum ob nimiam eius altitudinem minime attigisse:

Et cum diluuium mersisset fluctibus orbem,
Deucalioneas exuperauit aquas.

Simile quidpiam de Olympo Thessaliæ monte Soccinus describit: *Olympus*, inquit, *primum excellenti vertice tantum attollitur, vt summa eius cœlum accolæ vocent. Ara est in cacumine Ioui dicata, cuius altaribus, si qua de escis inferuntur, nec difflantur ventis, & spiritibus, sed voluente altero anno, cuiusmodi relicta fuerint, eiusmodi reperiuntur, & literæ in cinere scriptæ ad alteram anni ceremoniam permanent.* Quæ omnia huic nostro argumento mirum in modum congruunt: nam sicut inundatio illa vniuersalis sublimem illum Paradisi locum contingere non valuit; ita peccati originalis copiosissimus imber in omnes filios Adæ grassanti fluctu decidens, sacrum hunc beatissimæ Virginis Paradisum ob gratiæ eius celsitudinem, ac dignitatis Matris Dei eminentiam, non solum inundare, sed nec pertingere potuit, adeo vt non immerito DAVIDIS verba ei accommodare nobis liceat: *Veruntamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Et quemadmodum ob altitudinem Paradisus ille immunis erat à fulgure, & grandine, & omni alia aeris inclementia; ita quia super verticem sanctitatis omnium Angelorũ hic sacer Paradisus Mariæ conditus fuerat, ob hanc certe celsitudinem, peccatorum actualium grandines, fulmina, & peregrinæ impressiones quidquã nocumenti ei afferre minime potuerunt. Ac tandem ad eum modum, quo ob eminentiã situs, cinis in cacumine montis Olympi semel relictus à nullo vento dissipari poterat, ad eundem etiam ob eminentiam sanctitatis Mariæ puluerem humilitatis, quem Spiritus sanctus in ea infudit, vanitatis, aut superbiæ ventus dissipare, ac perdere nunquam valuit.

S. Thom p. p. q 102. a. 1. Magist. sen. 2. dist. 17. c. 3. Alex. Alens. 2. p. q. 38. membro 1. Beda de stat. tempo. Rabban. & Strabo in 2. Gen. Abulens. ibid. q. 9. Albert. Mag p. 2. Theol. tractat 13. q. 79. D. Basil. in huius loci commen. Soccinus cap. 18. Psal. 31.

V. CONSONAT his sententia D. Damasceni dicentis:

D. Ioan Dam. l. 2. de fid. Ortho. c. 11. centis: In Paradiso animalia rationis expertia minime fuisse, sic enim ait: *Diuinus profectò locus Paradisus, ac dignus eius, qui ad imaginem Dei creatus fuerat, incolatus, in quo nullum irrationalium habitabat.* Id quæso quid aliud aptius adumbrare potuit, quã quod in hoc sacro immaculatæ Mariæ paradiso peccata vlla per animalia rationis expertia significata, cum peccatum sit à regula rationis deuiatio, nunquam admittenda forent? sicut etiam Paradisus in eo valde excelluit, omnes alios etiam regios hortos, quod isti priusquam horti pulchritudinem obtinerent, rudis, inculta & impolita terra fuerant, ille autem nunquam non fuit Paradisus, nunquam pulchritudine sua caruit, nunquam rudis, & agrestis terra extitit; non secus, quãuis reliqui omnes sancti horti sint, & Paradisi voluptatis Dei, prius tamen fuerunt in principio suæ formationis, & conceptionis agrestis, & rudis terra, vt pote peccati originalis ruditate deturpati; at beata Virgo à principio suæ conceptionis fuit Paradisus atque adeo nunquam, nec per momentum pulchritudine Paradisi caruit, nunquam agrestis terra spinas, & tribulos germinans, quod & in Paradiso illo terrestri non obscure adumbratum *Gen 2.* reperio, dum ait sacer textus: *Plantauerat Deus Paradisum à principio*; arbitror enim cum D. HIERONYMO *D. Hieron. de qq. Hebraicis.* per hæc verba, non solum significari *à principio* constitutionis mundi Deum plantasse Paradisum, sed illum à principio sub forma Paradisi condidisse. Ita sane accidit B. Virgini, quæ à principio suæ conceptionis sub forma Paradisi voluptatis Dei condita fuit, atque adeo absque rusticitate peccati originalis.

VI. SED pergo iam reliqua, quæ de paradiso illo terrestri sacra commemorant eloquia, sanctique Patres tradunt, Virgini adaptare. Doctores nõ pauci quærunt, quanto tempore primus Adamus in paradiso illo commoratus fuerit? Quidam (eruditissimo, ac diligentissimo scriptore BARCEPHA *Barcepha de paradis. terrest.* referente) existimarunt, triginta tres annos inibi fuisse, & ea propter Christum Dominum per totidem annos transcurrisse pro expiãdo illius scelere. Alii, quadraginta tantum diebus paradisum incoluisse putant, ideoque Christum dies totidem in deserto ieiunasse, nimirum vt eius ieiunium aduersus illam primi parentis ingluuiem antidotum esset. Alii tradunt per integram hebdomadam in paradiso extitisse Adamum, ita vt feria sexta intrauerit, & feria sexta sequenti ab eo profligatus fuerit, cui consentit ipse Barcepha. Alii (vt refert ABVLENSIS) docuerunt solum per vnicum diem perstitisse: Alii plus vno die, quorum verba refert MALVENDA de Paradiso cap. 46. PERERIVS autem eodem die, quo peccauit, expulsum putat primum parentem, *Gen. 3.* à paradiso, tanquam indignum diutius ibi commorari; id quod verba Genesis, si attente perpendantur, non obscure indicant, dum id factum aiunt *Cyril. Epiphã. Diod.* *ad auram post meridiem*, hoc est, paulo ante solis occasum, in quam sententiam conspirant CYRILLVS, EPIPHANIVS, DIODORVS THARSENSIS, & alii, *relati à Feuarden. in notis ad c. 15. lib. 5. S. Iren. Abulen sub c. 1. Gen. Geruas. lib. de ociis imperialibus decis. 1. q. 608.* quos refert, & sequitur Feuardentius. Cæterum, per quot horas permanserit in Paradiso, Episcopus ABVLENSIS ex aliorum sententia refert, per septem solum; at GERVASIVS per nouem horas tradit in paradiso commoratum fuisse primum parentem, quod præsenti argumento mirifice quadrat; nam totidem mensibus secundus Adam de cœlo cœlestis in paradiso materni vteri delituit.

VII. VT tamen amplius mira vtriusque huius paradisi similitudo, atque conformitas innotescat, certe sicut terrenus Adam formatus fuit ex terra desumpta ex quatuor mundi partibus, Oriente, Occidente, Septentrione, & Meridie, vt docuerunt S. CYPRIANVS, & S. AVGVSTINVS qui ab antiquioribus Patribus id se accepisse fatetur; ita cœlestis *Cyp. tract. de montib. Syna, & Sion.* Adam ex carne Virginis, quæ ex quadruplici virorum genere, Regum, Sacerdotum, Prophetarum, & Ducum originem ducebat (prout D. MATTHÆVS *Matth. 1.* refert in eius genealogia) carnem sumpsit: & sicut terra illa, ex qua primus homo factus est, terra erat rubea, vt docuit EVSEBIVS de præparatione Euangelica, & THEODORETVS, vnde sumpsit nomen *Euseb. de præpar. Euang. l. 11. cap. 4. Theod q. 36 in Numeros.* Adam, quod *Terra rubea* interpretatur, vt iidem Patres adnotant; ita secundus Adam, Christus Dominus humanum corpus assumpsit ex terra rubea, hoc est, ex rubeo, & purissimo Mariæ sanguine; & quemadmodum (TERTVLLIANO id affirmante) terra illa humana industria nunquam culta fuerat, sed virgo adhuc erat, nondum aratro compressa, nondum sementi subacta; ita secundus Adam huius secundi paradisi incola ex terra virginea viri operam nesciente efformatus fuit, ad quod respiciens D. IRENÆVS eleganter dixit: *Quemadmodum Protoplastus ille Adam de rudi terra, & adhuc virgine (nondum enim pluerat Deus, & homo non erat operatus terram) habuit substantiam, & plasmatus est manu Dei (omnia enim per ipsum facta sunt) & sumpsit Dominus limum à terra, & plasmauit hominem; ita recapitulans in se Adam, ipse Verbum existens ex Maria, quæ adhuc erat Virgo, rectè accipiebat generationem Adæ recapitulationis.*

VIII. QVOD si Moyses commemorat in paradiso illo primo matrimonium factum fuisse inter Adam, & Euam; id sane præsignificauit nuptias, quæ celebrandæ erant in paradiso vteri virginei inter humanitatem Christi, & Verbum diuinum: & quemadmodum ibi dictum est propter illud matrimonium: *Erunt duo in carne vna*, id est, in prole, quæ vnitas valde extrinseca *Gen. 2.* est; sane hic (quod mirabilius est) fatemur duo in persona vna, naturam scilicet diuinam, & humanam in vnitate intrinseca suppositi diuini, quod si etiam vinculum matrimonii illius indissolubile erat: *Quos Deus coniunxit, homo non separet;* *Matth. 19.* profecto vinculum vnionis hypostaticæ, humanitatis Christi cum Verbo multum per omnem modum illo strictius, & indissolubilius esse fide Catholica docemur, cum illud morte alterius coniu-

coniugum dissolutum fuerit; vt de omni matrimonio generaliter docet D. PAVLVS; *1. Cor. 7.* hoc vero etiam morte ipsa per corpus grassante, & anima ab eo diuidente, Verbi vnionem cum illo nulla ratione dissoluere potuit: Mansit verbum vnitum corpori in sepulchro, mansit vnitum animæ in limbo. Vt tamē multa paucis comprehendamus, *Genes 1.* si sexta die creatus est primus Adam, eadem cruciatus est secundus; hora illius diei tertia inductus est Adam in Paradisum, & seruator noster tertia hora extractus est ab vrbe Hierusalem humeris crucem suam baiulans: Et quo tempore Adam manus protendit ad decerpendos fructus vetitos, eodem Christus suas distendit super lignum, vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur: Rursus à sexta ad Nonam horam exutus est Adam sua gloria; & etiā Christus sol iustitiæ nudus in cruce existens à sexta ad nonam vsque horam amisso vitæ splendore obscuratus est, atque vniuersa creatura luctu cooperta, *Matth. 20.* quasi refricata pristini Adæ casus memoria: Elapsa deinde nona hora, dissipatæ, atque abactæ sunt tenebræ; qua re significabatur, soluta iam tunc esse ea mala, quæ genus humanum circumdederant. Insuper quo tempore confossus Dominus noster lancea eodem a Cherubin custode Paradisi, & arboris vitæ vibrata est lancea; sed cum hoc discrimine, quod illa ingressum terrestris paradisi interdicebat, hæc aditum ad cœlestem parat. Denique qua hora pulsus est è paradiso Adamus à Deo, eadem prorsus à Christo missa est in Paradisum anima latronis.

Gen. 2. IX. MOYSES rursus de paradiso agens, dixit continere *omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue, & lignum vitæ in medio paradisi*: non secus Deus in amœno hoc Virginis paradiso cunctarum produxit germina gratiarum, & exemplaria virtutum; ipsum quoque lignum vitæ, Christum Dominum posuit in medio vteri eius, cuius foliis sanantur infirmi, cuius odor viuificat mortuos, cuius sapor dulcorat amaros, cuius vmbra refrigerat miseros, cuius aspectus lætificat Angelos. Verior hic ortus, quia si ortus inde nominatur, quia aliquid semper ib oriatur, & cum alia terra semel in anno aliquid proferat, ortus nunquam sine fructu est; certe ex Maria natum est quod nunquam deficit, fruct⁹, qui nunquam marcescit, fructus saluberrimus, de quo dictum est: *Qui manducat me, ipse viuet propter me*, *Ioan. 6.* fructus tandem vnus, & vnicus, sed multiplex virtute, in quo cum humanitas, & diuinitas eidem personæ insint, duplex in ipso est refectio, Ciuibus, & Peregrinis. Ciuis beatus, & comprehensor ipso vescitur ad iucunditatem; Peregrinus, & viator homo ipso vescitur ad sanitatem: extra ipsum sanitas non est, nisi falsa; iucunditas non nisi mortifera.

X. DE veteri, & terreno paradiso fluuius egrediebatur ad illum locum voluptatis irrigandū, qui post in quatuor capita diuidebatur; de isto nouo, & cœlesti Paradiso flumen illud egressum est, de quo legitur: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*, *Psal. 45.* quod inde diuiditur in quatuor Euangelia: flumen hoc Christus est, paradisus vero vterus virgineus, quem Spiritus sanctus tanta gratiarum abundantia perfudit, vt filio Dei fieret *Hortus voluptatis*, *Ioel. 2.* vnde exiuit fluuius Dorix, rapido charitatis suæ cursu totum mundum sapientiæ suæ fluentis perfundens. Quid plura de hoc sacro proferam paradiso? magna pauperculus proferre non valeo, exigua dicere animus abhorret; suppleat ergo inopiam nostram fœcundissimi illius ALANI copia, *Alanus super 4. Cant.* qui in illa verba: *Hortus conclusus fons signatus*, tam pie, quam sapienter dixit: *Maria hortus est, in quo non rosæ patientiæ, nec lilia virginitatis desunt, in quo rosa dominici corporis, & sanguinis, in quo lilium castitatis, conclusus, quia vtrobique clausus, studio bonæ intentionis, & consideratione rationis. Hortus conclusus, Soror mea sponsa, quia vallo charitatis signatus, ne irrumpere possit malignus: conclusus, quia Angelorum custodia circumseptus. Soror mea per dilectionem, sponsa per naturæ vnionem. Hortus conclusus, hic ideo repetitur, vt perfectio Virginis in actione, & contemplatione notetur, vel in duplici Virginitatu specie. Conuenit horto, vt sit æqualis, septus, satus, distinctus, rectus, & vber. Æqualis, vt rigetur; septus, vt seruetur; satus, vt fructificet; distinctus, vt delectet; rectus, vt capiat aerem; vber, vt præbeat copiam. Et tu Virgo Dei Genitrix, fuisti vber hortus, copia plenitudinis, fons in quo ineffabile misericordiæ flumen, in quo gratiarum omnium irriguum, fons, quem in sinu suæ pietatis recipit lachrymarum nostrarum profluuium; signatus fidei sigillo, Euangelicæ veritatis signaculo, & virginitatis pessulo; ita vt nec Hæretici, nec Dæmones, in te fidem, vel Euangelii veritatem possint infirmare*: Hæc ille.

XI. SED iam tempus est, vt flammea illa sera, qua clausus fuit olim primus ille paradisus, nostra claudatur oratio: *Collocauit*, inquit Moyses *ante Paradisum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendā viam ligni vitæ*. *Gen. 3.* Hæc verba historice esse accipienda, vt cætera omnia antecedentia, cum eodē verborum tenore enarrentur, cōmuni consensu Patres docent, quos à principio retulimus: vnde non possum non mirari, cum tutum non sit aliter sentire, viros alioquin perdoctos, CORNELIVM IANSENIVM, HONCALAM, & PINEDAM hoc loco allegoriam tantum, ac metaphoram validæ, ac perpetuæ occlusionis Paradisi agnouisse, *Iansen in c. 143. Concor. Honcala in 3. Genes. Pineda l. 1. monarch. c. 11. §. 2.* hoc supposito, quamuis PROCOPIVS, GAZEVS, & THEODORETVS Heracleæ Episcopus, necnon & THEODORETVS q. 40. existimarint Cherubinum illum non fuisse vere spiritum aliquē Angelicum, sed simulachrū quoddam aspectu terribile, ad incutiendum terrorem primis parentibus more agricolarum, qui in satis, & hortis ligneos palos defigunt laceris humanarū vestium pannis indutos, vt eo terriculamenti genere aues à seminum atque frugum pastu deterreant. Verum D. CHRYSOSTOMVS custodem Paradisi verum Angelum fuisse docet. Idem S. GENNADIVS, S. EVCHERIVS, BEDA, ABVLENSIS, VATABLVS, & alii permulti, tam antiqui, quam

Chryſ. homil. 18. in Geneſ. S. Gennad. in Græca Catena Gen. 3. Hugo de S. Vict. Perer. ſuper c. 3. Geneſ.

quam recentiores ſcriptores in tertium caput Geneſis, ſecuti D. AVGVSTINVM in Comment. eiuſdem Geneſis hæc dicentem: *Ordinauit Cherubin, & flammeam rompheam, quæ vertitur, cuſtodire viam ligni vitæ, hoc per cœleſtes vtique poteſtates etiam in Paradiſo viſibili factum eſſe credendum eſt, vt per angelicum miniſterium eſſet illic ignea quædam cuſtodia.* an vero cuſtodia illa angelica eſſet ex Cherubinis, an vero ex inferiori alia hierarchia, non eſt cõcors omnium ſententia. nam D. CHRYSOSTOMVS, D. AVGVSTINVS, & S. GENNADIVS ſupra relati cum aliis, quos refert MOYSES BARCEPHA cap. 28. aperte volunt, cuſtodiam illam fuiſſe ex Cherubinica hierarchia, licet enim ordinarie non mittantur Cherubini, aut alii ſuperiorum ordinum in miniſterium horum inferiorum, extraordinarie tamen aliquando, licet raro, ſupremos Angelos mitti dõcuit MAGIST. SENTENTIARVM, quem ſecuti ſunt SCOTVS, DVRANDVS & perplures alii famoſi Theologi. At S. THOMAS ſecutus D. DIONYSIVM & magnum GREGORIVM docet ſuperiores Angelos minime mitti ad hæc externa miniſteria, atque adeo multo minus ad humile illud miniſterium cuſtodiendi terreſtrem paradiſũ. Quare autem (ſi ita res ſe habet) dictus fuerit cuſtos ille Cherubim, reſpõdet idem D. THOM. minores Angelos interdum mutuare nomina ſupremorũ propter aliquã miniſterii analogiam, quomodo ISAIAS dixit: vnum de Seraphinis igne purgaſſe labia illius, quia *Seraph. incendens* interpretatur: ſimili ergo ratione cuſtos ille angelicus vocatur Cherubim, ex miniſterio aſſumpto, quoniã Paradiſus fuit occluſus homini; eo quod extendit manum ad fructũ arboris ſcientiæ: *Cherubim* autem interpretatur *ſcientiæ plenitudo.*

Mag. ſent. i. 2. diſtin. 10. Scotus, Durand. ibid. S. Dion. de cœl. hierar. lib 9 c. 13. S. Greg. homil. 34. in Euangel. D. Th. p. p. q. 112. art. 2. ad ſecundum. Iſa. 6.

XII. IN explicatione autem flammei gladii, atque verſatilis Doctores in varias abiere ſententias. nam SANCTES PAGNINVS vult illum fuiſſe ferrum lanceæ linguæ flammeæ ſpeciem præ ſe ferentem. LXX. INTERPRETES exponunt, laminam gladii terſam, politam, ac fulgentem fuiſſe, quæ vt flamma ſplenderet, S. vero CYPRIANVS, GVLIELMVS HAMERVS, TERTVLLIANVS, & S. THOMAS flammeum illum gladium interpretantur eſſe torridam zonam, LACTANTIVS vero FIRMIANVS RVPERTVS, HVGO VICT. LYRANVS, ABVLENS. exiſtimant flammeum illum gladium eſſe murum quendam ignis ex terra ibi erumpentis, vt in Ætna Siciliæ, Veſuuio monte, & noui orbis Vulcano; vel certe à Deo ibidem de nouo creati, quo Paradiſus veluti impenetrabili ſepto toto ambitu eſſet ex omni parte cirumuallatus. In tanta opinionum varietate illa proculdubio magis mihi arridet, quæ docet aciem gladii verſatilis, ſeu ex vtraque parte acuti fuiſſe figuram quandam igneæ lanceæ, quam Cherub manu tenens, atque coruſcans proterrebat primos parentes à Paradiſo, & ab arbore vitæ arcebat. qua præmiſſa literali intelligentia, myſticam, & allegoricam ingrediamur.

Sanct. Pagninus in theſauro. LXX in c. 3. Geneſ. S. Cypr. lib. de Gen. c. 2. Gul. Hamer. ibid. Tert. Apolog. c. 47. S. Tho. 2. 2. q. 164. a. 2. ad quintũ. Lact. Fir. l. 2. diuin. inſtit. c. 13. Rup. Hugo de S. Victore.

XIII. IN eo certe facile detegemus, quam recte Paradiſus ille beatam Virginem adumbrarit in ſua conceptione; ſicut enim Paradiſus ille admiſit in ſe Adamum innocentem, minime vero recepit Adamum peccatorem, ſed longe à ſe propulſauit; ita beatiſſima Virgo in puncto ſuæ Conceptionis non admiſit Adamum primum peccati originalis labe illam inficientem, ſed clauſit illi oſtium, vt idonea eſſet ad recipiendum in ſe ſecundum Adamum ex præuiſis eius meritis illam ab omni macula præſeruantem. Angelum enim cuſtodientem Paradiſi oſtium apparuiſſe ſub ſpecie humana, vt tradit S. GENNADIVS non obſcure ſignificaſſe mihi perſuadeo, Filium Dei cuſtodem, ab inſtanti conceptionis beatæ Virginis, futurũ eſſe magni conſilii Angelum ſub ſpecie veri hominis, ſicut & ipſe ſub eadẽ cuſtos fuit portæ virginei clauſtri, EZECHIELE dicente: *Porta hæc clauſa erit Principi, Princeps ipſe ſedebit in ea.* Vnde merito ipſa verba illa Iudith contra Holofernem triumphantis ſibi vſurpans, intonare poteſt: *Viuit autem ipſe Dominus, quoniam cuſtodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem,* hoc eſt, aduerſus omne genus peccati in Conceptione, in totius vitæ decurſu, & in fine illius diuina gratia me præmuniuit. Sicut enim ob illam cuſtodiam Angelicam beſtiæ agri in Paradiſum ingredi prohibebantur, ne quoquo modo illum deturparent; ita beſtiæ, ac feræ peccatorum in hunc ſacrum Paradiſum Virginis intrare prohibitæ ſunt; vnde Sponſus ait illi: *Hortus concluſus, ſoror mea ſponſa, hortus cõcluſus, fons ſignatus*: ecce triplicem clauſurã indicat; vt oſtendat clauſum fuiſſe hunc cæleſtẽ Paradiſum triplici peccatorum generi, originali, mortali, & veniali. Vel aliter eadẽ verba exponere poſſumus: Primo, vt dicamus ſingularem Virginis excellẽtiam in eo denotari, quod facta fuerit ſoror ſapientiæ genitæ Patris: ſicut enim hæc ait: *Primogenita ſum ante omnẽ creaturam*; ita & B. Virgo, velut ſoror eius gemella per gratiã gloriatur, dicens: *Ante omnes colles ego parturiebar.* Vnde HVGO de SANCTO VICTORE ait: *Soror* vocatur cœleſtis hæreditatis participatione: ſponſam vero illam vocat, quia cum Deo coniuncta diuinam prolem humana carne indutam procreauit. Vocat deinde illam: *Hortum concluſum*, vt ſignificaret animã eius nulli peccato fores aperuiſſe: *fontem* vero *ſignatum* dicit eam, vt ſigillum virginitatis eius deſignaret. Vel dicam⁹ aliter cum IOANNE PICO, Vocari Virginem *hortum*, propter fœcunditatem, & *concluſum* propter clauſuræ virginitatem ante partum, propter eandem vero poſt partum vocari fontem ſignatum. Hunc ergo tam amœnum, tam florentem, atque ſibi delicioſum Paradiſum contemplans idem ſponſus in illa dulcia verba prorupit: *Emiſſiones tuæ ſicut Paradiſus*; quæ ſequenti homilia elucidabimus, ne hanc longiorem, quam par eſt habeamus.

S. Gennad. ſuper cap. 3. Gen. Ezech. 44. Iudith 13. Cant. 4. Eccleſ. 24. Prou. 8. Hugo de S. Victore lib. 2. inſtit. mon. ſer. 60. Ioan. Picus ſuper Cant. l. 2. c. 24. Cant. 4.

HOMI-

HOMILIA XVI.

Eandem Paradisi metaphoram prosequimur; ostendentes, quam apte beatissima Virgo in sua Conceptione se comparauerit insignioribus arboribus, quæ in illo consitæ erant, vt Cedro, Cypresso, Cinnamomo, Ficui, Malogranato, & Palmæ.

I. INTER alia pleraque externa indicia, quibus Deus Optimus Maximus à principio constitutionis mundi amorem, quo hominem prosequebatur, exhibuit, non infimum locum tenet, quod, vt honorifice illum hospitio reciperet, *Paradisum voluptatis*, & (vt vertit SYMMACHVS) *Paradisum florentem*, sicut & Angelis cœlestem, tanquam proprium domicilium ei præparauit. Cuius quidem plantationis tam sollicitam curam gessit, vt D. HIERONYMVS affirmet, primum fuisse opus eorum, quæ Deus effecit; nam vbi vulgata lectio habet: *Plantauit autem Deus paradisum voluptatis à principio*, SYMMACHVS & THEODOSIVS vertunt: *Paradisum voluptatis principium*; ex quo infert sanctus Doctor manifeste comprobari, quod priusquam cœlum, & terram Deus faceret, Paradisum condiderat: quod neutiquam intelligendum est, vt prius Deus produxerit Paradisum terrestrem, quam cœlum: id enim pugnat cum sacra Scriptura, vt ex Mosaica Geneseos narratione clare constat; sed quod prius quam reliquas terræ partes, locum Paradisi excoluit, magnaque florum, ac arborum varietate adeo exornauit, vt reliqua alia respectu illius quasi viderentur vltimam sui factoris manum non suscepisse.

Gen 2.

II. DÆMON tamen inuidiæ, & odii igne aduersus Deum, & hominem exardescens, duo portentosa scelera tentauit, & perfecit; nam inprimis Paradisum illum terrestrem, sicut quondam & cœlestem cum tertia parte stellarum ad se pertraxit suæ diabolicæ suasionis, & instigationis veneno, sub specie immanissimi colubri se ostendens spurcissime polluit, vetito à Deo arboris fructu vesci Adamo persuadens; deinde plantare cœpit ipse non vnum, aut alterum, sed & plures voluptatis paradisos, ac amœnissimos deliciarum hortos, in quibus variæ victimæ ei offerebantur. Vnde Dominus per ISAIAM conqueritur aduersus eos, qui in huiusmodi hortis Diis sacrificia offerebant: *Populus qui ad iracundiam prouocat me ante faciem meam semper, qui immolant in hortis, & sacrificant super lateres*, eosdemque igne, & gladio, sicut olim terrestris Paradisi ingressores Deum puniturum minatur idem ISAIAS: *In igne suo Dominus iudicabit, & in gladio suo ad omnem carnem, quia sanctificabantur, & mundos se putabant in hortis*; at ne antiquus serpens gloriari posset, quod omnes Dei paradisos tam cœlestes, quam terrestres contaminarat partim pestifera superbiæ aura in eos perflans, partim sulphureo Veneris calore exurens, decreuit excellentiorem, atque amœniorem alium paradisum secundo Adam præparare. Vt enim dixit DAMASCENVS: *oportebat prius palatium præparari, & ita Regem adesse*: ad hanc autem præparationem merito putauerim pertinere, quod beata Virgo à principio suæ Conceptionis Paradisus voluptatis Verbi extiterit; ne autem inimicus homo posset in eo peccati originalis zizaniam seminare, aut quidpiam nocumenti ei inferre, clausit vndique illum ignea sera diuini amoris, quo animus eius à principio suæ formationis æstuare cœpit, variisque virtutibus tam Theologicis, quam moralibus velut clauibus obserauit.

Apoc 12. *Genes. 3.* *Isai. 65.* *D. Damasc. orat. 3. de Natiuit.*

III. QVOD vt clarius innotescat, parumper contemplemur arbores in illo primo Paradiso consitas, quibus non semel in sacra Scriptura, & Patribus comparata inuenitur beatissima Virgo, quæ, vt dixit D. HIERONYMVS, *Hortus est deliciarum, in quo consita sunt vniuersa florum genera, & odoramenta virtutum.* Sed ingenue fateor, quoties vagor oculis animi non per Mydæ, Tantali, vel Hesperidum hortos, quos fabulosis carminibus Poetæ plantarunt, sed per diuinum hortum Marianum, hortum voluptatis Dei, in quem de cœlo Sponsus crebro solitus erat descendere, & ad quem nunc spirituales apiculas ascendere vult, vt ex flosculis virtutum illius, mentis ore delibatis, deuotionis fauum sibi conficiant; quoties, inquam, in hunc hortum cogitatione rapior, tanta me rapit admiratio, vt illa, velut clauo defigar immotus, & quo me vertam, nesciam. Proceritas namque Cypressi me inuitat; odor Cinnamomi sua fragrantia me allicit; Cypressi incorruptibilitas me vocat; cedri maiestas imperat, & impellit, ficus dulcedo me trahit, malogranati pulchritudo sermonem à me extorquet; palma denique, quæ victoriæ symbolum semper extitit, reliquis arboribus in hac nostra tractatione præferri, quasi iure suo sibi vendicat.

D. Hieron. sermon de Assumpt.

IV. VERVM quia sermo est de Regina Maria, non possum non primas dare Cedro arborum Reginæ. Ipsa quidem ait: *Quasi cedrus exaltata sum in Libano.* Diuus Isidorus refert, proloquiũ Persii, *Cedro digna locutus*, satis vulgatum fuisse, quod duplicẽ potest sustinere sensum. Primus, vt sicut cedrus incorruptibilis est, ac perpetuo permanens, ita verba sapientis è memoria hominum digna sunt, vt nunq̃ excidant. Secundus est, vt orator in eo genere argumenti, cuius tractationem assumit, subiecti excellentiam tam oratione excellat, quam sublimitate cedrus reliquas arbores superat: iuxta quam intelligentiam de hoc spirituali cedro B. Virginis veracius dicemus: *Cedro digna locutus nemo*, id enim soli Deo reseruatur: *ipse enim solus mensus est eam*; quod tamen ipse indignabitur nobis donare, sine inuidia communicabimus. PLINIVS, & reliqui

Eccles. 24. *D. Isid. lib. 17. origin.* *Ezech. 41.* *Plinius de nat. histor.*

naturales

naturales hiſtoriographi duplex cedri genus diſtinguunt; maritimum vnum, aliud non maritimum. De hoc ſecundo ferunt naturalium rerum hiſtorici, omnium arborum altiſſimam eſſe, quod in Mariam recte conuenire quis non videat, cum altior ſit cœlis, excelſior Angelis, & omni pura creatura magnitudine gratiæ ſublimior? Cedrus *candidatio* interpretatur, & merito propter innatam virtutem, qua viget ad turpiſſimos ſerpentes, ac ſpurciſſimos vermes longe à ſe fugandos, quod non obſcure immaculatam Virginis Conceptionem adũbrat, quæ ea diuinæ gratiæ virtute prædita fuit, vt in prima ſui formatione peccati originalis ſerpentem, ac infeſti fomitis vermem longe à ſe propulſaret. Aliud tradunt cedri genus maritimum, quæ parua eſt, & fructifera: paruitate quidem humilitatem Mariæ, quæ parua erat in oculis ſuis, virtute vero ſua fructifera miram eiuſdem fœcunditatem figurat. ſicut enim fructus illius triplici compactus eſt ſubſtantia, vt iidem Naturales tradunt prima calida, ſecunda temperata, vltima frigida; non ſecus fructus benedictus Mariæ, de qua natus eſt IESVS, ex triplici conſtat ſubſtantia; Diuinitate, anima, & carne, vt in ſymbolo Athanaſii fides Catholica docet: quarum prima, nempe Diuinitas, calida adeo

Heb.12.

eſſe perhibetur, vt D. PAVLVS dicat: *Deus noſter ignis conſumens eſt* Secunda, ſcil. anima, non poterat non eſſe temperatiſſima, cum virtutes omnes in ea perpetuo medium tenuerint; nullaque vnquam illarum ad aliquod deflexerit extremum: vltima tandem, ſcilicet caro, ea caſtitatis frigiditate viguit, quæ illam ab omni venereo calore penitus alienam reddidit.

Eccl.24.

V. CYPRESSO etiam ſe comparauit B. Virgo: *Quaſi Cypreſſus in monte Sion.* Confingunt Poetarum fabulæ, puerum quendam nomine *Cypariſſum* in ſui nominis arborem conuerſum fuiſſe, cuius meminit OVIDIVS: & de ea loquitur VIRG. dicens:

Ouid.3.Metamorph.
Virgil.3. Æneid.

Aereæ quercus, & coniferæ Cypariſſi.

Et MARTIALIS ait:

Daphyneas platanos, & aereas Cypariſſos.

Virgil.1. Georg.

Hanc tamen arborem Latini communiter vocant *Cypreſſum*, licet alii appellent eam *Cupreſſum*, iuxta illud Virgilii:

Et teneram à radice ferens ſyluane cupreſſum.

Eccleſ.24.
D. Iſidor. 17. Etymol.

Vulgatus noſter Interpres vocat eam Cypreſſum; D. Iſidorus ait: Cypreſſum odoriferam adeo eſſe, vt ſerpentes eius ſuauitatem ferre non valentes, longe aufugiant, adeoque ſolidam conteſtatur, vt nec putrefieri, nec aliquo pondere flecti, ſuæque rectitudinis iacturam aliquam ſubſtinere poſſit. Id ad amuſſim deſcribit beatam Virginem in ſua immaculata Conceptione, quæ adeo odorifera tunc prodiit, vt ſanctitatis eius miram ſuauitatem ſubodorans antiquus ſerpens, ad illam inficiendam accedere auſus non fuerit: adeo etiam ſolida, vt nullo peccati pondere incuruata, cœlitus datam rectitudinem vnquam amiſerit, immo nec amittere potuerit. ſed quid non ſolida extitiſſet beatiſſima Virgo, quæ ſeptem columnis, hoc eſt, ſeptiformis Spiritus ſancti donis ſtabilita, & fundata erat, SALOMONE dicente: *Sapientia ædificauit ſibi domum, & excidit columnas ſeptem.*

Prouerb. 9.
Plin. li. 55. cap. de Cupreſſ.
Pier. lib. 12.

VI. PLINIVS & PIERIVS tradunt, ex hac arbore olim apud Antiquos fieri ſimulacrum Deæ Iunonis, eo quod tinea, aut ſimili alio verme nunquam corroditur: ſi ergo Gentiles illi tantum honoris Iunoni deferebant, vt imaginem eius ex arbore tinea corroſa affabrefieri omnino prohiberent, quomodo Deum, Filium ſuum humani corporis imaginem ſumpturum, ex fœmina peccati originalis tinea corroſa illam ſumere voluiſſe credemus? Immo certe ſicut Iunonem diuitiarum Deam exiſtimabant, & ideo pauonem illi adhærentem depingebant, quia diuitiæ ſunt inſtar pauonis caudæ deauratæ, & oculis plenæ: quia mortalium oculos ad ſe pertrahunt; ita beata Virgo in ſua Conceptione cœpit adeo cœleſtibus chariſmatibus locupletari, vt Spiritus ſanctus ei diceret: *Multæ filiæ congregauerunt ſibi diuitias, tu vero ſupergreſſa es vniuerſas:* vnde ſicut ibi depingebant pauonem, qui diuitiarum ſymbolum erat, Iunoni proximum; ſic Eccleſia Catholica Chriſtum Dominum diuitiarum fontem proximum Virgini in manibus eius depingit.

Prou.31.

VII. VT autem ſymbolica pauonis ſimilitudo apta eſſe conſtet, ſilẽtio non præteribo lectionem quorundam, qui vbi noſtra vulgata ait de Chriſto Domino: *Manus eius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis:* ipſi vertunt iuxta Hebraicum originale: *Manus eius cauda pauonis*, quod perinde fuit, ac dicere: In eo eſſe reconditas omnes diuitias, liberaliterque eas erogare; alludentes in hoc ad id, quod nuper dicebã de pauonis cauda, quæ ſymbolum erat diuitiarum. Ac tandem ſi cupreſſus mortis argumentum fuit, vnde in ſepulchris poni conſueuit:

Cant.5.

Funeſta eſt arbor Procerum monumenta cupreſſus.

Id etiam recte Virgini in Conceptione ſua conuenit, in qua mortem Diabolo intulit, vt ei prædixerat Dominus: *Ipſa conteret caput tuum.*

Gen.3.

VIII. SED iam de variis ſacramentis in cinnamomo arbore latentibus ſermonem inſtituamus, *ſicut cinnamomum*, ait Virgo, *& balſamum aromatizans odorem dedi.* PLINIVS de naturali hiſtoria refert, Phœnicem auem, quæ vnica eſt, & in arbore hac nidificare ſolet, nulla ratione pati aliam in eodem nido ſecum commorari. Tradit etiam quod Imperator Veſpaſianus contexi iuſſit coronam auream cinnamomo plenam, qua Deæ Pacis tempora redimiuit: ſcribit deinde, non poſſe euelli ramos ex hac arbore, niſi à ſummo Sacerdote ſacris veſtibus induto, & præcedentibus variis ceremoniis, inter quas hæc ſpecialis erat, vt non cæderentur ante ſolis ortum, nec poſt occaſum, ſed die claro & fulgenti, & iam facto ſacrificio: ac tandem ſubiungit, ramos illos in tres partes diuidi conſueuiſſe: Primam offerebant Diis, qui in argumentum, quod ſibi placeret, ardentem flammam ſuper illos deſuper emittebant; ſecundam Sacerdoti; tertiam po-

Eccl. 24.
Plin. li. 12. cap. 19.

pulo

pulo adiudicabant. Hæc omnia quam apte Virgini congruant, paulatim elucidemus. Inprimis auis illa Phœnix, quæ vnica est, Christum Dominum refert, tum quia vnicus tam Patri quam Matri suæ; tum quia, sicut Phœnix ex igne nascitur, & in igne moritur; ita & Christus igne amoris incensus inter homines nasci voluit, & eiusdem amoris flamma æstuans in cruce obiit. Hæc sacra Phœnix in beata Virgine, velut illa in cinnamomo, nidificauit; & sicut illa nullam aliam auem in eodem nido commorari patitur, sic Christus Dominus rapacem illam auem, Dæmonem intelligo, minime inibi vnquam inhabitare permisit. Sicut etiam arborem illam non aliis, quam sacris summi Sacerdotis manibus contrectari fas erat, nec id ante ortum, vel occasum solis, sed clara eius luce vigente; non dissimiliter sacram hanc cinnamomũ beatæ Virginis, non Dæmonis manus filiorum Adæ conceptionẽ maculantes, sed solius Dei, & summi Sacerdotis Christi manus cœlesti diuinæ gratiæ lumine coruscante contigerunt. Atque hinc est, quod sicut prima pars ramorum illius arboris, quæ in tres diuidi solebat, Deo reseruabatur; non secus prima pars totius vitæ beatæ Virginis, quam constat, Conceptionem eius fuisse, non Dæmoni reseruata, sed Deo sacrata, & oblata fuit.

Honor. sup. c. 4. Cant. IX. ADHÆC HONORIVS addit, cinnamomi arborem tres habere cortices, quibus ab inclementia temporum valde protegitur; hoc quid aliud significat quam beatam Virginem triplici spiritali cortice præmunitam fuisse aduersus triplex peccati genus, originale, mortale, & veniale? Addit etiam D. GREGORIVS NYSSENVS, hanc arborem tali præditam esse natura, vt perimat genita ex quacunque corruptione, quod & incorruptionem immaculatæ Conceptionis adstruit; ea enim singulari instar cinnamomi præstitit virtute, vt peccatũ originale, quod ex primi hominis corruptione ortum habuit, penitus interimeret. Sed his maiora subiicio; Commentator DIOSCORIDIS refert cinnamomum olim in tanto pretio habitam, & adeo desideratã fuisse, vt & augustissimi Imperatores fragmentũ aliquod illius ad manus habere difficillime possent, & PLINIVS refert, Augustum Vespasianum aureas quasdã coronas, quas confecerat, cinnamomi particulis ornasse, ac perpoliisse, quasi pluris habens cinnamomum, quam aurum. Tanti profecto hoc arboris genus habebatur propter abditã virtutem, quã continet. hoc quid aliud indicat, nisi excellentiam beatæ Virginis tanti apud vniuersas gentes habendam esse, vt ab omnibus generationibus beata dicenda foret, vt ipsa prædixit: *Ecce enim ex hoc beatã me dicent omnes generationes.* Aiunt præterea cinnamomum, licet in planis gignatur, sed inter asperrimos vepres, & spinosos rubos: non dissimiliter B. Virgo, licet concepta à progenitoribus, qui spinosi vepres fuerãt, peccati originalis aculeo puncti, ipsa tamen ex his originem duxit instar cinnamomi absque vlla peccati pungente spina.

Greg. Nyss. in Comm. huius loci.

Dios. Com. lib. 1. c. 1.

Plin. lib. 12. c. 20.

Luca 1.

X. CINNAMOMI arbor adeo olim sacra erat, vt PLINIVS dicat; *Sarmenta hasta diuidit sacerdos, Deo partem ponit, reliquum mercator condit:* Non secus B. Virgo adeo sacra fuit, vt partem substantiæ eius, hoc est, purissimi Sanguinis illius Deus ipse sibi acceperit, ac materiam eius hypostatico vinculo sibi vnierit; reliquum vero tanquam spiritualium, ac cœlestium diuitiarum mercatoribus ad nostram vtilitatem nobis reliquit. Beata enim Virgo tota animo, & corpore intenta nostris commodis semper prospicit, & filiorum suorum emolumentis incessanter consulit. Subdit deinde Plinius, quod radicibus cinnamomi proximum est, vile esse, quod vero in medio, & in vertice pretiosissimum: non secus vilius, & humilius, quod in B. Virgine reperitur, illud est, quod ex radice & stirpe regia originẽ traxerit; excellentius tamen, quod intacta permanens, in medio ventris sui Christum portauerit: præstantissimum autem, quod à sublimiori parte animæ illius altissima contemplatio, & ardentissimus amor nec per momentum deficerent. Marcellæ namque dicenti: *Beatus venter, qui te portauit,* Christus Dominus dixit: *quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* *Luc. 11.*

XI. REFERT præterea PLINIVS, inauditũ quoddam naturæ prodigium visum fuisse in templo, quod in honorem Cæsaris Augusti Augusta eius vxor extexerat: radicem cinnamomi magni ponderis commemorat visam aureæ pateræ impositam, ex qua guttæ editæ in grana ducebantur, donec id delubrum incendio consumptum est. Certe quod radix, cum vigorem conseruat, alicuius liquoris guttas emittat, non semel accidit; quod autem radix sicca, & humore destituta eas producat, inauditum est. At voluit Deus hoc prodigium præmittere, vt & res etiam naturales beatissimam Virginem adumbrarent. Ipsa quidem est radix illa magni ponderis, quam sancta mater ECCLESIA salutat, dicens: *Salue radix sancta, ex qua mundo lux est orta.* Eua radix fuit generis humani, B. vero Virgo radix, vnde ortus est Christus. vnde sicut qui arborem fouet, specialem radicis curam habet, & illam colit, illam irrigat, proximã illi terram fodit, vt cœlesti pluuia copiosius perfundatur; ita Deus sollicitam curam gessit Conceptionis B. Virginis, quæ eius radix futura erat, & Mater, atque illam tot diuinæ gratiæ imbribus irrigauit, ac tot cœlestibus donis præmuniuit, vt peccati originalis vermis ad eam corrodendam minime accedere ausus fuerit: Radix hæc in patera inuenta fuit, dum aderat in visceribus sacrosanctæ Annæ matris eius, quæ auro charitatis ditissima erat. Quod si radix illa sicca absque vllo humore cuiusdam liquoris guttas emittebat; etiam B. Virgo absq; humore virilis seminis Christum parturiuit *fontem aquæ viuæ*; imo & copiosum fluuium vniuersam Ecclesiã irrigantem, vt ipse testatur: *Ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio, ego quasi fluuii Dyorix, & sicut aquæductus exiui de paradiso.* Vt tamen B. Virgo mirabile suæ Conceptionis *Eccles. 24.*

Plin. lib. 12. c. 19.

Ibid.

arcanum amplius explicaret, addidit: *Quasi cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi.* Reliqui omnes, tam viri, quam fœminæ, cum in peccato concipiantur, nullum Deo suauem odorem, sed execrandum fœtorem mittunt; vnde cum B. Virgo dicat in Conceptione sua se odoris suauitatem emisisse, consequens est, peccati originalis fœtore minime infectam fuisse, quare in figura illius MOYSES prædixit: *Odoratus est Dominus odorem suauitatis*; vel (vt legit Hebræum originale) *odorem quietis.* Bene quidam ait, *odorem quietis*, quia sicut quando quis desiderans aliquid, & illud non obtinet, inquietum est cor eius, si tamen voti compos euadat, continue eius animus quiescit: non dissimiliter, cum Deus summopere desiderasset mundam aliquam, ac immaculatam Conceptionem (omnes enim erant immundæ & infectæ) cum primum sacram Virginem absque omni labe peccati conceptam vidit, confestim, velut qui rem desideratam obtinuisset, animus eius quieuit, & ideo ait sacer textus; odoratum fuisse Dominum *odorem quietis.*

Gen. 8.

Gen. 3.

XII. PORRO, cum in Paradiso fuerit ficus arbor insignis adeo, vt illam grauissimi Doctores putauerint esse, ex qua Adam fructum prohibitum decerpsit; nimirũ D. ATHANASIVS, ISIDORVS, THEODORETVS, S. ALCINVS, S. GENARIVS, S. ANASTASIVS NICEPHORVS, PROCOPIVS, LYRANVS; quorum sententia (vt id obiter dicam) rationi videtur consona quia credibile est, simulatque primi parentes de arbore prohibita comederant, pudore correptos, ex ea, quæ proxime ad manum erat, velamina sibi aptasse, quibus nuditatem suam contegerent; sacra autem Scriptura expresse ait, *consuerunt sibi folia ficus*; vnde perdocte THEODORETVS præcitato loco ait: *Dum adhuc consuerunt folia, audierunt vocem Dei deambulantis, & sub arbore latitarunt; non alia videlicet, quam vnde folia decerpebant. Hæc autem erat, de qua præceptum acceperant, vt Propheta inquit, in medio ligni Paradisi. De eo autem cum manducassent, etiam folia texebant, propterea quod sua nuditatis eos puderet. Vniuersa autem erant folia ficus. Certe, sine controuersia, arbor illa erat ficus, de qua præceptum acceperant, sed nõ assentiuntur quidam præ nimia, vt mihi videtur, simplicitate, qui putãt, oportere nouũ quoddam esse lignum, non attendentes, quod non ligni qualitate, neque nouitate cibi peccata censentur, sed ex præcepto dato, cuius transgressio quantulacunque pari reprehensione digna est.*

S. Atha. q. 49. ad Antiochum.
S. Isid. li. 1. in ep. 31 ad Theoph.
S. Alcinus l. 3. in Gen. c. 1.
S. Anast. Sinaita li. 8. in Exameron.
Niceph. l. 1. hist. Eccles. c. 27.
Procop. in 2. Gen.
Lyrã. ibid.
Gen 3.

XIII. CVM autem varia sint ficus genera, incertum est, ex quo genere fuerit illa, ex qua primus Parens comedit. Illud tamen certum mihi est, persimilem fuisse beatam Virginem ficui, cuius meminit PLINIVS, vt refert RVPERTVS: hæc habet ramos longissimos, & quia ficis est onusta præ grauitatis pondere, vsque ad terram illos demittit: folia eius sunt instar scuti protegentis corpus pugnantis, sub vmbra eius non solum homines, sed & animalia requiescunt: fructus eius adeo dulcis est, vt in admirationem comedentem rapiat. Commentator DIOSCOR. & D. ISIDORVS aiunt: Taurum ferocissimum ad fici arborem colligatum mansuescere. Hanc etiam arborem tradunt immunem omnino esse à percussione fulguris: Ait ergo Rupertus: ista ficus est parabola Virginis benedictæ, & merito rami eius potentiæ animi illius erant variis, ac heroicis Theologicarum virtutum fructibus onustæ, adeo vt in terram summa humilitate illam demitterent, ipsa dicente: *Ecce ancilla Domini*: & sicut folia fici, vt adnotauit HVGO CARDINALIS super Lucam ad similitudinem manus humanæ formata sunt, ita interni actus beatæ Virginis non interius sistebant; sed ipsa operi manus admouens, bonorum operum partus incessanter edebat: folia deinde huius mysticæ ficus patrocinium sunt, protectio, & continua pro peccatoribus intercessio, quibus velut inexpugnabili scuto à diuinæ iræ iaculis nos defendit: in cuius figura sacra GENESIS historia (vt supra dixi) refert, nuditatem suam primos Parentes operuisse foliis ficus, quibus se a frigore protegerent, vnde sub vmbra eius non solum iusti & sancti, sed & qui bestiarum more vixerant, cum spe veniæ requiescunt: & sicut alligatus ad ficum ferocissimus taurus mansuescit ita alligatus Deus carni per vinculum vnionis hypostaticæ in vtero Virginis factæ, cum antea esset velut taurus mugiens: *Deus vltionum Dominus, Deus vltionum libere egit*, tantam postmodum induit mansuetudinem, vt iam *Deus misericordiarum, & Deus totius consolationis* à D. PAVLO vocitetur. Ac tandem (quod præsertim huic argumento conuenit) sicut arbor illa ficus ab omni fulgure immunis erat; ita beatissima Virgo à peccati originalis fulgure, à quo nemo non percutitur immunis ipsa fuit.

Rup. Eleod. sup. li. Sap. lect. 40.
Diosc. lib. 1. cap 45.
D. Isid. lib. 17. origin. cap 7.
Luc. 1.
Hugo Car. super Luc. c. 21.
Genes. 3.
Psalm. 93.
2. Cor. 1.

XIV. His omnibus addamus, quod cum ficus ita egregie beatam Virginem adumbret, mysterio vacare non potest, inter omnes arbores de sola ficu Christum dixisse, vt ab ea disceremus prope esse æstatem: id arbitror consulto dixisse, quia Conceptione beatæ Virginis per ficum adumbrata monemur aduentum Christi, qui ex ea nasciturus erat, prope iam adesse. Quod si Christus Dominus ficum maledixit, id certe fuit, quia fructu carebat; ab hac tamen maledictione longe aberat Maria, quæ fructum edidit Christum *Dominum Patri consubstantialem, per quem facta sunt omnia.* Ex quo infero, in eo esse dissimilem Virginem ficui (quamuis id Marianam etiam excellentiam commendet) quod fructus illius nociuus erat ad mortem: *In quacunque die ex eo comederis, morte morieris*; fructus tamen Virginis antidotum fuit, & salus ad vitam; vnde ille prohibitus fuit comedi, iste sub præcepto iussus est manducari: *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Luc. 21.
Marc. 11.
Genes. 2.
Ioan. 6.

XV. VERVM, vt ad insigniorem, ac celebriorem arborem me conuertam, sponsum video malogranati arbori Virginem comparasse. *Emissiones tuæ*

Cant. 4. *nes tuæ Paradisus malorum punicorum pomorum fructibus:* vel, vt alii legunt: *malogranatorum.* Obseruatione dignum est, florem malogranati propterea rubicundum, & diademate coronatum oriri, quia fructus eius rubicundus est futurus, & inter omnes alios primatum habiturus: quemadmodum ergo natura habito respectu ad fructum malogranati, florem rubicundum, & coronatum produxit; sic diuina Sapientia, quæ non minus sollicita fuit in ordine supernaturali habito respectu ad Christum futurum fructum huius Mariani floris, à principio suæ Conceptionis ardentissimo amore beatam Virginem accendit, ac diademate charitatis conceptionem, quæ caput vitæ illius fuit, redemit. Vnde, cum in hac sua Conceptione, velut regina diuinæ gratiæ coronata, instar malo granati prodierit, manifestum est, sub misera Dæmonis seruitute minime tunc iacuisse, nec enim in vna sede morantur seruitus, & libertas; vilia mancipii insignia, & coronæ regia maiestas.

XVI. Tandem, vt iam coronidem meæ orationi imponam, silentio minime præterire possum, beatam Virginem cum Palma se composuisse: *Sicut* Eccles. 24. *Palma exaltata sum in Cades.* Plinius de naturali Plin. l. 13. cap. 4. historia ait: *phœnix* græce idem est, quod latine Palma; quod beatæ Virgini absque macula conceptæ recte conuenit: est enim hæc inter puras creaturas instar phœnicis inter omnes aues, vt ob id etiam merito de ea dici possit, quod canit Ecclesia: *Nec primam similem visa est, nec habere sequentē.* Nam cum omnes filii Adæ naturali propagatione concepti, ab infestissimo hoste peccati originalis misere vinciantur, ac Diaboli seruituti subiciantur; Virgo tamen, tanquam victrix horum hostiū, prodiit in sua conceptione triumphalem Palmam in signum victoriæ manu portans; eius arma folia eiusdem Palmæ repræsentant, cum hæc formam, ac figuram ensis præseferant; necnon & spinæ ex ligno eius erumpentes, quæ Diabolum grauiter punxerunt. Quod si contēplemur in Palma id, quod idem Plinius ex Aristotele præcitato loco commemorat, de Conceptione Mariana quæ diximus, facile quisque vera esse cognoscet: ait enim à principio sui ortus pulcherrimam esse arborem, ita vt nec per momentum insignis eius pulchritudo ei deficiat, id, quæso, quid aliud aptius præsignificare potuit, quam beatam Virginem à principio suæ conceptionis pulcherrimam extitisse, ita vt nec per momentum diuinæ gratiæ pulchritudo ei defuerit. Atque ad hæc omnia arborum genera beatam Virginem in sua Conceptione adumbrantia respiciens Cant. 4. sponsus præcitata verba dicebat: *Emissiones tuæ sicut Paradisus:* cum enim emissiones significent propagines plantarum, perinde fuit, ac si diceret: Propagines virtutum tuarum non secus me recreant, ac saluberrimus, & amœnissimus voluptatis paradisus, qui mortalium animos reficere solet.

HOMILIA XVII.

Multiplici eruditione tam sacræ Scripturæ, quam Iuris ciuilis docetur, beatissimam Virginem propriissime dici, & fuisse redemptam per Christum, quamuis nunquam sub peccati originalis seruitute iacuerit; simulque ostenditur, quantum interfit inter Christum, & Virginem, quoad carentiam culpæ originalis.



I. IMPVGNANTES immaculatam Virginis Conceptionem arbitrantur, quod si absque peccato originali conciperetur, non fuisset à Christo redempta: quia vbi non est captiuitas, non habet locum redemptio. Sed hanc rationem subtiliter dissoluit noster Scot. dicens: excellentiorem redemptionis Scotus 3. dist. 3. q. 1. modum esse, præseruare aliquem, ne cadat, quam ipsum postquam cecidit, eleuare: sicut melius est aliquem à vulnere defendere, & præseruare, quam post vulnerationem remedium ei adhibere, vt constat ex lib. I. C. quando licet vnicuique sine Iudice vindicta. Vnde D. Avgvstinvs ait: *maiorē gratiam* D. Aug. super Gen. ad lit. *impendi illi, cui conseruatur innocentia, quam cui remittitur culpa:* primo ergo modo Christus Matrem suam redemit, quod optime ostendit Ieremias dicens: Thren. 1. *Torcular calcauit Dominus Virgini filiæ Iuda:* Nunquid calcauit Crucis torcular soli Virgini? minime, quia etiam alios torcularis sanguine redemit; sed quia supradicto redemptionis modo solam Virginem liberauit: inde recte dicit Ieremias, Ibid. quod *calcauit Dominus torcular Virgini filiæ Iudæ:* Qui enim putant non esse alium redemptionis modum, nisi cum quis alium iam captiuum redimit, scribunt illud, quod Hercvles in suis Columnis in fine Terræ positis scripsit: *Non plus vltra.* Non enim deerit, qui eam inscriptionem deleat, proclamans in honorem Virginis: *Plus vltra:* quia alius est redemptionis modus, videlicet qui à nobis assignatur; quo qui gauisi fuerint, vere liberi, ac redempti erunt. Nam, vt docet Bartolvs: Bartolus in l. decem ff. de verb. oblig. & in l. non vtique ff. de except. Miles ab alio milite liberatus, ne in hostium potestatem veniret, etiamsi nunquam seruus eorum extitisset, manumissus censetur, quod Hispanice dicitur, *libertado:* sic etiam Virgo manumissa, & liberata fuit à Christo, licet nunquam fuerit Dæmonis ancilla, quæ Dei ancilla semper extitit; fauet etiā nobis D. Bernardvs sermone super D. Bern. ser. 21. super Cant. Cantica, vbi ait: Angelos fuisse redemptos sanguine Christi, non à peccato, quod commisissent, sed ab eo, quod possent committere, iuxta illud Apoc. *Ipsi vicerunt eum propter sanguinem agni,* qui, Apoc. 12. vt dicitur in eadem Apoc. *Occisus est ab origine* Apoc. 13. *mundi.* Ecce Angelos, etiamsi captiui non fuerint, nihilominus Christi sanguine redemptos vocat D. Bernardus: cur non ergo virginem dicemus re-

demptam, etiamſi peccatum non contraxerit: redimere enim non præſupponit captiuitatem, iuxta *Ephes. 5.* illud PAVLI: *Redimentes tempus, quia dies mali ſunt.*

II. CERTVM quidem eſt, tempus præteritum ſemel amiſſum redimi, aut reparari non poſſe, quare redimere tempus, iuxta Paulum, nihil aliud eſt, quam cauere, ne tempus amittatur: ita ergo redimere Virginem non eſt eam à peccato, vel ſeruitute in qua eſſet conſtituta liberare, ſed tantum cauere, ne in talem ſeruitutẽ deueniret. Et Pſalm. 43. dixit regius Vates: *Qui redemiſti Dauid ſeruum tuum de gladio maligno*; ibi enim eſt punctus in Hebræo: Ecce Dauid fatetur ſe redemptum, & liberatum à gladio gigantis, vel Saulis, non in quem incidiſſet, ſed in quem incideret, niſi à Deo liberaretur, & præſeruaretur: & Pſalm. 85. ait DAVID: *Eruiſti animam meam ex inferno inferiori*, non quidem, in quẽ veniſſet, ſed in quem veniret, niſi à Deo ſpecialiter cuſtodiretur. Pari ergo ratione liceb t philoſophari in præſenti, Virginem vere redemptam fuiſſe, non à captiuitate, in quem incurriſſet, ſed ab ea, quam incurreret, ſi per merita diuinæ gratiæ non *D. Dionyſ. cap. 2. de Ecclеſ. hierarch.* præueniretur. D. item DIONYSIVS ait: *Angeli purgantur ab ignorantia.* Vbi LINCONIENSIS ait: *Illis primis ſubſtantiis diuina ſcientia eſt velut purgans non à ſorde, quæ inficit, quæ apud nos dicitur vera purgatio, ſed, ne inſit obſtans; quod genus purgationis eſt ſecundum veritatem optimum.* Ad idem facit illud Ma*Malach. 3.* lachiæ, vbi loquens de glorificatione ſanctorum ait: *Purgabit filios Leui, & colabit eos quaſi aurum:* & *Luc. 2.* Lucæ: *Impletum eſt tempus purgationis Mariæ.* Et tamen ſancti in gloria, & beata Virgo, quæ ſuſceptione ſeminis non conceperat, omni macula purganda *Exod. 13.* carebant. In Exod. etiam habetur: *Omne autem primogenitũ hominis de filiis tuis, pretio redimes. Cumque interrogauerit te filius tuus cras, dicẽs; quid eſt hoc? reſpondebis eĩ: In manu forti eduxit nos Dominus de terra Ægypti de domo ſeruitutis:* ecce quilibet poſt mille annos ab egreſſu Ægypti debebat profiteri ſe eſſe redemptũ, vel eductum de domo ſeruitutis Ægyptiacæ, non quia ibi vnquam fuiſſet, ſed quia niſi redemptus fuerat tempore patrum ſuorum, ipſe fuiſſet ſubiectus ſeruitut: PROVERB. 23. notanda ſunt illa verba: *tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.*

III. ALIA etiam pene infinita loca ſunt in ſacra Scriptura, ex quibus aperte conſtat, quod redemptio extẽdit ſe ad præſeruationem. Deinde vrgenti *Mag. ſent. 3. d. 19.* ratione idem oſtendo. Nam MAGISTER ait Chriſtum Dominum redemiſſe mundum à morte æterna; conſtat autem nullum redimi hoc modo, niſi præſeruando illum, non vero eruendo eum à morta æterna, in quam actu incurriſſet; ſi enim neceſſarium eſſet incurriſſe in pœnam, à qua quis redimitur, & liberatur, nullus fidelium poſſet dici à pœna æterna redemptus per Chriſtum: item D. *Galat. 3.* Paulus ait: *Chriſtus redemit nos de maledicto legis,* ſed conſtat, nos nunquam fuiſſe ſub maledictione legis, hoc eſt, ſub graui illo onere, & ſeruitute veteris legis, *quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus,* vt dixit Diuus PETRVS; & nihilominus dicimur à diuo Paulo redempti, & liberati ab *Act. 15.* illo: ergo non eſt neceſſarium actualiter iacuiſſe ſub ſeruitute, & captiuitate, ad ſaluandam veram rationem redemptionis. Modus etiam loquendi Eccleſiæ idem confirmat: nam ſæpe illa poſtulat liberari à peccatis, à *pœnis inferni, à porta inferi,* & tamen non ſupponit hæc mala futura eſſe, & quod poſtea velit ab eis liberari, ſed poſtulat, ne eueniant, & id vocat ab eis liberari.

IV. Ac tandem vniuerſaliter veriſſimum eſt propriam redemptionem, & liberationem eſſe, quando qu s liberatur à malo imminenti, in quod neceſſario incideret, niſi præueniretur. Et hinc eſt, quod bene fortunatus dicitur, qui à quodam malo imminenti liberatur; ſicut è contra infœlix, qui à bono aliquo iamiam obtiuendo aduerſa fortuna fraudatur. Nemo igitur negabit, eum, qui liberatur à malo aliquo imminenti, antequam in illud incidat, non ſolum vere liberari, ſed & multo perfectius, quam ſi in illud incidiſſet: fateamur ergo neceſſe eſt, Deiparam Virginem non ſolum redemptam à Chriſto Domino, ſed excellentiorem redemptionis modum obtinuiſſe, quam reliqui omnes, cum ab eo præſeruata fuerit ab omni macula tam peccati originalis, quam actualis. Vnde melius, quam DAVID dicere potuit illud Pſalmi: *Deus ſuſceptor meus es: Deus meus, miſericordia eius præueniet me* Hinc rei veritate cõpulſi DVRANDVS, & Caietanus, licet contrariam ſententiam amplexati ſint, *Pſal. 58.* huic tamen veritati ſubſcripſere: Ille enim ait: *Puto, quod ſi beata Virgo peccatum originale non contraxiſſet, poſſet tamen vere dici redempta à Deo, pro eo, quod in radice ſua ex natura ſuæ Conceptionis obligata erat ad incurrendum peccatum, niſi fuiſſet à Deo præſeruata.* *Durar. in 3. d. 3. q. 1.* CAIETANVS vero: *Si tenetur* (inquit) *beatam Virginem non ex vi Conceptionis, ſed ex gratia ſingulariſſima in ipſo inſtanti infuſionis animæ præſeruatam fuiſſe ab originali peccato, quod tunc incurriſſet, niſi illa gratia adfuiſſet, nihil contra fidem tenetur; ſed ſpecialis modus redimendi, ac ſaluandi à peccato originali Chriſto attribuitur reſpectu ſuæ Matris.* *Caiet. 3. part. q. 23. art. 2.* Hæc inſignes iſti duo Doctores, & Cardinales ex familia Diui Thomæ.

V. SED pergo iam explicare, quid interſit inter Chriſtum, & Virginem, quantum ad carentiam peccati originalis. Certe ſi Theologico, & Scholaſtico more loquamur, vno verbo explicare poſſumus diſcrimen inter carentiam peccati originalis in Chriſto, & in Virgine. In illo enim carentia habebat rationem puræ negationis, quia non erat ſubiectum capax peccati, cum per naturam, in quantum Deus, & per gratiam vnionis hypoſtaticæ, in quantũ homo, eſſet impeccabilis. Carentia vero peccati originalis in Virgine habuit rationem priuationis, quia priuatio, vt Philoſophi teſtantur, eſt negatio formæ in ſubiecto apto nato: Virgo autem ſecundum ſe ſubiectum erat aptum

ad reci-

ad recipiendum peccatum, illudque de facto reciperet, nisi gratia per Christum illi collata præueniretur. Si autem prædictum discrimen concionatorio more explicare velimus, id pulchre satis deprehendem⁹ ex verbis illis D. PAVLI: *Alia est claritas solis, alia est claritas lunæ*; sicut enim soli debetur lux, tanquam proprietas illi connaturalis; luna tamen habet illam emendicatam à sole: sic gratia in Conceptione fuit debita Christo iure naturæ; Mariæ vero gratis dei iusta, & mutuata à Christo. Et sicut in Repub. quibusdam competit nobilitas iure naturæ, & sanguinis; aliis vero ex priuilegio Principis; sic carentia peccati originalis competebat Christo Domino iure naturæ, quia filius Dei erat; Mariæ vero ex priuilegio, & gratia Christi, quia Mater eius futura erat. Cum D. PAVLVS dixit: *Gratia Dei sum id, quod sum*: D. AVGVSTINVS addidit: *& id, quod non sum*. Vnde quod beata Virgo non contraxerit originale peccatum, ex spec ali Christi gratia habuit; ipse vero iure suo id sibi vendicabat. Declarat etiam pulchre satis hoc discrimen Mulier, quam vidit IOANNES in Apocalypsi, quæ cum parere vellet, Draco erat iuxta illam, vt matrem ac filium deuoraret, sed statim ac peperit, certe filius (Christum significans) fugit propriis viribus; at mulieri (in qua Virgo denotatur) quia ipsa per se fugere non poterat datæ sunt ex speciali priuilegio alæ, quibus a conspectu Draconis euolare posset. Draco quidem fœdissimus peccati originalis nec deuorauit filium, nec matrem; sed alia, & alia ratione id omisit, quia Christum inuadere non potuit, Matrem vero, etsi potuisset, non est permissum: Vterque procul dubio fugit, sed Christus alis propriæ virtutis, Mater vero pennis mutuatis ab illo: hoc enim sibi volunt verba illa: *Et datæ sunt mulieri alæ duæ*. Insigne sane priuilegium, sed consonum satis dignitati Matris Dei. Quod si qui illud inficientur, audiant à nobis, quod DAVID respondet eis, quibus non placebat tot, ac tantas diuitias ad Templum Domini construendum congregari: *Opus namque grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo*. Magnum quidem, ac stupendum priuilegium extitit præseruatio à peccato originali, sed nemo mirabitur concessum fuisse sacratissimæ Virgini, si animaduertat futuram fore habitaculum viuum omnipotentis Dei, in quo verbum diuinum corporaliter inhabitare decreuerat: Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum Amen.

Act. 15. *1. Cor. 15.* *Ibid.* *D. Aug. lib. 2. Conf. cap. 7.* *Apoc. 12.* *Psal. 58.* *Durand. in 3. d. 3. q. 1.* *Caiet. 3. part. q. 27. art. 2.* *2. Paral. 29.*

HOMILIA XVIII.

Permultis moralibus rationibus concionatorio muneri aptissimis illibatam Deiparæ Mariæ Conceptionem non parum stabilimus.

Ex moralibus Rationibus.

§. I.

1 CVM Diuus AVGVSTINVS in sermone de Assumptione Virginis affirmet, quod *vbi Scriptura diuina nihil de illa commemorat, inquirendum est, quid conueniat rationi, fiatque ipsa ratio, auctoritas, sine qua nec est, nec valet auctoritas*: cumque alio in loco dicat: *quicquid tibi vera ratione faciendũ occurrerit, scias, Deum fecisse bonorum omnium conditorem*; operæpretium duxi varias congerere rationes, ab ipso solo rationis lumine petitas, vt inde facile coniiciamus conditorem ipsius rationis talem, ac tam immaculatam condidisse Matrem suam, qualem ratio ipsa postulabat, qualemque tantum filium decebat: ea enim, quæ veniunt ex bona coniectura, vera esse dicuntur, vt docet TEXTVS. In primis ergo a sufficienti partium enumeratione videtur facile persuaderi immaculata Virginis Conceptio. Nam vel Deus non potuit Matrem suam à labe peccati originalis præseruare, vel non voluit, vel tandem potuit, & voluit: at dici nequit, quod non potuerit, tum quia apud Iob dicitur: *Quis poterit facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu, qui solus es*: tum etiam quia, sicut Angelos, & primos parentes creauit in gratia, etiam potuisset in eadem Matrem suam creasse, & sic nunquam fuisset labe peccati infecta. Nec iuuat respondere, ipsam descendere per naturalem propagationem ex primo parente, atque adeo supposito pacto Dei, quod si Adam perseuerasset in iustitia originali, omnes eius filii illam haberent: sin minus, illa carerent, & peccatum originale contraherent, non poterat Virgo non illud contrahere: hoc, inquam, non obstat, quia potuit Deus, præuidens, quod futura erat Mater sua, in eo puncto excipere beatam Virginem, vel si non excepit, saltem potuit infundere gratiam in eius animam, antequam contingeret carnem infectam, vel alio modo illam præseruare: ergo tunc non contraheret peccatum originale. Non etiam potest dici, quod Deus noluit, tametsi potuit, Matrem suam præseruare à prædicto peccato: Nam si ipse dixit: *Non veni soluere legem, sed adimplere*, & constat legem esse naturalem, & diuinam de honorandis parentibus; euidens est, Christum Dominum illam obseruasse, quod tamen secus esset, si in originali peccato Matrem labi permitteret: à quo facile eam præseruare potuisset; hoc enim fuisset valde illam inhonorare. Et quidem si, prout docet TEXTVS, iniquissimum est, patrem, vel matrem egere, cuius filius sit in facultatibus, quis credet, opulentissimum Dominum passum fuisse Matrem suam in miseriam, & egestatem peccati originalis venire? Restat ergo dicamus, & potuisse, & voluisse illam ab omni origi-

D. Aug. lib. 3. de lib. arbit. *Text. in l. fin. de probation.* *Iob. 14.* *Matth. 5.* *Exod. 20.* *Deut. 5.* *Matth. 15.* *Text in l. si quis à liberis, §. si impubes. ff. de lib. agn.*

nali macula præseruare, ac tandem, cum alienum sit à pietate debita parentibus, non liberare eos, cum aliqua necessitate graui vrgentur: cumque etiam Christus Dominus magis obligatus sit suæ Genitrici, quam alii filii suis matribus, quia illi substantiam suam acceperunt ab vtroque parẽte, Christus vero à sola Virgine, Spiritu S. operante absque humano patre, quis credet, Christum Dominum non occurrisse Matri suæ, quando vrgebat periculum incurrendi peccatum originale, cui tantum se debiturum fore præuidebat.

II. SECVNDA Ratio: quia si Beata Virgo originali vitio fuisset deturpata, id cederet in magnam ignominiam, & dedecus Christi Domini, prout docet Diuus CYRILLVS & Diuus HIERONYMVS vbi ait: *Nulli dubium est de Matre Domini, quin talis debuerit esse, quæ non posset argui de peccato.* Nam sicut parentum nobilitas transit in filios, ita è contra parentum ignominia deriuatur in illos: Vnde dicitur: *Ne glorieris in contumelia patris tui, non enim est tibi gloria eius confusio; gloria enim hominis ex honore patris sui; & dedecus filii pater sine honore:* igitur si beata Virgo ignominia peccati originalis aliquando maculata fuisset, id cederet in ignominiam Christi Domini, eique Dæmon veraciter dicere posset: Mater tua prius fuit ancilla mea: & prius ego illam inquinaui, quam tu illam mundares. Accedit ad hæc, quia, vt docet PANORMITANVS, Papa non potest se subiicere iurisdictioni Imperatoris, quia cederet in præiudicium summi Apostolatus: ergo eadem ratione, quia cederet in ignominiam Christi Domini, si Mater eius prius fuisset subdita Dæmoni per peccatum Originale, longe id ab ea relegandum est; vnde videor mihi audire Christum Dominum dicentem illud Machabæorum. *Absit istam rem facere, & non inferamus crimen gloriæ nostræ.*

D. Cyrill. cõt. Nestor. D. Hieron. ad Eustoch. L. liberos l. 1. l. Assum. l. legit. Eccl. 3. Panormit. in cap. cum Eccles. S. Maria de constit. 1. Mach. 9.

III. TERTIA Ratio: Quia quicunque nascitur in originali peccato, vere est à Deo maledictus: sed non decebat, beatam Virginem esse sub maledictione filii sui. Nã EXOD. 21. LEVIT. 20. & MATTH. 7. habetur: *qui maledixerit patri suo, & matri, morte moriatur;* cumque Dominus dederit hanc legem omnibus obseruandam, non decebat, ipsum maledicere matrem suam. Nec refert respõdere, quod tunc, quando concepta fuit, adhuc non erat Mater; quia ad prædictam indecentiam sufficit, quod futura esset Mater Dei: & sicut indecens esset, si calix, & corporalia, quæ continere debent corpus, & sanguinem Christi, turpissimo alicui ministerio inseruissent, sic indecens valde esset, eam, quæ futura erat Mater Dei, prius maledictam, & exosam fuisse filio. Adde, quia ECCLESIA proclamat, Virginem esse omni laude dignissimam: sed nunquã peccasse, est magna laus, & aliquando peccasse, vituperium, quod tamẽ cum perfectissima laude stare non potest: ergo dicendum est, beatam Virginem immunem fuisse ab omni peccato, habetque hæc ratio fundamentum in D. HIERONYMO asserente: *quic quid humanis dici potest verbis, minus est laude eius, quia diuinis est, & angelicis laudata præconiis.*

D. Hieron. serm. de Assum. Virg.

IV. QVARTA Ratio: peccatum originale est omnibus filiis Adæ ex sententia diuini decreti quoddam debitum, quod ab ipsis pro peccato primi parentis exigitur: sed Christus Dominus dixit, quod tributum non exigitur à filiis propriis, sed ab alienis: ergo multo minus exigitur à Matre propria: igitur Christus nunquam exegit à Matre sua debitum hoc imputando ei peccatum originale: hoc enim ad amorem filii tantæ Matri debitum pertinebat: si enim OVIDIVS dixit:

Matth. 17.

Felix, qui quod amat, defendere fortiter audet;

minime dicam, Christum Dominum caruisse hac fœlicitate: igitur cum ipse tanto amore prosequutus fuerit suam Matrem, vt de illis merito dici possit illud eiusdem OVIDII:

Hi duo corporibus, mentibus vnus erant.

quis sibi persuadeat, non acerrime defendisse suam dilectissimam Matrem ab omni macula originalis peccati?

V. QVINTA Ratio: Nam D. PAVLVS distinguit inter vasa iræ, & vasa gratiæ, & misericordiæ, tanquam inter opposita vasa: communis autem Philosophorum regula docet, quod si vnum oppositorum est in natura, etiam & reliquum, maxime si excellentius sit: sed inter puras creaturas humanas sunt aliqui, qui semper, & pro omni instanti fuerunt vasa iræ, vt qui perierunt in peccato originali, & cum multis actualibus: ergo inter easdem creaturas debet dari aliqua, quæ nunquam nec pro vno instanti, extiterit vas iræ. Præsertim, quod cum pronior sit Deus ad misericordiam, certe si ad ostentationem suæ iustitiæ, vt inquit D. PAVLVS, permisit vasa, quæ nunquam caruerunt ira, valde rationi consentaneum erat, ad ostentationem suæ misericordiæ efficere aliquod vas, quod nunquam gratia & misericordia ipsius careret.

Ad Rom. 9. Ad Rom. 9.

VI. HVIC rationi persimilis est alia, quam ex doctrina Aristot. placet desumere, vbi docet, quod inter extrema necessario debet inueniri medium, quod etiam docet TEXTVS, sed inter procreatos naturali propagatione ex viro, & fœmina quidam inueniuntur concepti, & nati in peccato originali, vt communiter sunt omnes; quidam vero concepti, sed non nati, vt D. Ioannes Baptista, & Ieremias; ergo debet dari persona nec concepta, nec nata in peccato originali: sic enim dabitur vtrunque extremum, & medium inter illa.

Arist. 8. Phys. & 7. Metaph. Text. in l. Imperium.

VII. VLTIMAM rationem placet contexere ex doctrina Diui AVGVSTINI, qui cupiens ostendere corpus Virginis putredini traditũ non fuisse, varias rationes congessit, quæ si Conceptioni eius applicentur, maiorem vim habent ad comprobandam immunitatem à peccato, quam à putredine; quod vt clarius pateat, ipsa D. AVGVSTINI verba subiiciam; eaque sic vrgebo, vt præsenti argumẽto non parum deseruiant; in primis ergo sic ait præcitato loco: *si dicimus, eam mortis vinculo teneri; resolu*

D. August. serm de Assumpt. Ibid.

tam in

tam in communem putredinem, vermem & cinerem,
deliberandum est, si tantæ sanctitati conueniat, & tan-
tæ aulæ Dei prærogatiuæ; similiter ergo in proposito
deliberandum est, an contrahere peccatum origi-
nale conueniat sanctitati, & dignitati Matris Dei:
D. Aug. vbi suprà. Nam si D AVGVSTINVS iudicat, non decere putredi-
nem corporis beatam Virginem, consequenter di-
cam non decere illam contraxisse in anima putre-
Ibid. dinem originalis peccati. Deinde ait: *Maria ergo, etsi*
communicat ærumnis Euæ, non communicat parturien-
do cum dolore: promeruit enim hoc singularis sanctitas
eius, & singularis gratia, qua susceptione Dei singulari-
ter æstimanda est digna, non ergo immerito excipitur à
quibusdam gradibus vera æstimatione, quam tanta ser-
uat gratia, & attollit dignitatis prærogatiua: Hæc Au-
gustinus. Ecce propter prærogatiuam dignitatis,
quam habet B Virgo excipit illam D August à ma-
lo pœnæ parturientium: ergo à fortiori debemus il-
lam excipere à malo culpæ originalis cum hoc ma-
gis repugnet prærogatiuæ & dignitati Matris Dei.
Ibid. Præterea sic loquitur D. August. *Nunquid non perti-*
net ad dignitatem Domini, Matris suæ seruare honorem,
qui legem soluere non venerat, sed adimplere; etenim
sicut honorē Matris præcipit, ita inhonorationē damnat;
qui in vita præ cæteris illam gratia conceptus sui hono-
rauit, pium est credere, singulari saluatione, etiam &
in morte & speciali gratia honorasse; poterat n. à putre-
dine, & à puluere alienā facere. qui ex ea nascens, potuit
eam Virginem relinquere: putredo enim, & vermis op-
probrium est humanæ conditionis, à quo opprobrio cum
Iesus sit alienus, natura Mariæ excipitur, quam de ea
suscepisse probatur; Caro n Iesu, est caro Mariæ, & mul-
to specialius, quam Ioseph, Iudæ, cæterorumque fratrum
Genes. 37. *eius, quibus dicebat: frater enim, & caro nostra est:* hæc
D. August. Ex quibus aperte constat quod si ad mater-
num honorē pertinet præseruatio corporis à putre-
factione; multo magis spectabit ad eundē honorem
præseruatio animæ à corruptione peccati origina-
lis, cum anima preciosior sit corpore. Item eodem
D. Aug. vbi sup. loco ait; *Illud sanctissimū corpus, de quo Christus carnē*
assumpsit, & diuinam naturam humanæ vniuit, non
amittens, quod erat sed assumens quod non erat, vt Ver-
bum Caro, hoc est, Deus, homo fieret, escam vermibus
traditum sentire non valeo, dicere pertimesco: si igitur
animus horret, & pertimescit, quod corpus Virginis pu-
tredine inquinetur, quanto magis horrere debet, quod
originalis peccati putredine eius anima inficiatur? Item
Ibid. ait D. Aug. *In cuius potestate est, sanctorum de capite ca-*
pillum non perire, est & illam animam à corpore inte-
gram posse seruare: de cuius potestate, si nullus dubitet
Ecclesiasticorum, quin possit Mariam sine corruptione
seruare, cur dubitandum est noluisse, quod pertinet ad
tantæ benignitatis gratiam, si elegit diuina voluntas so-
la gratia inter crepitantes vehementium ignium flam-
mas non solum puerorum corpora seruare illæsa, verum
etiam ipsa vestimenta seruare inusta, cur abnuet in Ma-
tre propria, quod elegit in veste aliena? Ionam seruare in
ventre Ceti præter naturalē vsum nonne seruauit gra-
Iona 2. *tia? seruatus est Daniel ab intemperatissima fame Leo-*
num; non seruanda est Maria ab incineratione tantis Matth. 12.
dotata meritis dignitatum? in Mariæ integritate plus
potuisse gratiam, quam naturam non dubitamus:
Ecce non dubitat Augustinus Virgini concedere,
quidquid per gratiam à filio potuit ei donari: sed
constat, potuisse illam præseruare: ergo dubitan-
dum non est id voluisse.

Ex aliis subtilioribus Rationibus.

§. 2.

VIII. PRIMA ratio sit, quia cum Christus Domi-
nus esset humani generis Redemptor perfectissi-
mus: *Dei enim perfecta sunt opera.* ad eundem per- Deut. 32.
tinebat, vt aliquod, vt minimum indiuiduum na-
turæ præseruaret à peccato originali; tum quia ille
est perfectissimus redemptor, cui non deficit præ-
stantissimus modus redimendi, sicut & medicandi;
at præstantissimus modus est per præseruationem,
vt docuit D. AVGVSTINVS, ergo redemit aliquod in- D. Aug. de
diuiduum, præseruando illud à peccato originali. doct.
Tum etiam, quia ad perfectionē redemptionis spe-
ctat, vt in ea reluceat præseruatio quorundā à pec-
cato mortali, vt de facto contingit in infantibus
baptizatis, & in aliis adultis, qui rapti sunt, ante-
quam malitia immutaret intellectū eorum, & alio-
rum ēt à peccatis venialibus, vt patet in eisdem in-
fantibus, & in B Virgine, vt docet CONCIL. TRI- Conc. Tri-
DENTINVM, & in Ioanne Baptista, vt multis placet: dent. sess. 7.
ergo etiam congruebat in Christi redemptione elu- can. 23.
cere præseruationem à peccato originali, vt sic co-
piosa eius redemptio omnem modum redimendi
etiam per præseruationem comprehenderet.

IX. SECVNDA Ratio; quia si qua ratione dicen-
dum esset, B. Virginem contraxisse peccatū origi-
nale, maxime propter quasdam sacræ Scripturæ lo-
cutiones generales, vt *Omnes in Adā peccauerunt*, &
alias similes quibus denotatur, oēs posteros Adæ
mortē incurrere de quibus ad ROM. 3. & 1. CORINT.
c. 15. & 2. ad CORINT. 5 & ad EPHES. 2. at constat ex
CONCILIO TRIDENT. sess 5. Virginē non cōprehen-
di sub definitione sua generali, qua decernit, om-
nes concipi cum peccato originali; igitur sicut illa
generalis definitio Concilij patitur exceptionē, ita
ēt generales illæ sacræ Scripturæ locutiones. Idque
ita rationaliter esse dicendū, euidenter probant sa-
cræ Scripturæ loca, in quibus ponuntur vniuersales
locutiones de peccato actuali: *Non est homo, qui non*
peccet: &, *In multis offendimus omnes*, & similes aliæ;
& tamen constat B. Virginem excipiendam esse ab
his regulis generalibus; cum CONCIL. TRIDENT. Trid. Con-
dicat, caruisse omni peccato veniali. Certum etiam cil. Sess. 7.
apud Catholicos est, & sine controuersia, B Virgi- cap. 23.
nem natam fuisse sine peccato originali, & sine do-
lore peperisse, & post mortem non fuisse eius cor-
pus incineratum, & tamen in contrarium om-
nium istorum est lex communis: *omnes nascimur filii* Ephes. 2.
iræ: In dolore paries filios: puluis es, & in puluerem re- Genes. 3.
uerteris: igitur pari ratione excipi potest B. Virgo à
lege communi peccati originalis, non obstantibus

locutionibus generalibus sacræ Scripturæ: Et similiter D. Thom. concedit, quod Moyses, & Paulus, dum fuerunt in hac vita mortali, viderunt clare diuinam essentiam, & tamen de opposito est lex communis in sacra Scriptura: Exod. 33. *non videbit me homo, & viuet:* & Ioan. 4. *Deum nemo vidit vnquam:* moueturq; D. Thomas ad eam exceptionē faciendam in Moyse, & Paulo, quia sic docuerat D. August. ergo licet nobis facere similem exceptionem à peccato originali in B. Virgine non obstantibus generalibus sacræ Scripturæ locutionibus in contrarium, cum id doceant grauissimi Patres à nobis late infra relati.

D. Thom. 2.2.q.175. art.3.

D. Thom. 3.p q.27. art.4.

X. Tertia Ratio ex doctrina D. Thomæ: quia ipse probat, B. Virginem non habuisse peccatum veniale, quia hoc redundaret in ignominiam filii; & quia indecens erat, vt quæ singularem affinitatē habitura erat cum Christo, aliquod commercium haberet cum Dæmone: & quia æterni patris sapientia, scilicet Christus, non debuit habitare in maleuola anima. Sed tres rationes istæ si quam vim habent, efficacius concludunt, Virginem caruisse originali, quia originale cum grauius peccatum sit, quam veniale, magis dedecet dignitatem Matris Dei, & consequenter maior ignominia redundaret in filium: ergo si B. Virgo, quia futura erat Mater Christi, præseruata fuit ab omni veniali, à fortiori, ab originali. Dices cum oppositum opinantibus: Magis dedecet B. Virginem veniale, quam originale, quia respectu illius haberet magis de voluntario, quia esset actus proprius. Sed contra: quia illud magis dedecet Virginem, quod Deo magis detestabile est, & quod magis maculat animam, & quod ipsa Virgo, si eius electioni relinqueretur, minus eligeret; sed originale sine cōtrouersia est Deo magis detestabile, quam veniale, & magis maculat animam, & si electioni Virginis relinqueretur, magis vellet carere originali, quam veniali; ergo si non est concedendum, B. Virginem commisisse veniale, nec etiam contraxisse originale. Quæ consequentia euidens visa est D. Augustino. Deinde qa D. Thomas ait: *rationabiliter creditur, quod ea, quæ genuit vnigenitum à Patre plenum gratiæ, & veritatis, præ omnibus aliis maiora dona gratiarum, & priuilegia accepit:* hæc ille; sed Angeli, & primi parentes hoc beneficium acceperunt, vt in sua creatione gratiam obtinerent; & spiritus angelici, qui prædestinati erant, omni labe peccati semper carerent: ergo etiam B. Virgo caruit; sed de hac ratione latius infra capite seq. Ac tandem, nam D. Thom. ait: *quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat, & disponit, vt ad illud, ad quod eliguntur, inueniantur idonei,* iuxta illud Apostoli: *Idoneos nos fecit ministros noui testamenti:* cui consonat illud, quod habetur in l. quidam consulebat, ff. de re iudica. vbi habetur, quod Princeps assumendo aliquem ad speciale officium, visus est dispensare cum eo meliori modo, quo potest, vt habilis sit ad illud; sed sic est, quod B. Virgo non fuisset idonea mater Christi, si fuisset concepta in originali peccato; nam si non fuisset idonea, sine perpetua integritate, & puritate corporis, multo minus sine perpetua integritate & puritate mentis, cum illa sit hac inferior, & Deo minus grata, quam ista, ergo.

D. August. cont. Iul. c. 9.

D. Thom. 3.p q.27. a.1.

D. Thom. 3.p.q.27.a.4.2.Cor.3.

XI. Quarta Ratio: Nam vel ad præseruandam Virginem à peccato originali valebant Christi merita, vel non: hoc secundum impium est; esset enim præferre Adæ peccatum Christi merito: ergo primum: at decuit maxime, vt in Matre merita haberent tale præmium, cum præsertim ipsa ex suo sanguine quasi dederit pretium redemptionis; propter quod, quamuis Christus omniū sit salus, singulari tamen modo vocat illum Virgo *salutare suū*, ad ꝙ ēt potest accōmodari illud: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo,* & Abac. *Et exultabo in Deo Iesu meo.* Vnde S. Bernar. dicit Christum potius pro Virgine redimenda venisse, quam pro omnib. aliis simul hominibus; citans glossam in id Cant. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa;* & ideo vocat Virginē, primogenitam Redemptoris.

Luc. 1. Isa. 61. Abac. 3. D. Bernar. ser. 51. Gloss. in Cant. 4.

XII. Quinta Ratio à simili: quia non propter maiorē decentiā, nec propter efficaciores rationes docent Patres de Virgine, alia priuilegia, quæ iam certa sunt apud fideles, vt immunitas ab omni peccato actuali, corporis post mortē incorruptio, & resurrectio, cum tamē illud, de quo agimus, sit magis necessariū, vt esset idonea Mater Dei. Nā si Virgini daretur optio, q̄d magis vellet, vel vt nunq̄ à primo instāti careret gratia Dei; vel vt corp⁹ ei⁹ post mortē seruaretur incorruptū; sine dubio illud primū esset electura. Et confirmo, quia negando Virgini hoc priuilegiū, eneruaretur omnis ratio affirmandi alia permulta, quæ passim illi tribuunt sancti Patres. Dices: alia priuilegia semper inniti maiori auctoritati. Sed contra. Nam tempore Hieronymi, & Augustini assumptio B. Virginis in corpore, & anima non habebat maius fundamentū auctoritatis, quā nunc habeat hæc sententia de peccato originali; & tamen Avgvstin. propter vim harum rationū ait, se non posse aliter sentire. Nec hic etiā deest auctoritas multo etiā maior, quā pro parte contraria, vt visum est. Dicetur secundo: In aliis priuilegiis semper esse aliqua exempla, ex quib⁹ à fortiori similia dicantur de Virgine. Sed contra: Nam loquendo de puris hominibus, maior assumpta est falsa, quia nullus purus homo adultus præter Virginem fuit immunis ab omni peccato actuali. Item: nullus statim post mortem resurrexit ad æternā gloriam corporis & animæ. Immo & vniuersaliter intellecta falsa est illa maior; nam esse creatum in gratia, est donū concessum primis parētibus: ergo prudenter creditur non negatum Virgini. Dices: nullū fuisse præseruatum hoc modo à peccato ex necessitate contrahendi. Sed contra: Nam quid hoc refert? solum enim ostendit Virginem indiguisse magis hac gratia Dei, & ideo maiori misericordia fuisse præuentam, & aliquid magis concedendum esse Matri, quam seruis.

XIII. Sexta

XIII. Sexta Ratio: Nam B. Virgo electa est ab æterno, vt esset Mater Christi, atque adeo in ordine ad hunc finem omnia, quæ ad ipsam pertinebant, etiam eius parentes, & alia, quæ eius Conceptionẽ præcesserunt mysteriose sunt præordinata; ita vt quæ circa Virginem gesta sunt, non sint communi lege naturæ, aut gratiæ metienda, sed secundum extraordinariam & supernaturalem Dei potentiã, vt ipsa Virgo significauit: *quia fecit mihi magna, qui potens est.* Vnde & illud Avgvst. *In talibus tota ratio facti potentia facientis*; quod etiam subindicauit Angelus illis verbis: *Dominus tecum*, vt ponderat diuus Bonaventvra in Speculo Mariæ cap. 8 *Nam omnia quæcunq; voluit, Dominus fecit, & quia Dominus potentissimus potentissime tecum est.* Regula ergo, & lex in ordine ad Virginem seruata decentia fuit, & congruentia respectu talis finis: vt hic potissime verum sit illud Avgvstini: *quicquid tibi vera ratione melius occurrit, id scias fecisse Deum*; sed ex natura rei, & secundum veram rationem magis decet Matrem Dei sine originali concipi, quod nemo negabit; nam magis consentaneum est, vt futura Mater Dei nunquam fuerit Deo inimica, & vt Mater gratiæ non caruerit vnquam gratia, & vt Diabolum superatura non fuisset prius ab ipso superata: ergo consentaneum magis fuit concipi absque labe originali. Dices: id ex obiecto conuenientius videri, nisi obstaret lex vniuersalis, qua ex sacra Scriptura constat, omnes contrahere originale. Sed contra: nam hoc est, quod propositæ rationes conuincunt, nimirum quod sicut B. Virgo ab aliis vniuersalibus legibus excipitur, quia id videtur congruentius Matri Dei fuisse concessum; etiã ab hac lege eximi debet; quia magis decet dignitatem, & puritatem Matris Dei non subdi huic legi, quam aliis, propter quas omnes in puluerem reuertuntur, nec post triduum resurgunt, &c. Dices: In cæteris id posse colligi ex sacra Scriptura, sine cuius auctoritate non licet propter congruentias ab vniuersali lege aliquem excipere. Sed contra: Cum iam concedas, id esse conuenientius, & ex sanctis habeas Deum semper operari id, quod est conuenientius; vt quid expressa testimonia sacræ Scripturæ requiris? cum neque illa habeas ad excipiendam Virginem ab aliis vniuersalibus legibus, vt à corruptione corporis, à peccato actuali, veniali & similibus: si ergo hæc (licet præter communem legem sint) concedis Virgini, quia id videtur conuenientius; cur id, quod multo conuenientius est, negas; maxime, cum non dissimilia testimonia S. Scripturæ ad hoc asserendum habeas? Si dicas: Ecclesiam tanquam certa illa admisisse; non vero istud. Certe illa non est amplexa, nisi quia videbantur decere Virginem, hoc autem constat de se magis eam decere, cum ab illa omne genus peccati remoueat: non ergo id ei est denegandum. Præterea: nam ipsa Ecclesia iudicat, id non esse contra sacram Scripturam: ergo, cum de se conuenientius sit, & Ecclesia ad idem sentiendum indulgentiis inuitet, rationi consonum est, vt ei acquiescamus, ac tandem cum eadem nobis concedat, vt possimus ita sentire de Virgine, & recta ratio, & pietas postulat, vt quoad fieri possit, optimam existimationem de illa habeamus; & vniuscuiusque voluntas ita debet ad illam esse affecta, vt si in eius esset potestate & arbitrio illi concederet hoc priuilegium, non video, cur ei debeat denegari.

D. August. epist. 3. ad Volus. Luc. 1. D. Bonau. Psal. 113. D. August. ser. de Assumpt. Virg.

XIV. Vltima Ratio: Nam Deus non permittit malum, & culpam, nisi vt inde eruat excellentius aliquod bonum, vt docent D. D. Dionysivs, & Avgvst. permittere autem in Virgine hunc lapsum, non solum non afferret maius aliquod bonum, sed etiam impediret multa ac præclarissima bona, in præadductis rationibus explicata: consonum ergo est rationi, vt dicamus Deum id nõ permisisse. Scio aliquos auctores contrarium opinantes dicere, Deum in matre sua permisisse lapsum in peccatum originale, vt quæ humillima futura erat, maioris humilitatis materiam haberet, & vrgentius motiuum magis, ac magis se demittendi, dum cogitaret se in instanti Conceptionis sub Diaboli seruitute extitisse. Verum hoc à ratione longe alienum esse multiplex ratio mihi suadet: Prima, quia etiã peccata actualia & maxime lethalia, sunt vberior materia, & fortius motiuum propriæ humiliationis, & abiectionis, quam originale, in quæ tamen non est prolabi permissa. Secunda: quia in Virgine poterat insignis oriri humilitas absque lapsu in peccatum, ex perfecto lumine supernaturali, & ex limpidiori cognitione Dei & propriæ conditionis, quod genus humilitatis perfecti^s est, & ideo fuit in Christo Domino. Tertia: quia licet peccatum materiam subministret humiliationis, tamen humilitatis perfectioni multum derogat, nam quanto cuipiã propter peccata commissa maiora humiliandi suppetunt motiua, tanto eius humilitas mirabilis minus esse perhibetur, vt eleganter docuit D. Bernard. dum ait: *in eo, qui grauiter peccauit, etsi amanda, non tamen admiranda humilitas: at si quis innocentiam retinet, & nihilominus humilitatem iungit, nonne sibi videtur geminum animæ possidere decorem?* similia verba lego apud nostrum D. Bonavent. vbi inquit: *si humiliatur, & despicit se, qui nõ habet, vnde glorietur, sed multa, vnde confundatur, licet bona sit ista humilitas, tamen non admiranda*: vt igitur perfectior esset humilitas Mariæ, oportuit caruisse omni materia & motiuo peccati originalis. Quarta: quia non erat necessarium ad incrementum humilitatis B. Virginem peccato originali fuisse infectam, non enim habebat rebellionem carnis, velut Paulus, qui, ne magnitudo reuelationum extolleret illum, opus habuit stimulo carnis, qui eum colaphizaret. Tandem: quia finis Conceptionis Virginis fuit Conceptio Christi: ergo cum in eius Conceptione Deus hunc respexerit finem, non debuit in Virgine permittere labem tali fini minime consentaneam: maxime quia statim post Conceptionẽ erat ipse emundaturus Virginem à peccati labe, vt immaculatum

D. Dion. de diuin. nom. D. August. in Enchiri. cap. 25. 26. 27. D. Bernar. serm. 45. in Cant. D. Bonau. de prof. Religiosorum lib. 1. c. 33.

Dei templum esset, conuenientius erat, maculam non permittere, quam ab illa post casum liberare: cum ergo altetutro modo dispensandum esset in lege communi, & primum sit in se conuenientius, illud certe factum fuisse prudenter credemus.

HOMILIA XIX.

Ad immaculatam Deiparæ Conceptionem magis stabiliendam perpulchra contexitur catena ex sacra Scriptura; ex testimoniis Pontificum, & Conciliorum; ex consensu vniuersalis Ecclesiæ; ex miraculis, & reuelationibus; ex sanctis Patribus; ex grauissimis, tam vetustis, quam nouis; tam mysticis, quam Scholasticis Doctoribus; nec non ex Iure Canonico, & Ciuili.

Ex sacra Scriptura. §. I.

I. VAMVIS ex mystico sensu non possit efficax argumentum desumi ad res fidei confirmandas, quando non constat illum esse intentũ ab Spiritu sancto, vt cum D. HIERONYMO & AVGVSTINO vnanimi consensu docent. Theologi in primã partem D. THO. supposita tamen grauissimorũ Doctorum expositione, & præcipue Ecclesiæ Catholicæ applicatione, magni ponderis est mystica intelligentia; maxime cum de singularibus priuilegiis B. Virginis agitur, quorũ permulta acceptat Ecclesia Romana, quæ magistra est omniũ Ecclesiarũ. absq; loco aliquo expresso sacræ Scripturæ, illa docente, vt quod non peccauerit vnquã venialiter, quod corpus eius putredinem nescierit, quod in corpore & anima assumpta fuerit in cœlũ; hoc supposito, verba illa GENES. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem*, quæ de B. Virgine fore intelligenda docent grauissimi Ecclesiæ Patres AMBROSIVS, GREGORIVS, AVGVSTINVS, BERNARDVS, BEDA, & alii permulti prænotarunt futuras inimicitias perpetuas inter Dæmonẽ & Virginem, nunquam ergo per peccatum originale amicitias inierunt, alioquin prius Dæmon contriuisset caput Virginis, quam ipsa contereret caput illius; vnde S. BRVNVS versans locum illum Iob: *Nunquid illudes ei quasi aui, aut alligabis eum ancillis tuis?* dicit Virginem esse Ancillam, cui Dominus alligauit semper Leuiathan; & D. EPIPHAN ingeniose dixit: Immaculatam Virginem significatam fuisse per iuuencam illam libri NVMERORVM nunquam iugum expertam, quia peccati iugo nunquam subiacuit. CANTICORVM item varia sunt loca: *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, quæ de Ecclesia non possunt verificari, cum multi in ea sint maculati, nisi ratione principalioris membri illius, quod est beata Virgo, vt perdocte adnotauit IACOBVS Episcopus Christopolitanus super Psalmum 45.

D. Hier. in Matth. 13. D. August. p. 48. cont. Vincent. D. Thom. q. 1. art. 10. & Quodli. 7. a. 14. ad 4. Gen. 3. Ambros. de fuga sæcul. cap. 7. Greg. 1. moral. cap. 19. alias 38. August. 12. Gen. ad lit. c. 39. & l. 2. de gen. con. Mani. c. 18. Bern. ser. 2. in missus est, & ser. signum magnum. Beda, Eucher. super Genes. 3. S. Bru. ser. de nat. Ma. Iob. 40. D. Epipha. ser. de laud. Virg. Num. 29. Cant. 2. Cant. 4. Valent. in Psalm. 45.

II. SIMILE est illud: *Vna est columba mea, perfecta mea*: non autem esset vnica, si solum fuisset sanctificata, & non præseruata, cum & alii fuerint sanctificati in vtero materno. Ibidem etiam dicitur: *Hortus conclusus, fons signatus*: si autem aditus ad eam Dæmoni patuisset, non fuisset hortus vndique, & semper conclusus, sed potius in Conceptione apertus ac violatus. Ac tandem vocatur à Sponso: *Immaculata mea*: si autem maculam peccati originalis contraxisset, maculata fuisset, non immaculata. Sponsus etiam *soli*, qui tenebras nunquam nouit, illam comparat: *electa, vt sol*, & illud PSAL. *Thronus eius sicut sol*, quod de B. Virgine intelligit S. IOAN. DAMASCEN. Ecclesia deinde Catholica in die Conceptionis, & alibi sæpe verba, quæ secundum sensum literalem intelliguntur de æterna Sapientia, applicat & accommodat B. Virgini; inter quæ hæc, quæ sequuntur, illibatã Conceptionem astruunt. PROV. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Si ergo ab æterno B. Virgo fuit possessa à Deo, ergo non à Dæmone per peccatum originale, alioquin antiquior fuisset possessio Dæmonis, quam Dei: Æterno autem nihil est antiquius. & libro SAPIENTIÆ Salomon ait: *Emanatio quædam est claritatis, omnipotentis Dei sincera: & ideo nihil inquinatum in eam incurrit.* & paulo inferius vocat illam: *Speculum sine macula.* Ac tandem in ECCLESIAST dicitur: *In me omnis gratia viæ, & veritatis*: ergo gratia præseruationis à peccato originali ei non defuit. IOB item agens de peccato originali, sub metaphora caliginosæ noctis dixit: *Expectet lucem* (scilicet Christum) *& non videat, neque ortum surgentis auroræ*: per quam beata Virgo significatur: sic enim exponit hunc locum D. THOMAS applicans illum ad ortum extra vterum; sed æque bene applicari potest ad conceptionem, quæ est ortus in vtero. Facit ad idem totus PSALMVS 84. *Benedixisti Domine terram tuam*, vt ibi exponit ARNOBIVS, & ISIDORVS. Ac tandem verba illa Angelica, quæ ex diuino præcepto Angelus Virgini dixit: *Aue gratia plena*: habenas laxant ad ea omnia priuilegia Virgini tribuenda, quæ Matrem Dei decent, cum ad hunc finem, & scopum illa plenitudo ei fuerit collata: at decet maxime, vt quæ Dei Genitrix futura erat, nunquã maculata aut Diaboli ancilla prius extitisset: sufficienter ergo ex sacris libris Christiana pietas immaculatam Virginis Conceptionem elicit; maxime cum, vt supra adnotaui, ad incorruptionem corporis, & assumptionem Virginis, quam vniuersali consensu docet Ecclesia; nulla his clariora testimonia, quibus immaculatam comprobamus Conceptionem, in sacris eloquiis reperiantur. Accedunt ad hæc variæ figuræ, quibus Patres passim vtuntur ad beatæ Virginis commendationem, vt Eua, quæ in gratia fuit creata; Paradisus, super quem

Cant. 6. Cant. 4. Cant. 5. Cant. 6. Psal. 88. Io. Damas. lib. 4. c. 15. Sap. 7. Eccles. 24. Iob. 3. Arnob. sup. Psal. 85. Isid. ad sororem Florent. Gen. 2.

non

Gen. 7. *2. Paral.* 9. *2. Reg.* 14. *Gen.* 47. *Gen.* 20.

non cecidit maledictio Dei; Arca Noe, quam diluuii aquæ non inundauerunt; pulcher Thronus Salomonis, eburneus, & abſque macula; Area Dauidica, ad quam peſtifera contagio non appropinquauit; Terra ſacerdotalis, quæ ab omni tributo immunis erat; Sara, quam non tetigit Abimelech, & aliæ permultæ, quas in ſuperioribus Homiliis late explicuimus, & multiplici Patrum eruditione illuſtrauimus.

Ex ſacris Pontificibus, & Conciliis.

§. 2.

III. QVAMVIS adhuc Romani Pontifices, apud quos ſolum reſidet poteſtas definiendi ea, quæ ſunt inconcuſſa fide tenenda, non definierint tanquam certam ſecundum fidem veritatem hanc immaculatæ Conceptionis B. Virginis, tamen illi vehementer fauent, & in eam ſummopere propendent, ſicut & nonnulla Concilia, quorum verba referemus, vt id omnibus manifeſtius pateat. Et quidem inprimis hanc ſententiam tanquam probabiliorē, & ab omnibus amplectendam approbauit ALEXANDER QVINTVS ſub nomine Petri de CANDIA: verum tamen eſt, quod hæc ſcripſerit, antequam eſſet Pontifex, aſſerit tamen Varro: *Sanctiſſimus Dominus Papa Alexander V. approbauit opinionem Minorum.* Referunt quidam recentiores hanc approbationem & confirmationem feciſſe in ciuitate Piſarum, anno 1411 Deinde tres Pontifices, Iulius II Alexander VI. & Sixtus IV approbarunt, & confirmarunt Religionem inſtitutam in honorem eiuſdem immaculatæ Conceptionis B. Virginis, in cuius Regula cap 3 dicitur: Animam Virginis à primo inſtanti creationis fuiſſe ſanctam, eique varias Indulgentias in honorem eiuſdem immaculatæ Conceptionis cō[illegible]fferunt vt conſtat ex COMPENDIO MENDICANTIVM; at non eſt dicendum à Pontificibus fuiſſe confirmatam, & ab Eccleſia retineri Religionem conſecratam in honorem alicuius falſe ſanctitatis: cenſebant ergo ſancti illi Pontifices B. Virginis valde probabilem Conceptionem immaculatam fuiſſe.

Alexan. V. in 3 diſt. 3. ſub nomine Petri de Candia. Alex. V.

Compend. Mendicantium, verb. *Communicatio*, §. 18 &. *Conceptio*, §. 10 12. & 13.

IV. ADDE ſingulis annis Romæ in præſentia ſummi Pontificis, in eius Capella adſtante purpureo Cardinalium ſenatu Miſſam Conceptionis B. Virginis ſolemniter decantari Extat deinde celebris DECRETALIS SIXTI IV. ad obſtruenda ora impugnantium ſanctitatē Marianæ Conceptionis, in qua non ſolum Virginem, ſed & ipſam eius Conceptionem expreſſis verbis vocat immaculatam; eius verba, etſi multa, non grauabor referre: *Graue nimis gerimus, & moleſtum; cum ſiniſtra nobis de quibuſdam Eccleſiaſticis perſonis referuntur, ſed in eorum, qui ad euangelizandum Verbum Dei ſunt deputati, exceſſibus prædicando commiſſis eo grauius prouocamur, quo illi periculoſius remanent incorrecti, cum facile deleri nequeant, qui multorum cordibus ſic fuſius prædicando diffuſius, & damnabilius imprimuntur errores. Sane cum ſancta Romana Eccleſia de intemeratæ, ſemperque Virginis Mariæ Conceptione publice feſtum celebret, & ſpeciale, ac proprium ſuper hoc officium ordinauerit; nonnullos tamen accepimus Prædicatores, qui in ſuis ſermonib. ad populum publice per diuerſas ciuitates, & terras affirmare hactenus non erubuerunt, & quotidie prædicare non ceſſant, omnes illos, qui tenent, aut aſſerunt eandem glorioſam, & immaculatā Dei Genitricē abſq; originalis peccati macula fuiſſe conceptā, mortaliter peccare, vel eſſe hæreticos, eiuſdemque immaculatæ Conceptionis officium celebrantes & audientes ſermones illorum, qui eam ſine huiuſmodi macula conceptam eſſe affirmant, peccare grauiter: ſed & præfatis prædicationibus non contenti, confectis ſuper his ſuis aſſertionibus, libros in publicum ediderunt, ex quorum prædicationibus, & aſſertionibus huiuſmodi non leuia ſcandala in mentibus fidelium exorta ſunt, & maiora merito exoriri formidantur in dies. Nos igitur huiuſmodi temerariis auſis, & peruerſis aſſertionibus, & ſcandalis, quæ exinde in Dei Eccleſia exoriri poſſent, quantum nobis ex alto conceditur, obuiare volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblata petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione & certa ſcientia huiuſmodi aſſertiones, Prædicatorum eorundem, & aliorum quorumcunque, qui affirmare præſumerent, eos, qui crederent, & tenerent eandem Dei Genitricem ab originalis peccati macula in ſua conceptione præſeruatam fuiſſe, propterea alicuius hæreſis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare; aut eiuſdem Conceptionis officium celebrantes, ſeu huiuſmodi ſermones audientes alicuius peccati reatum incurrere, vtpote falſas & erroneas, & à veritate penitus alienas, editoſque inſuper libros prædictos id continentes, quoad hoc auctoritate Apoſtolica præſentium tenore reprobamus, & damnamus, ac motu ſcientia & auctoritate prædictis ſtatuimus, & ordinamus, quod Prædicatores verbi Dei, & quicunque alii, cuiuſcunque ſtatus, ordinis & conditionis exiſtant, qui de cætero auſu temerario præſumpſerint in eorum ſermonibus ad populum, ſeu alias quomodolibet affirmare huiuſmodi ſic per nos reprobatas, & damnatas aſſertiones veras eſſe, ac dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere, poſtquam de præſentibus ſcientiam habuerint, excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrant, à qua ab alio, quam à Romano Pontifice, niſi in mortis articulo nequeant abſolutionis beneficium obtinere.* hæc ſummus Pontifex, quibus quantum immaculatæ Virginis Conceptioni faueat, nemo ſanæ mentis eſt, qui non videat.

Decretalis Sixti IV.

Sixtus IV. vocat Concept. Virg. immac.

V. PRÆTEREA in ſexta Synodo Conſtantinopolitana SOPHRONIVS expreſſe dicit: *Mariam fuiſſe liberam ab omni contagione peccati:* ibi autē loqui de præſeruatione etiam a peccato originali, tradit ipſe Marginator, dicens: nota de puritate Cōceptionis beatæ Mariæ. Ita habetur tomo 3. CONCILIORVM in 6. Synodo Conſtantinopolitan. Actione II. ſub Agathone in epiſtola Sophronii Patriarchæ. Extat deinde Decretum CONCILII BASILIENSIS in huius rei confirmationem, cuius Romæ perſeuerat Bulla

Sophron. in ſua Cathol. confeſſ.

Conc. Baſ. impreſſ. facta ſub Sixto V. Venetiis 1585.

plumbata, & authenticata, nunquamque reuocata, quod quidem Decretum, licet non habeat vim definitionis, quia Acta illius Concilii non fuerunt à Sede Apostolica confirmata, non tamen parum roboris habet ad confirmandam hanc sententiam, cum in eo Concilio interfuerint innumeri Episcopi, & Doctores grauissimi, qui huic sententiæ vnanimi consensu subscripsere. Verba illius Decreti sunt: *Hactenus vero difficilis quæstio in diuersis mundi partibus, & coram hac sancta Synodo super Conceptione ipsius gloriosæ Virginis Matris Dei, & exordio sanctificationis eius facta est, quibusdam dicentibus: à principio creationis suæ Deum, ipsam diligendo, gratiam eidem contulisse, per quam ab originali macula illam beatissimam personam liberans, & præseruans, sublimioris sanctificationis genere redemit, cum fundaret eam ipse Altissimus, & ipsam fabricaret Filius Dei Patris, vt esset eius Mater in terris. Nos autem diligenter aspectis auctoritatibus & rationibus quæ iam à pluribus annis in publicis relationibus ex parte vtriusque doctrinæ coram sancta Synodo allegatæ sunt, aliisque plurimis in hac parte visis, & matura cõsideratione pensatis, doctrinam illam asserentem gloriosam Virginem Mariam, præuenienti & operante diuini muneris gratia singulari, nunquam actualiter subiacuisse originali peccato, sed immunem semper ab omni originali, & actuali ruga, sanctamque & immaculatã semper fuisse, tanquam viam consonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæque rationi, & sanctæ Scripturæ ab omnibus Catholicis approbandam, fore tenendam, & amplectendam, definimus, & declaramus nulli de cætero licitum esse in contrarium prædicare, vel docere. Renouantes præterea Institutionem de celebranda eius Conceptione, quæ tam per Romanam, quam per alias Ecclesias VI. Idus Decembris, antiqua, & laudabili consuetudine celebratur; statuimus, & ordinamus, eandem celebritatem præfata die in omnibus Ecclesiis, Monasteriis, & Conuentibus Christianæ Religionis sub nomine Conceptionis festiuis laudibus colendam esse, cunctisque fidelibus vere pœnitentibus, & cõfessis ea die Missarum solemniis interessentibus centum dies primis ac secũdis Vesperis totidẽ; sermoni vero verbi Domini de ea festiuitate quadraginta dies de iniunctis sibi pœnitentiis concessione perpetuis temporibus duratura hæc sancta Synodus elargitur. Datum Basileæ in nostra sessione publica in Ecclesia maiori Basiliensis solemniter celebrata XV. Kalendas Octobris, anno à Natiuitate Domini millesimo, quadringentesimo, quadragesimo nono.* Hæc ibi.

VI. ACCEDIT ad hæc illustrissimum, & nouissimum sacri CONCILII TRIDENTINI Decretum, vbi postquam generaliter definierat, omnes, etiam ex parentibus fidelibus natos contrahere peccatum originale, statim excipit beatam Virginẽ, quam dicit se non velle cõprehendere in prædicto vniuer-
Con. Trid. sess. 5. sali Decreto. Verba sacri Concilii sunt hæc: *Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis cõprehendere in hoc Decreto, vbi de peccato originali agitur, beatam & immaculatã Virginem Mariam Dei Genitricem, sed obseruandas esse Constitutiones (felicis recordationis) Sixti Papæ IV. sub pœnis in eius Constitutionibus contentis, quas innouat.* hæc ibi. Si ergo sacrum Concilium, non obstantibus generalibus locutionibus S. Scripturæ, vult non comprehendi in prædicto generali Decreto immaculatam Virginem, certe fideles tenentur idipsum velle. Est igitur conforme menti sacri Concilii Tridentini asserere, immaculatam Virginem non comprehendi sub generalibus clausulis sacræ Scripturæ, asserentibus omnes contrahere peccatum originale.

Ex vniuersali consensu Ecclesiæ Catholicæ. §. 3.

VII. Vniuersalis Ecclesiæ cultus, quæ celeberrimum festum Conceptionis celebrat, non obscure ostendit Ecclesiam Catholicam hanc sententiam tanquam veram, licet non certam de fide, approbare. Cœpit enim celebrari hoc festum in Ecclesia Græca ante mille annos, vt refert ex Gregorio Nazianzeno GALATINVS & in Ecclesia *Galatinus lib. 7. c. 4.*
Latina incepit ante quingentos annos, & tandem à Romana Ecclesia approbatum est, & receptum, vt refert S. ANSELMVS dicens non esse verum amatorẽ *S. Anselm. in epist. ad Episc. Angliæ.*
Virginis, qui non celebrat festum Conceptionis; quibus accedunt, quæ tradit Illustriss. Card BARONIVS pietate ac doctrina insignis: scribit enim in suo Martyrologio: in Anglia primum hoc festum *Card. Bar. in Martyr.*
celebrari cœptum fuisse, eique S. Anselmum, qui de Conceptu Virginali, & peccato originali pulchrum scripsit opusculum, fauisse; & deinde ab Ecclesia Lugdunensi, licet cum magna controuersia receptum, ac postremo ante ducentos annos ab Ecclesia Romana amplexum, & Indulgentiis auctum. Temerarium autem esset asserere, Ecclesiam in celebratione festi errare, & Indulgentias concedere assertoribus alicuius erroris: vnde si Ecclesia id celebrat, videtur id omnino esse verum, quia ipsa non celebrat, nec Indulgentias concedit sub conditione: si est verum, Virginem ab originali præseruatam, sed id absolute celebrat; ergo omnino verum est; alias Ecclesia illud non celebraret, ne se vlli errori etiam speculatiuo exponeret. Sicut Ecclesia non celebraret festum illius diei, quo Moyses, Paulus, aut beata Virgo viderunt in via diuinam essentiam, quia licet id sit probabile, est tamen fallibile.

VIII. SED respondent primum contrarium opinantes celebrari Conceptionem, non quia sancta fuerit, sed quia fuit Dei magnum beneficium. Sed contra, quia vniuersi Doctores cum B. BERNARDO, *Epist. 174.*
ILDEPHONSO & cum D. THOMA sufficienter colligunt Natiuitatem Mariæ sanctam fuisse, quia Ecclesia illam celebrat: ergo si celebrat Conceptionẽ, recte colligitur sanctam fuisse. Præterea, id videtur esse contra sensum Ecclesiæ, quæ celebrat illud festum non solum in laudem Dei, sed etiam *D. Ildeph. ser. de Nat. Mariæ. D. Thom. 3. p. q. 27.*

Virgi-

Virginis:non autem digna esset tali honore, si tunc non fuisset sancta:ergo. Alii respondent; minime Conceptionem, sed sanctificationem celebrari, non quia in primo instanti, sed quia intra illum diem sanctificata fuit: sed hoc aduersari videtur menti Ecclesiæ, quæ semper à prima institutione huius festi intendit celebrare immunitatem Virginis à peccato originali: quod patet primo ex D. BERNARDO, qui plane docet, hunc fuisse sensum Ecclesiarum, quæ inceperunt celebrare hoc festum; nec enim ipse reprehenderet Lugdunenses, quod colerent sanctificationem Virginis in vtero, hoc enim reprehendere alienum erat à pio viro. Præterea in Concilio Basiliensi à cœtu illorum omnium Patrum dicitur, hoc festum antiqua, & laudabili consuetudine celebrari ab Ecclesia Romana, propter honorem immaculatæ Virginis ab omni macula præseruatæ:est ergo obiectum huius festiui cultus præseruatio à macula originali. Secundo:nam in antiquo officio huius festi sæpe repetebatur, Virginem immunem fuisse ab originali; quod officium institutum est auctoritate Papæ, vt docet SIXTVS IV in extrauaganti; *Graue nimis*.& in extrauaganti; *Cum præ excelsa*: de Reliquiis,& veneratione Sanctorum: vbi approbat officium in quo id expresse continetur, nec est credibile, Deum permisisse tot annis Ecclesiam decipi instituendo, & retinendo officium in quo tam notabilis error pertinens ad substantiam officii contineretur, & licet Pius V. prædictum officiũ abstulerit, non tamen, quia aliquid falsum contineret sed quia voluit ad antiquum morem reuocare officia, sicut etiam abstulit ex ordine officii sanctũ Rochum, & sanctam Annam, & Præsentationem Virginis, nihil derogando eorum sanctitati. Immo & festum Conceptionis retinendum esse decreuit, & solemniter celebrandum cum officio Natiuitatis Virginis, mutato nomine *Natiuitatis*, in *Conceptionis*, ad significandum Conceptionem Virginis sanctam esse, & absque peccato, sicut & eius Natiuitatem. Tertio, quia Sixtus IV. statuit, non esse damnandos eos, qui celebrant festum Conceptionis, & reddit rationem, quia hoc festum ab Ecclesia Romana celebratur. ergo intendit ab Ecclesia Romana celebrari illud festum, cuius celebrationem illi damnabant; sed hoc non est sanctificationis post lapsum sed præseruationis ab eo: ergo vere celebrat Ecclesia Conceptionem Virginis ab originali præseruatæ. Et addit, non esse damnandos eos, qui tenent contrarium, scilicet, Virginem in originali fuisse cõceptam, sic enim ipse explicat; ergo cum Papa dicat, hoc esse contrarium illi, quod Ecclesia celebrat, manifestum est, Ecclesiam celebrare Conceptionem ab originali immunem; nam si solum celebraret sanctificationem in vtero, falso dixisset Papa, non peccare mortaliter eos, qui contrarium tenent, cum id sit error contra fidem, atque adeo peccatum mortale, asserere Virginem non fuisse in vtero sanctificatam. Tandem; quia Ecclesia probe nouit Conceptionem immaculatam condistinguere ab emundatione maculæ, quæ est sanctificatio, nam licet credat, Ieremiam, & Baptistam in vtero sanctificatos, nunquam tamen dicit eorum Conceptionem immaculatam, vt optime obseruauit D. BERNARDVS.

Epist. ad Can Lug.

Conc. Basil. sess.34.

D. Bern. ep. ad Can. Lugdun.

IX. PRÆTEREA sub eodem officio celebrat Ecclesia, vt supra dicebam, Conceptionem Virginis, & eius Natiuitatem, mutato solum nomine Natiuitatis, in nomen Conceptionis: putat ergo sanctam fuisse vtranque; alioquin erraret Ecclesia celebrando Conceptionem Virginis, si sancta non esset: sicut erraret, si celebraret Natiuitatem, si Natiuitas sancta non esset. Atque hic est sensus omnium fidelium, qui alioquin decepti essent ab Ecclesia, quæ indulgentiis, & fauoribus ad festum immaculatæ Conceptionis celebrandum eos inuitat, vt inquit Sixtus IV. supra relatus; at si in primo instanti habuit maculam: ergo absolute & proprie loquendo eius Conceptio non est immaculata; ergo absolute Sixti Pontificis Maximi verba essent falsa, dum ibi vocat *Conceptionem immaculatam*. Vnde eruditissimus CANISIVS, & de B. Virgine, ob præclara eius scripta, valde bene meritus tam veraciter, quam eleganter dixit: *Quamuis liberum relinquatur, hanc illamue sequi opinionem, tamen prior sententia, velut pia magis, ac probabilior palmã obtinuit passim; nec solum in Romana Ecclesia, sed in aliis etiam longe dissitis nationibus mirabili populorũ consensu corroboratur, huc omniũ animis maxime propendentibus, vt sanctã sanctæ Virginis Conceptionẽ tam libenter, quã reuerenter admittant, seduloq; complectantur.* Et rursus: *De scholis Catholicis nihil attinet dicere, quæ, vt iam pridem susp iciunt, sic libenter etiã imitantur Theologos Gymnasii Parisiensis, quos quidem in Europa tot iam sæculis maxime spectabiles, & Doctorum vbique sermone prædicatos, commendatosq; videmus. extat autem Decretum scholæ Parisiensis, quo planissime fatetur, quod Mater Dei Maria per nullum instans, vel momentum originali culpæ subiecta, sed speciali priuilegio ab omnium peccatorum macula immunis fuerit præseruata. Cuius decreti obseruandi Parisienses tanto studio, tantaque religione tenentur, vt in ordinem Theologorum cooptari neminem sinant, nisi sancte iurantem, se in asserenda Virginis Matris Conceptione illibata constanter perseueraturum: nec solum apud Gallos, sed etiam in Hispania, & vtraque Germania.* Hæc ille. Tantum autem valet, tantique ponderis, & auctoritatis est Ecclesiæ consuetudo, vt D. THOMAS hæc verba proferat: *Dicendum est, quod maximam habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ est in omnibus æmulanda, quia & ipsa doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet; vnde magis standum est auctoritati Ecclesiæ, quam Augustini, vel Hieronymi, vel cuiuscumq; Doctoris*: quod idem repetit quodlibeto 2. artic.7. Quare concludo, cum Ecclesia Catholica adeo propendeat in immaculatam Virginis Conceptionem, veraque sit regula illa monastica, & à sanctis Patribus approbata: De

Canis. l. 1. de Deip. c.7.

D. Thom. Aquin. 1. 2. q.110. a. 12.

ratione perfectæ obedientiæ esse, non solum obedire Prælato in rebus præceptis, sed in illis etiam, quas insinuat, & in quas magis propendere nosci tur, rem sane Ecclesiæ Catholicæ valde gratam, & perfectæ obedientiæ conformem fideles facturos, si immaculatæ Conceptioni, quam illa adeo insinuat, & in quam tantopere propendet, ipsi firmiter adhæreant, licet alias oppositum tenere permittat, nec eos damnet, sicut nec nos hac tempestate damnamus, aut alicuius leuis peccati reos esse dicimus.

Ex miraculis, & Reuelationibus valde authenticis. §. 4.

D. Greg. hom. super Luc.

X. REDDENS rationem D. GREGORIVS in homil. quadam super Lucam, quare Christus Dominus ad fidem suam stabiliendam miracula induxerit, inquit: *Quia carnales adhuc Discipuli nullo modo valebant capere verba mysterii, venitur ad miracula:* sic in proposito, quia multi vacillant, alii increduli sunt circa immaculatam Virginis Conceptionem, oportet ad miracula venire, quæ cum à Deo fieri non possint in testimonium falsitatis, reliquum est fateamur, veram esse sententiam asserentem beatæ Virginis Conceptionem sanctam, & immaculatam fuisse, cum in eius attestationem innumera patrata sint miracula. Imprimis ergo possem in mediũ producere omnia illa, quæ refert D. ANSELMVS de celebranda Conceptione beatæ Virginis; breuitatis tamen causa solum referam duo; alterum de HÆLSINO ABBATE Rhemesiensi, qui cum in mediis Oceani fluctibus valde anxiaretur, apparuit ei Angelus de cœlo, iubens illi celebrare Conceptionem B. Virginis, quod cum facere polliceretur, sedata tempestate, saluus factus est, cum omnibus secum nauigantibus. Alterum vero miraculum refert idem D. ANSELMVS ibidem de quodam Læuita Regis Vngariæ germano, quem de nuptiis immaculata Virgo reuocans admonuit celebrare, celebrandamque prædicare suam immaculatam Conceptionem.

Epist. ad Episcopos Angliæ. Hælsinus Abbas

Idem Anselm.

Ioan. Americius in serm. de Concept. Virg.

XI. INSIGNIS etiam Doctor IOANNES AMERICIVS in serm. Conceptionis, quem corã sacro Concil. Trident. habuit, refert plures Concionatores in graues morbos incidisse, alios mortem obiisse, propterea, quod contra immaculatam Virginis Conceptionem concionati fuerant Illuminatus Doctor FRANCISCVS de MAYRONIS refert, quod cuidam Magistro volenti publicam concionem habere contra immaculatam Virginis Conceptionem ipsa Virgo apparuit, dicens: *O Magister, quid ego vnquam tibi feci, quia hoc mane vis contra meum honorem prædicare?* quo audito ille reuocans sententiam, immaculatam Virginis Conceptionem Parisiensi Ciuitati prædicauit. PELBARTVS refert, quod quidam frater ex nostro Ordine, cum, postquam concionem habuerat ad populum Tholosæ contra immaculatam Virginis Conceptionem, accederet ad celebrandam Missam in altari S. Michaelis, vbi pulchra erat imago beatæ Virginis in lapide sculpta marmoreo, illa velut ira percita vultum suum retro conuertit; in cuius rei memoriam vsque in hodiernum diem in nostro Conuentu Tholosano facie retro conuersa perseuerat illa imago, quo miraculo stupefactus frater ille, & cæcus factus, continuo votum emisit reuocandi quæ dixerat, & ex Virginis clementia sanatus est. Eruditissimus etiam Doctor BERNARDINVS de BVSTO refert B. Thomam Aquinatem admiranti Episcopo Fantino Patauii Præsuli, quod ille docuisset, beatam Virginem conceptam in originali, ei apparuisse in hunc modum loquentem: *Scias Episcope, quod quando talem opinionem posui, solum habui respectum ad diuinum statutum, quo B. Virgo peccatum originale contrahere debuerat, nisi per filium suum fuisset præseruata, sed Dei filius matrem suam ab originali macula præseruauit.* hæc Sanctus Thom. & ibidem subdit: *hæc omnia Vicarius ipsius Episcopi fidelissime exposuit, asserens se à prænominato D. Episcopo hanc visionem propriis auribus audiuisse.*

Fran. de Mayron. in serm. de Concept. Virg.

Pelbartus in stellar. lib. 4. p. 2. art. 3.

Bernard. de Busto serm. 7. de Concept.

XII. IRREFRAGABILIS etiam noster Doctor ALEXANDER de ALES in libro, quem de B. Virginis Conceptione edidit, qui modo extat catenis alligatus Tholosæ, in choro Ecclesiæ Cathedralis, narrat miraculum, quod sibi ipsi contigit, per quod primo inductus fuit ad defendendam immaculatam Virginis Conceptionẽ; nam cum secularis existens illam acriter impugnasset, grauique morbo correptus esset, votũ emisit de ea deinceps defendenda, & subito ad pristinã sanitatem restitutus fuit, exindeque acerrimus immaculatæ Conceptionis propugnator factus fuit. OROSIVS item ait: *Coram Deo noui, & in veritate comperi, quod nulla mulier in partu periclitatur, super quam deuote Mariæ gratia imploratur, & dies eius Conceptionis celebratur.* Hæc ille. Nouit etiam vniuersa nostra Hispania, quod cum Serenissimus Rex Catholicus per multos annos elaborasset pro capienda inclyta & inexpugnabili vrbe Granatensi, tandẽ ad purissimæ Virginis adiutorium confugiens, deuote vouit cum serenissima consorte sua Regina, si eis de prædicta vrbe victoriam præstaret, primum illius Ciuitatis Templum in honorem suæ immaculatæ Conceptionis consecrandum, quo emisso voto, gloriosam ab inimicis victoriam reportarunt. Tandem, tam innumera, eaque præclara in huius veritatis confirmatione miracula extant, vt iure optimo mihi vsurpare possim illud OVIDII:

Alexan. de Ales tract. de Concept.

Oros. epist. ad Heliod.

Votum Regis Hispania

Quid moror exemplis, quorum me turba fatigat.

De remed. amor. 2.

XIII. QVARE ne & ego legenti fastidium ingeram, & quia apud D. Anselmum & alios probatos auctores facile ea videri possunt, omnibus supersedeo, ad reuelationes diuinitꝰ factas me conuertẽs. Sane, præter tres reuelationes, quas insignis Theologus MARSILIVS refert, easque miraculis confirmatus asseuerat, extat celebris reuelatio beatæ Brigit-

Marsil. in 2. q. 30. & in 3. q. 1.

Brigittæ, quæ reperitur in libro Reuelationum illus a Sede Apostolica approbato; ibi enim l. 6. cap. 49. Deipara Virgo B. Brigittam alloquens, hæc protulit verba: *Veritas est, quod ego concepta fui sine peccato originali.* & subdit: *Scito quod conceptio mea nō omnibus nota fuit, quia voluit Deus, quod sicut ante legem scriptam præcessit lex naturalis, & electio voluntaria boni & mali, & postea veniret lex scripta, quæ cohiberet omnes inordinatos motus: sic placuit Deo, quod amici sui pie dubitarent de conceptione mea; & quilibet ostenderet zelum suum, donec veritas claresceret in tempore præordinato.*

Ex sanctis Patribus, & grauissimis Ecclesiæ Doctoribus, tam antiquioribus, quam recentioribus; tam mysticis, quam scholasticis. §. 5.

XIV. Ne quispiam mihi dicat, neminem ex sanctis Patribus docuisse, Virginis conceptionem immaculatam, grauissima eorum testimonia statim subiiciam, quibus apertissime constabit, magnam partem SS. Patrum huic sententiæ subscripsisse: vnde existimo id procul dubio, quod olim filiis Israel contra Ægyptios accidit, nobis contra oppugnatores illibatæ Mariæ Conceptionis euenisse: nam sicut ex eodem flumine, ex quo Israelitæ aquā puram, & claram deducebant, ex eodē sanguinolentam, & impuram Ægyptii hauriebant; ita ex doctrina SS. Patrum, ex qua nos B. Virginis Conceptionem, puram claram, & immaculatam colligimus, ipsi impuram, tenebrosam, & maculatam colligunt. Verum S. Iob subaudiens, dum ait: *Interroga enim generationem pristinam, & diligenter inuestiga patrum memoriam: hesterni quippe sumus, & ignoramus, quoniam sicut vmbra dies nostri sunt: Ipsi docebunt te, loquentur tibi, & de corde suo proferent eloquia:* placet antiquiores Patres, ac celebriores Ecclesiæ Doctores, tanquam testes omni exceptione maiores interrogare, quid de Conceptione B. Virginis sentiant? Inter hos primum locum teneat S. ANDREAS APOSTOLVS, quem ABDIAS BABYLONICVS refert dixisse, *sicut de immaculata terra, & nunquam maledicta factus fuerat primus homo, ita ex semper immaculata Virgine formatus fuit secundus Adam:* quæ verba Proconsuli Egeæ dixisse narrant Presbyteri Achaiæ in l. de Passione S. Andreæ, vt refert CARD. BELLARMINVS & tradit Canisius, qui & similia adducit ex D. Dominico Prædicatorum Ordinis Patriarcha in libro de corpore Christi, vbi ait: *Sicut primus Adā fuit ex terra virgine, & nūquam maledicta formatus, ita decuit in secundo Adam fieri.*

Exod. 7. — *Iob. 18.* — *S. Andreas Apost.* — *Abdias Babylon. lib. 4. hist.* — *Card. Bellar. l. 4. de statu peccati, c. 15.* — *Canis. l. 1. de Deipara, c. 7.*

XV. Testis huius veritatis est D. Avg. acerrimus Marianæ puritatis propugnator, qui non vno, sed pluribus in locis immaculatam eius Conceptionem docuit: nam in primis, vt ab eo testimonio, quod in ore omnium versatur, exordiar l. de nat. & gratia dixit: *Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, volo habere quæstionem.* Nec valet euasio dicentium, D. Augustinum in prædictis verbis solum loqui de peccato actuali, non de originali: nam certè si de solo actuali loqueretur, non solum Virgo, sed & innocentes excipiendi essent, & paruuli baptizati: nec dici vlla ratione potest ibi solum agere de adultis, cum certe ibi de omni peccato agat & præcipue originali, vt contra Pelagium probaret neminem esse sine peccato, etiam infantes: & ibidem subiungit, omnes sanctos, quotquot sunt in cœlo, interrogatos, si aliquando fuissent peccato inquinati? responsuros, habuisse peccatum, sed infantes innocentes nō habuerunt, nisi originale: ergo manifestum est ibi non loqui solum de actualibus peccatis.

D. August. l. 1. de nat. & grat. c. 36

XVI. Deinde, quia D. Augustinus ait: se propter honorem Domini de sancta Virgine quæstionem habere nolle, cum de peccatis agitur: honor autem Domini non minus certe postulat, vt eius Mater caruerit originali peccato, quam actuali, & veniali: ac tandem illa vniuersalia Augustini verba: *nullam volo habere quæstionem*, non solum excludunt quæstionem de peccato veniali, quod leuius est, sed præcipue quæstionem de originali, quod deterius esse sacrum CONCILIVM TRIDENTINVM docuit, vocans illud, mortem animæ: hanc autem esse mentem D. Augustini, est expressa sententia D. BERNARDI verba illa D. Augustini interpretantis serm. 4. super *Salue Regina* de originali & actuali peccato: eodemque modo intelligenda esse docent, ILLVMINATVS DOCTOR & CARDIN. BELLARMINVS, qui id multis rationibus erudite confirmat. sed copiosius ante illum EPISCOPVS CHRISTOPOLITANVS, cuius egregia verba, licet non pauca, hic adscribenda censui: *Virginem* (ait) *Mariam fuisse præseruatam per gratiam ab omni peccato, non solum actuali & veniali, sed etiam originali, fuit de mente B. Augustini, pro cuius probatione est aduertendum, quod cum Pelagiani negarent peccatum Adæ cum suis damnis, & onere fuisse in omnes posteros suos translatum, & negarent, nos omnes traxisse originale peccatum ex carne & natura corrupta ipsius Adam, & assererent, quemlibet hominem ex viribus propriæ naturæ per solum liberum arbitrium absque speciali gratia Dei posse omne peccatum vitare, & diuina præcepta adimplere: tunc B. Augustinus zelo Catholicæ fidei compulsus inter cæteros tractatus fecit libros de Baptismo paruulorum contra Pelagianos, in quibus probat neminem esse liberum ab omni peccato, scilicet actuali, aut veniali, aut originali præter vnum solum Christū mediatorem, eo quod solus inter mortuos liber, nō ex opere Adam conceptus, nec natus. Sed cū postea Pelagius arguisset contra August. adducēs, & memorās cōplures in Vet. Test. & Nouo, quos sacra Scriptura iustos appellat, sicut fuit Abel, Enoch, Noe, Melchisedech, Abrahā, Isaac, Iacob, Moyses, Iob, Iosue, ad hoc respondet Augustin. in libro de natura & gratia,*

Ibid. — *Concil. Trid. decr. de pec. orig.* — *Illuminatus Doctor in 3. dist. 3. q. 2. art. 3.* — *Card. Bellar. li. 4. de statu peccati.* — *Episcopus Christop. in Psal. 43.*

quod

quod licet omnes illos appellet iustos sacra Scriptura ob ingentes virtutes, tamen aliquando fuerunt sub aliquo peccato actuali, aut veniali, aut originali; & si quando vitarunt peccata actualia, hoc non fuit ex propriis viribus, sed ex speciali gratia præueniente, & præseruante: sed cum rursus Pelagius memorat Zachariam, & Simeonem, & Annam Prophetissam, & Ioseph sponsum Virginis, & Ioannem Baptistam in vtero sanctificatum, quos omnes Euangelica iustos commendat auctoritas, & sine peccato, & innocentes, de quibus dicitur in Apoc. quod hi sunt, qui cum mulieribus nõ sunt coinquinati, & sine macula sunt ante thronum Dei, ad hoc respondet Aug. quod omnes illi licet per gratiam fuerint præseruati à peccato actuali, tamen non fuerunt absq; omni peccato, saltem originali; sed cum tandem Pelagius memoraret Virginem Mariam matrem Christi, cui dictum est per Angelum: Gratia plena, &c. ad hoc respondet Augustinus in eodem libro de natura, & gratia, quod hac Virgine excepta, si omnes supradicti & omnes Sancti, & Sanctæ congregari possent, & quæreretur ab eis; an peccatum haberent: quid possent respondere, nisi quod Ioannes ait, si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Ex quibus patet, quod Augustinus asserit, Virginem Mariam non solũ ab actuali sed ab originali fuisse immunem; nam ipse comparat ipsam Ioanni Baptistæ, qui nunquam peccauit actualiter, & innocentibus, qui non solum nõ peccauerũt actualiter, sed nec venialiter. Comparat etiã eã omnibus sanctis, quorũ quidam fuerũt similes innocentibus, & non habẽtibus nisi originale, & dicit nullũ illorũ fuisse sine peccato præter Virginẽ Mariam: ergo asserit ipsam immunem ab originali, sed modũ, per quẽ Maria fuit præseruata, exprimit Augustinus, cum subdit: Propter honorem Domini, cũ de peccatis agitur, de Virgine Maria nullam prorsus intendo mentionem agere. Scimus enim tantũ gratiæ ad vincendũ ex omni parte peccatũ illi fuisse collatũ, quod illum meruit parere, quẽ cõstat nullũ habuisse peccatũ: quibus verbis asserit Augustinus, quod Christus volẽs honorare Matrẽ, voluit ipsi conferre gratiã præseruantẽ ad vincendum ex omni parte peccatũ, scilicet tam à parte ante originale, quam à parte post actuale, & à dextris, & sinistris veniale, & per consequens fuit præseruata non per naturam, sed per gratiã ab omni peccato; quia omne peccatum vicit: sed hoc magis cõfirmat Augustinus, & exprimit in 2. sermon. de Natiuitate eiusdem Virginis, vbi allegando illud verbũ Angeli: Gratia plena, &c. dicit: Quid iustitiæ, quid sanctitatis hæc Virgo indigere potuit, quæ efficacis ad omnia gratiæ plenitudinẽ accepit? aut quis vnquam in eius anima, vel corpore locus potuit inueniri peccati, quæ ad instar cæli continentis omnia, Templum Domini est effecta? hæc est domus, de qua per Salomonem dicitur: Sapientia ædificauit sibi domum, hanc profecto domum diuina sapientia ædificauit, de qua carnem assumeret, cui nullus Patriarcharum, nullus Prophetarum est conferendus. Nec mirum, si hæc Virgo puritate cunctorum celsitudinem transcendit mortalium; cum partu omnes excedat. Hæc tam pie, quam erudite Episcopus Christopolitanus.

August. ser. 2. de Natiuit. Virg.

XVII. Extat etiam aliud insigne eiusdem D. Avgvstini testimonium: vbi recte in errore putat, eũ qui caruit omni actuali culpa in adulta ætate, caruisse etiam originali in infantili. sic enim ait: *profecto peccatum etiam maius fuisset, si paruulus habuisset: nam propterea nullus est hominum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exordio*: igitur cum B. Virgo caruerit omni peccato actuali vt palam docet D. August. in præcitato loco, & omnes ex Tridentino ingenue fatentur, aperte efficitur, illum amplexum fuisse sententiam de immaculatæ Virginis Conceptione, nisi ibi ipsi apertissime contradiceret. Item lib. 5. cont. quinque Hæreses, aliud reperio celebre testimonium eiusdem, vbi in persona Christi loquens ait: *Si potuit inquinari Manichæe, cum ipsam facerem; potui & ego inquinari, cum ex ea nascerer*: Deinde idem Avgvst. in serm. de Natiuit. Virginis ait: *Magnifica illum (ô Virgo beatissima) qui te ab omni peccato super omnes homines præseruauit; quis enim dicere poterit: sine peccato sum natus? aut, mũdus sum ab omni iniquitate, dicere audebit? nisi Virgo illa prudentissima, animatũ templũ Dei excelsi, quam Deus sic elegit, & præelegit ante mundi constitutionẽ, vt sancta, & immaculata mater Dei esset, & filia ab æterno præseruata incorrupta ab omni labe peccati?* hæc ille. Nec potest dici nõ loqui D. August. de Conceptione, sed de Natiuitate Virginis: nam certe in Natiuitate etiam quilibet sanctificatus in vtero materno dicere potuisset: sine peccato sum natus: ergo cum negat D. Avgvstinvs, id nullum dicere posse præter Virginem, apertissime constat loqui de Conceptione, quæ est prima Natiuitas, iuxta illud: *quod enim in ea natũ est, de Spiritu sancto est.* Deinde super Genesim explicans verba illa: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, ipsa cõteret caput tuum*: sic ait: *subiectio originalis peccati caput est Diaboli*: at millies D. Augustinus in sermonib. de B. Virgine repetit illam contriuisse caput Diaboli: ergo sensit caruisse peccato originali.

D. August. l. b. 5. cont. Iulian. cap. 9.

Concil. Trid. sess. 7. can. 23.

Matth. 2.

Genes. 3.

D. August. sup. c. 3. Gen.

XVIII. In testem eiusdem veritatis produco D. Anselmvm, qui dixit: *Ille assertor puræ veritatis, & à filio tuo iam cœlo præsidente vas electionis cognominatus omnes homines in Adam peccasse fatetur: vera vtiq; sententia, & cui contradicere nefas esse pronuncio: sed cum eminentiam gratiæ Dei in te considero, sicut te non intra omnia, quæ facta sunt, inæstimabili modo contueor, sic nec lege aliorum in tua conceptione demeritã fuisse opinor, singulari, & humano intellectui impenetrabili diuinitatis virtute, & operatione ab omni peccati adiunctione liberrima.* Idem etiã Anselmvs paulo post ait: *Adhuc propono tibi palatium, quod specialiter suis vsibus aptũ existat construere volentẽ, in quo & ipse frequentiori, & festiuiori cursu cõuersetur, pateretur ne quæso in principio palatii fundamentum inualidum, & structuræ, quæ foret ædificanda, incongruum, & non cohærens? Non puto, si saperet, & propositum suum ad effectum producere vellet: ergo sapientiam ante omnia sæcula proposuisse sibi habitaculum, quod speciali-*

D. Ansel. lib. de Concept. Virg. cap. 5.

Idem Anselm. c. 6.

specialiter inhabitaret, construere similiter indubitata fide tenemus. Quod autem habitaculum istud fuerit, iamdudum innotuit, hoc enim habitaculum, illud sacrarium Spiritus sancti esse fatemur, in quo, & per quod eadem sapientia humanæ naturæ coniungi voluit, & incorporari, & omnibus sepura mente confitentibus parcere, & misereri. quod sacrarium, aula videlicet vniuersalis propitiationis, cum operante Spiritu sancto construeretur, si fundamentum illius, scilicet initium, siue primordium Conceptionis beatæ Mariæ corruptum fuit, ipsi certe structuræ non congruebat, nec cohærebat.

Ibid.

hæc Anselmus. Et in eodem etiam capite ait: *Insciane fuit, & impotens sapientia Dei, & virtus, mundum sibi habitaculum condere, remota omni labe conditionis humanæ? Angelis aliis peccantibus, bonos à peccato seruauit, & fœminam Matrem suam mox futurã, & ab aliorum peccatis exortem seruare non valuit? In æternitate consilii sui fixum statuit eam Dominatricem, & Reginam fore Angelorum, & nunc inferiorem Angelis natam in consortium acceptam esse credamus omnium peccatorum? existimet hoc, & argumentis suis probet qui vult.*

Idem D. Ansel. c. 9.

Deinde capite nono ait: *De Domina nostra, quam in tantum culmen prædestinauit, & extulit diuina potentia; quam tot prærogatiuis dotauit, cuncta disponens Dei sapientia, quam sibi Matrem elegit ad mundo subueniendum, ipsam omnium saluandorum ineffabilis Dei misericordia dicere morte peccati, quæ per inuidiam Diaboli occupauit orbem terrarum, in suo conceptu prægrauari, vt taceam interim ipsas, quas commemoraui rationes, animus euitat, intentio abhorret, lingua fateri non audet: Qui aliter sapiunt, & melius approbant, credant. Ego, piissima Domina, qualiscumque seruulus credo, & fateor, quod tu ex radice Iesse pulcherrima, ac per hoc ab omni, quod te decoloret, peccati vulnere aliena, integerrima permanens, florem presiosissimum protulisti, non qualemcunque, sed super quem septiformis spiritus requieuit.* hæc ille.

Idem c. 18.

Ac tandem cap. decimooctauo, ait: *Decuit Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequeat intelligi:* posset autem intelligi maior, si fuisset concepta in originali.

In Epist. ad Episc. Gall.

Et in Epistola ad Episcopos Galliæ: *non puto,* inquit, *verum esse amatorem Virginis, qui celebrare respuit festum suæ Conceptionis.*

XIX. His non prætermittam aliud eiusdem ANSELMI egregium testimonium adiungere; In Commentario enim super 2. Corinth ait:

Idem in Comment. sup. 2. Corinth. c. 5.

Omnes mortui sunt peccatis, nemine prorsus excepto, dempta Matre Dei, siue originalibus, siue voluntate additis, vel ignorando, vel sciendo. sed nec silentio præteribo aliud præclarum eiusdem Diui ANSELMI testimonium libro 6. de Conceptione beatæ Mariæ quod & adducit Glossa ordinaria nuper Lugduni edita super cap. 5. Epistolæ ad Romanos. verba ANSELMI sunt:

Idem Ansel. lib. 6. de Concept. Virg. c. 1.

Qui diem beatæ Mariæ Conceptionis tollit Ecclesia Dei, aut non attendit bene, aut attendere negligit, vel nescit bonum, quod inde procedit creatura Dei, & primo, quia tanti meriti apud Deum creatura es, vt mater eius dignissima fieri meruisses, sicut & ipse non tantum supercastus & mundus, sed & ipsa castitas, ipsaque munditia est; ita tu quoque illam ipsam munditiam de tua carne verum hominem paritura eras, & munda præ omnibus esse debueras. Primordia itaque creationis tuæ merito filii Sanctæ Ecclesiæ debent venerari, si castam, si sanctam, si à peccati ruga illam credunt esse discretam: quod cum aliter credere nulli fas sit, erubescant insensati, qui tantum diem, tantaque mysteria, & sacramenta tenebris ignorantiæ excœcati respuunt celebrare, &c. His adiunge eundem ANSELMVM in epistol. ad Coanglicanos Episcopos, in qua ait:

Idem epist. ad Coanglican. Episc.

Quisquis Præsul, aut Abbas es, recole diligenter festum Conceptionis Mariæ, & à cunctis iube eam diligenter coli, quia si toto corde eam amaueris, nunquam de tuo gradu cum confusione deponeris.

XX. His adnectamus breuiora alia, clarissima tamen priscorum Patrum testimonia. Sanctus BASILIVS Seleucensis Archiepiscopus ser. de annunciatione postquam dixerat: *quid dulcius fratres charissimi, quid iucundius, quid salubrius, quid fœlicius, quam de beata Virgine loqui, de Virgine cogitare?* subdit hæc verba: *hæc est, quæ fuit in vtero matris absque originali peccato concepta, & generata, ab omni maritali vitio segregata, omni etiam veniali peccato priuata, & in cunctis actibus, & moribus Spiritus sancti gratia plena, & fœcunda.* Sanctus ATHANASIVS epistola ad Epictetum: *Idcirco,* inquit, *gratia plena cognominata est, eo, quod adimpletione Spiritus sancti omnibus gratiis abundaret, & virtute Altissimi obumbraretur, quam virtutem per omnia tempora conceptus etiam habuisse confido, neque enim id temporariũ in Virgine accidisse opinor, sed per omnia tempora hoc illi datum fuisse.* Diuus ILDEPHONSVS Archiepiscopus Toletanus libr. de perpetua virginitate Mariæ paulo post principium ait: *Quia Natiuitas Mariæ tam solemniter colitur, constat ex auctoritate Ecclesiæ, quod nullus, quando nata est, subiacuit delictis, nec contraxit in vtero sanctificata originale peccatum.* Idem de partu, & purificatione serm. 2. inquit: *In qua claustrum pudoris integrum permansit, nulla discerptio interuenit, nulla vexatio carnis, nulla fœditas diræ conditionis, in qua vexilla virtutum micarunt, nullum peccatum primæ originis viguit.* CYRILLVS libro 6. in Ioannem, ait:

Cyrillus lib. 6. in Ioan. c. 15.

Omnes homines, excepto illo, qui de Virgine natus est, & sacratissima etiam Virgine, ex qua Deus homo prodiit in mundum, excepta, cum peccato originali nascimur. Nec potest dici Diuum Cyrillum hic loqui de Natiuitate Virginis, non de Conceptione; nam si non sumeret verbum illud: *nascimur,* pro eo, quod est: *concipimur,* falsa, & erronea redderetur eius assertio, cum alii, præter Christum, & Virginem nati fuerint sine peccato originali, vt Ieremias, & Ioannes Baptista, qui fuerunt sanctificati in vtero materno. IDIOTA libro contemplationum de Virgine capite 2. *Tota pulchra es in anima per virtutum, & charismatum omnium perfectam pulchritudinem: tota pulchra es in tua conceptione, ad hoc solum effecta, vt templum esses Dei altissimi.* ORIGENES homilia 1. in diuersos: *Audite, quid dicit, omnes filii Euæ, audite omnes vos qui hæredita-*

reditatem doloris, & tristitiæ post illam, & ex illius condemnatione sumpsistis, audite quod Virgo in vtero accipiet, non ex desiderio partum concipiens, quæ neque persuasione serpentis decepta est, nec eius afflatibus venenosis infecta.

XXI. GERMANVS Constantinopolitanus de adoratione venerandæ Zonæ Deiparæ cap. I. vocat *Mariam nullipenitus culpæ affinem.* S. DOMINICVS, Prædicatorum Ordinis celeberrimus Patriarcha tractat. de corpore Christi, vt refertur in thesauro Catholico Coloniæ edito 1599. ait: *sicut primus Adam fuit ex terra Virgine, & nunquam maledicta format⁹; ita decuit in secundo Adã fieri, scil. Christo, cuius terra id est, mater virgo nunquam fuit maledicta,* S. FVLBERTVS Carnotensis Episcopus ante quingentos annos Mariam salutauit in hunc modum: *Aue Maria, electa, & insignis inter filias, quæ immaculata semper extitisti ab exordio tuæ creationis, quia paritura eras creatorem totius sanctitatis.* D. DAMASCEN. orat. de Natiuit. Virginis hæc egregia verba habet: *Natura gratiam anteuertere ausa non est, sed tantisper expectauit, dum gratia fructum suũ produxisset. O beatos Ioachimi lumbos, ex quibus immaculatum semen effluxit. O sanctissima, quæ Principatus, & Potestates fefellisti, immaculata conseruata in Dei sponsam* bene quidem ait: *fefellisti principatus & Potestates,* quia putabant illi dominari, & principari mediante originali macula; at ipsa immaculata procedente, decepti, & confusi remanserunt. extat etiam ejusdem Damasceni Martyrologium, in quo dies Conceptionis Mariæ notatur, hoc expresse addito, quod illa ante Conceptionem pura dicatur, vt CANISIVS tradit, & ante illum noster GALATIN. CYPRIANVS similiter serm. de Natiuitate ait: *Non sustinebat iustitia, vt illud vas electionis communibus laxaretur iniuriis; quoniam plurimum à cæteris differens, natura communicabat, non culpa.*

D. Dam. orat. I. de Natiuit. Virg.

Lib. 5. de Deipara, c. 7.

Galat. lib. 7. de arcan. c. 5.

XXII. ACCEDIT ad hæc illustrissimum D. CYRILLI Alexandrini Patriarchæ testimoniũ qui ait: *Propter filium temerarium est in Maria Virgine ponere culpam aliquam, vel peccatũ. ex propter;* vt ait BVSTENSIS, *ipsa gloriosa Dei Genitrix sicut ego scripsi in epistola ad summum Pontificem Sixtum IV.*

Cyrill. Alex. lib. cont. Nestorium.

Bustens. tr. de concept.

Laudatur patrio nunquam fœdata cruore,
Cerbereo nunquãm subiacuisse iugo.

Noster S. BERNARDINVS SENENSIS B. Virginis familiarissimus disertis verbis immaculatam Virginis Conceptionem docet: *Virgo,* inquit, *Maria sine tyranno concupiscentiæ peccati originalis fuit, quia sine eo concepta est.* & serm. 48. tomo 4. *magis pium est credere, quod non fuerit in peccato concepta, quam credere, quod sit.* D. HIERONY. *Nulli dubium est de matre Domini, quin talis debuerit esse, quæ non posset argui de peccato.* & in illud Psalm. *Eduxit eos in nube diei;* per nubem intelligit Virginem, quam dicit vocari diei nubem, quia nunquam fuit in tenebris, sed semper in luce. & D. MAXIMVS serm. Assumptionis sanctæ Mariæ, qui incipit: Cum aliquid dilectissimi: sic ait: *Ductor mortis Diabolus, per cuius inuidiam mors introiuit in orbem terrarum, omne humanum genus in primo parente veneno nequitiæ suæ potauit, quasi arborem in radice, antequã proles propaginis prodiret, vitiauit. Inde est, quod radix vitiata quotidie frondes, frondesq; eius indesinenter per mortem marcescunt, & sæpe contingit, quod aurum fulgens reperiatur in luto, & expungente spina pulchre rubens oriatur rosa. Hoc enim operante prouidentia diuina, ex radice vitiata sine vitio prodit virga; quæ intelligitur beatissima Virgo Maria attestante Isaia qui dicit: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.*

S. Bernar. Senens. tõ. I. ser 53.

D. Hieron. ser. ad Eustoch.

Psal. 77.

Isaiæ 11.

XXIII. ADDE D. BERNARDVM, qui eidem sententiæ consentit: nam præterquam Epist. 174. de beata Virgine loquens ait: *Absit, vt proprii quidquam inquinamenti hæc habuisse aliquando dicatur;* constat autem, non solum peccatum actuale, sed & originale esse proprium cuiusque inquinamentũ, sicut & vnicuique suum proprium peccatum inest, vt CONCIL. TRIDENTIN. definiuit; præter hæc (inquam) est alius insignis locus eiusdem D. BERNARDI serm 4. in Cantic. *Salue Regina,* vbi ait: *Tu nasus Ecclesiæ, similis turri celsæ, videlicet dignitate, firma grauitate turris Libani. Libanus mons quidem dicitur dealbatio, altam præ omnibus signat innocẽtiam tuam: innocens fuisti ab originalibus & actualib. peccatis; nemo ita præter te.* & ibidem referens, D. Augustinum dixisse, B. Virgini collatam fuisse virtutem ad vincendum ex omni parte peccatum, ipse hanc interpretationem mox adiunxit: *ex omni,* inquit, *parte, hoc est, ex parte originalis, & ex parte actualis peccati;* quid quæso clarius dicere potuisset? Quod si Lugdunenses Canonicos reprehendit, quod Conceptionem Virginis celebrarẽt, eo certe nomine id fecit, quod inconsulta sede Apostolica nouũ festiuitatis cultum introducerent. quid tamen quæso illum dicturúm, & facturum putamus, si tot Ecclesias cum Romana nunc coniunctas in celebranda Virginis Conceptione vno consensu cõspirasse videret, cum & ibidem ob egregiã sui animi indolẽ, ac singularẽ modestiam hæc verba subiungat: *quæ autem dixi, absque præiudicio dicta sunt, sanius sapientis, Romanæ præsertim Ecclesiæ, auctoritati, atq; examini sicut & cætera, quæ huiusmodi sunt, vniuersa reseruo, ipsi⁹ si quid aliter sapio, parat⁹ iudicio emendare,*

Concil. Trid. decr. de pecc. orig.

D. Bern. epist. ad Canonic. Lugdun.

XXIV ADSTIPVLATVR deinde eidem sententiæ S. VINCENTIVS FERRER. celebris Hispaniæ prædicator, vbi aptans beatæ Virgini verba illa GENES *fiat lux,* vt ostenderet, Virginem nunquam fuisse in tenebris, subdit: *Non credatis, quia fuerit, sicut in nobis, qui in peccatis cõcipimur, sed statim ac anima fuit creata, fuit sanctificata & statim Angeli in cœlo celebrauerũt festum Conceptionis.* B. PET. DAMIAN. *Caro,* inquit, *Virginis ex Adam sumpta maculas Adæ non admisit;* nec minus luculenter idipsum non semel docuit Præsul ille insignis, B. LAVRENTIVS IVSTIN. dũ ait: *Ab ipsa sui Conceptione in benedictionibus est præuẽta dulcedinis, atque à damnationis aliena chirographo.* Nec multo post: *Erat plane à carnis colluuione*

S. Vincent. Ferr. ser. 2. de Natiu. Genes. I.

B. Petrus Damianus serm. de assump. Virg.

Laurent. Iustin. de Annunc.

immunis; ita & ab omni peccati labe extranea. Tum libro de casto connubio verbi & animæ: *Hæc est originalis pœna delicti, à qua nemo, quãuis eximia polleat sanctitate, liber existit. Quotquot enim ex ipsa nati sunt progenie (excepto duntaxat mediatore Dei, & hominũ, homine Christo Iesu, & ipsius Matre) sub hac peccati lege sunt conditi.* vnde Propheta vice omnium gemens ait: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum*, ac rursus

Psal. 50.
Laur. Iust. in fascic. amo. c. 7.

Psalm. 50. *Nemo ab ipso mundi initio vsque ad temporis plenitudinem (duntaxat Mediatore, eiusq; Genitrice exceptis) iugum damnationis euasit.* Demum in opere, quod ante mortem postremum scripsit: *Ab hoc quippe originali peccato*, inquit, *nullus excipitur, præter illam quæ genuit mundi Saluatorem:* tam aperte, tam constanter suam ille sententiam profitetur, vt nesciam, quid pro Mariæ immaculata Conceptione dici oportunius, ac vehementius queat. Ivo

Iuo Carno. ser. de natiu. Dom.

Carnotensis, vir sua ætate insignis, eandem illibatam Virginis Conceptionem amplectitur, dum ait: *Quomodo Matrem carnis suæ Dominus sanctificauerit, audiamus, vt inde lætetur Catholicus, immundus confutetur hæreticus: omnem quippe næuum tam originalis, quã actualis culpæ in ea deleuit, sicq; carnẽ de carne eius sumens, in eandem munditiam diuinã transformauit:* hæc ille. nec potest dici, quod verbũ illud, *Deleuit*, præsupponat potius in Virgine præfuisse peccatum, quod deleretur; hoc (inquam) stare non potest, cum idipsum dicat de actuali, scilicet, quod deleuit illud, quod tamen constat non infuisse Virgini. Idem ergo valet tibi, *Deleuit*, ac propulsauit, cauens, ne beata Virgo in illud incurreret.

XXV. His cõsonant, quæ lego apud Cardinalem Cvsanvm doctrina, & sapientia sui seculi summum; sic enim ait: *Etsi ipsa concepta fuit ex virili semine via propagationis ab Adam, & quantum ad suum initium indiguit liberatore; quia in Adam (nisi liberentur, aut præseruentur) omnes moriuntur, & vt in Christo omnes, qui viuificãtur, viuificẽtur; tamen sicut anima eius rationalis nullo tempore fuit, antequã esset corpori vnita, ita ipsa dum crearetur, ita sancta creata fuit, sic ẽt quod nulla duratione fuit verum dicere: Virginem fuisse sub peccato.* Et lib. 8. *hoc cedit*, inquit, *ad laudem Dei & Virginis Mariæ matris, quod ipsa sub principatu autoris mortis nullo vnquam tempore fuit, in qua vita debuit incarnari.* Et infra subdit: *nec indiget liberatore à seruitute, in qua nunquã fuit: Præliberatorẽ enim Virgo sancta habuit, cæteri liberatorẽ, & post liberatorẽ; Christus enim sic omnium liberator, quod & Virginis liberator, & præliberator, cæterorũ vero liberator, & post liberator. Ipsa sola post Adæ lapsũ non indiga, sed plena originali iustitia, vt Eua, & multo magis: sola ipsa electissima Dei Mater hoc habet, quod in initio essendi sub nequitia maligni deficere nequiuit, puta, quod in creatione rationalis animæ in corpore, & separatione à corpore in potestate maligni nunquam fuit. Sola igitur gloriosissima Virgo nõ reperitur tẽpore vllo peccato originali subiacuisse.* hæc ille, tam pie, quam erudite. Sed & verba Gersonis Cancellarii Parisiensis tract. 4. super Magnificat huic argumẽto valde inseruiũt, dum ait: *In Maria fuit necessitas originale peccatũ contrahendi secundum causas inferiores, secundum legem propagationis ex coniunctione viri cum fœmina. lex autem superior præiudicauit huic necessitati, præueniendo casum per sanctificationem & gratiam: sicut etiam dicit in alio casu* S. Thomas *de occurrentibus tempore iudicij obuiam Christo in aera; Quod si non moriantur, hoc non est secundum causas inferiores, quibus habebant necessitatem moriendi; nec est contra Apostolum dicentem: statutum est hominibus semel mori, deinde iudicium; quia priuilegiũ superioris hoc suspendit: non secus est in proposito de Maria à necessitate contrahendi originale peccatũ præuenta & priuilegiata.* hæc ille. quibus consonant carmina illa clarissimi Poetæ Baptistæ Mantvani, quæ adiungere non pigebit: hic B. Virginis Conceptioni immaculatæ fauens ait:

Sunt tamen audentes contra sentire; nec illos
Incusamus; habent quo se tueantur; & olim
Ista hominum communis erat sententia: verum
Iam senio exangui frigens sua robora sensim
Perdit, & amissa iam maiestate recedit
Sponte sua, creditque nouo Latonia Phœbo.

Quam autem sententiam ipse amplecteretur, his, quæ sequuntur, eruditissimis, atque elegentissimis carminibus non obscure prodidit:

Sed prior (vt vobis æquum sentire videtur)
Dignior est, & grata magis nato, atque parenti:
Nam legi assurgens, Mariæ decus addit, opusque
Materna dignum attribuit pietate Tonanti.
Adde, quod & multis fert adiumenta, fidemque
Roborat infirmam: nam nec venisse sub aluum
Sorde laborantem tali sublimia cœli
Numina nonnulli ingenio præstante putarunt.
Relligio maior, pietas animosior ista.
Consummata fides, legumque peritia fecit,
Altera verborum textum, & fastigia tantum,
Summa videns, abstrusa Dei mysteria nescit,
Quod si syderei tanto splendoris honore
Fulget, vt æterno qui temperat ordine mundum
Gestarit gremio, lactauerit vbere dulci,
Strinxerit amplexu, summoque vocarit Olympo:
Quare illam in nostras opus est detrudere sordes,
Et turpi infestare luto, mortalibus æquas,
Cui Pater ætherius mentem subiecit, & Astra?

Idiota li. 2. Contempt. c. 2.

XXVI. Svbscribit illi nomine tenus Idiota, re tamen (nullo dissentiente) sapientissimus. *Tota pulchra es, Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, & macula peccati, siue mortalis, siue originalis, non est in te, nec vnquam fuit, nec erit; sed adest tibi omnis gratia naturalium bonorum, spiritualium charismatum, & cœlestium donorũ.* Sedvlivs etiã consentit canens:

Sedul. li. 1. mirabil. diuinor.

Et velut è spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil, quod lædat, habens: matrisq; obscurat honorem.

Adiungi potest etiam Aratvs dicens:

Arat. li. 1. in Acta Apost.

A nato formata suo, mala criminis Eua
Virgo secunda fugat.

Et Glossa ordinaria Lugduni edita anno 1559. super epist. ad Rom. cap. 5. ait: *Beatissima Virgo*

Deipara Maria præseruata fuit à peccato originali. Silentio prætereo vulgatam illam sententiã, quæ D. AMBROSIO tribui solet: *In qua nec nodus originalis, nec cortex venialis peccati fuit*; quia neq; in serm. de Gabaonitis, nec in illud ISAIÆ 11. quibus citari solet, verba hęc reperio; testimonia tamen duorũ grauissimorum Theologorum, quorum tractatus de immaculata Virginis Conceptione multis retro annis excusi, nunc ad man⁹ nostras venerunt, tametsi non pauca his adnectere non grauabor.

D. Ambros lib, serm. 22. in Psal. 118.

XXVII. CELEBRIS ille IOANNES TAVLERVS serm. in festo Purificationis gloriosissimæ Mariæ: *culpa originalis perpetuæ expers fuit, à qua præseruauit illam filius eius, ita vt ne momento quidẽ tẽporis vel iræ filia, vel vas immundũ, vel diabolico (sicut nos alii oẽs) subiecta dominio fuerit, præuenit; hoc n. sapientia æterna nolens electissimum templum suum aliqua labe aspergi.*

XXVIII. AMBROSIVS CATHARINVS Episcopus Politianus ex Ordine Prædicatorum assumptus ad c. 5. epist. ad Rom. sic loquitur: *Sermonẽ suũ ita temperauit Apostolus, vt nihil prorsus adferat præiudicii aduersus veritatẽ illam, quã de immaculata Virginis conceptione vna cum Ecclesia sancta tenemus, nec verbis eius (si recte intelligantur) valemus argui: dicit n. B. Paulus, peccatũ intrasse in mundũ, nos autem dicimus, hac mundi appellatione non comprehendi illã B. Virginẽ iuxta intellectũ Scripturarũ, in quibus frequentissime vox ista (mundus) significat, gratia Dei vacuos, vnde Dominus de Discipulis ait, mũdus odio eos habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo: quod ergo dedit Discipulis ex tempore, vt eos de mundo subduceret, hoc non dederit dilectissimæ matri suæ ac sponsæ, vt nunquam cum his ab initio creationis illius, qui essent de mundo, computaretur? nec illud obstat, quod addunt; peccatũ & mors pari passu incedunt, nam non est huiusmodi ordo in Apostolo. in quem mors intrauit, in eum quoq; intrauisse peccatum, sed è conuerso, in quem peccatum, in eum & mors, alioquin & Christus mortuus est, & tamen non intrauit in eum peccatum.*

XXIX. IACOB. GENVENSIS ser. 3. de Assump. *non habuit admixtionẽ originalis, quia fuit in vtero à Spiritu S. sanctificata; nec etiã habuit admixtionẽ mortalis, quia fuit à Patris potentia confirmata, nec ẽt habuit admixtionem venialis, quia fuit à puritate filii impregnata.* Insignis ac vetustus Auctor PETRVS COMMESTOR, quẽ mirifice cõmendat TRITHEMIVS de Ecclesiast. Script. in pererudito libello de immacul. Virginis concept. Antwerpiæ excuso in hunc modũ loquitur: *Quid est? Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei, si nostræ infirmitati similia dicuntur, quæ magis pudenda, quæ gloriosa dici potuerunt? Oportuit ergo eam ab ipso fundamenti primordio, præ cæteris aliquod dignitatis sortiri priuilegiũ, quæ secretorũ Dei, mysteriorumq; cœlestium in se susceptura erat arcanum. Hanc namq; domum fundauit altissimus, & ædificauit sapientia, de qua quia aliter sentire non audeo, aliud dicere non præsumo. Scio in Mariam plus viguisse gratiam, quam naturam. Audio ab Angelo, plenam gratia, non inuenio plenam natura. Certe plus est gratia, quam natura. Male conseruat naturam, qui offendit gratiam. Imprudenter defendit naturam, qui impugnat naturæ conditorem. Nunquid infra terminos nostros coarctanda est Dei sapientia? In omnibus quæsiuit requiem Dei mater, & inuenit, in conceptione quærit, & non inueniet? Potuit certe, quisquis es, potuit Creator naturæ, cui deseruit omnis creatura, de luto naturæ nostræ aureã vrnam producere, quæ haberet in se conditum manna cœlestis gratiæ. Nunquid aurum, minus est aurum, quia in luto iacuit, aut quia è terra defossum, per minutissima grana eruitur, idcirco minus habet splendoris, aut minori æstimatur pretio.* Et nõnullis interiectis inquit: *Attende, & obaudi, quod testimonium huic fundamento dederit Prophetarum eximius: Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus. Intellige quod ait: Ipse fundauit eam, ipse non alius, non vetus Adam, sed nouus, nouum iecit fundamentum, super quod tam præclarum, tam insigne surgeret ædificium. Alioquin si veteris ruinæ mansere vestigia, si veteri superædificatum est, vetus Adam & non ipse fundauit eam Altissimus. Quod n. fundatur, non ab alio, sed à seipso materialiter inchoat. Certe si recens, si non esset insolitum, Propheta tantæ nouitatis miraculum obstupescens non exclamaret, dicens: Nunquid Sion dicet, homo? & homo natus,* &c. Ac tandem concludit hæc verba subiiciens: *Dicat ergo, dicat Ecclesia. Salue festa dies, salue dies veneranda conceptionis, in qua initiatum est sacramentum nostræ redemptionis, per quam extincta est framea versatilis, & aperta ianua nostræ salutis. Gaudeat, oro, omnis terra in Conceptione tantæ Virginis, in cuius media salutem operari dignatus est Deus.*

Petr. Commestor. l. de immacul. Virg. conc. Trithem. l. de Eccles. scriptorib. Psal. 86. Eccl. 24. Psalm. 86.

XXX. ERVDITISSIMVS LVDOVICVS CARVAIAL in præcelebri illa exclamatione pro immaculata Conceptione Parisiis edita anno 1541. B. Virginem in hunc modũ loquentẽ per prosopopæiã introducit: *Num frustra dictum est, vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia? Abundauit sane delictum primi hominis in filios ab eo eiusque posteris propagandos, sed secundi hominis, hoc est, filii mei gratia superabundauit: dum me alioqui casuram ab illius crimine fecit immunem. Qui fieri potest, vt gratia superabundet, si tempore necessitatis non subueniat? Nonne delictum præuaricatoris in me superabundaret, si medicina redemptoris non præueniret? Quid si huiusmodi gratia non extenditur ad reliquos mortalium fœtus, ne lata lex de morte Adam, & filiorum eius abrogaretur, hoc est, de peccati originalis mundatione, saltem hoc mihi concedatur, quæ sola sum mater Dei, vt in me sola filii mei gratia præseruans superabundet: cui, vt Hieronym. recte dixit, tota se infudit gratiæ plenitudo. Quasi cunctis rebus aquarum voraginib. obuolutis, arca Noe nõ fuerit sola super aquas eleuata. Arca illa, in qua erant animalia munda, & immunda, sic fuit sublimata, vt eam aquarum fluctus non læderent: & ego, quæ sum receptaculum Spiritus sancti, & vterus pudoris, ac innocentiæ, eram cataclismo peccati absorbenda? Nonne lata lege de capitis discrimine in eos, qui aulam Assueri intrarent non vocati, fuit Esther sola, pro qua hæc lex constituta non est? Rex ille prophanus sceptrum aureum*

Lud. Caruaial in declar. pro immacul. Concept. Gen. 3. Hieron. ad Paul. & Eust. Gen. 7.

erpus

ſuper caput mulierculæ in ſignum clementiæ tetendit, & pater miſericordiarum in me Reginam cœlorum, quam ipſe in ſuam aulam, vt eſſem mater, ac ſponſa, ab æterno vocauerat, non potuit miſericordiæ ſuæ ſceptrum extendere? Quid audio? Num potentiam Dei attenuatis? an clementiam? an vtrumque?

Idē in c.21.
D. Auguſt. li.5 in Iulian.c.9.

XXXI. Idem in cap. 21 *Si qui Virginem in originali conceptam opinantur, videant illud Auguſtini in Iulianum: Si Chriſtus, inquit paruulus exiſtens peccatum habuiſſet, poſtea adultus actuali crimine non caruiſſet. Vos ergo compello, qui illā contenditis fuiſſe cōceptā: Num mihi actuale peccatum datis? An ipſa (quæ & ſponſa Chriſti, domicilium Spiritus ſancti, & arca Sethin intus & foris deaurata) fuit alteri locata, Deo inimica, & ſpurcitiis peccati contaminata? hoc nemo eorū, qui de filij mei honore bene ſētiunt, dicere audebit. Illud*

Thom.p.3. q.26.a.4.

ſatis mirandum, quum iſti non audeāt in ea ponere peccatum veniale, quod à Chriſto non ſeparat, ne in ea ſit cōuentio Chriſti ad Belial, imponunt tamē capitale crimen originis quod ſuapte natura à Chriſto diuellit, & diaboli mancipium facit. ſi peccatum veniale eſſet cauſa, vt cōueniret Chriſto cum Belial, nonne ſi illa habuiſſet peccatū originale, quod eſt capitale, eſſet fortior cauſa in ea, vt Chriſto conueniret cū Belial? Non fert Chriſtus in ea peccatum perſonæ, quam non aſſumpſit, & ferret peccatum naturæ, quam in ea aſſumpſit? ergo ſi vultis, vt vnius ad alterum nō ſit conuentio, neceſſe vobis eſt, vt ab ea originalem culpam explodatis. Vnde Au-

D. Auguſt. in ſerm. de Aſſumpt.

guſtinus tanti Virginis incorruptionem æſtimauit, vt de corpore hoc, quod aliquando mortale fuit, dicat: Illud ſanctiſſimum corpus, de quo Chriſtus carnem aſſumpſit, in quo diuinam naturā humanæ vniuit, eſcam vermibus traditum, quia ſentire non valeo, dicere pertimeſco. Videtis, quam religioſe de parte illa, quæ in ea abiectior, Auguſtinus loquitur? Et tamen ſancita eſt lex in omnia corpora mortalium, in qua dicitur: Puluis es, & in puluerem reuerteris. Si contra legem ab ore altiſſimi prola-

Gen. 3.

tam Auguſtinus meum corpus præſeruat, nec audet id dare eſcā vermibus, cur vos animam meam, quæ tanto eſt nobilior, datis eſcam Diabolo? ſi zelatis legis obſeruantiam, nonne Auguſtinus zelotypus erat legis non violandæ? Et tamē in mei corporis honorē id loquitur, quod vos puſillanimitate cordis, ne aliud dicā, in animæ meæ ſalute non modo non dicitis, ſed bene dicentibus obſtrepitis.

D. Auguſt. ſup. Pſ.33.

XXXII. Idem c 26. *Profer in Auguſtinum, quem facis corypheum eorum, qui in me ſcripſerunt, & videbis, quam ſis verus, & ſuper Pſalm. Dices, inquit, Adā mortuus eſt propter peccatum: Maria mortua eſt propter peccatum: Chriſtus mortuus eſt propter delenda peccata, quid colligis ex hac ſententia? Auguſtinus non ait, me propter peccatum meum mortuum fuiſ-*

Ro.5. & 6.
Thom.3.p. c.14.a 1.
Scot. in 3. diſ.16.q.2.
& Tho.3.p. q.14.a.2.

ſe, ſed propter peccatū, vt intelligas primi hominis. Vnde Paulus: Propter peccatum vnius hominis intrauit mors in orbē terrarū: & rurſus: Stipēdia peccati mors: vt non ſolā intelligas animæ, ſed etiam corporis mortem, ob peccatum primi hominis eueniſſe in omnes, qui ab Adā naturaliter erant propagandi. Quaſi Chriſtus, qui nullum peccatū habuit, nec ab Adam fuit naturaliter deſcendēs, ſi ſuæ naturæ dimitteretur, non fuiſſet etiam moriturus, aut ſenio conficiendus, niſi per nouum miraculum fieret immortalis. Vnde idem Auguſtinus: Caro Chriſti mortalitatem de mortalitate materni corporis traxit; recte ergo Auguſtinus me mortuam dicit propter primi hominis peccatum, propter quod ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.

Eccleſ.40.

XXXIII. Idem in c. 32. *Vnde Spiritus S. per quendam Sapientem dicit: Ædificatio ciuitatis confirmabit nomen, & ſuper hanc mulier immaculata computabitur. Hæc ciuitas quid aliud quam Eccleſia, quæ (vt alibi ſcribitur) poſita eſt in quadro virtutum, & ſupra fidem Euangelicam per quatuor viros Apoſtolicos traditam? Quæ ciuitas nomen Chriſti confirmat, dum aduerſus hæreticos fidem Chriſtianam multiplici ratione ſtabilit. Super hanc ciuitatem conſtituitur mulier immaculata, vt intelligas, me nunquam fuiſſe ſordibus pollutam. Vel profer tu aliam mulierem immaculatam, quæ ſuper Eccleſiam ſit conſtituta. Itaque filius meus non eſt ancillæ filius, ſed liberæ à poteſtate inimici, qua libertate Chriſtus me liberauit. An abſque cauſa terra ſacerdotalis in Ægypto libera erat à tributo Pharaonis? Nonne filius meus eſt ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech? Qui ex me tanquam ex terra ſacerdotalinatus eſt, Terra, inquam, libera, non tributaria.*

Gen.47.
Pſal.109.
Gen.17.
Leuit.12.
Eccleſ.7.
Pſal.10.
Pſal.130.
Iſa.53.
Ro.2.& 3.
1.Cor.15.
& 2.Cor.5.
Matth.5.

XXXIV. Accedit ad hæc, quod quædam teſtimonia ſacræ Scripturæ, ex Geneſi, ex Levitico, Eccleſiaſtico, ex Pſalmis, Iſaia, & D. Pavlo, quæ immaculatæ Conceptioni refragari videbantur, haud difficile explicari poſſunt obſeruando, quod vniuerſitas eſt duplex, Logica, & Politica. Illam vna ſola particularis interimit, hanc nec vna, nec plures particulares: communiter enim dicimus, quod tota ciuitas concurrit ad ſpectaculum; cum tamen multi domi maneant, & in hoc ſenſu D. Matth. dixit: *quod exibat ad Ioannē Ieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem.* Vnde D. Hieronym. exponens illud Luc. 15. *Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea, tua ſunt:* ait, particulam illam vniuerſalem, *omnia:* non ſemper referendam eſſe ad totum, ſed ad maiorem partem, & adhibet exemplum: *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt. Omnes, qui venerunt ante me, fures ſunt. Omnes, quæ ſua ſunt, quærunt.* Secunda, quod propoſitiones vniuerſales de peccato originali loquantur de lege ordinaria, & ſecundum communem curſum, cum quo tamen ſtat ſpecialiter & extraordinarie priuilegiare aliquam perſonam, cuiuſmodi fuit beata Virgo ob dignitatem Matris Dei, ſicut olim Regina Esther non fuit comprehenſa ſub vniuerſali lege, ob regiam eius dignitatem: quam doctrinam neceſſario debere admitti ab aduerſariis, ex eo euidenter conſtat, quod tenentur quidpiam ſimile dicere ad locum Eccleſiast. *Omnia, quæ de terra ſunt, in terram conuertentur;* & ad illud 1. Cor. 15. vbi loquens de die iudicii, *omnes* (inquit D. Pavlvs) *reſurgemus:* conſtat autem in his vniuerſalib. propoſitionib. & in aliis ſimilib. non comprehendi ſanctiſſimam Virginem, cum neque in terram conuerſa fuerit, nec in die iudicii

D. Hieron. epiſt. ad Damaſ. Papam.
Luc.15.
Pſal.13.
Ioan.10.
Phil.2.
Eſther.15.
Eccleſ.40.
1.Cor.15.

 reſur-

Ierem. 50. re urrectura sit, cum iam resurrexerit. Similia sunt verba illa IEREM. *Omnes auaritiæ student.* & c.8. *Omnes auaritiam insectantur*, à quibus tamen necesse est excipere B. Virginem. In Iure etiam Canonico extant similia exempla; nam in capite: Omnis vtriusq; sexus, de pœnitentiis & remissionibus, prædicta vniuersalia verba verificantur, etiamsi aliquis particularis sit exempt⁹, quia Papa non ligatur per illud caput. vt docent plures Iuristæ cum ANTONIO de BVTRIO. Apud ipsos etiam est receptissimum, quod terminus vniuersalis non distribuit vniuersaliter quoad illos ex quorũ distributione resultaret dissonus intellectus; vt habetur ex capite solitæ, in principio, de Maioritate, & obedientia, at si vniuersales propositiones, asserentes, omnes contrahere peccatũ originale, comprehenderent beatã Virginem, resultaret meo iudicio dissonus intellectus, nam quid magis dissonum, quã vt, quæ futura erat Mater Dei, prius fuisset ancilla Diaboli, & odio habita à Deo, & ad æternam pœnam destinata, secundum præsentem iustitiam? Quæ omnia confirmare possumus ex doctrina D. Thomæ 3. p. q. 28. ad 2. vbi arguens, quod B. Virgo non fuisset sanctificata, antequam nata, per Augustinum ad Dardanum ita dicentem: *Sanctificatio, qua efficimur templum Dei, nonnisi renatorum est; igitur B. Virgo non fuit sanctificata, antequam nata, quia renasci præsupponit nasci*, & respondet D. Thom. quod Augustinus loquitur secundum legem communem, secundum quam non regenerantur aliqui per Sacramenta, ni prius nati; cui legi Deus potentiam suam non alligauit, quin aliquibus ex speciali priuilegio gratiam suam concederet, antequam nascantur.

D. Thom. — D. August.

XXXV. TERTIO dico, quod sicut Theologi distinguere solent de duplici voluntate Dei, antecedenti scilicet, & consequenti; ita potest distingui de duplici peccatore, & de duplici morte; scil. antecedenter, & consequenter: ille dicitur peccator, & mortem incurrisse antecedenter, qui in suis proximis causis habuit omnia sufficientia, & requisita ad peccandum, siue ad incurrendum mortem peccati: ille vero dicitur consequenter peccator, & mortuus, qui de facto peccatum contraxit: primo ergo modo concedi potest, quod B. Virgo peccauit antecedenter, quia, quatenus fuit propagata ex commixtione maris, & fœminæ, habuit sufficientẽ causam ad contrahendum peccatum originale, & hoc est, fuisse peccatricem, & mortuam antecedenter; sed inde non licet inferre: Virgo Maria antecedenter contraxit originale peccatum; ergo de facto contraxit; sicut non sequitur; Deus vult antecedenter Antichristum saluari, ergo saluabitur.

XXXVI. ADDO his omnibus, quod quia B. Virgo concipienda erat absque peccato originali, voluit Deus, ne parentes ex libidinis appetitu in vsu matrimonii conuenirent, vt constat tum ex verbis Angeli, quando apparuit patri B. Virginis dicentis: *Deus clausit ad tempus vterum vxoris tuæ Annæ, vt nõ libidinis foret, quod nasceretur, sed diuini esse muneris* Hist. B. Annæ a-

nosceretur: tũ ex reuelatione facta B. Brigittæ, quod parentes Virginis conuenerant non ex voluptate carnis, sed ex Dei obedientia, & præcepto.

XXXVII. TESTIMONIA etiam quædã, quæ solũ excipiunt Christum Dominũ à peccato originali, in hunc modũ explicari debent, quod solus Christus fuerit immunis à peccato iure, & debito naturæ: & ex vi suæ conceptionis absque virili semine: beata autem Virgo non sic fuit immunis à peccato, sed per gratiam, & ex speciali priuilegio filii sui; & non per naturam. Ad hunc modum veniunt intelligenda multa loca sacræ Scripturæ, vt: *Nemo bonus, nisi solus Deus: Exaltatum est nomen eius solius*: &, *Tu solus pius es*: &, *Soli Deo honor & gloria.* Præterea explicari possunt, vt illud, cui adiungitur exceptio debeat accipi principaliter, alia vero minus principaliter, sicut DEVTER. 6. & MATTH. 4. dicitur: *Soli Deo seruies*, & tamen D. PAVLVS ad Timoth. 6. ait: *qui fideles habent Dominos, non contemnant, sed magis seruiant*; ne autẽ inter hæc sit contradictio, oẽs communiter explicant quod seruiendum sit soli Deo principaliter, aliis vero minus principaliter: ad eundem ergo modum intelligere debemus, quod solus Christus immunis fuit à peccato originali principaliter, sed beatissima Virgo minus principaliter; Christus de iure, B. autem Virgo de facto, non de iure. Tertio explicari possunt, si aliorum sententiæ adhæreamus, quod in exceptione Christi à peccato originali, intelligatur etiã B. Virgo excepta. Nam vt inquit D. AVGVSTINVS in sermone de Assumptione: *Caro filii est caro Virginis matris*: ergo excepta carne Christi filii ab omni macula, etiam debet intelligi excepta caro Virginis matris; & præterea, quia hoc ipso, quod eximitur aliquis Rex vel Princeps à iurisdictione Imperatoris, quantumcunque exemptio restringatur ad solum Regem, intelligitur consequenter exempta etiam Regina: sed beata Virgo est Regina cœli & terræ, & Angelorum: ergo exempto Christo Rege à seruitute peccati, etiam intelligitur exempta beata Virgo.

XXXVIII. TANDEM ad penetrandam mentem D. AVGVSTINI, & aliorum Patrum, apud quos nonnulla inueniuntur, quibus immaculatam Virginis conceptionẽ negare videntur, obseruandum est, quod illis temporibus maxime vigebat hæresis Pelagiana, denegans in infantibus originale peccatum; ad cuius erroris extirpationem sæpe Patres vtebantur propositionibus vniuersalibus, asserentes, omnes contraxisse peccatũ originale: nec oportebat tunc excipere B. Virginem, ne ex hoc hæretici ansam sumerent, qui obiiciebant Augustino, plurimos fuisse sanctos in vita, ex quo videbatur sibi sufficienter colligi, quod non contraxissent peccatum originale; in quo errore magis firmarentur, si eis tunc concederetur, Virginem non contraxisse peccatum originale; vnde sicut tempore Pelagii plus æquo tribuentis viribus liberi arbitrii, non absque ingenti incommodo, & iniuria diuinæ gratiæ, tunc Augus. & alii SS. Patres ita exaggerabant necessitatẽ diuinæ

pud Suriũ, & alios auct. B. Brigitta in lib. suarum reuelation. vt supra. Conc. Flor. in decre. de vni. Arm. Conc. Mil. c. 2. in epi. Leonis I. Innocen. I. ep. ad Conc. Numidiæ factum. Zosim. Papa epist. ad Conc. Afri. Bonifac. in Conc. Mil. Innoc. II. ser. Assum: Innoc. III. ser. Purif. Luc. 18. Psal. 148. Apoc. 15. 1. Tim. 2. Deut. 6. Matth. 4. 1. Tim. 6. Deut. 6. Matth. 4. 1. Tim. 6. D. August. hær. Pelag. D. Aug. c. 10. sup. Ge. ad liter. & lib. 1. & 2. de baptis. paru. l. 3. & 6. cont. Iulian. & 2. de blasphe. cont. Pela. & 2. de ciu. Dei c. 6. & sup. Ps. 34. Psal. 141. & in Enchiri. c. 16. D. Cyrill. in tractatu contr. Manich. D. Remig.

epistol. ad Rom. D. Ambro. sup. Psalm. B. immac. D. Hieron. in illud Psalm. 21. Erue à framea animam meã. & ep. ad Theoph. de lib. arb. & l. 2. cont. Pelag. D. Greg. 11. mor. & lib. 18 cap. 35. S. Irenæus lib. contra Hæres. D. Cypria. in epist. de bapt. paruulis. D. Hilar. lib de Trin. S. Maxim. ser. de Assumpt. D. Ansel. lib. 2. cur Deus homo. c. 15. & l. de concep. Virg. cap. 10. 13. D. August. D. Bernar. epistol. ad Lugdun. Leo Papa serm. Nat. Domini. Orig. hom. 7. super Leuit.

diuinæ gratiæ, vt nonnihil derogare viderentur libertati liberi arbitrii; econtra vero tempore Lutheri negantis libertatẽ liberi arbitrii, & totã efficientiam actuum supernaturaliũ soli gratiæ tribuentis, multi Catholici scriptores ita in fauorem libertatis propenderunt, vt necessitatẽ diuinæ gratiæ de medio tollere viderentur: licet reuera nec illi libertatem, nec isti prædictã gratiæ necessitatem abnegare præsumant: Sic in proposito, cum vigeret hæresis Pelagiana, peccatum originale negans, certe D. Augustinus, & alii Patres ita contrariam sententiam astruere conati sunt, vt sine vlla exceptione dicerẽt; omnes contraxisse peccatũ originale; cum quo tamen stat, quod B. Virgo non contraxerit illud, quia ipsi loquebantur secundũm legem communem, illud autem fuit ex speciali priuilegio Et hanc expositionem necessario esse admittendã, ex eo euidenter constat; quia aduersarii coguntur similem adhibere ad alia loca eiusdem D. Augustini, in quibus neminem excipit à peccato actuali, nisi Christum Dominum nam libro de fide ad Petrum ait: *Firmissime tene, & nullatenus dubites, exceptis illis, qui pro Christi nomine sanguine suo baptizantur, , nullum hominem accepturum vitã æternam, qui non hic à malis suis fuerit per pœnitentiã fidemq; conuersus* Et idem cap. 38. iterum ait: *Firmissime tene, & nullatenus dubites, iustos atq; sanctos homines, exceptis his, qui baptizati paruuli sunt, sine peccato hic minime viuere posse.* Idem in simili dicit contra Iulianum cap. 9. Ecce in his omnibus locis oportet excipere beatam Virginem, quam constat, ex doctrina D Augustini, & aliorum Patrum, nec non ex decreto Concilii Tridentini, numquam commisisse aliquod peccatum actuale, aut veniale.

XXXIX. Divvs autem Bernardus, qui oppositã videtur amplecti sententiam, si rem bene perpendamus, immaculatæ Virginis Conceptioni opitulatur. Nam ille reprehendit Canonicos Lugdunenses, quod sine exemplo, vel præcepto Romanæ Ecclesiæ nouum festum instituissent; si ergo nunc D. Bernardus (& idem est de aliis Patribus) videret ex auctoritate Romanæ Ecclesiæ festum Conceptionis celebrari, & Indulgentias à Pontificibus concedi audientibus horas canonicas illius diei; etiam ipse idipsum libentissime celebraret, immaculatam Virginis conceptionem credens, vt egregie adnotauit illustr. Card. Bellar. de cultu sanctorum. l. 3. cap. 16.

D. Gregor. D. Hieron. Cap. Salo. D. Ambr. D. Aug. Gal. 2.

XL. Deinde obseruandum est, quod inter SS. Patres sæpe contingit, in contrarias abire sententias; nam D. Greg. & Hieron. in eam propendent, quæ asserit, Salomonem damnatum fuisse, vt constat ex capite Salomon. 32. q. 4. & cap. fi. n. vers. Salomon Ambros. autem, & Avgvst. in ep. ad Hieron. tenent, quod Paulus rationabiliter Petrum reprehendit, vt ipse ad Gal. 2. Hieron. autem super epist. ad Gal. dicit, quod peccauit, ipsum, qui erat caput Apostolorum, reprehendendo. Item inter D. Avgvst. & D. Hieron. fuit magna controuersia de cessatione legalium, ac diuersitas opinionum, vno tenente, quod cessauerunt tali tempore, alio vero id negante, de quo tractat Scotvs & Alexander de Ales in 3. p. Summæ, in tractatu de cessatione legalium. Quando autem varietas viget probabilium opinionum inter Patres, vnicuique licet amplecti (per se loquendo) quam maluerit, vt cum multis Theologis docet Henricvs de Gandavo in 4. quodlibet. q. 33. Vnde D. Avg in cap. Negare. 9. dist. loquens de suis propriis scriptis, ait: *Neque quorumlibet disputationes, quamuis Catholicorum, & laudatorum hominum, velut scripturas Canonicas habere debemus, vt nobis non liceat salua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorũ scriptis probare, aut respuere, si forte inuenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet, diuino adiutorio, vel ab aliis intellecta, vel à nobis: talis ergo sum in scripturis aliorum, quales volo esse intellectores mearũ:* hæc ille. & in epist ad Vincent. de scripturis sanctorum Doctorum ait: *Tale genus scripturarum à scripturis diuinis distinguendum est; non n. ita in eis testimonia proferuntur, vt contrarium sentire non liceat.* idem in cap ego dist. 9. *Ego alios ita lego, vt; quantalibet sanctitate, quantave doctrina polleant, non ideo verũ putem, quia ita senserunt, sed quia mihi per alios auctores, vel probabiles rationes, quod à vero non abhorreant, persuadere potuerunt:* hæc ille.

Scot. in 4. dist. 3. q. 4. D. Thom. Henric. de Gandauo.

XLI. Cvm igitur quotquot oppositum opinantur, non adducant rationes efficaciores, quam illas, quibus in hanc sententiam trahimur, merito iuxta traditam D. August doctrinã ab eorum opinione, in hac materia discedimus; maxime quod, vt fatetur Caietan. 3. p. q. 74 artic. 3. consuetudo Ecclesiarum particularium tantæ est auctoritatis, quod aliquãdo eam præferre licet sententiæ grauissimorum Doctorum, quanto ergo, quæso, magis id licebit in subiecta materia, vbi consuetudo totius Ecclesiæ Romanæ, quæ fidei columna, & veritatis magistra est, iam obtinuit festum immaculatæ Conceptionis celebrari. Constat autem, quod interrogatus populus Christianus, quid celebret in festo Conceptionis B. Virginis, vnanimi consensu, non solum vulgares homines, sed & literatissimi respondent, præseruationem à macula peccati originalis: ergo signum est moraliter euidens, hoc esse obiectum præcipuum huius celebrationis in cultum tanti priuilegii, & in honorem Virginis institutæ, quæ cũ Filio suo viuit & regnat in secula seculorũ.

Ex Theologis Scholasticis. §. 6.

XLII. Inprimis refero præclara testimonia D. Thomæ: Nam in 1. sent. dist. 44. art. 3. ad 3. sic ait: *Puritas intenditur per recessũ à contrario, & ideo potest aliquod creatũ inueniri quo nihil purius esse possit in rebus creatis, sine vlla contagione peccati: & talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali & actuali fuit immunis.* Et in expositione salutationis B. Virginis: *Ipsa* (inquit) *purissima fuit, quantum ad omnem*

culpam,

culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit. Nec refert, quod quispiam dicat in 3. part. mutasse sententiam. Nam vt refert MAGISTER IOANNES VITALIS, insignis Theologus in tract. de Concept. Virginis: ipse testatur, se vidisse specialem quendam lib. Retractationum D. Thomæ, in quo retractabat opinionem, quam docuerat contra immaculatam Virginis Conceptionem, sicut Augustinus multa retractauit, quæ antea docuerat. Maximus item Theologus ille VARRO Scoti Magister, in 3. sententiarum dist. 3. hanc etiam sententiam docuit, addens, *quod si debet errare, vult potius errare in abundantia laudis Virginis Mariæ, quam in diminutione:* & SCOT. in 3. distinct. 3. & clarius, & sine formidine dist. 18. quæst. vnica, §. hoc viso, vbi ait: *B. Virgo mater Dei nunquã fuit inimica actualiter ratione peccati actualis, nec ratione originalis; fuisset tamen, nisi fuisset præseruata.* Irrefragabilis noster ALEXANDER de ALES in lib. quem de B. Virgine edidit, qui Tholosæ incatenatus extat in Choro Ecclesiæ Cathedralis, probat, ipsam Genitricem ab originalis peccati macula præseruatam: vbi etiam retractat, quicquid in contrarium dixerat in 3. sentent. distinct. 3. NICOLAVS de LYRA sup. cap. 1. Lucæ: *Primus* (inquit) *spiritus venerat super Virginem adhuc in vtero matris existentem, eam à peccato originali præseruando.* AVREOLVS Romanæ Ecclesiæ Cardinalis in 3. distinct. 3. multis rationibus, & testimoniis sacræ Scripturæ firmiter eandem veritatem docet.

XLIII. RICARDVS de S. VICTORE in sermone, qui incipit: *Nondum erant abyssi*, ait: *Non decuit, vt caro Mariæ obnoxia foret qualicunque culpæ; nam Dei sapientia indignum credimus, vt quam in lucem gentiũ prædestinauit, prauitatus tenebris sineret inuolui, non erit ingratus propriæ Matri, qui patri, matrique honorem præcepit exhiberi.* Illuminatus Doctor MAYRON. in 3. dist. 3. quæst. 2. per vndecim Articulos probat eandem sententiam, specialiter tamen art. 2. ait: *Si Christus Matrem suam permisisset incurrere peccatũ originale, peius sibi fecisset, quam si eam perpetuo pœna sensus puniuisset: vnde B. Virgo in puris naturalibus constituta prius pœnã æternam elegisset, quã peccatum originale, quia magis quis debet fugere odium Dei, quam pœnam æternam.* Magister HENRICVS in quodã sermone, qui incipit: *Consurget virga* ait: *sacratissimã Virginem, quam Deus ab æterno præordinauit, vt esset Mater Dei, sub potestate Diaboli fuisse, & peccati sorde infectam, sentire non audeo, dicere pertimesco.* Insignis noster ANGELVS de PAS in expositione symboli lib. §. c. 2. his verbis probandam aggreditur immaculatam Virginis Conceptionem: *Omni argumentorum genere Mariæ integram, plenamq; à Cõceptione sanctitatem aggredior ostendere; hoc enim Scriptura, Cõcilia, Ratio, Auctoritas, & si quid ab exteris argumentatio petita potest, idipsum persuadent.* Famosus PETRVS HISPANVS in tract. de Cõceptione Virginis, ait: *Honestior disputatio esset excellẽtiam aliquã sacratæ Virginis Conceptioni supra primorum parentũ creationem concedere, quam ipsam illis inferiorem appellare præsumere.* RICARDVS item de MEDIAVILLA, & D. ARMACANVS, qui contrariam sententiam tenuerant, postea palinodiam decantarunt: ille quidem in expositione salutationis angelicæ, hic vero in sermone super illa verba: *sapientia ædificauit sibi* Prou. 9.
domum. Et GILBERTVS Episcopus in insigni quadã Concione de laudibus Virginis ait: *Ipsa quoque benedicta Virgo à filio suo præseruata potest dicere illud* Iudith: *Non permisit Dominus me Ancillam suã coinquinari.* Iudith. 13. INCOGNITVS super PSAL. 29. in illa verba: *In volũtate tua præstitisti decori meo virtutem,* sic ait: *Peccatum originale duobus modis contrahitur, scilicet causaliter, & formaliter. Causaliter, quando seminaliter quis concipitur, & tunc in re concepta est quædã fœditas, & pronitas ad malũ, quæ est causa, quare anima creata, & illi corpori vnita peccatum contrahit formaliter; ita quod peccatum originale causaliter contrahitur in propagatione seminis, sed formaliter in conceptione hominis: Modo ad propositum, Christus nõ contraxit formaliter, neq; causaliter, quia non descendit ab Adã per naturalem propagationem, sed habuit omnimodam innocentiam; Virgo autem Maria contraxit causaliter, quia per seminalẽ propagationẽ concepta, sed nõ contraxit formaliter, quia antequã anima eius esset creata, illud semẽ fuit purificatum, & sanctificatũ; sic anima illi vnita non fuit maculata.*

XLIV. CARDINALIS BELLAR. postquam variis testimoniis immaculatam Virginis Cõceptionem comprobauerat, hæc egregia verba subiunxit: *Sed nec rationes desunt ad hanc ipsam sententiam confirmandã; nam certum est Deum potuisse beatam Virginẽ à peccati originalis cõtagione præseruare; probabile autem est, etiam voluisse; igitur probabile est, eam ab huiusmodi contagione fuisse præseruatam. Potuisse Deum hoc facere, negari non potest: nam neq; ex parte Dei, neque ex parte creaturæ vlla repugnantia cernitur: Non quidem ex parte Dei, quia est omnipotens, & non est impossibile apud Deũ omne verbũ. Non item ex parte creaturæ: nam nihil obstat, quo minus eodem temporis puncto anima rationalis creetur à Deo, & gratia repleatur, quod factum esse credimus in creatione Angelorum, & animarum primorum parentum, & multo certius in creatione animæ Christi. Deinde, si potest anima iustificari, postea quam peccatum habere cœpit, ac per hoc de iniusta fieri iusta, vt in nobis fieri non dubitamus; cur non poterit anima in ipsa creatione sanctificari, antequam incipiat esse peccatrix? Dices: non repugnat absolute diuinæ potentiæ, aut voluntati præseruare aliquem à peccato, repugnat tamen posito decreto illo diuino, & immutabili, quo statuit Deus, vt si Adam non peccaret, omnes homines conciperentur iustitia originali præditi; sin autem peccaret, conciperentur in iniquitate, & essent natura filii iræ. Respondeo: Decretum illud diuinum ita esse intelligendum, vt si Adam peccaret, omnes homines, qui ex ipso originem traherent, ex vi conceptionis obnoxii essent peccato; neque vllum ius haberent ad iustitiam illam, quam in primo parente conceperant, non tamen eo decreto potestatem Deo esse ablatam,*

Bellarm. l. 4. de statu peccati.

latam, quominus ex misericordia, & priuilegio singulari posset aliquem à peccato, reipsa præseruare. Nam ex Adamo non solum peccatum, sed etiam mortem in totum genus humanum redundasse credimus; idque ob decretum Dei, quo dictum est: Quacunque die comederis, morte morieris. Vnde Apostolus inquit: *In Adam omnes moriuntur; Et tamen quis ambigit, posse Deum efficere, vt aliquis re ipsa non moriatur? Decreto enim satis fieri videtur, si omnes Adæ posteri morti obnoxii sint.*

1. Cor. 15.

Iacob. Episc. super Psal. 4.

XLV. IDEM IACOBVS Episcopus Christopolitanus hæc singularia præ cæteris verba habet, *Christus debuit, & tenebatur Virginē Mariam ab originali præseruare, in quātum filius. Probatur: Nam omnis filius debet, & tenetur honorare matrem quantū potest, & decens est: sed Christus hoc potuit facere inquantum Deus, & inquantum creator, vt probatum est per primam conclusionem, & hoc fuit decens, inquantum ipsa erat Mater Dei futura, vt patet per secundam conclusionem; & debet, & tenetur facere inquantum filius: ergo sequitur, quod ipsā ab originali præseruauit. Itē: Christus hoc tenebatur facere, inquantum legislator: nam legislator prius debet facere, quam docere, vt exemplo sui cæteri seruent leges ab eo latas: sed Christus legulator vtriusque legis dedit præceptum de veneratione parentū; ergo seruauit illud, quia non venit legem soluere, sed adimplere, & ideo hanc legem de facto seruauit, quia erat subditus illis. Item: Christus in omnibus cœpit facere, & docere, vt patet* Actor. 1. *ergo inter cætera hoc præceptum adimpleuit, præseruando Matrem suam ab omni peccato non solum actuali, sed etiam veniali & originali.* RVTILIVS Episcopus Lauretanus. *Quod enim festum Conceptionis Deiparæ pie, ac sancte celebretur, ex illo Cantici versiculo confirmandū est, quo dicitur: Beatā me dicent omnes generationes: Nec enim solum fuit beata in Natiuitate, in actionibus, in vita, in morte, in Assumptione, in Resurrectione, sed etiā in ipsa Conceptione, prout consensus fere vniuersalis Ecclesiæ, & summorum Pontificū, & multorum Theologorum pia docet assertio.* THOMAS BOZIVS ait: *Conceptionis porro festum Scoti acutissimi Theologi doctrina maxime confirmatum, Sixti IV. legibus sancitum, & à cunctis Catholicis in mores publicos est receptum.* Pelbartus, postquam variis mediis immaculatam Virginis Conceptionem confirmauerat, ait: *Pie sentire debemus de Virgine quod sit immunis, quoniam scriptum est Maledictio matris eradicat fundamenta: Maledicit Matrem Virginem, qui eam peccatricem temerarie astruit, & hæc maledictio eradicat fundamenta gratiæ Dei. Cauendum est etiam, ne si non celebremus festū Conceptionis Virginis, illam vltionem subeamus, quæ scripta est* Zach. vlt. *Percutiet Dominus omnes gētes, quæ non ascenderint ad celebrandam festiuitatē Tabernaculorū, quia Tabernaculū Dei, in quo habitauit, est B. Virgo.*

Luc 2.
Matth. 5.
Rutil. Episc. Lauretan. lib. 1. cap. 23. super Magnificat Lucæ 1.
Thomas Bozius de sign. Eccles. lib. 9. c. 18.
Pelbart. in Stell. lib. 4.
Eccles. 3.

Frid. Nau. hom. 81. p. Centuriæ. Cant. 2.

XLVI. FRIDERICVS NAVSEA, quē percelebrē Episcopum vocat CANISIVS, in Virginis illibatæ Cōceptionis laudem, hæc scripsit: *Sicut liliū inter spinas, sic amica mea inter filias, id est, etsi ex lege naturæ omnes filiæ humanæ spinosæ, id est in peccato conceptæ sint, Maria tamen sanctissima Virgo per legem gratiæ immaculata mansit, haud secus atq; liliū inter spinas, quæ, etsi sint quālibet horridæ, asperæ, rigidæ, atque tumidæ, crescit tamē subter ipsas sine macula lilium ipsū speciosissimū, nihil suæ virtutis amittens* IOANNES VIRGVERIVS Dominicanus l. institutionū c 18 § 6. *Virgo non habuit peccatū originale, licet processerit ab Adā secundum rationē seminalem. Amplius dicendum est, quod ipsa sola speciali priuilegio præseruata fuit, & præuenta, eo quod fuit præuisa esse Mater, & domus Dei.* & Suarez 3. p. q. 27. disp. 3. sect 5. post multa alia sic ait: *Prudentem, & quasi practicam rationem ita conficio: nam Ecclesia sua auctoritate nobis cōcedit facultatē, ita interpretandi scripturas, vt Virginē sub peccato reipsa contracto non comprehendant, & non solum dat nobis licentiā bene, & digne sentiendi de puritate, & sanctitate Virginis; sed etiā nos inuitat cōcessis indulgentiis: quis ergo potest recta ratione aliter de Virgine sentire? cum præsertim recta ratio, & pietas postulet, vt quā possimus optimā existimationē de illa habeamus; & vnusquisq; ita esse debeat erga illam animatus, & affectus, vt si in eius arbitrio & potestate sitū esset, hanc gratiam, & priuilegiū illi concedere non dubitaret: ergo saltē in iudicio ferendo, quod nobis concessum est, euidenti ratione conuincimur, vt in illius fauorem inclinemur.*

Canis. l. 1. de Deip. c. 7.

XLVII. NE tamen in referendis verbis Doctorum plus æquo immorari videar, solum nomina, & loca indicabo, vbi hanc sentētiam acerrime defendunt. HONORIVS Augustodunensis vetus scriptor super ca. 5 Canticorum, Abulensis Paradoxo 1. cap. 21. & Exodi 34. DRIEDO lib. de Dogmatibus c. 4. p. p. circa finem ROFFENSIS disput. 2. contr. Lutherum. CLISTOVEVS opusculo de Puritate Virginis cap. 5. & 8 LIPPOMANVS in Catena super Genes. cap. 25. circa principium. PIGIVS contra Erasmum: Episcopus CATHERINVS Ord. Præd. late opusculo de Conceptione, & super epistol. ad Roman. cap. 5. VEGA super Trid. lib. 2. cap. 6. CORDVBA lib. 1. Quæstionarii q. 44. CASTRO lib. 12. contra hæreses, verbo peccatum hæresi 4. SVAREZ in 3. p. q. 23. PETRVS de AQVILA dictus SCOTELLVS, OCHAM, RVPERTVS, HOLCOT, IOANNES de BASILEA, THOMAS de ARGENTINA, GERARDVS, ODO Patriarcha Antiochenus, Illuminat⁹, ALMAYN, TARTARETVS SALMERON, GABRIEL, & pene innumeri alii Doctores: Scotistæ idem firmiter docent in 4. dist. 3. Addo perplures Iurisperitos, quos refert, & sequitur COVARRVV. in cap. *Alma mater.* p. 2. §. 9. & *Nauarrus* prælud. 8. num. 9. & idem tenuisse antiquos Rabinos tradit GALATINVS lib. 7. cap. 3. & nouissime Cardinalis TOLETVS in cap. 3. Ioannis.

Ex iure Canonico & Ciuili. §. 7.

XLVIII. IVRA etiam Ciuilia, Iurisconsultorumq; oracula immaculatæ Virginis Conceptioni adstipulantur, & fauent. Nam, vt habetur in l. in sacris. l. 3. C de proximis sacrorum scriniorum lib 12. Mater gaudet priuilegio filii, &, vt habetur in l bene à

Zenone Cod. de Quadrien. Præscript. Augusta gaudet priuilegio Principis. Vnde in l. Princeps. ff. de legibus habetur: *Imperator eadem priuilegia tribuit Augustæ, quæ ipse habet.* Et Gloss. ibi ait: *habet eadem priuilegia, quæ fiscus, vt sic ad vectigalia non teneatur.* Vnde sicut Imperator Christus non pendit, nec soluit vectigal peccati originalis, ita B. Virgo, licet diuersimode id vtrique conueniat, Christo per naturam, & ex modo suæ conceptionis, Virgini ex priuilegio, & ex gratia: quomodo D. HIERONYM. serm. de Assumpt. dixit: *In Maria totius gratiæ, quæ est in Christo, plenitudo venit, sed aliter.* Aliter quidem dixit, quia Christo ex debito, Virgini ex gratia; illi vt capiti, Virgini vt collo; illi vt fonti, Virgini vt aquæductui, id competebat: Item l. 2. C. de crimine sacrilegii habetur: Crimē sacrilegii cōmittere eos qui dubitant, an aptus sit ad dignitatem is, qui ab Imperatore ad eam est electus: si autē Virgo Maria peccato fuisset infecta, non videretur idonea ad dignitatē Matris Dei; nam si cōmisisse peccatū veniale dedecet illā, vnde *Concil. Trid. sess. 23.* TRIDEN. CONCIL. docuit, nunquā illud cōmisisse, quanto magis incurrisse originale, quod grauius est, vt non semel diximus? item, quia, vt habetur l. sicut §. vehiculum, ff. commodati, non potest eadem res in solidū simul à duobus dominis possideri: sed B. Virgo fuit in primo instanti sui esse possessa à Deo, iuxta illud: *Ecclesi. 24.* *Dominus possedit me in initio viarum suarum:* ergo non fuit possessa à Dæmone.

XLIX. QVOD si hæc nostra assertio dubia, & adhuc sub iudice est, cum neutram partem Ecclesia determinauerit, id etiam nobis prodest, vt in fauorem Virginis sententiam feramus; vt enim dicitur l. quoties dub. ff. de re iudicata, cum de alicuius libertate dubitatur, semper in libertatis fauorem sententia ferenda est, ergo cum dubitetur, an beata Virgo Maria libera, & immunis fuerit à peccato originali, sententia debet ferri in eius fauorem, vt scilicet nunquam sub peccati, aut Diaboli captiuitate iacuerit: Ambigua etiam interpretāda sunt in meliorē & humaniorem partem, vt habetur cap. estote, & ibi Gloss. de verb. signif. cui consonat illud, *quod cum iura partium sint obscura, reo potius est fauendum, quam actori,* vt constat ex l. fauorabiliores. ff. de Regul. Iur. Fauet deinde, quod secundū leges, & iura, conditor legis non tenetur ad leges à se conditas, 25. quæst. 5. c. Ideo & ea confidimus, & 15. q. 1. consideraui. Vnde & Aristoteles de Regimine Principum dicit; quod nullus Princeps obligatur suis legibus, sed potest dispensare in illis, & aliquos excipere ab eis; vt docent Iustinianus C. de leg. l. digna vox; & Vlpianus ff. de leg. l. Princeps: cur ergo dicemus, Deum, qui potuit, non dispensasse cum dilectissima Matre sua?

L. FAVET etiam Ius Canonicum: nam, vt constat exc. vbi periculum de electione lib. 6. & c. quiescamus 42. d. maioribus damnis, & periculis cautius & citius obuiandum, & prouidendum est: sed Deus prouidit, ne beatæ Virginis corpus in putredinem veniret, quod minus malum est: ergo etiam prouidit, ne anima eius peccati originalis detestabiliorem putredinem incurreret id enim non solum ad tantæ matris, sed ad ipsius filii honorem spectabat: qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum; Amen.

HOMILIA XX.

Scholastica, in qua penitus eneruantur, quæ ingenium humanum aduersus immaculatam Virginis Conceptionem hucusque excogitauit.

Testimoniis tam Veteris, quam Noui testamenti iuxta Patrum intelligentiam impugnant aduersarii Immaculatam Virginis Conceptionem. §. 1.

I. 

CVM ARISTOTELES in sua Metaphysica dixerit: *Quærentes veritatem sine disputatione similes sunt quo ire ignorantibus.* Cumque etiam experientia ipsa compertum sit melius disputatione, & argumentorum viuacitate veritatem indagari, & inueniri, vt notat text. in l. prima §. mixta, ff. de muneribus, & honoribus, & l. 2. §. ex legibus, ff. de origine iuris, ac tandem cum Dialecticorum prologium doceat, facilius comparari certam alicuius verita- *Arist. 1. Topic.* tis cognitionem propositis argumentis ex vtraque parte, clariusque secerni veritatem à falsitate, vt docuit ARISTOLES. Ideo licet alioquin *Arist. 1. Elench.* Concionatorii muneris limites transilire videar, ne hanc de immaculata Virginis conceptione tractationem mutilam, & truncam, sed quantum à me præstari possit, omnibus numeris absolutam Ecclesiæ Catholicæ redderem, cui pro hac veritate definienda non parum aliquando illam profuturam spero, operæ precium duxi omnibus quæ tam ab auctoritate, quam à ratione peti possunt, respōdere, eisque plene satisfacere, satius iudicans argumēta modesto responso diluere, quam inutili silentio præterire. Illud tamen verbi diuini præcones salu- *Sixtus 4. & Pius 5. in motu proprio de Virg. Conceptione.* briter admonemus, ne in concionibus scholastica hac disputatione vtantur, nisi velint & in alienā messem falcem mittere, & salubria Pontificum decreta id prohibentia ausu temerario violare. quare illis non vt concionatoribus, sed quatenus Theologis Scholasticis hæc damus.

II. IN primis ergo aduersarii obiiciunt illud GE- *Gen. 17.* NESIS 17. *Masculus, cuius præputii caro non fuerit circumcisa, delebitur anima illa de populo meo.* super quæ verba glossa, quæ est B. ISIDORI ait, *quomodo pueri incircumcisi, qui pactum irritum non fecerunt,*

perirent

perire debeant? ad quod respondet, quod irritum fecerunt pactum non secundum opus, sed secundum originem; & ideo pereunt omnes, qui per regenerationem non liberantur; & LEVITICI 12. *Mulier si suscepto semine pepererit, immunda erit, septem diebus.*
Leuit. 12.
vbi GLOSSA ordinaria ait: *quia sator immundus hæres Adæ, qui per transgressionem immundus fuit, & ita vxori immixtus, postquam enim exiuit de Paradiso, cognouit vxorem, & ita propagatur hominũ genus, quia Adam de cuius semine suscipit immunditiã, polluit vitam nostrã inducens maledictionẽ;* & eodẽ cap. Leuit.
Ibid.
Cumque expleti fuerint dies purgationum siue pro filio, siue pro filia, deferat agnum anniculũ in holocaustum, & pullum Columbæ, siue turturem pro peccato ad ostiũ Tabernaculi. Ex quo loco colligunt Patres, quod omnes, qui per seminalem rationem ex commixtione viri, & fœminæ procedunt, peccati originalis maculam contrahunt, & aqua mundari indigent.
Orig super c.12 Leuit.
Vnde ORIGENES prædictum locum elucidans, inquit, *Ego in talibus nihil audeo dicere; sentio tamen occulta in his mysteria quædam contineri, & esse aliquid latentis arcani, pro quo & mulier, quæ suscepto semine conceperit, & pepererit, immunda dicatur, & tanquã peccati rea offerre iubeatur hostiam pro peccato, & ita purificari: Sed & ille, qui nascitur siue virilis, siue fœminei sexus sit, pronuncat Scriptura, quia non sit mundus à sorde, etiamsi vnius diei sit vita eius.* hæc ille.

III. NE tamen quis putet ORIGENEM solum loqui de Natiuitate, non de Conceptione, audiat
Ibid. hom. 12.
illum ibid. HOMILIA XII. vbi ait: *Hoc ipsum ergo, quod in vuluam matris expositum, & quod materiam corporis ab origine paterni seminis fuerit in Patre, & in Matre, contaminatum dici potest:* & infra: *Omnis homo in Patre, & Matre pollutus est, solus vero Iesus Dominus meus in generatione hac mundus ingressus est.*
Iob. 17.
Item IOB. 17. *Putredini dixi, pater meus es, mater mea & soror mea vermibus;* super quem locum D. GREGORIVS ait:
D. Greg. lib. 3. Moral. cap. 13.
quid est, quod dixit, putredini dixi, pater meus es, nisi, quod omnis homo ab origine iam vitiata descendit? Vnde & additur: *Mater mea, & soror mea vermibus, quia videlicet ab ipsa putredine, & cum ipsa in hunc mundum venimus.* Item EXOD. vltimo dicitur: *postquam cuncta perfecta sunt, operuit nubes Tabernaculum testimoniis, & gloria Domini impleuit illud.* ex quo loco colligit diuus THOMAS Beatam Virginem non fuisse in sua Conceptione
D. Thom. 3. p. q. 27. a. 2.
sanctificatam: sic enim ait: *ea, quæ fuerunt in veteri Testamento, sunt figura Noui secundum illud* 10. CORINTH.
1. Cor. 10.
Omnia in figura contingebant illis; per sanctificationem autem tabernaculi, de quo dicitur in
Psal. 45.
PSALMO: *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus:*
Psal. 18.
videtur intelligi sanctificatio Matris Dei, quæ Dei tabernaculum dicitur; secundum illud PSALMI: *In sole posuit tabernaculum suum.* de Tabernaculo autem dicitur EXODI vltimo: *postquam cuncta perfecta sunt, operuit nubes Tabernaculum testimonii, & gloria Domini impleuit illud:* ergo non fuit sanctificatum, nisi postquam cuncta eius perfecta sunt, scilicet corpus, & anima: Deinde ECCLESIAST. 7. habetur; *Virum de mille vnum reperi, mulierem autem ex omnibus non inueni:* vbi GLOSSA ordinaria explicat in hunc modum: *virum, id est, Christum de mille, scilicet sanctum:* quã glossam secutus HVGO Cardinalis, ait: *sponsa Canticorũ 5. dixit: Dilectus meus candidus, & rubicundus; electus ex millibus; mulierem autem ex omnibus non inueni, quæ aliquid muliebritatis non haberet, saltem originaliter, beata autem Virgo originale habuit:* hæc ille. Item Prou. 25. *aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum.* quem locum versans ALBERTVS MAGNVS in sermo. Natiuitatis Virginis ait: *habuit beata Virgo rubiginem originalis peccati, quæ contrahitur de vetustate primæ culpæ Adæ, quæ igne Spiritus S. purgata fuit, & tunc purissimum illud vas permansit; quia nec lutum actualis, nec puluerem venialis postmodum habuisse creditur.* ex PSALMIS deinde fere innumera possumus mutuare loca, ad idem intentum: PSALMO enim 20. *præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis; vbi glossa, benedictionem, dicit Immunitatẽ peccati, qua Christus donatus est in Cõceptione, vt peccatum ei postea non obesset, quæ dicitur: benedictio dulcedinis: quia totũ ex gratia fuit: Cum ergo alii amaritudine Adæ præueniantur, eũ solum præuenit in benedictionibus dulcedinis, id est, in immunitate peccati, cui peccati virus non nocuit:* hæc ibi. Item PSALMO 21. *Erue Deus de manu Canis vnicam meam,* vbi HIERONYMVS ait: *Vnica est Anima Christi, quæ sola à peccato est immunis.* & Cassiodorus ibidẽ ait: *vnicã dixit, quia ipsa vna à peccato immunis fuit.* Item ISAIÆ 4. *Apprehendent septem mulieres virũ vnum;* vbi GLOSSA ait: *septem mulieres, id est, septẽ Dona Spiritus sancti virum vnum, id est, Christũ solũ, qui sine peccato est, apprehenderunt:* & PSALMO 50 vbi in persona totius humani Generis ait Propheta: *Ecce enim in Iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea:* & PSALMO 107. vbi GLOSSA, quæ est AVGVSTINI, ait: *Liber, id est, inter peccatores solus sine peccato.* & PSALMO 130. *Omnes declinauerũt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnũ:* vbi AVGVSTINVS exponit: *vno excepto Christo:* & ECCLESIASTICVS loquens de humano genere cap. 1. ait: *à planta pedis, vsque ad verticẽ capitis non est sanitas in eo:* ISAIÆ 53. *omnes nos quasi oues errauimus.* hæc ex Veteri Testamento.

IV. Ex Nouo vero multa in id congerere possumus, præcipua tamẽ sunt ex diuo PAVLO ad Rom 2. *Omnes in Adam peccauerunt, & egent gloria Dei,* id est, gratia, aut misericordia: & cap. 5 *sicut per vnũ hominem peccatum intrauit in Mundũ, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerũt;* vbi GLOSSA ordinaria, quæ est AVGVSTINI, ait: *per vnum hominem, id est, Adam, à quo propagati sumus, peccatũ originale intrauit in hunc Mundũ, id est, in omnes homines.* Mundum enim appellauit, vniuersun Genus humanum. & ibidem cap. 5. *sicut per vnum delictum in omnes homines in condemnationem; sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem.* & 1. CORINTH 15. *sicut in Adam*

omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur: vbi GLOSSA: *sicut omnes moriuntur corporali morte in illo, quia eius filii sunt, à quo mortem & mortis meritum traxerunt, ita & omnes viuificabuntur in Christo, qui eius filii sunt spirituali regeneratione.* Item 2. ad CORINTHIOS 5. ait: *si vnus pro omnib. mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* fuit ergo mortua Virgo morte peccati originalis. quod si respõdeas, ab hac Regula generali excipi Beatam Virginẽ ob eximiã Dignitatem Matris Dei: Contra, nam æqualis certe debet esse distributio in consequenti ac in antecedenti diui PAVLI; sed in illo antecedenti, scilicet,
2. Cor. 5. *vnus pro omnibus mortuus est*, nulla fieri potest exceptio, etiam Virginis, cum constet ex fide, Christum mortuum fuisse pro omnibus nemine dempto; ergo nec in consequenti illo diui PAVLI, scilicet:
Ibidem. *omnes mortui sunt*, potest fieri alicuius exceptio alias infirma valde: Imo nulla esset argumentatio diui Pauli. Dices, id conuincere Virginem vere fuisse mortuam, non in seipsa, sed in Adamo, atque adeo actu non contraxisse peccatum originale, sed debitum illud contrahendi, sed contra obstant CONCILIVM FLORENTINVM in Decreto de vnione Armenorum, & CONCILIVM MILEVITANVM cap. 2. In epistola 10. LEONIS primi, vbi definitur, omnes homines contraxisse peccatũ originale, excepto Christo Domino; at exceptio firmat regulam in contrarium, vt constat ex capite solito de maioritate, & obedientia; ergo vere comprehenditur Beata Virgo sub illa regula generali.

V. ACCEDVNT ad hæc plura alia sacri Euangelii Testimonia: MATTHÆI enim 18. dicitur: *si fuerint alicui centum oues, & vna ex eis errauerit*, vbi GLOSSA HILARII ait, per vnam ouem intelligendum esse hominem, & sub homine vniuersitatem hominum: *vnius (inquit) Adæ errore omnium hominum Genus aberrauit, ergo & quærens hominem Christus est, & nonagintanouem relicta cœlestis curiæ multitudo*
D Greg. *est.* Eodem modo interpretantur Diuus GREGO-
Luca 15. RIVS & Diuus AMBROSIVS versantes locum illum LVCÆ: *quis est ex vobis homo, qui habet centum oues, &c.*
Ioan. 1. & IOAN *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: super quæ verba dixit GLOSSA: *omnes ex ista progenie*
Psal. 50. *veniunt, de qua cantat gemens* DAVID: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, &c.* & subdit: *solus ergo illo agnus est, qui non sic venit: non enim in iniquitate conceptus est, nec in peccatis mater eius in vtero alui*: & GLOSSA ibidem, quæ est AVGVSTINI, sic ait: *Iesus singulariter dicitur Agnus solus sine macula, & sine peccato, non cuius macula abstersæ sunt, sed cuius macula nulla fuit.*

Fit satis præfatis omnibus Testimoniis sacræ scripturæ, quæ aduersus immaculatam Virginis Conceptionem aduersarii obiectant. §. 2.

VI. MVLTIPLEX occurrit solutio ad prædicta omnia Testimonia diluenda: prima sit, quod vniuersalitas est duplex, logica, & politica; illam vna sola particularis interimit, hanc nec vna, nec plures particulares: communiter enim dicimus, quod tota ciuitas concurrit ad spectaculum, cum tamen multi domi maneant; & in hoc sensu diuus MATTHÆVS dixit: quod *exibat ad Ioannem Hierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis Regio circa Iordanem*: vnde diuus HIERONYMVS epistola ad Damasum Papam de filio prodigo: exponens illud LVCÆ: *Fili, tu semper mecum es, & omnia mea, tua sunt*: ait, particulam illam vniuersalem: *omnia*, non semper referendam esse ad totum, sed ad maiorem partem, & adhibet exemplum: *omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: omnes, qui venerunt ante me, fures sunt omnes, quæ sua sunt, quærunt.* secunda, quod prædictæ propositiones vniuersales de peccato originali loquuntur de lege ordinaria, & secundum communem cursum, cum quo tamen stat specialiter, & extraordinarie priuilegiare aliquam personam, cuiusmodi fuit Beata Virgo ob Dignitatem Matris Dei, sicut olim Regina Hester non fuit comprehensa sub vniuersali lege ob regiam eius dignitatem: & hanc solutionem necessario debere admitti ab aduersariis, ex eo euidenter constat, quod tenentur similem solutionem adhibere ad locum ECCLES: *omnia, quæ de terra sunt, in terram conuertentur*, & aliud 1. CORINTH. vbi loquens de die iudicii, *omnes*, inquit D. PAVLVS, *resurgemus*: Constat autem in his vniuersalibus propositionibus, & in aliis similibus non comprehendi sanctissimam Virginem, cum neque in terram conuersa fuerit, nec in die iudicii resurrectura sit, cum iam resurrexerit. similia sunt verba illa HIEREMIÆ: *omnes auaritiæ student*: & cap. 8. *omnes auaritiam sectantur*, à quibus tamen necesse est excipere beatam Virginem.

Matth. 13. Luca 15. Psal. 13. Ioan. 10. Philip. 2. Hester 5. Eccl. c. 40. D Paulus 1. Cor. 15. Hierem 6. & 8.

VII. IN iure etiam canonico exstant similia exempla: nam in cap. *omnis vtriusque sexus de pœnitentiis, & remissionibus*, prædicta vniuersalia verba verificantur, etiamsi aliquis particularis sit exemptus quia Papa non ligatur per illud caput, vt docent plures Iuristæ, cum ANTONIO de BVTRIO, apud ipsos etiam est receptissimum, quod terminus vniuersalis non distribuit vniuersaliter quoad illos ex quorum distributione resultaret dissonus intellectus, vt habetur ex capite, solitæ in principio de maioritate, & obedientia; at si vniuersales propositiones, asserentes, omnes contrahere peccatum originale, comprehenderent beatam Virginem, resultaret dissonus intellectus; nam quid magis dissonum, quam vt quæ futura erat Mater Dei, prius fuisset per peccatum originale ancilla Diaboli, & odio habita à Deo, & ad æternam pœnam destinata secundum præsentem iustitiam? quæ omnia confirmare possumus ex doctrina diui THOMÆ 3. p. quæst. 28. ad 2. vbi arguit, quod beata Virgo non fuisset sanctificata, antequam nata per AV-

GVSTINVM ad Dardanum ita dicentem: *sanctificatio, qua efficimur templum Dei nonnisi renatorum est; igitur beata Virgo non fuit sanctificata antequam nata; quia renasci præsupponit nasci.* & respondet D. THOMAS, quod AVGVSTINVS loquitur secundum legem cõmunem, secundũ quam nõ regenerantur aliqui per sacramenta, nisi prius nati: cui legi Deus potentiam suam non ita alligauit, quin aliquibus ex speciali priuilegio gratiam suam conferre posset; antequam nascantur. Tertia solutio sit, quod sicut Theologi distinguere solent de duplici voluntate Dei antecedenti scilicet, & consequenti; ita potest distingui de duplici peccatore, & de duplici morte: scilicet antecedenter, & consequenter. Ille dicitur Peccator, & mortem incurrisse antecedenter, qui in suis proximis causis habuit omnia sufficientia & requisita ad peccandum; siue ad incurrendam mortem peccati. Ille vero dicitur consequenter peccator, & mortuus, qui de facto peccatum contraxit; primo ergo modo concedi potest, quod beata Virgo peccauit antecedenter, quia quatenus fuit propagata ex commixtione maris, & fœminæ, habuit sufficientem causam ad contrahendum peccatum originale, & hoc est, fuisse peccatricem, & mortuam antecedenter; sed inde non licet inferre; Virgo Maria antecedenter contraxit originale peccatum, ergo de facto contraxit; sicut non sequitur: Deus vult antecedenter Antichristum saluari, ergo saluabitur. Ad testimonia vero illa, quæ solum excipiunt Christum Dominum à peccato originali, multipliciter respondimus supr. hom. 19. § 5. ad eum locum.

Multis sanctorum Patrum Testimoniis improbant aduersarii immaculatam Virginis conceptionem. § 3.

D. Aug. cap. 10. super Gen. ad lit.

VIII. INPRIMIS referunt D. AVGVSTIN. in variis locis; breuitatis tamen causa præcipua tantum referam; & quidem c. 10. super genesim ad literã ait: *proinde corpus Christi, quamuis ex carne fœminæ assumptum sit, quæ de illa carnis peccati propagatione concepta fuerat, tamen quia non in ea sic conceptum fuit, quomodo fuerat illa concepta, ideo ipsum non fuit caro peccati: sed similitudo carnis peccati:* & lib. 2. de Baptismo populorum ait: *non est in filiis hominum, nec fuit, nec erit, qui nullo vnquam peccato fuerit obstrictus, aut ad iustitiam non ex peccato peruenerit, excepto vno Mediatore, per quem finitus peccatorum inimicitiis reconciliamur Deo.* solus que il e etiam homo factus manens Deus peccatum vllum nunquam habuit, nec sumpsit carnem peccati, quamuis de materna carne peccati: & PSALM 34. *Adam* (inquit) *mortuus est propter peccatum, Maria ex Adam mortua est propter peccatum* & PSALMO 31. tractans illud: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates,* interrogat; *qui sunt beati?* & respondet, *non in quibus non inuenerit Deus peccatum; nam in omnibus inuenit: omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei:* si ergo in omnibus peccata inueniuntur, remanet, vt non sint beati nisi quorum remissa sunt peccata. & PSAL. 141. loquens de Christo Domino ait; solum Christum Dominũ posse dicere: *Venit Princeps huius mundi, & in me nõ habet quidquam.* & lib. de natura, & gratia, cap. 41. ait: *Plane, quod commemoraui, per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, &c. & antiquos & recentiores, & nos, & posteros nostros sententia ista complectitur.* & lib. 1. de baptismo paruulorũ contra Pelagianos: *A minore* (inquit) *vsque ad maiorem totius Ecclesiæ vox est; Errauit, sicut ouis perdita omnium membrorum Christi: vox est: omnes, sicut oues errauimus, traditus est pro peccatis nostris:* & lib. 2. de baptismo paruulorum mouet hanc quæstionem; vtrum in hac vita homo aliquis vnquã fuerit, vel esse possit, qui nunquam peccatum habuit, vel habeat, vel habiturus sit? & respondet, dicens: *prorsus, præter vnum Mediatorem Dei & hominum Iesum Christum, nullum esse, vel fuisse, vel futurum esse certissimum est.* & ibidem ait: *Nec dubitandum est eis, qui diuina scripta fideliter legunt, fideliter audiunt, fideliter tenent; quod ab illa carne, quæ prius voluntate peccati facta est caro peccati, deinde per successionem, (transeunte in omnes præscriptione iniquitatis) caro sit propagatrix peccati, excepta vna similitudine carnis peccati.* & in Enchiridio cap. 16. loquens de Christo Domino, ait: *solus potuit ita nasci, vt ei opus non esset renasci:* diuus CYRILLVS in tractatu contra Manichæos ait: *solus Dominus venit in similitudine carnis peccati.* & infra: *vnus & solus est Dominus noster, qui & carnem cum spiritu pro carnis salute coniunxit, & similitudinẽ carnis peccati illæsa inuiolataque spiritus sanctitate gestauit.* diuus REMIGIVS ad ROMAN. 5. *Peccatum originale est, cuius rei sunt omnes carnaliter geniti.*

Ioan. c. 14.

D. Cyrill.

IX. His testimoniis addo alia, quæ adhuc magis vrgent, quia diuus AVGVSTINVS expresse negat aliquem esse excipiendum à contractione peccati originalis. In Enchiridio enim sic loquitur cap. 6. *Nullo enim excepto, dictum est; quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, & hoc ideo dictum est, vt probaret; mortuos quidem nos esse peccato, quod peccatum paruuli nascendo traxerunt.* hæc ibi. Ecce, quod Augustinus omnem exceptionem excludit. Idem AVGVSTINVS contra Iulianum libr. 1. & etiam de secunda blasphemia contra Pelagianos ita dicit: *omnes nos vulneratos esse peccato protoplasti.* Vas electionis probat, cum dicit: *non est distinctio: omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei:* qui dicit; *omnes,* nullum excipit: & infra: *Resistitis fundatissimæ fidei: vbi Apostolus ait: per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes pertransiit; in quo omnes peccauerunt;* & ita omnes oportet intelligi: *Nunquid hæc falsa sunt? quis hoc dixerit, nisi diuinorum eloquiorum apertissimus Inimicus:* hæc ille. Idem AVGVSTINVS l. 3. contra Iulianum, quæ inter filiorum sanctorum veterum Patrum, quos negabat specialiter peccatum originale contraxisse, videbatur asserere hoc

D. Aug.

Rom. 3.

Rom. 5.

præcipue de Isaac, propter specialitatem miraculi conceptionis eius, & promissionem seminis, in quo benedicendæ essent omnes Gentes; dicit sic: *ego autem secundum sanam fidem ex eadem concupiscentia voluptate conceptum esse Isaac dico; vt homines cæteri, vno solo excepto ab hoc malo, per quem liberamur à malo.* ecce Augustinum clarissime dicentem: omnes homines, præter illorum liberatorem Christum, conceptos esse in originali peccato. Item idem AVGVSTINVS libr. 6. contra Iulianum in fine, arguens contra responsionem Iuliani, qui, authoritate Apostoli dicentis: *in quo omnes peccauerunt,* dicebat, non omnes concludi, sed multos: quod patere dicebat ex hoc, quod in ea authoritate sequitur: Per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: (ita dicit Iuliano) *cum vero multos* (quod dicit postea) *non vis intelligi omnes, quod prius dixerat, ideo existimas, dictum fuisse multos, ne omnes intelligerentur. Poteris hoc dicere & de semine Abrahæ, cui promissæ sunt omnes gentes, non omnes gentes fuisse promissas, quia dictum est alio loco: Patrem multarum gentium posui te. est autẽ sanus intellectus, ideo sic locutam scripturã, quia possent esse aliqua, quæ dicãtur omnia, quæ non sunt multa: sicut omnia dicimus Euangelia, & tamen breui numero, id est, quaternario continentur.* & rursus: *possunt aliqua multa esse, non tamẽ omnia; sicut multos dicimus credere in Deum Christũ, nec omnes tamen credunt; non n. omnium est fides,* ait Apost. quod autem dictum est: *In semine tuo benedicentur omnes gentes, & patrem multarũ gentium posui te, easdem multas omnes, & easdem omnes multas esse, manifestum est: ita etiam cum dictum est: Per vnum in omnes transisse peccatum, postea, & per vnius inobedientiam peccatores cõstitutos multos, ipsi sunt multi, qui & omnes; similiter cum dictum est, per vnius iustitiã in oẽs homines ad iustificationẽ vitæ, & rursus dictũ est, per vnius obedientiam iusti constituuntur multi, sed non aliquib. exceptis; sed eosdẽ multos oportet intelligi, non quia omnes iustificantur in Christo, sed quia omnes qui iustificantur, non aliter possunt iustificari, quam in Christo omnes ad mortẽ per Adam; oẽs ad vitã per Christũ; quia sicut in Adã oẽs moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur, i. e. ex prima origine generis humani nemo ad mortem nisi per Adam, nemo ad vitã nisi per Christum: vos autem dum non omnes sed multos siue per Adam condemnatos esse, siue per Christum liberari vultis intelligi, horrenda peruersitate Christianæ Religioni estis infesti:* hæc AVGVST. Item D. *August.* 2. de ciuit. Dei, cap. 6. *omnes itaque mortui sunt peccatis, nemine prorsus excepto: siue originalibus, siue etiam voluntate additis,* sequitur: *pro omnibus mortuus est vnus, nullũ habens omnino peccatum.*

Rom. 5.
Gen. 17.
2. Thess. 3.
Actor. 5.
2. Cor. 15.

X. D. AMBROS. sup Luc. quem refert D. AVGVST. cum aliis multis Doctoribus lib. 1. contra Iulianum sic ait: *omnis homo in Adam moritur, quia per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, in quo omnes peccauerunt.* & in exposit. libri TOBIÆ: *Quis* (inquit) *iste peccati est fœnerator, nisi Diabolus, à quo Eua maculata peccato, obnoxia successionis vsuris, omne genus defœnerauit humanum.* & super PSAL. 48. ait: *Alia n. est iniquitas nostra, alia calcanei nostri, in quo Adam dente serpẽtis est vulneratus, & obnoxiã hæreditatẽ successionis humanæ suo vulnere dereliquit, vt omnes illo vulnere claudi essemus.* Deinde idem D. AMBROS. super, *Beati immaculati,* ait: *venit Dominus Iesus, & in carne, quæ peccato in matre fuerat obnoxia, militiã virtutis exercuit.* & super ISAIAM, vt refert D. AVG. in primo contra Iulian. *nemo sine peccato, nisi vnus solus Deus, seruatũ est igitur, vt ex viro & muliere per illam corporũ mixtionem nemo conceptus expers sit delicti; qui autem expers est delicti, expers est huiusmodi conceptionis.* & libro de Arca & Noe, prout refert idem D. AVG. *Per vnum Dominum Iesum salus ventura nationibus declaratur, qui solus potuit iustus in cõceptione esse, cum omnis generatio hominum erraret, nisi natus ex Virgine generationis obnoxiæ vinculo minime teneretur.* D. HIERONYM. super illud PSALMI: *Erue à framea,* ait: *sola anima Christi sine peccato fuit.* & in epist. ad Theophil. de libero arbitrio inquit: *de Christo scriptum est; quasi proprium peccatum non fecit; si autem hoc & mihi, vel alteri commune est, cum Christo, quod ille habebit proprium?* & in lib. 2. contra Pelagiũ: *absq; peccato esse soli Christo cõpetit.* & in epistola ad Laurentium Episcopum: *Christus torcular calcauit solus, quia ipse solus est, qui peccatum non habuit.*

D. Hieron.
Psal. 21.
Isai. 63.

XI. D GREG. Papa 11. moralium: *solus* (inquit) *Christus in carne sua mundus à peccato extitit, qui huc per carnalem delectationem non venit.* & l 18. c. 35. *nos quippe, etsi sancti efficimur, non tamen sancti concipimur, quia naturæ corruptibilis conditione constringimur, vt cum Propheta dicamus: ecce n. in iniquitatibus conceptus sum. Ille autem solus veraciter sanctus est natus, qui vt ipsam naturæ corruptibilis conditionem vinceret, ex commixtione carnalis copulæ non est conceptus.* IREN lib. contra hæres. ait: *solus Christus sine peccato venit in similitudinem carnis peccati.* D CYPRIA in epist. de baptizandis paruulis: *omnis* (inquit) *paruulus ab Adam carnaliter propagatus, contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit.* Diuus OLYMPIVS in quodam serm. *vitium transgressionis protoplasti est sic in germine sparsum, vt omnes* (excepto Christo) *cum peccato nascamur.* Diuus CHRYSOSTOMVS super MATTH. *Quamuis Christus non esset peccator, naturam tamen humanam de peccatrice suscepit.* D. HILARIVS lib. de Trinitate: *omnis caro* (excepta illa, quæ sine peccato venit in similitudinem carnis peccati) *sub peccati origine, & sub peccati lege nata erit.* Sanctus EVSEB. Episcop Emissenus in serm. Natiuitatis Domini, qui incipit: *Nostis,* ait, *à peccati originalis nexu nullus immunis extitit, nec ẽt ipsa Genitrix Redemptoris.* D. MAXIMVS in serm. 5. de Assumpt. *B. Virgo gloriosa fuit in vtero matris sanctificata, & ab omni contagione originalis culpæ, antequam nasceretur per Spiritum sanctum mundata.* D. ANSEL. l 2. cur Deus homo, c. 15 *licet ipsa Christi conceptio munda sit, & absq; carnalis delectationis peccato, virgo tamen ipsa, vnde assumptus est, in iniquitatib. concepta est* & in suis meditationib.

Psal. 50.

rationib. loquens ad Deum, ait: *Animam gloriosæ Virginis Mariæ in macula culpæ originalis creasti, sed consequenter eam à primaria labe purgasti.* & libr. de conceptu virginali c. 2. *solus Virginis filius sine peccato matris est in vtero matris.* & eodem l. c. 13. *licet Christus carnem de massa peccatrice assumpserit, nihil tamen de peccato massæ peccatricis accepit.*

XII. D. BERNARDVS in epist. ad Lugdunenses: *Beata* (inquit) *Virgo ante conceptum minime sanctificari potuit, quoniam non erat, sed nec in ipso conceptu propter peccatum quod erat. restat, vt post conceptum in vtero iam existens sanctificationem accepisse credatur, quæ excluso peccato sanctam fecerit natiuitatem, non autem conceptum* & post pauca subdit: *cum hæc ita se habeant, quænam erit ratio festiuæ conceptionis? quo pacto* (*inquam*) *aut sanctus asseretur conceptus, qui de Spiritu S. non est, ne dicam, qui de peccato est, aut festus habebitur, qui minime sanctus est, libenter virgo regia hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari, vel falsa induci videtur sanctitas.* & in sermone Ioannis Baptistæ: *quicunque* (ait) *de massa peccatrice ingredimur, pestem originalis peccati nobiscum trahimus.* Ac tandem epistola 174. ad prædictos Canonicos Lugdunenses, acriter eos reprehendit, eo quod celebrarent festum couceptionis: *Miramur* (inquit) *satis, quid visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum, voluisse nouam inducere celebritatem, quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio, nunquid Patribus doctiores, aut deuotiores sumus.* & subdit: *honor virginis iudicium diligit, virgo regia falso non eget honore.* ORIGENES item super LEVIT. Homilia 2. *Omnis, qui ingreditur hunc mundum, ex hoc ipso, quod in vulua matris positus, materiam corporis ab origine paterni seminis sumit, in patre & matre contaminatus dici potest; quia nemo mundus à sorde, nec si vnius diei fuerit vita eius: solus autem Dominus noster Iesus Christus in hanc generationem mundus ingressus est, quia ipse solus peccatum nescivit.* ac tandem non omittam dictum LEONEM Papam in serm. Natiuitatis Domini, vbi ait: *In totius generis humani strage communi vniuersorum remedium sub diuinæ rationis occulto fuit, quod possit subuenire prostratis,* &c. & sermone 12. de passione, loquens de Christo, ait: *solus enim beatæ Virginis natus est filius absque delicto, non extraneus ab hominum genere, sed alienus à crimine, in quo* (*illius ad imaginem Dei conditi*) *& perfecta esset innocentia, & vera natura, cum Adæ propagine vnus existens, in quo Diabolus, quod suum diceret, non haberet.* hæc ille.

Testimonia varia sacrorum Pontificum asserentium, beatam Virginem conceptam fuisse in peccato originali. §. 4.

XIII. INPRIMIS refero beatum INNOCENTIVM primum, qui in Concilio Numidiæ celebrato in sua epist. ait: *omnes homines ab Adam carnaliter generatos habere originale peccatum:* & infra addit: *nemo excipitur, nisi ille, quem sine lege peccati Virgo concepit.* Zosimus Papa, qui successit Innocentio in epist. decretali ad quoddam Concilium in Africa celebratum, prout refert D. AVG. in ep. ad Optat. de orig. anim. ait: *nullus, nisi qui peccati seruus est, liber efficitur, nec redemptus dici potest, nisi qui vere per peccatum fuit antea captiuus.* & post pauca ait: *nec vllus omnino natorum est, qui antequam per Christi gratiam liberetur, peccato non teneatur obnoxius.* & statim subiungit D. AVG. *in his enim verbis Apostolicæ Sedis tam antiqua, atque fundata, certa & clara est catholica fides, vt nefas sit de illa dubitare Christiano.* Item Bonif. primus in Concilio Mileuitano, cui interfuit AVG. & habetur de consecra. d. 4. c placuit. ait: *quisquis ex concupiscentia generatur, regenerari spiritualiter habet opus, vt non solum ad regnum Dei perducatur, sed vt etiam à peccati damnatione mundetur.* B. INNOC Papa 2. in serm. Assumpt. B. Virginis: *Eua fuit sine culpa producta, sed filios produxit in culpa: Virgo autem gloriosa fuit quidem in culpa producta, sed filium sine culpa produxit.* INNOCENT. 3. serm. de Purificatione B. Virginis ait expresse: illam fuisse ab originali peccato mundatam. HONOR. 3. exponens illud PSALMI: *sanctificauit tabernaculum suum,* ait: *hoc tabernaculum, id est, beatam Virginem Altissimus sanctificauit, quia eam in vtero matris ab originali peccato mundauit.* INNOCENTIVS Papa 5. in 3. sent. dist. 3. quæst. 1. artic. 1. ad 2. loquens de Virgine, ait: *si peccatum originale non contraxisset, fuisset æqualis puritatis cum Christo, quod non est dicendum.* CLEMENS 6. in serm. *Erunt signa in sole, & luna,* ait: *Dico hoc vnum verum esse, & clarum, quod beata Virgo contraxit in sui conceptione originale peccatum. Causa autem & ratio est, quia fuit ex libidine per concubitum viri & mulieris concepta, & peccatum originale in sui conceptione contraxit.*

Psal. 45.

Luc. 21.

Referuntur Doctores Scholastici. & Iurisperiti, tenentes beatam Virginem conceptam fuisse in peccato originali. §. 5.

XIV. PERMVLTI sunt Theologi hanc sententiam docentes, sed præcipuos tantum referam, inter quos primum locum tenent Doctores ex familia Patrum Prædicatorum. D. THOM. in 3. sent. dist. 3. art. 1. vbi ait: *Virgo beata fuit in originali peccato concepta, propter quod scribit Beatus Bernardus, conceptionem eius non esse celebrandam.* & a. 2. *B. Virgo per primam sanctificationem, vt communiter ab omnibus tenetur, ab originali fuit mundata peccato, fomite essentialiter remanente, sed ligato, qui post per secundam sanctificationem fuit totaliter sublatus.* & 3. p. q. 27. art. 2. *sanctificatio* (inquit) *beatæ Virginis non potest intelligi ante animationem, nec in instanti animationis, sed post animationem, aliter enim non incurrisset maculam peccati originalis, & per consequens non indiguisset redemptione & saluatione facta per Iesum Christum.* Idem docet in compendio Theologiæ, & quodlib. 6. q. 4. artic. 1. *Beata Virgo fuit concepta cum peccato originali, quia fuit in Adam secundum rationem seminalem, & generata fuit ex commixtione sexuum, sicut cæteri, & in-*

cluditur

Rom. 5. cluditur in vniuersali, de qua dicit Apostolus: in quo omnes peccauerunt: à qua vniuersitate solus Christus excipitur, qui in Adam non fuit, secundum seminalem rationem. Item beatus VINCENTIVS in serm. de Cōceptione: *Beata Virgo Maria fuit in originali peccato, sed eadem die, & hora, & statim post animationem fuit per sanctificationem à peccato contracto mundata, & ideo festum hoc debet referri ad sanctificationem, & non ad conceptionem:* ALBERTVS MAGNVS in 3. distinct. 3. sic ait: *Dicimus Beatam Virginem contraxisse peccatum originale nec fuisse sanctificatam ante conceptionem, nec in conceptione, sed post conceptionem, dicere autem oppositum, est hæresis condemnata à B. Bernardo, & ab omnibus Magistris Parisiensibus.* eandem etiam sententiam docent communiter reliqui Doctores ex familia Prædicatorum: breuitatis tamen causa eorum verba non referam, sed nomina tantum, & loca indicabo, sicut & aliorum Doctorum, qui à me in hoc capite proferendi sunt.

XV. Ex familia ergo Patrum Prædicatorum refero VGONEM de S. THEODORICO Cardinalem S. Sabinæ in postilla super Eccl c. 7. ANIBALD. Card. etiam in 3. de 3. & ibidem PETRVM de TARANTASIA, qui fuit Papa Innocentius Quintus, ROBERTVM ANGLICVM Cardinalem Ostiensem in 2. distin. 31. q. 1. art. 1. & in 3. dist, in expositione literæ; GVALTERVM ANGLICVM Cardinalem Tituli sanctæ Sabinæ in 2. parte summæ, tractatu de peccato originali, IOANNEM DOMINICI de Florentia Cardinalem sancti Sixti in expositione super *Magnificat*; IOANNEM de TVRRECREMATA Cardinalem, etiam tituli sancti Sixti, PALVDANVM, DVRANDVM, & DVRANDELLVM, Angelum de BONONIA, & BOMBOLOGNINVM in 3. dist. 3 MARTINVM POLONVM in serm. Virginis, VINCENTIVM HISTORIALEM tractatu de laudibus beatæ Virginis libr de sanctificatione: THOMAM de LENCHINO Patriarcham Hierosolymitanum in ser. Assumptionis beatæ Virginis; GVLIELMVM PERALDVM Episcopum Lugdunensem in serm Purificationis, & Natiuitatis beatæ Virginis; HERVÆVM quodlibeto 4. quæst. vlt. IACOBVM de PERVSIO Episcopum Perusinum in serm. Annuntiationis, Ioannem de NEAPOLI quodlibeto 1. ROBERTVM HOLCOTH super librum Sap. cap. 14. lect. 160. LEONARDVM sermone Annunciationis; ac tandem D. ANTONINVS 1. parte summæ, tit. de peccato originali ait: *si volumus attendere ad dicta S. Scripturæ, & sanctorum Doctorum, manifeste patet, beatam Virginem in originali peccato fuisse conceptam, & sic eius conceptio non est celebranda, nisi in ordine ad sanctificationem subsecutam*; hæc ille. His accedunt quam plurimi Magistri eiusdem ordinis: HVGO de ARGENTINA in compendio suæ Theologiæ, BERNARDVS de CLAROMONTE quodlibeto 15. quæst. 63 ALBERTVS de BRIXIA lib. 3 suæ summæ, tractatu 4. cap. 6. PETRVS de POLONIA super Lucam cap. 1. IOANNES BALBVS in suo Catholico litera Virtus: ALDOBRANDINVS in serm. vigiliæ Natiuitatis Domini, CONSTANTINVS de Montebudello in sermone Natiuitatis beatæ Virginis; IACOBVS ÆGIDII Magister sacri Palatii tractatu de conceptione beatæ Virginis, IOANNES de MONTENIGRO, & DOMINICVS de CATALONIA in suis tractatibus de conceptione, IOANNES de S GEMINIANO in sermone Annuntiationis, & alii permulti, quos longum esset percensere.

XVI. SED veniamus iam ad Doctores ex Ordine MINORVM, qui eandem sententiam docuerunt; inprimis diuus ANTONIVS, qui sepultus est Paduæ, in quodam sermone Natiuitatis beatæ Virginis ait: *Beata Virgo fuit in vtero Matris à peccato per gratiam sanctificata, & sine peccato nata* Idem tenet S. BONAVENTVRA Cardinalis in 3. sent. dist. 3. q 1 ar. 2. sic dicens: *si beata Virgo non fuisset concepta in peccato originali tunc caruisset merito mortis, & sic vel iniuste mortua fuisset, vel dispẽsatiue pro salute humani generis; primum facit ad contumeliam Dei, secundum derogat Christo.* Item: *si peccatum non habuisset, tunc, si ante Christi passionem mortua fuisset, regnum cœlorũ fuisset consecuta, hoc autem est incõueniens; igitur.* Item, *si peccatum non habuisset; Christi morte redempta non fuisset, quod impium, & nefarium est dicere: & ideo est dicendum, quod B Virgo fuit concepta in peccato originali, & quod eius sanctificatio subsecuta est originalis peccati cõtractionem: hic aũt dicendi modus est cõmuniter rationabilior & securior: cõmunior (inquã) quia fere omnes id tenẽt, cum id appareat ex multiplici eius pœnalitate, & morte, quã non est dicere eam passam fuisse iniuste; nec propter aliorum redemptionem, sed propter peccati contractionẽ. Rationabilior etiã est, quia esse naturæ præcedit esse gratiæ, vel tẽpore, vel natura, & propterea* D. Aug *prius est nasci, quã renasci, sicut prius est esse, quã bene esse: igitur prius est animã vniri carni, quã gratiã ei infundi: si ergo caro illa infecta fuit, ex sui infectione nata erat, inficere animã, quæ ei vniebatur, culpa originali, & ita necesse est ponere quod ante fuerit in ea originalis peccati infectio, quã gratiæ infusio, vel sãctificatio, securior etiã est, quia magis consonat fidei pietati, & sanctorum authoritati. sanctorum authoritati magis concordat pro eo, quod sancti communiter, cum de hac materia loquuntur, solũ Christũ excipiũt ab illa generalitate, quæ dicit: omnes in Adã peccauerũt: nullus autem inuenitur dixisse de his, quos vidimus, & audiuimus auribus nostris, beatã Virginem fuisse ab originali peccato immunem, in sui conceptione. Pietati fidei etiam magis concordat, pro eo, quod etsi mater habenda sit in reuerentia, & magna erga eam sit habenda deuotio, multo tamen maior est habẽda ad filiũ: ex quo est ei omnis honor & gloria: & ideo quia hoc spectat ad excellentem dignitatem Christi, quod ipse solus est omnium Saluator, & quod omnib. aperuit ianuam Paradisi, & quod ipse pro omnibus mortuus est, nullatenus ab hac generalitate Virgo Maria est excludenda: ne dum Matris excellentia ampliatur, filij gloria minuatur, & sic mater prouocetur. quæ vult magis filium suũ extolli, & honorari, quã seipsam vtpote creatorem, quam creaturã. Huic ergo positioni adhærentes propter*

honorem Domini nostri Iesu Christi, qui in nullo præiudicat honori matris, cum filius incõparabiliter matrem antecellat, teneamus, secundum quod communis opinio tenet; Virginis sanctificationem fuisse post originalis peccati contractionem, unde rationes hoc probantes concedendæ sunt, quia verum concludunt. hæc ille.

XVII. Idem tenet Alexander de Ales Doctor clarissimus in 3. par summæ, circa materiam de sãctificatione Virginis, art. 1. sic dicens: *quia enim omnis homo, qui carnali generatione generatur, de necessitate cõtrahit in sui conceptione originale peccatum, necesse fuit, ut beata Virgo à parentibus generata carnaliter originale peccatum in sui conceptione contraheret.* Item articul. 2. *Beata*, inquit, *Virgo in primo instanti suæ conceptionis sanctificari nõ potuit*, ut Bernard. dicit: *Propter peccatum, quod inerat; restat ergo, ut post conceptionem sanctificationem accepisse credatur, quæ excluso peccato sanctã fecit natiuitatem, non autem cõceptionẽ.* Secundo, quia dicit idẽ Bernardus: *quod quãuis paucis datũ sit cum sanctitate nasci, nulli tamẽ nisi soli Christo datũ est cum sanctitate concipi: ergo B. Virgo nõ fuit sancta in conceptione.* Tertio, quia dicit D. Bernard *quod, quia solus Christus fuit de Spiritu sãcto cõceptus, ideo solus ipse fuit in conceptione sanctus: quo excepto, necesse est ut omnes cõfiteamur illud quod* David *humiliter confitetur, dicẽs: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum; & per consequens oportet dicere, quod beata Virgo fuisset in peccato concepta.* Quarto, *quia, si beata Virgo non fuisset in peccato concepta, non habuisset reatum peccati; sed si non habuisset reatũ peccati, non indiguisset redemptione facta per Christũ, quia redẽptio talis est solum propter peccatum, quod non est secũdum fidem Catholicã tenendũ.* Quinto, *quia* Avgvstinvs, *&* Leo *Papa dicunt, quod sicut Christus pro omnibus liberandis venit, ita neminem à reatu peccati liberũ inuenit; & per consequens sequitur, quod B. Virgo peccatum in sui conceptione habuerit: & ideo dicendum est, quod beata Virgo in sui conceptione sanctificari nõ potuit, quia tunc peccatum originale contraxit.* Idẽ in eodẽ libro, quæst. seq. art 1. sic dicit: *Beata Virgo per primã sanctificationẽ fuit mundata ab omni culpa: per secũdam vero sanctificationem fuit mundata à sordibus vitiorũ, id est, ab illis difficultatibus, quas habebat ad tendendũ in bonum, quæ peccatum consequuntur.* Item idẽ in sequenti articulo: *B. Virgo per primam sanctificationẽ fuit totaliter à culpa originali mũdata, sed fomes peccati remansit legatus: sed per secundam sanctificationem fomes fuit totaliter ablatus.* Item idẽ in sequenti articulo: *Duo*, inquit, *erant, quæ prohibebant visionem Dei, videlicet culpa originalis, & reatus naturæ à peccato causatus: per primã sanctificationem fuit remotum peccatum originale, & reatus personalis, remanẽte adhuc reatu naturæ, & ideo si ante Christi passionem mortua fuisset, non euolasset in cœlũ, sed descendisset ad locum sanctorum Patrum propter reatũ naturæ.* hæc ille. Idem dicit in 3. sentent. in multis articulis, & super Psal. *Deus noster refugium.* & in suo Mariali. hæc Alexand. de Ales Ordinis Minorum. Item Riccardvs de Media Villa, Doctor Parisiensis Ordinis Minorum in 3. sent. distinct. 3. sic dicens: *Anima B. Virginis ex sui unione ad carnem peccatũ originale contraxit, sicut dicit* Avgvstinvs *in 10. super Genes. &* Anselmvs *in lib. Cur Deus homo.* Idem tenet Gvlielmvs Ocham Doctor Parisiensis eiusdem Ordinis Minorum in 2. sent. dist. 30. art. 1. sic dicens: *Concedo, quod beata Virgo Maria fuit concepta in peccato originali sicut satis patet per authoritates August. & Anselmi.* Idem Reginaldvs Archiepiscop. Rothomagensis, Doctor Parisiensis, eiusdẽ Ordinis Minorum in 3. sen. d. 3. sic dicens: *sicut impuritas derogaret Virgini, si nõ fuisset in utero matris sanctificata, ita si Virgo Maria sine originali peccato cõcepta fuisset, derogaret Christo, cuius priuilegiũ est, ut solus ipse sit sine peccato conceptus, & ideo non est hic honor Virgini attribuendus, quia in veritate non est honor, nec decentia.* Idem tenet Alvarvs Hispan. Episc. Siluernensis, eiusdem Ord. Minorum in lib. suo de planctu Ecclesiæ, sic dicens: *de matre Christi beatissima tenent sancti, & maxime Augustin. & Bernar. quod nunquam peccauit actualiter, tamen in originali peccato concepta fuit; sicut cæteri homines, qui ex commixtione seminum concepti sunt. Ad hoc facit quod habetur de consec. dist. 3 & in gloss. super c. 2. & super c. per baptismum, de consec. dist. 4. & facit optime 27 q. 2. omne. Et hanc sententiam tenent omnes antiqui Theologi, videlicet Alexãder, Thomas, Bonauentura & Riccard. licet quidam noui Theologi à sensu communi Ecclesiæ recedentes, contrarium teneant, indeuoti reuera Dominæ nostræ, licet eius deuoti per hoc apparere nitantur, quorum noua opinio, & fantastica penitus est à fidelibus cancellata.* hæc ille.

Psal. 50.

XVIII. Ac tandem, ne in referendis omnium verbis nimium immorer, eandem docuerunt M. Ægidivs Zamorensis Hispanus eiusdem Ord. Minor. in sua summa c. de Maria. M. Ioannes de Rvpella in serm Natiuit. Virginis, M. Robertvs Comtio Doctor Parisiensis in 3. sent. dist. 3. q. 9. B. Lvcas in sermone de Baptismo Christi, & in sermone de Natiuit Virginis. M. Conradvs de Saxonia in lib. super salutatione Angelica. M. Bartholomævs de Pysis in serm. *facta sunt Encænia.* M. Thomas de Ales Doctor Parisiensis in libro de vita B. Virginis c. 12. M. Iacobvs Pictauiensis in serm. Annunciationis. M. Nicolavs de Lyra super Luc. exponens illud, *Spiritus sanctus superueniet in te.* Fr. Iacoponvs V. I. Doctor, in vna sua laude ad Beatam Virginem. M. Ioannes Genesivs de Parma in suo Rosario cap. 5. M. Ioan. de Exphoria in sua summa cap. de Conceptione, & cap. de peccato originali. M. Nicolavs de Avqvevilla in serm. Assumpt. B. Mariæ Virginis & Natiuitatis. M. Franciscvs de Hast. in serm. 3. Dominicæ post Trinit. M. Bvidvs in sermone Cœnæ Domini, qui fuit illo anno in die Annuntiat. M. Geraldvs de Odonis in lib. de figuris in cap. de stella. M. Ioan. Gallicvs in serm. Natiuitat. & Annuntiat. B. Virginis. M. Landvlphvs in Postilla super Euangelia

sup illud Luc. 1. *Exurgẽs Maria*, &c. & sup, illud Mat. 1. *Inuenta est in vtero habens*, &c. M. PHILIPPVS de MONTE CALLERIO in Postilla super Euangel, super illud Luc. 1. *Aue gratia plena: & Spiritus sanctus superueniet in te* M. ARNALDVS Episcop⁹ Salernit. in lib. suarum distinctionum, & in c. de Arca.

XIX. Ex ordine autem Heremitarum S. Augustini eandem sententiam docuerunt grauissimi Doctores; nimirum ÆGIDIVS de ROMA Episc. Bituricensis in 6. quodlibeto: GREGORIVS de ARIMINO in 2 sent. distinct. 3. q. 2. BERNARDVS CLIVERI Doctor Parisiens. & Episc. Barcocensis in 6. quodlibet. quæst penult. M. IOANNES CLIVOTH de SAXONIA in 3. sent. dist. 3. M. IOANNES STRINGARII, eiusdem Ordin. in 3. sent dist. 3. M. IOANNES TEVTONICVS in sermone Natiuitat. B. Virgin. qui incipit, *Lauda, & lætare filia Sion*. M. IORDANIS TEVTONICVS in 2. ser. de Cõcept B. Virgin. M. AVGVSTIN. de ANCONA in Postilla super Lucam, & in multis locis super Epistolas Pauli. M. VGOLINVS de VRBE VETERI in 2. sent. dist. 3. q. 3. M. GERALDVS de STENIS in quodam quodlibeto: M. IOANNES GALLICVS in ser. Annũtiationis. M. HENRICVS de VRIMARIA in serm. Natiuitat. B. Virginis: M. ALBERTVS de PADVA in serm. 3 Feriæ post Dominicam de Passione: M. IACOB. de VITERBIO in quodlibetis: M. PACINVS de HAST. in 3. sent. dist 3. M. HENRICVS de HVRI in ser. Natiuitatis B. Virginis. Accedunt ad hoc duo Doctores ex Ordin. Carmelitarum: GVIDO Episcopus MAIORICENS. & postea Episcopus ALBANENSIS in 3. quodlibeto, quæst. 13. & M. PAVLVS de PERVSIO in 3. sent. dist. 3.

M. Ioan. de Poliaco. *Guliel. Ep. Altisiod.* *Præpositiu.* *Gulielmus antiquus.* *Stephanus*

XX. Ex Theologis vero non Regularibus clarissimos etiam Doctores referam eandem sententiam amplectentes M. IOAN. de POLIACO Doctor Parisiens. in 3. quodl. q. 3. GVLIELMVS ALTISIODORENS. Episc. in 3. libro suæ summæ: PRÆPOSITIVVS Doctor Parisiens. antiquus in summa sua, c. de sanctificatione Virginis. GVLIELMVS antiquus Cancellarius Parisiens. in sua summa M. STEPHANVS antiqu⁹ Postillator Doctor Parisiens. super Epist ad Romanos, & ad Hebræos, DOMINVS ARMACHANVS Episc. Hiberniæ in 3 sent. dist 3. M. RICCARDVS RADVLPHI de HIBERNIA, Cancellarius Vniuersitatis Exomensis in 2. sent. quæst. 7. art. 2. M GARICVS PARISIENSIS super Ecclesiasten, cap. 7. M. ADAM ANGLICVS Doctor Parisiensis in 3. sen. dist 3. M. ODO GALLICVS Doctor antiquus in sermone beatæ Virginis: M. GOTTIFREDVS, Doctor Parisiensis in quodlibeto 8. q. 8. AVCTOR libri, qui dicitur: Elucidarius scripturę in 1. lib. M. HENRICVS de GANDAVO, Doctor Parisiens. in 15. quodlibeto, q. 13. M. IOANNES de ALBAVILLA, Doctor Parisiensis in serm. Purificationis B. Virginis: M. IOANNES de VILLA ABBATIS in serm. Assumptionis B. Virginis; B. ANDREAS Episcopus Hierosolymit. in quodam serm Natiuit. B. Virginis B Petrus TRIPOLITAN. qui Epistolas Pauli glossauit, super epist ad Rom c. 5. B. ALCVINVS, qui fuit Magister Caroli Magni, in lib. sententiarum suarum; D. GVLIELMVS Episc. Ecclesiæ Miniatensis, in rationali diuinorum officiorum in 6. p. c. Purificat. B. Virginis: ROBERTVS Mediolanen. Episc. in 2. libro suæ summæ: IOANNES BELETH Doctor antiquus in summa sua de diuinis officiis rubric. de Assumptione beatæ Virginis: SICARDVS Episc. Cremonensis in summa sua de officiis, quam appellauit, *Naturale*, lib. 8. c. de Natiuitate Virginis: PETR. COMMESTOR Magister Historiarum in quodam serm. B. Virginis, qui incipit: *Primo tempore alleuiata fuit terra Zabulon*. D. GILBERTVS PORRECTANVS Pictauorum Episcopus super Bothetio de duabus naturis, & vna persona Christi: LICONIENSIS Episc. super Psalmos circa principium: D. RICCARDVS de S. Victore in tract. suo super Isaiæ: *Ecce Virgo concipiet*. B. PETRVS DAMIANVS Cardinalis in serm Natiuitatis B. Virginis. *Isa. 9.*

XXI. PLVRES tandem Doctores Iurisperiti eidẽ sententiæ adstipulantur, quorum solum nomina, & loca breuitatis causa indicabo: IOANNES THEVTONICVS antiquus glossator Decreti supr. c. *pronunciandum* de conse. dist. 3. BARTHOLOMÆVS BRIXIENSIS sup. eodem capitulo; HVGO Episc. Ferrariensis super c. *firmissime* de conse. dist. 4. LAVRENTIVS antiquus glossator super cap. per *baptismum* de cõse dist. 4. Idem docet super cap. *pronunciandum*, de consecra. dist. 3. D. BERNARDVS PAPIENSIS sup. cap. *pronunciandum* M RAYMVNDVS compilator Decretalium, Pœnitentiarius Gregorii Papæ IX. in 1. suæ summæ lib. tit. de Feriis: OSTIENSIS in summa sua tit. de pœn. & re. §. quis debet confiteri: D. GVLIELMVS DVRANTES in 2. par. Speculi, tit. de Feriis: IOANNES compilator summæ Canonicæ, quæ incipit *Qui iuste iudicat*: super cap. *firmissime*: AVTHOR Speculi quod dicitur; summa summarum titulo de Feriis, q. 8. AVTHOR operis solemnissimi super toto decreto, quod incipit: *Ad decorem sponsæ*; super caput *pronunciandum*; D. IOANNES ANDREÆ Doctor Bononiẽsis clarissimus, in 2. parte Nouellæ titulo de Feriis super cap. *conquestus*. IOANNES de CALDERINIS Doctor Bononiensis super caput *conquestus* extra de Feriis GALVANEVS Doctor Bononiensis super cap. *conquestus* extra de feriis: D. PETRVS de BRACO Doctor solemnissimus in Repertorio suo verbo: *Conceptio*. PETRVS MEDIOLANENSIS in apparatu suo super capit, *firmissime* de conse. dist. 4. D. GVLIELMVS Metensis Episcopus, in apparatu super summa RAYMVNDVS tit. de feriis: D. IOANNES THEVTONICVS Doctor præcipuus IN SVMMA Confessorum lib. 1. tit. 12. c. BARTHOLOMÆVS de PYSIS in summa sua cap. de feriis: IOANNES de TVRRECREMATA, in opere, quod edidit super decretum de cons. dist. 4 cap. *firmissime*. LAVRENTIVS CALCANEVS BRIXIENSIS vtriusque Iuris Doctor clarissimus in quodam libello, quem de laudibus B. Virginis composuit.

Respondetur ad præcitata Testimonia sanctorum Patrũ, & Pontificũ: necnon ad Doctores, tam Theologos,

logos, quam Iuristas; qui aduersus immaculatam Virginis Conceptionem militare videntur. §. 6.

XXII. Magnam video in nominibus Auctorum recensendis Aduersarios impendere operam, ac tempus conterere, membranasque implere, persuasum sibi habentes, veritatem magis sibi fauere, si plures suæ opinionis habeant assertores, quasi in multitudine Militum consisteret victoria belli; & non potius in robore, & strenuitate meminisse debent Alexandrum Magnum paruis admodum copiis pene innumerum Darii exercitum ter profligasse. Themistoclem quoque inclytum Græciæ Imperatorem exigua manu numerosum Xerxis agmen in trepidam fugam egisse. Et (vt ad nostratia descendamus exempla) ipsos non præterit, Gedeonem exiguo militum numero copiosissimas hostium turmas facile superasse,
1.Mach.4. necnon insignem virtute Iudam Machabæum paucis militibus fretum copiosas Antiochi vires
Iudic.15. contriuisse; aut fortem Sampsonem in maxilla Asi-
1.Reg.17. ni mille strauisse allophilos; aut ipsum denique David in funda, & lapide terribilem, & gigantea mole horrendum Goliam interemisse. Numerus beatam Virginem Mariam in conceptu maculam contraxisse asseuerantium, & si etiam decuplo esset maior, atque cumulatior, exiguum quiddam est, & parum auctoritatis habet ad sacram Scripturam, quæ (vt nos probauimus) non obscure indicat beatam Virginem ab omni penitus macula peccati fuisse alienam. Sed & præter illa testimonia tot sanctorum Patrum & Doctorum, tam Antiquorum quam Recentiorum, produximus monumenta, vt vera-
4.Reg.6. citer dicere possimus. *Plures sunt nobiscum quam contra nos*, &c.

XXIII. Inter omnia ergo testimonia supra relata maioris ponderis sunt, quæ ex D. Augustini doctrina deduximus; sed ad illa copiose respondimus super Homil. §. 5. versiculo *tandem*. Ad testimonia vero ex diuo Thoma adducta quidam respondent, quod ipse in aliis locis sibi ipsi contradicit, quando autem quis dicit opposita, eius dictum non debet admitti, vt constat ex *l. vbi repugnantia. ff. de regulis Iuris*, sed non placet hæc solutio, quia alioquin quæ D. Aug. & alii sancti retractarunt, non essent admittenda, quod est absurdum. melius respondetur, vel ipsum retractasse sententiam, vt supra ostendimus, vel ex speciali Dei prouidentia factum fuisse, vt contrariam sententiam doceret, quia sicut magis profuit Ecclesiæ Apostolus Thomas dubitans, quam Discipulus facile credens, vt dixit D.
D. Gregor. Gregorius, ita etiam magis profuit D. Thomas ad
homil.26. veritatem immaculatæ Conceptionis firmandam illam negans, quam alij multi facile ei assentiẽtes. Nam certe si D. Thomas, ac Illustrissima diui Dominici familia (cuius irrefragabili doctrinæ tantopere fidit Ecclesia) huic sententiæ numquam aduersaretur, non adeo elaboratum fuisset in cõfirmanda, & illustranda veritate hac de immaculata Virginis Conceptione, nec ita profundas radices iecisset in animis fidelium.

XXIV. Ad Doctores autem Scholasticos & Iurisperitos, vel explicandi sunt quod loquantur de contractione peccati originalis, non de facto, sed ex debito, & ex iure: vel dicendum est, quod, vt constat ex glossa in *l. diem proferre. § si plures.* magis creditur duobus affirmantibus, quam mille negantibus; vnde maior fides adhibenda est paucis authoribus immaculatam Virginis Conceptionem affirmantibus, quam multis illam negãtibus; quod si aduersariis prædictæ omnes solutiones non satisfaciant, aliter occurrere possumus dupliciter, primo dicendo, quod inter Sanctos Patres sæpe contigit in contrarias abire sententias: nam D. Gregor. & Hieronymus in eam propendent, quæ asserit Salomonem damnatum fuisse, vt constat ex *capite Salomon. 32. q. 4. & c. si enim* vers. *Salomon.* de pœn. dist. 2. Ambrosius autem & Augustinus oppositam amplectuntur sententiã cum quibusdam aliis Doctoribus, quos in generali refert glossa in dicto ca. *Salomon.* Similiter S. Augustinus in epistola ad Hieronymum tenet, quod Paulus rationabiliter Petrum reprehendit, vt ipse ait ad Gal. 2. Hieronymus autem super epist. ad Galatas, dicit, quod peccauit ipsum, qui erat caput Apostolorum, reprehendẽdo. Item inter D. Augustinũ, & D. Hieronymũ fuit magna controuersia de cessatione legalium, & diuersæ opiniones, vno tenente, quod cessauerunt tali tempore, scilicet Hieronymo, alio vero è contra dicẽte S. Augustino, de quib⁹ tractat Scotus in 4. distinct. 3. q. 4. & Alexander de Ales in 3. par. summæ in tractatu de cessatione legalium.

XXV. Cum ergo varietas opinionũ est inter Patres, vnicuique licet amplecti (per se loquendo) quã maluerit, vt docet diuus Thomas in quadã quæstione quodlibetica, & Henricus de Gandavo in 4. quodlibeto q. 33. vnde D. Augustinus in cap. negare q. dist. loquẽs de suis propriis scriptis ait: *neq; quorumlibet disputationes, quamuis Catholicorum laudatorũ hominũ, velut Scripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat, salua honorificentia, quæ illis debetur hominib. aliquid in eorũ scriptis reprobare, aut respuere, si forte inuenerimus quod aliter senserint, quã veritas habet diuino adiutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis: talis ergo sum in scripturis aliorum, quales volo esse intellectores mearum*: hæc ibi: & in epistola ad Vincentiũ de scripturis SS. Doctorũ ait: *tale genus Scripturarum à scripturis diuinis distinguendũ est; nõ enim ita in eis testimonia proferũtur, vt cõtrarium sentire nõ liceat*; & idem in cap. ego dist. 9. Ego *alios ita lego, vt quãtalibet sanctitate, quantaue doctrina polleant, non ideo verũ putem, quia ita senserunt, sed quia mihi per alios authores, vel canonicas, aut probabiles rationes, quod à vero nõ abhorreãt, persuadere nõ potuerũt*: hæc ille.

XXVI. Cum igitur præcitati omnes Patres, & Theologi non adducant rationes efficaciores, quã

illas, quibus nos in hanc ſententiam trahimur, merito iuxta traditam D. Auguſtini doctrinam ab eorum opinione in hac materia diſcedimus: Maxime quod, vt fatetur CAIETAN. 3. p. q. 74. art. 3. (& hæc ſit vltima ſolutio.) conſuetudo Eccleſiarum particularium tantæ eſt authoritatis, quod aliquando eam præferre licet ſententiæ grauiſſimorum Doctorum, quanto ergo quæſo magis id licebit in ſubiecta materia, vbi conſuetudo totius Eccleſiæ Romanæ, quæ fidei columna, & veritatis magiſtra eſt, iam obtinuit feſtum immaculatæ Conceptionis, ſub nomine *Conceptionis* celebrari: conſtat autem quod interrogatus populus Chriſtianus, quid celebret in feſto Conceptionis beatæ Virginis? vnanimi conſenſu, literati etiam, & non ſolum vulgares homines reſpondent: præſeruationem à macula peccati originalis, ergo ſignum eſt moraliter euidens, hoc eſſe obiectum præcipuum huius celebrationis; adde rationem ſupra tactam, quia præcitati Patres ex eo, quod Eccleſia vniuerſalis celebrat Natiuitatem B. Virginis, colligunt ipſam fuiſſe ſanctam, & ſine macula, ergo cum conſtet Conceptionem celebrari ab vniuerſali Eccleſia, conſequens eſt, eſſe ſanctam & immaculatam, vel certe collectionem D. BERNARDI, ILDEPHONSI, & diui THOMÆ infirmam fuiſſe.

Proponuntur, & diluuntur varia, ac difficilia Argumenta aduerſus immaculatam Virginis Conceptionem.

XXVII. SED iam veniamus ad varias aduerſariorum obiectiones, quas ſilentio præterire non licet. Imo fas eſt, alias difficiliores excogitare, vt hac ratione magis, ac magis corroboretur veritas immaculatæ Concept. Deiparæ Mariæ.

Proponitur primum Argumentum. §. 1.

XXVIII. PRIMO igitur obiicio, quia peccatum originale contrahitur per hoc, quod Anima in primo inſtanti, quo infunditur in corpus, attingat carnem infectam, qua ratione D. AVG. dixit, peccatum originale contrahi per contagionem, ſed Anima beatæ Virginis in primo inſtanti ſuæ Conceptionis attigit carnem ſic infectam, ergo vere contraxit peccatum originale; maior cum conſequentia eſt nota; & minor probatur, quoniam carnem eſſe infectam nihil aliud eſt, quam eſſe propagatam ab Adam peccatore via ordinaria cõcurrente vtroque parente: ſed caro Virginis fuit propagata hoc modo, vt in confeſſo eſt apud omnes; ergo anima Virginis fuit infecta hoc modo. Dices, animam Virginis fuiſſe impeditam per gratiam, præuenientem, ne inficeretur per contactum carnis infectæ. Sed contra, quia prius fuit ordine naturæ contingi carnem infectam, & illi vniri, quam reciperet prædictam gratiam; ergo pro illo priori non poteſt intelligi, quod in ea fuerit talis gratia præueniens; conſequentia eſt nota, & antecedens etiam, quia prius ordine naturæ præintelligitur B. Virgo, vt exiſtens ſecundum eſſe naturale, quam ſecundum eſſe gratiæ; cum eſſe naturale præſupponi debeat ad ſupernaturale; at eſſe naturale Virginis conſurgit ex vnione Animæ cum carne, ergo de primo ad vltimum prius natura fuit, animã B. Virginis contingere carnem infectam, & illi vniri, quam recipere in ſe gratiam: Dices, & bene pro illo priori, quo præcedit eſſe naturale Virginis infuſionem gratiæ, non intelligi B. Virginem cum gratia, nec etiam cum peccato, ſed cum indifferentia, quantum eſt ex ſe, ad vtrumque, ſicut cum quis concipitur cum culpa originali, certe eſſe naturale illius præintelligitur, ad eſſe morale talis culpæ tanquam ſubiectum illius: pro illo tamen priori, nec intelligitur cum culpa, neque cum gratia: Sed contra, tum quia pro illo priori, quo præcedit eſſe naturale Virginis ipſam gratiam; intelligitur eius anima vnita carni infectæ, ergo manet anima infecta: patet conſequentia, quia repugnat, nigredinem vnitam eſſe ſubiecto, & non inde reſultare nigrum, ergo repugnat, animam Virginis vnitam eſſe carni denigratæ, & infectæ, & non reſultare ſubiectum denigratum, & infectum, tum quia cum Adam fuerit caput Virginis non ſolum naturale, ſed morale, certe B. Virgo ex vi ſuæ Conceptionis concepta eſt cum priuatione iuſtitiæ originalis, alias illi debitæ, ſi Adam non peccaſſet; ergo fuit concepta in peccato originali: probo conſequentiam, quia cum peccatum originale, & iuſtitia originalis priuatiue opponantur, atque adeo immediate, reſpectu poſterorum Adæ, nihil aliud erit peccatum originale, quam priuatio iuſtitiæ originalis, vel effectiuum illius. Et vrgeo magis vim huius rationis in hunc modum: B. Virgo contraxit debitum incurrendi peccatum originale; ergo & ipſum peccatum: probo conſequentiam, quia non poteſt intelligi Virgo cum debito incurrendi peccatum, quin intelligatur prius in rerum natura: nam quod ſic non eſt, nihil debere poteſt, nec etiam intelligi poteſt, quod ſit in rerum natura cum gratia, & ſimul habeat debitum incurrendi peccatum originale, qui enim eſt in gratia; eo ipſo eſt liber à tali debito; ergo pro illo ſigno, quo intelligitur B. Virgo in rerum natura, & cum debito incurrendi peccatum; & vt filia Adæ neceſſario contrahit ipſum peccatum, & efficitur filia Iræ; cum poſt lapſum Adæ non ſit dare medium inter peccatum, & gratiam; ſicut nec reſpectu Diaphani inter lucem, & tenebras. vrgeo magis vim huius rationis: nam beata Virgo habuit debitum contrahendi peccatum originale, vtpote propagata ex Adamo per naturalem generationem in quo, tanquam in capite morali præfuit: ergo contraxit peccatum: probo conſequentiam, quia per voluntatem primi Parentis fuit illi voluntarium illud debitum, ſed qui amat periculum, peribit in illo; ergo non potuit habere debitum illud, quod

eſt pro-

D. Aug. lib. de peccato originali.

est proximum periculum incidendi in originale, absque eo, quod actu peccaret.

Responsio primi Argumenti. §.8.

XXIX. PLACET responsio data inter arguendum; ad replicam autem respondeo, ad primam eius probationem, quod conceptio ex semine infecto, aut contractus animæ cum carne infecta, non est causa formalis peccati originalis, sicut nigredo est causa igni: sed est conditio necessaria per modum cuiusdam applicationis, qua posita, statim deriuatur peccatum originale, nisi impediatur per gratiam, quæ efficacior est illo; & ideo recte stat, animam B. Virginis habuisse contactum cum carne infecta, & tamen non incurrisse peccatum originale, quia eius anima per gratiam impedita fuit illud contrahere. Ad secundam probationem eiusdem replicæ respondeo, quod peccatum originale non est priuatio Iustitiæ originalis materialiter sumptæ, prout erat quidam habitus, sed formaliter, prout causabat rectitudinem rationis, & subiectionem in ordine ad Deum; hæc autem rectitudo etiam tribuitur per gratiam: vnde licet B. Virgo, quantum est ex vi suæ propagationis, fuerit concepta obnoxia priuationi prædictæ rectitudinis, de facto vero non fuit concepta cum tali priuatione, sed cum gratia, quæ illam impediuit. Ad confirmationem vero illius respondeo, quod de contractione debiti, & peccati originalis possumus loqui, vel quoad sufficientiam, vel quoad efficaciam: ad quod magis intelligendum iuuant verba D. PAVLI: 1. Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur*: sicut ergo non omnes viuificati sunt quoad efficaciam, vt patet de infidelibus, sed solum quoad sufficientiam, ita etiam verificatur, quod in Adam omnes mortui sunt, & quod omnes debitum peccati originalis contraxerunt quoad sufficientiam, quoad efficaciam vero omnes, qui gratia Christi non præueniuntur; Beata autem Virgo quia præuenta fuit, contraxit debitum illud quoad sufficientiam, quia peccatum Adam, vt peccatum capitis sufficiens erat, vt in eam, tanquam in membrum refunderetur, quoad efficaciam vero nullum reipsa contraxit in se, ex diuinæ gratiæ munere illam præseruantis; posset etiam aliter dici; quod debitum contrahendi peccatum originale pœna est, non culpa; alioquin prius natura, quam quis haberet peccatum originale, præhaberet aliud genus culpæ: cum debitum contrahendi culpam originalem præintelligatur ad actualem contractionem illius; videlicet concedatur, quod illud debitum fuerit voluntarium voluntate Adæ, nihil colligit Argumentum; quia cum debitum illud non sit peccatum, sed pœna, certe voluisse illud, erit voluisse pœnam debitam peccato, quæ volitio conformis est voluntati diuinæ: Illa autem Eccles. 3. verba, *qui amat periculum peribit in illo*; certum est, loqui de Adultis, qui actu proprio personali amant periculum; Beata autem Virgo nullo modo voluit actu proprio, & personali debitum contrahendi originale, sed solum actu primi parentis, ex quo solum resultauit in Virgine debitum illud, quoad sufficientiam, non quoad efficaciam.

Proponitur secundum Argumentum. §.9.

XXX. SECVNDO, quia si beata Virgo non contraxit peccatum originale, ergo non fuit redempta per sanguinem Christi. Probo consequentiam, quia redemptio ex natura rei præsupponit captiuitatẽ; at si peccato caruit, nunquam fuit captiua, ergo nec redempta. Dices cum communi Doctorum contraria sententia, duplicem esse modum redemptionis, quorum primus supponit captiuitatem: secundus, & perfectior supponit tantum debitũ incurrendi captiuitatem, beata ergo Virgo ex vi peccati primi Parentis supposito pacto Dei, licet actu nõ fuerit sub peccati originalis captiuitate, habuit tamen debitum incurrendi illam, & quia de præseruata fuit ex meritis Christi, ne incideret in talem captiuitatẽ, ideo absolute, & simpliciter fuit redempta per Christum. Sed contra; tum quia B. Virgo fuit vere, & cum proprietate redempta per Christum; ad veram autem, & propriã redemptionem non satis est debitum, aut proximum periculũ incurrendi captiuitatem: sed quod actu præcesserit talis captiuitas, sicut ad hoc, vt quis dicatur sanari ab aliquo vulnere, non sufficit habuisse periculum suscipiendi vulnus, sed quod in re illud susceperit, & vt quis dicatur proprie resuscitari, non sufficit fuisse in graui periculo mortis, sed quod re ipsa mortuus fuerit: ergo vt quis dicatur vere redemptus, requiritur, vt prius actu fuerit captiuus; vnde D. AVGVSTINVS dixit: *Nemo redemptus dici potest, nisi qui vere per peccatum antea fuerit captiuus.* D. August. epist. 157. Dices ad hoc, beatam Virginem fuisse mortuam non in se, sed in Adamo, & quia illa mors fuit quædam captiuitas, sufficienter saluari ex parte Virginis captiuitatem prærequisitam ad redemptionem: sed contra: ergo beata Virgo non fuit proprie redempta in se, sed in Adamo: probo consequentiam, quia eo modo indiget quis redemptione, quo captiuus est, sed B. Virgo non fuit per se mortua in se, sed in Adamo; ergo nec fuit in se captiua, sed in Adamo; ergo non indiguit redemptione in se, sed in Adamo, quod est hæreticum.

Responsio secundi argumenti. §.10.

XXXI. AD secundum bene respondetur ibi, excepta vltima responsione, quæ recte ibi videtur impugnari: adhuc tamen quidam Doctores, quod cum beata Virgo fuerit debitrix incurrendi peccatum originale, genus hoc debiti constituebat illam captiuam non solum in Adamo, sed in seipsa, quia debitum illud erat quædam obligatio moralis pro-

pria ipsius Virginis; omnis autem obligatio est quoddam genus captiuitatis, & ideo indiguit redemptione non solum in Adamo, sed in seipsa, exempla autem in argumento adducta de curatione, & suscitatione (de quibus latius infra) non opus est verificari de Virgine, quia illis solum vtitur Sacra Scriptura ad exemplificandos varios effectus, quos Diuina gratia causat in peccatoribus, quos manifestum est, non causari in omni indiuiduo. Verum si quispiam velit defendere, B. Virginem non contraxisse in seipsa debitum incurrendi peccatum originale, sed solum in Adamo, & quod excepta fuit in pacto Dei cum illo, de quo infra cap. vltimo, tunc magis vrget prędicta replica; sed quomodo illa dilui possit, dicemus Homilia vltim, vbi ex professo pertractabimus, an beatissima Virgo contraxerit in seipsa debitum incurrendi peccatum originale.

Proponitur tertium Argumentum. §. 11.

XXXII. Tertio, quia si B. Virgo caruisset peccato originali, non potuisset baptizari; at de facto fuit baptizata, teste Euthymio super Ioan. vbi ait: Christum baptizasse matrem suam, & Petrum Apostolum: ergo contraxit peccatum originale; minor cum consequentia patent, & maior probatur, quia ita peccatum originale est materia necessaria Baptismi, sicut actuale confessionis; atque ita per se primo ordinatur baptismus ad expellendũ peccatũ originale, ac confessio ad expiandum actuale, sed Beata Virgo, quia caruit peccato actuali, non potuit recipere sacramentum Confessionis, ergo si caruit originali, non potuit recipere sacramentum Baptismi, vel si illud recepit, conuincitur contraxisse originale, sicut si recepisset sacramentũ Confessionis, conuinceretur, commisisse actuale.

Euthym. sup. Ioan. cap. 3.

Solutio tertii Argumenti. §. 12.

XXXIII. Ad tertium respondeo, esse disparem rationem de Baptismo, & de confessione, quia sacramentum confessionis ordinatur ad solam expiationẽ peccati actualis, & sic quia beata Virgo nunquam actu peccauit, non potuit recipere illud, tamen sacramentum Baptismi adæquate non ordinatur ad solam deletionem originalis, sed etiam adimprimendum characterem, quæ est potentia receptiua aliorum sacramentorum, & ad constituendum baptizatum tanquam membrum Reipublicæ Christianæ, & vt illi pateat aditus ad alia sacramenta suscipienda; & ideo ianua sacramentorum à Theologis vocari consueuit; ac tandem vt baptizati consignentur per characterem, tanquam oues Christiani Gregis, & quia Beata Virgo erat capax istorum effectuum, ideo potuit recipere sacramentum Baptismi, & obligata fuit ex diuino præcepto ad illud recipiendum, licet alias nunquam contraxisset originale, & expressam huius habuisset reuelationem.

Proponitur quartum Argumentum. §. 13.

XXXIV. Quarto, quia secundum communiorem Patrum doctrinam asserentem Christum Dominum non venturum, nisi Adam peccasset, quam ita veram iudicauit Diuus Bernardus, vt diceret: *Quid lex, quid Prophetæ, quid Apostoli, quid apostolici viri aliud nobis euangelizant, quam Deum factum esse hominem, vt hominem liberaret? & si Angelus de Cœlo aliud nobis euangelizauerit, anathema sit.* hæc ille. In hac ergo sententia, prius Deus vidit peccatum Adæ, & totam eius posteritatem in illo contentam, quam prædestinasset, futurum Christum Dominum; tunc sic, vel pro illo priori vidit Beatã Virginẽ in Massa generis humani infectã, vel non infectã, si infectã, ergo contraxit infectionem peccati originalis; si non infectam, ergo fuit exempta ab infectione illius massæ, & non per merita Christi, cum nondum tunc prædestinatus esset, nec celebratum Decretum de eius Aduentu in mundum.

D. Bern. epist. 190. ad Innoc.

Solutio quarti Argumenti.

XXXV. Ad quartum, admissa illa opinione, quod si Adam non peccasset, Christus Dominus non veniret, respondent quidam recentiores, quod Deus per altitudinem suæ (quam mediam scientiam vocauit Molina in sua concordia) præcognoscebat Christum futurum esse in mundo, & sic vidit Beatam Virginem carere macula peccati originalis, ex meritis Christi illo modo præcogniti: vnde quamuis demus, prius ordine rationis præuisam fuisse beatam Virginem, vt carentem macula peccati originalis, quam intelligatur Decretum de futuritione Christi, non tamen, antequam esset cognitio per scientiam mediam futuritionis Christi, & meritorum illius; ex quo fit, quod semper fuerit visa Beata Virgo præseruata ab originali peccato per sanguinem Christi. sed secundo & melius alii sic respondent, dicentes, suppositionem illam esse falsam, scilicet quod Adam non peccante, Christus Dominus non veniret: non enim ex peccato dependebat eius Aduentus simpliciter, sed in ratione Medici, & Redemptoris, & in carne passibili, de quo libro selectarum disputationũ totius Theologiæ longa nobis restat disputatio, sed contra, quia quicquid sit de illa sententia, certe tam Thomistæ, quam Scotistæ omnes sine vlla controuersia conueniunt in hoc, quod Christus vt Redemptor per Passionem, & vt medicus non veniret, nisi peccaret Adam; igitur fuit prius præuisum peccatum Adæ, & posterorum illius, quam Decretum de Aduentu Christi, sub illa ratione: tunc ergo valde

vrget

vrget vis rationis factæ: nam vel Deus vidit in illa præuisione peccati Adæ, & suorum posterorum beatam Virginem cum peccato originali: & sic habemus inten[t]um, vel non incurrentem in illud, & hoc dici non potest, cum id debeat habere per Redemptionem Christi in carne passibili, mediante eius morte; pro illo autem priori, adhuc non est decretum de Christo venturo vt Redemptore, & medico, ergo, &c.

XXXVI. Ad hoc Argumentum dupliciter respondeci posse existimo; primo dicendo, quod sicut in rebus naturalibus stat aliqua duo se mutuo excedere in diuerso genere causæ, & neutrum esse alio prius simpliciter, sed secundum quid, ita præuisio carentiæ peccati originalis in Virgine & prædestinatio Christi, seu Decretum de Aduentu illius in carne passibili mutuo se excedunt in diuerso genere causæ: nam prædicta visio est prior illo Decreto in genere causæ materialis; prædestinatio vero est prior illa quasi in genere causæ formalis: Et si obiicias, in illo priori, quo præuidetur peccatum ante Decretum de Aduentu Christi in carne passibili, quod Virgo videatur sine contractione peccati originalis est effectus Passionis Christi, & redemptionis illius: ergo nec pro illo priori potuit videri sine peccato, absque eo, quod simpliciter, & absolute præcesserit prædestinatio, seu Decretum de Aduentu Christi in ratione medici, & Redemptoris per Passionem suam. Respondeo, aliud esse, quod pro illo priori, quo in Virgine præcedit visio carentiæ peccati originalis, non sit prædictum Decretum de Christo, vt medico, & Redemptore, aliud vero, ꝙ pro illo priori non intelligatur tale Decretum, primum est falsum, secundum tamen verum.

XXXVII. Secundo respondeo, instantia rationis in hunc modū coordinanda esse, vt prius Deus videat Adam peccantē, deinde in secundo instanti ex peccato illius, tanquam ex causa, omnes futuros eius posteros, contrahere debitum incurrendi peccatum originale: in 3. instanti, vel etiam in eodem secundo fuit decretū de Aduentu Christi in carne passibili, in remediū peccati generis humani, quia licet pro illo priori nondū videret omnes eius posteros in se maculatos, videbat tamen iam causam efficacem, & ineuitabilem positā in re, nempe peccatum Adæ: vnde infallibiliter futurum erat illos esse maculandos, & sic immediate post hoc prouidit de remedio tanti mali per decretum Aduentus Christi in carne passibili vnde cum obiicitur: prius fuit præuisio peccati Adæ, quam Decretum de Aduentu Christi, ergo tunc in illo priori visa est virgo cum peccato, sicut reliqui posteri; vel sine illo, atq; adeo sine redemptione Christi: dicendum est, quod cum peccatum Adæ fuerit origo, & causa omnium peccatorum originalium, prius Deus vidit peccatum Adæ, quam reliquorum; & sic pro illo priori non vidit posteros in peccato, nec sine illo per præseruationē, sed cum capacitate ad vtrumque, & sic etiam visa est virgo pro illo priori; in 3. tandem, seu 4. signo vidit Deus posteros Adæ incurrere peccatum originale, beatam vero Virginem præseruari ex meritis Christi iam præuisis, &c.

Quintum Argumentum desumptum ex variis Titulis, & muneribus Christi Domini, vt Redemptoris, Mediatoris, Iustificatoris, Saluatoris, Medici, & Reconciliatoris. §. 14.

XXXVIII. Inter munera Christi Domini potissimum locum sibi vendicat officiū Salvatoris, & Redemptoris, de quo genere Argumenti, quāuis supra egerim, iterum redit sermo, quia est potissimum fundamentum oppositæ sententiæ, & oportet illud multis modis euertere: inprimis ergo diuina eloquia Christum Dominū compellant Salvatorem, ipsaq; beata Virgo confitetur illū saluatorem suum, dum ait: *exultauit spiritus meus in Deo* *Lucæ 1.* *salutari meo.* vnde Avgvst. sermone de Assumptione ait: *genuit suum, & omnium saluatorem*; at omnis, qui saluatur per Christum, præsupponitur habere aliquod peccatum, ergo etiā B. Virgo illud habuit, & cum illud non fuerit actuale, manifeste sequitur fuisse originale: maior cum consequentia est nota, minorē probo tum ex illo Marci: *vocabis nomen eius* *Marc. 1.* *Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*: Constat autem, quod in populo Dei includitur beata Virgo, tū ex D. Avgvst. qui pertractans prædicta verba lib. de natura, & gratia, ait: quomodo ergo saluum faciet, vbi nulla est ægritudo? hæc ille. Nec sufficit respondere saluam illā fecisse, præseruando eam à peccato: nam, vt constat ex diuo Matthæo: *Christus Dominus venit saluum facere,* *Matt. c. 16.* *quod perierat*: ergo supponit, nullum ab eo saluari, qui prius actu non periisset.

XXXIX. Vocatvr item Christus Dominus Redemptor, iuxta illud Iob: *scio, quod Redemptor meus* *Iob. 19.* *viuit*, ex quo sic argumentor: nullus potest esse proprie redemptor, nisi respectu eius, qui captiuus fuit, ergo cum Dominus fuerit vere Redemptor virginis, dicendum est virginem fuisse prius captiuam, non captiuitate peccati actualis, ergo originalis: vtraq; consequentia est euidens: antecedens autē probo: tum quia Christi redemptio fuit per modum satisfactionis, ergo præsupponit in redemptis peccata, pro quib. satisfaceret, cum sola peccata, & pœna eis debita sint materia satisfactionis: tum quia redemptio Christi fuit per modum cuiusdam solutionis, per quam recuperauit rem antea venditam: fuerat enim venditum genus humanum per primum Parentem iuxta illud Pavli: *venundatus sum sub* *D. Paul. ad* *peccato*: vbi Glossa ait: *in primo parente*, & Avgv- *Rom. 7.* stinvs ibidem: *vendere non potuit, sed redimere non valuit*: Ergo vere Beata Virgo fuit vendita, atque adeo sub seruitute peccati: tum quia huiusmodi redemptio fuit per modum emptionis, iuxta illud Pauli, *empti enim estis precio magno*: quod autē emi- *D. Paul. ad* tur, præsupponitur alienatum esse ab emptore, cum *Cor. ep. 1.* nemo emat, quod suum, sed quod alienum est. *cap. 6.* Igitur si beata Virgo fuit empta per Christum,

prius

prius fuit alienata ab illo per peccatum originale ac tandem, quia id aperte videtur definitum à ZOSIMO Papa, vt constat ex epist. D. AVG. ad Optatum, vbi sic ait: *vt verbis vtar, quæ in ipsa epistola Antistitis beatissimi Zosimi leguntur, nullus, nisi qui peccati seruus est, liber efficitur, nec redemptus dici potest, nisi qui vere per peccatum antea fuerat captiuus* & infra addit D. AVGVSTIN. *In his verbis apostolicæ sedis tam antiqua, atque fundata, certa, atque clara est catholica fides, vt nephas sit de illa dubitare Christiano.* hæc ille.

XL. ITEM Christus Domin⁹ fuit IVSTIFICATOR Virginis, & reliquorũ omniũ, qui Deo grati extiterunt, iuxta illud ad Rom. *Iustificati gratis per gratiã ipsius, & per redemptionẽ, quæ est in Christo Iesu;* sed iustificatio est transit⁹ de morte peccati ad vitã gratię, iuxta illud IOAN. *translati sumus de morte ad vitam:* ergo si B. Virgo fuit iustificata per Christum, vere fuit translata de morte peccati ad vitam gratiæ: vnde D. AVG. ait: *tunc iustificari dicimur in Christi sanguine, cum per remissionem peccatorum eruimur à potestate Diaboli.* & lib. de spiritu & anima: *quid* (inquit) *aliud est iustificari, quam iustum fieri ab illo, qui iustificat impium, vt ex impio fiat iustus.*

Rom.3. — *1.Ioan.3.* — *D. Aug. li. 13 de Trin. c.14.*

XLI. FVIT item Christus Domin⁹ SANCTIFICATOR, & EMVNDATOR beatæ Virginis per sanguinem suum, iuxta illud MALACH. *ipse quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & sedebit conflans, & emundans argentũ, & purgabit filios Leui.* Et APOCALYPS. 1. *Dilexit nos, & lauit nos in sanguine suo.* & diuus PAVLVS: *hoc quidem fuistis aliquando, sed abluti estis, sed sanctificati estis:* ergo p̃supposita fuit in beata Virgine macula peccati, à qua ablueretur, & mundaretur, nec hic est locus fugæ, vt dicatur lota per præseruationem, nam qui semper lotus est, quantumcunque fuerit in periculo, aut debito, aut in potestate, & aptitudine ad contrahendam immunditiam, si tamen actu non sit immundus, nunquam indigebit lotione in actu: vnde Diuo PETRO offerenti ad lauandum, nedum pedes, sed manus, & caput, dixit CHRISTVS DOMINVS; *qui lotus est, non eget, nisi vt pedes lauet,* vbi aperte ostendit, quod vbi actu non est immunditia, non opus est actuali lotione.

Malach. 3. — *D. Paulus 1. Cor. 6.* — *Ioan. 13.*

XLII. ITEM ex munere SACERDOTIS; quia omnis homo, pro quo Christus Dominus oblationem obtulit, habuit aliquando peccatum, sed pro beata Virgine obtulit Christus Dominus oblationem eandem, quam pro nobis, iuxta illud PAVLI: *tradidit seipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis.* & specialiter de beata Virgine B. EVSEBIVS sermone de natiuitate Dominica, qui incipit: *bene nostis.* & Hugo de S. VICTORE super illud Lucæ: *exultauit spiritus meus in Deo salutari meo,* ait: *de saluatione quoque, quam humano generi factam nunc video, totis præcordiis exulto; video namque de meo assumi, quod & credo pro me debere offerri;* ergo dicendum est, beatam Virginem contraxisse aliquod peccatum non actuale, ergo originale; minor, & consequentia sunt notissimæ; maior vero probatur ex CONCILIO EPHESINO. vbi dicitur: *obtulit proprium corpus, non pro se, sed pro nobis omnibus: nam qua pro se oblatione, vel sacrificio indigeret ab omni peccato liber, vt Deus, existens?* & infra: *qua ergo eguerat oblatione, nullo suo existente facinore?* & HVGO de S. VICTORE: *proculdubio* (inquit) *oblatione non eguit, quæ pro ea offerretur, quæ non pro natura, sed pro culpa offertur: quia si culpa non esset, oblatione opus non haberet.* hæc ille. ex quibus omnibus aperte constat, veram esse maiorem illam assumptam, quod omnis homo, pro quo Christus Dominus sacrificium obtulit, haberet aliquod peccatum.

D. Paul. ad Ephes. 5. — *Luc. 1.*

XLIII. ITEM Christus Dominus fuit vere MEDIATOR noster, iuxta illud Apostoli: *vnus est mediator Dei & hominum.* Si beata Virgo nullum contraxisset peccatum, non potuisset esse verus mediator illius, quia medium non est, nisi inter extrema, quæ distant ab inuicẽ, vt docet Philosophus. Mediatoris enim officium est diuisa coniungere, & inter pugnantia pacem mittere; vbi enim nulla est offensa, nec diuisio, ibi nulla mediatoris interpositione opus est, vt plene docet D. AVGVSTINVS multis in locis; præcipue tamen in Enchiridio, cap. 23. *Cum factus est Adam homo rectus, mediatoris opus non erat;* & glossa, quæ est eiusdem AVGVSTINI ad Galat: *medius non est, nisi inter duos, & quia recesseramus à Maiestate Dei, & peccato offenderamus, missus est Dei filius mediator Dei & hominum, qui solueret sanguine suo peccata nostra, & interpositus redderet nos, & reconciliaret ei, à quo auersi peccatis, & delictis tenebamur.* Præterea beata Virgo fuit vere per Christum reconciliata Deo Patri, dicẽte D. PAVLO: *erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi;* in mundo autem manifeste includitur beata Virgo, tanquam pars illius; at reconciliatio præsupponit offensam, & inimicitiam, vt expresse dicit idem D. PAVLVS ad Romanos: *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius.*

1. Thess. 2. — *Arist. 5. Metaph.* — *2. Corinth. 5.* — *Rom. 5.*

XLIV. ITEM Christus fuit MEDICVS respectu totius generis humani, iuxta illud AVGVSTINI: *venit de cœlo magnus medicus, quia magnus per totum mundum iacebat ægrotus; ipse ægrotus, genus humanum est, quod totum perierat.* hæc ille. ergo etiã fuit medicus respectu beatæ Virginis dices, fuisse medicum illius, sed non sanãtem, sed præseruantem; sed contra est, tum illud CHRISTI DOMINI, *non est opus sanis medicus, sed male habentibus;* tum quia ISAIAS in persona omnium dicit: *eius liuore sanati sumus;* tum quia si semel admittatur prædicta solutio, infirmantur omnia argumenta D. Augustini contra hæreticos, negantes in paruulis peccatum originale: nam respondere facile potuerunt, indigere paruulos Christo vt medico, non ad sanandum, sed ad præseruandum à macula peccati originalis; vnde hanc solutionem ipse D. AVG. acriter impugnat, dicens: quod infans habet necessarium medicum, si non ægrotat, & postea subdit: *qui negat ægritudinem suam, superfluum iudicat saluatorem.*

Matth. 9. — *Isa. 3.*

Soluti-

Solutio quinti Argumenti.

XLV. Inprimis ad illud de Salvatore & Redemptore sufficienter responsum esse arbitror ex dictis super homil. 16 vbi late ostendimus, ad veram redemptionem non esse necessariū, prius actu extitisse in captiuitate, & infra in idem argumentum nonnulla dicemus, deinde dico, ꝙ gratia saluationis, & redemptionis non solum liberat à peccatis, sed etiam præseruat: vt n. patet ex Concil. Milevitano, & habetur de consec. dist. 5. c. *placuit Quicunque dixerit, gratiam Dei, quā iustificamur per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionē peccatorum valere, qua iam commissa sunt, non etiam in adiutorium, vt non committantur, anathema sit.* sicut ergo Deus dat iustis gratiam præseruantem ab aliis peccatis actualibus, sic dedit Matri suæ gratiam præseruantem etiam ab originali.

XLVI. Ad illud vero de Satisfactione respondeo, satisfactionē esse pro debito B. autē Virgo debitum habuit in se, vel in Adam contrahendi peccatum originale & Christus Dominus obtulit satisfactionem pro hoc debito; liberans illā de solutione illius; & cum vlterius obiicitur, ꝙ redemptio Christi fuit per modum emptionis, & quod emitur, præsupponi debet alienatū, quia nemo emit, quod suum est; respondeo, quod B. Virginem esse alienatam à Deo, potest sumi dupliciter. vno modo positiue per peccatum ei inhærens, & sic nunquam fuit alienata; alio modo negatiue, quatenus pro aliquo priori poterat intelligi non pertinere ad Deum iure gratiæ, scil. pro illo priori, quo esse naturæ processit in illa ad esse gratiæ; concedo item, oēs fuisse venditos in Adam, sed inde non efficitur, B. Virginem fuisse venditam in seipsa, sed in Adam solum, & hæc duo sufficiunt vt in toto rigore dicatur empta per sanguinem Christi, neq; aliquod aliud genus alienationis requiritur ad prædictam emptionem: ad locum autem Zosimi qui valde vrgere videbatur, responderunt Patres Concilii Basiliensis (vt refert Card. Turrecremata de conceptione, par. 8. c. 7.) quod ibi loquitur Pontifex de lege ordinaria, & de cōmuni modo redemptionis, quod ex eo aperte probant, ꝙ in eadem Apostolica definitione dicit idem Pontifex, quod nullus est omnino natorum, qui antequam per baptismū liberetur, peccato originali non teneatur obnoxius, quæ verba necessario debent intelligi de lege communi & ordinaria, cum de fide sit, sanctificatos in vtero, vt beatam Virginem, & Ioannem Baptistam ante baptismum caruisse peccato originali.

XLVII. Item ad illud de Ivstificatione respondeo, ad rationē essentialē iustificationis solum requiri, ꝙ de non iusto fiat iustus, itaq; nō opus est ad rationē iustificationis, vt terminus à quo illius sit positiua iniustitia subiecti, à quo recedat, sed sufficit negatiua; B. autem Virgo de non iusta negatiue pro priori naturæ, quo esse naturale illius præcessit infusionem gratiæ, facta est iusta per infusionem illius; quod autem de facto, quotquot iustificantur recedant ab iniustitia, est mere per accidens ad rationem iustificationis sicut per accidens est ad id, quod dealbatur, quod prius fuerit nigrū; nam motus dealbationis non exigebat nigredinem pro termino à quo, sed solam negationem albedinis in subiecto dealbando.

XLVIII. Ad illud de Emvndatione, & Ablvtione, respondeo ex illis locis D. Ioannis, & D. Pavli solum colligi, quotquot mundantur, & abluuntur, mundari, & ablui per sanguinem Christi; cum hoc tamen stat, ꝙ ex meritis Christi, & ex vi sanguinis ab eo profusi præseruata fuerit beata Virgo à contractione maculæ originalis, & sic non indiguerit emundatione & lotione, sicut neque indiguit confessione, & absolutione sacramentali.

XLIX. Item ad illud de Sacerdote respondeo, Christum Dominū obtulisse Deo Patri seipsum in sacrificium pro B. Virgine, & pro nobis; sed diuersa intentione, quia in ordine ad nos intendebat remissionē peccatorū; in ordine vero ad B. Virginem præseruationem ab omni peccato, & ingentem gratiarum, & cœlestium donorum copiam.

L. Item ad illud de Mediatore respondeo, ꝙ ad rationem formalem Mediatoris non requiritur esse inter extrema diuisa positiua per actualem inimiciam, aut discordiam, sed sufficit esse inter extrema non coniuncta, tunc enim mediatio iuuat ad actualem coniunctionem, vt experientia patet, sæpe aliquem esse mediatorem, non solum inter inimicos positiue reconciliando illos, sed inter non amicos, vt incipiant inire amicitiam: primo ergo modo Christus Dominus fuit Mediator inter Deum, & nos peccatores; secundo vero modo inter Deum & Virginem, ad illud vero de reconciliatione eadē distinctione proportionaliter respondendum est: ad locum autem Diui Pauli possumus respondere, appellatione *mundi* nequaquā comprehendi beatam Virginem; quia ibi vox *mundus*, significat gratia Dei vacuos, ad eum modum, quo Ioannis 7. Christus Dominus dixit: *Mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo*; quod ergo dixit Christus de discipulis, scilicet quod non erant de hoc mundo, idipsum dico ego de beata Virgine, atque adeo non comprehendi ibi appellatione mundi, quia est supra mundum, vt recte adnotauit Catherinvs super epistolam ad Rom. cap. 5.

LI. Item ad illud de munere Medici, respondeo sufficienter exercuisse Christum Dominū hoc munus, respectu Virginis præseruando illam ab infirmitate peccati; quia excellentior modus medicandi est præseruare à morbo, quam ab illo sanare; & cum Christus Dominus dixit, sanos non indigere medico, locutus est de sanis formaliter, quatenus sani sunt; quatenus vero expositi sunt periculo infirmitatis, vere indigent illo; Beata autem Virgo, nisi specialiter præseruaretur, exposita esset periculo incidendi in varia peccata; quia secundum legem ordinariam, *in multis offendimus omnes*: & ideo Matth 9.

indiguit Christo Domino, vt medico præseruante: ad replicam autem huius solutionis respondeo, cum dicit ISAIAS: omnes nos sanatos fuisse liuore Christi, si rigorose sumatur, particulam, *sanatos*, ad illos tantum referri, qui infirmitatem habuerunt, non vero ad Virginem, quæ nunquam peccati alicuius morbo laborauit: nec hanc exceptionem Virginis oportet extendere ad alios; nam pro aliis non sunt fundamenta & rationes, quæ pro Virgine, ex quo aperte constat, præcludi viam hæreticis ad id affirmandum de aliis; ac tandem ad pleraque istorum responderi potest, non opus esse omnia epitheta, & omnia munera, quæ Christus Dominus habuit à Patre, illa exercuisse cum B. Virgine: certum enim est, Christum Dominũ esse remissorem peccatorum actualium, & venisse ad ea remittenda; & tamen constat, hoc munus non exercuisse respectu Virginis, in cuius mente dolus vnquam inuentus non fuit.

Isa. 53.

Sextum Argumentum. §. 15.

LII. HIS, quæ sequuntur, obiectionibus, exhaurire me radicitus arbitrabor omnia, quæ ad impugnandam immaculatam Deiparæ Virginis conceptionem excogitari poterunt; vt sic aduersariorum obiectionibus plene satisfacientes altius piam, ac sinceram hanc veritatem fidelium animis inseramus.

Prima obiectio.

LIII. OBIICIVNT ergo primo: B. Virgo ex vna parte pertulit mortem, vt testantur D. HIERONYMVS ad Eustochium, & Diuus AVGVSTINVS in sermone de Assumptione, & ex alia, talis mors non fuit ad delenda hominum peccata, sicut mors Christi, ergo vere habuit aliquod peccatum: patet consequentia; tum quia, vt docuit Apostolus ad Rom. *stipendia peccati mors*; & antea cap. 5. dixerat: *Per vnum hominem peccatum introiuit in mundum, & per peccatum mors*; tum quia si nunquam peccatum originale habuisset, immerito mortis pœnam passa fuisset, cum pœna iusta non sit, nisi propter culpam: pœna enim solum suos auctores insequi debet; vt docet IVSTINIANVS *l. sancimus.* cap. de pœnis, & cap. *illud* 11. quæstione 3. Tum denique ex diuo AVGVSTINO, qui de suscitatione Lazari ait: *flebat Christus, quod eos, qui immortales esse potuerunt, Diabolus fecerit esse mortales.* Idem etiam AVGVSTIN. aperte docet, pœnas quas paruuli patiuntur, & quas etiam beata Virgo pertulit, esse effectus peccati originalis; vnde contra Iulianum ait: *omitto commemorare, quæ mala in hac transitoria vita pene omnes patiuntur, & quomodo explicetur, quod dictum est: graue iugum super filios Adæ à die exitus eorum vsque in diem sepulturæ in matre omnium: quæ vtique mala sub iusto, & omnipotente Deo non irrogarentur eius imagini, quibus malis in virtute exerceri infantula ætas non potest, si nulla ex parentibus mala merita crearentur.* Item ibidem paulo inferius: *frustra itaque putas ideo paruulis non esse delictum, quia sine voluntate, quæ in eis nulla est, esse non potest: hoc enim recte dicitur; propter proprium cuiusque peccatum, non propter proprij peccati originalis contagium; quod si nullum esset, profecto nulli malo paruuli essent obstricti, nec mali quicquam vel in corpore, vel in anima sub tanta iusti Dei potestate paterentur.* hæc ille. Item in quarto libro ait: *Nec enim alia causa est, cur nouitatem vestram detestetur etiã multitudo Christianorum, nisi quia & Deum, & hominem conditorem, & iustissimum cogitent, & suorũ tantos cruciatus conspiciunt paruulorum, vt sub Deo creatore optimo, atq; iustissimo nullo modo imago eius in illa ætate tanta mala pateretur, si non esset originale peccatum.* Item in 6. libr. arguens contra eundem Iulianum idem dicit: *Vos autem negantes originale peccatum profecto cogimini dicere, Deum vel inualidum, vel iniustum, sub cuius potestate imago eius in paruulis sine vlla vel proprij, vel originalis pecati merito tantis afficitur malis, non enim per hoc exercetur virtus, quod recte de bonis hominibus maioribus dicitur, in quibus rationis est vsus.* hæc D. Aug.

D. Paul. ad Rom. 5. & 6.

D. August. lib. 3. contra Iulian.

Ibid.

Solutio sexti Argumenti.

LIIII. SOLVTIO propositæ obiectionis sumenda est ex doctrina D. THO. Papæ q. 97. art. 1. & ex SCOTO in 2. dist. 19. vbi docent, quod licet homo in statu innocentiæ supernaturaliter præseruetur à Deo, ne moreretur, secundum se tamen mortalis erat, & corruptibilis, vt pote ex quatuor elementis compositus: omne autem compositum ex elementis corruptibile est; vt docet Arist. ob quam etiam causam dixit AVG. l. 2. de Baptismo paruulorum, quod etiamsi Christus non fuisset occisus, mortuus tamen esset, & defecisset senio, nisi se supernaturaliter præseruasset, idem recitat SCOTVS in 3. dist. 16. q. 1. vnde si Deus formaret nouiter aliquem hominem de limo terræ, certe si illum relinqueret suæ naturæ, moreretur: cum esset corruptibilis, & deuinci posset à contrario fortiori se, & tamen constat, quod ille non contraxisset peccatũ originale; & præterea licet ratione originalis peccati sit debita mors, ab isto tamen debito sufficienter absoluitur homo, quando semel moritur; igitur Lazarus, & alii resuscitati à Christo Domino immunes erant à prædicta pœna originalis peccati; & tamen constat, ipsos pro secundo mortuos fuisse: igitur mors, & aliæ pœnæ, quas Virgo sanctissima contraxit, non sunt euidens testimonium contractionis peccati originalis; quare licet cessante causa, cesset effectus, & sic cessante peccati originalis cõtractione in Virgine, deberet cessare mors, quæ est effectus illius, tamẽ cum effectus habeat duplicem causam totalem, cessante vna causa, non cessat ipse, si alia remaneat; & sic contingit in proposito: peccatũ enim, vt corruptibilitas naturæ humanæ

Arist. l. 1. de generat.

Ioan. 11.

manæ

manæ ſunt duæ cauſæ totales mortis; & ſic quacunque illarum poſita, & non impedita, neceſſario ſequitur mors: in beata ergo Virgine mors fuit effectus propriæ corruptibilitatis naturæ, & præuaricationis primi parentis, iuxta illud HIEREMIÆ *Patres* Hier.31. *comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt*; non vero contractio alicuius peccati originalis ipſius Virginis in ſeipſa: falſum etiam eſt, omnem pœnam eſſe iniuſtam, quam non præceſſerit aliqua culpa: cum certum ſit, ſæpe Deum varias infligere pœnas iuſtis, vel ad ſui cognitionem comparandam, iuxta illud ISAIÆ: *ſola vexatio dabit intel-* Iſa.26. *lectum*; vel ad ſtimulandum ad bonum, per Michæam. *Surgite, & ite, quia non habetis hic requiem*; vel ad Mich.2. inſtructionem, & exercitium virtutis; iuxta illud Iudic *hæ ſunt gentes, quas reliquit Dominus, vt erudi-* Iudic.3. *ret Iſrael*; vel ad exemplũ patientię, vnde apud Tob. dicitur: *Hanc autem tentationẽ permiſit Deus euenire* Tob.2. *illi; vt poſteris daretur exemplum patientiæ*: vel ad reprimendam ſuperbiam & inflationem, iuxta illud Iob. *non leuabo caput meum ſuperbiendo, ſaturatus af-* Iob.10. *flictione & miſeria*; vel tandem propter maiorem Ioan.9. gloriam Dei, vt de cœco nato habetur apud Ioan. vbi interrogantibus Diſcipulis: *Rabbi, quis peccauit, hic aut parentes eius, vt cœcus naſceretur*? Reſpondit Ieſus: *neque hic peccauit, neque parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.*

Argumentum ſeptimum. §.13.

LV. OBIICIVNT, Beata Virgo fuit decimata in lumbis Abrahæ, ergo in peccato originali concepta: antecedens eſt manifeſtum: nam, vt docet D. AVGVSTINVS libro 10. ſuper Geneſim: omnes Iſraelitæ ſecundum rationem ſeminalem fuerunt in lumbis Abrahæ, ergo beata Virgo fuit in lumbis Abrahæ; ab hoc enim nemo excipitur præter Chriſtum, eo quod ipſe ſolus non deſcenderit ab Abraham per ſeminalem rationẽ, ſed ſecundum corpulentam ſubſtantiam tantum; ſed iam conſequentia, in qua eſt difficultas, probatur per eundem AVGVSTINVM; nam loquens de Chriſto ait: *non autem ille decimatus eſt, cuius caro inde non feruorem libidinis, ſed materiam medicaminis traxit; nam cum ipſa decimatio ad præfigurandã medicinam ptinuerit, illud in Abrahamo decimabatur, quod curabatur; non illud, vnde curabatur; eadem tamen non Abrahã, ſed ipſius primi, terrenique hominis ſimul habebat & vulnus præuaricationis, & medicamentũ vulneris; vulnus præuaricationis in lege menbrorum repugnante legi mentis, quæ per omnem inde propagatam carnem ſeminali ratione quaſi inſcribitur, medicamentum autem vulneris in eo, quod inde ſine opere cõcubinali in ſola materia corporali per diuinam conceptionis, formationiſque rationem de virgine aſſumptum eſt.* hæc Auguſtinus. & MAGISTER SENTENTIARVM in 3. diſt. 3. dicit: *Chriſtus non eſt decimatus, quia licet ibi fuerit ſecundum carnem, non tamen inde deſcendit ſecundum legem communem, ſicut etiam in Adam omnes peccaue-runt; ſed non Chriſtus*, ex hoc habetur, quod decimatio conuenit filiis Abrahæ ratione originalis peccati, qui per concupiſcentiam ex eo propagandi erant. hæc ille.

Solutio ſeptimi Argumenti.

LVI. VT melius intelligatur tam propoſitæ obiectionis difficultas, quam eius ſolutio, prænotare oportet, quod Apoſt. ad Heb. 7. loquens allegorice de decimis, oſtendit, ſacerdotiũ Chriſti eſſe perfectum, & ſacerdotium Leuiticũ eſſe indignius ipſo, & imperfectũ reſpectu ipſius; Abraham enim dedit decimas Melchiſedech; qui fuit figura Chriſti, Pſal.109. ſecundum illud PSALMI: *Tu es Sacerdos in æternũ, ſecundum ordinem Melchiſedech*; & inde eſt, quod decimatio non tantum erat moralis; ſed etiam figuralis. Erat enim actus moralis, ſecundum quod quædam pars terræ naſcentium, & aliorum in vſum Miniſtrorum Dei, & pauperum conferebatur, vt eſſet cibus in domo Domini, vt habetur MALACH. 3. Actus autem figuralis erat, ſecundum quod ſignificabat imperfectionẽ in eo, q decimas dabat, qui perfectionem ab alio expectabat, eſt enim numerus denarius numerus perfectus, & nouenarius imperfect⁹, ſecũdum quod deficit à denario, & ideo qui decimas dat, confitetur ſe imperfectum, & perfectionem ab alio expectare: vnde quod Abraham decimas dederit, figurabat totum genus humanum, cuius typus erat, Abraham habere imperfectionem peccati originalis; & ideo imperfectum numerum nouenarii ſibi retinebat: figurabat inſuper, quod Chriſtus omnino perfectus eſſet, nihil imperfectionis habens admixtum; ſicut decima vnitas nihil eſt nouenarii; ſed addita eſt perfectio ipſius, quia conſtituit numerum perfectum, & ideo data eſt Melchiſedech in figura Chriſti, vt ab eo perfectionem, & ſanctitatem aliorum omnino dependere demonſtraret. Ad obiectionem ergo factam reſpõdeo dupliciter: Primo, quod Virginem fuiſſe decimatam in lumbis Abrahæ, non arguit fuiſſe in illa actualem contractionem peccati originalis, ſed ex ſe imperfectionem peccati habituram, niſi gratia diuina præueniretur, perfectionẽque ſuam ab alio eſſe expectãdam, nempe à Chriſto. Secundo reſpõdeo, quod quemadmodum ſi ex mala diſpoſitione cõplexionis cõſueuit quis certo anni tempore infirmari & cum eſſet ad hoc non minus, quam alias diſpoſitus, occurrit ei Medicus, cuius auxilio præſeruatur, ne prædicta infirmitas illi adueniat, vere diceretur ex huius præſeruatione curatus; ſic B. Virgo dici poſt vere decimata in lumbis Abrahæ, quia quantum eſt ex ſe, incurreret infirmitatem peccati originalis, niſi medicina gratiæ præſeruante à Deo foueretur.

Argumentum octauum. §.17.

LVII. OCTAVO obiiciunt, quia ſi B. Virgo non contraxiſſet peccatum originale, ſequeretur, quod

si moreretur ante passionem Christi, prout contingere potuit, intraret regnum cœlorum; consequens est falsum, ergo & antecedens; sequela probatur, quia totalis causa clausuræ ianuæ regni cœlestis fuit peccatū originale; vt patet, tum ex GLOSSA in cap. *per Baptismum.* distin. 4. tum ex GLOSSA alia, quæ ORIGENI adscribitur super illud ad ROMAN. 3. *Propter remissionem præcedentium delictorum,* vbi sic loquitur: *Illi iusti, qui præcesserunt Christi aduentum, in inferno tenebantur, vsque ad Christi passionem, vbi nec pœnis opprimebantur, nec tamen Deum videbant, quod erat eis pœna: hoc autem erat eis pro peccato primi hominis, siue pro peccato originali, propter quod occlusus erat aditus regni cœlorum, qui per Christi passionem fuit reseratus:* vnde ZACHARIAS: *Tu quoque in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua;* falsitas vero consequentis probatur, tum ex consensu omnium Theologorum in 3. dist. 18. tum ex D. PAVLO ad Hebræos: *Habemus fiduciam introitu sanctorum in sanguine Christi.* vnde INNOCENTIVS III & habetur cap. *Maioris, de Baptismo,* dixit: *Regnum cœlorum vsque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum, cuius ianuam Christi sanguis fidelibus suis misericorditer reserauit.*

Zach. 9. *Hebr. 11.*

Solutio octaui Argumenti.

LVIII. AD propositam obiectionem respondeo primum, quod Deus, qui decreuit præseruare Virginem à peccato originali decreuit etiam non morituram ante passionem Christi. Secundo respondeo, quod admisso casu dupliciter possumus loqui de regno cœlorum; primo modo materialiter pro cœlo Empyreo, vbi est domicilium beatorum, alio modo formaliter pro ipsa clara visione Dei; iuxta illud Christi Domini ad latronem LVCÆ 23. *Amen dico tibi, quia hodie mecum eris in Paradiso.* Constat autem, ipsum non intrasse cœlum empyreum ante ascensionem Christi; vnde in tantum dicitur illo die futurum esse in Paradiso, in quantum illo eodem visurus erat clare diuinam essentiam; hoc ergo supposito, respondeo, quod beata Virgo in illo casu non intraret regnum cœlorum, prout importat cœlum empyreum; quia decretum erat, Christum Dominum sua corporali ascensione aperturum fore ianuam illius; intraret tamen regnum cœlorum, prout importat claram visionem Dei; nam qui id concessit latroni, non denegaret matri; verum tamen est, quod foret specialissimum priuilegium, quod ob solam mortem Christi præuisam, & non actu exhibitam, intraret illo modo beata Virgo regnum cœlorum; in id tamen propendent SCOTVS in 3. distinct. 3. quæst. 1. & GERSON sermone quodam de Incarnatione, & in Parisiensi schola esse communiter receptum affirmat SVAREZ tom. 2. 3. part. quæstione vigesima septima, disputatione 3. sectione 5. in fine.

Argumentum nonum. §. 18.

LIX OBIICIVNT præterea, & magis à priori, quia, si beata Virgo fuit præseruata ab omni labe originali, vel id fuit ante animationem, vel post animationem, vel in illa; si dicatur fuisse ante animationem; Contra, quia tunc non erat persona Virginis; sanctificatio autem non est nisi personæ; sicut enim sola persona est capax peccati originalis, ita etiam sanctificatio per se primo conuenit personæ; si autem dicas, prædictam sanctificationem fuisse post animationem, tunc vrget efficacius argumentum, quia tunc iam præintelligitur talis persona filia Adæ per seminalem propagationem, atque adeo vt obnoxia peccato; ergo præfuit in beata Virgine peccatū originale ante infusionem gratiæ. Ac tandem si dicas, sanctificationem fuisse in ipsa actuali animatione; Contra est tum ratio nuper facta, tum quia in illo instanti, in quo intelligitur animatio, & persona virginis, prius intelligitur priuatio iustitiæ originalis, & rectitudinis supernaturalis, quam intelligatur infusio gratiæ. Nam cum antecedenter ad hanc infusionem gratiæ præintelligatur Virgo, cum debito habendi iustitiam originalem, & cum carentia illius, aperte efficitur præfuisse in illa priuationem iustitiæ originalis, cum priuatio nihil aliud sit, quam carentia formæ debitæ in subiecto capaci; tum tandem, quia ante omne donum, & priuilegium intelligitur beata Virgo sine iustitia, ergo intelligitur pro illo priori non iusta, ergo iniusta, cum pro illo priori non sit iusta: Impossibile autem est; post eleuationem hominis ad finem supernaturalem dari personam, quæ non sit actu iusta, vel iniusta; actu grata, vel ingrata Deo.

Solutio noni Argumenti. §. 19.

LX. AD hanc obiectionem respondeo, admittendo tertium membrum præfatæ diuisionis, nimirum quod sanctificatio fuit in ipsa animatione; nam in instanti temporis prædictæ animationis considerantur plura instantia naturæ: In primo est ipsa informatio, & vnio animæ, & corporis: In secundo instanti ex vnione, & informatione resultat persona Virginis, quæ vere est filia Adæ secundum seminalem propagationē; & sic consideratur Virgo sine peccato, & sine gratia: In tertio vero instanti, seu signo rationis habuit gratiam, habitura tamen peccatum, si sibi dimitteretur, & à Deo non præueniretur, & per hoc patet solutio ad omnes probationes in contrarium ibi adductas; maioris tamen claritatis gratia respondeo, quod in illo primo instanti naturæ, seu signo rationis, in quo Virgo intelligitur Adæ filia per abstractionem præcisiuam, quæ est sine mendacio intelligitur non intellecta gratia, & iustitia. Nec obstat obiicere: ergo intelligitur non habens gratiam, nec iustitiā; neganda enim est consequentia;

nam in consequenti est præcisio & diuisio cum mendacio, vt cum considero in homine rationalitatem tantum per abstractionem, tunc non considero in illo animalitatem; non tamen inde recte infertur: ergo considero hominem non habentem animalitatem. Et cum rursus obiicis; in illo instanti Virgo non intelligitur iusta, & sancta; ergo intelligitur iniusta & peccatrix. Nego consequentiam; sicut non sequitur: In hac mensa non est papyrus alba; ergo est papyrus nō alba. Dico igitur, ꝙ in illo primo instanti naturæ quo esse personale Virginis præcedit omne esse morale illius, nec est proxime capax gratiæ, neque peccati. In sequenti vero instanti, quando secūdum legem ordinariā habitura erat peccatum, habuit de facto gratiam præseruantē illam ab omni labe peccati ex meritis Christi Domini præuisis; cui sit honor, & gloria in secula seculorum, Amen.

Vltima Obiectio, & eius dilutio. § vltimus.

LXI. TANDEM CAIETAN. tractatu de Conceptione Virginis tradit, reuelationem factam beatæ Catharinæ Senensi, in qua diuinitus accepit, beatam Virginem contraxisse vere peccatum originale, nec videtur sufficiens responsio FRANCISCI SVAREZ dicentis, reuelationem hanc tunc inuentam fuisse, quando necessaria visa fuit ad minuendam auctoritatem aliarum, quæ inueniuntur inter reuelationes sanctæ Brigittæ: quia de Cardinale Caietano, alioquin piissimo viro, verisimile non est simile commentum, & quia ille non suo marte, sed ex auctoritate D. ANTONINI 1. part. The. tit. 8. c. 2. illam tradit: quare vera, germana, & irrefragabilis solutio est. quod cum reuelationes istæ S. Brigittæ, & S. Catharinæ Senensis se um pugnent: necesse est alteram illarum non fuisse vere reuelationem, sed existimatam tantum ab audientibus illam; cum tamen ipsa Sancta minime illam tanquam reuelationem venditaret, vt contigit olim Regi DAVIDI, nam interrogante illo Prophetam Nathan, ædificaturusne esset ipse templum Domini, ille respondit affirmatiue; postea vero vocans Dominus eundem Nathan, iussit ei Regi Dauidi nunciare, templum non ab illo qui vir sanguinum erat, sed à Salomone pacifico eius filio fore extruendum: ecce quomodo responsio Nathanis non fuerat prophetica, sed propria eius sententia in qua potuit speculatiue falli, fuit tamen à Dauide existimata vera Prophetia; cum tamen reuera non esset, vt euentus ipse probauit; vt enim ait GLOSSA super cap. 17. lib. 1. PARALIP. *Spiritus prophetiæ non semper irradiat mētes Prophetarum*, idque patet ex verbis ELISEI l. 4. REG. dicentis, *anima eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & non indicauit me*; simile ēt quidpiam accidit Seraphico etiam nostro Patriarchæ D. Frācisco, qui vt in eius Chronico refertur, alloquēs Reginam Vracham Alphonsi Regis Portugaliæ vxorem dixit, Castellam, & Lusitaniam nunquam sub eiusdem Regis dominio vniendas fore, cuius tamē contrarium hac nostra tempestate regnante Philippo II. Hispaniarum rege contigisse vidimus: sane Seraphicus Pater minime id protulit tanquam Prophetiam, aut reuelationem, licet audientes tanquam cœleste vaticinium illud susciperent, cum alioquin non fuisset nisi propria eius sententia, quā attentis præsentibus circumstantiis prudenter proferebat, licet alias speculatiue falleretur, cum igitur beata Catharina Senensis à Magistris, & Confessariis Ordinis Prædicatorum frequenter instrueretur, mirum non est illorum sententiæ adhæsisse, & interrogatā respondisse, Beatam Virginē fuisse conceptam in peccato originali, non tamen id tradebat tanquam reuelationem, sed audientes existimarunt illā vere esse talem. hoc autem iudicare de reuelatione sanctæ Catharinæ Senensis, non vero de reuelatione contraria facta sanctæ Brigittæ, cōformius esse rationi, vel illa vna ratio neruose satis cōprobat, quod reuelationes sanctæ Brigittæ sunt auctoritate Concilii Constantiensis, & Summorum Pontificum constabilitæ, & approbatæ, vnde non modicam fidem mutuant; hac autem auctoritate & approbatione caret illa, quæ dicitur facta reuelatio sanctæ Catharinæ Senensi: igitur cum controuertitur de contrariis reuelationibus, quænam illarum sit vera reuelatio, cum vtraque simul vera esse nequeat, illa certe censenda est vera, quæ à Concilio & Pontificibus est approbata; non quæ hac approbatione caret.

Fr. Suarez 3. p. t. 2. q. 27. disp. 3. sect. 5.

S. Brigit. in suis reuela. l. 1. c. 9. l. 6. c. 49 & 55

1. Paral. 7. 2. Para. 22.

Chron. S. Franc. lib. 1. c. 4.

HOMILIA XXI.

SCHOLASTICA.

Pro complemento huius tractationis examinatur sententia eorum, qui dicunt B. Virginem ita caruisse peccato originali, vt nec in se, nec in primo Parente contraxerit debitum incurrendi illud, Homilia vltima Scholastica.

Referuntur Doctores & rationes probantes Virginem nullo modo contraxisse debitum incurrendi peccatum originale. § 1.



1. NONNVLLOS graues Doctores, & partim ex illustrissima Prædicatorum familia reperio defendentes B. Virginem non solum in se, sed neque in Adam vllo modo peccasse, nihilque id obstare, quominus vere & proprie redempta fuerit per Chr stū; ita expresse Catherinus lib. de peccato originali cap. vltimo, & lib. de Conceptione ad Synodum Triden-

1.Cor.5. Tridentinam cap.1. & ſuper illud PAVLI, *omnes in Adam peccauerunt*. GALATINVS lib.7. de Arcanis Catholicæ veritatis, cap.10. BOLLANVS in tract. de Conceptione, qui extat Romæ in Bibliotheca S. Petri montis Aurei, & ratione probari poteſt eorum ſententia.

II. PRIMO, quia ad hoc, vt quis dicatur peccauiſſe in Adam, non ſufficit contentum fuiſſe in illo, tanquam in principio, & capite naturali; ſed quod fuerit in eo, vt in principio, & capite morali, ita vt in pacto Dei cum Adamo de contrahendo peccato à poſteris eius ipſo peccante non fuiſſet ille conceptus; at beata Virgo fuit per merita Chriſti à Deo præuiſa excepta in illo pacto alios omnes comprehendenti: ergo neque in ſe, neque in Adam peccauit: maior cum conſequentia eſt euidens, & minor quantum ad poſſibilitatem à nullo Catholico negari poteſt; quia legislator, qui nulla neceſſitate coactus, ſed ex mera ſua voluntate libera legem vniuerſalē inſtituit, poteſt pro libito excipere, quemcunque voluerit, à tali lege; ſed Deus prædictam legem condidit ex mera & libera voluntate ſua: Ergo potuit excipere beatam Virginem ab illa; quod vero de facto ita fecerit, ſatis id perſuadet, quod deceat maxime dignitatem Matris Dei: Nam ſic eſt liberior, & omnino magis aliena, & elongata ab omni labe peccati: Et quia, ſecundum D. Anſelmum ſupra citatum, tanta eſt puritas Virginis, vt ſub Deo maior nequeat intelligi, ſed prædictus modus puritatis per prædictam elongationem eſt poſſibilis & intelligibilis: Ergo iuxta ſententiam D. Anſelmi debet tribui Virgini.

III. SECVNDO quia ea ratione dicunt aduerſarii neceſſarium fuiſſe Virginem in Adam peccaſſe, quia alias redemptione non indiguiſſet, ac Deo excipiente Virginē in prædicto pacto ab obligatione incurrendi peccatum originale per merita præuiſa Chriſti Domini excellentiori modo redimitur ab illo, ad eum modum, quo ſi quis, cum vēditur mulier aliqua in ſeruam, excipit in contractu primum filium, ne ſeruus naſcatur: certe talis filius excellentiori modo dicetur redemptus & liberatus ab eo, qui illum ſic excipit, quam ſi poſtquam captiuus extitiſſet libertate donaretur.

IV. TERTIO, quia CONCIL. TRIDENT. ſeſſ.5. poſt traditam totam doctrinam de peccato originali in fine declarat, non eſſe mentis ſuæ in illa Virginem comprehendere, ergo non erroneum à tota illa doctrina virginem excipere, & tamen inter alia ibi docuerat Concilium omnes peccaſſe in Adamo, igitur propter timorem alicuius erroris non eſt, cur cogamur dicere Virginem in Adam peccaſſe, ſed quod peccatura foret, niſi ex ſpeciali gratia Dei præſeruaretur, & exciperetur à communi illa lege, quæ omnia adhuc faciliora fiunt, ſi quis cum Scoto probabiliter teneat, CHRISTVM Dominum venturum, etiamſi Adam non peccaret, tunc ergo Chriſtus Dominus, & beata Virgo fuiſſent prædeſtinati ante præuiſionem peccati originalis: Ergo non opus erat comprehenſam fuiſſe beatam Virginem in pacto, poſtea ſubſecuto cum primo parente. Vnde etiam in exequutione ita potuit anima beatæ Virginis à Deo ſanctificari, vt priu natura, quam contingeret & informaret carnem infectam, gratia diuina perfunderetur.

Impugnant propoſitam ſententiam alii Doctores, aſſerentes Beatam Virginem habuiſſe debitum contrahendi peccatum originale, licet reipſa maculam nunquam contraxerit. §.2.

V. VERVM his non obſtantibus, non ſolum Doctores ex familia D. Thomæ, ſed alii etiam ex Seraphico noſtro ordine tenentes beatam Virginem non contraxiſſe peccatum originale, omnino dicendum eſſe affirmant beatam Virginem in Adam peccaſſe, & oppoſitum erroneum eſſe: ita noſter CORDVBA in tractatu de Conceptione, & SVAREZ 3.part. quæſt.27. diſp.3. ſect.2. & communiter omnes Thomiſtæ 3. parte, quorum ſententia probari poteſt in hunc modum.

VI. PRIMO, quia D. Paulus ad Romanos abſolute dicit omnes peccauiſſe in Adam, & ideo indiguiſſe redemptione. Ergo non poteſt magis beata Virgo ab vna, quam ab alia generali clauſula excipi. Et ideo vtramque exceptionem æque falſam AVGVSTINVS refutat lib.2. de peccat. merit. cap.20. 21. & 35. Et hoc plane conuincit locus Diui PAVLI ad Corinth. vbi ſic argumentatur, *ſi vnus pro omnib. mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt.* Vbi neceſſe eſt, vtramque partem diſtributionis æque vniuerſalem eſſe: ſicut ergo certum eſt Chriſtum mortuum eſſe pro beata Virgine, alias non redemiſſet illam, quia per mortem nos redemit; ita certum eſt beatam Virginem fuiſſe mortuam ſaltem in Adamo; & eandem vim habent verba PAVLI 1. ad Corint. 15. *ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.* ſicut ergo beata Virgo in Chriſto vitam habuit, ita & in Adam fuit mortua, & ſimilia ſunt illa ad ROMAN. 5. *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ:* quæ teſtimonia in hunc ſenſum ſæpe tractat AVGVST. de natura & gratia, c.40. & l.6. contra Iulian. c.1. & 6. & l.2. de peccator. merit. c.20. 29. & 35. & epiſt.28. ad Hieronymum, & confirmatur, quia alias ſequeretur B. Virginem non fuiſſe redemptam à Chriſto, neque eum fuiſſe pro illa mortuum: ſi enim B. Virgo fuit in illo modo exempta, in pacto, & in ipſo Adamo, etiam ſi Deus noluiſſet Chriſtum mori, nec redimere homines, nihilominus non eſſet in peccato concepta, nec indigeret redemptione, quia non peccauerat in Adamo. Ergo euidens eſt, ſi ita fuiſſet exempta, de facto non fuiſſe redemptam, neque Chriſtum pro illa mortuum.

Rom.3. & 7.

2.Cor.5.

VII. SECVNDO, ad idem vrgendo omnia ſupradicta: Quia certum eſt, & omnino indubitatum

apud

apud Catholicos, Virginem à Christo fuisse redemptam, quia Christus fuit vniuersalis redemptor totius generis humani, & pro omnibus hominibus mortuus est, ad Romanos 5. 2. ad Corinth. 5. 1. ad Timoth 2. & sæpe alias. Ab hac autem generali Scripturæ regula aliquem excipere, contra fidem esse, censet AVGVSTINVS libr. 1. de peccat. merit. & remissione, cap. 27. & 28. & lib. 3. c. 3. & lib. 6. contra Iulianum, cap. 8. Et videtur communis sensus Ecclesiæ: nam Scriptura docet, totam humanam naturam collapsam esse in Adamo, & per Christum esse instauratam, & ideo simpliciter mediator Dei, & hominum appellatur: At si beata Virgo nec in se, nec in Adamo peccasset, nec debitum incurrendi peccatum in se, nec in Adamo contraxisset, redemptione non indigeret, quia redemptio vt minimum, iam quod non prærequirat actualem captiuitatem, prærequirit tamen debitum veniendi in illam, vt saltem præseruando locus redemptioni detur.

VIII. TERTIO, quia si beata Virgo non dicam tantum in Adamo, sed & in seipsa non habuisset debitũ contrahendi peccatum, non fuisset in seipsa redempta, sed in Adamo: Nam eo modo indiget quis redemptione, quo captus est, ergo si beata Virgo non fuit captiua in se, sed solum in Adamo, solum fuisset redempta in illo, & non in se, & consequenter non indiguisset redemptione in se, sed in Adamo.

IX. QVARTO, quia Adam suscepit iustitiam originalem eo pacto & lege, vt si in ea persisteret, communicaret illam Virgini. Igitur B. Virgo amisit gratiam & iustitiam in Adamo, atque adeo fuit in illo priuata gratia: Ergo peccauit in Adamo, cum peccatum sit priuatio gratiæ, vel aliquid consequens ipsum.

X. VLTIMO, quia mors corporalis Virginis fuit effectus peccati originalis Adæ, & debiti, quod Virgo habuit incurrendi tale peccatum: ergo saltem peccauit in Adamo: Consequentia est euidens, & antecedens probatur ex PAVLO ad ROM. 5. *Si per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, ita & in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Ergo nullus moritur nisi ratione peccati, vel vt sua morte satisfaciat pro aliis (quod est proprium Christi) vel quia peccatũ aliquo modo ad ipsum pertinet. Vnde Diuus AVGVSTINVS lib. 4. contra duas epistol. cap. 4. ait. Pati mortem sine meritis mortis de vno solo mediatore Catholica fides nouit, & hac ratione caro Virginis dicitur caro peccati, quia ex vi suæ originis & in pœnam peccati fuit mortalis.

Referuntur solutiones, quibus aduersam partem tenentes eludere possunt prædictas rationes. §. 3.

XI. DVPLICEM viam ingredi possunt CATHERINVS, & GALATINVS aliique eorum asseclæ ad diluendas omnes præfatas rationes, quibus oppositam sententiam astruximus. Nam primo dicere possunt in Deo esse scientiam futurorum omnino infallibilem antecedenter ad determinationem suæ voluntatis, prout docet SVAREZ dum ait, cuiuscunque contradictionis obiectæ diuino intellectui ante determinationẽ diuinæ voluntatis præcognouisse determinatam veritatem alterius partis. Secundo etiam supponere possunt; prout supponit GALATINVS, Christum Dominum fuisse primum omnium prædestinatorum, & prædestinationem eius causam fuisse prædestinationis omnium, etiam primi parentis, imo & Christum Dominum fuisse primum volitum inter omnia libere volita à Deo, prout docet SCOTVS, quem sequuntur ipse CATHERINVS lib. 1. de eximia Christi prædestinatione, & alii permulti à me relati in disputationibus de Incarnatione. his enim principiis præsuppositis recte aiunt hæc duo inter se cohærere, & quod beata Virgo excepta fuerit in pacto cum Adamo, atque adeo quod nullo modo in eo peccauerit, & tamen quod id fuerit ex meritis Christi præuisis, seu præcognitis per prædictam scientiam antecedentem omnem determinationem diuinæ voluntatis; & præterea quia supposito, quod Christus Dominus venturus esset, etiamsi Adam non peccasset, recte aiunt fieri potuisse, vt ex præuisis meritis Christi mater eius fuerit excepta in prædicto pacto, quia nulla est repugnantia in eo, quod Christus veniret; non ad expiationem peccati originalis (quod tunc nullum esset) sed ad exaltandam naturam humanam, & promerendum illi varios effectus supernaturales, inter quos alter fuit, quod tametsi peccaturus esset Adam, & Deus habiturus cum illo prædictum pactum, in eo tamen excipienda esset B. Virgo: vnde ex his principiis sic diluere conantur prædictas rationes.

XII. AD primam respondent, quod sicut verum est Christum Dominum vere mortuum esse pro B. Virgine; ita etiam verum est Beatam Virginem mortuã fuisse, quantum ex se; quia non solum debitum moriendi proximum, sed & mortem actualem peccati incurrisset, nisi ex præuisis meritis Christi Domini fuisset à Deo præuenta, & excepta in prædicto pacto cum Adamo: nam seclusa tali exceptione, hoc ipsum, quod erat indiuiduũ naturæ humanæ, per seminalem rationem propagatum à primo parente, necessario haberet debitum peccandi in illo, & incurrendi in peccatum originale.

XIII. AD secundam, concessa maiori negare possent minorẽ, quia excellentior modus redemptionis est, præseruare non solum à peccato, sed & à debito incurrendi in illud, & præcauere non solum à peccato in se, sed etiam à peccato in alio.

XIV. AD tertiam respondere possent, quod sicut Dominus fundi habet sibi obligatos fructus, antequã nascantur; & actu sint in seipsis, potestque tunc illos vendere accepto pretio pro illis taliter, quod secundum esse, quod postea actu, & formaliter habituri sunt, in rerum natura nunquam sint debiti; vel

Suarez opus. de scientia Dei.

Galat. lib. 7. de Arcanis.

Scot. 3. dist. 32. q. vnic. art. 3.

vel obligati Domino fundi, sed emptori, qui dedit pretium pro illis: ita, inquiunt, potest Theologus ingeniose philosophari salua, & incolumi fide, quod B. Virgo, prout erat in suis parentibus, seu in quantum indiuiduum naturæ humanæ secundum rationem seminalem propagatum deberet peccare in Adamo, vt in sua radice; ab hoc tamen debito fuit excepta per beneficium, & priuilegium excipiens eam ab ea communi lege, & pacto cum Adamo; vnde nunquam fuit debitrix peccati, sed solum Dei, & Christi filii eius: ad argumentum ergo dicunt, quod licet B. Virgo non solum in se per peccatum originale fuerit mortua, sed neque in Adamo per eius præuaricationem, adhuc tamen vere & proprie in se ipsa fuit redempta per Christum, quatenus ex se contractura fuisset debitum moriendi per peccatum: imo & mortem ipsam incursura, nisi beneficio exceptionis ab illa communi lege ex Christi meritis præueniretur.

XV. Ad quartam respondere possent, quod illud pactum Dei cum Adamo duo includebat in ordine ad posteros: alterum fauorabile, nimirum quod persistente illo in iustitia originali, ipsi essent illam habituri; alterum odiosum, quatenus illo præuaricante omnes contracturi erant debitum incurrendi peccatum originale, immo & ipsum peccatum incursuri. Beata ergo Virgo in illo pacto excepta fuit quantum ad odiosum non quantum ad fauorabile: Et si obiicias, qui nullo modo peccat, nec in se, nec in alio, non auferetur illi, quoad ab aliis remouetur propter peccatum, præsertim cum peccatum sit causa primitiua illius: si ergo Beata Virgo non peccauit in radice neque in se; Ergo ab illa nō iuste remouetur iustitia originalis in Conceptione sua, quæ ab aliis propter peccatum remota fuit. Respondent, quod si fuisset aliqua creatura, quæ ex sui natura non peccasset in Adam, ab illa non fuisset remota originalis iustitia: Beata autem Virgo quāuis non peccauerit in Adam, nec in se contraxerit peccatum originale, quia tamen id non conuenit ei ex sua natura, sed ex priuilegio, prout in eo solo priuilegiari, & non in negatione carentiæ iustitiæ originalis.

XVI. Ad vltimam quidam dixerunt, mortem corporalem in Virgine fuisse ex conditione naturæ, non ex peccato primi parentis, nec id conuenit, inquiunt, ab illa generali lege Diui Pauli docentis, mortem in omnibus esse effectum peccati, excipere beatam Virginem, sicut excipitur ab aliis vniuersalibus propositionibus eiusdem diui Pauli, quibus docet omnes præuaricatores extitisse, & omnes nasci filios Iræ Secundo respondent, quod in beata Virgine misericordia & veritas obuiauerunt sibi Nam Deus erga illam misericordiam exercuit præseruando & excipiendo illam a lege contrahendi peccatum originale; iustitiæ etiam virgam in illam porrexit, inferendo ei mortem corporalem propter peccatū primi parentis, à quo per seminalem rationem ipsa procedit. Ac tandem diuus Augustinus lib. 13. de Ciuit. Dei cap 4 quærens quare qui liberantur per Passionem Christi ab originali peccato, non manent liberi à morte temporali; respondet id factum fuisse ad firmandam magis veritatem fidei de resurrectione generali iustorum in gloria: nam si homines iusti essent immortales, nimium euacuaretur fides in prædictis mysteriis: hanc ergo responsionem, cui placuerit, poterit præsenti instituto accommodare.

Impugnatur ab aliis Doctoribus supra tradita doctrina, simulque eneruantur euasiones omnes ex illa deductæ. §. 4.

XVII. Verum licet omnia prædicta §. præcedenti quandam veritatis speciem præ se ferre videantur, solidiorem tamen doctrinam alii (vt sibi visum est) amplectentes asserunt nihil prorsus derogare immaculatæ Virginis Conceptioni, nec eximiæ eius puritati ac sanctitati, quod in Adamo peccauerit, & debitum incurrendi peccatum originale in illo, imo & in se ipsa cōtraxerit, quia hoc non est ipsam pro aliquo instanti etiam rationis in se habuisse maculam peccati, sed solum primum eius Parentem peccasse, in quo tanquam in capite naturali & morali ipsa continebatur. Ex quo primaratio in hunc modum instaurari potest ad firmandam hanc sententiam, quia ex fide constat primum Parentem constitutum esse à Deo caput naturale & morale suorum filiorum: Ergo cum nec ex sacra Scriptura, nec ex Patribus constet exceptio Beatæ Virginis, quantum ad hoc, quod est respicere primum parentem, vt caput morale, nulla ratione negati potest ipsam in Adam peccauisse, patet consequentia, quia peccauisse in Adam nihil aliud est, quam quod ipse peccauerit, in quo tanquam in capite morali continebatur beata Virgo.

XVIII. Secundo, quia quicquid sit de duplici illa controuersia Theologica, an detur in Deo prędicta scientia futurorum, quam quidam mediam appellant, & an Christus sit primum volitum inter omnia volita libere à Deo volita, & an tandem venturus esset in mundum Adam non peccante ex vi decreti, quo de facto venit. quicquid inquam sit de his difficultatibus, de quibus suis locis Deo auspice longum texemus sermonem, nulla ratione potest saluari, fuisse redemptam per Christum, & emptam pretioso sanguine illius: nam ad veram, & propriam redemptionem necessario requiritur vel captiuitas, vel periculum captiuitatis, aut debitum in se, vel in alio incurrendi captiuitatem; alias sanguis oblatus à Christo nec haberet rationem pretii, nec solutionis, quia vbi nulla inuenitur ratio debiti, nullo pacto locum habere potest ratio solutionis, atque adeo neque redemptionis, cum omnis redemptio essentialiter sit solutio alicuius pretii. Idque adhuc corroborari potest retorquendo simile illud, quod adducunt Doctores oppositæ senten-

ſententiæ de Ancilla vendita, quia ſi quis poſtea redimeret mulierem illam captiuam prægnantem à ſeruitute, non diceretur proprie redimere primogenitum eius naſciturũ, quamuis verum ſit, quod partus ſequatur ventrem, vt docent Iuriſperiti; quia reuera talis primogenitus per ſe naſceretur liber, ex vi prioris pacti, atque adeo non indigeret redemptione alterius. Igitur ſi beata Virgo fuit exempta in pacto cum Adamo, vere non indiguit redemptione Chriſti: quod tamen dicere eſt manifeſta hæreſis.

XIX. Tertio, quia cum Deus voluit dare iuſtitiam Adamo, & in eo toti illius poſteritati, etiam voluit, vt ad Virginem deriuaretur, non enim decebat Virginem excludi à dono totius naturæ. Igitur ſicut ſi Adam in iuſtitia perſeueraſſet, eam conſeruaſſet Virgini: ita & peccando eam perdidit Virgini: amiſit ergo iuſtitiam in Adam, atque adeo in ipſo peccauit ad modum ſupra explicatum.

Qua ratione dilui poſſint Argumenta initio huius difficultatis propoſita. §. 5.

XX. Ad primum concedo, illam exceptionem Virginis in pacto cum Adamo abſolute, & ſimpliciter fuiſſe poſſibilem, vt recte probat Argumentum: quia Deus de Potentia abſoluta potuiſſet id feciſſe independenter à redemptione Chriſti. Nego tamen non ſolum id factum eſſe, ſed nec poſſibile fieri ſtante ſalua, & incolumi veritate fidei, quod redempta fuerit per Chriſtum, vt ex dictis præcedentibus ſatis conſtat.

XXI. Ad ſecundum reſpondeo, quod ſi de facto per merita Chriſti præuiſa fuiſſet cum Adamo, recepiſſet quidem beneficium maius, vel æquiualens redemptioni, non tamen recepiſſet beneficium redemptionis. nec inſtantia allata in ſimili illo adducto quicquam prodeſt. Nam filius ille exiſtens in ventre matris, quæ ſerua erat, debitum habebat incurrendi ſeruitutem, & ſic exceptio illius, quando vendita eſt mater, rationem potuit habere redemptionis, cum vere ille præfuerit in periculo & debito incurrendi captiuitatem; in oppoſita autem ſententia, cum nunquam Virgo habuerit in ſe, nec in Adamo debitum incurrendi peccati captiuitatem, non poteſt proprie reſpectu illius locum habere redemptio.

XXII. Ad Tertium ex Concilio Tridentino reſpondeo, ibi ſolum eſſe ſermonem de lege vniuerſali actualis contractionis peccati originalis, in qua, inquit, Tridentinum non eſſe ſuæ mentis, velle includere Virginem. Quare illam excipere a contractione peccati originalis pium eſt, ſecus tamen à contrahendo debito in ſe, vel in Adamo incurrendi peccatum, quia huiuſmodi debitum formaliter loquendo nihil aliud eſt quam infirmitas, vel impotentia vitandi contractionem culpæ, ſeu neceſſitas contrahendi illam inducta per voluntatem Primi Parentis, in qua Virginis voluntas, ſicut & reliquorum continebatur, neceſſitas in qua contrahendi ad modum cuiuſdam Paſſionis, quæ oritur ex natura, vt ab Adamo propagata per ſeminalem rationem: cum ergo Beata Virgo habuerit naturam hoc modo propagatam, vt fides docet, conſequens eſt non ſolum in Adamo, ſed & in ſeipſa habuiſſe prædictum debitum incurrendi peccatũ originale, non tamen illud incurriſſe ex gratia Chriſti illam præſeruante. ad confirmationem tandem ſatis patet ex dictis ad ſecundum, ſolum enim probat illum modum exceptionis poſſibilem, non tamen de facto ita extitiſſe.

XXIII. Atque ex his omnibus, quæ in perlongo huius duplicis Homiliæ diſcurſu diximus, manifeſte ſatis inferri puto ſententiam aſſerentem, B. Virginem fuiſſe ab originali præſeruatam, eſſe magis conformem ſacræ Scripturæ, ſacris Conciliis, Pontificum reſponſis, Eccleſiæ auctoritati, ſanctis Patribus, Scholaſticis, Theologis, Iuriſperitis, Doctoribus nec non Iuri Canonico, & Ciuili. Quæ quidem, an ſufficientia præbeant fundamenta, ex quibus poſſit moueri Eccleſia ad eam definiendam, Eccleſiæ eſto iudicium. Meo quidem non requiritur ſemper ad veritatis alicuius definitionem expreſſa reuelatio ab ipſa definitione diſtincta; ſed interdum ſufficit implicita reuelatio, vt patet ex libris quibuſdam, de quibus dubitatur, eſſentne Canonici. quos tamen Eccleſia definiuit eſſe Canonicos, vt conſtat ex Concilio Tridentino. Vnde non dubito, quin ſi propoſita controuerſia definienda foret ab Eccleſia, noſtra ſententia tanquam de fide definiretur; quia nunquam Eccleſia id, quod antea reputauit minus probabile, poſtea determinauit eſſe de fide, immo è contrario accidit, vt conſtat de habitibus infuſis, quos in Concilio Viennenſi probabilius iudicauit dari, & poſtea in Tridentino c. 7. & Can. 11 definiuit dari, ita vt illos negare eſſet erroneum. At Eccleſia Romana iudicat noſtram ſententiam probabiliorem, cum tantopere illi faueat, vt apparet ex Sixto Quarto in prædicta Extrauaganti: *Graue nimis.* Vbi vocat conceptionem Virginis immaculatam, & indulgentiis inuitat ad celebrationem illius.



DE SACRIS ARCANIS FELICISSIMI ORTVS BEATÆ VIRGINIS MARIÆ,

LIBER SECVNDVS.

Homilia prima.

BEATISSIMA VIRGO NON SOLVM MAIORVM SVORVM gentilitiæ nobilitatis, sed & virtutum illorum vniuersalis (vt aiunt) hæres nata ostenditur; & ad mores nobilium componendos pulchra de nobilitate traduntur; & in illa abutentes inuehitur.

I. 
VNANIMIS est sanctorum
Patrum sententia in com-
mentario c. I. super MAT
THÆVM, descripta genera-
tione Ioseph descriptã fuisse
genealogiã Mariæ, cum nul-
lus posset ducere vxorẽ, nisi
ex sua Tribu, familia, & co-
Num. vlt. gnatione, iuxta illud Numerorum: *Omnes viri du-
cent vxores de tribu, & cognatione sua, & cuncta fœmi-
na de eadem tribu maritos accipiant:* quam legem in-
telligendam esse de fœminis succedentibus in hæ-
Burgens. in reditate paterna perdocte adnotauit BVRGENSIS:
edit. & nam Dauid duxit Michol ex tribu Beniamin, & vt
Canó. 2. de legimus in libro Iudicum: *Decem Tribus iurarunt,*
locis c. 4. *se non daturas filias suas in vxores viris ex tribu Ben-*
Iudic. 21. *iamin;* quod non obscurum argumentum est, id
fieri solitum fuisse. Vnde vbi nos legimus in præci-
Hebræa tato loco: *Cuncta fœmina*, in HEBRÆO est: *Omnis fi-*
lectio. *lia hæreditatem hæreditans:* quam lectionem sequuti
sunt LXX. Interpretes, & Paraphrastes Chaldæus,
quare cum B. Virgo fuerit vnica hæres parentum
suorum, vt docent diuus DAMASCENVS, & EPI-
D. Damas. PHANIVS, dum aiunt, parentes eius ob nimiam
4. fide c. 15. eorum sterilitatem solam Virginem, quam preci-
D. Epiph. bus à Deo obtinuerunt, genuisse; consequens est,
hæres. 79. virum accepisse eiusdem Tribus, eiusdem familiæ,
& cognationis.

II. Hoc Catholico fundamento præiacto, haud
difficile erit comprobare Mariani generis splendo-
rem omnem cuiuscunque Prosapiæ nobilitatem
longo interuallo superare: quod vt altius repeta-
mus, explicemus, si placet, verba illa IOBI: *Habet ar-* *Iob. 28.*
gentum venarum suarum principia, & auro locus est,
in quo conflatur. Argenti nomine beatam Virginem
intelligo; nam sicut post aurum cunctis metallis
argentum præstat, ita post Christum beata Virgo
omnibus creaturis pretiosior, atq; excellentior est.
de hoc argento apte intelligi possunt verba DAVI-
DIS: *Argentum igne examinatum probatum terræ, pur-* *Psal. 11.*
gatum septuplum. argentum (inquam) igne exami-
natum, quia igne tribulationis in passione, & mor-
te filii patientia Virginis satis explorata fuit; & non
est inuenta minus habens; & subdit: *probatum ter-
ræ*, vel, vt HIERONYMVS legit: *separatum à terra*,
quia ab ortu suo, imo & à conceptu suo sancta fuit:
sanctum n. idem est, quod sine terra, aut mundum ab o-
mni sorde, vt explicat D. THOMAS: ac tandem ad- *D. Tho. 2.*
dit: *purgatum septuplum*, vt nobis innotescat, septi- *2. q. 81. a. 8.*
formi Spiritus sancti gratia cumulatam ex vtero
matris prodiisse: de hoc igitur purissimo argento
Mariæ ait Iob: *Habet argentum venarũ suarum prin-* *Iob. 28.*
cipia: habuit n. Deipara Maria altissima principia,
ac ditissimas venas natiuitatis suæ, seriem videlicet
Patriarcharum, Regum, ac Principum. Vnde diuus
BERNARD. ait: *In generatione Mariæ plane resplendet,* *D. Bern. de*
quod ex Regibus orta, quod ex semine Abrahæ, quod ge- *verb. Apo.*
nerosa ex stirpe Dauid; idque valde decebat B. Virgi- *cap. 21.*
nem, quia futura erat locus, in quo virtute ex alto
conflari, & efformari debebat preciosissimum au-
rum corporis Christi.

III. VERVM oportet has venas, per quas in Vir-
ginem summa omniũ nobilitas defluxit, diligen-
ter, & accurate effodere: vnde vt eas aperiamus,
quamuis

quamuis apud famosissimas omnium nationes, & gentes, scil. Hebræā, Græcam, & Latinā varia symbola vsurpata fuerint ad significandā generis nobilitatē, præcipue tamen sub lucis metaphora illam descripsere. Vnde ortum habuit, nobiles, claros, & nobilissimos, clarissimos; ignobiles vero, & plebeios, obscuros nuncupari. Hebręi quidē stellas symbolum nobilitatis acceperunt; quia Deus reuelauerat patri Abrahę filios eius velut stellas cœli multiplicandos: Græci vero coruscantibus solis radiis nobilitatis splendorem significarunt; atq; hinc est, apud Ægyptios viguisse morē in sepulchris Principum depingere Pyramides, quas radiorū solis figuræ exornabant, significantes hoc hieroglyphico, deficientibus nobilibus Reipublicæ, radios illam illustrantes deficere. Romani tandem in symbolū ingenuitatis, & nobilitatis lunas in calceis depictas vsurparunt; vel quia se ex Arcadiis originē ducere gloriabantur, qui se filios lunæ venditabant, vel, vt alii autumant, vt nobiles in virtutis ꝓgressu non segnes, sed veloces esse debere, instar lunę, quę inter omnes planetas velocissime cursum suū peragit, commonstrarent. Atq; hinc colligo, ꝙ cum D. IOANNES testatur, se vidisse beatam Virginem amictam sole, coronatam stellis, calceatam luna, apertissime significauit, vndequaq; nobilissimā esse, & ex clarissima omnium nationum stirpe ortam, vt & ipsa subindicat, dum ait: *Et in omni populo, in omni gente primatum habui*, primatum (inquam) non solum potestatis, sed & nobilitatis, quod vt clarius pateat, obseruandum est, quod, vt S. Euangelista MATTHÆVS commemorat, habet B. Virgo in suo stemmate duodecim antiquissimos Patriarchas, quorum præcipuus noscitur esse Abraham, cui à populo Dei electo dictum fuit: *Princeps Dei es tu apud nos*: & cui facta fuit repromissio de Christo ab eius genere oriundo: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*: vnde non desunt, qui dicant; Hebræos denominari sic ab Abraham: atque hic inclytus & magnus Pater primus fuit, qui confessus est fidem vnius Dei inter Idololatras Chaldæos, diuinum cultum igni deferentes, in quem immissus ab eis, vt illatam sibi iniuriam vindicarent, illæsus prodiit ex fornace, vt meminit NEHEMIAS.

[*Genes.* 21. — *Eccles.* 24. — *Gen.* 23. — *Gen.* 22. — *Nehem.* 9.]

IV. QVIA ergo Deipara Maria ex hoc Principe descendit, propterea sponsus filiam Principis eam vocauit: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis?* Continet quoq; in suo stemmate quatuordecim potentissimos Reges, & totidē fortissimos Duces, à quibus originem trahit: vnde ECCLESIA canit: *Regali ex progenie Maria exorta refulget*, inter quos præcipuus fuit Dauid, vir secundum cor Dei, qui millies de fortissimis hostibus victoriam reportauit, & populum Dei à Gigantis Goliath molestissima infestatione liberauit.

[*Cant.* 7. — 1. *Reg.* 17.]

V. AC tandem Deipara Maria descendit per lineam fœmininam ex summis Pontificibus, vt nec hic splendor ei deesset: sic enim id tradunt GREGORIVS NAZIANZENVS, AMBROSIVS, EPIPHANIVS, HILARIVS, AVGVSTINVS, D. THOMAS, & D. BONAVENTVRA, venerabilis BEDA, EVCHERIVS, CEDRINVS, HONORIVS, & THEOPHYLACTVS, dum vnanimi consensu docent, descendere de Tribu Leui, seu Sacerdotali: decebat enim, vt, quia Christus futurus erat simul Rex & Sacerdos, ex regali ac sacerdotali tribu Mater eius originem duceret. Nec potest negari, quandoque Tribus illas inter se misceri, vt constat ex EXODO, & libr. PARALIPOMENON 2. Vnde cum D. PAVLVS neget Christum esse de Tribu Leui, solum intendit, non esse de Tribu Leui per lineam masculinā, ita vt posset esse sacerdos Leui; *In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altari, &c.* quod necessario debet intelligi de sola linea masculina, cum constet, permultos descendentes ex Tribu Iuda p fœmininā lineā sacerdotes fuisse. quare non possum non valde mirari, CORNELIVM IANSENIVM, alioquin virum pium, ac perdoctum oppositā sententiam amplectentē in sua concordia, maluisse Osiandri hæretici opinioni adhærere, cuius verba transcripsit, quam tot sanctorum Patrum sententiis acquiescere. Sed vt huius Marianæ nobilitatis multa capita paucis comprehendam, doctissimi BARTHOLOMÆI PISANI verba in medium producam: *Beata* (inquit) *Virgo orta est primo de multis Patribus veteris testamenti, maxime à decimonono, incipiendo ab Adam vsq; ad Thare: secundo de Patriarchis, tertio de Principibus, quarto de Iudicibus, quinto de Regibus, sexto de Ducibus, septimo de Prophetis, octauo de Doctoribus, nono de viris strenuis & fortibus, decimo de Sacerdotibus, & summis Pontificibus, vndecimo de populi Rectoribus, duodecimo de cultoribus Dei, & iustis parentibus.* hæc ille. ob quæ merito licebit nobis Virginem alloquentibus verba illa VIRGILII vsurpare:

------------ *Quæ te tam læta tulerunt*
Secula, quæ tanti talem genuêre parentes.

[*Greg. Naz. orat. de nat. Domini.* — *Ambr. l.* 3. *in Luc.* & *l. de bened. Patriarch. c.* 3. & 4. — *Epiphan. hær.* 78. — *Hilar. can.* 1. *in Matt.* — *l.* 83. 99. *q.* 61. — *D. Tho.* 3. *p. q.* 29. *art.* 1 *ad* 4. & *q.* 31 *art.* 5. *ad* 2. — *D. Bona.* 4. 4. *d.* 30. *q.* 2. *in fine.* — *Beda in c.* 1. *Luca.* — *Eucher. ib.* — *Cedrin. in Compend. hist.* — *Honor. l.* 1. *de lau. vir.* — *Theoph. l.* 1. *Allegor.* — *Exod.* 6. & 2. *Para.* 22. — *Ad Heb.* 7. — *Iansen. c.* 2. *sua concor.* — *Bar. Pisan. in Marial. tract.* 4. — *Virg. in* 11. *Æneid.*]

VI. SED & hæc leuia sunt, nihil sunt; aliunde quidem maiorem incomparabiliter nobilitatis splendorem Virgo contraxit. Compertū satis est, in humano genere illum nobilē dici, qui claris Maiorum titulis insignitur: Beata vero Maria, licet ex generosa sit parentum stirpe progenita, ab illo tamen trahit excellentissimæ nobilitatis genus, qui de illa est nouo nascendi genere procreatus, & per clarissimam sobolem omnem humani stemmatis excedit nobilitatem. Clara Proauorum titulis, sed longe clarior generositate prolis; filia siquidem Regum, sed Mater Regis Regum: vnde merito de illa prædixit SAPIENS: *Generositatem eius glorificat contuberniū Dei*; ex quo infero, quod sicut Mater à filio præcipuam nobilitatem accepit; ita parentes Virginis ab hac filia potissimam suam ingenuitatem, ac nobilitatem mutuarunt, quæ sine dubio magis eos illustrauit, quam ab eis ipsa fuerit illustrata: maxime, quod si illi potentissimi Reges, sapientissimi Prophetæ, fortissimi Duces, ac summi Sacerdotes extitere, id certe obtinuerunt propter filiam hanc, quam genuerunt, vt quæ futura erat Mater Dei,

[*Sap.* 8.]

non solum animi dotibus, sed & sanguinis nobilitate omnibus modis inclyta esset, atque conspicua, quod vt Ecclesiæ Catholicæ innotesceret, voluit Spiritus sanctus Mariæ genealogiam ad amussim per Euangelistam MATTHÆVM describi.

Matth. 1.

VII. SED hinc statim exoritur difficultas, quia videtur non decuisse id ita fieri, cum & Christus Dominus dixerit: *claritatem ab hominibus non accipio:* quibus verbis sanguinis nobilitatem aperte despexisse videtur: vnde & Apostol. ad Corinth. dixit: *non multi sapientes, non multi nobiles, sed ignobilia mundi & contemtibilia elegit Deus*: imo idem Apostol. ab huiusmodi genealogiis nos absterret, dum ait: *Rogaui te, vt remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam, vt denunciares quibusdam, ne aliter docerent, neque intenderēt fabulis & genealogiis interminatis, quæ quæstiones præstant magis, quam ædificationem Dei* & ad Titum: *stultas autem quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita.* Et ad Col. ait: *In Christo enim Iesu non est Gentilis, & Iudæus, circumcisio, & præputium, Barbarus, & Scytha, seruus, & liber*: quasi diceret: post aduentum Christi non est habenda ratio sanguinis, aut prosapiæ, sed omnes, quotquot Christo coniuncti nomen ei dederunt, vere sunt filii Dei, vere sunt filii Abrahæ, vnde femur Iacob obtinentis in lucta cum Angelo benedictionem, hoc est, Christi aduentum, vt explicant Patres: emarcuisse legitur ad significandum, postquam ille venit in mundum, non iam amplius habendam fore rationem sanguinis, vel genealogiæ, quod hæc omnia iam aruerint, atque emarcuerint. Ab hac Paulina doctrina minime dissidet ea, quam antiqui tradidere Philosophi: Ait enim SENECA: *non facit nobilitatem atrium plenum fumosis imaginibus, quia, quod ante nos est, nostrum non est; non enim ad nostram vixerunt gloriam.* & ad eundem Lucillum scribens ait: *cum volueris veram hominis æstimationem videre, & scire qualis sit; nudum inspice, deponat patrimonium, deponat honores & alia fortunæ mendacia, corpus ipsum exuat, & animum intuere qualis quantusque sit, alieno, an suo magnus.* & idem in libro Tragœdiarum inquit:

Ioan. 5. — 1. Cor. 1. — 1. Tim. 1. — Ad Tit. 3. — Ad Col. 3. — Genes. 32. — Seneca ad Lucill. — Idem in lib. Tragœd.

Genus qui laudat suum, aliena laudat.

Et OVID canit:

Ouid. 13. Metamor. Vlyss. orat. cont. Aiac.

Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco.

quæ fuerunt verbi Vlyssis in oratione contra Aiacem pro habendis armis Achillis. Idem quoque OVIDIVS in primo de Ponto ait:

Ouid. 1. de Ponto.

Non census nobilem, nec clarum nomen auorum;
Sed probitas magnum, ingenuumque facit.

Cicer. orat. cōt. Sallust. Iuuenal. lib. 5. Sat. 2.

Accedit CICERO contra Sallustium, dicens: *sanctius est me meis fulgere moribus, quam maiorum opinione niti, vt sim meis posteris nobilitatis initium.* Et IVVENAL. lib. 3. Sat. 2. vbi stylum acuens contra quendam, qui cum prauis moribus esset obscurus, clarum genere se gloriabatur, hæc elegantissima cecinit carmina:

Stemmata quid faciunt? quid prodest Pontice longo
Sanguine censeri, pictos ostendere vultus
Maiorum, stantes in curribus Æmilianis:
Tota licet veteres exornent vndique ceræ
Atria, nobilitas sola est, atque vnica virtus.
Vsque adeo miserum est aliena incumbere famæ.
Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas;
Quam te Thersitæ similem producat Achilles.

VIII. HIS adiungamus verba illa BOETII libro de Consolatione, dicentis:

Boet. 3. de consol. c. 12.

Omne hominum genus in terris
Simili surgit abortu.
Quid genus, & proauos strepitis,
Si primordia vestra,
Auctoremque Deum spectes,
Nullus degener extat:
Ni vitiis peiora fouens
Proprium deserat ortum.

Consonant etiam his egregia, quæ scripsit carmina Strozza Pater Eroticon:

Stroz. Pat. Erot. lib. 1. & refertur in Polyarea verbo Nobilitas.

Non ebore, & gemmis, non auro vera paratur
Nobilitas: aliquid maius habere decet.
Nam virtutis opes tantum ornamenta putantur,
Quas fortuna sua datque rapitque manu.
Hæc igitur nequeunt generosum reddere quenquam,
Causam in se virtus nobilitatis habet.

Non dissimilia sunt, quæ OVID. eleganti cecinit carmine, dicens:

Ouid. li. de Vetula.

Nobilitas hominis mens, & Deitatis imago,
Nobilitas hominis, virtutum clara propago,
Nobilitas hominis, humilem releuare iacentem,
Nobilitas hominis, mentem refrenare furentem,
Nobilitas hominis naturæ iura tenere,
Nobilitas hominis nisi turpia nulla timere,
Nobilitas hominis terrenas temnere dotes,
Nobilitas hominis cœlestia carpere regna.

IX. QVÆ omnia paucis comprehendens D. HIERONYMVS, dixit: *Sola apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus: quid enim apud Deum in viris nobilius Petro, qui tamen piscator & pauper fuit? quid B. Maria illustrius, quæ tamen sponsa fabri describitur? sed illi piscatori, & pauperi à Christo claues regni cœlestis traduntur, & sponsa fabri meruit esse mater illius, à quo ipsi claues traditæ sunt.* hæc D. Hieronymus, à quo minime dissentiens D. Chrysost. hæc super Matthæum eleganter dixit: *Quid prodest ei, quem sordidant mores, generatio clara? aut quid nocet illi generatio vilis, quē mores adornant, & nobilitāt? ipse se vacuū ab omnibus bonis actibus ostendit, qui gloriatur in patribus: quid profuit Cham, qui Noe fuit filius, nonne fuit separatus de medio filiorum, qui secundum carnē frater fuerat natus, secundum animū factus est seruus, nec familia eius potuit defendere impios eius mores? Aut quid nocuit Abrahæ, qui patrē habuit Tharam Deorū cultor, nonne separatus est à genere suo, &*

D. Hier. ad Celant. — Matth. 4. — D. Chrys. sup. Matth. — Genes. 9. — Gen. 11.

positus

positus in caput fidelium? hactenus D. Chrysostom. cui etiam adstipulatur S. BASILIVS dicens: *Illud aduerte, quia extra Paradisum, vir factus est, & mulier intra Paradisum, vt scias, quod non loci, non generis nobilitate, sed virtute vnusquisque gratiam sibi comparat Denique extra Paradisum factus, hoc est, in inferiore loco vir melior inuenitur, & illæ, quæ in meliori loco, hoc est, in Paradiso, facta est, inferior reperitur; mulier enim prius decepta est, & virum ipsæ decepit.*

S. Basil. lib. de Paradis.

X. HÆC tamen, licet vera esse compertum sit, dubitandum non est, non parum decuisse, beatam Virginem ex clarissima familia sanguinis splendore valde conspicua oriri. Primo, quia experientia cõstat, nobiliores, nisi à maiorum suorum ingenuitate degenerent, ciuiliores, vrbaniores, liberaliores, & ad res magni momenti tentandas procliuiores, & in Catholicæ fidei veritate tenacius retinenda firmiores, & constantiores esse; vnde PLATO prudenter dixit: *Consentaneum est meliores esse naturas nobiles in genere, quã ignobiles, ac necesse est, vt bene nati si bene educentur, demum ad virtutẽ perueniant:* hæc quam laude digna sint, nemo ignorat; est ergo commendabilis nobilitas, vnde illa proficiscuntur. Secundo, quia, quemadmodum fulgens; ac pretiosa gemma, quæ annulo aureo inseritur, magis ac magis eum decorat, & illustrat, sic sanguinis nobilitas cum virtute animi coniuncta admirabiliorem, & gratiosiorem illam facit: Tum quia generis nobilitas commendabiliora reddit opera Principum: maiori enim laude dignus erat Ludouicus Galliarum Rex, quod mendicos ad mensam suam assidere compelleret: & quod Imperatoris Theodosii vxor pauperũ xenodochia inuiseret, & illis ministraret quam si vulgares, & ignobiles homines idipsum pſtitissent. Tum quia iuuat viros iustos sanguinis nobilitas ad humilitatis augmentum; quia quanto clariores sunt, & altiori gradu constituti, tanto plus possunt descendere per humilitatem illud SALOMONIS consilium amplectẽtes: *Quanto maior es, tanto magis te humilia*; eapropter conuenientissimum fuit, beatam Virginem regia sanguinis claritate fulgere.

Plato in Alcibiade.

XI. FATEOR quidem, generis splendorem apud Deum nullius momenti esse, nisi cum virtute animi coniungatur; habet enim se generis nobilitas veluti in abaco (*zero*, vt dicitur Italice) quod seorsim, & solitarie sumptum, nullius valoris est; at si illi adiungatur nota aliqua abaci; reddit numerum copiosum: non secus nobilitas sanguinis se sola nihil apud Deum præstat; at si illam concomitetur diuinæ legis obseruantia apud Deum, & homines commendabilem, & pretiosam illam reddit. Ob hanc ergo rationem diuina sapientia prouidit, vt Virgini, quam in Matrem elegerat, nobilitatis circumstantia, quæ commendabiliorem illam, & opera eius clariora reddere posset, minime deesset vnde, cum D. PAVLVS docet, nullam genealogiæ habendam esse rationem, diuersimode illum sancti Patres exponunt: nam inprimis S. AVGVSTINVS respondet, D. Paulum solum reprehendere ibi genealogias quasdam quorundam librorum, quos, *deuterosos*, vocabant, vbi fingebant Adam duas habuisse vxores, ex quo colligebant per plures genealogias prorsus inutiles & contentiosas. S. CHRYSOSTOMVS docet, D. Paulum loqui de genealogiis Gentilium, quia iungebant illas cum fabulis, quæ apud Gentiles valde vigebant. Gentiles autem ad Deos suos, & maxime ad Iouem reducebant genus suum, vt Theogania HESIODI, & AIACIS, & VLYSSIS contentio apud OVIDIVM libro Metamorph. nec non & BOCCATII liber de genealogia Deorum ostendunt. Verum si sequamur intelligentiam D. AVGVSTINI, qui de Iudæorum genealogiis D. Paulum interpretatur, ex eo, quod ad Titum 3. postquam dixit *genealogias*, continuo adiecit; *& pugnas legis*: germana expositio videtur esse, damnare D. Paulum genealogias, de quibus Iudæi vana gloriabantur, filios Abrahæ se venditantes, cum nihil minus, quam Abrahæ opera imitarentur. Vel dicamus etiam, quod forte non displicebit, quod licet studium genealogiarum, dum vigeret lex Moysis, vtile, & necessarium extitisset, tum vt Tribus distinguerentur; tum propter officia sacerdotum, quibus tantum in templo ministrare fas erat; tum ob coniugia, quæ cum suis Contribulibus inire licebat, ne hæreditates in alienas Tribus deuoluerentur, vt habetur libr. Numerorum; tum ob primogenitorum dignitatem, quibus duplex portio obueniebat, vt in DEVTERONOMIO legimus; tum denique, vt certa notitia haberi posset de familia, ex qua Messias erat oriundus & simul agnosceretur fidelis, ac verax Deus in promissis suis, qui quod Abrahæ primum, deinde Dauidi pollicitus erat, tandem impleuit. Verum abrogata iam lege Mosaica, & exhibito iam Messia, genealogiæ inutiles erant, & interminatæ, nimirum sine fine, atque adeo necesse erat cessare hæreditates Tribuum, nec non leges primogenitorum, & coniugiorum euacuari, cum reuera omnia illa instituta fuissent, vt agnosceretur familia, ac domus venturi Messiæ.

D. Paulus vbi supra.

D. Aug lib. 2. in aduersarium legum, & Prophetarum, cap. 1. tom. 6.

D. Chrys. hom 2. de verb. Isaiæ tom 2.

Theog. Hesiod, Ouid. l. 13. Metamor. Boccat. de genealog. Deorum.

D. Aug. vbi supra.

Ioan. 8.

Num. 36.

Deut. 12.

XII. CÆTERVM vt propositum argumentum absoluamus, oportet ostendamus, quod à principio polliciti sumus, beatam Virginem ex vtero materno non solum gentilitiæ nobilitatis suorum parentum, sed & insignem virtutum illorum legitimam hæredem ex vtero materno prodiisse. Certe sicut aqua per auri mineralia defluens salutiferas valde qualitates ab auro mutuat; ita B. Virgo per venas illas auri potentissimorũ Regum, ac mineralia SS. Patrum pertransiens, diuina virtute factum est, vt non solum generis nobilitatem, sed & præclaras eorum dotes cumulatius, quam omnes illi participaret. Hæres fuit B. Virgo patris sui Dauidis in mansuetudine, Salomonis in sapientia, Abrahæ in confidentia, Asæ in fortitudine, Iosaphat in obseruatione legis diuinæ, Ezechiæ in cura ac diligentia quærenti diuinam voluntatẽ, Iosiæ in innocen-

2. Paralip.

3. Reg. 23.

xia, quæ à pueritia cœpit quærere Dominum, ac sic de reliquis animi dotibus, ac cœlestibus charismatibus, quibus tam viri, quā fœminæ, & maiores illius conspicui, ac insignes fuere; in omnibus illis successit tanquam legitima hæres beatissima Virgo. Narrat PIERIVS VALERIANVS, apud Romanos annulum nobilitatis insigne fuisse, vt hoc symbolo admonerent nobiles, ꝙ sicut in annulo finis coniungitur cum principio, & per omnia ei persimilis esse perhibetur, ita ipsi, qui nouissimi sunt in eorum prosapia, persimiles esse deberent primis suis progenitoribus, qui principium suæ nobilitati dedere. Annulus certe aureus est genealogia Christi Domini, cuius finis, scilicet Maria, *de qua natus est Iesus*, persimilis fuit principio, hoc est, suis progenitoribus, ab eorum ingenuitate, ac sanctitate non solum non degenerans, sed longa intercapedine excedens.

Pier. Valer. lib. 4. verb. annulus

Matth. 1.

XIII. ATQVE hinc nō possum non ansam sumere, vt in eos stylū acuam, qui quo generis nobilitate splēdidiores, eo vitæ consuetudine sordidiores, & obscuriores se exhibent, diuina, & humana præcepta licentiosius, ac liberius omnibus transilientes, vt aperte indicāt verba ipsius Dei ad ipsos dicentis: *Me non timebitis, qui posui arenā terminū maris?* Mirabile sane est, quod suadere volens Deus nobilibus timorem sui, solum eis ob oculos ponat, quod circumdederit mare arena; videbatur enim consultius fuisse, reuocare illis in memoriam, quod inundanti diluuio habitatores terræ submersisset; quod ciuitates Sodomæ, & Gomorrhæ igne, & sulphure concremasset; quod totam Ægyptum culicum, ranarum, sanguineæ aquæ fluuiorum, ac tandem vniuersum exercitum Pharaonis submersionis in mari rubro acerbissimis suppliciis affecisset; hæc sane ad metum incutiendum apta videntur; at dicere, quod arenam mari tanquam terminum posuisset, quid quæso conducere posset ad reprimendā illorum petulantiam? multum quidem per omnem modum, si id altius perpendatur: ad quod meminisse oportebit, SALOMONEM dixisse: *& legem ponebat aquis, ne transirent fines suos*: ac si diceret: portentosum illud maris monstrum, quod videtur vniuersam terram velle deuorare, sola Dei lex, & præceptum compescit; vt extra præfixos sibi terminos ne latum quidem vnguem pertranseat; & vt magis diuini præcepti virtus, & potentia se ostentaret, non circumdedit mare montibus, aut instar murorum fortissimis rupibus, sed solum minutissima arena, quæ vento, aut flatu dispergi solet: cum ergo Deus Principibus ait: *Me non timebitis, qui posui arenam terminum maris?* perinde fuit, ac si diceret: si horribile illud, ac indomitum maris monstrum, cum accedit ad arenam, tanquam terminum sibi præfixum, quasi timens illum transilire retrocedit, & aufugit, vosne, qui ratione præditi estis, non timebitis legum mearum limites, & terminos licentiose & petulanter transgredi? sed heu calamitosa tempora nostra Principibus plena,

Ierem. 5.

Gen. 7.
Gen. 19.
Exod. 8.
Ibid.
Exod. 14.

Eccl. 24.

Ierem. 5.

quorum singulis Deus clamat: *A seculo confregisti iugum meum, rupisti vincula mea:* hi diabolicam libertatem sectantes, diuinæ legis iugum, tametsi alioquin suaue: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue*, confringunt, & diuinorum mandatorum compedibus & vinculis irretiti renuunt, dicentes: *Dirumpamus vincula eorum*: sed paulo inferius ait DAVID, diuinam vltionem experturos: *Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos*: bene quidem ait: *irridebit eos*: nam quemadmodum fabulosi auctores cōfinxerunt, aues cuiusdam vrbis videntes se vndique retibus à ciuibus illius circumdari, vt illas caperent, Nycticoracem consuluerunt, tanquam auem nocturnā, studio deditam, & quæ multū olei in eo consumit, vt viam aliquam eis aperiret, qua insidiātium venatorum retia effugere possent: Illa respondit, hoc esse optimū remediū, vt omnes quercus, ex quibus fluctiuium fit, radicitus extirparent, & cum primum semen lini, & canabi in agris seminaretur, continuo illud rapientes vescerentur, vt sic retia fieri non possent; at consilio hoc audito, non solum difficili, sed impossibili, reliquæ aues irriserunt consultorem: ita Reges terræ, & Principes, qui diuinarum legum vincula, & retia perfugere posse falso sibi blandiuntur, tanquam insanos, & amentes irridebit Dominus: *Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.*

Ierem. 2.
Matth. 11
Psal. 2.
Ibid.
Psal. 2.

XIV. PVTABAT quidem Sedechias Rex à diuinæ legis retib. se posse erumpere, & licentiose viuere; tamen Deus irridens illum, dixit: *Extendam rete meū super eum, & capietur in sagena mea*: ad cuius loci intelligentiam oportet singulare, quod in eo latet, arcanum propalare: refert enim NICOL. de LYRA ex antiquissimis Hebræis modum comprehensionis Regis Sedechiæ, cum ab hostibus suis fugere tentaret, in hunc modum fuisse: Erat subtus via quædā abscondita, quæ incipiebat ab aula Regis, & perueniebat vsque ad desertum: hanc ingressus Sedechias, vt fugeret hostium manus, contigit, quod quidam milites Babylonici in planitie quadam Iericho venationi vacantes quandam ceruam, seu capram sectantes, ingrediente illa eandem viam, qua Rex Sedechias veniebat, milites pariter illuc introeuntes, Regem fugientem præter opinionem inuenerunt, & comprehendentes illum, captiuum duxerunt; vnde factum est, vt eadem via, qua vincula fugeret, in vincula incideret; cum ergo ait illi Deus: *Extendam rete meum super eum, & capietur in sagena mea*, alludit ad capram illam, quæ velut sagena se habuit, qua ab hostibus captus fuit.

Ezech. 12.
N. c. de Lyra in c. 12. Ezech.
Ezech. 12.

XV. Ex quo sane vellē Principes ac nobiles addiscere Deo seruire, Deum timere, iudicia eius vereri, memores illius sententiæ: *Potentes potenter tormenta patientur*, & illius alterius: *Deus non irridetur.* velim etiam sibi persuadeant, idque alta mente reponant, iustitiam, & sanctitatem veram, & germanam esse nobilitatis matrem. Certe Moysis nobilitas, & generis illius splendor non cœpit

Sapient. 6.
Galat. 6.

ab eo

ab eo tẽpore, quo filia Regis Pharaonis in filiũ suũ adoptiuum eum destinauit; sed ab eo, quo Hebræũ quendam ab iniuria, & vi, quam Ægyptius ei inferebat, viriliter vindicauit. Dauidis etiam insignis nobilitas exordium habuit ab eo temporis momento, quo caput Goliath præcidens, à tyrannica eius oppressione populum suum liberauit. Inde enim cœpit tota eius progenies à tributo-
1.Reg.17. rum onere immunis esse: *Et domum patris eius faciet absque tributo.* Iob tandem in iustitia, & sanctitate fundata habuit suæ nobilitatis primordia: *Iu-*
Iob. 29. *stitia indutus sum, & vestiui me sicut vestimento, & diademate, iudicio meo. Oculus fui cœco, & pes claudo. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.*

XVI. Hæc sane sunt exercitia nobilium, & illustrium, & potentum digna opera: non virgines insectari, non pauperem opprimere, non sacra templa profanare, non iocis, & lautis conuiuiis, (proh dolor) vacare. Vnde verbi diuini præconibus valde incumbere arbitror, nobiles, præcipue publice peccantes, publice arguere, iuxta illud D. PAVLI: *Peccantem coram omnibus ar-*
2.Tim.5. *gue.* Huc facit, quod sanctus noster ANTONIVS de PADVA de Cicada scripsit: ait enim, Cicadam oleo vnctam, quasi mortuam immotam manere, aceto vero aspersam continuo reuiuiscere; cuius eam arbitror esse naturalem rationem, quod oleum Cicadæ poros obstruens, spiramen aereum haurire non sinat, & ideo continuo quasi mortua iacet; acetum vero eius poros aperiens aeri aditum præbet, vt respirare valeat: non dissimiliter, dum nobiles adulationis oleo vnguntur, peiores euadunt; at si acrimonia, & aceto reprehensionis afficiuntur, à morte, quam per peccatum incurrerant, per concionatorem reuocantur.

XVII. VNDE nos, qui à Principum adulatione longe calamum nostrum abesse desideramus, quin potius eos à vitiis acerbissimis, Dei suppliciis eis propositis, auocare ardentissime cupimus, exploratissimas in sceleratos Principes diuinæ vindictæ pœnas non ex anicularum fabellis, Poetarum figmentis, aut apocryphis narrationibus, sed ex sacris eloquiis, probatissimisque traditionibus depromptas in medium producemus, quibus Deum acerbissimum pariter, & iustissimum illorum iudicem, ac vltorem semper extitisse liquido constabit.

Exod 14. XVIII. HVIVS rei testis est *Pharao Ægypti Rex*, qui Dei populum fugientem persequens, vna cum vniuerso exercitu maris fluctibus obrutus est.

XIX. Testis est *Nabuchodonosor*, à regali sede summaque potentia ad ferarum pastum, & conuictum deiectus, qui pristinæ dignitati tandem restitutus, diuinum, quod in se senserat, iudicium
Dan. 4. agnoscens: *Glorifico*, inquit, *Regem cœli, quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in superbia potest humiliare.*

2.Par.26. XX. TESTES *Ozias, & Ioram Reges Iudæ*: ille fœdissima lepra, hic insanabili alui languore à Domino percussus; è quibus hic visceribus paulatim effusis, *mortuus est*, inquit historia sacra, *infirmitate pessima.* 4.Reg.9.

XXI. TESTIS *Antiochus Tyrannus*, qui inuisibili plaga à Deo accepta, & scaturientibus è corpore suo vermibus, cum carnis suæ vndique diffluentis fœtorem ferre non posset, confessus est, *Iustum esse Deo subiici, & mortalem paria Deo non sentire.* 2.Mach. 9.

XXII. TESTIS *Herodes Agrippa*, de quo ait Scriptura: *confestim percussit eum Angelus Domini*, eo, quod non dedisset honorem Deo, *& consumptus vermibus exspirauit.* Act. 12.

XXIII. TESTIS *Iulianus Imperator*, nequissimus Apostata, qui transfixus telo, vel ab Angelo, vel, vt alii sentiunt, à sancto *Mercurio*, diuinam in se vindictam agnouit, exclamans: *vicisti Galilæe*: ita enim Christum Saluatorem nostrum appellare solebat. Socrat. hist. lib. 3. c. 17. Theod. l. 1. c. 20. Pau. Diac. lib. 23.

XXIV. TESTIS *Leo IV. Imperator Iconomachus*, qui cum coronam auream pretiosissimo carbunculo ornatã ex sanctæ *Sophiæ* altari abstulisset, eamque per totam *Constantinopolim*, triumphantis more capite gessisset, dignas sacrilegii pœnas dedit, nascente subito in capite eius vlcere teterrimo, *carbunculo* dicto, cuius vehementi dolore in febrem primum, & deinde in furorem coniectus, post paucos dies sacrilegam animam exhalauit. Zonar. Annal. tom. 4. Ignat. in Epirume. Baron. ex Theophane a. 780.

XXV. TESTIS *Poplicus Poloniæ Rex*, dilaniatus à muribus vna cum vxore sua sceleris consorte, qui mures prodierunt è sepulchris fratrum, nepotumque eius, quos nefarie occiderat. Hist. prodigiosa p. 1. c. 3.

XXVI. TESTIS *Boleslaus* etiam *Poloniæ Rex*, qui sanctum Stanislaum Episcopum propria manu interfecit: hic enim a suis subditis regno eiectus, & paulo post furore correptus, dum per syluas vagus erraret, à canibus discerptus est. Dubrau. hist. Bohem.

XXVII. TESTIS *Drahomira Vratislai Bohemiæ Ducis* vxor, quæ *Ludimillæ*, sanctissimæ fœminæ, plurimorumque sacerdotum sanguine contaminata, dehiscente terra, vna cum curru, quo vehebatur, absorpta est; cuius rei apud Bohemos iuxta ciuitatem Pragensem visenda adhuc extant monumenta. Ad extremum accedunt egregia illa Iuuenalis carmina. Idem ibid.

Ad generum Cereris sine cæde & sanguine pauci Iuuen. Sat. 10.
Descendunt Reges, & sicca morte Tyranni.

Ex quibus omnibus liquido constat, quam execrabilis sit Deo nobilium effrænata viuendi licentia, & superbia, ac Principum tyrannis; cui sit honor, & gloria in secula seculorum, Amen.

HOMILIA II.

De variis circumstantiis tam antecedentibus, quam concomitantibus, & subsequentibus felicissimum Deiparæ Virginis ortum; & de vaticiniis, & figuris, tempore, loco, & vniuersali gaudio; quod mundo annuntiauit; & aliis similibus.

I. IRANTVR non pauci, Euangelistas omnes beatissimæ Virginis ortum, mortem, & in cœlum assumptionem, & alia similia silentio præteriisse, cum tamen multa egregia, atque præclara de Ioanne Baptista commemorarint. Verum id diuino consilio factum non est ambigendum, quia huiusmodi silentium plenius, & cumulatius, quam quæcunque fœcundissima dicendi facultas beatæ Virginis stupendam excellentiam commendat. Vt enim in scientiis præsupponuntur quædam principia, quæ non probantur, sed supponuntur tanquam omnino nota, ita in mystica hac sacræ Scripturæ scientia præsupponuntur aliqua prima principia, de quibus, vt notissimis, non oportet sermonem instituere: Inter quæ vnum est, beatam Virginem, sicut Matris Dei dignitate, ita vitæ sanctitate, omnem puram creaturam longo interuallo superare; & ideo specialia Virginis præconia Euangelistæ siluere, contenti dixisse, quod ex ea natus fuerit Iesus, quod infinita in se claudit præconia. Quod si vrgeas, debuisse sacros Euangelistas, vel aliquem illorum Virginis parentes recensuisse: cum & Ioannis Baptistæ, Andreæ, Ioannis, & aliorum parentes tres Euangelistæ commemorent; LVCAS, MATTHÆVS, & IOANNES. *Luc. 1. & 6. Matth. 4. & 20. Ioan. 1.*

II. ARBITROR quidem tacitos fuisse Virginis parentes, ad maiorem eius honorem, ac decus; qui enim asserunt, Virginem Mariam sub originali peccato conceptã, eo maxime nituntur argumento, quod ex viri semine, vt cæteri homines, processit; qui vero sentiunt ab illo delicto præseruatam, illud maxime argumentum vrgent, quod fuerit Mater Saluatoris Christi, vt eminentiori genere sanctificationis, scilicet præseruatione à peccato gaudere promereretur. Vt ergo Spiritus sanctus indicaret illam alienam ab hoc crimine, eius parentes subticuit, innuens eam non fuisse à Deo respectam, vel à nobis respiciendam tanquã filiam Adæ sub peccato eius cõprehensam, sed vt Matrem Iesu Christi clamoso quodam silentio personans: Noli prudens scripturarum scrutator, & lector, patrem, vel matrem Virginis quærere, ne forte vnicam, quã ego immaculatam asserui, tu, tanquam teipsum, datam peccato putes. Considera partum, & fructũ eius, id est IESVM, propter quem illam ab omni prorsus peccati macula immunem agnosces: sic enim Melchisedech *sine patre, & matre, & sine genealogia* introducitur, vt Christum, qui absque genealogia est, secundum patrem significaret: ob id ergo taciti sunt Mariæ parentes, vt immaculatæ Virginis puritas magis astrueretur. *Ad Heb. 7.*

III. VERVM licet sacri Euangelistæ nihil de parentibus Virginis, aut quidquam de circumstantiis ortus illius commemorarint; ea tamen, quæ Patres, & graues Auctores de his edixere, inutili silentio minime prætermittam. Et quidem imprimis, si de circumstantiis antecedentibus sit sermo, certe AMOS dicente: *Non facit Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas*: manifeste relinquitur, Virginis ortum antiquis Patribus fuisse prænunciatum, vt disertis verbis docuit D. BERNARDVS dicens: *Longe ante Patribus est cœlitus repromissa, mysticis prænunciata miraculis, & oraculis Propheticis.* Vnde RVPERTVS ait: magnam partem libri Canticorum de beata Virgine loqui, & doctissimus APPONIVS addit, infelicem esse, qui hoc non credit. Deinde: præcipuæ fœminæ, quas commemorat sacra Scriptura, vt Sara, Rebecca, Rachel, Abigail, Sunamitis, Debbora, Iudith, Iahel beatam Virginem adumbrarunt; specialiterque Maria soror Moysis, & Aaronis typum eius gessit. Virgo enim dicta est Maria, sicut illa fuit soror, ac mater summi sacerdotis, ac legislatoris Christi in Moyse, & Aarone prænignati: & sicut illa pueriles tunc annos excessit, cum populus ab Ægyptiaca seruitute liberatus est: ita hæc ad quintum decimum annum perueniт; quando nato Christo à Dæmonis captiuitate mundus fuit liberatus; fuit illa Maria prima prophetissa in veteri lege, & insignis sapientiæ; vt inquit CLEMENS ALEXANDRINVS: at nostra Maria prima prophetissa in lege Euangelica fuit, & magistra magistrorum, vt docet AVGVST. 7. de Ciuit. cap. vlt. Fuit antesignana, & tympanistria, sicut illa, ad laudes omnino pro reportata victoria decantandas, quam sequuntur omnes Virgines in tympano, & choro (& ideo diuinam tympanistriam eam AVGVSTINVS appellat serm. 17. de Natiuit. Domini: nam LVC. 1. habetur: quod cecinit, *Magnificat anima mea Dominum*: Ac tandem ista nostra Maria fuit Virgo, fuit etiam & illa, quod mirum est in veteri lege, & non sine mysterio: ita docet AMBROS. in exhortat. ad Virgines: & APPONIVS libr. 6. in Cantic. dicens, has esse duas primas Virgines, alteram Veteris Testamenti, alteram Noui.

Amos 3.

D. Ber. ser. super signũ magnum.

Rupert. l. 7. de process. Spiritus S. cap. 13.

Exod. 6. & 15.

D. Amb. Luc. ep. 81.

Clem. Alex. 4. super Matth.

IV. QVOD si Deus per Angelos nunciauit parentibus ortum Ismaelis, Isaachi, Sampsonis, Iosie, Iacob, Esau, & Ioannis Baptistæ, vt sacra testantur eloquia, facile inde constat, hunc honorem Natiuitati Virginis fuisse delatum, quæ Ismaele fœcundior, Samsone fortior, Isaac obedientior, Isaia obseruantior, Iacob à peccato immunior, Ioanne longo interuallo sanctior esse noscitur. Vnde D. ANSELMVS lib. de Conceptu Virginali c. 2. ait: *Debuit prænunciari per Angelum, sicut & factum fuit.* Quis aũt fuerit hic Angelus: Gabrielẽ putant nonnulli

Gen. 15. Gen. 18. Iud. 13. & 14. 3. Reg. 13. Gen. 25. Luc. 1.

nulli Doctores, qui & ortum Baptistæ prænunciauit, vt sanctus Lucas commemorat, precibus parentes Mariam à Deo obtinuisse, cum steriles essent; his verbis tradit CYPRIANVS de laudibus beatæ Mariæ, IOANNE PICO interprete: *De radice Iesse ortus est rex Dauid, & de Tribu Regis Dauidis sancta Virgo; sancta (inquam) & sanctorum filia; cuius parentes fuerunt Ioachim, & Anna, qui quidem in vita sua Deo placuerunt, atque etiam fructum huiusmodi germinarunt, sanctam Virginem Mariam templum simul & Matrem Dei: Ioachim porro, Anna, & Maria, hi tres Trinitati palam sacrificium laudis offerebant; Ioachim enim interpretatur, Præparatio Domini, eo quod ex illo præparatum sit templum Domini, nempe Virgo: Anna rursum similiter, gratia, interpretatur; propterea quod Ioachim, & Anna gratiam acceperunt, vt accedentibus precibus talem sanctum germinarent, sanctam Virginem adepti: Ioachim siquidem precabatur in monte, & Anna in horto suo, Anna vero grauida effecta, cœlum & thronum cherubicum peperit, sanctum, puellam Mariam.*

D. Cypr. de laud. Vir. in Assumpt.

Amos 3.

V. ATQVE hæc dicta sufficiant de circumstantiis antecedentibus: iam de concomitantib. dicamus, quæ tempus, & locum ortus concernant. Nata fuit beatissima Virgo (si credimus ABVLENSI) anno ab orbe condito ter millesimo, nongentesimo quadragesimo septimo, & à transmigratione Israelitarum in Babyloniam, quingentesimo septuagesimo sexto, & ab Vrbe condita septingentesimo trigesimo octauo, qui vigesimus secundus fuit Augusti Romæ regnantis, Herode Idumæo Iudæorum tyranno; Marco Druso, & Liuio Pisone Romæ consulibus, vt tradit D. DAMASCENVS oratione I. de Natiuit. Scio Cardinalem BARONIVM opinatum fuisse, natalem Dei Genitricis Mariæ incidisse sub Consulatu Furnii nepotis, & Iunii Sileni, anno ab Vrbe condita septingentesimo trigesimo septimo, Augustini Imperatoris ad Triumuiratum 26. olympiade centesima nonagesima, anno tertio, sed allatam computationem docent etiam grauissimi Doctores. Perlepide dixit sanctus DAMASCENVS orat. de Natiuit. Virginis. *Certabant sæcula, quodnam ortu Virginis gloriaretur:* Quam autem illud tempus, cui hæc fœlix contigit sors, ad hunc ortum congruerit, eleganter docuit Doctor CANISIVS in hæc verba: *Quam vero pulchre, quam commode tunc Maria nascitur, quo furibundus simul, & stolidus diuini consilii impugnator Herodes regium Dauidis genus extinguere, ne quisquam Messias procreetur, vi summa conatur? vnde in communi fere omnium desperatione, & cum Sathan diuinum perturbare decretum maxime nititur, Ioachim, & Anna, ex Dauidis stirpe superstites coniuges diuinitus eliguntur, qui Messiæ matrem lectissimam, vel inuitis Herodianis in lucem proferunt.*

Abulens. in c. 2. Matt. q. 91.

D. Damasc. orat. 1. de Natiuit.

Baron. to. 1. annal. c 1. fol. 25.

Abulen. in c. 2. Matth.

Aliam computationem *vide infra lib. 5. hō. 1.*

D. Damasc. orat. de Nat. Virg.

Canis. l. 1. de Deip. c. 11.

VI. MENSEM autem Mariani ortus Septembrē fuisse, præter auctoritatem Ecclesiæ, quæ hoc mense solemni ritu illum celebrat, docent communi consensu historiographi de ortu Virginis agentes; quod non singulari mysterio carere putandum est, quia (vt Doctores Hebræi adnotarunt, id referente eruditissimo CANISIO) eodem mense & orbis conditus fuit, & Eua formata, quæ typum gerebat Mariæ: vnde sicut mense Septembri Deus habitacu'um confecit primo Adæ, & adiutorium ei dedit simile sibi, vt ait Moyses, ita eodem mense beatam Virginem condidit futurum habitaculum Christi, & adiutorium persimile illi: Congruum fuit etiam, vt mense Septembri nasceretur, quæ semper Virgo futura erat, quia mense Septembri sol recedens à signo Leonis, ingreditur in signum Virginis, quod non obscure præsignificabat, Deum, qui alioquin, vt Leo rugiebat: *Mihi vindictam, & ego retribuam*, velut agnum ex mansueta oue Maria nasciturum, & instar vnicornis in gremio Virginis ferocitatem depositurum. Ac tandem illud etiam non sine profundi causa mysterii contigisse creditur, vt Deipara Maria sub ipso fere vindemiarum tempore nasceretur: tunc quippe vinearū palmites fructuum multiplici copia onusti ad ima defluunt, tunc vuarum botri grauida maturitate turgescunt, tunc Agricolarū spes, quæ toto anni curriculo suspensa fuerat, vberes transacti laboris se carpere fructus exultat; tunc arbores saporifera fructuū suauitate redolent, & poma, quę acerbitate sua hominum gustus exasperabant, grata maturitate demulcent: sed per hæc, quæ exterius cernimus, reflectere oculos ad interiora debemus. Certe populus Dei vinea appellatur ab ISAIA: *Vinea Domini exercituum domus Israel est:* &: *Vineam Sabama Domini gentium exciderunt.* sicut ergo vinearum fructus toto anno expectatur, in solo vero autumno colligitur; sic Redemptor noster, quem lex vetus præsignauerat, Prophetæ prædixerant, Sancti Patres vsque ad quintam ætatem ardētissime desiderauerāt, in solo Mariæ tempore venit. Vel dicamus aliter, si placet, Mariam esse hanc vineam, quæ protulit fœcundam illam vitem, Christum scilicet Dominum, dicentem: *Ego sum vitis vera, & vos palmites*; protulit etiam *vinum germinans Virgines*, vt dixit ZACHARIAS, quod expressum fuit in torculari Crucis, vt Saluator dixit per ISAIAM Prophetam: *Torcular calcaui solus.*

Canis. vbi supra.

Gen. 2.

Heb. 10.

Deut. 32.

Psal. 28.

Isai. 5.

Isai. 16.

Ioan. 15.

Zach. 9.

Isai. 63.

VII SED pergo iam diem signare fœlicis huius Mariani ortus. Ad eius intelligentiam opus est, supponamus, quod cum mensium computatio, apud Hebræos a Maria inciperet, cōsequenter Septembrem septimum fuisse: noluit tamen Deus in quocunque alio illius mensis die natalem Virginis cōtingere, quam octauo, qui sabbatus fuit; si illius temporis computatio recte inspiciatur. Die quidē festiua inter Hebræos, cui Dominica dies in Christi Domini Resurrectionis honorem successit: nata igitur fuit beata Virgo in mense Septembri, die octauo, & die sabbathi, non absque mysterio, quia septenarius, & octonarius numerus celebres sunt; ille in lege scripta, hic in lege gratiæ: *In die nam-*

Genes. 2.

que septimæ requieuit Dominus ab omni opere, quod patrarat; cum machinam mundi condidit; in octaua vero requieuit gloriosus à mortuis resurgens, quando humani generis iacturam restaurauit. Volens ergo Deus, matrem eius nasci septimo mense, & octauo die non obscure mihi ostendit, in ea pretiosa quæque vetera, & noua vtriusque legis coniungenda fore; vnde ipsa dixit: *Omnia poma vetera, & noua seruaui tibi dilecte mi.*

Cant. 7.

VIII. QVOD autem ad Mariæ natalem sabbathū diem congruentissime elegerit, multiplex ratio probat; prima, quia cū Deus benedixisset hunc diem; iuxta illud GENESIS: *benedixit Deus diei septimo, & sanctificauit illum*, congruum erat, vt quæ sancta concepta, & sancta nata, & quæ sanctitatis auctorem paritura erat, in die quoque sancto, seu sanctificato nasceretur. Secunda, quia sicut in hac die quiescere cœpit Dominus in creatione mundi, vt ait MOYSES, *requieuit Deus die septimo*: ita ipse in vtero Virginis, humana carne indutus, requiescere decreuerat: *qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*: vt enim eleganter dixit B. PETRVS DAMIANVS; *non est locus voluptatis, nisi vterus Mariæ, in quo cumulauit omnes delicias Dominus, de cuius deliciis Spiritus sanctus admiratorio sermone in amoris cantico sic eructat: quæ est ista, quæ ascēdit per desertū deliciis affluens?* Ac tandem, licet cœlestia astra in humanam voluntatem, ad eam flectendum, vel huc, aut illuc ducendum, nullam vim habeant; vt habere falso sibi blandiuntur, qui iuxta diuersam constellationem Iouis, Martis, aut Saturni, sub qua quisque natus est, hominum mores futuros esse contendunt, contra illud HIEREMIÆ; *à signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ sunt*; quia tamen in corpus humanum influunt, inuantque ad malam vel bonam eius complexionem, facile mihi persuadeo, diuina prouidentia factū esse, vt nata fuerit beata Virgo sub beneuolo valde astrorum aspectu, ac fauorabili constellatione, vt sic omni ex parte felicissimus esset eius ortus.

Gen. 1. Exod. 20. Gen. 1. Eccl. 24. D. Pet. Damian. serm. de Annunc. Virg. Cant. 8. Ierem. 10.

IX. Porro de circumstantia loci hæc apud Probatos Auctores reperio. D. HIERON. vel quicumq; est auctor libr. de ortu Virg. ait: natam in ciuitate Nazareth. ABVLENSIS autumat natam probabiliter in Sepphero, quod est oppidum distans à Nazareth per tres leucas, contra Aquilonem; de hoc enim loco ait fuisse Ioachim patrem Virginis, & ibidem etiam B. Annam ortam. Adricomius autem ait, D. Annam habuisse Hierosolymis domum, & in ea B. Virginem conceptam, & natam fuisse. In cuius testimonium ait: in eo loco extructum esse templum, quod D. Annæ appellatur: quod olim Cœnobium fuit Virginum; & modo non longe est à Probatica Piscina: cui sententiæ adstipulatur D. DAMAS. dicēs: *In lucem editur Virgo in domo Probaticæ Ioachim*, id est, in domo Ioachim, quæ iuxta Probaticam Piscinam sita erat, & orat. 1. de nat. Virg. ait: *fausta tibi sint omnia ô Probatica, Reginæ domicilium, fausta tibi sint omnia, ô Probatica seminum Ioachim, vetus fanū, nunc autem ouilis ratione præditi, Ecclesia cœlum imitans, atque olim semel, quotannis Angelum Dei excipiens aquam turbantem, & vnum valetudini restituentem.*

Abul. super Matth, 1. q. 91. D. Damas. orat. de nat. Virg. & q. ortho. fid. cap. 15.

X. TANDEM iam ad circumstantias ortum B. Virg. subsequentes orationē conuertamus, inter quas felicitas, & gaudium vniuersi non vltimū locum tenet. Certe tempus illud, quo Maria soror Moysis nata est, infelix fuit, & amarū, nam à tēpore ortus illius, vt Doctores Hebræi commemorant, & tradit GENEBRARDVS, cœperunt Ægyptii Hebræos affligere, vnde ab amaritudine illa nata puella, MARIA appellata est: at sæculum illud, quo Maria nostra nata est, felicissimum fuit; tunc enim ortu surgentis auroræ genus humanum aduersus solis iustitiæ, hoc est, Verbi diuini in carne venturi certum signum accepit; humani generis hostes debilitari, ac diuina charismata cœlitus mitti cœperunt; vnde non immerito verba illa Poetæ natali Mariæ congruere possunt:

Genebr. lib. 1. Chronogr.

Magnus ab integro saeclorum nascitur orto,
Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna.

XI. QVOD vt clarius innotescat, percurramus (si placet) sex mundi ætates, quibus mundus conditus apte est adumbratus, in quas vniuersa tempora D. AVG. diuisit. Prima ætas, quæ fuit ab Adam vsque ad Noe, similis est primæ mundi diei, in qua Deus lucem creauit: in illa enim prima ætate facta est lux originalis iustitiæ: & gratiæ; sed dies hæc habuit obscurissimam noctem per peccatū Adæ, quæ vniuersam naturā deturpauit. Secunda ætas à diluuio vsq; ad Abraham similitudinem gessit diei secundæ: nam secunda die factum est firmamentum in medio aquarum, diuisitque Deus aquas ab aquis. Diuus AVGVSTINVS Noe, & Arcam diluuii aquis innatantem considerans, cernere sibi videbatur firmamentum in medio aquarum; hac ergo ætate factum fuit firmamentū hoc in medio aquarum. Nec minus apte impletum videtur illud, quod ait: *diuisitque Deus aquas ab aquis*; nam Diuo IOANNE dicente: *aquæ enim populi sunt*, certe diuidens tunc populos à populis, aquas ab aquis diuisit; diuidens enim linguas, consequenter diuisit populos, & ex aquarum diuisione eorum diuisio orta est. Tertia ætas ab Abrahamo vsque ad Dauidem, tertiam portendit diem, in qua terram ab aquis Deus segregauit; herbisque, floribus, & arborum amœnitate exornauit; in hac quidem tertia ætate Deus Israeliticū populum, dilectam suam hæreditatem, à reliquis nationibus discreuit; vt adnotauit Diuus AVGVSTINVS præcitato loco. Quarta ætas à Dauide vsque ad Babylonicam captiuitatem, quartæ diei habet imaginem; in quarta namque die solem astraque condidit, & quarta quidem ætate similiter Dauidem, & Salomonem, velut populi illius solem, ac lunam, cæterosque Reges velut astra produxit; vt eleganter prosequitur idem AVGVSTINVS. Diluculum huius diei

D. Aug. lib. 1. de Gen. cont. Manich. c. 23. D. Aug. vbi supra. Gen. 1. Apoc. 17. D. Aug. vbi supra. D. Aug. vbi supra.

fuit

fuit Dauidis imperium; ſed atra nox Babylonica captiuitas. Quinta ætas ab hac Babylonica ſeruitute vſque ad Meſſiam, diem quintum ad amuſſim refert; quinta enim die ex aquis volucres aduolarunt, in aquis piſces permanſerunt: & perſimili quidem modo quinta ætate Iſraelitæ ex populis gentium in Iudæam ad colendum verum Deum, Cyro facultatem dante, veluti volucres euolarunt: gentes vero, vt piſces in ſuis regionibus, & idolorum cultu perſtiterunt. Sexta ætas a Meſſia vſque ad mundi finem, quæ perfectiſſima omnium eſt, ſextæ diei ſimilis eſſe perhibetur: ſicut enim ſexta die primum Adamum, & primam Euam Deus condidit, ita in ſexta mundi ætate ſecundum Adamum, Chriſtum Dominum, & ſecundam Euam, Virginem immaculatam, mundo exhibuit: huius ſextæ diei aurora Virgo mater fuit, tunc enim mundo tenebris circumfuſo illuceſcere Chriſti ætas ſexta cœpit: hæc enim aurora & cœleſtis roris, & ſolis iuſtitiæ mater fuit.

Gen. 1.

XII. QVARE autem ortus illius octauo die fuerit, non parum illum commendat, cùm teſte Diuo AMBROSIO octaua ſumma virtutum ſit, & Diuus HILARIVS *Octonarium omnium conuenientium in ſe vndique partium æqualitate perfectum eſſe aſſerat.* & MACROBIVS tradat, Pythagoricos hunc numerum iuſtitiam vocaſſe, quia primus omniū ita ſoluitur in numeros pariter pares, hoc eſt, in bis quaterna, vt nihilominus in numeros æque pariter pares, diuiſio quoque ipſa ſoluatur in bis bina. Eſt autem obſeruatione dignum, quod olim hoc menſe Septembri ſecundum Latinorum computationem feſtum tabernaculorum celebrabatur, cuius loco in lege gratiæ Catholici celebramus feſtum tabernaculi, quod ſanctificauit Altiſſimus. Quam autem hæc celebritas antiqua ſit, non eſt vna omnium ſententia. VINCENTIVS in ſpecul. hiſtoriarum refert incepiſſe ab Innocentio quarto, anno 1250. diſſidentibus Cardinalibus in electione Pontificis, cum conclaue perduraſſet pluſquam per annum, & dimidium: vouit Beatæ Virgini celebraturum ſe ortum Virginis, ſi electionem Pontificis ad finem vſque breuiter perduceret, quo obtento, natiuitatis celebre feſtum inſtituit. IOANNES BELLEHT (id referente eruditiſſimo noſtro BERNARDINO in ſuo Mariali) docet, feſtum hoc initium habuiſſe à reuelatione facta cuidam pio viro, qui ſingulis annis octaua die Septembris audiebat iucundiſſimā Angelorum harmoniam, atque dulcem concentum, cuius à Deo interrogans cauſam, reſponſum accepit, ortum Virginis Mariæ in illa die in cœlo celebrari, ſed quo tempore id contigerit, non commemorat. Carnadinalis vero BARONIVS putat tempore Diui Auguſtini hoc feſtum non celebratum fuiſſe, eo ductus argumento, quod Diuus AVGVSTINVS ſermone vigeſimo primo de Sanctis dicat: *Solius Domini, & Beati Ioannis dies Natiuitatis in vniuerſo mundo celebratur, & colitur:* Verum qui dixerit, Diuum Auguſtinum per particulam illam, *Solius*, ſolum excludere viros, prius enim dixerat; quod nulli vnquam ſanctorum legimus fuiſſe conceſſum, facile hoc teſtimonium eludet: forſan tamen tempore Diui Auguſtini (dicunt alii) hoc feſtum vniuerſe non conſueuerat agi, ſed in particularibus Eccleſiis tantum, in Romana tamen Eccleſia perſolemne extitiſſe à tempore Diui Gregorii, vt antiphonarium eius declarat; adduntque apud Eccleſiam Græcam antiquiorem fuiſſe hanc ſolemnitatem, cum in antiquioribus eorum Kalendariis inſerta, & in nonnullarum Bibliothecarum membranis à Diuo Chryſoſtomo, Proclo, Andrea Cretenſi variis orationibus collaudata inueniatur: at his omnibus ſe opponens Beatus PETRVS DAMIANVS tomo primo, ſermone ſecundo de Natiuitate, non dubitauit dicere; *quæ cunctis ſolemnitatibus eſt antiquior tempore, nequaquam debet eſſe infirmior dignitate.* Et quidem mihi difficile perſuadeo, in Eccleſia Chriſti antiquiorem eſſe celebritatem ortus ſui præcurſoris, quam ſuæ Matris, cum in ea nunquam dubitatum fuerit, ſanctiorem natam fuiſſe Mariam ex vtero matris ſuæ, quam Ioannem.

D. Ambr. l. 5. in Luc.
D. Hil. 118.
Macrob. l. 1. de ſom. Scip. cap. 5.
Vincent. in ſpec. hiſt. li. 7. c. 119.
Bernard. de Bulbo.
Card. Baron. to. 1. c. 1.
D. Aug. ſer. 21. de Sanctis, & Ioan. Bap. q. 26.

XIII. CÆTERVM ad gaudium ob natalem Virginis vniuerſum orbem exhilarans reuertentes, ECCLESIA canente: *Natiuitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiauit vniuerſo mundo;* ſane Dauid fœlicem hunc ortum Deiparæ Mariæ aliquando contemplans, ad feſtiua exultatione illum celebrandum nos inuitauit dicens: *Exultate Deo adiutori noſtro, iubilate Deo Iacob: ſumite pſalmum, & date tympanum, pſalterium iucundum cum cithara: buccinate in neomenia tuba: in inſigni die ſolemnitatis veſtræ.* Sanctus THOMAS docet per neomeniam tubam, aut nouam lunam, quod idem eſt, ſignificari illuminationem nouæ Eccleſiæ per Chriſtum: & addit inferius: *feſto neomeniæ ſuccedit in Eccleſia feſtum Beatæ Virginis, in qua primum apparuit illuminatio ſolis, id eſt, Chriſti per copioſam gratiam:* hæc ille. ECCLESIAST. dixit: *à luna ſignū diei feſti*, quia ergo ab hac noua luna recenter exorta exordium ſumpſit redemptio, & gaudium generis humani, id præuidens Regius vates dixit: *Buccinate in Neomenia tuba, in inſigni Dei ſolemnitatis veſtræ*, & quidem ſi Abraham gauiſus eſt in ortu Iſaac, & Anna in natiuitate Samuelis, & tota domus Zachariæ in natali Baptiſtæ, multo magis lætari licebit in ortu Mariæ, quæ totius extitit humanæ ſalutis exordium. Scio AVGVSTINVM libro de viſitatione infirmorum dixiſſe: *Audenter pronuncio, quia principium vitæ hominis initium dolorum eſt; fuere Philoſophi hoc non ignorantes, qui in ortu pueros lugebant, in morte autem gaudebant, hoc ſignificantes, quia homo ad laborem naſcitur, ad quietem autē moritur: Sanctus ille Dauid & de ortu, & de vita filii, quē de Berſabea ſuſceperat, in tantum eſt contriſtatus, vt dum puer adhuc viueret,*

Pſal. 80.
D. Thom. 1. 2. q. 102. art. 4 ad 10.
Idem 1. 2. q. 103. art. 3. ad 4.
Eccleſ. 43.
Pſal. 80.
Gen. 20.
1. Reg. 2.
Luc. 1.
Iob. 5.

viueret, lugens, & incœnatus maneret, mortuo autem paruulo, & gauderet, & cœnaret.

XIV. ITEM ad idem propositum loquẽs D. AMBROSIVS dicit sic: *Feruntur fuisse populi, qui ortus hominum lugerent, obitusque celebrarent: nec quidem imprudenter; eos enim, qui in hoc vita solum venissent, mœrendos putabant; eos vero, qui ex istius mundi procellis & fluctibus emersissent, non iniusto gaudio persequendos arbitrabantur: Nos quoque natales dies defunctorum obliuiscimur, & eum, quo obierunt, diem celebri solemnitate renouamus.* Hæc ille. bene ergo scriptum est ECCLESIASTICI 7. *Melior est dies mortis die natiuitatis.* tum quia dies natiuitatis est ingressus ad miserias tam culpæ, quam pœnæ vitæ huius secundum illud IOB: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis*; sed dies mortis iusto est egressus, & liberatio ab omni pœna, & miseria, vt ait IOANNES: *Amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis*; secus autem fuit in virgine, quæ sicut omnis peccati expers nata est, ita & absque vlla peccati labe totum vitæ suæ curriculum peregit, nullius ergo spiritalis miseriæ, sicut in nobis, natiuitas eius præsaga fuit, & prænuncia. Vnde beatus PETRVS DAMIANVS tam pie, quam erudite dixit: *Exultemus, inquam, & sicut gaudere solemus in Natiuitate Christi, ita etiam gaudeamus in Natiuitate Matris Christi: hodie nata est Regina mundi, fenestra cœli, ianua Paradisi, tabernaculum Dei, stella maris, scala cœlestis, per quam supernus Rex humiliatus ad ima descendit, & homo, qui prostratus iacebat, ad superna exaltatus ascendit: hodie apparuit stella mundo, per quam sol iustitiæ illuxit mundo, illa videlicet, de qua per Prophetam dicitur: Orietur stella ex Iacob, & exurget homo de Israel: hodie nata est splendidissima illa Virgo, ex qua processit speciosus forma præ filiis hominum, tanquam sponsus procedens de thalamo suo: hodie prodiit ex vtero Matris, quæ Templum fieri meruit diuinitatis:* Hæc ille.

D. Ambr. l. de fide resurrect. c. 2. — *Iob. 13.* — *Apoc. 14.* — *Num. 24.* — *Psalm. 18.*

XV. VETVS fuit consuetudo in lege scripta apud antiquos patres, vt dies ille, quo singulare aliquod beneficium à Deo obtinerent, ipsis sacratus, & solemnis esset: vnde EXOD. 12. dicitur: *habebitis autem hunc diem in monimentum, & celebrabitis eum solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno.* Cum etiam Regis sententia de delendis Iudæis reuocata fuit ex Reginæ intercessione, dies ille festiuus, & celeberrimus cœpit haberi: *Isti sunt dies, quos nulla vnquam obliuio delebit, & per singulas generationes cunctæ in toto Orbe prouinciæ celebrabunt.* Ac tandem I. MACHABÆORVM 4. vt templi dedicationem solemni ritu colerent, diem festum cum octaua instituerunt: sic sane sancta Mater Ecclesia, cum ex natali huius sacratissimæ Virginis pene innumera beneficia recipiat, in eorum gratitudinem festum hoc solemne celebrat. Quod si quispiam quærat, quæ sint hæc beneficia, commemorat illa D. BERNARDVS dicens: *in te Angeli lætitiam, iusti gratiam, peccatores veniam inueniunt in æternum: merito respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manu Omnipotentis, quidquid creauerat, recreauit.*

Esther 9. — *D. Ber. serm. 2. Pentecost.*

XVI. TANDEM si quondam Principum, & aliorum insignium virorum ortus magna animi iucunditate celebrabatur, vt constat in l. finali C. de feriis, vbi natalitia Regum, *feriæ solemnes* nuncupabantur, & in illis omne ius prætorium cessabat, vt adnotat GLOSSA ibidem: vnde, Diuo MARCO id referente, Herodes Rex in die natalis sui cœnam fecit Principibus, & Tribunis, in quorum conspectu & filia eius saltauit: &, vt tradit PLATO, Persæ variis lætitiæ signis, ac celebri pompa ortum Principis regni hæredis celebrabant: &, vt scribit PORPHYRIVS in vita Platonis; discipuli illius natalitia sui magistri singulis annis magna solẽnitate colebant: ac tandem (vt testatur Diuus AVGVSTINVS) Plato ipse die ortus sui ad lautum conuiuium omnes amicos suos inuitabat; si ergo natalitia eorum, qui in peccatis nascebantur, & de quorum natiuitate magis plangẽdum, quã lætandum foret; eo quod aditum, & viam aperit ad peccata, à quibus nemo immunis est, quoniam *in multis offendimus omnes:* vnde Tertium CONCILIVM TOLETANVM docet: Christum lachrymatum fuisse in resurrectione Lazari, quia redibat ad vitam peccatis obnoxiam: si (inquam) horum natiuitas cum ingenti gaudio celebrabatur, potiori quidem iure felicem ortum Beatæ Virginis celebrare debemus, cum præterquam quod sanctus fuit, omnis futuræ sanctitatis principium extitit: quare melius, quam quilibet mortalium, beata Virgo dicere potuisset: non mihi solum nata sum, sed parentibus, & patriæ, & fratribus, & vniuersis, qui meam opem implorauerint: & quod magis est, & mihi soli reseruatum quod nata sum Deo meo, vt ex meo sanguine carnem assumat, ex meo vtero nascatur, ex meo lacte nutriatur, calore meo foueatur, & inter vbera mea commoretur.

Iacob. 3. — *Ioan. 11.* — *Cant. 3.*

XVII. ADDO, quod si Salomon cum Israelitico populo in Dedicatione Templi ex lapidibus facti copiosum, & magnificum sacrificium ingenti alacritate solemniter celebrauit; maiori certe gaudio Natiuitas Virginis celebrari debet, in cuius vterũ, velut sacratissimum Templum, Deus ipse descendens, & humanam naturam ex ea suscipiens, cum hominibus voluit habitare, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

3. Reg. 7.

HOMILIA III.

In honorem felicis ortus Deiparæ Mariæ variis animi conceptionibus elucidantur verba illa Canticorum: *Cant. 6.*

Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa, vt sol terribilis, vt castrorum acies ordinata.

Pulchram

I. VLCHRAM hanc Angelorum interrogationem tametsi non desint, qui ex ignorantia processisse arbitrati sint, ea tamẽ satis pspicua ratio mihi suadet, nõ ignorãtiæ, sed admirationi potius adscribi debere, quod eisdẽ verbis, quibus quæstionẽ proponunt, eandẽ & soluunt: continent enim miro ac singulari artificio quoddam Echo, respondens interrogationi: si enim percontantur: *Quæ est ista,*
Cant.6. *quæ progreditur quasi aurora?* Aurora, respondet Echo: cum etiam interrogant: *Quæ est ista, quæ progreditur pulchra vt luna?* luna, similiter occurrit Echo: deinde cum quærũt: *Quæ est ista, quæ progreditur electa vt sol:* sol, refert Echo: ac tandem, cũ perquirunt: *Quæ est ista, quæ progreditur terribilis, vt castrorũ acies ordinata?* nata respõdet Echo, quasi diceret: nata est fortis, vt exercitus, & vt Minerua, quam armatam natam Gentiles fingebant. Quadruplex hæc respõsio quam apte in beatam Virginem conueniat, paulatim elucidemus, est enim in primis Aurora, quia præterquam sicut sol est partus auroræ, ita Christus sol iustitiæ partus fuit Virginis, vt ait Euã-
Matth.1. gelista: *de qua natus est Iesus.* Certe sicut aurora prima est, quæ noctis tenebras expellere incipit, ita B. Virgo infidelitatis, & ignorantiæ obscuram noctẽ, quæ vniuersum Orbem occupabat, Apostolo dicẽ-
Galat.3. te: *Cõcluserat omnis scriptura sub peccato,* suo clarissimo ortu conclusit. Singuli Patriarchæ, quos sacer Euangelista cõmemorat, singulæ fuerunt horæ illius caliginosæ noctis. vnde antiqui Patres, ardentissime agnoscere desiderãtes, quot fuissent iam trãsactæ illius horæ, clamabant, vt refert ISAIAS, *Cu-*
Isaia 21. *stos, quid de nocte?* cui interrogationi respondit Custos, iam aduentasse auroram, & dixit Custos: *venit*
D. Aug. super c.8. Ioan. *mane* exponit ad hoc propositũ D. AVG. præsens vaticinium dicens: Mundũ interrogare Deũ, qui humanæ præcipue creaturæ custos est, IOB dicente:
Iob.7. *O custos hominũ,* quantum temporis deficeret ad solis ortum, hoc est, ad Christi aduentũ, tunc ait: Deũ custodẽ respondisse: *venit mane:* quasi diceret: non longe abest sol, cũ iam adsit aurora futura eius mater; iam infelices illæ tenebrosæ horæ noctis pertrãsierunt venit iam clara, aurea, & iucũda hora: id id enim sibi vult: *aurora,* scilicet, aurea hora: vt periti Latinæ linguæ docent, aduentus solis prænuncia, vnde MAVRITIVS ait: *In libro de proprietatibus rerum*
Maurit. lib. de Corõ. Virg. ser. 32. *dicitur: Orietur lucifer in aurora, & orientis solis præsentia nunciatur esse proxima, & vicina: præcedit enim aurora solis ortum, & eius visione omnes lætantur, & similiter Lucifer gratia diuina ortus est ab hac aurora, i.e. à Virgine Maria, & ipsa gemmis omnium virtutum adornata Christum solem iustitiæ non solum præmonstrauit, quinimmo in suum vterum traxit, & nobis peperit, ex quo lætata est omnis creatura.* & D. BERNARDVS: *Certe, ô Maria, officiũ auroræ impleuisti: ipse enim sol iustitiæ de te processurus ortum suum quadam matutinali irradiatione præueniens, in te lucis suæ radios copiosissime prona fudit.* hæc ille.

II. CONGRVIT etiam Virgini auroram vocari in suo ortu: nam sicut infirmi febricitantes adueniente aurora melius se habent, quia tunc febris feruor languescit & minoratur; ad eundem modum infirmus mundus graui peccati morbo febricitans tempore ortus huius auroræ melius, quam vnquam, se habere cœpit, vt non obscure indicauit lucta illa Iacobi cum Angelo; fortiter enim pugnans cum illo, audiuit ab eo: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora.* Certe antequam oriretur beata Virgo, Deus & homines ad inuicem sibi indixerant immane bellum; homines quidem peccatorum tela in Deum coniiciebant, Deus autẽ iustitiæ suæ iaculis eos feriens, contra eosdem luctabatur: at aurora Maria adueniente, Deus ait: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora,* quasi dicat: ortu Mariæ ortæ iam inter nos rixæ cessent, lites pereant, controuersiæ ne nominentur inter nos. Sed & illud silentio non prætermittam, quod sicut ibi Iacob noluit dimittere Angelum, donec in illa aurora duo præcipue beneficia acciperet, illuminationem intellectus, imposuit enim ei nomen ISRAEL, quod interpretatur: *Vir videns Deum;* & carnis purificationem: *emarcuit neruus femoris eius;* non secus in ortu huius auroræ mundus cœpit illuminari, & purgari; quæ duo opera Christus postea oriens ex hac aurora mirifice perfecit, & consummauit. De primo enim IO- *Ioan.1.*
ANNES ait: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* De secundo D. PAVLVS: *Hebr.1.*
Filius Dei purgationem peccatorum faciens.

III. AD hæc, quemadmodum aurora genit ex est roris, vnde D. ISIDORVS docuit, idem esse *D. Isidor. l.*
aurora quod *aura rorans,* sic beata Virgo, velut *Etymol.*
diuina aurora cœlestem illum rorem genuit, vt ait Euangelista, *de qua natus est Iesus,* quem patres *Matth 1.*
desiderantes clamabant: *Rorate cœli desuper, & nu-* *Isa.45.*
bes pluant iustum: & de quo arbitror spiritu prophetico loquutum fuisse Isaac eidem Iacob, cum benedictionem illam ei impertiuit: *Det tibi Dominus de rore cœli, & de pinguedine terræ:* per rorem enim intelligebat Christum, & per pinguedinem terræ, fœcunditatem Mariæ: ipsa enim est terra illa, de qua DAVID dixit: *Veritas de terra orta est.* *Psal.84.*
Sicut item ex rore in conchilium cœlitus decidente, tum virtute caloris solis, tum virtute temperamenti, & dispositionum eiusdem conchilii pretiosa gignitur margarita; non dissimiliter verbum diuinum instar roris ex crystallino cœlo paterni pectoris in conchiliũ vteri virginei decidentis, humanam carnem induens Spiritus sancti calore fouente, & generatiua Virginis potentia concurrente, inæstimabilis illa margarita, confecta fuit, pro qua possidenda Saluator ipse dixit, quod sapiens negotiator *abit, & vendit omnia,* *Matth.13.*
quæ habuit, & emit eam. Et quemadmodum in aurora olim colligebatur manna; sic ex hac aurora duplex manna colligit quotidie ecclesia Catholica, & manna consolationis, quam instar piæ matris ex-

tris exhibet, & manna corporis Christi in Eucharistia ad cibationem fidelium. vt in figura illius dixit DAVID: *Pluit illis manna ad manducandum.* (*Psal. 77.*) Tandem sicut aurora mediũ est inter noctem, & diem, & nonnihil ab vtroque extremo participat; ita B. Virgo particeps fuit veteris legis per noctem significatæ, & nouæ per diem designatæ, vt PAVLI verba clare indicant: *Nox præcessit, dies autem appropinquauit.* (*Rom. 13.*) Addit enim RVPERTVS, quod, *sicut aurora quotidiana finis præteritæ noctis est, & initium diei sequentis; sic Natiuitas Virginis finis dolorum, & consolationis fuit initium, finis tristitiæ, & lætitiæ nobis extitit principium.* (*Rup. lib. 6. in Cant.*)

IV. PORRO iam ad celebre illud Lunæ epithethum, quo Angeli B. Virginem in ortu suo cohonestarunt, nostram dirigamus orationẽ, mirifice quidem ei conuenit, *lunam* appellari: sicut n. luna inter omnes planetas noscitur esse velocior, ita beata Virgo velociter adeo cucurrit, vt non solum in ortu, sed ante ortum ab instanti suæ immaculatæ cõceptionis, vel, vt aliis placet, à puncto suæ sanctificationis, vsum rationis, & actum, quo se disposuit ad gratiam, exercuerit, vt docent D. BERNARDINVS Senensis, & CARDIN. CAIETANVS. (*D. Bernar. Senens. ser. de B. Virg. cap. 1. Car. Caietan. 3. p. q. 27. art. 3.*) Cucurrit etiam adeo celeri cursu, vt post triduum mortis suæ continuo resurrexerit, & in corpore, & anima ad superos euolarit, cum tamen reliquis & vsus rationis amplius differatur, & corporũ resurrectio in postremũ iudicii diem reseruetur: ecce miram huius mysticæ lunæ velocitatem. Sicut etiam luna vsque in decimum quartum diem, parumve plus, semper crescit, deinceps tamen cum plena est, maior apparere minime potest, quinimo exinde magis, ac magis decrescit; ita beata Virgo instar lunæ, vsque ad quartumdecimum annum paulove plus in prærogatiuis, & fauoribus cœlitus sibi impensis semper creuit; postquam tamen plenitudinem diuinitatis per Incarnationem Verbi in vtero eius factam mira splendoris claritate corporaliter suscepit, vt merito ei conueniat illud ECCLES. *quasi luna plena in diebus suis lucet,* (*Eccles. 50.*) non potuit ad Dei Genitricis culmen iam eleuata amplius dignitate crescere, & sublimari, quin potius exinde magis ac magis se humilians, in propria opinione apud seipsam decrescebat, & se omnibus inferiorem reputabat. Sicut itidem luna quandoque respectu solis superior, quandoque inferior; nunc in oppositione, nunc ad latus eius adest; ita in Virgine tota hæc varietas effulsit: superior extitit soli iustitiæ, LVCA attestante de Christo: *subditus erat illis:* (*Luc. 2.*) subditus autem relationem ducit ad superiorem: inferior extitit, quando Christus exaltatus in cruce, ipsa secus pedes eius aderat; deinde in oppositione fuit, cum Angelo vocante illam Dei nomine: *gratia plena;* (*Luc. 17.*) ipsa pro singulari sua humilitate opposuit se illi, humilem atque abiectam ancillam se compellans. Cœpit tandem à dextris eius esse in die Assumptionis, DAVIDE dicente: *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato.* (*Psal. 44.*)

V. QVEMADMODVM etiam apud Romanos luna nobilitatis exemplar extitit; ita Virgo tot Regibus, ac Principibus illius originem decorantibus maximum nobilitatis splendorem secum fert. Illud etiam, quod luna præ cæteris corporibus cœlestibus singulare habet, vt cum illa diaphana, & transparentia sint, ipsa corpore opaco prædita, secundum profundiores partes videri non possit, Virginis excellentiam super omnes sanctos non parum commendat. Ipsa enim instar lunæ pulcherrimæ, non corpore diaphano, vt alii sancti, quorum sanctitatis lux penetrari potest, sed opaco prædita fuit, quod intus perlustrari nequit: quia teste DAVIDE: *omnis gloria eius filiæ Regis ab intus:* (*Ibid.*) vnde sicut corporis opaci sola superficies illustratur & videtur; ita beatæ Virginis sanctitatis solam superficiẽ, non profunditatem intuemur, vtpote quam sola diuinæ mẽtis acies perlustrare, ac penetrare possit. Deinde sicut luna in ortu suo, vt Astrologi docent, & Nautæ frequenter obseruarunt, mare, quod est in parte Orientali crescere facit; decrescere vero; quod est in parte Occidentali; sic mystica hæc luna Maria in ortu suo causa fuit incrementi sanctitatis in regionibus Orientalibus, decrementi vero idololatriæ in partibus Occidentalibus, vbi idolorum cultus maxime vigebat.

VI. VERVM licet ex omnibus his lunæ proprietatibus apta videatur comparatio Mariæ cum luna, ex multis tamen nominibus videtur illam valde dedecere, nam luna mutabilitatis symbolum est: vnde ECCLESIASTICVS ait: *stultus vt luna mutatur:* (*Eccles. 27.*) luna præterea nõ semel maculis deturpata comparet, nec semel influxu suo rationis iudiciũ lædere solet; vnde lunaticus dicitur, qui certis temporib. iudicio caret; quandoque etiam exuberantem lætitiam parit, & cum quis modestiæ limites transiliens exhilaratur: Hispanum prouerbium ait: *la luna est à sobre el orno:* ac tandem omnes cauẽt, vigente luce lunæ discooperto capite incedere, ne à malefico eius influxu quidquam lædantur. Cum prauis ergo his, & aliis perplurib. detestandis proprietatibus scateat luna, minime videbatur Virgo sanctissima ei comparanda.

VII. NON ignorabat certe hanc obiectionẽ Spiritus sanctus, & ideo quatenus luna præclaris naturæ dotibus ornata est, Virginem ei comparauit, quatenus vero nociuis proprietatibus abundat, & inconstantiæ, ac mutabilitatis symbolum est, sub pedibus B. Virginis illam calcantibus eandem apposuit, vt vidit dilectus Discipulus: *& luna sub pedibus eius:* (*Apoc. 12.*) in quo non pauca beatæ Virginis encomia nobis propalanda latent. In rebus quidem humanis nihil stabile, ac firmum videmus, omnia mutabilitati sunt obnoxia, Apostolo dicente: *Vanitati subiecta est omnis creatura.* (*Rom. 8.*) Descripsit egregie hanc rerum mutabilitatem OVIDIVS:

Cuncta fluunt, omnisq; vagans formatur imago. (*15 Metam.*)
Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu;

Non

Non secus ac flumen;neque enim consistere flumen,
Nec leuis hora potest;sicut vnda impellitur vnda,
Vrgeturq; eadem veniens,vrgetq; priorem;
Tempora sic fugiunt pariter, pariterque sequuntur.
Transit in æstatem post ver,robustior annus,
Fitque valens iuuenis,nequit enim robustior ætas
Vlla,nec vberior,nec quæ magis audeat, vlla est.
Nec sapiens sua cuique manet,rerumque voratrix.
Et alius alias reparat Natura figuras:
Nil equidem durare diu sub imagine eadem
Crediderim,sic ad ferrum venistis ab auro
Tempora,sic toties versa est fortuna locorum.

VIII. Immo non solum in rebus humanis,sed in ipsis Angelis instabilitas,& mutabilitas viguit, Iobo dicente: *Ecce,qui seruiunt ei,non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem.* (Iob.5.) Omnem quidem nociuã mutabilitatem ad triplex genus reuocare possumus,prima est omniũ detestabilissima, à gratia ad culpam;seu à iustitia ad iniustitiam, de qua David: *Filii Ephrem,&c. conuersi sunt in die belli;* (Psal.77.) secunda est mutabilitas corporis in puluerẽ, de qua Genesis: *puluis es & in puluerem reuerteris:* (Genes.3.) tertia mutabilitas est,quam vocant fortunæ,de qua Ecclesiasticus: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, & nihil stabile sub sole.* (Eccles.1.) Vt ergo Spiritus sanctus significaret omnia hæc mutabilitatis genera à Virgine supplantari, ideo lunam, quæ mutabilitatis symbolũ est, sub pedib. eius calcandã apposuit; nec n. vnquã obnoxia fuit mutationi gratiæ ad peccatum quæ mater gratiæ erat, & ab instanti suæ conceptionis impeccabilis facta fuerat, nec etiam mutationis sui corporis in puluerẽ particeps vnquam fuit, quæ incorruptionis singulari priuilegio donata extitit,instar corporis Christi,de quo David: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* (Psal.15.) Non tandem subiecta fortunæ (vt aiunt) mutabilitati, quæ in distribuendis diuitiis,& honoribus summa pollet difformitate,& instabilitate: cuius animus melius, quam Pavlvs dicere potuisset: *omnia vt stercora arbitratus sum,vt Christum lucrifaciam.* (Philip.3.)

IX. Sed,proh dolor,cum diuitiæ,cum dignitates,& mundani honores vmbra ipsa instabiliores, & fugaciores sint, cultores huius seculi nihil quam illos auidius expetunt, nihil diligentius quærunt: quam hominum amentiam contemplans noster sanctus Antonivs Padvanvs, (D. Anton. Paduanus ser.15. post Trinit.) illam ad eam manifestandam lupi fabellam adhibuit (inquit) videns lunam in aqua putei, velut in speculo repræsentari,putans illam recentem caseum esse; ex falsa hac existimatione in puteum descendit, postea vero,cum nihil inueniret,nisi meram imaginem lunæ,& volens redire, non posset ascendere: à pastoribus confestim lapidibus obrutus fuit: Ita sane, ait sanctus Antonius, multis contingit, qui existimantes se voluptatem,& requiem in deliciis,& diuitiis,in honore, & dignitate inuenturos fore, postea vero nihil inuenientes,præter solam imaginem, Apostolo dicente: *præterit figura huius mundi,* (1.Cor.7.) oleum & operam perdunt,ac misera morte intereunt,quod sane inde ortum habuit (vt dixit ibidem Sanctus Antonivs) quod *credit stultus consilio vulpis;* (Anton. vbi supra.) id est, concupiscentiæ carnalis transitorium, mutabile, & victum, bonum, verum, permanens & stabile esse.

X. Non sic B.Virgo,sed lunam pedibus calcat, vt omnia hæc caduca, & sublunaria se despexisse cõmonstret. Econtra quidem faciunt profani huius seculi sectatores,lunam,hoc est, diuitiarum, & honoris caduca, & mutabilia bona super caput suum constituunt,solem vero Christum sordidissimis peccatorum pedibus calcant, ac vilipendunt. hanc execrandam impudentiam Ieremias deplorans dixit: *Conculcauerunt partem tuam: alii sanctificationem;* (Ierem.12.) quasi diceret: nihil penderunt legẽ tuam; quæ obseruata,sanctificatio est animarũ, *facti sunt hostes eius in capite;* (Thren.1.) ac si clarius dixisset: eo peruenit amentia, ac inuerecundia cultorum huius seculi, vt diuitias,honores,& dignitates, quæ sunt capitales hominis hostes super caput suum, velut diadema posuerint. Vt n. adnotauit D.Ambrosivs: (D. Ambro. homil.6. in Exam.) Illi dicuntur bona caduca super caput suum gerere, qui tanti illa faciunt, vt in eminentissimo omnium loco digne illa collocari falso arbitrentur. At cum contemplor pedem Virginis lunæ superpositum, videtur mihi, quasi clauum infigere rotæ fortunæ, ne sua mutabilitate super illam dominari posset, nisi etiam velis dicere (quod non inepte dices) beatam Virginem pedibus su[is l]unam calcantem non obscure significare, quod si luna, quæ non semel cornuta apparet,alicuius maleuoli influxus cornibus filios suos ferire contendat, præsto beatissimam Virginem adesse pedibus suis illam coercentem, ne quidquam eos lædere possit.

XI. Cæterum, quia parum videbatur Angelis B.Virginem in ortu suo auroræ & lunæ contulisse, soli persimilem esse dicunt, *electa vt sol,* (Cant.6.) & merito quidem, quia sicut sol oritur ex alto, singulari splẽdore rutilans; sic B. Virgo orta fuit ex alta Regum progenie: & sicut sol reliquis planetis naturæ suæ nobilitate præcellit; ita B.Virgo generis nobilitate, & splendore mortales omnes excellens, variis sanctitatis fulgoribus coruscat; & sicut sol præstantissimum est omnium mundi ornamentum; ita inter puras creaturas B. Virgo est Ecclesiæ Catholicæ præstantissimũ omnium decus & ornamentũ: ad quod alludere videntur verba illa Salomonis: *Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentũ domus eius:* (Eccles.26.) & sicut sol per medias fæces pertransiens, nec minimam labem contrahit; non secus beata Virgo per fæces progenitorũ suorum, velut per aquæductum originem suam ducẽs, nullam maculam ab eis contrahens instar solis in suo ortu purissima, ac fulgentissima prodiit, & sicut sol claritate suæ lucis cuncta astra longo interuallo superat, ita Deipara Maria diuinæ gratiæ magnitudine, ac diuinorum charismatum copia reliquorum omnium sanctitatem longe adeo excellit, vt D.

D. Anſel. l. de exordio hum. vitæ, cap. 7.

vt D. ANSELMVS dicat: *Nihil tibi, Domina, æquale, nihil comparabile eſt; omne enim quod eſt, aut ſupra te eſt, aut ſub te eſt; quod ſupra te eſt, ſolus Deus eſt; quod infra te eſt, omne id eſt, quod Deus non eſt:* ex quibus verbis apertiſſime colliges, quam apta ſit Virginis cum ſole comparatio; quia cum ſol quartum locum teneat inter ſeptem planetas, neceſſe eſt, tres ſupra illum, & totidem ſub eo eſſe; ita beata Virgo inſtar ſolis ſupra ſe nihil aliud habet; quam tres diuinas perſonas; ſub ſe vero tres Angelorum Hierarchias, quæ reliquis creaturis ſuperiores exiſtunt; quare beata Virgo medium quoddam eſt inter Deum, & Angelos, minor Deo, ſed maior Angelis, ac omni alia pura creatura; & ſicut ſol in communicando lumen ſuum ac in influendo in hæc inferiora, liberalem adeo ſe exhibet, vt ad eius liberalitatem, & munificentiam ſignificandam Antiqui (vt refert HOMERVS) virum quendam centimanum, hoc eſt, centum manus habentem, depingerent, quibus munera porrigeret; ita beata Virgo liberalis adeo extitit, vt nemo ſit, qui à calore miſericordiæ illius ſe abſcondat, aut materna pietatis illius viſcera non ſit in ſe expertus.

XIII. AD hæc (vt alia non pauca præteream) quemadmodum ſol eſt naturale illud horologium, quod ſummus opifex, & artifex in hac mundi Republica affabrefecit, vt vniformi ac regulari ſuo curſu actiones humanas regularet, ne præter debitum tempus fierent; ita B. Virginem, inſtar regulariſſimi horologii, cuius nec vana vlla cogitatio in eam irrepſit, aut ſuperflua vna vocula ex ore eius decidit, Deus ipſe in ſpirituali hac Eccleſiæ Republica conſtituit, vt cuiuſcunque ſtatus & conditionis homines per irreprehenſibilem eius vitam regulari, & praui eorũ mores componi poſſent. Vnde

D. Ambr. l. 2. de Virg.

D. AMBROSIVS tam pie, quam eleganter dixit: *Si vobis, tanquam in imagine, deſcripta virginitas, vitaq́; B. Mariæ, de qua, velut ſpeculo, refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis. Hinc ſumatis licet exempla viuendi, vbi tanquam in exemplari magiſteria probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, oſtendunt.* hæc ille. Ex quibus libeat mihi anſam ſumere, vt dicam, quod cum ſingulis hominibus bonum exemplum proximo ſuo exhibere incumbat, quia *vnicuiq́; mandauit Deus de proximo ſuo*, præcipue tamen id ad Prælatos & Principes ſpectat: nam cum ipſi ſint in Republ. conſtituti velut horologium ad regulandas & componendas ſubditorum actiones, oportet quidem inſtar horologii in ſe regulatiſſimos eſſe. hoc ſane diſcrimẽ intereſt inter tintinnabulum horologii, & alia cymbala, ꝙ hæc ſiue tardius, ſiue velocius, ſiue pluribus, vel paucioribus pulſationibus ſonent; nemo eſt, qui animaduertat, aut pulſationes enumeret: at, ſi horologium ſonet velocius, aut tardius, quam debeat, cuncti in illud mentis aciem intẽdunt; & ſi pluribus, quã parerat, pulſationibus ſonet, omnes aduertunt, eaſq; enumerant, vt exceſſus eius clarius innoteſcat, ſolentque tunc vulgares homines dicere: *Ebrium eſt horologium.* Non diſſimiliter hoc intereſt inter Prælatos ſeu Principes, & plebeios, ac reliquos ſubditos; ꝙ defectus, aut exceſſus iſtorum non ita facile oculis omnium obiiciuntur; at Prælatorum & Principum corrupti mores, & irregulares actiones omniũ oculis ſunt patulæ omniumq; animos grauiter offendunt: quia cum ſint horologium, per quorum regularem motum ſubditorum actiones regulari debent, non poteſt vitæ illorum irregularitas, ac licentioſa vitæ conſuetudo non eſſe omnibus infenſa, moleſta, ac nociua valde.

XIV. TANDEM Angeli addiderunt in Virginis commendationem: *Terribilis vt caſtrorũ acies ordinata:* ꝙ ſingulare epithetũ vt melius explicẽ, oportebit ab incepta metaphora Solis minime diſcedere. Certe D. AMBROSIVS tradit: *quod Leo gallũ, & maxime album mirum in modum pertimeſcit:* quod idem ſcripſit PLINIVS dicens: *Leonem etiam à galli cantu terreri:* cuius rationem naturalem tradit PIERIVS VALERIANVS: quia Gallus vim ſolaris virtutis magis participat, quam Leo; ſol n. in illo adeo prædominatur, tamq; ſingulari influentia in eum intendit, vt media nocte, cum ex Antipodis ad nos deflectitur, tunc gallus velut applaudens, eius aduentum cantus ſui hymnis celebret. & non ſemel, ſed iterum atque iterum canit; ex hoc ergo facile deducemus explicationem horum verborum: *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* Dæmon enim, quamuis leo fortiſſimus ſit, non ſolum beatæ Virginis aſpectum formidat, ſed & eius vocem, aut ſolum nomen vehementer exhorret; cuius quidem tremoris cauſa ea præcipua eſt, quod radii ſolares diuinæ gratiæ in Maria, velut in ſole clarius effulgent, quibus diabolicus intuitus valde offenditur. Vel dicamus aliter, comparaſſe eam aciei bene ordinatæ, quia tam pulchritudo, quam fortitudo exercitus non tam ex multitudine armorum dependet, quam ex eo, quod ſinguli milites illius ita bene ſe gerant, vt nullus ab ordine ſuo recedat, & nemo proprium locum deſerat. Cum ergo in beata Virgine omnes eius potentiæ tam interiores, quam exteriores perfecte adeo ordinatæ & compoſitæ eſſent, vt nulla nec latum vnguem excederet, aut à regula rationis quidquam deflecteret, quod ſane vltra quam dici poteſt, mirabile, ac ſtupendum fuit, cum nullus adeo iuſtus LOTH inueniri queat, cuius vxor (hoc eſt, caro) aliquando caput retro non conuertat; ideo formidabilis adeo Dæmoni exiſtit, vt propterea Spiritus ſanctus eam aciei bene ordinatæ comparauerit, aciei, inquam, Iſraeliticæ, vt ego arbitror, quia ſicut illa de Pharaone, & de eius exercitu victoriam tulit, ita beata Virgo de Lucifero, & omnibus eius ſequacibus victoriæ palmam ab ortu etiam, & incunabulis reportauit. Cum enim aliorum ortus à Dæmone maculati ſint, vno vel altero excepto, ex ſingulari priuilegio Mariæ tamen ortus, & in hanc lucem lucem ingreſſus ſanctus magis, & immaculatus fuit, quam fuerit aliorum ſanctorum exitus. quæ omnia

Cant. 6. — D. Ambr. l. 7. Exam. — Plin. lib. 8. nat. hiſt. — Pier. Valer. lib. 1. — Cant. 6. — Gen. 19. — Exod. 14.

paucis

paucis comprehendens beatus PETRVS DAMIAN. eleganter dixit: *Quantumlibet alia stella reluceant, luna tamen & magnitudine praeminet, & splendore; sic vtranque naturam Virgo singularis exsuperat, & immensitate gratia, & fulgore virtutum. Virga Iesse veri praeuia luminis, in illa inaccessibili luce perlucens, sic vtrorumque spirituum hebetat dignitatem, vt in comparatione Virginis nec possint, nec debeant apparere; sicut sol solus orbem illuminat, sic haec sola solidiori lumine & Angelos & homines illustrat: Terribilis vt castrorum acies ordinata. Terribilis Dæmonibus, ordinata virtutibus, singularis timor malignorum spirituum, specialis amor ciuium beatorum.*

XV. AD extremum illud non prætermittam obseruatione dignum, quid est, quod sponsus, postquam beatam Virginem suaui illa auroræ, lunæ, & solis nomenclatura cohonestauerat, tandem terribilem illā appellet, cum armata, ac terribili castrorum acie tremorem, ac pauorem inferente illam conferens? arbitror quidem sponsum, vt significaret vniuersale gaudium, quod Marianus ortus vniuerso attulit Orbi, comparasse illam auroræ, lunæ, & soli, quia aurora infirmis, luna noctu itinerantibus, sol in tenebris iacentibus lætitiam, & gaudium magnum ingerit; ad hoc ergo ipsum confirmandum comparauit illam cum terribili castrorum acie bene ordinatā; quia his, qui in captiuitate, hostilique obsidione pressi iacent nihil gratius, aut iucundius accidere potest, quam si ingens militum exercitus in eorum subuentionem, & liberationem adueniat. Vnde licet exercitus hostibus terribilis sit, captiuis tamen alacer valde, ac pergratus existit: cum igitur vniuersus Orbis sub misera Sathanæ seruitute iaceret; non potuit non vehementer gaudere felici ortu beatæ Virginis, quæ dæmonibus terribilior esse perhibetur, quam omnia Angelorum agmina in vnum congregata. Nam præterquam à principio Dominus dixerat; illam dæmonis caput contrituram: *Ipsa conteret caput tuum*: propheticum illud Balaam vaticinium satis idipsum cōmonstrauit: *Orietur stella ex Iacob: & consurget virga de Israel, & percutiet Duces Moab, & vastabit omnes filios Seth, & erit Idumæa possessio eius.* Per hanc stellam Mariam intelligo, quæ maris stella interpretatur, filiam quidem Iacob, quia ex eius genere orta; & quia sicut Iacob luctator fuit, & supplantator Esau, ita Maria, tāquam legitima eius hæres fortissimam luctatricem aduersus dæmones semper se exhibuit, adeo vt illi deuicti, ac in seruitutem redacti, velut vilia mancipia virgis ab ea vapulauerint: *Consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab* Nec abhorret ab hac intelligentia vocasse illam, stellam; cum nullum armorum genus ad profligandas tenebras luce fortius, & potentius excogitari possit, iuxta illud D. PAVLI: *Abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Deinde aliter: Sponsus volens spiritualem Virginis pulchritudinem describere, comparauit illam auroræ, lunæ, & soli, quia hæc singulari decore, ac mira pulchritudine sunt conspicua; prosequens autem idipsum, cum castrorum acie bene ordinata illam componit, quia reuera nihil adspectu pulchrius, quam militum exercitus recte dispositus ac fortissimis & fulgētissimis armis præmunitus: vt disertis verbis clamauit Propheta Balaam, cum videns populum Israel in varias Tribus ordinate diuisum, & in tentoriis commorantem, in hæc verba prorupit; *quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tētoria tua Israel?* Atq; hinc fœminas admonitas esse velim, vt instar castrorum aciei bene ordinatæ cum pulchritudine terribilitatem coniungant, ita vt quanto pulchriores, tanto viris earum castitatem oppugnantibus terribiliores se exhibeant, sponsam in hoc imitantes, de qua sponsus dixit: *quid videbu in Sunamite, nisi choros castrorum*: ecce laudat illam quod non demulceret, sed terreret insectantes illam, ac seueritate sua in fugam eos conuerteret, ne quidquam diuinam maiestatem offenderet; cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Cant. 6. — Gen. 3. — Num. 24. — Gen. 32. — Num. 24. — Rom 13.

HOMILIA IV.

In gratiam Mariani ortus multiplici eruditione de Deipara Virgine explicantur verba illa Isaiæ: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius adscendet.



I. QVAMVIS grauissimi quidam Ecclesiæ Patres HILAR. CLEMENS ALEXANDRINVS, CYRILLVS, & BASILIVS omnia hæc ISAIÆ verba de solo Christo interpretentur; at aliorum priscorum expositionem & intelligentiam secutus, HIERONYMI, AVGVSTINI, AMBROSII, LEONIS, RVPERTI, BERNARDI & TERTVLLIANI illa apte satis expono de Matre simul, & filio, aut vt sub metaphora virgæ Mater; sub nomine vero floris filius intelligatur; sic enim loquitur D. AMBR. *Radix, familia Iudæorum; virga, Maria; flos Mariæ, Christus*; eisdemq; verbis vtuntur præcitati Patres, quorum expositionem probat ECCLESIA CATHOLICA, dum canit: *Virga Iesse floruit, virgo Deum, & hominem genuit.* Et quidem in sacra Scriptura perplures virgas reperio, quæ dū B. Virginem adumbrant, intelligentiam hanc mirifice adstruunt: inter has insignis fuit virga Aaronica, de qua sacra narrat NVMER. historia, quod cum disceptatio orta esset de dignitate sacerdotali obtinenda, quibusdam vsurpare volentibus, iussit Deus singulos afferre virgas, & cuius virga germinasset, ille in sacerdotalem dignitatem diuinitus electus haberetur. Contigit, vt Aaronis virga germinaret, & turgentibus gemmis emitteret flores, qui foliis dilatatis in amygdalas tandem sunt efformati.

Isa. 11. Hil. in Ps. 2 Cle. Alex. l. 1. pad. c. 7 Cyrill. sup. Isa. 11. Basil. ibid. Hiero. sup. c. 11. Isaia. Aug. l. 2. de sym. ad Catech c 4 & ser. de tem. Ambr. l. de bene. Patr. c. 4. & l. 2. de Sp. S. c. 5. Leo ser. 4. de Natiuit. Bern. serm. 2 sup. Missus est. Rup. l. 2. in Isa. c. 6. & l. 1 de vict. verb. c 28. Tertul. l 5. Marcion. c. 8. & l. contra Iudæos. cap. 9. Eccl. Cath. Num. 17.

II Ex duplici capite virga hæc B. Virginem præfigurabat, tum quia ſicut virga florem ſuum producit abſque aliqua ſua diuiſione, aut ſciſſione; ita B. Virgo abſque virgineæ ſuæ integritatis violatione ſuauiſſimum illum florem Chriſtum Dominũ germinauit, D. BERN. dicente: *nec virga virorem floris lædit emiſſio, nec Virginis pudorem ſacri partus editio:* [*D.Bernar. ſer. 2 ſuper miſſus.*] tum quia teſte PIERIO VALERIANO, arbor amygdalina ſymbolum fuit caſtitatis & continentiæ apud antiquos, & inter omnes arbores hoc habet peculiare, quod prima omnium emittit flores; quod nõ obſcure prænotauit Mariam omnium caſtiſſimam primam inter omnes emiſiſſe votum virginitatis, vt ex D. BARTHOLOMÆO Apoſtolo refert ABDIAS in vita illius. [*Pier. Valer. lib. 51.*] Sed & aliud ſingulare arcanum latet in eo, quod virga illa amygdalina eſſet. Fuit olim oppidum quoddam nomine Luza quod ſecundum D. HIERONYMVM, *amygdalum*, ſignificat; hoc tamen nomen Iacob Patriarcha mutauit, nuncupans illud *Bethel*, quod *Domus Dei* interpretatur; viderat enim ibi ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumine ſuo cœlum tangentẽ & Dominum innixum ſcalæ; nec illic eſſe aliud, niſi domum Dei, & portam cœli; [*D.Hier. l. de nomin. Hebr.*] [*Gen. 28.*] Ecce ergo hodie naſcitur amygdalus, exiſt tLuza, poſt paucos annos futura *Bethel*, hoc eſt, domus Dei, in qua plenitudo diuinitatis corporaliter, habitabit. Scio de illa Bethel dictum eſſe: Ieroboam vitulum in eam immittentem idololatriæ ſedem feciſſe, ob idque nuncupatam fuiſſe, *Bathauen*: at hæc eſt mira excellentia huius ſacræ, & myſticæ Bethel, quod nunquam in Bethauen migratura ſit; ſemper erit ab omni peccato aliena, nullus vnquam in ea erit locus vituli Ieroboami: [*3. Reg. 12.*] Tum deinde, quod ſicut amygdalus, quaſi quodam Euangelico munere fungens, bonæ ſpei nos plenos facit; etenim conſtat, ex eius prouentu totius anni copiam præſumi, Poeta canente:

Contemplator item, cum ſe nux plurima ſiluis
Induet in florem, & ramos curuabit olentes;
Si ſuperant fœtus, pariter frumenta ſequentur,
Magnaq; cum magno veniet tritura calore.

III. ISTA myſtica hæc virga amygdalina recens orta ſpiritualium frugum largitatem, ac diuinorum chariſmatum copiã pollicetur, cum ex ea producendus ſit Chriſtus Dominus, bonorũ omnium ſcaturigo, qui amygdali fructui perſimilis eſt, vt eleganter proſequitur D. AVGVST. cum enim comparaſſet Deiparam Mariam virgæ Aaronicæ, dixit: [*D. Auguſt. loco præcit.*] *Virga ecce protulit, quod ante non habuit, non defoſſa ſarculo, non animata ſucco, non fœcundata ſeminario; & tamen, cum illic deeſſent vniuerſa iura naturæ, protulit virga, quod nec ſemine ſuggeri potuit, nec radice virga illa Aaron, Virgo Maria fuit*; [*Num. 17.*] poſt hæc continuo ſubiungit: *Quod erge virgo illa nuces nobis produxerit, imago Dominici corporis fuit; nux enim tria habet in ſuo corpore, ſubſtantiæ vnionem, corium, teſtam & nucleum. In corio caro, in teſta oſſa, in nucleo interior anima comparatur* hæc ille. Itaque ſicut olim quædam arbores infelices habebantur, vt tradit PLIN. tales, ſalix, betulla, & vlmus infortunatæ erant (ſerui enim dominorum ſæuientium iuſſu virgis vlmeis corripiebantur) Magiſtratuum virgas betulla ſuppeditabat; ſi tales deerant, vicẽ illarum ſalignæ virgæ ſupplebant, vt ex Prudentio de Romano martyre oſtẽdit hymnus: [*Plin. lib. 16 nat. hiſt. c. 16. & lib. 24. c. 9.*] ſalix autem ſymbolum erat ſterilitatis, eo quod ad ſe ſemen infœcundum eſt; vel quod (vt PORPHYRIVS in Homerum aſſeruit) ſalicis ſemen vino propinatum ſterilitatem inducat. Aliæ arbores apud eoſdem antiquos felices, & fortunatæ cẽſebantur, vt Platanus, Cedrus, Cypariſſus, Laurus, Oliua, Palma, Vitis; vnde ex frondibus quarundam illarum coronas texebant ad redimenda triumphantium capita, ad hunc fœlicium arborum numerum aggreganda venit Amygdalus, cum reuera reliquas omnes multis nominibus precellat. nam ſi fructum quæras, gignit vtiliſſimum, atque ſuauiſſimum; ſi celeritatem amas, non differt, ſtatim ante omnes efflorecit; ſi diuturnitatem deſideras, durat nucleus in plures etiam annos; ſi delectat arboris venuſtas, & gratia, profert pulchros flores aſpectui valde gratos; ſi conſtantiam beneficentiæ laudas, poſtrema certe inter omnes arbores foliis ſpoliatur; ætatem ferens diutiſſime, ſaluo frondium virore. Quæ omnia cum apte ſatis beatæ Virgini conuenire compertum ſit; ipſa enim præclarum adeo fructum produxit, vt æterni Patris fœcunditas præclariorem non produxerit; pulchrum etiam adeo, vt ſolus eius intuitus beatos intuentes reddat: ipſa tamen celeritate florem virginitatis emiſit, vt DAVID diceret: *adducentur virgines poſt eam*, [*Pſal. 44.*] ipſa adeo conſtans, vt velut immobilis columna a patibulo Crucis non diuerterit, IOANNE dicente: *Stabat iuxta Crucem Ieſu Mater eius.* [*Ioan. 19.*] Ac tandem, cum ipſa ortu ſuo vbertatis cœleſtium bonorum qua Eccleſia vniuerſa fœcundata erat, certum prognoſticum eſſet, merito per amygdalinam virgam deſignatur.

IV. MVLTA preclara, commemorat ſacra Scriptura lib. EXODI, operatum fuiſſe Moyſen per virgã hanc Aaronicam, [*Exo. à c. 4. vſq; ad c. 17*] inter quæ illud valde memorabile fuit, quod Pharaonem, & Ægyptios eius in mari rubro ſubmerſit, glorioſam Iſraelitis de hoſtibus ſuis victoriam conferens; vnde intelligetis difficilẽ locum CANTICORVM præſenti argumento, in quo virgæ Virginem comparamus, accommodatiſſimum: *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea.* [*Cant. 1.*] ad huius loci germanam intelligentiam præſupponere oportet quod cum Pharao multis Ægyptiis illum ſtipantibus perſequeretur filios Iſrael proximis illis ad mare rubrũ, Moyſes aquas illius virga tangens, viam aperuit, per quam ſicco pede filii Iſrael pertranſire poſſent, ac hoſtium vanam ſpem illos occidendi deluderent. Immo, ſi credimus ORIGENI, qui ex antiquiſſima traditione illud accepiſſe affirmat, [*Orig. hom. 7. in Exod.*] duodecim vias per mare rubrum aperuit, vt ſingulæ tribus, quæ duodecim erant, per duodecim vias commodius, ac breuius peruaderent, quod quidem non obſcure mihi videtur dixiſſe DAVIDEM, dum cecinit: *Qui diuiſit*

mare

Psal. 135. *mare rubrum in diuisiones*; non ait, *diuisionem*, sed *diuisiones*, vt significaret non vnam, sed plures vias apertas tunc fuisse: & quod mirabile etiam est, & obseruatione dignissimum, quod viæ illæ floribus cõstræ, instar amœnissimi prati repente comparuerunt; vt non solum ad fugiendos hostes, sed ad voluptatem capessendam inseruirent, non est hoc commentum nostrum, cum id non obscure nobis testentur verba illa libri SAPIENTIÆ, vbi Salomon varios fauores commemorans, quibus Deus Sap 9. populum Israeliticum prosequutus fuerat, ait: *In mari rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio, per quem omnis natio transiuit, quæ tegebatur tua manu, videntes tua mirabilia & monstra.* Postea autem Ægyptii ita perciti, easdem maris rubri vias ingredientes, aquis, quæ diuisæ fuerant, in vnum confluentibus, fluctibus earum submersi, repentina morte mulctati fuerunt.

V. AD hanc ergo historiam alludens, comparat beatam Virginem equitatui suo, victoriam reportanti contra currus Pharaonis: sed hinc emergit difficultas huius loci: nam Israelitæ pedites egressi Exod.12. sunt de Ægypto, supellectilem suam supra dorsa portantes non erant equorum multitudine atque armorum copia præmuniti; quis ergo erat equitatus iste ex parte populi Israelitici? Respondet ingeniose satis RVPERTVS; Rupert. in c.1. Cant. equitatum hunc fuisse potentissimam illam Moysis virgam, cuius mirabili virtute populus Dei instar fortissimi equestris exercitus hostes profligauit, atque interemit, gloriosamque de illis reportauit victoriam, verba RVPERTI hæc sunt: *Quisnam fuit ille meus equitatus in curribus Pharaonis? vel quomodo in curribus Pharaonis? magnum & mirum spectaculum respicienti inde currus Pharaonis, hinc equitatum meum. Currus namque Pharaonis valde multi ferro armati, plerique etiam auro vel argento insigniti fuerunt; equitatus autem meus virga vna fuit, virga Moysi & Aaron.* hæc ille Sed quomodo (inquit) virga inanimata equitabat, quomodo contra superbos Pharaonis currus militabat? Respondeo, hoc modo equitasse, & militasse, quia versa in colubrum deuorauit Exod.4.7.8.9.10.14 virgas Magorum, percutiens aquas fluminis, illas vertit in sanguinem; extensa super riuos ad paludes, eduxit pene infinitas ranas; quatiens puluerem, fecit cynphes, homines & iumenta pungentes pe ire; muscas insuper, quibus domos & rura impleuit: fecit deinde, vt morerentur omnia animantia Ægyptiorum, & in hominibus exorta sunt vulnera vesicarum turgentium. quid? equitauit, atque viriliter pugnauit virga illa, cum extensa in cœlum tonitrua eduxit, & grandinem mixtum igni, ac fulgura super terram Ægypti cadentia; deinde extensa super terram, ascendere fecit locustam, & deuorauit omnem herbam, quæ residua fuerat grandini; fecit rursus, vt tenebræ densissimæ vniuersam Ægypti terram occuparent, ac nouissime eleuata super mare diuisit aquas, & viam floribus stratam aperuit, vt filii Israel securi ac lætabundi eam peruaderent: iterumque reducta super mare, operuit aquis currus & equites Ægyptiorum. Recte ergo (inquit RVPERTVS) virga talis dicitur equitatus Domini, quæ contra tot currus & equites Pharaonis sola suffecit, & victoriam peregit.

VI. IN hoc ergo sponsus assimilat Virginem equitatui suo, quod sicut virga illa virgas maleficorum & incantatorum deuorauit, & omnem superbiam Ægyptiacam contriuit; necnon etiam germinauit, fronduit, floruit, non plantata, non succo terræ humectata; sed virtute cœlesti super vsum naturæ prouecta, sic beata Virgo cunctam prauitatem hæreticam interemit, superbiam Diaboli deiecit ortu suo sancta, conceptu florida, partu fructifera, ac Virgo semper incorrupta manens, quibus Deiparam Mariam de tribus infestissimus hostibus. Diabolo, Mundo, & Carne celebrem victoriæ palmam reportasse, nemo est, qui non videat. Timeat ergo hanc virgam caro, expauescat mundus, contremiscat Lucifer; sed & paueant atque metu tabescant scelerati homines diuinæ legis præuaricatores, præcipue tamen turpissimis libidinis laqueis irretiti; hos enim castissima Virgo, instar Mosaicæ illius virgæ, quæ Magorum virgas deuorauit, perdet, atque consumet. Mater quidem dilectionis est: non diffiteor, sed nonne simul & timoris? dilectionis bonis, timoris malis; non virga tantum consolationis est: *Virga tua, &* Psal.22. *baculus tuus, ipsa me consolata sunt*, verum etiam est virga iræ, & virga furoris improbis, qui dilectione repudiata Deum per pœnitentiam placare non student: his mater est iustissimi timoris, & supplicii: Psal.2. *Reges eos in virga ferrea*; in cuius figura olim IEREMIAS vidit *virgam vigilantem*, quæ beatam Virginem adumbrabat, & post illam vidit, & extimuit, *ollam succensam*. & vt hæc præcedentibus consonent, LXX. INTERPRETES, & THEODOTION dicũt, illam fuisse *amygdalinam*, seu *nuceam*, instar Aaronicæ virgæ: cur autem primo nuceam, cur vigilantem cur ollam postea vidit succensam? non meam, sed D AVGVST. responsionem audiamus, qui ait: D Aug. serm.90. de temp. *Vita & mors ponitur ante faciem nostram; & vita quidem Christus in sacramento nucis, mors autem diabolus in figura ollæ succensæ; si ergo peccaueris, portionem tuam pones cum olla succensa; si autem iuste egeris, efficietur portio tua in virgam nuceam.* hæc D AVGVSTINVS.

VII. SED & respondeat D. AMBR dicens: D. Ambr. in Ps 19. *Quoniam qui baculo non corrigitur, mittitur in ollam, vt ardeat & tabescat, ideo ad Prophetam Ezechielem dicitur, accipe tibi sartaginem, & accipies iniquitates domus Israel, & cõsummabis; & tabescent in suis iniquitatibus.* itaque beata Virgo per omnia Christum imitata, sicut ipse mors est malis, vita bonis; ita & ipsa probis, & pœnitentibus est pia Mater; impiis vero & impœnitentibus crudelis nouerca. Atque hinc est, antiquum serpentem nihil præter Christum magis expauescere, quam mysticam hanc

Isa.30.
Iob.40.

virgam, quæ caput eius contriuit, ISAIA attestante: *pauescit Assur virga percussus*; à quibus verbis non dissonant illa alia IOBI: *In oculis eius quasi hamo capiet eum*: fuit enim beata Virgo virga, ex qua pependit esca carnis Christi, sub qua latebat hamus diuinitatis, quo captus fuit antiquus ille Leuiathan, humani generis infestissimus hostis, vt eleganter

Pet. Dam. ser.30. de Nat. alias hom.47.

his verbis prosequitur PETRVS DAMIANVS: *Cum in eo serpens iste per manus persequentium escam corporis momordit, diuinitatis illum aculeus perforauit. Prius vero eum in miraculis Deum cognouerat, sed de cognitione ad dubitationem cecdiit, quando hunc passibilem vidit, quasi hamus ergo fauces deglutientis tenuit, dum in illo esca carnis apparuit, quam deuorator oppeteret, & diuinitas passionis tempore latuit quæ necaret. In hamo eius incarnationis captus est: quia dum in illo appetiit escam corporis, transfixus est iaculo diuinitatis. Ibi quippe inerat humanitas, quæ ad se deuoratorem duceret; ibi diuinitas, quæ perforaret; ibi aperta infirmitas, quæ prouocaret; ibi occulta virtus, quæ raptoris fauces transfigeret; in hamo igitur captus est, quia inde interiit, vnde momordit, & quos iure tenebat, mortales perdidit, quia eum in quo ius non habuit mortis, appetere in morte præsumpsit.* Sed & aliter etiã video dæmonem

Iob.40.

captum ab hac mystica virga, IOBO dicente: *Num illudes ei, quasi aui?* Solent quidem aues hoc artificio capi: inungitur virga visco, cui si auis insideat, tenaci visci virtute comprehensa manet; non dissimiliter dæmon, quem sub metaphora auis apte intel-

Luc.8.

ligi docuit Christus dominus in parabol. seminis, volucrem cœli illum appellans, captus fuit ab hac mystica virga, quæ per desponsationis vinculum, velut visco coniuncta Iosepho, Diabolum fefellit, ne eius virginitatem aduerteret; vt docuit his ver-

D. Ambr. de Nat. Dom.

bis AMB. *Vt virginitas Mariæ falleret principem mundi, qui cum desponsatam cerneret viro, partum non potuit habere suspectum.*

VIII. Cæterum iam virgas alias beatam Virginem adumbrantes breuiter percurramus, & ad florem ex hac virga sacra exortum accedamus. Arbitror, virgam illam, quam Iacob iamiã moribundus

Ad Heb.11.

in modũ sceptri adorauit, cuius meminit D. PAVLVS dicens: *fide Iacob moriens, singulos filiorum Ioseph benedixit, & adorauit fastigium virgæ eius*; sic enim legit nostra Vulgata; sic etiam verterunt Septuaginta Interpretes; sic etiam transtulere ex Græcis Patribus, CHRYSOSTOMVS, THEODORETVS, THEOPHYLACTVS, OECVMENIVS, PHOTIVS, GEGHENTIVS, ex Latinis vero, ANSELMVS, PRIMASIVS, AYMON, EVCHERIVS, & HVGO VICTORINVS: quodq; caput est in hanc sententiam, laudauit Synodus generalis lectionem hanc in Epistola Pontificis Adriani. Cõueniunt omnes Patres, virgam illam cuius fastigium adorauit Iacob, virgam esse Iosephi filii sui, quã, tanquam Prorex Ægypti, velut regium sceptrum in manu ferebat; quæ propterea apte Virginem præfigurabat, quæ virga erat Iosephi, cui in coniugem fuerat data; fastigium huius virgæ Christus Dominus erat. Iacob ergo præuidens in spiritu IESVM florem Iesseum, ex virga MARIA nasciturum, honorauit virgam cum fastigio. Præfigurauit etiam

Esther 5.
1.Reg.14.

eandem Virginem virga aurea ASSVERI, quam extendebat in signum clementiæ; & per virgam IONATHÆ, quæ melle respersa, principis famem mitigauit, ac robustiorem reddidit; nec non per virgã

Apoc.11.
Zach.11.

illam, quam vidit IOANNES, *qua mensurabatur templum Dei, & altare, & adorantes in eo*; ac tandem per virgam ZACHARIÆ, quam, *decorem*, vocauit; est enim Beata Virgo, velut virga Assueri, quam dum ad nos per pietatem suam extendit, ad Assuerum, beatitudinem significantem, nos introducit; in cu-

3.Reg.1.

ius figura legimus, Bersabæam impetrasse apud Regem filio suo Salomoni regnum: & sicut olim prætores solebant virga leuiter percutere seruos super capita, quando volebant eos libertate donare, iuxta modum, quem refert GLOSS. *in § multi, & in verbo, Vindicta, Instit. de libertinis*: sic, cum Christus cor nostrum suauiter percutit Virga deuotionis Mariæ, liberos nos facit à seruitute diaboli, ac speciali amoris vinculo nos secum coniungit: fuit etiam velut virga Ionathæ, dulcissimũ fauum carnis Christi nobis porrigens, quo alimur & nutrimur, & ad pugnam fortiores & robustiores reddimur. Est insuper, velut virga mensurans omnes fideles ad triplicem enim classem omnes illi reducũtur; ad virgines, ad continentes post naufragium virginitatis amissæ, & ad vxoratos. Hi omnes, si velint ad normam & mensuram Marianam se aptare, & per eius actiones vitam suam regulare, maximũ

D. Amb. lib 2 de Virgin. in initio.

in dies virtutis incrementum suscipient: vnde D. AMBROSIVS ait: *Sit vobis tanquam in imagine descripta virginitas, vitaque beatæ Mariæ, de qua, velut è speculo, refulget species castitatis, & forma virtutis; hinc sumatis licet exempla virtutis, vbi, tanquam in exemplari, magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt*, hæc ille. Deniq; per virgam Zachariæ apte Virgo præfigu-

Zach.11.

ratur, sic enim ille ait: *Assumpsit mihi duas virgas, & vnam vocaui, decorẽ, aliam, funiculũ*; virga quæ *funiculus* nuncupabatur, Euam prænotabat, quæ funibus peccatorum nos constrinxit; virga vero, quam appellauit, *decorem*, B. Virginem significabat; decoram quidem in sua conceptione, decoram in ortu, sed & magis decorã in germinatione floris, & fructus: sicut enim virga tunc pulchrior, & omnium oculis gratior apparet cum floribus & fructibus ornatur, ita tũc venusta magis, ac decora mystica hęc virga extitit, cum flos de radice eius ascẽdit, & velut ab arboris virga IESVS benedictus, fructus ventris eius ab illa pendebat.

IX. His adnectamus varias conditiones virgæ, variosque virgarum vsus & munera, ex quibus nuper exortæ Virginis excellentia non parum illustrabitur. Inter virgas quædam rectæ, aliæ obliquæ, & extortæ nascuntur. Omnes quidem sumus virgæ ex illa prima arbore, quam Deus à principio creauit, primo scilicet parente pullulantes, sed nos peccati originalis obliquitate extorti concipimur, & nasci-

mur; at B. Virgo absque vlla peccati obliquitate virga recta nata est. Philosophi dicunt, rectum illud esse, cuius medium non dissentit ab extremis: Duo extrema vitæ B. Virginis fuisse natiuitatem, & mortem nemo ambigit; cùm ergo vita eius sancta & recta semper fuerit, consequens est, extrema illa, natiuitatem & mortem, sancta, & recta fuisse; & quidem si Deus fecit hominem rectum (vt ait

Eccl. 7. ECCLESIASTES) nemo dubitare debet, matrem creasse rectam. non enim par erat, in hoc seruum præferri Matri: & sicut virga absque susceptione seminis cœlesti influentia adiuta, innata sua virtute concurrente, florem germinat, & fructum producit; sic mystica hæc sacra Virgo absque humano semine, Spiritu S. illam obumbrante, ac fæcunda eiusdem Virginis generatiua potentia concurrente, Christum florem & fructum omnium pulcherrimum peperit; & sicut virga vento flante contremiscere solet, ita Virgo ad flatum salutationis Angelicæ tota contremuit: *Turbata est in sermone eius*; vnde ad tremorem illum expellendum continuo

Luc. 1. Angelus dixit: *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum:* & sicut tenera virga valde flexibilis est, sic & B. Virgo facilius, quam omnes sancti, ad preces nostras flectitur, ac iustis fidelium petitionibus annuit; vnde BERNARD. ait: *Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suauis est; omnibus offerens lac & lanam.* (D. Bernar. serm. de verb Apost. c. 12.) Denique persimiles adeo sunt, *Virga, & Virgo*, vt per solam vltimam literam inter se differant; virga enim finitur in A, quæ prima litera esse noscitur alphabethi Latini, Virgo verò finitur in O, quæ est vltima litera Alphabethi Græci: IOANNES autem in sua APOCALYPSI filium, ait,

Apoc. 1. Mariæ vocari vtramque hanc literam, a, & o; *Ego sum Alpha & Omega, principium, & finis*; sicut ergo duæ istæ literæ, a & o; finiunt, ac perficiunt duplicem hanc vocem: *Virga, & Virgo*; ita Christus Dominus ex virgine carnem assumens, & fecit Mariam virgam, florem & fructum germinantem, & constituit illam præclarissimam omnium Virginem, virginitatis eius integritatem non solum nō violans, sed augens, & exornans. ECCLESIA CATHOLICA canente: Christum Dominum ortu suo virginitatē Matris non minuisse, sed sacrasse. Vnde sicut si tenerā virgam assumas & extremitatem extremitati coniungas, inde litera o resultabit, ita si ex hac mystica virga duas illas extremitates secundum naturam valde inter se dissidentes, Virginitatem scilicet, & fœcunditatem coniungas, inde *Virgo* prodibit per literam o, quæ vndique clausa est satis aptè significata, cum, secundum Catholicam fidem, virgo in conceptu, & virgo post partum semper remanserit. Ad extremum, sicut pastor virga vti solet, vt in itinere regat & dirigat gregem, ne in vetita ingrediatur; ita Christus Dominus, supremus omnium Pastor, Ecclesiæ Catholicæ gregem media hac mystica virga, scilicet B. Virgine, gubernat, ac dirigit. vnde ei aptè congruunt illa verba DAVIDIS: *virga directionis, virga regni tui*, Psal. 44. cum errantes oues dirigat, vt ad ouile & pastorem suum reuertantur Virga etiam vti solent viatores, cuius vsum non interdixit Christus Dominus A- Marc. 6. postolis, MARCO dicente: *& præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum.* Deseruit quidem virga viatoribus ad hæc præsertim duo, & ad leuamen laboris, & ad percutiendos canes, si quos ad mordendum viatorem inuadere contingat; non secus nos viatores, atque peregrini, vt vocat nos Apostolus, hac mystica virga valde indigemus, 1. Pet. 2. quam si corde per deuotionem, ore per inuocationem, manu per imitationem gestauerimus, interius mirifice recreati, à Dæmonum incursibus, qui velut immanissimi canes nos dilacerare contendunt, liberabimur, atque protegemur vnde D. BERNARD. tam pie, quam eleganter ad id nos exhortans, ait: *Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, iudicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, & desperationis abysso, cogita Mariam in periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam inuoca. non recedat ab ore, non recedat à corde; & vt impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplum.* (D. Bernar. hom. 2. super Missus est.)

X. PORRO iam reliquum est, vt cætera, quæ in verbis illis latēt arcana reseremus: *Et flos*, ait ISAIAS, *de radice eius ascendet*; (Isaia 11.) equidem hunc florem esse Christum, qui de se ipso dixit: *ego sum flos campi*, (Cant. 2.) præterquam quod communis est Patrum intelligentia, clare liquet ex PARAPHRASTE CHALDÆO, qui eum locum vertit in hunc modum: *egredietur Rex de filiis Iesse, & Christus de filiis filiorum eius vngetur.* (Paraphr. Chald. in c. 11. Isaiæ.) Vnde Diuus HIERONYMVS ex hoc loco explicat verba illa Matthæi: *vt adimpleretur, quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur*, (D. Hier. Matt. 2.) quæ verba nullibi reperiuntur; ipse autem dicit, hæc esse, quia legit, *& Nazaræus de radice eius consurget*; Nazaræus enim idem est, quod floridus. alii ex Hebræo vertunt: *ex radice eius consurget separatus*, aut *custos*; quæ rectè Christo congruunt, cum ipse sit separatus, & segregatus à peccatoribus, vt loquitur D. PAVLVS: (Ad Heb. 7.) insuper & vigilantissimus custos omnium, vt vocat illum IOB. (Iob. 7.) Scio BVRGENSEM velle, Christum Nazaræum vocari ab illo PSALM. 131. *Super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea*; quod idem est, vt explicat ipse, ac si diceret: *super ipsum efflorebit Nazareitas sua, seu consecratio sua*: hic ergo flos, Christus Dominus floruit quidem in natiuitate, languit & emarcuit in flagellatione, aruit in morte, & refloruit in resurrectione, vt in persona eius dixit DAVID: *& refloruit caro mea.* (Psal. 27.) Si flores ad multa vtiles sunt, vt ad fragrantiam, & suaueolentiam, ad pastum, & ad medicinam propter liquores varios, qui ex illis exprimuntur, ac tandem ad contexendam coronam; hæc omnia Christo excellentiori modo conuenire nemo diffitebitur, qui considerauerit odorem sanctitatis eius per totum mundum diffusum; vnde illum prædorans IACOB, dixit: *Ecce odor filij mei*, (Gen. 27.) sicut

sicut odor agri pleni; agrum plenum, vocat B. Virginem gratia plenam, ex qua fragrans hic flos prodiit, cuius odorem participans Apostolus dicebat: *Christi bonus odor sumus*; ex hoc flore expressus fuit salutif r ille purpurei sanguinis liquor, in medicinam spiritualium vulnerum animarum ad pastum etiam hunc florem prodesse, nemo negabit, qui Christum audierit dicentem: *Ego panis viuus, qui de cœlo descendi*; Ex hoc tandem florem contexendam esse coronam ad redimenda Sanctorum capita, disertis verbis edixit ISAIAS Propheta: *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & sertum exultationis, residuo populi sui.* HVGO de SANCTO VICTORE septem floris proprietates describit; aut enim esse subtilem, tenerum, mollem, leuem, odoriferum, pulchrum & vtilem. Ecce Christum subtilem, per corporis extenuationem, tenerum per amorem, mollem per mansuetudinem, leuem per paupertatem, odoriferum per vitæ sanctimoniam, pulchrum per vultus venustatem cum singulari modestia coniunctam, vtilem per doctrinam, carnem, & sanguinem, quibus animam fidelium variis modis cibat & potat.

2.Cor.2. — *Ioan 6.* — *Isaiæ 23.* — *Hugo de S. Victore miscel.2.l.4. tit.27.*

XI. AD extremũ, illud silentio minime prætermittam, quid sibi velit ISAIAS Propheta, dum postquam dixerat: *Egredietur virga de radice Iesse*, continuo subnectit: *& flos de radice eius ascendet*: cum alioquin sufficere videbatur dicere: *& flos de virga eius ascendet*: at consulto Prophetam verba illa, *de radice eius*, addidisse existimo, vt Christum Dominum, & Mariam ex eadem Dauidica radice oriundos fore, atque adeo corpus Christi, quod intra Virginis vterum erat efformatum, non fictũ aut phantasticum, instar corporum, quæ Angeli solent assumere, futurum esse; sed verum & humanum, quale habuit ipsa radix Dauidica, aperte commõstraret. Accedit, quod & ipsum confirmat, si vim faciamus in verbo illo, *flos*, nam sicut flos producitur ex subtiliori substantia, & puriori succo ipsius plantæ; sic Christus Dominus instar floris secundum carnem formatus fuit ex subtiliori substantia, & puriori sanguine immaculatæ Virginis. vnde Diuus BERNARDVS dixit; ex verbis stis ISAIÆ: *& flos de radice eius ascendet*, conuinci falsitatem erroris quorundam hæreticorum, dicentium; corpus Christi fuisse desumptum ex materia cœlesti. Cui sit honor, & gloria in secula seculorum, Amen.

Isaiæ 11. — *D. Bernar. l.8. de consideratione.*

HOMILIA V.

Beatam Virginem natam fuisse pulcherrimam omnium fœminarum, eiusq; pulchritudinem libidinem eam intuentium extinxisse, Sanctorum Patrum monumentis, ac variis rationibus commonstramus; pariterq; de fulgore vultus illius, capillorum colore, & corporis suaueolentia disserimus.

I. IDEBITVR fortasse alicui superuacaneum esse, commendationem beatæ Virginis à pulchritudine corporis petere, cum hanc diuina eloquia detestentur, Sancti Patres fugiendam admoneant, ac Philosophi antiqui non pauci contra illam præclara multa scripserint. Certe, si diuina eloquia consulimus, ECCLESIASTICVS dixit: *Vestigium cordis boni, & faciem bonam difficile, & cum labore inuenies*; & alibi, *Ne circumspicias speciem alienam: propter speciem mulieris multi perierunt.* & ibid. *Virginem ne circumspicias: ne forte scandalizeris in decore illius.* Et PROVERB. vlt. *Fallax gratia, & vana est pulchritudo.* vel, ut Hebræus codex habet: *Mendacium est gratia, & vanitas est pulchritudo.* ISAIAS etiam dixit: *Exortum est fœnum, & cecidit flos, & decor vultus eius deperiit.* & IOB: *Deuoret pulchritudinem cutis eius, consumat brachia illius primogenita mors*: imo Deus exècrari videtur pulchritudinem corporis, cũ THRENORVM 2. dicatur: *Occidit omne, quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiæ Sion.* His consonant, quæ Patres dicunt. D. CHRYSOST. ait: *Externa corporis pulchritudo plena est multæ superbiæ, & arrogantiæ.* Diuus AVGVSTINVS vocat pulchritudinem, *bonum minimum.* exponens enim verba illa Gen. *Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ*, ait: *deserto magno bono lapsus factus est ad bonum minimum.* D. HIERONYMVS mulierem pulchram vocat *malorum omnium caput*: D. CHRYSOLOGVS, *sepulchri titulum*; nam sicut titulus lapidi insculptus solet indicare sub illo adesse sepulchrũ, ita muliebris pulchritudo quasi quidam titulus est, qui instar Epitaphii indicat, illam sepulchrum esse multorum, qui solo eius aspectu interierunt. TERTVLLIANVS tandem pulchram mulierem vocat, *Diaboli ianuam*: Mira etiam veteres illi gentiles in pulchritudinis vituperium scripsere; IVVENALIS dixit:

Eccles.13. — *Eccles.9.* — *Ibid.* — *Prou.31.* — *Isai.40.* — *Iob.18* — *Thren.2.* — *D.Chys. hom.20. ad Eph.* — *D. Aug. li. 15. de Ciu. Dei. Gen.6.* — *D.Hier. sup. Eccl. 7* — *S.Pet. Chrysolog. ser.77.* — *Tertull. l. de habitu mulie.* — *Iuuen. l.4.*

——— *Rara est concordia formæ,*
atque pudicitiæ.

& OVIDIVS:

Fastus inest pulchris, sequitur superbia formam.
——— *cupit formosa videri:*
Et si qua est illic formosa, inuidet illi:

simile est illud libri 1. de arte amandi:

Delectant etiam castas præconia formæ.

Ouid. in 1. de Fast.

ex quo factum est, vt Pallas, & Iuno, vt refert VIRGILIVS ægre tulerint iudicium Paridis, iudicantis Deam Venerem pulchritudine Iunonem & Palladem præcellere:

——— *Manet alta mente repostum*
Iudicium Paridis.

Ouid. li. 1. de arte amandi.

Et PAVLVS MANVTIVS in suis Adagiis refert celebre fuisse apud antiquos prouerbium illud: *Ignis, Mare, Mulier, tria mala*: ignis comburit, mare submergit, & suffocat, at pulchra mulier maius malum est: nam si ignem & mare non contingas, non te læ-

Paul. Manut. in l. Adag.

te lædunt; at fœmina pulchra solo aspectu, velut basiliscus inficit, atque contaminat.

II. De fragilitate etiam, atque instabilitate muliebris pulchritudinis non pauca tam iidem, quam alii Philosophi verissime edixere. CICERO ait, *forma dignitas aut morbo deflorescit, aut vetustate exstinguitur.* OVIDIVS:

Lib de medicamine faciei.

———— Formam depopulabitur ætas,
Et placidus rugis vultus aratus erit.

& alibi:

Forma bonum fragile est, quodcumq; accedit ad annos,
Fit minor, & spacio carpitur ipsa suo.

Ouid. l. 2. de arte amandi.

Et lib. 2. de arte amandi:

Nulla non dies formosi corporis spolium non abstulit.

Nemes. Egl. 4.

Et NEMESIVS similia dicit:

Bonum forma breue est, nec te sibi cōmodat omnis.

Calphurn. in Bucol.

CALPHVRNIVS ait:

Non hæc semper eris, perdunt & gramina flores.

Boet. prosa 8. lib. 3. de consolat.

Boetius: *forma*, inquit, *nitor rapidus est, & velox, & vernalium florum mutabilitate fugacior:* & ibidem: *æstimate hoc, quicunq; miramini, triduanæ febris igniculo posse dissolui:* ac tandem ait: *Si, vt Aristoteles dicit, lynceis oculis homines vterentur, vt eorum visus obstantia penetraret, nonne introspectis visceribus illud Alcibiadis superficie pulcherrimum corpus turpissimum videretur: igitur te pulchrum videri, non tua natura, sed oculorum spectantium reddit infirmitas.*

Petrarch. de remed. vtriusque fortis.

PETRARCHA etiam eleganter dixit: *Cunctis ex qualitatibus, quæ mortali cum corpore fugiunt, nulla velocior, quam forma, quæ mox, vt amœnum flosculum ostenderit, ipsis inter oculos mirantium, atque laudantium euanescit. & cum breuis hunc pruina percusserit, leuis hunc aurora decusserit, subito vel manus vtique decerpitur, vel prætereuntis morbi calce deprimitur.* hæc ille: quod si innumera mala, quæ fœminarum pulchritudo peperit, commemoranda forent, tempus potius, quam materia mihi deficeret, quemadmodum enim piscator pisces, auceps aues esca, sic Diabolus homines fœminarum pulchritudine decipit: vnde D. AMBROSIVS dixit:

D. Ambro. lib. de Virg.

Carnes etiam volantes aquilas deponunt. Aquila quidem erat Dauid aquila Salomon, aquila Samson, aquilæ multi alii mira sanctitate pollentes, quos tamen muliebris pulchritudo fefellit, ac in grauissimorum peccatorum barathrum detrusit. Nouerat quidem Rex Balach hanc pulchritudinis vim, & fortitudinem ad molliendos, & vincendos animos, cum debellaturus Israelitarum exercitum non strenuos ac fortes milites, sed pulchras fæminas instrui præcepit ex consilio Balaham.

Num. 25.

Orig. hom. 20 in Numer.

ORIG. in hunc modum loquentem egregie introducit: *Non virtute*, inquit, *militū sed mulierum decore pugnandum est; nec amatorum vigore, sed mollitie fœminarum; procul amoue armatorum manum, & electam congrega speciem puellarum, forma vincit armatos, ferrum pulchritudo captiuat, vincentur specie, qui non vincuntur prælio.* hæc illè: vnde PVBLIVS SYRVS dixit: *formosa species, muta commendatio:* & CARNEADES: *Regnum absque satellitio:* cui consonat illud, quod QVINTILIANVS & PAVSANIAS commemorant de Atheniensi quadam matrona, mira pulchritudine insignita, quæ in publico iudicio perorans, id quod eloquentissimus orator Isperidæ sermonis sui venustate & elegantia ei obtinere non potuerat, illa vultus sui pulchritudine, ac miro decore à iudicibus extorsit: vnde extat dictum Aristotelicum, LAERTIO id referent: *Pulchritudo quauis epistola efficacior ad commendationem; & THEOPHRASTVS* Aristotelis discipulus vocabat pulchritudinem *silentem fraudem.* ad quæ verba videntur allusisse alia Imperatoris *in l. 1 ff de restitut in integr.* vbi ait: *vtilitas huius tituli non eget commendatione: ipsa enim se ostendit.* SOCRATES denique *crudelem tyrannum* illam vocabat.

Publ. Syr. id referente Lauren. Maselli in vita B. Vir. lib 7. c. 3. Quintil. lib. 2. c. 16. Pausan. l. 1. Laert. lib. 5 de vitis Philosoph. Apud Laur. Maselli, vbi supra.

III. VERVM tametsi pulchritudo humani corporis fugax, ac labile quoddam bonum sit, Dei tamen donum est, vt docuit D. CHRYSOST. & Diuus AVGVSTINVS his verbis: *Pulchritudo Dei donum est, sed propterea id largitur etiam malis, ne magnum bonum videatur bonis.* Hinc PLATO inter bona corporalia quandoque vult primum locum tenere sanitatem, quandoque pulchritudinem, illamque vocabat: *maxime omnium amabilem, & naturæ priuilegium,* quia paucis conceditur, vt refert ANDREAS EBORENSIS: & STOBÆVS testatur, Dyonem Pythagoricum dixisse: pulchritudinem ad reuerentiam cum admiratione coniunctam animum excitare; verba Pythagoræ sunt hæc: *pulchritudo reuera mihi videtur quid reuerendum & admiratione dignum.* De ARISTOTELE etiam fertur, quod interrogatus, quid causæ esset quod facilius, & libentius cum illis confabulamur, qui pulchriores sunt? respondit, interrogationem hanc hominis cœci esse, quem pulchritudo non allicit. Illud tamen super omnia pulchritudinis excellentiam commendat, quod D. AMBROSIVS dixit: *species corporis simulachrum est mentis, figuraque probitatis.* Hinc EVRIPIDES apud Porphyrium dixit: *Priami species digna est imperio.* hinc Ius ciuile vult, teste BALDO & TIRAQVELLO, quod si duo æqualibus suffragiis ad dignitatem Rectoris sint electi, dignitas illa non deformi, sed pulchro; quod si vterque pulcher; pulchriori detur: id non alia ratione iura determinant, nisi quia externa pulchritudo bonæ indolis indicium esse solet. atque huc facit illud, quod LAERTIVS adducit de Diogene, qui videns decorum adolescentem indecore loquentem, dixit ei: *Non erubescis ex eburnea vagina plumbeum educere gladium?* reuera quemadmodum præclarum ensem præclara vagina, ita pulchrum animum pulchrum corpus decet, est enim corpus, iuxta phrasim sacræ Scripturæ, vagina animæ, vbi enim Vulgata nostra in GENESI legit: *Non permanebit spiritus meus in homine,* PAGNINVS vertit: *non erit vt in vagina spiritus meus.* Econtra Diuus GREGORIVS, & HIERONYMVS, quod & habetur

D. Chrys. in Psal. 50. D. Aug. l. 15. de Ciui. Dei, c. 22. Plato l. 2. & 6. de Repub. And. Ebor c. de pulchr. Stobæus serm. 63. Pythag. in suis docum. D. Ambr. l. 2. de Vir. Euripid. apud Porphyr Bald. proœ. decr. coll. 11. Bart. l. 1. in prin. ff. de furtis. Laert. de Diog. Gen. 6. Pagnin. in Genes. D. Gregor. & Hier. sup. Leuit. cap. 22.

habetur *distinct.* 49 *cap. hinc enim,* dicunt corporis maculas esse symbolum vitiorum, cui consonat illud GALENI: *Natura membra componit, prout moribus animæ conuenit.* ille etiam alter famosus medicus RASIS, *cuius facies,* inquit *est deformis, vix potest habere bonos mores.* quæ omnia his carminibus acute & eleganter conclusit MARTIALIS:

Galen. l. 2. de temper. c. 6. & l. 1. & 2. de usu partiũ. Rasis lib. 2. cap 33. ad Almansorem

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læsus.
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

Vnde, vt narrat PLVTARCHVS in vita Lycurgi, cautum erat apud Lacedæmones, vt filii, qui deformes ac fœdi nascerentur, vilibus officiis obeundis addicerentur: immo & in lege veteri Deus prohibuit, Leuit. 21 & Deuteron. 15. ne corpore deformes sacrificia sibi offerrent; & in lege noua, cum deformitas est notabilis, irregularitatem inducit, vt constat ex titulo *de irregularitate.* PLVTARCHVS etiam rem mirabilem narrat, huic argumento valde consentaneam, quod cum Philomenon, fortissimus Rex, facie tamen valde deformis, domum ingrederetur cuiusdam amici, qui illum ad prandium inuitauerat, vxor inuitantis conditionem illius nesciens, iudicans, ob nimiam eius deformitatem, hominem vilem esse, præcepit, vt interim ligna cæderet, dum maritus aduentaret; cui ille obediens, dum ligna scinderet, dicebat: *mea deformitatis pœnas exsoluo.*

Plutarch. in vita Lycurg.

Plutarch. vbi supra.

IV. Ex quibus omnibus non obscure colligitur, deformitatem detestabile malum; pulchritudinem verò amabile bonum, & inter præclaras naturæ dotes connumerandum esse; alioquin sacra Scriptura minime insignes fœminas a pulchritudine laudasset. laudat autem REBECCAM; *erat enim puella decora nimis; virgoq; pulcherrima, & incognita viro.* De RACHELE ait: *erat decora facie, & venusta aspectu.* De ESTHER: *pulchra valde, & incredibili pulchritudine; gratiosa omnium oculis, & amabilis videbatur.* Et de IVDITH: *Considerabant faciem eius, & erat stupor in oculis eorum, quoniam eius pulcritudinem mirabantur nimis:* ac tandem de filiabus IOB inquit: *non sunt inuentæ mulieres speciosæ, sicut filiæ Iob in vniuersa terra.*

Gen. 24. Gen. 29. Esther. 1. Iudith. 8 Iob. 42.

V. Atque hinc primam rationem desumo ad suadendam eximiam Virginis pulchritudinem, quia præterquam prædictæ fœminæ beatam Virginem adumbrarunt, tam in dotibus naturalibus, quam supernaturalibus, quibus insignitæ fuere, certe id, quod in aliis fœminis sacra eloquia laudant, nemo sanæ mentis dicet Virgini defuisse, quæ fœminarum omnium in omnibus, & per omnia præstantissima fuit.

VI Secunda ratio sit: nam ARISTOT. dixit: *Natura est vis insita rebus, similia ex similibus procreans:* vnde, nisi natura impediatur, filius prodit similis patri, vel matri: at Christus Dominus fuit pulcherrimus inter omnes, iuxta illud DAVIDIS: *Speciosus forma præ filiis hominum.* & in eius conceptione non potuit impedimentum aliquod obesse, cum de matre absque patre, cooperante Spiritu sancto, cuius perfectissima sunt opera, conciperetur. vnde NICEPHORVS CALIXTVS, postquam pulchritudinem Christi descripserat, concludit: *Persimilis denique per omnia fuit diuinæ & immaculatæ suæ Genitrici:* & D. AMBR. ait: Christus matrem corpore, virtute referebat patrem; relinquitur ergo, quod si pulcher fuit filius, pulchra & mater.

Arist. lib 2 Physic. Psalm 44. Niceph. Calix. l. 1. hist. c. vlt. D. Ambr. lib. 3. de Virginib.

VII. Tertia ratio, quia corporis pulchritudo ex optima complexione, ex optimo temperamẽto & ex apta membrorum proportione nascitur: at corpus Virginis fuit adeo bene temperatum, vt nunquam in verum ac proprium morbum incideret, vt testantur GALATINVS & Card. CAIETANVS: & fauet sexta SYNODVS action. 11. dicens: corpus Virginis ab omni contagione fuisse liberum; consequens ergo est, fuisse etiam pulcherrimum, quod & ex descriptione pulchritudinis non obscure probatur, quæ tria sibi vendicat, debitam corporis quantitatem, elegantem membrorum proportionem, & coloris venustatem, quæ omnia in Virgine coisse & nuper dicta, & confestim dicenda abunde probant.

Galatin. lib. 7. c. 10. Card Caiet. opusc. de spasm. Virg.

VIII. Quarta ratio, quia castitas beatissimæ Virginis est in eo genere omni commendatione dignissima: at castitas commendabilior est in virgine pulchra, quam in deformi, Poëta canente:

Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.

à quibus verbis non dissident verba illa SAPIENTIS: *O quam pulchra est casta generatio cum claritate* (hoc est, cum pulchritud ne) *immortalis est memoria illius, quoniam apud Deum nota est, & apud homines:* etenim sicut incontinentia in deformibus est vituperabilior, sic continentia in pulchris laudabilior, maxime quod raro est pudicitia pulchritudinis comes, OVIDIO dicente:

Sap 14.

Est lis cum forma magna pudicitiæ.

quanto ergo rarior, tanto in Virgine fuit illustrior mira pudicitiæ, & formæ concordia. Atque hinc est, quod Sancti Patres vnanimi consensu docent, beatissimam Virginem singulari ac honestissima corporis pulchritudine viguisse, GREGORIVS NAZIANZENVS reliquas, ait, fœminas pulchritudine superasse. ANDR. HIEROSOLYMIT. vocat illam, statuam à Deo sculptam, recte descriptam, ac eximiæ pulchritudinis. RICCARDVS VICTORINVS appellat eam vultu angelico tam corpore, quam mente fuisse decoratam, & addit ALBERTVS MAGNVS, tantam pulchritudinem habuisse, quantam secundum naturam corpori poterat inesse.

Ouid. in ep. Paridis. D. Greg. Nazianz. orat. de Christo patient. Andr. Hiero. de assumpt. Riccard. Vict. c. 16. in Cant. Albertus Mag. apud Dionys. lib. de laud. Virg. art. 34.

IX Sed excellentius omnibus hoc argumẽtum prosequitur D. IOANNES DAMASCENVS orat. de natiuit. Mariæ, vbi appellat Mariam Virginem, naturæ venustatem: aurea eius verba sunt hæc, quæ sequuntur: *O Deo digna filia humanæ naturæ venustas, primigenæ matris Euæ correctio, mulierum ornamentum. certabant inter se secula, quodnam ortu suo gloriaretur; sicut enim templum Salomonis decuit etiã materialiter & externe aureis ornamentis, ac superbissimis cælaturis adornari; ita quoque templum verum*

D. Ioan. Damasc. orat. 1. de nat. Mar. 3. Reg. 6.

filij Dei, in quo carnem assumpsit, decuit etiam corporeis & carneis ornamentis, ac proportionatis partibus sapienter delineari, ac decorari quod si hæc gloria Esther & Iudith communibus mulieribus collata fuit, de illa enim legitur in eius lib. cap. 2. erat Esther formosa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis amabilis & gratiosa videbatur. Atque iterum: *Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum: quanam iusta ratione id Matri Dei denegari poterit? Mulier (inquit* SAPIENS PROVERB. 11.) *gratiosa inueniet gloriam; nunquid Maria, quæ ab Angelo gratiosa nuncupata est, gloria, hoc est, pulchritudo corporis deerit? Habuit Assuerus Rex puellas speciosissimas, & Ancilla Domini inuenusta eligetur? est pulchritudo Deiparæ ornamentum Ecclesiæ Dei, sicut Sol, inquit* ECCLESIAST. *cap 26. oriens mundo in altissimis, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus eius, lucerna splendens super candelabrum sanctum, & species faciei super ætatem stabilem.* Consonant his, quæ eruditus BERNARDINVS in Epist. ad Sixtum IV. scripsit:

Esther 2.

Esther 2.

Nulla fuit tanto mulier redimita decore,
Qua speciem superet Virgo Maria tuam.
Candidior niueo rutilas regina colore,
Et radiis cedit clara Diana tuis.
Luna suum perdit tecum sociata nitorem,
Atq; comes nullum Sol tibi lumen habet.

Cantic 7. Eccles. 24. Cant. 2. 3. 6. & 7. & 9. Psal. 44.

Accedunt ad hæc loca omnia CANTIC. in quibus *pulchra, & pulcherrima* passim à sponso vocitatur; *cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur*, necnon & aliæ ECCLESIÆ CATHOLICÆ: *Vale, ô valde decora; Specie tua, & pulchritudine tua intende prospere, procede, & regna;* & similia.

X IAM quæ in speciali antiqui Patres de corporali Virginis pulchritudine, & præcipuis Christiferi illius corporis partibus testata nobis reliquerunt, in medium proferamus. S. EPIPH ad amussim corpus Virginis describit, id referente NICEPHORO, cuius hæc sunt verba: *Morum formæque, & staturæ eius modus talis, ut inquit* EPIPHANIVS, *fuit: erat in rebus omnibus honesta, & grauis, pauca admodum, eaque necessaria loquens, ad audiendum facilis, & perquam affabilis, honorem suum, & veritatem omnibus exhibens, statura mediocri, quamuis sint, qui eam aliquantulum mediocrem longitudinem excessisse dicant: decenti dicendi libertate aduersus homines omnes vsa est; sine risu, sine perturbatione, & sine iracundia maxime. Colore fuit triticum referente, capillo flauo, oculis acribus, subflauas, & tanquam oleæ colore pupillas in eis habens, supercilia ei erant inflexa, & decenter nigra; nasus longior, labia florida, & verborum suauitate plena, facies non rotunda, & acuta, sed aliquando longior, manus simul & digiti longiores; erat denique fastus omnis expers, simplex, minimeque vultum fingens, nihil mollitiei secum trahens, sed humilitatem præcellentem colens Vestimentis, quæ ipsa gestauit, coloris natiui contenta fuit id, quod etiam nunc sanctum capitis velamen ostendit; & vt paucis dicã, in reb. eius omnib. multa diuinitus inerat gratia,* hæc ille.

S. Epipha. apud Niceph. lib. 2. cap. 23.

XI. AT quia Christi fidelibus pergratum est singula, quæ ad Deiparam Mariam spectant, agnoscere, ego moleste non feram, quæ magnus DIONYSIVS AREOPAGITA tradit de pulchritudine & grauitate Mariani vultus, quem oculis suis inspexit, hic inserere. Scripsit ille epistolam quandam ad D. Paulum, vt ex multis Auctoribus illam probantibus commemorat FERREOLVS de Maria Augusta: Titulus epistolæ hic est:

S. Dionys. apud Ferreol. lib. 5. de Maria Augusta, cap. 6. Ferreolus de Maria Aug. lib. 5. cap. 6.

SERVVS, ET NOVISSIMVS vinctus Dionysius, Electissimo vasi cœlico Paulo Præceptori, & principi salutem.

Confiteor coram Deo, Princeps mi, ab hominibus non posse percipi, quam ego oculis non tantum mentis, sed corporis vidi, perspexi, atque propriis oculis intuitus sum Deiformem, atque supra omnes cœlicos spiritus sanctissimam Matrem Christi Iesu Domini nostri, quã mihi benignitas Dei, & clementia Saluatoris, & gloria maiestatis Deiformis Virginis matris eius ostendere dignata est: quoniam cum à Ioanne vertice Euangelij, & Prophetarum, qui corpore habitans quasi Sol fulget in cœlo, ductus fui ad Deiformem præsentiam altissimæ Virginis, tantus me immensus diuinus splẽdor circumfulsit exterius, & plenius irradiauit interius, tanta enim in me omnium odoramentorum superabundauit fragrantia, vt nec corpus infelix, nec spiritus posset totius, ac tantæ felicitatis insignia substinere. Defecit cor meum, defecit spiritus meus, tantæ gloriæ maiestate oppressus: Testor, qui aderat in Virgine, Deũ, si tua diuina doctrina non me docuisset, hanc verũ Deum esse credidissem, quoniam nulla videri posset maior gloria beatorum, quam felicitas illa, quam ego infelix nunc, tunc vero felicissimus degustaui. Gratias ago summo atq; optimo Deo, diuinæq; Virgini, & eminentissimo Apostolo Ioanni, & Tibi Ecclesiæ vertici atq; Principi, qui triumphanti mihi talia clarissime, & clemẽtissime præstitistis Vale. Hæc S. Dionys. Areopagita. Ex quibus maxime fulcitur grauissimorum Doctorũ sententia, asserentium, quod sicut olim propter consortiũ Dei è facie Moysis splendentes adeo radii prodibant, vt filii Israel in faciẽ eius intendere non possent; ita in facie Virginis diuinus fulgor emicabat; testatur id ille alter extaticus DIONYS dicẽs: *eo interior illa, ac diuina sinceritas luminosa euidentius in eius facie apparebat, (atq; vt quidam etiam magni Doctores dicunt) visibiliter radiabat:* vnde etiã D. HILARIVS, & NICOLAVS de LYRA explicantes verba illa: *Ioseph nõ cognoscebat eam, donec peperit filiũ suum primogenitum:* asserunt, Iosephum præ nimio Mariani vultus fulgore in facie eius relucente non potuisse oculorum aciem in illam figere; quod idem disertis verbis docuit ORIG. dum dixit: *Quãdiu Virgo beata habuit in suo vtero solem iustitiæ, tantus fulgor exibat de eius facie, quod Ioseph eam cognoscere, & discernere non valebat, nec in eius faciem intendere poterat, donec eius vterus fuit euacuatus.*

Referunt idem Dionys. Richel in elucid. 3. c. de diu. nom. & Vbertin. tit. de vita Saluatoris

Exod. 34.

Dionys. Carthus. lib. 1. de Virg. art. 36.

D. Hilar. & Nicol. de Lyra super Matth. 1.

Orig. super Matth. 1.

XII. SED pergo iam aliã insignẽ, atq; excellẽtiorem Marianæ pulchritudinis circumstantiã commemorare, quam multi Patres, & grauissimi Doctores docent: nimirum pulchritudinem Virginis ea diuinitus sibi infusa virtute viguisse, vt in intuentibus illam non solum libidinem, si quæ erat in illis, extingueret, sed ad castitatem sectandã incitaret. huius veritatis primũ testẽ produco D. AMBROS. de instit. Virg. vbi ait: *Tanta erat eius gratia, vt non solum in se virginitatem seruaret, sed etiam si quos inuiseret, integritatis insigne ipsis conferret*: sequuti sunt D. AMBR. grauissimi alii Patres, & Doctores; siquidem Angelicus Doctor D. THOM. ait: *Gratia sanctificationis non solum repressit in Virgine motus illicitos, sed etiam in aliis efficaciam habuit, ita, vt quamuis esset pulchra corpore, à nullo concupisci potuerit.* Contestatur idem D. BONAVENTVRA dicens: *quidam Iudæi asserunt, hoc mirum fuisse in Virgine, quod cum esset pulcherrima, tamen à nullo vnquam viro fuerit concupita, nec vilipendendum est hoc infidelium testimonium.* hæc ille. Approbat etiam & Cancellarius Parisiensis GERSON: *Dico*, inquit, *quod Phisonomia Virginis mouebat aspicientes ad omnem castitatem, & luxuriosas extinguebat, mortificabatque cogitationes.* Similia scripsit celebris ille sua ætate MAIOR dicens: *Illam dotem omnipotens Deiparæ suppeditauit, vt mortalium nemo illam concupisceret. Porro ea visa, infrænis libido (vt firmiter teneo) prorsus extinguebatur.* Similia tandem tradunt ALEXANDER ALENSIS, DIONYSIVS CARTHVSIANVS, & GABRIEL.

D. Ambr. de instit. virg. c. 7.
D. Thom. in 3. d. q. 1. ar. 2. ad 4.
D. Bonau. in 3. d. 3. q. 3
Gers. ser. de concept. Virg.
Maior super c. 1. Luc.
Alexand. Alens. 3. p. summæ.

XIII. ATQVE hinc intelligetis, ea propt-r beatam Virginem Cedro se comparasse: *Quasi cedrus exaltata sum in Libano*, quia sicut cedrus hanc insitam virtutem habet, vt vermes extinguat, ita singularis Virginis pulchritudo ea diuina prædita erat virtute, vt in aspicientibus illam libidinis vermes, animæ decorem deuorantes, penitus extingueret. Simili etiam ratione se contulit myrrhæ: *Quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris*: nam sicut myrrha à corruptione præseruat, ita pulchritudo Virginis intuentium animos à libidinis contagione præseruabat. Hinc etiam intelligetis locum illum Canticorum: *Sicut lilium inter spinas, sic amica m·a inter filias*; perinde enim est, ac si dixisset; hoc interest discrimen inter Mariam & reliquas Virgines etiam castissimas, vt Agnetem, Luciam, Catharinam, Agatham, & Margaritam, & similes aliis, quod illæ sua pulchritudine, vt spinæ intuentium animos pungebant; Maria vero, velut lilium, neminem sua pulchritudine læsit, aut inordinati alicuius motus occasio extitit; itaque licet quædam aliæ virgines nunquam concupierint, fuerunt tamen concupitæ; Virgo autem nec concupiuit, nec fuit vnquam concupita. Mirabile sane Virginis priuilegium. Sancta quidem erat Sara, sancta Rebecca, & quia fuerunt concupitæ, vtriusque pulc ritudo magno discrimini exposuit earum maritos, dum Rex Gherar, & Rex Palæstinorum Abimelech in eorum amorem exarserunt; at Deipara Maria nulli vnquam extitit sua pulchritudine libidinis occasio, sed multis fuit aduersus libidinis illecebras præsentissimum remedium.

Dionys. Carthus. super c. 2. Cant.
Gabr. 3. d. 3. q. 2.
Eccles. 24.
Ibid.
Cant. 2.
Genes. 20.
Gen. 26.

XIV. ANTIQVI sane agnoscentes, quam dire mortalium animos infestet libido, multis conuiciis illam prosequuti sunt, malam bestiam vocitantes, perniciosam pestem, indomitam furiarum facem, effrænem hydram, cui si caput vnum præcideris, continuo pullulant alia, ac proinde multis ac variis remediis illi occurrere gestierunt. ARISTOT. in Problem. ait: *frigiditate pedum libidinis calida incentiua domari; frigentesque pedibus ægrè concumbere posse.* PLINIVS etiam in natur. histor. docet; lactucæ semina in vino pota libidinum imaginationes in somno compescere, lib. 24. tradit: Salicis folia contrita, & in potum missa libidinis intemperantiam cohibere, immo frequentem eius vsum in totum eam tollere. MALONIVS vir eruditissimus scribit: *Viticis folia substrata cubilibus, eorumque fumigia venereæ rei impetus sedare*: & ideo ait, Athenienses matronas castitatem seruaturas viticis folia sibi substernere solitas, vt testatur PLINIVS præcitato loco. Alii etiam inquiunt; lilia alba thoro strata, suo odore libidinis furorem sedare; turpesque somniorum imaginationes comprimere, de quibus quidam Poetarum cecinit:

——*Castos dant lilia somnos.*

ac tandem subdit, alii plumbeas laminas lumbis supe positas libidinum faces sua frigiditate lenire tradiderunt. ANDREAS etiam BACHIVS Balneorum vsum libidinem sedare docuit De planta etiã, quæ AGNVS CASTVS vocatur, in puluerem redacta, & in potum missa, naturales historiographi tradunt, libidinis vim atq; furorẽ reprimendi virtutẽ habere. & propterea AGNVM CASTVM vocari.

Arist. sess. 4. Probl. 5.
Plin l. 20. cap. 7.
Idem lib. 24. c. 9.
Idem loco præcitato.
And. Bachius lib. 2. de Thermis, c. 2.

XV. REMEDIA dein spiritualia aduersus libidinem frequenter sancti Patres tradunt; vt considerationem nouissimorum, ieiunium, & abstinentiã, quia *sine Cerere & Bacho friget Venus*: corporis flagellationem, & similia. At cum intuitu pulchritudinis B. Virginis nullum remedium valet cõparari, cum illa non solum aduersus luxuriæ tela firmissimum præsidium, sed ad castitatem amandam singulare esset incentiuum.

XVI. ERAT preterea eximia Virginis pulchritudo cum tam rara modestia coniuncta, vt GALATINVS antiquarum rerum diligentissimus inuestigator dixerit: omnia Virginis membra, à vertice capitis ad vngues vsque pedum, omnesque sensus eius, & cogitationes animæ imperio absque omni repugnantia obtemperasse, vsque adeo quidem, vt oculi eius nihil inhonesti, nihil illiciti vnquam aspexerint; immo, vt oculos nunquam eleuarit, sicut cæteri homines facere solent, sed semper, nisi Deum oraret, humi defixos tenuerit. atque inter cæteras perfectiones eo spiritu prophetiæ do-

Galatin. l. 7. de arcan. cath. veris.

natam

natam fuisse ait, vt si forte aliquid inconcessum, seu illicitum, vel auditura, vel visura esset, illicò eius aures & oculi clauderentur, ita vt eius membra & sensus omnes nisi voluntati diuinæ deseruire viderentur.

XVII. Ex his omnibus facile mihi persuadeo, beatissimam Virginem pulcherrimam omnium fœminarum extitisse; sicut enim olim (id referente CICERONE) insignis ille Pictor Zeusis, volens in gratiam Crotoniensium depingere Helenam, cuius eximiæ pulchritudinis fama erat vulgatissima, quinque pulcherrimas inter omnes virgines tanquam spectandum exemplar sibi ante oculos proposuit, vt ex singulis elegantiora seligens; in Helenæ imaginem illa transferret; sic sane Deus supremus omnium Pictor non quinque formosarum virginum dotes, sed quidquid in cunctis creaturis pulchritudinis & gratiæ fuit, totum illud in Genitricem suam Mariam congessit. laudet ergo sacra eloquia eximiam pulchritudinem Iosephi, Moysis, Saulis, Ionathæ, Dauidis & Absalonis: magnificent etiam insignem venustatem Saræ, Rachelis, Dinæ, Thamaris, Noemi, Esther, Iudith, Abigail, Bersabeæ, Abisag, & Susannæ: laudent Poetæ pulchritudinem Polidori, Hyppoliti, Deiphœbi, Paridis, & Narcyssi; multis encomiis extollant pulchritudinem Athlantis: cuius meminit OVIDIVS:

Cic. l. 2. de Inuent. in pr.

Gen. 39. Exod. 2. 1. Reg. 9. 1. Reg. 16. 1. Reg. 17.

Venit Atlante Scheneï pulcherrima virgo.

Ouid. 8. Metamor.

Laudibus efferant suam Ariadnæ filiam Regis Minois, quam in vxorem duxisse Bacchum commentantur. extollant Argiam Adrasti Regis Argiuorum natam, vt refert STATIVS.

Egregiam Argiam, nec formæ laude secundam.

Stat. lib 1. de Theba.

Extollant Cinthiam, de qua PROPERTIVS dixit:

Et quascumque tulit formosi temporis ætas
Cinthia, non illas nomen habere sinat.

Extollant Arginam, nec non & Danaen, quarum Iouem amore captum dicebant, vt refert OVID. extollant Reginam Semiramidem, ob cuius singularem, ac raram venustatem, defuncto eius viro, Persæ illam, sicut antea, imperare permiserunt; extollant pulchram illam Aomphellam, quæ in sui amorem fortissimum Herculem captiuum duxit; efferant Helenam Græcam ob cuius raram pulchritudinem originem habuit bellum Troianum; extollant Europam, in cuius pulchritudinis gratiam & honorem dicebant, tertiam partē mundi Europā nominari; extollant Diamiram, propter quam bella gesserunt Archelaus, & Hercules; extollant Polyssenam, quæ inuincibilem Achillem suæ pulchritudinis lucidissimis armis facile superauit; extollant Lauiniam filiam Regis Latini, cuius amore captus Rex Turnus, permulta bella gessit, cum Troiano Ænea; extollant Medusam, quæ se intuentes, vt eorum fabulæ mentiuntur, immobiles, & extaticos sua pulchritudine reddebat; extollant Pantasileā, in cuius vultu splendenti, velut in quodam fulgentissimo speculo integrum exercitum se intueri confingebant; efferant tandem ad cœlum vsque prophani Auctores, Romanā Lucretiam, Cleopatram, Cassandram, Penelopem, Cybalem, Vestalem, Thetim, Roxanam, Virginiam, Polyssenam, Pantheam, Deilamiam, Licasten, Lesbiā, Lauiniam, & Laodamiam: harum enim omnium pulchritudinem virginis decor atq; venustas longo interuallo superauit. vnde quæ mendaciter OVID. Galathææ pulheritudinē cōmendans, egregia cecinit carmina, nō ementite, sed veracissime Deiparæ Mariæ pulchritudini omnino congruunt:

Candidior folio nites Galathæa ligustri,
Floridior prato, longa procerior vlmo;
Splendidior vitro, tenero lasciuior hœdo;
Leuior assiduo detritis æquore Conchis,
Solibus hybernis æstiua gratior vmbra,
Nobilior pomis, platano conspectior alta,
Lucidior glacie, matura dulcior vua,
Mollior & Cygni plumis, & lacte coacto,
Et si non fugias, riguo formosior horto.

XVIII. Hæc quam apte in Virginem conueniat, insigne illud, ac portentosum miraculū aperte satis indicat, quod SILVANVS RAZZIVS commemorat, cuius etiam meminit MALONIVS. Clericus quidam V. Mariæ eximiam pulchritudinem intuēdi ardentissimo desiderio flagrabat, in diesq; singulos, vti sibi beneficiū istud cōcederet, instanter deprecabatur: Virgo eius petitioni annuēs, Angelum ei mittit, qui moneret, placere sibi suam illi pulchritudinem aperire, simulq; ei significaret, quibus oculis pulchritudinis suæ elegantiam conspexerit, nihil vmquam aspicere aliud poterit, sed visu orbatus, cœcutiet. Accepit Clericus conditionem; constituta autem die, & adueniente beata Virgine, Clericus oculis suis nimis aut callide, aut timide prospiciens, oculum vnum occludens, altero solum intuetur cœlestem, & pene diuinam Virginis maiestatem, & pulchritudinem, in cuius conspectu moratur, rapitur, hæret, gloriatur, ac deficit; at cum Virginis decorem longe splendidiorem agnosceret, quam vt vno oculo conspici posset, alterum quoque oculum aperit, vtroque paratus orbari oculo, modo tantæ Virginis decorem intensius semel cerneret: sed frustra, nam statim atque alterum oculum aperuit, Virgo euanuit: tum is oculo, quo beatam Virginem viderat, orbatus, maxime dolens, non quod oculum, quo beatæ Virginis decus viderat, amiserat, sed quod altero quoque oculo, tantæ Matris eminentem pulchritudinem non conspexisset; rursus tristari, dolere, supplex rogare, instare, ac precibus vrgere Virginem cœpit, vt iterum se alteri quoque oculo videndam concederet, paratum se altero quoque priuari oculo; non incassum fudit preces, denuo se Deipara suam gloriam videndam pollicetur: gratias agit Clericus, diem cunctatur, quantocyus fieri rem postulat, destinata tandem die adest cœlestis Regina, decus, gloriam, & pulchritudinem suam aperit, fruitur interea Clericus; sed subtrahit

Siluanus Razz. ex l. 3 miraculor. B. Virg. Malon super stigma. c. 14.

trahit se virgo, & pro sua bonitate alterum quoq; oculum, quo primo priuatus erat, restituit. Ecce quam admiranda Virginis pulchritudo, pro qua semel aspicienda non dubitaret ille charissima oculorum lumina perdere.

Albert. Magnus l. de laud. Virg.

XIX. PORRO vt illis, quę de naturali Mariani corporis pulchritudine mihi dicenda sunt, vltimā manum imponam, obseruandum censui primo ALBERTVM MAGN. ass. rere, colorem Virginei vultus Deiparæ Mariæ mixtum fuisse ex candido & rubicundo, quod sane mihi valde verisimile est, tum quia, si, velut docuit Card. CAIETANVS, Virgo Maria fuit similis per omnia (quantum fas est) filio suo; certe cum ipse illo colore præditus fuerit, vt & ipsa testatur: *Dilectus meus candidus, & rubicundus*, consequēs est Virginis vultum rubore pariter, & candore perfusum: tum quia, vt testatur GALEN. corpus eucraticum ex albo & rubeo mixtum est; corpus autem Virginis eucraticum erat, hoc est, bene complexionatum, atq; optimo temperamento affectum. corpus enim album nimiam frigiditatem, nigrū nimium calorem portendit; mixtum vero ex albo & rubicundo temperatum est. Nec pugnare arbitror cum hac sententia, quod NICEPH. ex EPIPHAN. tradat, colorem Virginis fuisse triticeū; nam triticum perfectum quale in Palæstina inueniebatur, mixtionem habet candidi & rubei.

Cantic. 5. *Galen. in tegni.* *Niceph. l. 2 c. 23.*

XX. DE colore autem capillorum eius non est vna omnium sententia: quidam enim putarunt, beatam Virginem habuisse capillos aurei coloris, iuxta illud poeticum:

Fœmineum caput si vis formare decorum,
Crinibus irrutilet, nitet aureum.

Alii docent, capillos eius fuisse rubeos, similes illis, de quibus CANTIC. *Comæ capitis tui sicut purpura Regis iuncta canalibus*, fauetq; GALEN. dum ait: cerebrum eucraticum, i. e. bene dispositum rubeos capillos sibi vendicare. fauet & NICEPH. præcitato loco, affirmans, capillos eius flaui fuisse coloris. Alii tandem affirmant, capillos Virginis nigros fuisse, sicut & capilli filii sui, de quibus ipsa ait: *Comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus:* & Veronica Imago nigram barbam, & nigros capillos refert; idque sane ad pulchritudinem Virginis valde spectare videtur iuxta illud HORATII.

Spectandum nigris oculis, nigroque capillo.

Cantic. 7. *Galen. in tegni.* *Niceph. loco præcitato.* *Cantic. 5.* *Horat. in poet.*

Facile quidem esset in hac controuersia ferre sententiam, si capilli B. Virginis in colore persimiles fuissent capillis Christi Domini; cum & LENTVLVS Romanus, Iudaici populi præses, in descriptione vultus Domini asserat, *capillos habuisse coloris nucis auellanæ præmaturæ*: & B. Brigitta dicat: *Capilli eius, supercilia, & barba croceæ brunea erant*; tamen quia ex diuersitate cōplexionis virilis & fœminilis poterat diuersus color oriri; non enim ad pulchritudinem viri pertinet idem color capillorum, qui in fœmina desideratur.

Lentulus, vt refert Malon. super stigm. syndoni impressa, c. 3. *B. Brigitta li. 4. reuel.*

XXI. QVARE in re dubia vnicuique prout libuerit, licebit opinari, dummodo non dicat, quod quidam inepte effutiuerunt, habuisse capillos albi coloris, quia de Christo Domino, cui persimilis erat Virgo, dicitur in APOCALYP. capillos eius candidos esse tanquam lunam albam, & tanquam niuem. hoc enim stultum est dicere: cum capillorum candor pugnet cum pulchritudine fœminea, & quia capilli illi albi, quos in visione testatur se vidisse IOANNES, non referebant naturales capillos Christi Domini, sed innocentiam, & animi illius candorem.

Apoc. 1.

XXII. TANDEM illud inter alia egregiam Virginis complexionem diuinitus ei datam non parum ostentat, odorifero scilicet corpore præditam fuisse, vt tradit D. DIONYSIVS doctor extaticus, nec mihi est creditu difficile: nam PLVTARCHVS dixit: *In Aristoxenis Commentariis legimus, Alexandri Magni membra, atque os tam suauem odorem exhalasse, vt & interiores tunicæ mirabili fragrantia complerentur; cuius rei causa fortasse fuit quædam corporis temperies innato calore feruentis.* Quod si PIERIVS VALERIANVS loquens de Ægyptiis, inquit: *Minime mirum est, in tanta victus parsimonia, eorum corpora (quod plerique auctores tradunt) vel nullis odoribus delibuta, sponte auram suaueolentem emisisse, odoratasque transeuntium vmbras miram inspirasse fragrantiam:* quod si, inquam, id aliis humanis corporibus fuit concessum, minime credam Mariano corpori, quod Dei futurum erat habitaculum, fuisse denegatum; immo si id fieri non posset (vt multi autumant) nisi supernaturali Dei virtute, non video, cur huiusmodi odoris fragrantiam, atque suaueolentiam, quā mortuis corporibus seruorum Dei concessam experimur, viuo corpori Matris Dei denegatam dicamus. scio non defuisse, qui dixerint, non decuisse beatam Virginem odorem spirare, ne delicias & odores amare videretur; at certe cum odor ille non esset instar odorum, quibus profani homines vtuntur, qui libidinis incentiua esse solent, sed supernaturalis, & ab illis valde diuersus, potius ad commendationem, & bonam opinionem Virginis iuuisset: Cui sit honor & gloria in secula seculorum, Amen.

D. Dionys. lib. 1. de Virgin. art. 36. *Pier. Valer. lib. 57.*

HOMILIA VI.

Sacerrimum MARIAE nomen multis retro temporibus pronunciatum, & impositum, congruentissimum illi esse, tum ex mysteriis, quæ in literis, ex quibus coalescit, delitescunt, facile deprehenditur.

I.  VAMVIS nominum significatio ex libera imponentis, & instituentis illa ad significandum voluntate dependeat, semper tamen debet, vt docet Angelicus

licus

licus Doctor, proprietatibus, aut muneribus ipsarum rerum correspondere: quod & prius docuerat PLATO: vnde abiit in prouerbium: *Nomina debent consona rebus esse*: idque sibi volunt verba illa GENESIS: *omne, quod vocauit Adam, ipsum est nomen eius*: ac si diceret Moyses. ita sapienter Adam nomina imposuit rebus, vt earum naturis omnia essent congrua, atque consentanea. Hinc Adam vxorem suam appellauit EVAM, quia futura erat Mater viuentium, quod est Euæ significatum; ipsa etiam Eua, vt habetur GENES 4. primum filium suum vocauit *Chain*, cuius & rationem ipsa assignauit: *quia possedi*, inquit, *hominem per Deum*: secundum *Abel*, eo quod cito euanescere deberet, & luctum parere parentibus: tertium vocauit *Seth*: dicens: *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel*. Lamech vocauit filium suum *Noe*, *quia iste*, ait, *consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus*. Abraham nuncupauit filium suum *Isaac*, quia Sara dixerat: *Risum mihi fecit Dominus*. Iacob sic vocatus fuit, quia fratrem suum supplantauerat in vtero; & Esau nomen hoc accepit, quia rufus erat. Phares hoc nomine fuit donatus, quia macerię em vteri diuiserat. Moyses filium primum vocauit *Gerson*, quia aduena fuit in terra aliena. Ioseph primogenitum vocauit *Manassem*, quia obliuisci fecit illum Deus omnium laborum suorum, alterum nomen imposuit *Ephraim*, *quia*, ait, *crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ*. Ac tandem Anna vocauit filium suum *Samuel*, quoniam a Deo illum postulauerat.

D.Tho.3. p.q.37. art 2. Plato in Sophista, & Cratilo. Genes.2. Genes.3. Gen 4. Genes.5. Gen.21. Gen.25. Exod.2. Gen.41. Ibid. 2. Reg I.

II. QVID quod etiam apud Gentiles nomina propria arcanam quandam significationem continebant? Hector enim lingua Phrygia *possessorem* significat, vt indicaretur, illud possessionem patriæ tutaturum esse. Tantalum, *infelicissimum* PLATO interpretatur, cui nimirum multa aduersa euentura essent: Priamus, *redemptum* sonat, vt qui adhuc infans in Troiæ euersione captus, redimendus esset.

Plato in Cratil.

III. SI ergo nomina ab hominibus prudenter imposita consona sunt rebus nominatis, nomen *Mariæ*, quod os Domini nominauit, vtpote quod *de cœlo delapsum*, vt testantur D. AMBROSIVS, BERNARDVS, & ANSELMVS, consequens est Deiparæ Virgini congruentissimum esse. Cœpit autem Deus primus omnium à principio creationis mundi nomen MARIÆ ore suo nominare pro quo ob eruandum est, Moysem dixisse, quod Deus congregationem aquarum vocauit *Maria*. S. THOMAS quærens p p. suæ Summæ, quare Deus cōgregationes aquarum non vocauit mare, sed *Maria*? respondet, congregationes ipsas, quia erant plures, vocauit maria, & non mare, sed non videtur conueniens ratio, quia licet in eodem flumine plures congregentur aquæ diuersorum fontium, vnum nihilominus dicitur flumen, non flumina: ergo eadem ratione, licet tunc plures ad eundem locum congregentur aquæ, vnum esset mare, non maria. Vnde liceat mihi pie cogitare, Deum nomen Mariæ adeo dilexisse, vt leuem etiam occasionem oblatam, ad illud nominandum, præterire noluerit, & ideo congregationes aquarum voluit vocare maria, vt sic primus omnium MARIAM pronunciaret, in cuius etiam pronunciatione illud latet arcanum, obseruatione dignum, quod productio nominis Mariæ fit in litera I, quæ, vt PIERIVS adnotauit, habet formam columnæ, vnde eius pronunciatio videtur instar interpositæ columnæ oris labia substinere, quod maximam huius sacri nominis virtutem non obscure præ se fert, quæ tanta esse noscitur, vt eius inuocatio inuocantis animum velut æneam columnam ab hoste immobilem & inuincibilem reddere soleat.

Amb. ser. de natiuit. Virgin. Bern. sup. Missus est. Ansel. li de concept. Virg. c 2. Barth. Pi. de B. Virg. fruct.8. Genes.1. D.Th.1.p. q.69. art 1. & 3.

Pier. lib. 47. de lit. septem.

IV. QVANDO Deus in GENESI voluit sobolem dare sterili Saræ, hanc literam I. eius nomini ademit, vocabatur enim Sarai; vt autem periti linguæ Hebrææ tradunt, litera hæc I, in nomine Sarai, idem significabat, quod *mea*; mysterio ergo sane vacare non potest, quod litera I, quam Deus abstulit nomini Saræ, voluerit in nomine Mariæ præ omnibus aliis eius literis in pronunciatione produci. Illud ego subodoro mysterium, quod Sara addita I, significat *Domina mea*, absque I vero, Domina tantum: quia vero solam Virginem Dominus constituit Reginam cœli & terræ, tam Angelorum, quam hominum, eique dedit potestatem dominandi à mari vsque ad mare, & vsque ad extremos fines orbis terræ, immo & super cardines cœli, ipsa sola est, quæ per antonomasiam DOMINA ab omnibus vocari meretur; ad significandam ergo amplissimam dilatationem huius Mariani dominii literam I, quam Deus Saræ nomini ademit, voluit in pronunciatione nominis Mariæ produci, non breuiari.

Gen.17.

V. FVIT præterea sacrum hoc nomen MARIÆ à Gentilibus præcognitum, & prædictum. nā (vt constat ex li. 8. oracul. Sibylla Heritræa multa de Christo Domino prædicens ait:

Et breuis egressus Maria de Virginis aluo,
Exorta est noua lux.

Lib. 8. oracul.

Argonautæ, vt refert RVFFINVS, postquam cum Tassone & Orphæo ciuitatem Cyzico suo imperio subiugassent, famosum illud templum, cuius meminit PLINIVS tanto splendore atque artificio construxerunt, vt omnes iuncturę lapidum solidissimis auri filis decorarentur. Consulentes autem Apollinis oraculum, cuinam illud templum consecrari deberet: responsum ab eo acceperunt; Mariæ sacrādum fore; quod vaticinium postea tempore Zenonis Imperatoris, prædictum templum ab Idolorum spurcitia purgantis, impletum fuit. Refert etiam SVRIVS tom. 4. mense Iulio in vita Procopii martyris: Inter Argonautas quendam gentilem (quo spiritu afflatum, Deus nouit) hæc in modum Epitaphii in valuis templi scripsisse: *Ego tres cupio: Deum vnum regnantem apud superos, eius verbum ab interitu alienum, conceptum in simplici Virgine, qui tanquam*

Ruffin. Scacciotus in Corona B. Virg. lect. 23. Plin. li. 36. cap. 15. Canis. refert li. 1. de B. Virg. c. 1.

ignitus arcus percurrens mundi medium, omnes capiens, eos adducet domũ Patri; huius erit hæc ædes: Mariæ autem erit nomen eius. Eiusdem historiæ meminit CEDRINVS antiquissimus historiographus in hæc carmina, ex Græco in Latinum translata:

Cedrinus in sua hist.

Illius æternum verbum, anteq; secula verbum,
Nescia Virgo viri quodam partu tenera edet,
Qui velut igniferis impulsa sagitta procellis,
Edomitum reddet pro munere mundum.
Huius, quam Mariæ nomen manet, Alma
Agnoscet templum proprium tibi rite dicatum.

Deinde RABBI ACCADOS, Doctor grauissimus apud Hebræos, quem & sanctum Magistrum vocitabant, respondens petitioni Antonini Consulis Romani, multo retro tempore ante natale Christi Domini, postquam dixerat, Matrem Messiæ nascituram esse ex stirpe Dauidica, & ex patre Ioachimo, futuramque esse orbis dominam, ac Prophetarum magistram, concludit, nomine Mariæ fore insigniendam.

Refert Canis. l 1. de Deip.

VI. Ac tandem silentio non præteribo, inter reconditissima Hebræorum arcana illud celeberrimum fuisse, vnam apud Deum esse primam ac perfectissimam omnium creaturarum, quam *Mitatron*, id est, principem facierum, vocabant, qua voce Mariæ nomen intelligi non obscure constat, tum ex supputatione numerorum, quam mysteriis plenam Hebræi fatentur; Maria enim apud eos constituit numerum 209. vel, vt alii dicunt, 999. quem eũdem reddunt vltimæ literæ nominis *Matatron*: tum quia propterea *Matatron*, id est, *Principem facierum*, illam vocabant, quia ante faciem Imperatoris semper astaret, & ius haberet introducendi alios ad præsentiam illius: quod proprium Mariæ munus esse, satis aperte fatetur ECCLESIA CATHOLICA, deprecans illam in celebri illo Cantico SALVE REGINA: *Et IESVM benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende*: nisi enim B. Virgo ius haberet diuinitus ei datum introducendi fideles ad filii sui præsentiam, minime eam deprecaretur Ecclesia, vt filium suum nobis ostenderet.

Canis de Deip. lib. I. cap. I.

Eccl. Cath. in Cant. Salue Regina.

VII. PORRO antequam varia, quæ in sacratissimo nomine *Mariæ* sacramenta delitescunt, aperire aggrediar, mira quædam, quæ in laudem illius sancti Patres edixere, in medium proferam. D. PETRVS CHRYSOL ait: *nomen hoc prophetiæ germanum est, hoc renascentibus salutare, hoc virginitatis insigne, hoc pudicitiæ decus, hoc iudicium castitatis, hoc Dei sacrificium, hoc hospitalitatis virtus, hoc collegium sanctitatis.* D. BONAV. *Tu bene signata es per illam Ruth, de qua legitur sic: sit exemplum virtutis in Ephrata, & habet celebre nomen in Bethlehem, id est, in Ecclesia. O celeberrimum nomen* MARIA, *quomodo posset nomen tuum non esse celebre, quod etiam deuote nominari non potest sine nominantis vtilitate? testatur tuus Bernard. dicens: O magna, ô pia, ô multum laudabilis Maria; Tu nec nominari potes, quin accendas, nec cogitari quidem, quin recrees affectus diligentium te: Tu nunquam sine dulcedine diuinitus insita piæ memoriæ portas ingredezris.* Sapientissimus IDIOTA, ob eximiã eius humilitatẽ sic vocatus, ait: *Dedit Tibi, Maria, tota Trinitas nomẽ, vt in nomine tuo omne genu flectatur, hoc nomen super omnia sanctorum nomina reficit lassos, sanat languidos, illuminat cœcos, penetrat duros, vngit agonistas, iugum Diaboli excutit; tantæ virtutis est, & excellentiæ, vt cælum rideat, terra lætetur, Angeli cõgaudeant.* D. BERN. ser. super *Salue Regina*, hæc in laudem Mariani nominis carmina scripsit:

D. Chrysol. ser. 146.

D. Bonau. in specul. Virg c. 8.

Idiota, vt refertur tom. 3. biblioth. SS. Patrum, cap. 5.

Infreta dum fluuii current, dum montibus vmbræ
Lustrabunt, conuexa polus dum sydera pascet,
Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt;
Spes mea, Virgo pia, Virgo sacra, Virgo Maria.

VIII. HIS adnecto alia non dissimilia, quæ in Mariani nominis laudem eleganter scripsit super primum caput CANTIC. sapientissimus ALANVS, vbi ait: *Cuius nomen præconizatur mundus, nisi Virginis huius? Cuius laus celebratur in ore populi fidelis, nisi Virginis Mariæ? Cuius virginitas nobis datur in speculum, nisi virginis incorruptæ? & eleganter fama & gloria nominis eius oleo effuso comparatur: oleum esurientem reficit, ægrotantem sanat, membra defatigata mitigat, odorem parit flammam nutrit. Sic & in laude Virginis reficimur, exemplo eius ad virtutum medicamina inuitamur, aduersitatibus fessi eius patientia recreamur, vitæ eius forma illustramur, nominis famæ diffunditur, & non solum oleo, sed & oleo effuso nomen eius comparatur, quia sicut oleum effusum magis redolet, sic quanto magis nomen Virginis dilatatur, tanto magis gloria augetur.*

Alanus super I. c. Cant.

IX. SED audiamus D. BONAV. qui in speculo Virginis adnotat, in sacra Scriptura septies præcipue nominari B. Virginem, ad septem virtutes significandas, quæ in illa valde claruerunt, septem vitiis capitalibus è diametro opposita: primo ostendit humilitatem contra superbiam: *dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini*, paupertatem contra auaritiam: *Inuenietis Mariam, & Ioseph, & Infantem positum in præsepio* contra luxuriam, virginitatem: *& nomen Virginis Maria*: contra inuidiam, charitatem, quam erga cognatam Elisabeth exercuit: *Exurgens Maria abiit in montana*: contra gulam, temperãtiam: nam si Apostolus dixit: *Optimum est gratia stabilire cor, non escis*, non potuit hæc virtus non mirifice in Virgine splendere, cui Angelus dixit: *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum*: contra iram mãsuetudinem & patientiam in laboribus: *Stabat autem iuxta crucem Iesu Mater eius*; ac tandem contra acediam sedulam diligentiam, & perseuerantem famulatum: *Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu.*

D. Bonau. in spec. Vir. c. 4.

Lucæ I.
Luc. 2.
Luc. I.
Ibid.
Hebr. 13.
Luc. I.
Ioan. 19.
Act. I.

X. SED neque B. IORDANI singularem deuotionem erga hoc sacratissimum nomen Mariæ, cuius meminit LAVRENTIVS MASELLI, silentio præteribo. Recitabat ille singulis diebus in honorẽ sacerrimi huius nominis quinq; Psalmos, quorum primæ literæ nomen Mariæ componebant: *Magnificat anima mea Dominum, Ad Dominum cum tribularer,*

Laur. Maselli de vita Virg. lib I c. II.
Luc. I.

Retri-

Psal.119. Psal.125. Psal.24. Liber cuius titulus: Speculum exemp

Retribue seruo tuo, In conuertendo Dominus, Ad te leuaui animam meam: & , vt refert SPECVLVM EXEMPLORVM euidentissimo miraculo demonstrauit B. Virgo, hoc deuotionis genus sibi gratissimum esse; nam mortuo quodam alio, qui Psalmos illos recitauerat in honorem Mariani nominis, ex oculis ex duabus nasi fenestris, & ex ore inuentæ fuerunt rosæ quinque pullulantes, ad cuius stupendi portenti memoriam vna ex illis rosis vsque in hodiernum diem conseruatur in Cistello, vt idem Auctor, & alii commemorant.

Plin.l.10. cap.23.

XI. Hæc sane, si vere Virginis amatores sumus, suadere deberent, sacratissimum Mariæ nomen frequenter in corde versare per meditationem, in ore per inuocationem, in opere per imitationẽ. Aquilæ quidem montis Tauri, vt auctor est PLINIVS, Gruibus iter facientib. insidiatur, vt deuorent eas, quarum proximus aduentus ex earum clamore illis innotescit; at Grues, vt silere compellantur, ne ab Aquilis earũ clamor audiatur, singulæ singulos lapides in ore deferunt; Eædem etiam Grues vnguibus pedum lapidẽ apprehendunt, vt vigiles sint. Apes deinde lapillos secum portant, ne propter nimiam earum leuitatem cum volant, à vento huc illucq; circumferantur. De Ricino etiam marino ferunt Naturales, in medio corpore lapidem superponere, ne à superbientibus fluctibus aquarum infestetur. Non dissimiliter, si cupimus nos à rapacium aquilarum (Dæmones intelligo) sæuissima infestatione liberari, si desideramus à vento superbiæ non concuti, si volumus maris huius seculi fluctuantibus vndis non submergi oportet lapidem nominis Mariæ instar Ricii marini in medio cordis, instar Gruũ in ore, instar Apum in opere continuo gerere, vnde sicut olim DAVID cum virga, & quinq; lapidibus gigantem Goliath expugnauit, sic fideles adhibentes sibi per inuocationem beatam Virginem, virgam de radice Iesse, & quinque lapides, hoc est, sacrosanctum nomen Mariæ, quod ex quinq; literis constat, ipsis quidem, velut quinq; limpidissimis lapidibus, hostes profligabunt.

1.Reg.13

XII. CÆTERVM iam tempus est, vt mysteria, quæ in singulis literis, ex quibus nomen Mariæ conflatur, aperiamus, & quæ in variis earum significationibus inuoluta sunt, diligẽter euoluamus. ne autẽ hoc genus argumenti ex literis Mariani nominis, & multiplici eius significatione desumptum quispiam impudenter despicere audeat, attendat quæso verba D. CHRYSOSTOMI, qui super epistolam ad Romanos ait: *magnum thesaurum in nudis nominibus, multarum rerum historias, non modicam denique philosophiam contineri*: Et ibidem super illa verba: *Salutant vos Aquila, & Priscilla*, docet, nomina & cognomina in sacris Scripturis diligenter excuti debere: & EVSEBIVS CÆSARIENS. de præparatione Euangelica docet; Hebræos exquisitam, & diuinam quandam sapientiam in huiusmodi nominum expositione inueniss. Consonant his, quæ docẽt Iurisconsulti; nam *in l.1 ff de Iustitia, & Iure*, legislator

D.Chry. ad Roman. cap 16. homil 15.

Euseb.Cæsar.l.11 de præparat. Euang.c 3.

inquit: Iuri operam daturos prius nosse oportet vnde nomen iuris descendat, *& in l 1.§. appellata ff si certum petatur*, dicitur, nõ leue argumentum esse desumptum ab Etymologia, & allusione vocabuli. vnde videmus S. Patres diligentes fuisse in eorum interpretatione; D. namq; HIER. librum conscripsit de nominibus Hebraicis, & plures D ISIDORVS de nominum Etymologia. Immo & Deus ipse, dum in veteri Testamento nomina Abrahæ & Saræ mutauit, illi vnam literam addens, huic vnam adimẽs, non modicam nominum rationem habuisse monstrauit. Et Christus Dominus in lege gratiæ ad nomen Petri attendens, dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Hoc posito fundamento, mysteria, quæ in literis, Mariæ nomẽ componentibus, latent, reserare aggredior, reseraturus postea, quæ in variis eius significationibus delitescunt. Matth.16.

XIII. D. ANTONINVS præ eximia eius deuotione, qua erga beatam Virginem affectus erat, singulas literas nominis Mariæ contemplatur, iuxta Hebræum Alphabetum, ex quibus hoc nomen coalet. Prima litera est M; quæ apud Hebræos dicitur *Mem*, quæ litera, quia ex parte inferiori clausa est, nunquam inuenitur apposita in principio dictionis, nisi in nomine Maria, vt clausuram virginitatis eius, quæ sola Mater virgo fuit, significaret. Diuus AMBROSIVS ait: Mem significare *ex intimo*, vel, vt alii adnotant, *ignis ex intimis*; quod beatæ Virgini apte conuenit, cum ex intimis eius visceribus increatus ignis carnis materiam assumens visibili specie humano generi apparuerit. Secunda litera est A, quæ Hebræorum nomine *Aleph* dicitur, & iuxta D. AMBROSII sententiam vbi supra, significat doctrinam, quod non obscure significat, beatam Virginem opere & sermone non solum fuisse veritatis doctricem, sed totius sanctitatis magisterium. Tertia litera est R, quam Hebræi vocant *Res*, & significat caput, vel primatum, quod & Virgini apte satis congruit cum & Virginum caput sit, & virginitatis primatum inter omnes habere noscatur; aliæ virgines fœcundæ non fuerunt, sed steriles; at Maria fœcundissima fuit, & virgo simul integerrima, gaudia Matris habens cum virginitatis pudore. Quarta litera est I, quæ apud Hebræos minor est in figura, & dicitur *Iod*, & significat confessionem: literam hanc quis non videat, dum minorem habet figuram. & confessionem significat, humilem confessionem B. Virginis indicare. dum minimam se Dei ancillam esse fatetur, cum Matris Dei dignitas ei offerebatur, dicẽs: *Ecce Ancilla Domini?* Et D. AMBROSIVS super illud: *Manus tuæ fecerunt me*: ait, literam *Iod* significare mœstitiam, & dolorem, quod & beatæ Virgini satis competit, cum *Maria* amaritudinem significet, quam animæ Virginis intulit amarus passionis Christi calix, iuxta illud SIMEONIS: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*. Tandem vltima litera A, nempe *Aleph*, quam *doctrinam* diximus significare, ideo certe repeti-

D. Anton. 4.p.tit.15. cap.22.in fin.§.9.

D.Amb.in Psal.118.

Luca I.

Luca 2.

petitur in nomine Mariæ, quia cum ipsa non solum hominum, sed Angelorum magistra fuerit, non solum homines, sed & Angelos salutari sua doctrina imbuit. Si enim inferiores Angeli ab aliis illustrantur, *Ad Eph.3.* immo & ab Apostolis (PAVLO id attestante) *vt innotescat Principatibus & Potestatibus*, in cœlestibus nihil mirum, quod superiores à beata Virgine illuminentur.

Leonardus de Vtino ser. de Nat. Virg. XIV. AD hæc LEONARDVS de VTINO per quinque literas huius sacri nominis, *Maria*, quinque preciosos lapides intelligit, quibus Marianum diadema exornatur. *M. Margaritam* designat, quia sicut illa vim habet confortandi cor, sic nomen Mariæ in omnibus periculis cor stabilit, & trementi animæ firmissimum refugium est, ECCLESIA canente: *Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei genitrix.* *Dioscorid. de adamante.* Literam *A, Adamantem*, ait, designare, quia sicut virtutem habet reconciliandi rixantes & discordes; ita & beata Virgo reconciliauit genus humanum *Cantic.8.* Deo; *facta sum coram eo pacem reperiens.* Et sicut furor viri solet per mulierem mitigari, & temperari, sic ira Dei per beatissimam Virginem mitigata fuit, ne in homines furor eius excandesceret. Per literam R, intelligit *Rubinum*, qui cum sit valde splendens, recte nomen Mariæ refert, quæ illuminatrix interpretatur, & *cuius vita* (vt in officio natiuitatis legimus) *cunctas illustrat Ecclesias.* Vel dicamus significare, Mariam, rubinum generasse, qui nascitur in visceribus saphiri, hoc est, Christum genuisse in suo cœlesti ac saphirino vtero. Litera *I, Iaspidem* denotat, quia sicut iste se gestantem impauidum reddit, ac intrepidum, sic Mariæ patrocinium fideles munit, & aduersus Diabolum, cui ipsa est terribilis, vt castrorum acies ordinata, fortes ac intrepidos facit. Vltimam vero literam *A, Alectorium* referre ait, qui hominem reddit bene fortunatum: quæ autem excogitari potest felicior fortuna (si ita fas est loqui) quam vitam æternam obtinere? quam tamen beata Mater à filio suo nobis dandam *Eccles.24.* pollicetur, dicens: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Vel dicamus, *A, Amethistum* designare, *Apoc.21.* cuius meminit IOANNES in APOCALYPSI, & de quo referunt Naturales inueniri terreo quodam velamine inuolutum, mirabilem eius splendorem cooperientem, in quo egregie beatam Virginem ad- *Cant.1.* umbrat, dicentem: *Nigra sum, sed formosa*: nigra quidem exterius, secundum vulgarem existimationẽ, quia dum homines filium habere me videbant minime virginem esse putabant; at sub hac nigredine integritatem mea m velante, virginitatis venustas ac pulchritudo latebat.

XV. AD hæc, per quinque has literas sacrosancti huius nominis Mariæ, quinque denotantur celeberrimæ fœminæ, quæ typum eius gessere. Per *M.* *1.Reg.18.* *Michol* designatur, per *A, Abigail* per *R, Ruth*, aut *1.Reg.25.* *Rebecca*, per *I, Iabel*, vel *Iudith*, & per vltimam, *A*, *Ruth 1.* *Anna*, vel *Abisag*: hæ autem omnes fœminæ non so- *Gene. 22.* lum Deiparam in se, sed eius virtutes mirifice adumbrarunt. fuit Michol pietate referta, quam Dauid adeo adamauit, vt amicitiam cum Abner principe militiæ populi Israel omnino recusauerit: nisi *Iudith.8.* prius eam sibi præsentasset, vt 2.Reg legimus; non *1 Reg.1.* *4.Reg.1.* dissimiliter Mariam pietate insignem filius Dei tanto *2.Reg.3.* amore est prosequutus, vt amicitiam cum humano genere per Incarnationis vinculum inire noluerit, quousque Virgo hæc nasceretur, & consensum suum tanto mysterio præstaret. Fuit deinde Abigail, quæ multis oblaris muneribus, necnon verbis humilibus ardentem Dauidis iracundiam mitigauit, ac temperauit, vt 1. Regum sacra narrat historia; *1.Reg.25.* sic Deipara Maria pro humani generis venia obtinenda, in quod Deus ira efferuebat, obuiam se illi fecit, variis virtutum monilibus ornata, necnõ humilibus illis verbis: *fiat mihi secundum verbum tuum*, *Luc.1.* quibus Altissimo mirum in modum placens, furorem eius penitus exstinxit. Deinde Rachel pulcherrima, quæ Iosephum genuit, quia Pharaone *Gen.41.* Ægyptiaca lingua vocatus fuit, *Saluator mundi*: *Gen.25.* necnon Rebecca, quæ Iacobum instruxit, eiusque manus pilosis pellibus obuoluit, odoriferamque vestem ei aptauit, vt patris benedictionem obtineret, Deiparam Mariam egregie adumbrarunt, quæ & Saluatorem mundi genuit, & nos velut amantissima & sapientissima Mater frequenter instituit, qua ratione benedictionem & adoptionem filiorum DEI consequamur. Præterea, quemadmodum Iudith summa castitate pollebat, eiusque in ita vir- *Iud.8.13.* tute Holofernem capiens, caput eius præcidit: sic Deipara merito suæ virginitatis cum humilitate coniunctæ, tortuosi serpentis potentiam confregit, & caput contriuit. Ac postremo sicut Abisag Sunamitem tanquam omnium pulcherrimam & ele- *3.Reg.1.* gantissimam super omnes filias Israel ad calefaciendum Regem Dauid in senectute sua nimia frigiditate algentem destinatam legimus: non secus beata Virgo cunctas inter mundi fœminas pulcherrima electa fuit administrandum Regi Christo cœlesti: *Et in habitatione sancta coram ipso ministraui*; & *Eccles 24.* ad calefaciendum illum in infantia sua; vnde ipsa cecinit: *Dilectus meus inter vbera mea commorabitur*; *Cant.1.* quasi diceret: Dilectum meum amplexabor, pectori meo admouebo, ibiq; vitali cordis mei calore eum fouere, & vberum meorum lacte nutrire non desinam.

XVI AD extremum ne Mariani nominis apicem vllum præterire videar, quem in honorem tantæ Virginis non referam, obseruandum censui, consulto diuinam Sapientiam ex illis literis nomen Matris suæ conflari voluisse, quibus olim maior honor delatus fuerat, & quas antiqui maiore cultu celebrarunt. PIERIVS refert, illustrissimos Missænos *Pier. lib. 42.* solitos fuisse in scutis suis literam hanc *M*, sculpere, significare volentes, quod sicut partes huius literæ desuper vniuntur, & copulantur in vna, ita corpus Reipublicæ vnitum esse debet cum suo capite: nec desunt, qui propter eandem rationem, eandem mysterium Trinitatis adumbrare dicant; sicut enim in hac litera tres lineæ per vnam superio-

riorem vniuntur, quæ communis est illis, ita & tres diuinæ personæ in vnitate essentiæ illis communis conueniunt. quamuis autem, vt tradit idem Auctor, litera *M*, stultitiæ symbolum quondam fuit, cum inter sortes, quæ iaciebantur, alicui illa contingebat, postea tamen, cum in sortem cecidisset, magno Imperatori Dionysio, ipseque dixisset, futura eius opera mendacem illam sortem fore attestanda, quod & postea euentus probauit, cœpit inde in maiorem honorem haberi litera *M*. De secūda & tertia litera *A*, & *R*, PETRVS CRINITVS refert lib. de honesta disciplina, quod si quis à Iudicibus damnatus erat, litera *R* denotabatur; si erat absolutus, *A* apponebatur. Insuper etiam de litera *R*, D. HIERONYMVS ait: quod Demosthenes, quamuis adeo studio deditus fuerit, vt plus olei in lucerna consumpserit, quam vini in vase biberit, difficillime tamen literam *R*, pronunciauit; testaturque idem Hieronymus, illam à canibus pronunciare didicisse, qui cum inter se latrantes rixantur, illam recte pronuntiant. De litera deinde quarta *I*, cuius meminit idem D HIERONYMVS epist. ad Lætam, & quæ à Virgilio magnopere celebratur symbolum fuit adul æ ætatis, vt SCHOLIASTES adnotat super prædictam D. HIERONYMI epistolam, quia ætas illa est velut biuium, in quo positus viator dexteram tenere, vel ad sinistram deuiare potest, sed oportet, vt rectam viam eligat per rectitudinem huius literæ, *I*, significatam. Vltima tandem est *A*, quæ Christum Dominum significat, qui de seipso dixit: *Ego sum Alpha*: vnde iuxta hæc sacrosanctū Mariæ Virginis nomen clauditur duabus literis, quarum prima, scilicet *M*, symbolum sanctissimæ Trinitatis, vltima vero Christi typus est: Cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Petr. Crin. lib. 6. de honesta discip. ca. 8. — *D. Hier. epist. ad Ruffi. to. 2.* — *D. Hier. in epist. ad Lætam, to. 1.* — *Apoc. 1.*

HOMILIA VII.

Excellentiam sacrosancti nominis MARIÆ ex interpretatione amari maris, & maris stellæ, duplicem metaphoram, multiplici eruditione prosequimur.

I. VEMADMODVM Deus, vt auctor naturæ, id commemorante MOYSE, congregationem aquarum vocauit *Maria*; non secus vt auctor gratiæ, virtutum, & cœlestium charismatum aggregationem, quæ in beata Virgine emicuerunt, sapienter appellauit *Maria*, vt interpretatur D. HIERONYMVS, S. BONAVENTVRA, & alii permulti in illa verba: *Et nomen Virginis Maria*: vnde eleganter S. PETRVS CHRYSOLOGVS vocauit Mariæ nomen, *Collegium sanctitatis*, eo quod vniuersæ sanctitatis dotes ad Mariam, instar aquarum ad mare confluxissent. Verba PETRI CHRYSOLOGI sunt: *Congregationes aquarum appellauit Maria: nomen hoc renascentibus salutare, hoc virginitatis insigne, hoc pudicitiæ decus; hoc collegium sanctitatis.* Persimilem dicendi phrasim vsurpans PETRVS DAMIANVS, omnium virtutum conuentum in Virgine sibi thalamum consecrasse docet: *Vniuersus*, ait, *orbis pigmentarius in Virgine proiectus est, quando in ea virtutum conuentus reuerendum sibi thalamum consecrauit*: atque ob hanc causam crederem beatam Virginem appellatam fuisse à IOANNE DAMASCENO oratione prima de Assumptione: *Abyssum gratiæ*: quibus omnibus consonant, quæ Seraphicus noster BONAVENTVRA dixit: *Scriptum est: omnia flumina intrāt in Mare; flumina sunt charismata Spiritus Sancti; vnde IOANNES dixit: Qui credit in me, flumina de ventre eius fluenta aquæ viuæ: hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum; omnia ergo flumina intrant in Mare, dum omnia charismata sanctorum intrant in Mariam: flumen gratiæ Angelorum intrat in Mariam, & flumen gratiæ Patriarcharum, & Prophetarum, & flumen gratiæ Apostolorum intrat in Mariam, & flumen gratiæ Martyrum intrat in Mariam, & flumen gratiæ Confessorum intrat in Mariam, & flumen gratiæ Virginum intrat in Mariam, omnia flumina intrant in Mare, id est, omnes gratiæ intrant in Mariam.* Vnde ipsa optime dicere potest illud ECCLES. *In me gratia omnis viæ, & veritatis, & in me omnis spes vitæ & virtutis.*

Gen. 1. — *D. Hier. de nom. Hebraic.* — *D. Bon. in spec. B. V.* — *S. Petrus de B. V.* — *Chrysol. serm 146.* — *Genes. 1.* — *D. Petrus Damian. serm. de Assumpt. Virg.* — *Ioan. Damasc. ser. de Assump.* — *D. Bonau. in spec. Virg. c. 1.* — *Ioan. 7.* — *Eccl. 24.*

II. QVOD si hæc luculentius ac distinctius desideres, cuncta, quæ diuina largitas munera tam spiritibus angelicis, quam hominibus impertiuit, in hoc Marianum mare coierunt, iuxta illud ECCLESIASTICI: *Et omnes aquæ in mare reuertentur*; in hoc enim mysticum mare intrat ardentissimus Seraphinorum amor, intrat Cherubinorum sapientia profundissima, intrat firmissima Thronorum stabilitas, intrat mirabilis Principatuū auctoritas, intrat latissimum Dominationum dominium, intrat præeminens Potestatum potentia, intrat portētosa miracula faciendi Virtutum stupenda facultas, intrat variis prouinciis præsidendi Archangelorum dignitas excelsa; ac tandem intrat in protegendis fidelibus sollicita Angelorum custodia: quid de his, quæ in hominibus effulgent, commemorabo? in Mariam intrat fides Patriarcharum, limpida Prophetarum cognitio Apostolorū magisterium, patientia Martyrum integritas Virginum, fœcunditas coniugatorū, tolerantia Confessorum: ac tandem, sicut in supremo ordine Hierarchico, & in Ecclesiasticis ordinibus, quæ sunt diuisa in inferioribus, eminentius coniuncta reperiuntur in superioribus; ita diuina munera, quæ tam Angelis, quā hominib. Dei liberalitas donauit, eiusdem magnificentia omnia simul, & alia multo excellentiora, vt Matrem Dei decebat, Virgini contulit.

Eccl. 40.

III. QVOD si adhuc profundius contemplemur MARIS nomenclaturam, per omnia Virgini congruere reperiemus; sicut enim maris guttæ à solo

Deo numerari possunt ECCLESIASTICO dicēte: *Arenam maris, & guttas pluuiæ quis dinumerabit?* quasi dicat, nemo, nisi solus Deus; ita præclaras dotes, ac diuino um charismatum multitudinem, quæ in Mariam confluxere, sola Dei arithmetica enumerare valet: & sicut mare adeo amarum est, vt neq; vna eius gutta dulcedine non careat, ita beata Virgo propter Christi Domini passionem doloris amaritu inerepleta fuit: vnde IEREM. *Magna est velut mare contritio tua.* Et RVTH, quæ Virginis typum gessit: *ne vocetis me* (inquit) *Noemi, id est, pulchram, sed vocate me Mara, id est, amarā, quia amaritudine valde repleuit me omnipotens* hanc amaritudinem expertus, nouit vt pia Mater nobis compati, vt non immerito possit sibi viurpare illud MANTVANI Poetæ:

Ecclesi. 1. · Threr. 2. · Ruth. 1. · Virg. 1. Æneid.

Non ignara mali, miseris succurrere disco.

Et sicut Mare est origo omnium fontium & fluuiorum sic diuina charismata, quæ Christus Dominus flumina aquæ viuæ vocauit, ex Maria deriuantur; quia, vt BERNAR. dixit: *nihil voluit nos habere Deus, quod per manus Mariæ non transiret.* Est etiam Virgo Mare, sed velut Mare rubrū, cuius aquæ filiis Israel murus protegens fuere Pharaonē vero, & exercitū eius submerserunt & suffocauerunt; non secus B. Virgo obsequiosis suis famulis velut murus est ad eorum defensionem; Diabolum vero, & exercitum eius fideles infestantem acriter persequitur, eneruat profligat atq; interimit iuxta illud: *tu contribulasti capita draconum aquis.* quæ omnia D. BONAV. in Speculo Virginis, partim illā desumēs ex D. BERNARDO, his verbis complexus est: *Maria mare est, gratia affluendo & amara filio compatiendo, & amarum mare est, Diabolum submergendo, quemadmodum mare rubrum amarum fuit Ægyptiis in ipso submersis: O quam amarum & timendum est hoc Mare Ægyptiis! O quam amara & timenda est Maria Dæmonibus! Non sic timent hostes visibiles quasi castrorum multitudinem copiosam, sicut aereæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium, exemplum fluunt, & pereunt sicut cera à facie ignis, vbicunq; inueniunt crebram huius nominis recordationem, deuotam inuocationem, sollicitam imitationem* hæc D. Bonauentura.

Bern. ser. de nat. Mariæ. · Exod. 14. · Psal 73. · D. Bonau. in spec. Virgi. · Psalm. 67.

IV. His, quæ alii non pauci edixere nos alia, Deo auspice, dicenda excogitauimus, quæ non ingrata futura speramus. Pie enim inprimis existimauerim, Deum hunc honorē huic sanctissimo nomini MARIÆ à principio creationis mundi detulisse; vt quia sacrosanctum hoc Mariæ nomen *mare* significabat, nec aquis eius, nec piscibus aquarum incolis vnquam malediceret: cum tamen alioquin terræ, & animantibus quibusdam maledixisse sacra Scriptura commemoret; atq; ob eandem rationem crediderim, Deum minime permisisse, vt Gentiles aqua marina ad suas superstitiones abuterentur; vt auctor est LVCIVS APVLEIVS. Sed quam apte Mare Virginis imago existat, attentius contemplemur: quēadmodū mare præter alios innumeros pisces, quos nutrit, & fouet, quendam nomine *stella*, gignit, vt auctor est PLINIVS, qui in aqua ipsa ardet, & quicquid sibi appropinquat, ardere facit: sic Beata Virgo præter plures alios filios adoptiuos, quos tanquam Mater viuentium fouet ac nutrit, sacrosanctum illum piscem Christum Dominum genuit a Propheta BALAHAM *stellam* vocatum: *Orietur stella ex Iacob;* & per piscem illum TOBIÆ egregie adumbratum: nam sicut felle illius illuminati fuerunt oculi Tobiæ senis, ita amaritudine fellis suæ acerbissimæ passionis mundus peccatis inueteratus, & ignorātiæ tenebris obcœcatus, illuminatus est vt prophetauerat ZACHARIAS: *Visitauit nos oriens ex alto, illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent.* Vnde cum Dominus passioni iam proximus ascendere Ierusalem, sacer Euangelista occurrentem sibi cœcum illuminasse narrat, quasi dicens: opportune satis accessisti, cū eo tempore oculorum lumē a me requiras, quo mundum peccatorum cœcitate caligantem illuminare venio. Atq; hinc non obscure colligitur, quam bene huic nomini (MARIÆ) vtraque illa interpretatio conueniat, vt *mare*, & *illuminatricem* significet; nam cum ipsa mare fuerit, quæ sacrum hunc piscem, mundi lucem genuerit, apte satis ei congruit & mare & illuminatricem cognominari.

Gen. 3. · Plin. lib. 9. cap. 60. · Num. 24. · Tob. 11. · Lucæ 1. · Lucæ 18.

V. VOCATVR deinde congrue Deipara Maria, amarum mare, quia sicut mare corpora mortua non admittit, sed longe a se illa propulsat: nec semel, tempestate vrgente, infremere solet, ita B. Virgo & mortua opera nesciuit, cum omnes eius operationes viuificante Spiritus sancti gratia, vt Theologi loquuntur, informarentur, necnō aduersus omnia vitiorum genera instar procellosi maris semper infremuerit. Nonne fremitus fuit contra libidinem professio illa castitatis: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* nonne fremitus fuit aduersus superbiæ elationem humillima illa oblatio: *Ecce Ancilla Domini:* cum tamen cœlestis Paranymphus Dei Genitricis dignitatem ei obtulisset? nonne fremitus fuit aduersus sui iactantiam, & inanem gloriam, cum propria audiens encomia, Elisabeth ea decantante, omnia illa in Deum retulit, ad diuinas laudes se conuertens *Magnificat* ait, *anima mea Dominum?* nonne fremitus fuit aduersus humanam diffidentiam cum in nuptiis in Cana Galilææ deficiente vino famulos admonuit: *quodcumq; dixerit vobis facite;* cum tamen audisset Christum Dominum sibi vinum ab eo poscenti respondisse: *quid mihi & tibi est mulier?* quibus verbis videbatur precibus eius non annuisse? Huius Mariani maris fremitus cōtemplabatur sine dubio seraphicus Ecclesiæ doctor D. BONAVENTVRA, cum in speculo Mariæ Virg. ait: *Plenum mare audiamus contra vitia tonare: tonet ergo Mare, & plenitudo eius, tonet plenum Mare, tonet plena Maria, tonet contra luxuriam, castitatem proponendo: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? tonet etiam contra superbiam, humilitatem sentiendo: Ecce Ancilla Domini: tonet etiam contra ingratitudinem: Magnificat anima mea Dominum.*

Lucæ 1. · Ibid. · Ibid. · Ioan. 2. · Ibid. · D. Bonau. in speculo Virg. c. 7. · Lucæ 1. · Ibid. · Ibid.

VI. Hinc

VI. HINC etiam patet, quam recte Mariæ congruat, amarum mare vocitari, quia cuncta vitiorum genera adeo amara & acerba ei semper extiterunt, vt nec semel quidquam eorum delibauerit, aut degustauerit: vnde sicut D. PAVLVS dicebat: *Mundus crucifixus est mihi & ego mundo*: quasi diceret: mihi inuisus est mūdus, & mundo itidem ego: ita B. Virgini vitia omnia erant amarissimum absynthium, & ipsa eisdem amarissimum fel. Adhæc, sicut per mare ab India Orientali & Occidentali, vbi magna auri, argenti, & margaritarum copia viget, naues diuitiis onustæ singulis annis ad Hispaniæ portum appellunt, quibus non parum ipsa locupletatur; non secus B. Maria mare quidem est, per quod ex cœlesti India charitatis aurum, castitatis argentū, virtutum margaritæ, ac permulta alia Spiritus Sancti munera, quibus non parum Ecclesia Catholica ditatur, ad membra eius deferuntur: & quamuis verū sit, non defuisse Ecclesiæ Catholicæ ante ortum Virginis cœlestia hæc Spiritus S. charismata; tamen sicut per mare & maior rerū copia, & breuiori tempore deportatur, quā per terrā: sic post ortū B. Virginem & copiosiora Spiritus Sancti dona, & breuiori tempore per hoc mysticum mare Mariæ Ecclesiæ Catholicæ communicata esse ipsa experientia comprobat.

Galat. 6.

VII. SED iam ad secundam Mariani nominis interpretationem nostra pergat oratio: PHILO, Hebraicarum quidem literarum peritissimus, Mariam interpretatur, vt idem sit, quod *stella maris*: cui interpretationi subscribunt BEDA & sanctus Doctor BONAVENT. immo & ipsa ECCLESIA CATHOLICA, dum canit: *Aue maris stella*. Et rursus: *Stella maris succurre cadenti*: & quidem in primis B. Virginem apte stellam nominari ex naturalibus stellæ proprietatibus haud difficile erit comprehendere. *Si stella* a stando dicitur propter eius stabilitatem, & immobilitatem, stella fuit certe Maria, cuius tanta esse noscitur in bono stabilitas, ac firmitas vt à Dei voluntate ne latum quidem vnguem vnquam deflexerit, quod nulli adultorum creditur fuisse concessum, IACOBO dicente: *In multis offendimus omnes*. Sicut etiam stella lucem summa cum pulchritudine nulla cum læsione ex se effundit; ita B. Virgo lucem mundi Christum summo cum decore, nulla cum virginitatis iniuria, ex castissimis visceribus protulit: vnde D. BERNARDVS ait: *Stella Virgo est, quia sicut sine corruptione sydus emittit radium, sic absque læsione sui parturiit filium; nec syderi radius suam minuit claritatem, nec Virgini filius suam virginitatem*. Sicut item per stellas varia distinguuntur tempora, iuxta illud ECCLES. *vt sint in signa, & tempora, & dies, & annos*: ita B. Virginis ortus signum fuit aduentus plenitudinis temporis, & appropinquationi legis gratiæ. Quod si stellæ sunt in eadem altitudine firmamenti, quomodo hanc celsitudinē ei negabimus quæ veracissime ait: *Ego in altissimis habito, & thronus meus in columna nubis*? quod si Philosophus dixit: *In stellis non est corruptio, casus, nec error*; sane in Virgine integritatis corruptio nulla fuit, & ab ea casus in peccatum longe abfuit, & quæ sapientissima erat, omnis erroris expers fuit: & sicut stellæ illuminant tenebras noctis, sic Mariana hæc stella caliginosum hunc mundum, ac obscurissimis peccatorum tenebris inuolutum, cœlestis illius radii, quem inuiolata manens emisit, clarissimis fulgoribus illuminauit: vnde ECCLESIASTICVS de ea dixit: *quasi stella matutina in medio nebulæ*. Astrologi huic stellæ nomina quatuor imposuere; vocant *Venerem*, quia amorem influit; *Hesperum*, quia in principio noctis innotescit; *Luciferum*, eo quod maiorem secum ferat lucem, quam reliquæ stellæ, ac tandem *stellam matutinam*, quia velut aurora appropinquantis Solis & diei est prænuncia. Hęc omnia quam germana sint B. Virgini perspicue ipsa prædixit: *Ego Mater pulchræ dilectionis*; ecce amorē castum, quem hæc mystica stella influit: *& timoris*, ecce initium conuersionis peccatoris, SALOMONE dicente: *Initium sapientiæ timor Domini*: *& agnitionis*, ecce cœlestem doctrinam, qua verbo & exemplo fidelium mentes illuminauit: *& sanctæ spei*, ecce stellam matutinam quæ appropinquantis diei gratiæ, & aduentus Solis iustitiæ certissimam spem suo ortu mortalibus dedit.

Philo de Mariæ nomine. Beda in Luca c. 1. D. Bon. in speculo B. Virg. Ecc. Cath. in offic. B. Virg. Iacob. 3. D. Ber. ho. 2. sup. Missus est. Eccles. 43. Eccl. 24. Arist. li. de cœlo. Eccl. 50. Eccl. 24. Eccles. 1.

VIII. SED iam videamus, quare stella maris vocata fuerit: id enim non casu, sed summo consilio factum credimus; vnde S. Doctor BONAVENTVRA in speculo B. Virginis, ait: *Hoc optime conuenit Mariæ, quæ gerit officium stellæ marinæ: Legitur enim, & verū est, quod Nautarum mos est, vt cum in aliquam terram nauigare disponunt, vnum sidus eligant, cuius signo luce radiante in eam, quam desiderant, partem, possint sine errore adduci. Tale certo officiū est stellæ nostræ Mariæ, quæ nauigantes per mare mundi, in naui innocētiæ, vel pœnitentiæ, dirigit ad littus cœlestis patriæ*. Non dissimilia scripsit INNOCENTIVS Papa, id referente eodē BONAVENTVRA in speculo B. Virg. c. 3. sic enim ille loquitur: *Quib. auxiliis possunt naues inter tot pericula pertransire vsq; ad littus patriæ? certe per duo, scilicet per lignum & stellam. id est, per fidem crucis, & per virtutem lucis, quam peperit nobis Maria, maris stella*. Sicut ergo stella maris nauigantes ad portum dirigit, sic B. Virgo *stella* procellosi huius mundi merito appellatur, cum in mediis huius vitæ procellis in cœlum nauigantib. lucem præferat, ac suo exemplo & patrocinio ad cœlestis patriæ portum eos cōtinuo dirigat, ipsa dicente: *Vsq; ad futurum sæculum nō desinam*, id est, quousq; serui mei æternā consequātur felicitatem, non desinam eis auxiliari, non desinam fouere atq; protegere, non desinam continuis precibus ad Deum pro eis exorare.

D. Bon. in spec. B. M. Virg. Eccl. 24.

IX. NOVERAT quidem probe S. BERNARDVS singularem huius Marianæ stellæ virtutem cum dixit: *Ista est præclara & eximia stella super hoc mare magnum & spatiosum necessario subleuata, micās meritis, & illustrans exemplis. si insurgunt venti tentationum, si incurras scopulos tribulationū, si vndis superbiæ iactaris, si fluctibus ambitionis eleuaris, respice stellam, voca*

D. Bern. ser. 20.

Idem vbi supra.

Mariam, non recedat à corde, non recedat ab ore. Et ibidem ait: *Ipsam sequens, non deuias; ipsam rogans, non desperas; ipsam cogitans, non erras; ipsa protegente, non metuis; ipsa duce, non fatigaris; ipsa propitia, ad portum peruenis, & sic in temetipso experieris, quod merito dictum sit; & nomen Virginis Mariæ:* hæc ille. Compertum satis est, Maris nauigationem multis obnoxiam esse periculis, atque procellis: nam præter aeris inæqualitatem, quæ mille naufragia parere solet, quatuor enumerantur à nautis illius pericula: primum est *Scylla*, quod eminens est saxum, in quo colliduntur magno impetu fluctus: Secundum vocant *Charybdim*, quæ pars quædam maris adeo voraginosa est, vt integram nauē absorbeat, ac deuoret: Tertium est *Syrtis*, quæ inæqualitas fundi est ex multitudine arenæ in varios cumulos congregata, qui nauem transnatare non sinunt: Quartum appellant *Bythalassum*, terram scilicet bituminosam, & glutinosam, adeo vt illi adhærē tem nauem nec validissimi ventorum impulsus in illam irruentes mouere valeant: hæc, & grauiora pericula subeunda aggrediuntur, qui ad cœlestem patriam nauigare contendunt: ne tamen in medio itineris tentationum Scyllæ, peccatorum Charybdes, passionum animi Syrtes, ac concupiscentiæ Bythalassus nauigantes præpediant, ac in sulphurei maris barathrum detrudant, diuina munificentia prouidit eis Mariam, maris stellam, cuius munus est, nauigantes docere, & dirigere, vt ad æternæ felicitatis portum secure & feliciter perueniant.

X. Ad extremum, Maria stella Maris interpretatur, at non quæcunque, sed stella poli. Pro cuius intelligentia præmitto, duplicem esse polum; vnus nobis absconditus, & inuisibilis, scilicet Meridionalis; alter visibilis, scilicet Aquilonaris; vterque hic polus immobilis est, & super eorum immobilitatem vertitur orbis cœlestis: Christus Dominus per vtrumque hunc polum egregie designatur, cū ipse sit principium omnium, & finis, propter quē omnia condita sunt; vnde ipse dixit: *Ego sum Alpha & Omega:* ipse quidem in meridie diuinitatis suæ nobis omnino inuisibilis est, sed in Aquilone nostræ humanitatis visibilem se præbuit; de illo polo meridiano loquebatur sponsa, cum dicebat: *Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Iob autem de Aquilonari, cum aiebat: *Ab Aquilone aurum venit*; caro enim, & sanguis Christi aurum fuit, quo empti fuimus, vt ait Apostolus: *Empti enim estis pretio magno.* Ipse etiam immobilis polus est, super cuius immobilitatem cuncta nituntur, iuxta illud Pauli: *Qui portat omnia verbo virtutis suæ:* cui consonat illud Boetii:

Apocal. 1. — *Cant. 1.* — *Iob. 27.* — *1. Cor. 6.* — *Ad Heb. 1.*

Immobilisq; manens, dat cuncta moueri.

Boetius lib. de consolat.

XI. Sicut ergo poli stella ipsi est vicinissima, ita huic sacro polo vicinissima fuit fulgentissima stella, Maria; primo in Incarnatione, quia sanguis B. Virginis factus est caro Dei, iuxta illud Apostoli: *Misit Deus filium suum factum ex muliere*, id est, ex materia sanguinis subministrata in vtero mulieris. Vnde Iurisperiti aiunt: *Partum esse partem viscerum maternorum*, vt habetur *l. 1. in principio ff. de ventris inspectione*; vt tamen vicinitas hæc magis innotescat, contemplemur quæso Dominum esse velut centrum nostrum, circa quem varii circuli inueniuntur, inter se ita ordinati, ac dispositi, vt quanto quisque illorum breuior, tanto centro vicinior inueniatur: vnde oportet, vt maximi omnium circuli sint corpora inanimata, minores viuentia, & minimi intellectualia, tam angelica, quam humana; inter hæc autem breuissimus omnium circulus fuit B. Virgo, Ieremia dicente: *Mulier circundabit virum:* ipsa per maternitatis propinquitatem arctius eum constrinxit, & intra breuem sui vteri ambitum conclusit. Secundo fuit Christo vicina valde, lac ex vbere de cœlo pleno illi propinans, cuius figuram gessit Noemi, de qua dicitur, quod natum puerum suscepit, & posuit in sinu suo, & nutricis fungebatur officio. Tertio vicina fuisse perhibetur in passione, vt ait Ioannes: *Stabat iuxta crucem Iesu mater eius*; cuius dolor velut sagitta animam eius transfixit, vt Simeon prædixerat: *Et tuam ipsius animā pertransibit gladius.* Quarto tandem vicinissima ad st in cœlum assumpta cum omnibus cœlicolis applaudentibus ad æthereū thalamum euecta, ad dexteram filii sedens, vt præuidit David: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato.*

Gal. 4. — *Ierem. 31.* — *Ruth. 4.* — *Ioan. 19.* — *Luc. 2.* — *Psal. 44.*

XII. Congruit deinde B. Virgini, stellam poli appellari: quia sicut hæc stellarum omnium primaria esse noscitur, ita ipsa inter omnes puras creaturas principem adeo locum tenet, vt palam dicat: *In omni gente, & in omni populo primatum tenui:* & sicut hanc stellam concomitantur septem aliæ, sic & B. Virginem septem dona Spiritus S. semper associabant, & sicut stella maris virtutem habet attrahendi ferrum, & Adamantem, vt ex Alcabitio refert Pelbartus, ita B. Virgo singularium donorum virtute, quibus Spiritus S. eam locupletauit, ferrea ac adamantina obstinatorum peccatorum corda ad se trahit, vt ad Deum illa conuertat.

Eccl. 24. — *Pelbartus in stellario, lib. 5. part. 3 art. 3.*

XIII. Hinc collige, Christiane lector, quam inuerecunde Erasmus aduersus hoc Marianum stellæ maris nomen oblatrauerit, dicens: *Ibi vidisses miseram rerum faciem. Nautæ canentes: Salue Regina, implorabant Matrem, Virginem appellantes eam: stellam maris: Reginam cœli, Dominam mundi, portū salutis, aliisq; multis titulis illi blandientes, quos numquam illi tribūnt sacræ litteræ: quid illi cum mari, quæ numquam (opinor) nauigauit: olim Venus curam agebat Nautarum, quia nata credebatur ex mari, ea, quoniam desiit curare, suffecta est huic matri non virgini, Virgo mater.* Ecce impudentissimum Erasmum, quē quidam semi Christianum dicunt, sed ego, nihil Christianum, immo integrum hæreticum nominauerim; non exhorrescit intemeratæ Virgini illudere, & cum portentoso Veneris scorto illam conferre; sed ipse (vt assolet) in hoc, sicut in aliis permul-

Erasmus in colloq. de nauig. an. 1524. ad ite.

permultis, Lutherum adeo imitatur, vt sicut olim
prouerbium increbuit: *aut Plato Philonizat, aut*
Philo Platonizat; non incongrue nunc dixerim:
aut Lutherus Erasmizat, aut Erasmus Lutherizat.
Sed adest in cœlo, qui vlciscatur: cui sit honor, &
gloria in secula seculorum, Amen.

HOMILIA VIII.

Mariani nominis encomia prosequimur, iuxta a-
lias eius significationes à Patribus probatas, ni-
mirum, quod interpretetur Domina, Illumina-
ta, illuminatrix; vbi multa de eius Sapientia:
necnon Spes, Imitatrix Dei, Deus ex genere meo,
& similia; pariterque increpantur, qui nomen
Mariæ à primordiis Ecclesiæ receptum, in aliud
mutare gestiunt.

I.  EHEMENTER gaudere, si sancti
nostri Patris BERNARDINI melli-
flua illa verba nūc mihi veraciter
vsurpare potuissē: *Testis, (inquit)* D.Bern. serm.3. de nom.V.
cōsciētiæ est Dominus; quod si quan-
do cœlesti gratia largiēte exteriori-
bus curis exemptus, laudibus Virginis valeo totus vel
per horam occupari, tanta mentis lætitia saucior, tan-
taque interius suauitate perfundor, vt cunctis mundi
vanitatibus, & concupiscentiis conculcatis, nil aliud
appetam, quam cum ipso lætitiæ spiritu, sidaretur,
statim exilire ad Dominum, antequam illud gaudii
spiritalis, curis iterum redeuntibus, auferatur & sti-
mulante memoria delictorum, cythara conuertatur in
luctum, & iubilus (proh dolor) in lamentum. Vide igi-
tur, quanta sit felicitatis & gloriæ, in illa patria Dei
Genitricem Virginem benedictam stipatam ordinibus
Angelorum, choris Virginum comitatam, vultu ple-
nissimo gratiarum in suo dignitatis solio præsidentem
reuelata iam facie contemplari; quandoquidem in sor-
dibus carnis adhuc, & mundi luto degentibus tam læta
contingit in eius nominis contemplatione sentire. Ad
ipsum itaq; Mariæ nomen iterum contemplandum ite-
rum atq; iterum descendere libet. hæc ille. Verum
tametsi ea tam exuberanti in versandis laudibus
nominis Mariæ lætitia, qua Diuus Bernardinus
fruebatur, non ego perfundar; ea tamen est huic sa-
crosancto nomini diuinitus insita dulcedo; vt non
moleste feram, reliqua, quæ de illo sedula medi-
tatione ruminaui, in lucem edere.

II. INTER alias significationes Mariani no-
minis celebris est illa, quod lingua Syriaca Maria,
Domina, seu *dominans* interpretatur: ita docuere D.Epiph. ser. de laud.
grauissimi Patres; EPIPHANIVS, HIERONYMVS, Virg.
CHRYSOLOGVS, EVCHERIVS, ANSELMVS, Di- D. Hier.
vvs BONAVENTVRA, & DIVVS DAMASCENVS, li. de nomi.
qui libro quarto de fide dixit: *Gratia (nam hoc so-* Hebr.
nat Annæ vocabulum) Dominam parit (id enim Ma-
riæ nomine significatur) vere enim rerum omnium D.Chrys.
domina facta est, cum creatoris Mater exstitit: hæc ser.146.
ille. & ante omnes hos Patres, immo & ante na- D.Euch.
tum Christum RABBENV HACCADÒS in respon- lib. 2. Instruct.
sione ad petitiones Antonini Romani Consulis
scripsit, Matrem Messiæ absolute Dominam vo- D Ansel.
citandam fore. Idem etiam (vt refert GALATI- de excell.
NVS) obseruauit, quod in illis verbis Isaiæ, ad Virg. c.7.
multiplicandum imperium, quæ in Hebræo re- D.Bon in
spondent illis, quæ sunt in nostra Vulgata: *& mul-* spec. Virg.
tiplicabitur eius imperium; contineri hæc duo no- c.3.
mina: MARIAM, DOMINAM, vt indicaretur, Ma- D Dam.
riam matrem Messiæ futuram dominam vniuersi, l.4. fidei
& principatum eius simul cum Christi principa- Orth. c.15.
tu, de quo ibi est sermo, fore multiplicandum. Galat. lib. 7 c 13.

III. CERTE illud interest inter nomina imposita à Isa.9.
Deo & ab hominibus, quod hi præclara nomina,
egregiaque epitheta tribuere solent, quibus ta-
men bona nominibus correspondentia conferre
non valent; Deus autem, cum nomen imponit,
dignitatem iuxta eius excellentiam debito tem-
pore confert. Frequenter quidem Summi Pon-
tifices & Imperatores honorifica nomina abs-
que opibus tribuunt, Titulares, Episcopos, Pala-
tinos, Comitatus, & Marchionatus: illustres sa-
ne tituli, sed vani, & inanes: at Dei magnificen-
tia non inania & fucata, sed solida, & vera nomi-
na cum dignitatis collatione imponit; Adam qui- Gen.2.
dem principium generationis, & Euam, matrem Gen.17.
viuentium cognominauit, & reipsa effecit: Abra- Gen.32.
ham & Euam, multarum gentium parentes; Ia- Luc.1.
cobum Israelem Deo præualentem; Ioanni gra- Ioan.1.
tiam significanti, simul nomen & gratiam præ-
cursoris contulit: Ecclesiæ suæ principem, qui
Simon antea vocabatur, *Cephas* Syriaca lingua, Matt.16.
Latina vero *Petrum*, vel *Petram* appellauit, quia
illum re & nomine solidum Ecclesiæ fundamen-
rum constituere decreuerat. Cum ergo diuini-
tus fuerit impositum nomen Mariæ, quæ *Domi-*
na interpretatur, reliquum est beatæ Virgini mi-
rum in modum congruere. Vnde ECCLESIA CA-
THOLICA vno ore *Dominam* illam confitetur, di-
cens:

O gloriosa Domina, Eccl.Cath.
Excelsa super sydera. in off. B.V.

IV. MARIANVM hoc dominium adeò late
patet, vt cœlestes orbes, terrenum hemisphęrium,
& tartareas regiones comprehendat, vt disertis Eccl.24.
verbis ipsa Virgo nos edocuit, dicens: *Gyrum cœ-*
li circuiui sola, & profundum abyssi penetraui, & in
fluctibus maris ambulaui, & in omni terra steti, &
in omni populo, & in omni gente primatum habui,
& omnium excellentium, & humilium corda virtu-
te calcaui. Ecce fatetur se dominari in Cælo: *Gy-*
rum cœli circuiui: in Inferno: *abyssum penetraui*: in
Purgatorio: *in fluctibus maris ambulaui*: pœnæ
enim Purgatorii fluctus sunt transeuntes, non
semper permanentes: addit tandem, se domi-

nari in terra: *& in omni terra steti & in omni populo, & in omni gente primatum habui.* Iura disponunt, vt filii non emancipati, qui sub parentum tutela degunt, quicquid acquirunt, in parentum dominium transferatur: vnde aiunt Iuristæ: quicquid acquirit filius, acquirit patri: cum ergo Christus Dominus singulis operationibus suis meruerit dominium omnium rerum, vnde & ipse dixit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra;* quod & DAVID prædixerat: *Dominabitur à mari vsque ad mare:* consequens est, totum id in Matris ius cessisse: nec enim eo iure obseruantissimum filium dilectissimam Matrem priuasse credendum est: si ergo ipse Dominus, ipsa etiã Domina; si ipse Rex, ipsa & Regina. Vnde D. DAMASCEN. ius dominii B. Virg. in iure dominii, quo partus eius gaudebat constituit, dicens: *Merito creaturarum omnium declarata est domina, quæ illum enixa est, per quẽ condita sunt omnia.* Et RVPERTVS nostro argumento accommodatius dixit super CANTICA: *Prædicabitur de te, quod sis Mater Christi, ac proinde Regina cœlorum, totum iure possidens filii regnum.* Iure, quidem ait; quia iure maternitatis id sibi debebatur; ius enim matris est, vt quicquid acquirit filius patre carens, acquirat matri, vt adnotauit ANSELM. lib. de excellentia Virginis, vbi illam curiæ cœlestis dominam vocat: & materno iure cœlorum regnum suum effecisse, ait: & Christum alloquens, subdit: *Tota tua est, totaque per te eadem cœlestis curia sua,* id est, Virginis Matris tuæ. Quibus consonant verba ARNALDI Abbatis, vt habetur in bibliotheca sanctorum Patrum, dicentis: *Filij gloriam non tam communem iudico, quam eandem.* Consonant & alia PETRI DAMIANI: *Fecit in te magna, qui potens est, & data est tibi omnis potestas in cœlo & in terra.*

Eccl. 24. *Psal. 71.* *Rup. sup. Cant. c. 4.* *D. Ansel. li. de excell. Virg. c. 7.* *Arn. tom 6 biblioth. orat. de laud. Virg.* *Pet. Dam. ser. de nat.* Mariæ

Athanas. hom. de Deipara

V. SED ante illos omnes hæc præclara scripsit ATHANASIVS, *Quandoquidem Christus Rex est, qui natus est ex Virgine, idemque Dominus, & Deus, ea propter & Mater, quæ eum genuit, Regina, & Domina, & Deipara proprie appellari debere censetur.* Figurauit ad amussim hoc vniuersale Virginis dominiũ ESTER Regina, de qua diuina referunt eloquia, quod assumpsit duas famulas, & super vnam innitebatur, altera verò famularum sequebatur dominam defluentia in humum indumenta sustentans: Duæ famulæ (inquit D. BONAVENTVRA) quarum domina est Regina Maria, sunt angelica & humana natura: intelligentia angelica est famula, super quam domina innititur in cœlo; anima autem humana est famula, quæ dominam suam sequitur in mundo, colligens vestimenta Dominæ, scilicet colligens virtutes & exempla Mariæ. Adnotat autem magnus ille Cancellarius Parisiensis, quod quia regnum Dei diuisum est in duas partes, cuius altera misericordia, altera iustitia est, vt cecinit Regius Vates: *Duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia:* dimidium huius regni filius matri contulit, iustitiam vero sibi reseruauit, iuxta illud: *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio:* Ipse enim solus in forma visibili iudicaturus est viuos & mortuos.

Esth 15. *D. Bonau. vbi supra.* *Ioan. Gers. tract. 4. in Magn. exerc. 5.* *Psal. 61.* *Ioan. 8.*

VI. EXTAT etiam alius insignis titulus Mariani dominii super omnes creaturas, quod, vt refert Diuus Lucas, Christus Dominus sub cuius dominio & imperio omnia iacent, subditus erat Virgini: vnde Diuus BERNARD. dixit: *Deus, cui seruiunt Potestates & Principatus obediunt, subditus erat Mariæ.* Si ergo Rex ille Græciæ pater vt probaret Diophanti filio suo omnia sua regna subesse, & ad nutum obedire, hoc argumentandi genere vtebatur: Diophanti obedit vxor mea; & vxori meæ obedio ego, mihi autem obediunt omnia mea regna: ergo omnia illa subsunt, & obediunt Diophanti filio meo; licebit quidẽ similimodo ratiocinari: Christus Dominus subditus erat Mariæ, & Christo Domino subdita erant omnia regna mundi, tam cœlestia, quam terrestria: ergo beatæ Mariæ subditæ sunt omnes creaturæ, tam terrestres, quam cœlestes: est igitur omnium creaturarum Domina.

Luc. 2. *D. Bern. sup. missus hom. 1.*

VII. ADDO his, quod inter titulos dominii ille magni momenti est, qui per emptionem soluto precio acquiritur, vt constat *ex l. Procuratores. § penultimo ff. de tributo, & § vendite. Insti. de rerum diuis.* Cum ergo Christus Dominus emerit genus humanum: *Empti enim estis pretio magno,* vt ait Apostolus, & beata Virgo precium hoc illi subministrauerit, non enim aliunde, quam ex Maria carnem & sanguinem sumpsit, quem in precium redemptionis Deo Patri obtulit, consequens est, titulo & iure huius emptionis beatam Virginem dominam esse generis humani: Ad Dæmones etiam dominium eius extendi, illud non obscure indicat, quod tam in sacris, quam in prophanis literis Serpens & Draco, potentiæ & regni symbolum fuerunt: vnde EZECHIEL Regem Pharaonem vocat Draconem, & controuersiam inter Amman principem, & Mardochæum Spiritus sanctus per duos Dracones designauit in somno ipsi Mardochæo: cum ergo de B. Virgine Deus a principio creationis mundi prædixisset, antiquum Serpentem ab ea fore interimendum: *Ipsa conteret caput tuum:* certe sicut Dæmon acquirit dominium eorum, quos potentia Diabolicæ suæ suasionis vincit; ita B. Virgo dominium acquisiuit super Dæmonem, quem mirabili suæ potentiæ virtute conterens penitus deuicit, ac suo imperio subiugauit. Hinc S. GERARDVS Episcopus & Martyr dicebat: *Inuitus quoque infernus,* BEATA MARIA, *vlulat, & procacissimi Dæmones clamant.* secundum enim Papiam *Domina* interpretatur *dans minas:* vnde ipsa inimicis humani generis dominans, minas infert: a qua etymologia non longe abest alia Catholici, dum interpretatur *Domina,* id est, *domans manu;* ipsa quidem super Dæmones dominans, tanquam indomitas bestias illos domat, manus ligat, ferocitatem comprimit, ac superbam petulantiam coercet. Vnde D. BERNARDVS ait: Dæmones non solum Virginem pertimescere, sed audita hac voce,

1. Cor. 6. *Ezech. 29.* *Gen. 3.* *S. Gerard. Episc. & mart. ser. de laudib. Virg.*

Maria,

D. Bern. sup. missus est.

Maria, contremiscere, instar Penelopis de Hectore dicentis illud Poetæ:

Ouid. in epist.

Nomine in Hectoreo pallida semper eram.

S. Bern. ser. 3. de nom. Virg.

VIII. ATQVI hoc latissimum, ac amplissimum Marianum dominium super Angelos ac Dæmones contemplans magnus ille Mariæ laudum præco, S. Pater BERNARD. ea, qua solet, pietate, dixit: *Mater Domini effecta est domina omnis creaturæ, quo modo enim subiiceretur creatura, quæ Mater effecta est Creatoris? ideo merito dici potest ad quamlibet creaturam illud* GENES. *Reuertere ad Dominam tuã, & humiliare sub manu ipsius: quæ verba dicta fuerunt Aghar de Sara: quippe ipsa Virgo vere est Sara, quæ Princeps interpretatur quæ verum genuit Isaac, scilicet filium Dei, in cuius semine benedictæ sunt omnes gentes: per quem omnis creatura principatum habuit.* hæc ille. Ex quibus omnibus facile deprehenditur, quantum deliret, pariterque blasphemet CALVINVS, dum B. Virginem è solio suæ maiestatis deturbare contendens dixit: *Ipsa se ancillam vocat: ergo Papistæ perperam Dominam & Reginam nominant.* O barbarum ac stolidum argumentandi genus! nunquid Abigail, quæ se ancillam famulorũ Dauid profitebatur, vxor ipsius Dauid non fuit? numquid ESTHER, quæ se vocauit ancillam regni Persarum & Medorum sceptrum non tenuit? quid ergo obstat, impie Hæresiarcha, eandem simul esse Creatoris ancillam & creaturarum dominam? nonne totius orbis Regna, velint, nolint, Dei mãcipia sunt?

Gen. 16.
2. Reg. 25.
Esth. 14.

IX. SED Caluiniano spreto delirio, adhuc excellentius aliud dominii genus in B. Virgine emicuit, quod omnem aliam dominandi rationem longo interuallo superat; dum perfectum sensitiui appetitus dominium habuit, iuxta illud: *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* De hoc genere dominii loquens SALOMON, PROV. 16. dixit: *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, ex pugnatore vrbium;* SEPTVAGINTA INTERPRETES legunt: *qui dominatur iræ, melior comprehendente ciuitatem* PARAPHRASTES autẽ CHALDÆVS: *melior,* inquit, *est lentus ira animi quam fortis, & qui dominatur sibi ipsi magis, quam ille, qui capit prouinciam.* NICOL. de LYRA in Commentario huius loci refert, Diogenem Philosophum dixisse Alexandro Magno, qui multas vrbes expugnauerat quod erat seruus serui sui, quia Diogenes per rationẽ dominabatur suo sensitiuo appetitui Alexander vero Magnus seruiebat appetitui suo Ex doctrina autẽ Diui GREGOR. Glossa ordinaria reddit rationem, quare maioris fortitudinis argumentum sit, seipsum, quam vrbes vincere; quia vrbes sunt extra nos: appetitus vero sensitiuus intra nos est. constat vero, difficilius vinci inimicos domesticos, quam externos Hinc HORAT. Poeta dixit;

Gen. 4.
Nicol. de Lyra in cap. 16. Prou.
D. Gregor. homil 15. in Euang.
Horat. ode 2. lib. 2.

Latius regnes, auidum domando
Spiritum quàm si Lybiam remotis
Gadibus iungas, & vterq; Pœnus
Seruiat vni.

quibus consonant alia egregia BOETII carmina in hunc modum eloquenter dicentis:

Boet. de consolat. l. 3. met. 6.

Qui volet esse potentem,
Animos domet, ille feroces:
Nec victa libidine colla
Fœdus submittat habenis;
Etenim licet Indica longe
Tellus tua iura tremiscat,
Et seruiat vltima Thule,
Tamen atras pellere curas,
Miserasq; fugare querelas,
Non posse, potentia non est.

D. Isidor. 7. etym.
D. Bern. ser. de nat. Mar. & sup. missus est.
D. Bonauen. in spec. B. Virg. c. 3.
Bed. in Luc. c. 1.
D. Euch. lib. de altercat. synag. & eccl.

X. IAM ad aliam non minus celebrem Mariani nominis significationem accedamus, si placet: S. ISIDORVS, Diuus BERNARD. & Diuus BONAVENT. Venerabilis BEDA, & doctissimus EVCHERIVS interpretantur Mariam, vt idem sit, quod *illuminata,* seu *illuminatrix*, quæ duo cognomina quam perfecte Deiparæ Mariæ congruant, latius si placet, elucidemus. ALBERTVS MAGNVS in Commentario super caput 1 LVCÆ, contemplans varia illuminationum genera, quibus beata Virgo mirifice fuit illustrata, ad decem capita illa reuocans, his, quæ sequuntur, verbis commemorat; *Illuminatio per lectionem Scripturæ collecta, illuminatio studio rationis inuenta, illuminatio contemplationis oculo percepta, illuminatio familiaribus apparitionibus Angelorum cordi Virginis inuecta, illuminatio crebris Dei reuelationibus clara, illuminatio per haustum diuinæ dulcedinis, & gustum, & experimentum certissimum infusa, quando gustauit, & vidit, quia bona est negotiatio eius; Illuminatio per salutationẽ & doctrinam Gabrielis infusa, illuminatio specialiter per aduentum Spiritus S. & virtutis Altissimi supersplendide donata; & tandem illuminatio per inhabitationem totius diuinitatis in eam corporaliter superimpleta, vt vere amicta sit Sole, & Luna sub pedibus eius.*

Ambr. l. 2. de Virg. & l. 2. in Luc.
S. Ber. ser. 35. in Cãt. cir. fin. & l. de pos. c. 2.
Epiph. ser. de lau. Vir.
Rup. fere toto lib. in Cant.
Abul. par. 1. c. 31
Matth. 8.

XI. SED ex his præcipua capita, ne, si omnia velim comprehendere, in infinitum abeat oratio SS. Patrum monumentis ac doctrinis locupletemus. Et quidem inprimis beatissimam Virginem inter omnes creaturas fidei lumine perfectissime fuisse illustratam contestantur AMBR. BERNARD. EPIPHANIVS & RVPERTVS; vnde ABVLENSIS dixit: *Propter excellentiam huius fidei B. Virginem ab Augustino & Bernardo Matrem credentium vocitatam.* Sane cum plena esset gratia id attestante Archangelo Gabriele: *non poterat non plena esse fide*, cum quantũ creuerit gratia, tãtum & fides. Blasphemat Lutherus, cum a fide Centurionis fidem Mariæ superari mendaciter effutiuit, eo conuictus testimonio, quod Christus de Centurione dixit: *Non inueni tantam fidem in Israel:* sed non percalluit intelligẽtiam horum verborum, quia hoc loco nõ comparat Christus Centurionem cum omnibus & singulis qui ex populo in ipsum crediderunt; hoc enim modo non solum fides Virginis, sed etiam Simeonis, & Annæ, Ioseph. & Ioan. Baptistæ, & Magorũ, atque aliorum plurimorum fuit maior, quam fides

Centu-

Centurionis; ſed comparat illum cum his, quibus ipſe prædicauerat, & in quorũ conſpectu miracula fecerat, ex quibus aliqui fidem in Chriſtum conceperant, inter quos hunc centurionem excelluiſſe affirmat; excelluiſſe, inquam, vel abſolute, vel ſolum proportione quadã, quia ille, cum eſſet Gentilis, & neq; ex Scriptura, neq; ex maiorum traditione eſſet inſtructus, facilius, conſtantius, atque admirabilius, credidit. Tantum ergo à veritate abeſt, Centurionis fidem præferendam eſſe Marianæ fidei, vt & Apoſtolorum, principum Eccleſiæ, & qui primitias Spiritus habuerunt, longe ſit anteponenda, vt his verbis edocuit D. ANSELM. libro de excellentia Virginis: *Licet ipſi Apoſtoli per reuelationem Spiritus S. edocti fuerint in omnẽ veritatem incomparabiliter, tamẽ eminentius ac manifeſtius ipſa per eum ſpiritũ veritatis, illius veritatis profunditatẽ intelligebat; & per hoc multa eis per hanc reuelabãtur, quæ nõ ſolũ in ſe ſimplici ſcientia, ſed ipſo effectu, ipſo experimẽto didicerat.* Verũ obiiciunt Marianę fidei hoſtes, eam de incarnationis myſterio dubitaſſe, dum angelo ſibi illud nũcianti dixit. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* ſed perdocte, & luculenter reſpondet EVSEB. EMESSENVS in hæc verba: *Non dubitat fieri, quod Angelus fieri promittit; interrogat tantum: quomodo fiet? quoniam quamuis Virginem aliquãdo parituram audierat, dicit enim* ISAIAS; *Ecce Virgo concipiet, & pariet filiũ, quomodo tamen pariet, non dicit: quia igitur Virgo eſt, & virum non cognoſcit, quomodo pariat, & Virgo maneat, interrogat, quia nulli adhuc reuelatum erat.*

XII RVRSVS Deipara Maria non ſolum fidei, ſed Theologicæ ſapientiæ lumine diuinitus ei infuſo, quo diſtinctius fidei arcana cognoſcuntur, valde illuſtrata fuit: ita docẽt cõmuni cõſenſu Patres, D. BERN. BONAV. ANSEL. & BERNARD. qui ait: *Quantũ ad rationem & intellectũ, tanta ei ſapientiæ claritas à Deo ſuperinfuſa eſt, quod perfecte ſuperintelligebat creaturas, & Creatorem, & omnia bona amplectenda, & mala fugienda:* & ALBER. MAG. ait B. Virginem ſimul cum habitu fidei habuiſſe actum, quo perfectius, quàm Adam in ſopore, & quam Ioannes ſuper pectus Domini, & quàm Paulus in raptu cognouerit myſteria ſupernaturalia. Ac tandem D. ANSELM. in homil. ſuper Euang. LVCÆ. in illa verba: *Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum*, ſic ait: *Chriſtus, vt dicit Apoſtolus, eſt Dei virtus, & Dei ſapientia, & in eo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei, & Chriſtus eſt in Maria: ergo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei ſunt in Maria.*

XIII. SED non ſolum rerum ſupernaturalium, ſed & naturalium, in quibus non quo ſanctiores, eo peritiores eſſe ſolent Sancti, limpidiſſimam habuit cognitionem, vt teſtantur IACOB. Epiſcopus Chriſtopol. D. ANTONIN. & ALBERT. MAGN ab eo relati, idq; ex eo ſatis veriſimile fit: nam rerum naturalium & moralium cognitio iuuat valde ad perfectam ſacrarum Scripturarum intelligentiam, ad perfectionem Theologicæ doctrinæ, ad reſeranda & ſuadenda abſtruſa fidei arcana, & ad conſummatam in rebus agendis prudentiam: cum ergo in his omnibus præexcellens fuerit B. Virgo, conſequens eſt, perfectiſſimam rerum naturalium cognitionem ei non defuiſſe.

D. Anſ. li. de excell. Virg. c. 7.
Luc. 1.
Euſ. Emeſ. ſer. 4. ante Dom. 2. Aduen. Iſa. 7.
D. Ber. ho. 4. in miſſ.
D. Bon. lib. de laud. Virg. c. 8.
D. Anſ. lib. de excell. Virg. c. 7.
D. Ber. ſer. 4 ar. 1. c. 4.
Alb. Mag. lib. de B. Virg.
D. Anſel. Luc. 10.
1. Cor. 1.
Iacob. Epiſc. Chriſt. tract. ſuper Magnifica.
S. Cyr. l. 1. in Iſa. ora. 5
S Epiph. hær. 78. ſub fin.

XIV. SED nec ẽt prophetiæ claro lumine caruiſſe, tota patrum antiquitas probat. S. CYRILLVS, EPIPHAN. NAZIANZENVS, GREGOR. NISSENVS, AMBR. AVGVST. EVSEB. D. THOMAS, GALATIN. ſpecialiter tamen D. BASIL. exponens illa verba ISAIÆ: *Acceſſi ad prophetiſſam, & in vtero concepit*: in hunc modum loquitur: *Quod Maria Prophetiſſa fuerit, ad quam proxime per ſpiritus prænotionem acceſſerit Iſaias, nemo contradixerit, qui ſit memor verborum Mariæ, quæ prophetico afflata ſpiritu eloquuta eſt: Magnificat anima mea Dominum: ad cuius Cantici verba ſi parum animum accommodaueris, non vtique per diſſidium negabis, Virginem veram prophetiſſam fuiſſe* D. etiam HIERONYMVS ſuper ISAIAM, licet aliam illius loci expoſitionem ſequatur, ait tamen: *Quidam prophetiſſam, ſanctam Mariam interpretantur, quam prophetiſſam fuiſſe, non dubium eſt: ipſa enim loquitur in Euangelio: ecce enim amodo beatam me dicent omnes generationes.* Hæc Hieronymus, ſed RVPERTVS non contentus illam Prophetiſſam vocaſſe, Archiprophetiſſam illam fuiſſe docet, dum ait: *Prophetiſſam eſſe Prophetarum, quia & Prophetas docuit, & de ipſa omnes Prophetæ prophetarunt.* Addunt etiam Patres, variis reuelationibus frequenter illuſtratam Virginis mentem, quotidie enim ab Angelis viſitatam in infantia ſua, dum in templo commoraretur, referunt id D. BONAVENTVRA ex Hieronymo, GREGOR. NICOMEDIENSIS, CEDRINVS, & ANDR CRETENSIS, qui vocauit B. Virginem, *fontem diuinarum reuelationum, qui exhauriri non poſſit.* & B LAVRENT. IVSTINIANVS ait: *Nec Angelica tantum, verum etiam filii iugiter viſione, ac colloquio exultauit: illi enim cœleſtis viſio debebatur, cui incomparabilis gratia inerat plenitudo.*

XV. QVID plura? maiora certe & ſublimiora commemorabo. Equidem licet D. ATHANAS. negat, illam in die Incarnationis clare vidiſſe verbũ diuinum, non tamen deſunt grauiſſimi Doctores (quibus aſſentior) conſtanter aſſerentes, B. Virginem, dum mortali corpore induta erat, clara ac intuitiua viſione diuinam eſſentiam conſpexiſſe: nã præter ALB. MAGNVM, DIONYS. RICHELIVM, GERSONEM, VBERTINVM, CASALIVM, VILLAMNOVAM Archiepiſc. Valentinum, & moderniores alios Doctores, nonnulli etiam illis antiquiores Patres eidem ſententiæ ſubſcripſere: RVPERTVS enim ſuper CANT. in illa verba: *Oculi tui columbarum*, ait, B. Virginem raptam fuiſſe in tertium cœlum, & vidiſſe arcana myſteria, quę non licet homini loqui, perfectius & excellentius, quàm Paulum. ſimilia ſcripſit D. ANTONIN. *In ipſo conceptu, vel partu, illi da-*

S. Naz. or. 42. quæ eſt 2. in Paſc.
S. Greg. Niſſ. l. de teſt. ex v. teſta. con. Iud. c. de nat. Chriſti ex Virg.
S. Amb. Luc. 1.
S. Au. l. 17. de Ciuit. Dei, c. vlt.
S. Eu. l. 7. de demon. cap 6.
S. Th. 3 p. q. 27. a. 5. a d 3.
Gal. l. 7. ar. c. 4. 5. & 12.
S. Baſ. ſup. Iſai. 8.
D. Hier. ſup. Iſai. 6.
Hier. apud D. Bon. lib. medit. Chriſti c. 3
Greg. Nic. hom. de obl. Vir. in tẽplo. Ced. in cõpend. hiſt.
And. Cret. ſer. de aſſ.
Alb. Mag. relat. à D. An. tom. in fracit.
Rich. ſup. Dion. de cœleſt hier. a. 18.
Gerſ. alph. 88 tit. 9.
Vber. Caſſ. l. 1. a. vitæ Crucifixi, c. 9. in fin.
Vill. Archi. Valent. ſer. de re iur. Medi. 3. p. q. 27. ar. 5. in fi Suar. 1. p. q. 37. diſp. 19. ſect. 4.
Rup. lib. 3. in Cant. Cant. 4. D. Ant. 3. p. tit. 15 c. 17.

illi datum est ad horam, vt videret mysteria huiusmo-
di, vt in patria, sicut Paulus vidit in raptu; pro quo
adducit D. BERNARDVM, homil. 4. super *missus*,
dum ait: *Illi solum datum esse nosse, cui datum est expe-*
riri, vt qui soli Patri notus est, sit & illi. Ac tandem
D. AVGVST. & D. THOMAS concedentes id Moysi,
& D. Paulo, quia ille fuit primus Doctor Iudæo-
rum, & Paulus primus doctor gentium, minime id
Virgini denegare possent, quæ fuit etiam Aposto-
lorum doctrix, & magistra: maxime cum gratiæ &
priuilegia seruis Dei concessa eiusdem Genitrici
non sint deneganda, vt BERNARD. docuit. vnde si
Moyses Dei visionem obtinuit media illa oratio-
ne, quam libro Exodi legimus: *Si inueni gratiam*
in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam: mihi dubium
non est, idipsum facilius beatam Virginem impe-
trasse cui Angelus dixit: *Inuenisti gratiam apud De-*
um, & quę præ amoris magnitudine ardentius, quã
Moyses, sponsi faciem intueri desiderabat, vt varia
CANTICORVM verba satis indicant. Deinde quia
D. THOMAS non reputat inconueniens, concede-
re, Adamum in sopore illo mysterioso vidisse diui-
nam essentiam: ergo si ille tunc eam vidit: quia e-
ductio Euæ ex costa illius dormientis mysterium
Incarnationis præsignabat, magis cum ratione
consentaneum est, Mariam illam vidisse, in qua, &
ex qua Verbum diuinum carnem assumpsit: immo
licet Paulo & Moysi huiusmodi priuilegium non
concedatur, non est, cur illud B. Virgini denege-
mus, saltem in die Incarnationis, vel Resurrectio-
nis. Vnde Extaticus ille DIONYS constanter asse-
rit, certum esse, Virginem aliquando in hac vita
mortali vidisse diuinam essentiam.

D. Aug. 12. sup. Gen. ad lit. c. 27. & 28. & epist. 112. ad Paul. c. 12. D. Th. 1. p. q. 12 a. 11. & 2. 2. q. 175 a. 3. D. Ber. ep. ad Cano. Lugdun. Exod. 3. 3. Luc. 1. D. Th p. p. q 94. a. 1. & Ricar. in 2. d. 23. q. 2. a. 1. Dion. Car. sup. Dion. de cœl. hier. a. 18.

XVI. SED venio ad aliud genus cognitionis, de
quo non potest esse concertatio, nec opinionum
diuersitas, in quo B. Virgo omnem creatam cogni-
tionem excelluit; nam, vt docuit D. ANSELMVS,
multa non solum simplici scientia, sed ipso effectu,
ipso experimento didicerat de mysteriis Domini
nostri Iesu Christi: & D. ANTONIN apponit ad id
optimum exemplum: *Vidit*, inquit, *& experta est,*
se concepisse, non opere humano, & se peperisse paruu-
lum cum virginitatis honore. Faciunt ad idem præ-
citata verba D. BERNARDI: *Soli datum est nosse, cui*
datum est experiri. Denique non potuit nõ magnũ
incrementum sapientia Virginis in dies suscipere
ex frequenti sacrarum Scripturarum lectione, &
diuinorum arcanorum meditatione vt enim dixit
ORIGENES: *Habebat legis scientiam, & Prophetarum*
ratiocinia quotidiana meditatione cognouerat: vnde
D. AMBROS. inquit: *Tunc minus sola esse videbatur,*
cum sola esset; nam quomodo sola, cum tot libri ades-
sent, tot Archangeli, tot Prophetæ? D. etiam AVGV-
STINVS alloquens Virginem ait: *Recole, Maria, pro-*
pheticam lectionem: nec enim te scientia potest diuino-
rum præterire librorum, quæ ipsum plenitudinem pa-
ritura es Prophetarum. Ac tandem D. GREGOR. NIS-
SÆNVS, & SOPHRONIVS affirmant, Deiparam Mariã
a tenera ætate perfecte didicisse sanctam linguam,

D. Ans. de exc. Virg. D. Anton. 4. p. tit. 15. c. 17. § 1. D. Bern. hom. 4. in missus est. Orig. hom. 6. in Luc. D. Amb. l. 2 de Virg. D. Aug. ser. de nat. D. Greg. Niss. ser. de S. ph ser. de Assu.

& quandiu in templo vixit, lectioni sacrarum Scri-
pturarum, & meditationi vacasse.

XVII. ATQVE hinc est, quod cum B. Virgo tan-
tis diuini luminis fulgoribus, tamquam multipli-
ci naturalium & supernaturalium rerum limpidis-
sima cognitione potiretur, facile aliorum illumi-
natrix esse potuit, vt & nomen (Mariæ) præ se fert,
quod *illuminatricem* significare præcitati Patres
nos admonuerunt. Vnde ipsi crebro, cum de Vir-
ginis laudibus sermonem instituunt, Ecclesiæ Ca-
tholicæ ac Apostolorum principum illius doctri-
cem ac sapientissimam magistram extitisse, vno
ore contestantur; præsertim tamen D. IGNATIVS
Martyr, & ANSELMVS, necnon & D. BERNARDVS,
dum ait: Mariam Euangelistas illuminasse, iuxta
sui nominis etymologiam, nam Maria *illumina-*
trix interpretatur. Vnde D. AMBROS. de Ioanne
Euangelista ait: *Mirum non esse, præ ceteris loquutum*
fuisse mysteria, cum ei præsto esset aula cœlestium sacra-
mentorum: & RVPERTVS inter alia præclara di-
cit, Virginem habuisse tempus tacendi, & tempus
loquendi, priusque tacuisse, quam diu Christus
in hoc mundo vixit, cum conseruabat, & confe-
rebat in corde suo omnia diuina verba; & erat hor-
tus vere conclusus, & fons signatus; posterius ve-
rò tempus, à Christi Domini ascensione, in quo e-
rant emissiones eius paradisus, & fauus distillans
labia eius, locutum fuisse. Vnde non immerito
beatam Virginem delineatam fuisse putarim apud
gentilitias scripturas per sapientissimam Miner-
uam, quam ex cerebro Iouis ortam esse Ethnici
commentabantur; apud sacra vero volumina per
Deboram, quæ filios Israel publice edocebat, &
per columnam nubis fulgentissimam, quæ eosdem
per desertum dirigebat.

D. Ignat. mart. ep. 1. D. Ans. l. de excell. Virg. c. 7. D. Bern. serm. 4. sup. missus. D. Amb. l. 1. de Inst. Virg. c. 7. Rup. lib. 2. de gloria filii hominis. Luc. 2. Cant. 4. Exod. 13.

XVIII. ATQVE hinc est, quod BEDA, vt refert
GLOSSA ordinaria super illud: *Maria conseruabat*
omnia verba hæc: dixit: *Omnia, quæ de Domino, vel à*
Domino dicta vel acta cognouerat Virgo Mater, in cor-
de diligenter retinebat, & sollicite cuncta ad memoriã
commendabat, vt, cum scribendi vel prædicandi eius
Incarnationis tempus adueniret, sufficienter vniuersa,
prout essent gesta, quærentibus explicare posset. Hinc
etiã doctissimus RVPERTVS Abbas inter alias lau-
des, quas B. Virgini tribuit, hanc commemorat,
quod cum esset Apostolorum Magistra, & in mul-
tis subobscuris eorum mentes illuminaret primo
Apostolorum Concilio Hierosolymis coacto ad-
fuerit Verba eius licet non pauca, quia tamen dul-
cia, silentio non præteribo: *Horum*, inquit, *discer-*
nendorum vtique Magistram te esse oportebat, ô B. Vir-
go, & Magistram Magistrorum, id est, Apostolorum,
iuxta illud: Fons hortorum, puteus aquarũ viuentiũ,
quæ fluunt impetu de Libano: an quia Spiritus S. illos
docuit, idcirco tuæ vocis magisterio non illis opus fuit?
immo vox tua vox illis fuit Spiritus S. quidquid sup-
plementi opus erat, eisdem mortalibus, vel testimonii,
ad confirmandum singulorum sensus, quos acceperant
ab eodem Spiritu diuidente singulis, prout vult, ex reli-

Gloss. in c. 2. Luc. Rup. Abb. Can. l. c. 1. Cant. 4.

gioso ore tuo perceperunt, instructo ad loquendum, bene composito ad tacendum, prout tempus erat opportunum.

Act. 15.

An quia loco supra commemorato de Actibus Apostolorum, vbi facta seditione propter ceremonias Iudaicas, conuenerunt Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc, nullam tui mentionem Scriptura fecit, ideirco putandum est, quod conuentus ille te omiserit, & sanctum de tuo pectore, & de tuo ore spiritum non consuluerit? immo & ille, & in cæteris agendis, Tu Princeps omnem soluisti quæstionem, ita tamen, vt non clamares, neque contenderes, nec audiretur vox tua foris: quia, sicut ante nos dictum est, Tu sola es Virgo, quæ vniuersam hæreticam prauitatem interemisti. hactenus Rupertus. Immo CANISIVS affirmat, Deiparam in prædicto Apostolorum Concilio caput extitisse, sed minime gentium id credam; arbitror quidem interfuisse, sed non præfuisse: cum enim illud Concilium, quod primum omnium fuit, futurum esset in Ecclesia Catholica reliquorum quę in illa celebranda erant, certa regula & norma, oportebat quidem non aliud esse caput illius, quã Summum Pontificem Petrum: vnde non dubito, quin in publico illo Concilio ipse, tanquam caput Ecclesiæ à Christo Domino constitutum, primam sedem habuerit, & capitis munus gesserit: vnde D. BERNARDVS, postquam adduxerat verba illa: *Hi omnes perseuerabant vnanimiter cum mulieribus, & Maria matre Iesu,* subdit: *itane & mulierem sese vltimam exhibebat, vt nouissima omnium poneretur? merito facta nouissima prima, quæ cum prima facta esset, omnium sese nouissimam faciebat.* Quibus verbis non obscure indicat D. Bernardus, cum Apostoli essent perseuerantes vnanimiter in oratione, tunc Deiparam nouissimum elegisse locum.

Canis. l. de B. Virg. c. 1.

D. Ber. de ver. Apo. sup. signũ magnum. Act. 1.

XIX. SED ad rem nostram reuertentes, propter hanc eximiam B. Virginis sapientiam, ECCLESIA CATH. vocat illam hæresum interemptricem: *Cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo*: quod & disertis verbis dixerunt ATHANASIVS, HIERON. BERNARDVS, & RVPERTVS. Dicitur autem cunctas hæreses interemisse, quia exemplo suæ fidei, & doctrina, qua Apostolos multipliciter nominauit, singulari modo cooperata est ad extirpandos omnes errores. Quamuis inficias non ibo; id propter alias ẽt rationes verificari posse, nimirũ quia genuit illum, qui cum sit Sol iustitiæ, lucem intulit mundo ad interemptionem omnium hæresum sufficientem; & quia ipsa principem tenebrarum deiecit, qui est auctor omnium hæresum, & quia tandem speciali suo fauore adiuuat fidei defensores ad expugnandos hæreticos, & falsa eorum dogmata confutanda.

D. Athan. serm. de sanct. Deipara. D. Hier. ser. de ass. D. Bern. ser. sup. signum magnum, & sup. Salue Regina. D. Rup. 1. in Cant.

XX. AD extremum accedit ad commendationẽ mirabilis sapientiæ B. Virginis, quod nõ ab hominibus fuerit edocta, sed partim à Deo ipso immediate, partim per Angelos, aut S. Scripturam; sic enim illud obseruauit D. BERN. dum ait: *Decuit, vt ab Angelo potius, quàm ab homine mysterium disceret, ne mater à consiliis filii aliena videretur, & vt ipsa rerum tempus, & ordinem melius tenens, scriptoribus, & prædicatoribus Euangelii reseraret veritatem, quæ & plene de omnibus à principio cœlitus fuerat instructa mysteriis.*

D Bern. hom. 4. sup. Missus.

XXI. ATQVE hinc est, scientiam Virginis nullis erroribus fuisse admixtam, immo existimauerim, intellectum eius in nullo rerum genere errore aliquo fuisse vmquã obscuratum, aut ignorantia alicuius rei ad proprium statũ pertinentis laborasse; qui enim illã præseruauit à peccati originalis labe, quæ ianua fuit omnis erroris, consequenter creditur eandem præseruasse à pœnis, quæ Matrẽ Dei dedecebant; dedecet autẽ Matrem æternæ sapientiæ, in qua erant omnes thesauri sciẽtiæ Dei, error prauæ dispositionis, & ignorantia eorum, quæ ad proprium statum pertinent; & quidem cum huiusmodi error & ignorantia non essent in statu innocentiæ; & B. Virgo omnibus perfectionibus illius status, cũ vitæ mortalitate non repugnantibus cumulatissima fuisse credatur, consequens est, omni errore & ignorantia semper caruisse. Ac tandẽ, quia B. Virgo habuit plenũ dominiũ suorum actuũ: ergo potuit de rebus iudicare ea, quæ certa fide vel scientia infusa, vel speciali, aut priuata aliqua reuelatione cognoscebat; in aliis vero vel suspendere assensum, vel solũ iudicare, quid esset vero similius. vnde eos grauiter errare arbitror, qui propter illa verba LVCÆ: *Existimantes autẽ illũ esse in comitatu requirebant,* errorem Virgini tribuũt, dum iudicauit filium suum esse, vbi reuera non erat: verba enim illa vel intelligẽda sunt per synecdochen, ad eum modũ, quo de latronibus dicitur, quod blasphemabant Christum Dominum, cum tamẽ grauissimorum Doctorum sententia sit, solum vnum blasphemasse; ait ergo LVCAS per synechdochen: *Existimantes illum esse in comitatu*, quia id ita iudicabat solus Ioseph, nõ Maria: Vel, quod mihi probabilius est; B. Virgo non iudicauit determinatè esse in comitatu, sed quod attentis omnibus circumstantiis, verisimile videbatur esse in comitatu, quod sane iudicium verum erat, & omni carens errore. Illa tamen verba, quæ subsequuntur: *Et ipsi non intellexerunt*: ob quæ nonnulli putarunt, in B. Virgine fuisse manifestam ignorantiam, duplicem expositionem satis congruam sustinent; prima, quod dicta sunt propter alios circumstantes, & nõ propter Virginem, aut Ioseph: nam cum ipsi apertissime cognouissent, Christum non habere humanum patrẽ, non poterant non intelligere, quod cũ ille dixit: *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* loquebatur de æterno Patre. Secunda expositio sit, quod esto de B Virg. dicta sint verba illa, sensus eorum est, quod nõ intellexerunt rationes, ob quas Christus Dominus ea protulit, & quid vellet illis significare: ita ORIG. & THEOPHYLACTVS in LVCAM, & IANSENIVS cap. vlt. suæ Concordiæ.

Luc. 2. Luc. 23. Luc. 2. Ibid. Ibid.

XXII. TANDEM, vt, quæ ad Marianum nomen spectant, absoluã, & quæ ex varia lectione concepi, pe-

pi, penitus exhauriam, duo obseruanda cēsui: Pri-
mum, quod præter supra allatas nominis Mariæ
celebriores interpretationes, quas SS. Patrū com-
munis consensus acceptat, partim ex Hebraica, vt
mare, & Maris stella: illuminata, vel illuminatrix;
partim ex Syriaca, vt, *domina*, vel *dominans*, alias
singularissimas eiusdem significationes reperio.
Prima est, quod Maria interpretatur *Dominus ex*
D. Ambr. *genere meo*: huius auctor est D. AMBROSIVS, quæ si
de Instit. vera interpretatio est, nemo sane poterit inficiari,
Virg. c. 5. nomen hoc nō esse consonū rei, cū B. Virgo Chri-
stum supremum omnium dominum genuerit. Se-
cunda est, Mariā significasse *spem*: hanc tradidit E-
PIPH. dicens: *Mariam interpretari solemus Dominā,*
Atque etiam spem: peperit enim Dominum, qui est
Eccl. 24. *spes totius mundi, vnde & ipsa dixit: Ego mater pul-*
chræ dilectionis, & timoris, & magnitudinis, & sanctæ
spei. Tertia, vt idem polleat Maria, quod *imitatrix*
Rut. Episc. *Dei.* Hanc refert, & acceptat Episcopus RVTILIVS,
l. 2. super Hebraici idiomatis peritissimus. In eo autem po-
Magnifi- tissimum sitam esse reor hanc imitationem, quod
cat, c. 22. sicut Deus Deum generat, sic Maria eundem Deū
dub. 5. genuit; & sicut filius Dei ab æterno fuit genitus de
substantia Patris, ita idem secundum humanita-
tem in tempore fuit ex substantia Matris; & sicut
natiuitas illa æterna absque vlla corruptione fuis-
se noscitur, sic natiuitas eiusdem temporalis Ma-
tris integritatem nō minuit, sed sacrauit. Alii tan-
dem alias interpretationes assignant, quas idem
Rutilius refert, nec refellit, nimirum, vt liceat in-
terpretari, idem valere Mariam, quod *Deus de con-*
ceptu, siue *de partu meo*, vel, vt aliis placet, *de monte*,
vel *de altitudine Dei*.

XXIII. SECVNDVM, quod obseruandum duxi,
duplicem apud hæreticos esse receptam Mariani
nominis interpretationem omnino à Catholicis
execrandam: Impius enim LVTHERVS in Postilla,
Lutherus circa Euangelium in festo Annunciationis Mariæ
in festo ait: Mariam apud Hebræos idem sonare, quod a-
Ann. im- pud nos *guttula, quæ hydriæ adhæret, quæ si mari aut*
pugnatus. *magno fluuio comparetur, nihil quidquam est.* VICTO-
Vict. ibid. RINVS vero hæreticus cum nouatoribus Græco
idiomate nomen Mariæ deducens, *miseriam* signi-
ficare docuit; sed miseri ipsi, & infortunati, qui se
Catholicæ Ecclesiæ Romanæ hostes profitentur:
sibi ferant has sycophanticas interpretationes ex
supercilioso eorum Marte mendacissime confixas
ad extenuandum clarissimum ac sacerrimum Ma-
riæ nomen, nihil magnum aut excelsum illud si-
gnificare nitentes: nos priscorum Patrum exposi-
tiones, vt par est, suspicientes, ac venerantes, Ma-
riam, *Amarum Mare, Dominam, stellam maris, Illu-*
minatam, & illuminatricem significare fatemur.
Erasmus Sed nec possum, nec debeo ERASMI impiam au-
in 1. cap. daciam non retundere, dum in primum caput
Matth. re- MATT. Grammatica inflatione intumescens, eni-
fellitur. xe postulat à nobis, ne *Mariā* per trisyllabum, sed
per dissyllabum, *Miriam*; vel *Mirià* pronunciemus:
meminisse, n. hunc Satyrū oportebat, quod LXX.
peritissimi linguarū Interpretes, qui multis retro
annis B. Virg. antecesserunt, Mariæ nomen ample-
xi fuerant, ac Veteris Testamenti libris illud in-
seruerant: vnde tam Ecclesia Græca, quam Latina,
& tam Patres illius, quam istius, vnanimi consen-
su trisyllabum Mariæ semper vsurparunt; quæ igi-
tur Erasmi impudētia est, qui mauult Ecclesiæ dare
legem, quā accipere. Meminisse etiam debebat, D.
Paulum profanas & horridas vocū nouitates longe
fore ab Ecclesia Christi propulsandas, Timotheū
suū discipulū docuisse; quo ergo iure Erasmus de
multiplici hæresi vehementer suspectus, sacrosan-
cti nominis Mariæ mutationē in Ecclesiā Christi
inuehere gestit? Nos Catholici, Ecclesię Rom. ger-
mani alumni, Mariam cogitamus, Mariā pronun-
ciamus Mariā inuocamus, Mariani huius nominis
singulas literas, nulla dempta, amplectimur, & ve-
neramur, honorem nomini illius deferentes, quæ
auctorem vitæ nobis genuit Dominum nostrum
Iesum Christum, qui cum Patre & Spiritu S. viuit
& regnat in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA IX.

In honorem Natalis Deiparæ Mariæ, de eius excel-
lētia sub metaphora libri disseritur in illa verba:
Liber generationis Iesu Christi, *quæ variis* Matth. 1.
animi conceptionibus exornantur.

I. ETAPHORAM hanc libri prose-
quuturus, in medium producere
cōpellor libros omnes, quos sacra
commemorāt eloquia, inter quos
à quibusdam mysticus liber B. Vir-
ginis exceditur, alios vero longe
excedit. In illorum numerū primum refero librum
vitæ cuius meminit DANIEL, dicens: *Saluabitur po-* *Dan. c. 12.*
pulus tuus omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro:
de hoc libro loquutus est Christus Dominus, cum
dixit: *Exultate, quia nomina vestra scripta sunt in* *Luc. 10.*
cœlis; & Angelicus Doctor de illo agens in p. p. sacræ
Theologiæ in hunc modum illum describit: *Liber* *D. Tho. p. p.*
vitæ in Deo dicitur metaphorice, secundum similitudi- *q. 24. ar 1.*
nem à rebus humanis acceptam. est enim consuetum a-
pud homines, quod illi, qui ad aliquid eliguntur, con-
scribuntur in libro, vtpote milites, vel consiliarii, qui
olim dicebantur Patres conscripti: patet autem quod o-
mnes prædestinati eliguntur à Deo ad habendā vitam
æternam, ipsa ergo prædestinatorum conscriptio dicitur
Liber vitæ: hæc ille. Quidam autē scribuntur ibi,
vt habituri vitam æternā in seipsa; alii vero, vt ha-
bituri illā in causa solū, quia gratia, cuius ad tem-
pus participes erunt, semen esset causa vitę æternę,
de quibus DAVID: *Deleantur de libro viuentium.* est *Psal. 67*
autem clausus adeo liber iste, vt IOAN. testetur, vi- *Apoc 5.*
disse illum septem sigillis obsignatum, & quod ne-
mo, nisi solus agnus, poterat illū aperire; quasi di-
ceret: librū illum adeo esse difficilē, vt solus Deus,
eius auctor, sciret illum legere.

 II. CHRI-

Ierem.32. II. CHRISTVS etiã Dominus sub libri metaphora designatur: IEREM. enim dixit: *Sume tibi librum emptionis hunc signatum, & librum hunc, qui apertus est, & pone illos in vase fictili*; nomine quippe libri signati verbum diuinum intelligit coopertum, velut membrana, fictili carne. Hic ergo liber. Christus Dominus dictatus fuit, cum semel loquutus est Deus, ex propria substantia verbum eructans; fuit ligatus in officina vteri materni, quando vinculo & ligamine vnionis hypostaticæ coniuncta Ioan 1. fuit caro Verbo; seu, vt ait IOANNES, quando *Verbum caro factum est*: fuit præcisus, aut rasus in circumcisione, cum minister illius ex infantili carne pelliculam detraxit, aut præcidit; fuit concussus, cum alapis & fustibus eum grauiter percutiebant; fuit compressus in torculari, quando, vt ipse Isa.63. dixit: *Torcular calcaui solus*: fuit tandem purpureo colore rubricatus, quando rubicundo suo sanguine fuit vndique respersus. Accedat ergo ad hunc librum euoluendum, legendum, ac perlegendum auarus, vt in effusione tam pretiosi sanguinis addiscat liberalitatem; accedat inuidus, vt addiscat charitatem, cum nulla maior excogitari possit, qua quis ponit animam suam pro Actor.8. amicis, & inimicis: accedat iracundus, & addiscat patientiam & mansuetudinem ab eo, qui, vt agnus, coram tondente se obmutuit.

III. Hi duo igitur libri: liber scilicet vitæ æternæ, & Christus Dominus, præstantissimi omnium sunt, & cum quibus nullus alius valet comparari; vnde oportet eos iam commemorare, quos mysticus liber beatæ Virginis longo interuallo præcellit. Horum primus, & antiquior est hæc, quam cernimus, mundi fabrica, quam metaphoram vsurpans D. IOANNES in APOCALYP. dixit: Apoc.6. *Cœlum recessit, sicut liber inuolutus*: huius libri lectioni qui vacant, in creatione legunt Dei omnipotentiam tot mirabilia producentem; in communicatione Dei bonitatem copiose adeo se in omnia effundentem; in gubernatione & vniuersi regimine infinitam eius sapientiam, ac prouiden- Rom.1. tiam: vt enim dixit Diuus PAVLVS: *Inuisibilia enim ipsius & creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Verum rudes peccatores, instar ignorantium puerorum, figunt tantum obtutum, & amorem in aureis literis, quibus liber hic vniuersi conscriptus est; sensum tamen, & intelligentiam earum minime penetrantes, de qui- Isa.29. bus ISAIAS prædixit: *Erit vobis visio omnium quasi verba libri signati*: at viri iusti & sancti, ex fabricæ huius mundialis attenta consideratione in altissimam diuinorum attributorum contemplationem rapiuntur.

IV. SECVNDVS liber est conscientiæ; qui tametsi in præsenti vita signatus, & inuolutus sit, in futuro tamen iudicio apertus & reseratus erit, vt his Dan.7. verbis testatur DANIEL Propheta: *Libri aperti sunt, & iudicium sedit*: ex his libris qui correctus non reperietur, sed aliquo commaculatus errore, reprobabitur, & cum aliis bibliothecæ libris minime apponetur; in cuius figura apud IEREM. lego, ius- Ierem.51. sisse Deum, librum, in quo scriptæ erant maledictiones Babylonis, alligari, & mitti in Euphraten; quibus verbis pœnam damnatorum designari satis perspicue omnibus constat.

V. TERTIVS liber est S. Scripturæ sic enim eum vocat Propheta BARVCH: *Hic liber mandatorum* Baruch.4. *Dei, & lex, quæ est in æternum*: huius libri auctor fuit Spiritus S. qui illum dictauit, Scriptores illius fuerunt Canonici Auctores expositores sacri Doctores, fideles lectores illius, quos instar venefici incantantis sapienter mirifice incantat, ac rebelles eorum voluntates ad Deum venire cõpellit, vt perlepide his verbis dixit ORIG: *Velut incantatione* Orig. hom. 20. sup. Ioan. *quadam noxiarum veritatum, quæ tibi insidiantur, virus depellitur, & fugatur, si tu non efficiaris sicut aspis surda, quæ non audiat vocem incantantis sapienter*. licet autẽ liber hic variis difficultatibus inuolutus sit nemo hac obscuritate deterritus ab huius lectione se arcere debet: nam vt egregie dixit D. CHRYSOST. *etiamsi non intelligas ipsa recondita, tamen ex ipsa lectione multa nascitur sanctimonia, & simul atq; tetigerit aliquis Euangelium, mox componit* D.Chrys. hom.3. de Laz. *suam ipsius mentem, & à rebus mundanis abducit, idque ex solo ipso aspectu, solo etiam auditu, licet mysteria non intelligas*: hæc ille; & quidem AMBROSIO dicente: *Sacræ Scripturæ lectio, refectio est, quæ saginat animam,* D. Ambr. ser.35. *quæ impinguat viscera, ipsa est, quæ vitam æternam tribuit, & insidias à nobis Diabolicæ tentationis excludit, non potest non esse anima valde fructifera*; immo, si iusta est, dulcis, ac suauis, cõsulto conditionem illã addidi: *si iusta est*; nam sicut acute dixit S. CHRYSOST. *Mel natura sua dulcedinem habet, atq; adeo iucundissimam; sed ægrotis amarum quid est, non propria, sed illius ægritudinis natura*: non secus diuinæ Scripturæ lectio, si cuipiam minime dulcis, sed insipida & amara est, id non naturæ illius; sed ægrotanti suo gustui adscribat.

VI. AT, ne à principali nostro instituto digrediamur, in memoriam quæso reuocate prophetica illa verba ISAIÆ secundum lectionem LXX. In- Isa.8. terpretum: *Dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem, scribe in eo stylo hominis*: Hæc verba duplicẽ congruam satis expositionẽ sustinent, præsenti argumento valde accommodatam. Prima est, vt illa intelligantur de libro generationis Iesu Christi, quem D. MATTHÆVS contexuit; nouitas enim, & Matth.1. magnitudo in illo satis elucent; cum & testamentũ sit nouum, nec non hactenus inaudita de filii Dei generatione in vtero Virginis enarret; esse autem hunc librum scriptum stylo hominis, ex titulo & scopo illius satis superq; liquet, cum eò tendat, vt Deum hominẽ factum, & filium Dauidis ex Virgine conceptũ commonstret, sicut enim B. Matthæo Euangelistæ, diuina electione, inter illa quatuor Ezech.1. animalia facies hominis contigit, sic illi datum fuit, humanam filii Dei generationẽ ex Maria specialius & vberius enarrare. Secunda expositio sit,

quæ

quæMarianam excellentiam non'parum commen-
dat,vt sub nomine libri, de quo Isaias in prædictis
D.Epiph. verbis,B.Virgo designetur,vt docuit D. EPIPHAN.
cont. hær. cuius rationem assignat D. ANTONIN. dicens, B.
D.Anton. Virginem Mariam librum esse, quia continuit in se
4 p.t 15. diuinam sapientiam incarnatam: & ante illum D.
c.5.§.1. DAMAS. de Virg.sepulchro loquens,ait:*Vbi nouum*
D.Damas. *volumen,in quo ineffabiliter Dei verbum sine manu in-*
orat.2.de *scriptum fuit.* Spiritus Sanctus enim (vt docuit me
dor. Deip. D.AMBR.super LVC.)sc.iba fuit, qui Virginem ob
D.Amb.5. umbrans in ea tanquam in mundissimo volumine
in Luc.c.7. carnem filii Dei scripsit,atque efformauit, non ca-
& Ps.50. lamo, & atramento,sed sanguine purissimo Mariæ,
in illa ver- & virtute ex alto illam fœcundante, vt loquitur D.
ba: Domi- PAVLVS, scripta non atramento, sed spiritu Dei
ne labia viui:idque sibi volunt verba illa: *Scribe in eo stylo ho-*
mea aper- *minis*: in mente Patris scriptus fuit filius sty'o Dei,
ries. *Deum de Deo*,vt docet Symbolum Nicænum;in vẽ-
2.Cor.3. tre vero Matris stylo hominis; quod & indicauit
Isa.8. Angelus,dicens: *Quod ex te nascetur,sanctum*, ec e
Luca 1. stylo hominis, *vocabitur filius Dei*, ecce stylo Dei.
Adeo autem velociter eã scri;sit, iuxta illud PSAL-
Psal.4 ;. MI:*Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*, vt
vnico temporis momento totum Incarnationis
mysterium peregerit,quo nihil velocius dici potest.
D.Dam.l. vnde D. DAMASCEN. dixit: *non paulatim per addita-*
3.de fid. *menta, sed vno momento, & contextu formata est per-*
cap.2. *fecta caro Christi, simul caro, & Dei verbi animata*
caro.

VII.EST etiam sacer hic liber Mariæ nouus val-
Ierem.31. de,vt prædixit IEREMIAS: *Creauit Dominus nouum*
super terram,fœmina circumdabit virum: quid quæ
so magis nouum & inauditum, quam quod Virgo
Isa.66. manens,Virgo concipiat,& pariat? *quis audiuit vn-*
quam tale? quis vidit huic simile? vnde etiam liquet,
librum hũc intus scriptum fuisse per fœcunditatẽ,
foris vero per integritatem virginei claustri mini-
Eccles.1. me vnquam violati. Sane SALOMON dixit: *Nihil sub*
Sole nouum, nec poterit quis dicere, hoc recens est; at si
librum hunc nouum consuluisset, & magnum pie-
tatis sacramentum, quod manifestatum est in car-
ne Christi,attente legisset, continuo admiratione
correptus absque dubio diceret:hoc nouum est sub
Sole, quod Deus supra Solem absconderat, in tem-
D.Cypr. pore dignatus est nobis manifestare. Vnde D. CY-
serm.de PRIANVS eleganter dixit: *Nouum est, & inauditum,*
Nat. Dom. *quod in materni angustia vteri circũdedit intra se fra-*
gilis caro virtutem Altissimi, quẽ nos paruulũ, Prophetæ
nuncuparunt virum, insinuantes, ei nunquam defuisse
virtutem, sed semper virilis ætatis habuisse fortitudinẽ,
quem infantilis infirmitas occultabat: o fœmina super
fœminus benedicta! hæc ille.

VIII.PORRO hunc l:brum grandem esse, vt dixit
Isa.8. ISAIAS,illud vnum aperte commonstrat,quod si re-
rum naturalium virtutes, ac miræ proprietates ad
vnguem describendæ forent,oporteret librorũ nu-
Eccles.12. merum in infinitum abire, SALOMONE dicente: *Fa-*
ciendi plures libros nullus est finis: & si cuncta opera
Christi Domini ad amussim fuissent commemorã-
da, arbitratur IOAN. *Nec ipsum mundum capere posse* Ioan 21.
eos, qui scribendi sunt, libros. nihilominus tamen grã-
dis adeo fuit Marianus hic liber, vt quem totus non
capit orbis, i; se in se clauserit, ECCLESIA CATHO-
LICA canente: *Sancta & immaculata Virginitas, qui-*
bus te laudibus efferam, nescio, quia, quem cœli capere
non poterant, tuo gremio contulisti. Grandis proculdu-
bio liber, in quo fuere omnes thesauri sapientiæ &
scientiæ absconditi, & in quo tota plenitudo diui-
nitatis corporaliter habitauit: libro ergo, qui infi- Coloss.2.
nitum & immensum capit, nullus quidem maior
aut capacior excogitari potest. Sed & arbitror, B.
Virginem alio singulari nomine *Libri generationis*
nomenc'aturam sibi vindicare, quia nomine gene-
rationis in sacra Scriptura non solum prolis conce-
ptio, sed & opera ipsa, quæ sunt velut hominis par-
tus, veniunt intelligenda. vnde apud ISAIAM Rex Isa.38.
Ezechias loquens de vita sua, dixit: *Generatio mea*
ablata est: præcisa est velut à texente vita mea: quare in
hoc sensu idem erit, liber generationis Iesu Christi,
ac, liber vitæ, & operum Saluatoris; liber, inquam,
ex diametro oppositus libro illi GENES. cui MOYSES
hunc titulũ dedit: *Liber generationis Adæ*, id est, liber
nõ solum filiorũ, sed & operum Adæ, quæ liberi ar-
bi rii proprii filii sunt; hoc est, liber inobedientiæ,
præuaricationis, incredulitatis, intẽperantiæ, & si-
miliũ quæ in lib. Gen. de Adam commemorantur:
sicut ergo vet ri Adam contraposuit Deus secun-
dum, ita veteri libro generationis Adæ opposuit li-
brum generationis Iesu Christi, hoc est, clarissimo-
rum operum, doctrinæ, miraculorum, vitæ, mortis,
victoriæ, & triumphi illius.

IX.FVIT ergo eatenus beatissima Virgo, *Liber ge-*
nerationis Iesu Christi, quatenus, præterquam Verbũ
Patris in ea scriptum fuit, Spiritus S. in corde eius
scripsit opera Christi Domini multo profecto mira-
bilius, quã in quocunq; alio volumine vmquã fue-
rint exarata: ipsa quidẽ Virgo indelebiliter in corde
suo, quasi in libro scripta, conseruauit, iuxta illud
LVCÆ: *Maria autem conseruabat omnia verba hæc, cõ-* Luc.2.
ferens in corde suo. Ex his omnibus facile erit depre-
hendere excellentiã huius libri super omnes libros
hucusq; in lucem editos, & in posterum edendos:
vt enim sapienter dixit D. ANTONIN. *Quanto facta* D.Anton.
sunt potiora verbis, vel scripturis, tanto sunt ostensa ma- 4.p.t.15.c.
iora in Maria, quam in Scriptura per Deum; nam Scri- 22.n 9.
ptura dedit, vt Deum loquatur, Maria contulit, vt per
eam Christus pandatur: ibi eum multiplex tegit figura,
hic vestit eum Mariæ caro pura: ibi pronunciatur, hic
ostenditur: ibi latet in mortua charta, hic patet in carne Luc.1.
monstrata: ibi dicta sunt magna, hic fecit, inquit, mihi
magna qui potens est.

X. Ac tandem, vt paucis multa comprehendam
de excellentia huius libri: in eo Deus non solum re-
liquorum sanctorum eximias virtutes exarauit, vt
Abelis religionem, Noe credulitatem, Abrahę obe-
dientiam; Isaachi patientiam, Iacobi toler ntiam,
Iosephi castitat m Dauid s mãsuetudinem, ac Sa-
lomonis sapientiam; sed & diuinas perfectiones,

quas sparsim in reliquis aliis libris canonicis scripserat, in hoc libro B. Virginis summo artificio cōpilauit. Si enim in GENE. elucet potentia in mundi Gen. 1. creatione; clementia in EXODO, in liberatione po- Exod 14. puli Israelitici; religionis cultus in LEVITICO, in oblationibus & sacrificiis; patientia in lib. NVM. fortitudo in lib. IOSVE; prouidentia in lib. REGVM; longanimitas, & misericordia in lib IVDICVM; sapientia & consilium in libris Salomonis; ardens Dei amor in lib. CANTIC. apostolica perfectio in libris EVANGELISTARVM; abdita mysteria sacraque arcana in libro APOCALYPSIS; omnia hæc in hoc vno Mariano libro manus supremi, ac peritissimi scribæ compendio copulauit, & in vnum coniunxit.

X. VERVM circa proposita verba ISAIÆ illa occurrit difficultas necessario enodanda, quomodo Deus præcepit Isaiæ, vt sumeret librum grādem ad Isa. 8. describendum duo breuissima verba: *festina; prædare:* quæ tamen breuissima charta comprehendi poterant? econtra vero Ezechieli iussit, vt ad describendam magnam ac populosam illam ciuitatē Ierusalem, obsidionē, & munitionem eius, paruum acciperet laterem, in quo cuncta hæc delinearet: Ezech. 4. *Fili hominis, sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eo ciuitatem Ierusalem. Et ordinabis aduersus eam obsidionem, & ædificabis munitiones:* Sane id existimauerim fecisse Deum, vt & maiestatem ac celsitudinem Christi Domini, & vtilitatem omniū terrestriū bonorum nobis demōstraret; illa enim tanta est, vt infinita etiam volumina paucissima de indicibili dicere potuissent; hæc vero adeo exigua, ac parui momenti sunt, vt luteo latere concludi possint, & vt stercora, cum D. PAVLO propter Christum contemni, & calcari digna censeri debeant: Cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum, Amē.

HOMILIA X.

Genealogia B. Virginis variis similitudinibus mysticè illustratur, in illa verba: Liber generatio- Matth 1. nis Iesu Christi.



I. SVB metaphora libri nō semel sacra Scriptura cor humanū intelligit, in quo Deus digito suā legē scribit; vnde per IEREMIAM dixit: Ierem. 31. *In corde eorum scribā eam, & ero eis in Deum;* qua etiā phrasi Deus ipse Heb 8. vtens, dixit: *Dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum scribam eas.* Docent Philosophi: *Cor, quod est principium vitæ, primum omnium à natura efformari, vltimum vero oculos: à quibus sane nihil vita cordis dependet.* Hinc haud obscure colligitur, abdita sacrosanctæ legis arcana, quæ in corde diuinus spiritus scribit, non esse rationis oculis discutienda. sicut enim cordis vita ab oculis minime dependet, ita nec diuinorum arcanorum veritas ab humanæ rationis oculis dependentiam vllam habet. Est tamen obseruandum, quod, teste PLINIO, Plin. de ceruis & leporibus cor maioris magnitudinis tri- hist. anim. buit natura, quam aliis animalibus, vtpote animalibus timidioribus, & pusillanimioribus: vnde experientia constat in hominibus, qui minore corde præditi, animosiores; qui vero magno, pusillanimiores sunt: cum ergo Deus Legem suam velut in libro scribat in corde humano, sane illud aptius erit cor, quod exiguum magis a paruum fuerit in oculis suis: hæc enim sibi volunt verba Christi Domini: *Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc à sa-* Matth. 11. *pientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* faxit Deus, vt inter hos paruulos connumeremur, sic enim diuini huius libri arcana facile nobis aperientur.

II. EXORDIAMVR ergo illa reserare, per verba illa CANTIC. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis* Cant. 3. *Libani: Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum: media charitate constrauit, propter filias Ierusalem.* Currus ille adumbrat genealogiam hanc Christi Domini, in qua velut curru ex cœlo in terram venit. ex quatuor præcipue compositum erat ferculum illud Salomonis, ex lignis Libani, columnis argenteis: gradibus purpureis, & reclinatorio aureo; in medio autem illius diuinus amor aderat, animas ad se, velut magnes ferrum, pertrahēs: in hac Christi generatione similia reperio; incorruptibiles Libani adsunt, Patriarchæ scilicet, illi incorruptibiles fidei parentes, qui Deo fidelissimi extiterunt, Abraham, Isaac, & Iacob: adsunt gradus purpurei, Reges scilicet regali purpura induti, per quos tamquā per maiores suos, Christus descendit: adsunt columnæ argenteæ, nimirum celebres illi Prophetæ, qui à Babylonica captiuitate B. Virginem præcessere, qui velut argentum sonora voce & clamore aduentum Christi Domini importune efflagitabant: *Emitte agnum dominatorem terræ: Mitte, quem* Isa. 16. *missurus es:* adest etiam reclinatorium aureum, sacratissima scilicet Deipara Maria, in qua filius Dei per nouem menses reclinans delituit, meritoque reclinatorii nomine nuncupatur, quia reclinatorium (vt egregie adnotauit Auctor Syluæ allegor.) Auctor locus est, in quo quis inclinando se aliquid collo- Syluæ allecat: cum ergo diuina maiestas in vtero Virginis gor. verb. carnem assumens adeo se inclinauerit, ac demise- reclinare. rit, vt Apostolus dicat: *Exinaniuit semetipsum,* con- Phil. 2. grue reclinatorium illud Mariam adumbrabat: nec tandem defuit huic mystico ferculo amor diuinus, dicente Euangelista: *De qua natus est Iesus,* Matth. 1. qui verus amoris Deus est; & ECCLESIA CATHOL. canit:

Iesu nostra redemptio, amor, & desiderium:

quam expositionem approbat LEGIONENSIS in Ludou. Comment. huius loci, dicens: *Charitas est ipse Sa* Legionens. *lomon in sella sedens;* constat autem, Salomonem sup. Cant. vmbram & typum fuisse Christi.

III. ILLVD tamen etsi obiter obseruare non prætermit-

termittam, quid sit, quod sacra Scriptura de lecto
Salomonis, in quo dormiebat, & non de curru,
quo ferebatur, dicat, multis custodibus stipatum
Cant. 3. esse: *En lectulum Salomonis, sexaginta fortes ambiunt*
illud ex fortissimis Israel; omnes tenentes gladios, & *ad*
bella doctissimi: cum tamen econtra se res habere so-
leat: Reges enim cum regali domo sua egrediun-
tur, magno custodum comitatu arma in manibus
tenentium, quasi ad defensionem promptissimi &
paratissimi sint, incedere solent: dormientes vero
minime hac tanta custodia muniuntur. Ego sane
mallem alios in solutione huius difficultatis au
dire, quam aliquid ingratum proferre: mihi solum
occurrit, Spiritum S. consulto meminisse militum
lectum Salomonis custodientium, vt somni peri-
cula ante oculos nobis poneret: inter arma enim,
quibus dæmon expugnare solet animas, non mi
noris momenti est somnus. Pygmei, alioquin in-
firmi, & imbecilles, non audentes fortissimũ Her-
culem aggredi, dormientem tamen facile expu
gnarunt, vt ad somni damna propalanda ingenio-
Alciat. se finxit auctor Emblematum. Mille Philistæi (vt
emblem 18 sacra narrat IVDICVM historia) fortissimũ Samso-
Iudic 16. nem, velut pueri gigantem, metuebant, nec quid-
quam nocumenti ei inferre poterant; dormiens ta-
men ab infirma Dalila manibus & pedibus ligatus
fuit, & capillos eius tondẽs, vires, quæ ex illis pen-
debant, pariter abrasit. Holofernes similiter, qui à
Iudith. 13. populo Dei valde timebatur, dormiens à Iudith
proprio suo mucrone fuit iugulatus. quid plura?
certe venti, & turbines, quæ alioquin Christũ Do-
minum reuerebantur, & ei se subiiciebant; illo ta-
men dormiente, nauiculam, qua vehebatur, acri-
Matth 8. ter infestare & conquassare cœperunt: *Ecce motus*
magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur
fluctibus; ipse dormiebat: vt igitur Spiritus S. manife
staret, somni damna nobis valde præcauenda esse,
lectulo Salomonis adhibuit custodiam, non cur-
rui, quia in illo dormiebat, in hoc vigilabat. Probe
quidem agnouerat hanc doctrinam iudex ille, no-
mine TVRBO, qui vt refert TEXTOR, ab Impera-
tore monitus, vt propriæ salutis maiorem curam
haberet, & somno amplius vacaret, respondit Cæ-
saris iudicem oportere stantem mori, quo signifi-
care voluit, vigilem semper debere esse, & non so
mno deditum.

Hugo super IV. SED & aliam HVGONIS eorundem verborum
c. 8. Cant. mysticam expositionem adnectamus: per *ferculum*
intelligit B Virginem, in qua, velut in sede gesta-
toria, ductus est, filius Dei in mundum, fuisse autẽ,
ait, hoc ferculum ex lignis Libani, quæ celsitudinẽ
& fragrantiam redolent, quia prædestinauit Vir-
ginem nascituram ex parentibus ex regia prosapia
oriũdis, fragrante sanctitatis odore præditis: quod
Ibid. autem Spiritus S. subdit: *Media charitate constrauit*
propter filias Ierusalem, id iucundissimũ nobis nun-
cium adfert: nam cum B. Virgo mediatrix sit inter
Christum, & nos, idcirco media charitate propter
filias Ierusalem constrata dicitur, quatenus fide-
lium commodis semper incumbat: sicut & Chri-
stus ipse Mediator Dei & hominum est; qui à salu-
te nostra quærenda nec per momentum cessabat.

V. POSSVMVS etiam eadem verba aliter explica-
re, vt media charitate constrata dicatur, quatenus
Deus, qui charitas est, velut Rex Salomon, in me-
dio vteri ipsius carnis purpura indutus sedeat; quã
expositionem satis indicat alia translatio, dum
vertit: *Medium eius combustum charitate ex filiabus*
Ierusalem: nomine enim, *combusti*, Deus homo fa-
ctus designatur, cum frequenter sancti Patres v-
nionem Verbi diuini cum humana carne per car-
bonem ignitum, vel per ferrum candens explicẽt:
nam sicut ferrum & carbo realiter distinguuntur
ab igne, & ignis natura minime in ferrum, nec fer-
ri substantia in ignem mutatur, & tamen ita inter
se vniuntur, vt nulla pars ferri sit, quæ non sit igni-
ta; ita humanitas & diuinitas in Christo realiter
distinctæ & impermixtæ manentes, intime adeo
inter se vnitæ sunt, vt nulla sit pars humanitatis,
quæ diuinitatis igne succensa non sit.

VI. VT autem magis innotescat, quam apte
Christus Dominus *charitas* nuncupetur; ex anti-
qua illa pictura, qua Poetæ amorem descripserunt
(si prophana in sacra cõmutamus) haud difficile e-
rit demonstrare. Effigies eius paruuli erat: descri-
bebatur nudus, immo cœcus, non quia oculis ca-
reret, sed quia vitta illos coopertos habebat; ala-
tos deinde, ac pharetram sagittis plenam gestans.
sane si Amor puerulus est, en Christum Dominum
infantulũ, qualem ISAIAS describit: *Paruulus natus* Isa. 9.
est nobis; Si nudus, ecce Iesum dicentẽ: *Nudus egres-* Iob. 1.
sus sum de vtero matris meæ: si cœcus effingebatur,
quia licet alioquin oculatissimus sit, cœcus tamen
est, ne videat pericula & miserias, quibus se subiicit
propter delictum; certè paruulus iste, qui natus est
nobis, etsi ita oculatus sit, vt interna humani cor-
dis perlustret, ac perscrutetur, amoris tamẽ sui vel-
uti vitta quadã alligatus quasi nõ videns esset mi-
serias omnes, & cruciatus, quos subiturus erat, pro
humani generis redemptione totum pretium vsq;
ad vltimũ, vt aiunt, quadrantem effluere non dubi-
tauit: quod si simulacro Amoris addebantur alæ,
quibus significabant mirabilem celeritatem, qua,
quocumque vellet aduolaret, certe isthęc Christo
nõ deficiebat, DAVID dicente: *A summo cœlo egres-* Psal. 18.
sio eius; & MALACHIA: *Sanitas in pennis eius*: propter Malach. 4.
velocitatem enim harum pennarũ iussit Deus ISA. Isa. 8.
hoc illi nomen imponere: *Voca nomen eius Accele-* Luc. 1.
ra: & hinc est, quod recens conceptus aduolauit in
montana in vtero matris inclusus: deniq; pharetrã
etiam in Christo paruulo videre licet: quandoqui-
dem antiqui pharetra Amoris effigiẽ accingebant;
ea vero est Christi caro, de qua, iuxta expositionẽ
CYRILLI & PROCOPII, verbum diuinum dixit: *In* Cyrill. & Procop. su-
pharetra sua abscondit me: ex hac pharetra tot sagit- per Isa. 42.
tas emisit, vt non solũ propinquos pastores, sed & Psal. 44.
remotissimos Reges, necnõ & cęlestes spiritus iacu-
lis amoris sui feriret, vt nõ immerito id præuidens
Regius

Psal.44. Regius Vates dixerit: *Sagitta tua acuta, populi sub te cadent:* cum ergo Amoris omnes notæ in Christum Dominum apte conueniant, merito illum in medio ferculi, hoc est, vteri Virginis considerare asserimus, vt propterea media charitate constratus dicatur.

VII. Ad hæc merito hāc Deiparæ Mariæ genealogiam sacer Euangelista librum vocauit: consueuit enim, cum sumptuosum aliquod ædificium in aula Principis fabricatur, ab œconomo eius vel operum præfecto liber aptari, in quo singulos sumptus per varia capita describit, deinde in fine illius compendiosam quandam summam reliquas minutiores in vnum continentem apponit; non secus sacer Euangelista, cum hanc prouinciam inter alias assumpsisset, vt magnificentissimos sumptus, quos Auctor diuinæ gratiæ confecerat in ædificatione Marianæ aulæ, ac regiæ domus, in qua ipse habitaturus erat, Ecclesiæ Catholicæ manifestaret, librum hunc generationis scripsit, in quo tot capita apposuit, quot Reges & Prophetas numerauit. In primo enim capite ad mysticum ornatum huius domus
1.Reg 17. refert Dauidem, qui de gigante Goliath gloriosam victoriam reportauit, vt inde in memoriam reuoce-
Gen.3. mus Virginis fortitudinem antiqui Serpentis caput
Gen.22. conterentis: in secūdo capite refert Abraham, Deo adeo obedientem, vt non dubitaret, diuino præcepto obaudiens proprium filium in holocaustū Deo offerre: quod sane ob oculos nobis ponit insigniorem Virginis obedientiam, quę non dubitauit vnigenitum filium suum, quem ardentius multo, quā Abraham diligebat, Deo Patri in ara Crucis offerre: in alio deinde cap. adducit Patriarcham Iacob
Gen.29. ardentissimo Rachelis amore flagrantem, qui seraphici amoris, quo Virginis animus æstuabat, memores nos reddit: in alio etiam cap sapientissimum Salomonem proponit, vt Virginis sapientiam commendaret, in qua cum æterna Dei sapientia corporaliter habitasset, non poterat sapientissimo Salomone ipsa sapientior non esse.

VIII. His iam propositis capitibus, quibus varios sumptus ad mysticam hanc Virginis aulam necessarios commemorat, tandē in calce ac fine libri quasi omnes illos ad compendium & summam reducēs,
Matth.1. beatissimam Virginem Mariam adscribit: *De qua natus est Iesus:* quibus sane breuissimis verbis tot ac tam stupenda Virginis encomia conclusit, vt sola diuinæ sapientiæ clauis illa aperire, ac reserare valeat: vt Isaiæ liber beatam Virginem adumbrans
Isa.29. non obscure significauit, dum de illo ait: *Sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti literas, dicent: lege istum; & respondebit: non possum: signatus est*
Apoc.5. *enim.* &, vt vidit Ioannes, *signatus sigillis septem, quos nemo, nisi Agnus aperire poterat:* vnde, quemadmodū beati in cœlo non valentes Dei maiestatem verbis
Apoc.4. exprimere, breuem illum concentum vsurpant: *Sāctus, Sanctus, Sanctus*; ita Euangelista videns impossibile sibi esse, vniuersas animi dotes, ac supernaturalia Virginis ornamenta stylo prosequi; omnia illa ad hanc summam & compendium reduxit:
De qua natus est Iesus: quod adeo excellens est, vt ex illo facile sit permagnifica atque stupenda Mariæ Matth.1.
præconia conijcere. Vnde sicut olim Iosue & Caleb (vt sacra Nvme. narrat historia) ingressi terram promissionis, vt fœcundiorem & opulentiorem esse, Num.13.
quam verbis exprimere possent, significarent, hoc vsi fuerunt artificio: *Absciderunt palmitem cum vua sua, quem portauerunt in vecte duo viri*, vt ex fructu illo pulchro adeo atque copioso eximiam terræ promissæ fœcunditatem facile venarentur: non secus sacer Euangelista Matthæus impossibile iudicans, mirabilem Virginis fœcunditatem, ac omnium virtutum generum opulentiam verbis exprimere posse, ante oculos nobis ponit Iesvm, benedictum fructum ventris illius, vt ex eius excellentia virgineæ ac sacrosanctæ illius terræ mira virtus deprehendatur; quasi diceret: ecce pulcherrimum ac suauissimum fructum, conijce inde fœcunditatem telluris illum germinantis.

IX. Ad hęc, inter alias difficultates hanc enodandam proposuit Deus olim Iob: *An extrahere poteris Leuiathan hamo?* iterum cum ipse eam non soluerit, Iob.40.
oportet solutionem eius alibi inuestigare; vnde placet locum hunc præsenti instituto accommodatum explicare. Diuus Gregorivs Leuiathan, Dæmonem prænotare, ait: qui a significat *additamentum.* Dæmon autem multa addidit super diuinum D.Greg.li.3.moral.cap.9.
præceptum, quæ à Deo primis parentibus minime fuerant proposita: nam illo dicente: *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris*; Dæmon addidit Gen.2.
hæc verba: *Nequaquam moriemini:* immo postea secundo addidit: *Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum:* ecce pollicitus fuit non solum vitam immortalem, sed & deitatem, & scientiam Dei: qui ergo Gen.3.
hæc mendaciter addidit, veraciter Leuiathan dicitur, quod interpretatur, *additamentum:* quis ergo (inquit Deus Iob) tanta arte præditus erit, vt Leuiathan hamo extrahere possit? sane nullus alius, nisi Christus Dominus, vt non obscure liquet ex eius genealogia. Piscator quidem in hunc modum piscari solet: Tenet manu arundinem a qua pendet linea, in cuius extremitate adest hamus, & in hamo vermis, ad quem accedens piscis, mordet faucibus, & manet suspensus. In hac genealogia arundo non desideratur, per quam peccator significatur, iuxta illud Christi Domini: *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?* non enim vna, sed Matth.11.
plures arundines peccatorum reperiuntur: linea, propago est illa Patrum antiquorum, ac vicissitudo generationum, vsque ad Mariam Virginem; in cuius sane lineæ extremo hamus adest Christus Dominus, qui cū in eodē supposito humanā & diuinā contineat naturā, ratione diuinæ, hamus est; ratione humanæ, vermis & esca: *Ego sum vermis, & non homo.* Misso ergo Christo Domino in aquas huius Psal.21.
fluctis sæculi, Diabolus Leuiathā ad vermē humanitatis illius accedens, ac mordere tentans, diuinitatis hamo captus fuit, & genus humanum liberatum

(Rupert. in [..] Matth. Beda hom. [..] Nat. Isidor. de summo homo, [..] 16.)

tum, quod & RVP. & BED. disertis verbis docuerűt: nã ille ait: *Veluti hamus Christus in mare huius mundi missus serpentem cecidit.* hic vero: *Generatio Christi quasi longa piscantis linea est, cuius hamus subligatus carne operitur.* sed ante illos D. ISIDORVS dixerat: *Est in Christo hamus diuinitatis, esca caro*; hanc ergo carnem, qua captus est Leuiathan, genuit B. Virgo, *de qua natus est Iesus.*

(3. Reg. 7.)

X. PRÆTEREA quemadmodum Salomon olim in porticu ante fores templi illius, quod exstruxit, duas columnas statuit, & super capita columnarum opus in modum lilii posuit; ita etiam Matthæus veluti in porticu genealogiæ Christi ante portam cœli, id est; Virginem Deiparam, quam felicem cœli portam appellat ECCLESIA columnas duas, Abrahamum scilicet, & Dauidem, quos ob firmissimam Messiæ fidem, & stabilem spem merito columnas appello; id enim & nomina ipsarum columnarum portendunt, cum altera, *Iachin*, quod *firmitatem*, altera *Booz*, quod *fortitudinem* sonat, nominaretur stabilis fuit ac firmissima Dei de Messia promissio Abrahamo atque Dauidi facta, quæ nullis hominum sceleribus labefactari aut infirmari vnquam potuit. Columna quidem fuit firmissima Abrahamus, dum, postquam promissionem acceperat de Messia ex filio suo Isaac oriundo, iussus illum occidere, nihil de promissione dubitãs, libenter obediuit. firmissima columna fuit Dauid, quam nec fortissimus Goliath commouere, neque munitissimæ hostium phalanges expugnare, aut à proprio loco diuellere potuerunt: super has columnas positum est pulchrum illud lilium, de quo in CANT. *Ego flos campi, & lilium conuallium*: & quemadmodű qui Salomonis Templum ingrediebantur, decem mensas aureas cernebãt, altare aureum, panes propositionis, & multa aurea candelabra, sic post duas illas columnas, Abrahamum, & Dauidem, qui in hãc genealogiam Matthæi ingredimur, Isaachum, Iacob, ceterosque Patriarchas, aureas veluti mẽsas cernimus, minime quidem vacuas, cum bonorum exemplorum epulis refertissimæ sint: intuemur aurea candelabra, Salomonem, & alios reges, qui merito candelabra dicuntur, quia populo verbo & exemplo prælucere debebant: & sicut in extremo Templi loco, qui *Sancta Sanctorum* dicebatur, aureum propitiatorium, necnon & duo Cherubim aderant, qui velo tegebantur; ita in sacræ huius genealogiæ extrema parte adest humanitas Christi per arcam illam significata, in qua non Manna, non tabulæ Legis, non virga Moysis, sed plenitudo diuinitatis corporaliter latebat: quod si Cherubini illi, alter sub forma fœminæ, alter sub forma viri efformati erant (vt in eodem loco adnotant non pauci Doctores Hebræi, & tradit ARIAS MONTANVS) hic certe adsunt Maria & Ioseph, sacram illam arcam concomitantes, qui merito Cherubin dici possunt; nam præter limpidissimam Dei cognitionem, quam ex familiari cum æterna Dei sapientia consortio, velut ex perenni fonte hause-

(Gen. 22. — 1. Reg. 17. — Cant. 2. — Mensæ Tẽpli, Patriarchæ; Reges, cãdelabra; vasa alia, aliis ignotiores progenitores. — 3 Reg. 7. — 2. Paral. 3. — Deut. 10. — Arias Mont. in suo Appar.)

runt, non semel eorum brachia sedes Christi fuerunt; DAVID autem dicit: *Qui sedes super Cherubim*: Psal 79. quod si omnia illa ibi velo tegebantur, similiter hic quantæ dignitatis Christus esset, quantæ Virgo, quantæ Ioseph eius sponsus, non omnes latet; necnon etiam Christi hominis diuinitas; intemerata Mariæ virginitas, Ioseph eximia castitas multis prorsus erat ignota. At sicut ibi scissum fuit velum à summo vsque deorsum, & quæ latebant, patuerunt; ita per fidem Christi sacrosancta mysteria orbi vniuerso per concionatorum voces euulgari & propalari cœperunt; vt tradidit D. IOAN. dicens: *Apertum est Templum Dei in cœlo, & visa est arca Testamenti eius in Templo, & facta sunt fulgura, & voces.* Apoc. 11.

XI. TANDEM vt aliam iam subiiciamus similitudinem, contingit aliquando ei, qui iter facit, vt inueniat fontem vberrimum, ex quo maxima aquarum copia emanat, dum vero vlterius progreditur, desiderans sitim exstinguere, aqua oculis eius latet, quia tot interponuntur arbores, iunci, herbæ, salices, & similia, vt nulla ratione videri possit; tandem vero illis pertransactis, eandem aquam intuetur, qua sitim abunde explere potest; ad eundem modum, dum noster Euangelista exorditur librum generationis Iesu Christi fontem aquæ diuinæ scilicet gratiæ, salientis in vitam æternam nobis aperit: sed continuo tot progenitorum Christi frondosæ arbores interponuntur, vt iam amplius non videatur aqua, quæ è fonte emanabat, omnibus tamen his generationibus transactis, intueri possumus eundem aquæ viuæ fontem, cum Mariano ductu coniunctum, Euangelista dicente: *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Matt. 1. Deinde sicut Pharmacopola sumptis multis herbis, & floribus, ex eis exprimit succum, quod vbi præstitit, de herbis & floribus non curat, sed succum in vase quodam reponit, & custodit: sic videtur se gessisse noster Euangelista, proposuit ob oculos varias herbas, & multos flores sanctorum Patriarcharum, ex quibus expressit succum virtutum, & bonorum operum, quem in vase Mariæ collocat, & custodit, dicens: *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Ibid.

XII. TANDEM mysticam aliam intelligentiam silentio non præteribo, ad hoc idem argumentű magis locupletandum. Inuiolabilis quidem viguit lex apud omnes militares religiones, vt antequam insigne Crucis eis conferatur, de sanguinis sui puritate, ac generis nobilitate prius constet, ad quod explorandum alii equites eiusdem ordinis designantur, qui quamplures testes perquirunt eorum nobilitatem attestantes: id quod ex duplici præcipue causa sic fieri decet; prima, quia indignum est, & rationi dissonum, vt quorum progenitores ad ignominiam Christi Domini Crucem super humeros imposuere, iidem ad honorem, & gloriam Crucis signaculo, nobilitatis indicio, pectora sua decorent. secunda, nam cum huiusmodi equitibus credi soleant res magni momenti, certe nisi præclara

indole, sanguinis nobilitate, ac animi generositate præditi sint, persæpe à scopo aberrarent: nostro igitur instituto hæc accommodantes, sane si D. PAVLVM consulimus, audiemus nobis dicentem, venisse filium Dei in mundum, vt humanitatis no-
Philip.2. stræ habitū indueret, & Crucē susciperet, *in similitudinem hominū factus, & habitu inuentus vt homo*: ecce habitū; deinde inquit: *Proposito sibi gaudio sustinuit Crucē, confusione contempta*: ecce Crucem; vt ergo mundo innotescat, quam Christus Dominus dignus esset munere redemptoris, quo huiusmodi crucem suscipiens functurus erat, explorari præcipitur splendor generis illius. vnde quemadmodum cum de alicuius nobilitate fieri oportet inquisitionem, si ille ex parte patris oriundus sit è regione distantissima, ab ea, vnde originem ducit eius mater, diuersi exploratores ad eam mitti consueuere; non dissimiliter in proposito, cū Christus Dominus ex parte Patris originem trahat à cœlo:
Psalm.13. *à summo cœlo egressio eius*. ex parte vero matris à terra, iuxta illud SYMBOLI NICÆNI: *natus ex Maria virgine*; certe ad generationem eius explorandam ex parte Patris IOANNES mittitur, qui diuinitus illustratus testatur, illum consubstantialem esse Deo
Ioan.1. Patri: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*; ad explorandam vero nobilitatem eiusdem ex parte matris MATTHÆVS eligitur; qui postquam rem mature cogitauerat atq; exquisierat, ex regia stirpe Dauidis ortum Euangelica auctoritate contestatum nobis reliquit,
Matth.1. dum ait: *Liber generationis Iesu Christi, filii Dauid*: Qui cum Patre & Spiritu S. viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA XI.

Prosequimur idem argumentum permultis aliis egregiis similitudinibus ad concionandum aptissimis; eandem Virginis genealogiam mystice elucidantes.

I. DIVI BERNARDI verba serm. 3. in Cantica viam planam mihi aperiunt ad mysticam aliam huius Marianæ genealogiæ intelligentiam; sic enim ait: *Historiam Scripturæ ad hortum puto non immerito deputari, quod inea inueniantur viri virtutum, tamquam ligna fructifera in horto sponsi, & in paradiso Dei, de quorum bonis actibus, ac moribus quot sumis exempla, tot carpis poma. An forte quis ambigat Dei esse plantationem bonum hominem? audi Dauid de viro bono, quid canat Psalmo 1. Erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. & Psalmo 91. Iustus vt palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur: & de seipso Psalmo 51. ait: Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei*: hæc Bernardus.

II. VT tamen vmbras relinquamus, & typos, certe ex Abraham fructum carpere licet fidei, iuxta illud GENESIS: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*: fructum quoque obedientię singularis, quippe qui, vt obediret Deo filium voluit immolare. Ex Dauide, mansuetudinis fructum, iuxta illud PSALMI: *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius*: Semei enim iniurias, Saulis insectationem, Absalonis persecutionem mitissime tulit. Fructum quoque pœnitentiæ; vbi enim Nathanis voce peccatum agnouit, protinus ingemuit: *Peccaui*. Diuus AMBROS. in sua Apologia: *Ille Rex tantus, ac potens, prematura confessione, atq; immenso dolore reddidit peccatum suum Domino: quem mihi nunc facile reperias honoratum, ac diuitem, qui si arguatur alicuius culpæ reus, non moleste ferat? at ille regio clarus imperio, cum corriperetur, non indignatus infremuit, sed confessus ingemuit*. hæc ille. Collige quoque ex hac pulcherrima arbore Dauidica fructum alium, vt, sicut ille, operam des, vt secundum cor Dei sis: *Inueni*, inquit Deus, *Dauid filium Iesse, virum secundum cor meū, qui faciet omnes voluntates meas*: fœlix, qui cor habet secundum cor Dei, cor obediens, cor flexibile in diuinam voluntatem, ad recipiendam quamlibet figurā molle, ac tractabile, huiusmodi enim corde gaudet Deus. Vnde D. IRENÆVS dixit: *Præsta Deo cor tuum molle, & tractabile, & custodi figuram, qua te figurauit artifex, habens in temetipso humorem, ne induratus amittas vestigia digitorum eius*. Collige ex Iacob in custodiendo grege suo vigilantiam, iuxta illud GENES. *Die noctuq; æstu vrebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis*. Percurre arbores reliquas, fructusque excerpe similes, quia si de singulis dicendum esset, in immensum abiret oratio.

III. NEC deest in hoc paradiso decantata illa arbor scientiæ boni & mali, cuius fructus omnibus interdicitur. Salomonem habes, quem propter eximiam boni malique scientiam congrue scientiæ boni & mali arborem licet appellare; huius fructus est vetitus. Etenim, vt Scriptura docet: *deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos*. Vides, quem fructum hæc arbor protulerit? vetitus est, noli decerpere: fœminarum fuge longe consortium, harum enim id est proprium, cor deprauare. Hinc DANIEL ad impium iudicem dixit: *Species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum*; fœminę species, hoc est, pulchritudo decipit hominem, & concupiscentiam excitat, excitata concupiscentia deprauat cor, cor deprauatum hominem subuertit. Nonne Israelitarum cor per mulieres deprauatum est, cum per solitudinem iter facerent? *Fornicatus est populus cum filiabus Moab*, vt habetur lib. NVMERORVM, *quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua; at illi comederunt, & adorauerunt Deos earum*. Vide, quam fuerit horum hominum cor vsque ad simulacrorum adorationē per mulieres depraua-

Gen 15. Psal.131. 2.Reg.12. Psal.50. D. Ambr. in Apolog. c.2. Act.13. D. Iren. lib.4 c.96. Gen.31. Gen.2. 3 Reg.11. Dan.13. Num.25. Fugiendū fœminarū consortiū

prauatum: ECCLES.19. *Vinum, & mulieres apostatare faciunt sapientes.* Et si sapiens tibi videaris, fœminas fuge, atris nubibus mentem, ni fugias, obcæcabunt. quemadmodum enim terræ halitus in nubes coacti, Solis lumen impediunt, sic concupiscentiæ halitus intellectui lucem eripiunt, quamobrem D. THOM Cæcitatem mentis primam luxuriæ filiam esse docet.

D.Th.2.2. q.153. ar.5.

IV. NOMEN Samson Hebræum multi aiunt significare *Solem eius*: quis huic Soli tenebras offudit? quis Samsoni oculos eruit? nonne, quam amabat, Dalila? illa Philistæis eum tradidit, quem cũ apprehendissent, vt legimus lib IVDIC *statim eruerunt oculos eius.* Dalila Solem, id est, Samsonem obscurauit, illa oculos Samsonis, libido oculos cuiusuis hominis, ni sibi caueat, eruet. hoc auté primum conantur Philistæi, id est, Dęmones, vt Samsonis oculos eruant, id est, hominem diuina luce priuent, qua expoliatus in scelere cõquiescat, Philisthinorumque molas agat. Arboris ergo scientiæ boni & mali, id est, Salomonis fructum huiusmodi noli attingere: *Fœmina* (ait HIERON.) *nomen tuum nouerint, vultum tuum nesciant.* Et ad Nepotianum: *Nec sub eodem tecto cum muliere manseris, nec in præterita castitate confidas.* Appellasse fertur Philosophus quidam mulierem: *viri continentis naufragiũ:* & merito quidem: multi enim viri hoc naufragio misere perierunt. Fuge ergo hos scopulos, fuge hanc Scyllam, fuge hanc Charybdin, fuge hoc venenum. vt enim ait CHRYSOST. *Pulchra mulier castitate carens est venenum stolidis præparatum*: tanto autem peius est venenum hoc reliquis, quando facilius celeriusque hauritur, oculis enim duntaxat sæpe trahitur instar reguli veneni.

Iudic.16. *D. Hier. ad Rusticum.* *D. Hier. ad Nepotian.* *D. Chrys. Psal.50.*

V. ALIVM præterea fructum ex his arboribus excerpere licet, videlicet timorem, humanæ valde necessariũ saluti. Animo tuo quæso volue, quibus suppliciis Deus parentem suum Dauidem, quibus Salomonem, quibus denique totum Iudæorum populum in transmigratione Babylonis ob crimina commissa affecerit, atque inde intellige, si peccatum perpetraueris, te non impune laturum. Hoc PAVLVS ad ROM. suadet illis verbis: *Noli altum sapere, sed time: si enim Deus naturalibus ramis non pepercit ne forte nec tibi parcat.* vnde consilium illud IOBIANVM nobis capescere licet: *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui:* veluti fluctus tumentes Dei iram timeamus semper, quæ Israeliticum populum veluti fluctus oppressit. Certe, qui fluctus tumentes timet, mutata nauigatione in tutum se recipit locum, vt effugiat periculum: sic, qui Deum timet, antiqua mutata licentiosa consuetudine in meliorẽ se recipit frugẽ, vt eius iram euadat; qui fluctus timet, nauis abiicit onera, sentinamque exhaurit; qui Deum timet, pondera propulsat peccatorum fœdissimamque scelerum sentinam abiicit. nisi venti spirent, maris fluctus non tumescunt: nisi peccata perpetrentur, ira Dei non commouetur: ventis fluctus inflantur, peccatis ira Dei concitatur, cuius pondus merito, ait IOB ferre se non potuisse: si enim nauis fluctuum pondus ferre non potest, absorptaque mergitur, multo minus homo diuini furoris pondus ferre poterit: quocirca IEREMIAS: *Corripe* (ait) *me Domine, verumtamen in iudicio, & non in furore ad nihilum redigas me.*

Ad Rom.11 *Iob 31.* *Timor Dei* *Iob.31.* *Ierem.10.*

VI. SED iam tandem ad Arborem vitæ, quæ in hoc genealogiæ paradiso extrema est, Virginem sc. Deiparam, veniamus: quæ tametsi per varias ac præstantissimas paradisi voluptatis arbores adumbrata sit, vt per Cypressum, per Libanum, per Platanum, per Palmam, immo & per ipsum lignum vitæ, cum ipsa auctorem vitæ germinarit, vt ait Euangelista: *De qua natus est Iesus*, pulchre tamen, & ad præsens argumentum accommodatissime præfigurari arbitror B. Virginem per arborem suauissimum balsamum producentem: vnde ipsa ait: *quasi balsamum aromatizans odorem dedi:* apta quidem satis similitudo. nam sicut, teste PLINIO, balsamum vni terræ Iudææ concessum fuit, quod & GLOSSA id confirmans dicit: *balsami arbor in Iudæa tantum intra viginti iugera erat:* ita B. Virgo in Iudæa nata in duplici solum ortu inuenitur, in regio scilicet, & sacerdotali, quia ab vtroque hoc genere originem ducit: & sicut fructus huius arboris est omnium saluberrimus ad conseruationem generis humani, vt Commentator DIOSCORIDIS tradit; ita fructus huius generosæ plantæ, de qua natus est Iesus, salutem attulit vniuerso mundo: vnde sicut olim apud Romanos tanti habita fuit hæc arbor, vt postquam de Iudæis gloriosam victoriã tulerunt, hanc arborem in signum victorię per publicas Vrbis vias Imperatores Vespasiani deferri mandarint, vt tradit PLINIVS, ex quo ortum habuit dictum Pompeii Magni: *In triumpho arbores quoque duximus*: merito Catholica Mater Ecclesia (quod plerunque factitat) imaginem sacratissimæ Virginis fidelium humeris impositam per publicas ciuitatis vias defert, vt debitum honorem ei exhibeat, & gratiam rependat pro beneficiis in nos collatis. quod si verum est, quod tradit Auctor libri de naturis rerũ quod balsami genus inuenitur non longe à Babylonia, quod septem fontes irrigant; nec alibi, quam ibi, plantari patitur, egregie id B. Virgini competit, quæ septem donorum Spiritus S. copiosissimis imbribus in ventre matris suæ irrigata orta est: & sicut in balsami arbore nihil insalutiferũ nihil quod suaui odore careat, ita in B. Virgine nihil non sanctum, nihil non odoriferum inuenitur: sancta & odorifera eius conceptio, sanctum, & odoriferum eius natale, sancta eius infantia, sancta pueritia, sanctior iuuentus, sanctissima senectus.

Matth.1. *Eccl.24.* *Gloss. in c. 24 Eccl.* *Diosc.c.28.* *Plin. lib.12 c.5.* *Auctor libri de natur. rer.*

VII. QVOD si fluuium requiras illi similem, de quo GEN. dicitur; *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandũ paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita:* in hac genealogia illum reperies, egressum a loco summæ voluptatis, id est, Christum Dominum: quod si forsitan ambigis, ex quo volu-

Gen.2.

Matth.1. ptatis loco oriatur, id docet Euangelista, dum ait: *virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus*: voluptatis locus omni amœnitate, omniq; oblectatione plenissimus, B. Virgo est, quæ CANT. 8. deliciis affluere dicitur. est etiam infinitæ voluptatis locus, æterni Patris vterus ille, de quo PSAL. 109. scriptum extat: *Ex vtero ante Luciferum genui te*: ex his omnium voluptatum locis fluuius, id est, Christus egreditur, qui deinde diuiditur in quatuor capita, id est, in quatuor Euangelia, quibus totus orbis irrigatur: immo & ante sæcula ipse præuisus omnes suos progenitores irrigauit.

VIII. QVIDQVID enim amœnitatis & fructus in his arboribus est, id totum ex fluuii huius irrigatione est. nam etsi in genealogia extremus est Christus, eius tamen saluberrimus sanguis vt præsentes irrigat, ita & præteritos quoq; homines Abrahamum, Isaacũ, Dauidẽ, cæterosq; ab æterno præcognitos irrigauit. vnde apud ZACH. *Ego ero ei*, id est, Ecclesiæ, ait Dominus, *murus ignis in circuitu, & gloria in medio eorum*. quo loco obseruat MONTAN. verbum Hebræũ, *Chabad*, quod gloriã significat, significare etiam *Iecur*, ex quo ad reliqua mẽbra sanguis transmittitur: itaq; verti potest: *ero iecur in medio eorum*; Christus enim & cordi, & iecori similis est; nam quemadmodum ex iecore per reliqua membra, ita ex Christo in omnes homines sanguis diffunditur: est quidem in genealogia hac Christus omniũ vltimus; at in mẽte, prædestinationeq; diuina fuit omnium primus, quippe qui totius gratiæ fons est, ex quo in omnes homines gratia dimanauit; quamobrẽ à D. PETRO *Præcognitus* dicitur *agnus ante mundi constitutionem, manifestatus autem nouissimis temporibus*: quam etiam ob causam dici potest APOC. 1. *primus & nouissimus*, primus in prædestinatione, nouissimus, quia post Legem, Prophetas, & Patriarchas nouissimis temporibus ortus: vnde D. BERN. ait: *Primus Christus, quem Deus in suo populo principaliter intendebat, & nouissimus, scilicet Patriarcha, Rex, & Dux in populo illo*.

Zach. 2. Montan sup. c. 2. Zach. Versio. 1. Pet. 1. Apoc. 1. D. Bern. ser. 61.

IX. QVARE autẽ non primis illis temporibus, sed nouissimis post tot generationes venerit, non vna Patrũ est sententia. HVGO VICTORINVS respondet, id consulto factum esse, quia in aduentu magni Regis oportet ingentem magnatũ copiam præcedere, ac magnam famulorum cateruam eum subsequi: *Verbum incarnatum, Rex noster est, qui in hunc mundum venit cum Diabolo pugnaturus, & omnes sancti, qui ante eius aduentum fuerant, quasi milites sunt ante faciem Regis præcedentes, & qui postea veniunt vsq; ad finem mundi, milites sunt Regem subsequentes: & ipse Rex medius est in exercitu suo stipatus agminibus suis; & licet in hac tanta multitudine diuersæ armorum species in sacramentis & obseruationibus præcedentium & subsequentium populorum appareant, omnes tamen vni regi militare, & vnum vexillum sequi probantur, & hostẽ vnum persequi, & vna victoria coronari* hæc HVGO. D. GREGORIVS NYSSENVS rationem, ait, fuisse, vt aduentu Christi innumera peccatorum agmina extirparentur: *Qui vitiositatis tollendæ causa vitæ humanæ se immixturus erat, necessario exspectauit, donec omne peccatum opere inimici radicibus actis germinasset, atque ita deinde radici securim, vt Euangelium dicit admouit*. His consonant verba THEOPHYLACTI: *Postquam extremis temporibus ingens peccatorum copia erat, merito manifestatus est Christus in consummatione sæculorum, vt demoliretur peccatum*; itaque volunt hi Patres, expectandum fuisse scelerum incrementum, vt vbi abundauit delictum, abundaret & gratia Saluatoris, vt dixit Apostolus: vnde sicut fabricatio arcæ, in qua genus humanum saluandum erat, dilata fuit vsq; ad tempus oportunum, quando ea magis opus erat, propter exuberantem diluuii inundationem, ita fabricatio mysticæ arcæ humanitatis Christi Domini dilata fuit vsque ad tempus, in quo peccata vniuersum orbem inundauerãt. D. AVG aliam rationem adducit: *quia oportebat per multam seriem temporum & annorum prædici Christum, tanquam stupendum diuinæ gratiæ venturum portentum; & quia, vt ipse ait, quanto maior iudex veniebat, tanto præconum longior series præcedere debebat*. D. LEO aliam egregiam adhibuit rationem, in hæc verba: *Sapientia, & benignitas Dei hac salutiferi operis mora capaciores nos suæ vocationis effecit, vt quod multis signis, vocibus, multisq; mysteriis per tot fuerat sæcula prænunciatum, in his diebus Euangelii non esset ambiguum; & natiuitas, quæ omnia miracula, omnemq; intelligẽtiã erat excessura mensurã, tanto constantiorem in nobis gigneret fidem, quanto prædicatio eius & antiquior præcessisset & crebrior*. hæc ille. THEODORETVS hanc reddit rationem, quod sicut ad sacram Theologiam præcedere debet Philosophia, ita oportuit prius mundum ab Ethnicis Philosophia imbui, quã summus Doctor & Archimagister Christus ad suam cœlestem ac theologicam doctrinam tradendam accederet: *Cum Dei*, inquit, *cognitionem Lex docuisset, veluti ad quendam doctum doctorem ac magistrum duxit nos, vt perfectas disciplinas ab eo discamus, & iustitiam, quæ est per fidem, acquiramus*.

Hugo Vict. l. 1 de sacr. cap 2. D. Greg. Nyss. orat. de nat. Christi. Theoph. sup. c. 9. ep. ad Hebr. Ad Rom. 5. Gen. 6. D. August. tract. 31. in Ioan. Leo ser. 3. de natiuit. Theodoret. in cap. 1. Matth.

X. SED & nos duplicem aliam subiungamus rationem: prima, quia oportebat terram prius coli, quam granum illud frumenti, Christum Dominum intelligo, ei cõmitteretur, vt illo mortuo seges surgeret copiosa, & admirabilis. Secunda ex D. BERN. qui ait: *Propterea tanto tempore humano generi fluenta gratiæ defuerunt, quod necdum intercederet is, de quo loquimur, tam desiderabilis aquæ ductus*. Similia habet D. ANSEL. dum ait: *Multa sæcula, & damnationis immanitas super omnes filios hominum semper est in deterius roborata. Nec enim Dei sapientia vllam in massa creationis humanæ viam inuenit, per quam, vt dispofuerat, in mundum veniens, tam luctuosæ perditioni subueniret, donec ad Virginem ventum esset*.

D. Ber. ser. de nat. Vir. D. Ansel. l. de excell. Virg. c. 9.

XI. CETERVM iam aliam mysticam RVPERTI intelligentiã huius genealogiæ Virginis adiũgamus, & illustremus: ille in cap. 1. MATTHÆI docet, per mirabilem illam scalam, quam vidit Iacob, dum Meso-

Rupert. hom. 1. in c. 1 Matt.

Mesopotamiam Syriæ proficisceretur, altero ex-
Gen.28. tremo cœlum, altero terram tangentem, egregie
adumbrari hanc Virginis genealogiam: gradus
huius scalæ, progenitores fuerunt B. Virginis: ex-
tremum eius terram tangens, Dauidem esse legi-
Matth.1. mus, qui est in capite: *Liber generationis Iesu Christi*
filii Dauid; extremum vero, quod cœlum tangebat,
1.Cor.5. Christus Dominus est, vt dixit D. PAVLVS: *Primus ho-*
mo de terra terrenus, secũdus de cœlo cœlestis. hæc scala
firmiter hærebat super terram, vt figuraret firmam
& stabilem esse promissionem factam Abrahæ &
Dauidi de descensu à cœlo in mundum per hanc
scalam; in eo tamen maxime differt scala illa ab
Gen.28. ista, quod in cacumine illius aderat Deus: *cuius ca-*
cumen cœlum tangebat, vt ait sacer textus, & Domi-
nus innixus scalæ; in hac vero genealogiæ mystica
Matth.1. scala videmus Deum non in vertice solum: *Liber*
Ibid. *generationis Iesu Christi*, sed in fine etiam illius; *de*
qua natus est Iesus. Cuius discriminis eam rationem
exhiberi posse arbitror, quod tunc Deus significa-
re voluit amico suo Iacob superastra in cacumine
cœli empyrei suam curiam habere, & ideo solum
in vertice scalę apparuit; quia tamen, cum Verbum
caro factum est, cœlestis curia etiam in terra ade-
Apoc.21. rat, vt testatur IOAN. *Vidi Ciuitatem Ierusalem de-*
scendentem de cœlo: ideo ad id prænotandum Deus
adest, non solum in principio huius mysticæ scalæ,
sed & in fine, & in vltimo eius gradu, nempe in
Maria, *de qua natus est Iesus*.

XII. PORRO mysticam aliam eiusdem genealo-
giæ expositionem silentio non prætereibo, vtpote
quam ad mores componendos non parum pro-
futuram existimẽ. Certe quoties hãc genealogiam
contemplor, ad viuum mihi repræsentari video
multiplicem mundi huius miseriam, ac bonorum
omnium temporalium mutabilitatem & incon-
stantiam: si enim in mundo reperiuntur permixti
D. Aug. in boni cum malis, de quibus D. AVGVSTINVS dixit:
Psal.84. *Omnis malus aut ideo viuit, vt corrigatur; aut ideo vi-*
uit, vt per illum bonus exerceatur; sic in hac genealo-
gia iustos cum iniustis, nocentes cum innocenti-
bus permixtos intuemur: si in hoc sæculo instabi-
Iob.14. litas illa viget, de qua IOB: *nunquam in eodem statu*
permanet; eandem in hac genealogia reperio, cum
baculus humilis pastoris Dauid in regale sceptrũ
conuersus, & hoc rursus in serram Ioseph fabri li-
gnarii commutatum videamus. Vnde insignis ille
Petrarcha PETRARCHA, quod & PLATO prius dixerat, ait, o-
in Prolog. mnes Reges ex seruis ortos, & omnes seruos ex Re-
libri. gibus natos, nullumq; vmquam Regem extitisse
ligonis expertem, nec econuerso ligonem, ad quẽ
non aliquando sceptrum regni pertinuerit.

XIII. HINC mundus recte assimilatur statuæ per
Dan.2. Regẽ Nabuchodon. in somnis cõspectæ instar co-
lossi, ex ære, quæ exterius quidem nominis alicu-
ius speciem præferebat, interius vero saxis, trabi-
bus, telis quoque aranearum ac ruderibus plena
erat: illa statua habebat caput aureum, pectus ar-
gentum, pedes deniq; luteos, siue fictiles, id est, fi-
nem illorum sine honore, quia mũdus totus vana
est hæc colossi figura, quæ præterit, vnde non im-
merito genealogiam hanc, sicut & mundum Lunæ
persimilem esse dixerim, ob multiplicem eius mu-
tationem: est in nouilunio parua, paulatim vsq; ad
plenilunium augetur, deinde minuitur, ac dispa-
ret: Rursus oritur, rursus ad plenilunium peruenit,
rursus deniquefugit aspectum: similem in modum
antiqua illa prosapia, vt Luna in Abrahamo, Isaac Cõfertur
& Iacob exorta parua fuit, paulatim in Ægypto & Synagoga
Palæstina vsque ad plenilunium, id est, vsque ad cum Luna
regnum, & vsque ad Dauidem & Salomonem cre- mutabili.
uit, fuit enim plenilunium illud Dauidis & Salo
monis tempore, in quo ad summum peruenit splẽ-
dorem. Post hoc plenilunium cœpit amittere lu-
men, ac decrescere: diuisum est regnũ in idolola-
triam populus prolapsus est, decem Tribus in ca-
ptiuitatem abductę: deniq; tandem in transmigra-
tione Babylonica Luna disparuit: quid? peribit o-
mnino? nullo vnquã tempore apparebit? *Post trans-*
migrationem Babylonis, ait MATTHÆVS, *Iechonias* Matth.1.
genuit Salathiel, Salathiel autem genuit Zorobabel:
deinde apparuit Luna, quę disparuerat, rursus cre-
scere cœpit, creuitq; vsq; ad plenilunium, id est, vs-
que ad Christum, tunc enim, *cum venit plenitudo* Gal.4.
temporis, vt loquitur PAVLVS, verũ pleniluniũ fuit.

XIV. TANDEM (vt paucis multa comprehendã)
& ad id, vnde tãtillum digressi sumus, reuertamur:
si Apostolus IOAN. omnia, quæ sunt in mundo, ad
tria capita reuocauit, dicens: *Omne, quod est in* Epist.1.c.2.
mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia
oculorum, & superbia vitæ: sane singula hæc perspi-
cue satis omnium oculis obiiciuntur, si singulos
contentos in hac genealogia parumper contem-
plemur. *In Thamare, & aliis meretricibus* concupi-
scentiam carnis videbis: *in Salomone* oculorum
cõcupiscentiã intueberis, ipso id attestante: *omnia,* Eccl.2.
quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis: Super-
biam vitæ quis diffitebitur viguisse in Dauide, ex
mentis elatione numerante copiosam multitudi-
nem populi sui: & in Roboam, qui cum Salomonẽ 2.Reg.24.
habuisset Patrem Regem, alioquin sapientissimũ, 3.Reg.11.
& potentissimum, ipse arroganter putans poten-
tiorem se illo esse, dixit: *Minimus digitus meus gros-*
sior est dorso patris mei. Est igitur hæc genealogia spe-
culum quoddam vitæ humanæ, quo tam aduersa,
quam prospera fortuna, opulentia & inopia, glo-
ria & ignominia, sceptrum & ligo, peccatum &
gratia, ac bonorum omnium temporalium insta-
bilitas ad amussim repręsentantur.

XV. APTE etiam econtra videtur mihi compa-
rari posse genealogiam hanc aureæ catenæ, cuius
annuli sunt Patriarchæ, Reges, fortissimi duces, &
ex qua pẽdet agnus ille Dei, Christus IESVS. Quẽ-
admodum item longa elementorum & orbium
cœlestium series empyreo cœlo, in quo Deus inha-
bitat, terminatur: sic longa hæc progenitorum se-
ries, quorũ alii, nempe peccatores, corruptibilibus
elementis, alii vero sanctissimi viri incorruptibili-

 bus

bus cœlis similes sunt, Virgine velut empyreo definitur, in quo Deus semper inhabitauit. Et quemadmodum, cum augustissimum Eucharistiæ sacramentum celebri defertur pompa, prius virorum præcedit multitudo, postea extremo loco, auro, gemmisque exornato ferculo, singulari veneratione Christus Dominus sub tegumento accidentium panis inuolutus defertur: ad eundem modum celebri veluti pompa Christus Dominus in hac genealogia exhibetur: longo enim ordine Reges, Patriarchæ, ac alii eius progenitores præcedunt, ad extremum tandem Dei filius sub tegumento humanitatis delitescens, aureo in ferculo beatissimæ Virginis omnium virtutum gemmis fulgentissimo producitur, *de qua natus est* IESVS, *qui vocatur* CHRISTVS. Cant.3. Vt enim Rex *Salomon ferculum sibi fecit de lignis Libani*; ita, velut Salomon, CHRISTVS ferculum sibi confecit, Virginem scilicet (quam propterea Deiferam vocarim) ex lignis Libani, id est, ex Regibus, & Patriarchis, Virginis progenitoribus, vt in ipso gestaretur, vt reipsa à Virgine gestatus fuit per nouem menses in vtero, in brachiis frequentissime per plures annos infantiæ & pueritiæ, in corde vero, & animo per totum vitæ curriculum.

XVI. TANDEM vt lepore illo linguæ Hispanicæ dicam, quod Latino sermone non ita lepide verti potest: *Es el libro de esta genealogia vn iuego de aiedrez à lo diuino entablado muy en fauor nuestro, pues en el, la Dama, que es la Virgen guardada, y amparada del Rey soberano, dio mate al Demonio, como Dios selo hauia pronosticado:* Gen.3. Ipsa conteret caput tuum: *que como es destreza grande de vn iugador de aiedrez mostrar desde el principio del iuego la pieza, con que ha de dar mate en casa sennalada: assi Dios mostrò su grande sabiduria sennalando desde el principio del mundo à la sacratissima Virgen, como pieza con quiem hauia de dar iaque, y mate al Demonio, dessent ablandole el iuego y alcanzandole de quenta en todas sus tretas.* atque ad hunc mysticum ludum non inepte adaptantur verba Salomonis in persona æternæ sapientiæ, dicentis. Eccl.24. *Cum eo eram cuncta componens, ludens in orbe terrarum.*

XVII. TANDEM eandem Christi genealogiam contemplanti mihi videtur plane Deus cum gente Hebræa perinde se gessisse, ac cum adultera prægnante: nam sicut hic à punitione se abstinet, illamque in multa patientia sustinet, quousque appropinquante tempore partus fœtum incolumem emittat, illo vero iam emisso mox adulterii pœnam luit: non secus cum Hebræa synagoga quasi prægnans esset, virtute continens Mariam & Christum ab illa oriundos, non tamen considerans Deum illam in sponsam accepisse, iuxta illud: Osee 2. *Sponsabo te mihi in fide*: tot aduersus illum patrauit adulteria, tot idololatriæ crimina commisit; tot grauissimis sceleribus se conspurcauit, vt de illa grauiter conquerens, diceret: Ibid. *Auferat fornicationes suas à facie sua, & adulteria sua de medio vberum suorum, ne forte expoliem eam nudam, & statuam eam secundum diem natiuitatis suæ, & ponam eam quasi solitudinem:* Deus tamen sustinuit eam in multa patientia, quoadusque in lucem edidit Christum Dominum; illo vero iam orto continuo cœpit illam debito supplicio mulctare, in varias Tetrarchias mysticum eius corpus trucidans, vt refert Diuus LVCAS. Luc.3. Quod si verum est, quod non infimi nominis doctores affirmant, Deum optimum maximum, ea propter Tribum Beniamin penitus non extinxisse, licet alioquin ob ingentia eius scelera condigne id meruisset, quia prænouerat Diuum Paulum ex ea Tribu oriundum; facile inde à simili mihi persuadeo, populum Israeliticum toties idola colentem, & à Deo suo recedentem non fuisse penitus ab eo exstinctum, quia ex illo oriundam prænouerat Mariam inuiolatam Virginem, futuram filii sui genitricem, ex cuius purissimo sanguine verbum diuinum passibilem carnem sumpturum erat, vt genus humanum à Satanica seruitute liberaret, & ad filiorum Dei libertatem transferret: cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA XII.

Alia allegorica, & mystica intelligentia totius genealogiæ Deiparæ Mariæ, & interpretatio Nominum, quæ in illa referuntur, pulchre describitur, in illa verba: Liber generationis Iesu Christi, filii Dauid, filii Abraham. Matth.1.

I. N exordio expositionis cuiuscumque libri tria præcipue quærenda esse reor: Tempus locum, & personam: Locum quidem compositionis huius libri Iudæam fuisse, nemo diffitetur, vbi Hebraico idiomate scriptum constat: Tempus fuit Caii Imperatoris, qui singularem monarchiam vniuersi orbis Romæ tenebat: Auctor MATTHÆVS diuino spiritu afflatus, qui *Leuita* genere, & Sacerdos extitit dignitate; cuius nomen interpretatum in nostra lingua, *Donatus* dicitur; digno vaticinio sic vocatus, quia telonii negociis immersus, ab illis se auocans, Christo se donauit, & à Christo Ecclesiæ Catholicæ donatus ipse fuit, vt pulchram Verbi incarnati historiam contexeret, fuit autem ante multa sæcula ostensus à Prophetis sub effigie hominis quia gesta, quæ Dominus noster in carne iuxta humanã carnem gessit, Ezech.1. narraturus erat: MARCVS in specie leonis apparuit, quia Euangelium ab actu leonis inchoauit, cui proprium est in deserto rugire, dixit enim: *Vox clamantis in deserto*; LVCAS sub facie iuuenci similatus Luc.1. apparuit, quia ab eo cœpit, qui vitulos frequentius offerre solitus erat, videlicet à Zacharia Sacerdote; Io-

te : IOANNES vero more aquilæ volantis, illum, qui super astra sedet, verbo petiit, inquiens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Ioan I.

II. REQVIRENDVM vero, quare, cum multa Euangelia ordinata fuisse legamus in nomine duodecim Apostolorum, & etiam aliorum doctorum, sicut LVCAS refert, nullum illorum placuerit Deo legi, vel suscipi in Ecclesia sua, nisi hæc quatuor, neq; plus, neq; minus? Etenim hæc quatuor Euangelia velut quatuor elementa mundi à Deo ordinata sint, & ante multa sæcula ostensa à Prophetis: appellata auté ab EZECHIELE sunt *animalia*, quoniam propter animam hominis Euangelium prænciatur: vel propter conuertendos peccatores, qui instar animalium rationis expertium vitam agunt: idcirco vero plena oculis ante & retro, intus & foris à Prophetis prædicata sunt, quia & præsentia Domini gesta, & futura de iudicio venturo narrauere: Crura dicuntur recta habere, quia nihil à veritatis tramite deflectens in Euangeliis inuenitur: *quasi sit rota in medio rotæ*: quia quicquid Euangelium annunciat in V. Testamento prædictum fuit, & ambo, velut concordes rotæ Christi doctrinam per vniuersum orbem vehunt. quod dicit: *Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur*; ostendit, nihil aliud Euangelistas narrasse, nisi quæ spiritus S. in cordibus eorum profudit. Figuræ istorum animalium etiam Domino conueniunt, qui homo factus est nascendo, vitulus moriendo, leo resurgendo & aquila extitit ascendendo. Luc.I. in initio. Ezech.I. Ibid.

III. QVIA ergo sic ordinata à Deo, & ostensa sunt ista quatuor Euangelia longo ante tempore, ideo respuit Ecclesia Catholica aliorum pseudodoctorum deliramenta; & suscepit hæc quatuor in similitudinem quatuor fluminum, quæ profluunt de vno fonte ex paradiso, per quorum alterum, quod *Gehon* dicitur, & interpretatur, *terrenus*, significatur MATTHÆVS, qui terrena acta de Christo narrauit. Per *Tygrim*, qui *velocitas* interpretatur, MARCVS designatur, qui cursim acta Domini exposuit: per *Euphratem*, qui *fertilitas* interpretatur, LVCAS designatur, qui vberius & latius Domini gesta decurrit: per *Phison*, qui *inflatio* potest dici, significatur IOANNES, qui excellentius afflatus Spiritu S. de Domini dignitate attigit. & sicut illa quatuor flumina paradisum irrigabant, sic & ista quatuor Euangelicæ doctrinæ flumina totam irrigant Ecclesiam. Matth.9.

IV. NON pauca Sacramenta in sacra Scriptura inueniuntur, quæ hunc numerum sacratum reddunt: quatuor sunt eleméta, per quæ mundus subsistit: Cœlum, Terra, Ignis, & Aqua: per aquam MARCVS, qui dixit: *Vox clamantis in deserto*: per terram MATTHÆVS: qui dixit: *Liber generationis*: per ignem LVCAS, qui ait: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis*: per cœlum IOANNES, qui transit omnes creaturas, dicens: *In principio erat Verbum.* Homo ex quatuor elementis cõstat superius comprehensis: Adam ex quatuor literis compositum nomen habet, quæ præcipua sunt in quatuor climatibus mundi: In Græca lingua, *A*, id est, *alpha*. ἀνατέλλων, *Oriens*. *d*. *delta*, δύσις, id est, *Occidens*. Item, *a*. ἄρκτος, id est, *Septemtrio*; *m*, μεσημβρία. id est, *Meridies*. Arca testamenti quatuor circulis aureis portabatur, & per vectes quatuor auro coopertos, quatuor Euangelia significantur. Arca, Ecclesiam, vectes Doctores: sicut circundati erant annulis, ita Sacerdotes de veteri & nouo Testamento docti, & de quatuor Euangeliis, defendunt Ecclesiam ab hæresibus. Vas linteum, quod vidit PETRVS, significat Ecclesiam, quatuor lineæ, per quas dimittebatur, quatuor Euangelia significant; munda & immunda animalia habebat, quia Ecclesia de omnibus gentibus colligitur. Marc.I. Matth.I. Luc.24. Ioan I. Act.10.

V. SED age iam mysticam intelligentiam totius huius genealogiæ tradere ab ipsa nominum interpretatione exordiamur. Ne autem cuipiam id inutile videatur, recolat quæso verba illa D. CHRYSOSTOMI in eos, qui studia nominum, & genealogiarum fastidiebant, sic enim ait: *Sunt homines quidam opifices, qui postea quam sacros libros in manus sumpserint, deinde repererint, vel annorum numerum positum, vel nominum recensitionem, illico prætercurrunt, & incusantibus respondent, nomina tantum sunt, nec quicquam habent vtilitatis, quid ais? Deus loquitur, & tu audes dicere: nullam esse dictorum vtilitatem?* Hæc Diuus Chrysostomus. Abraham ergo, *pater multarum gentium*, Isaac, *gaudium*, Iacob, *supplantator*; Iudas, *confessio* interpretatur: Phares, *diuisio*; Zara, *oriens*; Esron, *sagittam videns*; Thamar, *palma* dicitur; Aram, *electus*; Aminadab, *populus spontaneus*: Naason; *augur fortis*; Salmon, *terribilis* accipitur; Booz, *in ipso fortitudo*; Rahab, *lata*; Obed, *seruiens*; Ruth *festinans*, subauditur; Iesse, *incendium*; Dauid, *manu fortis*, vel *desiderabilis*; Salomon *pacificus*; Vrias, *lux mea Deus*; Bethsabee, *filia iuramenti* subintelligitur; Roboam, *latitudo populi*; Abia. *Pater Dominus*; Asa, *tollens*; Iosaphat, *Dominus iudicauit*, exprimitur: Ioram, *excelsus*; Ozias, *robustus Domini*; Ioathan *perfectus*; Achaz, *apprehendens* dicitur; Ezechias *fortitudo Domini*; Manasses, *obliuiosus*; Amon, *fidelis*; Iosias, *salus Domini* interpretatur; Iechonias, *præparatio Domini*; Salathiel. *petitio mea Deus*; Zorobabel, *iste Magister*; Abiud *pater meus iste*, subauditur, Eliachim, *Dei resurrectio*; Azor, *adiutus*; Sadoch, *iustus*; Achim, *frater meus* subintelligitur; Eliud, *Deus meus*; Eleazar *Deus adiutor*; Mathan, *donum*; Iacob, *supplantator* exprimitur; Ioseph, *appositus*, siue *auctus*; Maria, *illuminatrix*, siue *stella maris*; Iesus, *Saluator*; Christus, *vnctus* interpretatur. D. Chrys. hom.2 de ver. Isai. tom.2.

VI. IGITVR per hos Patriarchas Christus Dominus noster veniés in mundũ horũ omniũ in seipso allegorice gessit officiũ, & in eorũ interpretatione nominũ nostrã salutẽ designauit. In Abrahã: Pater est cunctorũ credentiũ, in quo iuxta Apostolũ clamam[9]: *Abba, Pater*; in Isaac, gaudiũ est omniũ fidelium, Ad Rom. 8

Luc.2. lium, de quo Angeius dixit: *Ecce annuncio vobis*
gaudium magnum, quod erit omni populo: In Iacob,
ſupplantator eſt, quia ipſe ſubneruauit & cont iuit
Diabolum vaſtatorem humani generis, & vaſa eius
diripuit: In Iuda, confeſſio, quia ipſe dixit: *Confiteor*
Matth.11. *tibi Pater, Domine cœli & terræ*: in Phares, diuiſio,
quia ſegregat oues ab hœdis, id eſt bonos à malis,
electos à reprobis: in Zara, oriens, ſicut ſcriptũ eſt:
Luc.1. *Viſitauit nos oriens ex alto*; In Thamar, palma victo-
Ioan.1. riæ, ſicut ipſe dixit: *Confidite: ego vici mundum*: in
Iſa.54. Aram, electus, de quo Pater loquitur: *Ecce puer me-*
us, quem elegi, electus meus, dedi ſuper eum ſpiritum
meum: In Aminadab, populus ſpontaneus, qui ſpõ-
te poſuit animam ſuam, vt nos efficeret populum
ſibi ſpontaneum, Deoq; acceptabilem: in Naaſon,
Matth.25. augur, id eſt, Propheta fortis, cum dicit: *Cum vene-*
rit filius hominis in maieſtate ſua, tunc ſedebit, vt iu-
dicet orbem terræ in æquitate: in Salmone, ſenſi-
Luc.11. bilis, id eſt, intellectualis, de quo ſcriptum eſt: *Ipſe*
Pſal.93. *autem, vt vidit cogitationes eorum*: & iterum: *Do-*
Pſal.5. *minus nouit cogitationes hominum*: &, *ſcrutans corda*
& renes Deus: in Booz, fortitudo in ipſo eſt, quia à
nemine fortitudinem accepit, de quo dictum eſt:
Pſal.23. *Dominus fortis, & potens, & Dominus potens in prælio*:
Ioan.12. & ipſe in Euangelio ait: *Omnia trahã ad me ipſum*:
in Rahab, latitudo potentiæ eius exprimitur, *quẽ*
Luc.1. *totus non capit orbis, cuius regni non erit finis*: in O-
Matth.20. bed, ſeruiens, quia *non venit miniſtrari, ſed miniſtra-*
re, formam ſerui accipiens: in Ruth, feſtinans ad ſa-
lutem noſtram, qui feſtinantes vult omnes ſaluos
fieri, & ad agnitionem veritatis venire, dicens in
Philip.2. Euangelio: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim*
Matt.4. *regnum cœlorum*; in Ieſſe, incendium agnoſcitur;
Luc.12. ipſe autem dixit: *Ignem veni mittere in terram, &*
Matt.3. *quid volo, niſi vt ardeat*; ſicut IOANNES edixerat: *Ipſe*
vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igne. in Dauid, de-
Pſal.44. ſiderabilis, quia *ſpecioſus erat forma præ filiis homi-*
num in eodem, manu fortis, quando flagellum de
funiculis in manu tenens, immenſam vendentium
Ioan.2. & ementium multitudinem eiecit de templo. vel
Matth.4. quando Diabolum vicit, & calumniatorem no-
ſtrum contriuit: in Salomone, pacificus, ſicut ipſe
Ioan.14. dixit: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*: &
Epheſ.2. Apoſtolus; *Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraq; vnum*;
in Bethſabee, filius iuramenti, de quo dictum eſt:
Pſal.102. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es Sacer-*
Matth.8. *dos in æternum*; in Roboam, latitudo populi eſt, cũ
dicit: *Multi ab Oriente & Occidente venient, & re-*
cumbent cum Abrahã, Iſaac, & Iacob, in regno cœlo-
Matth.13. *rum*: in Abia, Pater Dominus, qui ait; *Nolite vobis*
patrem vocare in terra, vnus eſt enim Pater veſter, qui
Ioan 1. *in cœlis eſt*; in Aſa, tollens, de quo IOANNES: *Ecce*
Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; In Ioſaphat,
Iudex, quia *ipſe eſt iudex viuorum & mortuorum*. ſic-
Ioan.5. ut ipſe ait: *Pater non iudicat quemquam, ſed omne iu-*
dicium dedit filio. in Ioram excelſus, quia ipſe a-
ſcendit ſuper omnes cœlos, vt adimpleret omnia:
Pſal.112. & PSALTES dicit: *Excelſus ſuper omnes gentes Domi-*
nus, & ſuper cœlos gloria eius; in Ozia, robuſtus

Domini, quia ipſe captiuitatem humani generis
in manu robuſta liberauit, & in alta cœlorum de-
duxit: in Ioatham, perfectus, ſicut in Euangelio
ait: *Nos enim decet implere omnem iuſtitiam*; in A- Matth.3.
chaz, apprehendens, *qui cœlum palmo ponderauit,* Iſa.40.
& terram pugillo concludit; in Ezechia, fortitudo
Domini, quia iuxta Apoſtolum, Chriſtus *eſt Dei* 1.Cor.1.
virtus, & Dei ſapientia; in Manaſſe, obliuioſus
iniquitatis, ſicut ſcriptum eſt: *In quacunque die* Ezech.18.
conuerſus fuerit peccator ab iniquitate ſua, omnium
iniquitatum eius non recordabor; in Amon, fidelis,
iuxta Diuum PAVLVM: *vt miſericors fieret: & fide-* Heb.2.
lis Pontifex ad Deum; & iuxta IOANNEM: *qui eſt fi-* Apoc.1.
delis; in Ioſia, ſalus Domini, quia *Omnis, quicun-* Act.2.
que inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit; In Ie-
conia, præparatio Domini, qui ait: *Si abiero, &* Ioan.14.
præparauero vobis locum; in Salathiel, *petitio mea*
Deus, ait enim: *Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo:* Ioan.17.
quos dediſti mihi; in Zorobabel, magiſter peccato-
rum, & publicanorum, vt eos ab errore viæ ſuæ re-
uocaret; & ſicut ipſe ait: *Nec vocemini magiſtri, quia* Matth.23.
magiſter veſter vnus eſt Chriſtus; in Abiud, Pater
meus, quia ipſe eſt pater omnium credentium; in
Eliachim, Domini reſurrectio, ait enim: *Ego ſum* Ioan.11.
reſurrectio, & vita, qui credit in me, non morietur in
æternum; *ſed ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die*: in
Azor, adiutus, vt ait: *Qui me miſit, mecum eſt, & non* Ioan.8.
reliquit me ſolum; & iterum: *Opera, quæ ego facio, à* Ioan.14.
me ipſo non facio; ſed Pater, qui mecũ eſt, ipſe facit ope-
ra; in Sadoch, iuſtus, ſicut ſcriptum eſt; *Vt ſit ipſe iu-* Rom.3.
ſtus, iuſtificans eos, qui ex fide Abrahæ ſunt; in A-
chim, frater meus, vt ait: *Si quis fecerit voluntatem* Matth.12.
Patris mei, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt; in
Eliud, Deus meus, quia ipſe eſt Deus, ex ſubſtan- D. Athan.
tia Patris ante ſæcula genitus; qui in patibulo cru- in Symb.
cis dixit: *Eli, Eli*, hoc eſt, *Deus meus, Deus meus*; in Matth.27.
Eleazar, Deus adiutor, *quia ipſe adiutor in opportu-*
nitatibus, in tribulatione, & protector omnium ſpe- Pſal.9.
rantium in ſe; in Mathan, donum, quia *ipſe aſcen-* Pſal.17.
dens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit do- Eph.4.
na hominibus; & quia per ipſum Pater Deus omnia
dona donauit; in Iacob, vt ſupra diximus, ſupplan-
tator eſt hoſtis antiqui, qui fidelibus dedit pote-
ſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & Luc.10.
ſuper omnem virtutem inimici; in Ioſeph, auctus,
cui dedit Pater gentes *in hæreditatem ſuam, & in* Pſal.2.
poſſeſſionem ſuam terminos terræ: vel augmentum vi-
tę æternæ eſt, ſicut ipſe dixit: *Ego veni, vt vitam ha-* Ioan.10.
beant & abundantius habeant; in ſancta & perpetua
Virgine Maria, ſtella maris ipſe eſt, id eſt, lux mun-
di; ſicut ipſe ait: *Ego ſum lux mundi*; & IOANNES: *E-*
rat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venien- Ioan.8.
tem in hunc mundum; in proprio nomine IESV Sal- Ioan.1.
uatoris, vere ſaluator eſt, Angelo exponente, qui Matth.1.
ait: *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis*
eorum. Idem vero CHRISTVS, id eſt, *vnctus* appella-
tus eſt, quem vnxit Deus in humanitate oleo læ-
titiæ, id eſt, vnctione ſancti Spiritus, in Sacerdo-
tem & Regem ſempiternum, quatenus Chriſtianos Pſal.44.
ex ſuo

ex suo nomine vocatos per id, quod Saluator est
à peccatis saluaret; per id, quod Sacerdos est, Deo
Patri reconciliaret; per id, quod Rex est, in regnum
sempiternum collocaret.

VII. Hæ quoque interpretationes nominum ad
nostram ædificationem multis modis pertinere
noscuntur: sicut enim Christus vbiq; nostræ salutis
gerebat curam, ita & ipsa Patriarcharum nomina
nostrum profectum designare volunt: in Abraham,
vt Patres simus multarum virtutum, & hæreditatis
iure multiplicationem bonorum possideamus: in
Isaac, vt gaudium habeamus in Domino, & non
Luc.10. in hoc mũdo, iuxta hoc, quod ipse dixit: *Gaudete,*
Phil.4. *quod nomina vestra scripta sunt in cœlo,* & iuxta Apo-
stolum: *Gaudete in Domino semper:* in Iacob supplan-
tatores simus vitiorum nostrorũ, & carnale deside-
riũ viuaci pede à Diaboli potestate calcemus: in
Iuda, vt in PSALMO dicitur: *Præueniamus faciem Do-*
Psal 94. *mini in confessi ne,* & cõfiteamur nomini sancto e-
ius: in Phares, vt diuidamus nos ab impiis, & abs-
trahamus ab omni fratre ambulante inquiete, &
non communicemus operibus eius malis: in Zarã,
vt Lucifer verus oriatur in cordibus nostris, &
Sol iustitiæ splẽdeat in nobis vbique, & vt luceat
Matth.5. lux nostra corã hominibus, vt videant opera nostra
bona, & glorificent Patrem nostrum, qui in cœlis
est: in Esron, vt sagittæ simus salutis Domini, vt
Psal.119. de nobis dici possit: *Sagittæ potẽtis acutæ* in Thamar,
vt cum palma victoriæ pompas Diaboli, & con-
cupiscentias mundi superemus propter eum, qui
dilexit nos: in Aram, vt simus genus electũ, regale
Rom.8. sacerdotium, gẽs sancta, populus acquisitionis, &
1.Pet.2. annunciem[9] virtutes ei[9], qui de tenebris nos voca-
uit in admirabile lumen suũ: in Aminadab, vt spon-
taneus Domini populus simus, in ædificationem
Eph.4. corporis Christi: in Naason, vt auguriis gentium
derelictis, diuinis promissis fidem adhibeamus: in
Salomon, vt sensibiles, id est, intellectuales veri-
tatis Dei, & factores inueniamur; quia *non audito-*
Rom.2. *res Legis, sed factores iustificabuntur:* in Booz, vt iuxta
Apostolum confortemur in Domino, & in potentia
virtutis eius, succincti lumbos nostros in virtute,
induti lorica virtutis & iustitiæ, sumentes scu-
tum fidei nostræ, & galeam salutis, & gladium spi-
ritus, quod est verbum Dei: in Rahab, vt latũ man-
Eph.6. datum Domini nimis diligentes, obseruantes,
Dominum Deum ex toto corde, tota anima, to-
Matth.12. ta virtute diligamus, & proximum, sicut nos ipsos
amplectamur: in Obed, vt seruiamus Domino per
spiritum timoris, & dilectione sancta, quatenus ra-
tionabile sit obsequium nostrũ, & acceptabile fiat
Rom.12. sacrificiũ nostrum: in Ruth, vt *festinantes ingredi in*
Gal.6. *illam requiem,* id est, in cœlestem Ierusalem, dum
Heb.13. tempus habemus, operemur bonum ad omnes,
quia nõ habemus hic permanẽtem ciuitatem, sed
futuram inquirimus: in Iesse, vt incensum oratio-
num nostrarum in arca cordis nostri, in spiritu
contribulato, & humiliato, Domino offeramus,
cum PSALMISTA dicentes: *Dirigatur Domine*
oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo: in Dauid, Psal.140.
vt manu forti contra Goliath spiritualem pugnan-
tes, & exhibentes corpora nostra hostiam viuen-
tem sanctam, Deo placentem; desiderabile tem-
plum efficiamur Spiritui Sancto: in Salomone, vt Rom.12.
quantum in nobis est cum omnibus hominibus
pacem habeamus, illud Dominicum intendentes:
Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur: in Beth- Matth.5.
sabee, vt iuramentum omnibus modis custodia-
mus, ne periurio incidamus in laqueum Diaboli:
in Vria, vt lux nostra Deus sit, videlicet, vt eum se- Ioan.12.
quentes, non ambulemus in tenebris mortis, sed
habeamus lumen vitæ: in Roboam, vt longe late-
que per orbem terrarũ populus dispersus vnitatem
Spiritus in vinculo pacis & charitatis habeamus;
vnum Dominum, vnam fidem, vnum baptisma
profiteamur de corpore puro, & conscientia bona, Ep.14.
& fide non ficta: in Abia, vt charitate fraterna in-
uicem diligentes, vnum Patrem habeamus Domi- 2.Tim.1.
num in cœlis, qui nos voluntarie genuit verbo
veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius, Iacob.1.
& benedictionẽ hæreditate possideamus & glorie-
mur in spe gloriæ filiorum Dei: in Asa, vt tollamus
membra nostra de luto & sterquilinio vitiorum,
ne seruiant immunditiæ, & iniquitati ad iniqui-
tatem, sed iustitiæ in sanctificationem; quia non
vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sancti- Rom.6.
ficationem: in Iosaphat, vt recte iudicemus om-
ni personæ, sicut scriptum est: *Recte iudicate filij* Psal.57.
hominum, & quodcunq; volumus, vt faciant nobis Matth.7.
homines, faciamus & illis similiter, scientes, quia
mensura, qua mensi fuerimus, remetietur nobis:
in Ioram, vt excelsi & sublimes effecti, *quæ sursum* Coloss.3.
sunt, quæramus, vbi Christus est in dextera Dei se-
dens; quæ sursum sunt, sapiamus, non quæ super terram, Iacob.1.
quoniam omne datum optimum, & omne donum per-
fectum de sursum est, descendens à Patre luminum: in
Ozia, vt robusti in Domino effecti, *in omnibus per-*
secutionibus & tribulationibus nostris, quas sustine-
mus, exemplum accipiamus laboris, & patientiæ Pro- Iacob.5.
phetas, qui loquuti sunt in nomine Domini Iesu: in
Ioathan, vt perfecti simus: *sicut & Pater noster cœle-* Matth.5.
stis perfectus est: in omnibus nos ipsos exemplum
præbentes, & docentes omnem hominem in om-
ni sapientia, vt exhibeamus omnem hominem per-
fectum: in Achaz, vt apprehendamus disciplinam,
ne quando irascatur Dominus, & pereamus de via Psal.8.
iusta, quæ Christus est, qui dixit: *Ego sum via, veri-* Ioan.14.
tas, & vita: in Ezechia, vt fortes Domini resista-
mus aduersario nostro Diabolo, *qui tanquam Leo* 1.Pet.5.
rugiens circuit, quærens quem deuoret; non in nostra
virtute confidentes, sed Domini fortitudinem
cum PSALTE collaudantes: *Fortitudo mea, & laus* Psal.117.
mea Dominus; & factus est mihi in salutem: in Ma-
nasse, vt obliuiosi simus iniuriarum nostrarum;
& eis, qui contra nos agunt, propter nomen Do-
mini ignoscamus, ne illud maledictum incur-
ramus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos di-* Matth.6.
mittimus debitoribus nostris: in Ammon, vt fideles

Ephe.6. in fide radicati, & fundati, in omnibus sumamus scutum fidei, in quo possimus omnia tela nequissimi ignea extinguere: in Iosia, vt salutem Domini, & animarum semper deposcamus, ne obcœcemur in infidelitate, ne claudicemus in viis mandatorum eius, ne surdi ad audiendum verbum Dei efficiamur: ne moriamur in peccatis, sed vt semper saluemur ab eo, qui saluos facit sperantes in se: in Ieconia, vt præparati simus in aduentu Domini secundo, vigilantes, & orantes, ne intremus in tentationē, sed cum illis intrare ad nuptias mereamur, de quibus ipse dicit: *Beati sunt serui illi, quos, cū venerit Dominus, inuenerit vigilantes*: in Salathiel, quaten⁹ petitio nostra ad Deū semper dirigatur, vt gaudiū nostrū sit plenū, non huius sæculi mœrore permixtum, sed infinita beatitudine sempiternum, & hoc in nomine Saluatoris, vt impetrare possimus, quod petimus: in Zorobabel, vt magistri simus veritatis, prohibentes magisteria, & confusiones hæreticorum, & quæ verbis docemus alios, exemplis commendemus, ne de nobis dicat Deus: *quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum*: in Abiud, vt sit nobis Deus in patrem, & nos illi in filios, habentes spiritum adoptionis, in quo clamamus: *Abba Pater; si autem filii, & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi*: in Eliachim vt resurgamus à tumulis vitiorum ad celsitudinem virtutum, de terrenis ad cœlestia, de morte ad vitam, de Gaza ad Galilæam, id est, de inferno ad æternam transmigrationem, vbi Sancti *ibunt de virtute ad virtutem*, donec videbitur Deus Deorum in Sion: in Azor, vt adiuti diuina gratia, cuncta nobis aduersantia patienter supportemus, & Dominum adiutorem nostrum cum PSALMISTA collaudemus, dicentes: *Dominus adiutor, & protector meus, & in ipso sperauit cor meum, & adiutus sum*: in Sadoch, vt iusti appareamus ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela, vt cum iustis mereamur audire vocem dicentis: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi*: in Ioachim, vt fratres Iesu Christi mereamur appellari, non per cognationem carnis, sed per vnctionem Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde, vt facientes voluntatem ipsius, sobrie, & iuste, & pie viuendo in hoc sæculo, ad patrem suum, & patrem nostrum, ad Deum suum, & Deum nostrum ascendere possimus in futuro: in Eliud, vt nullum habeamus Deum, nisi Dominum IESVM Christum, cui omne genu flectitur, & omnis lingua confiteatur; & vt ipsi soli sacrificium laudis immolemus, & vota nostra reddamus, ipsumque solum adoremus, quem oportet adorari in spiritu & veritate: in Eleazar, vt nullum quæramus adiutorium, nisi Dominum IESVM Christum, qui potens est omnia facere superabundāter, quā petimus, aut intelligimus; & vt, quodcumq; facimus in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini faciamus, dicentes cū Propheta: *Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram*: in Mathan, vt donum supernæ gratiæ, spiritum scilicet sapientiæ, & intellectus, spiritum consilii, & fortitudinis, spiritum scientiæ, & pietatis, spiritumq; timoris Domini retinētes, discretionem habeamus inter bonum & malum, quæ est mater omnium virtutum: in Iacob, vt supplantemus à nobis zizania vitiorum, & plantemus in nobis aromata virtutum, & sicut cinnamomum & balsamum aromatizantes, & quasi myrrha electa odorem demus, & plantati in domo Domini, floreamus in æternum ante Dominum: in Ioseph, vt de die in diem virtuti virtutē, sanctificationem apponentes, merito & numero augeamur, & in eo crescamus in salutem: & vt per scalam in cœlum erectam quotidie de gradu in gradum ascendamus, donec spiritaliter formetur Christus in nobis: in sancta & perpetua Virgine MARIA, quæ *stella maris*, vel *Illuminatrix* interpretatur, vt illuminatores mundi, id est, doctores sanctæ Ecclesiæ simus, & in cordibus credentium lumen fidei, & amorem Christi per doctrinam veritatis, & exempla sanctitatis oriri faciamus, & Deo habitaculum præparemus in IESV DOMINO NOSTRO, vt saluatores animarum nostrarum esse valeamus, manifeste declaratur: quisquis enim in fide, spe, & charitate, vigiliis, ieiuniis & orationibus, castitate, sobrietate, eleemosynarum largitione, dilectioneq; Dei, & proximi vsq; in finem perseuerauerit, & conuerti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum. In CHRISTO autē, vt ita Christiani simus, quatenus sicut ille ambulauit, & nos ambulemus, & sicut ille pro nobis animam suam posuit, ita & nos pro fratribus nostris animas ponamus: & sicut ipse horum nominum interpretationes in se naturaliter gerebat, ita & nos in omni actiua & contemplatiua vita, vt dictum est, spiritualiter recolamus: ad hoc enim Christus passus est, nobis exemplum relinquens, vt sequamur vestigia eius; & abnegemus nosmet ipsos, & tollamus crucem nostram, & sequamur eum perducentem nos ad gloriam sempiternam, *quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quam præparauit Deus diligentibus se*: Cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Marginal references: Ephe.6. Matth 26. Luc.12. Psal.49. Rom.8. Psal.83. Psal.17. Matth.25. Philip.2. Ioan.4. Ephes.3. Coloss.3. Psal.123. Psal.11. Eccles.24. Iacob.5. 1.Cor.2.

HOMILIA XIII.

In idem argumentum traduntur perplures rationes literales, ac permultæ aliæ mysticæ ad humanos mores componendos, ob quas in hac genealogia Christi, & Matris eius præfertur Dauid Abrahæ, necnon aliæ scitu dignissimæ apponuntur, propter quas tres Reges Christi progenitores ab eius genea-

genealogia fuerint explosi: vbi de tyrannide Principum erudite disseritur in illa verba: Filii Da-
Matth. 1. uid, filii Abraham.

I. 
VÆRVNT non pauci, quare Diuus MATTHÆVS ex progenitorum Christi prosapia Dauidem & Abrahamum priores nominauerit, cum revera eorundem parentes nominare potuisset, qui re ipsa illis priores fuerunt. huic quæsito sufficienter respondisse arbitror Beatum PETRVM DAMIANVM super Matthæum, dum ait: quod quia Christus Dominus simul Rex & Sacerdos erat, oportebat de sacerdotali simul & Regio semine carnem suscipere; & ad id manifestandum, voluit primos eius parentes in genealogia nominare Dauidem, & Abraham, quorum alter Rex in lege scripta, alter sacerdos in lege naturæ extitit. Existimo etiam consulto priori loco eos nominasse Euangelistam, quia illis specialiter Deus fidem suam astrinxerat, ex eorũ genere carnem sumpturum. ABRAHÆ enim dixit:
Gen. 22. *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo, per memetipsum iuraui, dicit Dominus, in semine tuo benedicentur omnes gentes.* similiter etiam DAVIDI
Psal. 131. promisit, vt ipse testatur, *iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.*

II. VERVM communis est quæstio, & quæ in ore omnium versatur, quare, cum Abraham Dauide antiquior sit, & venerabiles eius cani omni honore & reuerentia digni inueniantur, Spiritus Sanctus præponat illi Dauidem, & Christi genealogiæ caput eundem constituat? augetque non parum difficultatem, quod præter antiquitatem, qua manifeste præcellit Abraham, tanta viguit vitæ sancti-
S. Ambr. lib. de Patriarch. tate, vt Sanctus AMBROSIVS dicat: *Si daretur fingendi licentia; talem vniuersa Philosophia non fingeret:* quasi diceret: maiorem fuisse eius sanctitatem, quam humanum ingenium fingere potuisset. sed non opus est Ambrosiano testimonio, cum diuinum adsit eloquiũ, Spiritu Sancto de illo dicen-
Eccles. 44. te: *Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi;* cum ergo Abraham ex vna parte vitæ sanctitate conspicuus, & ex alia Dauide multo antiquior esset, videbatur quidem præferendus, non postponendus illi. Communis, inquam, hæc, ac satis trita quæstio est, non diffiteor: sed quanto communior, tanto cogor singularia magis ei responsa adhibere; antequam tamen id præstem, nec possum, nec debeo aliorum placita, & præcipue Sanctorum Patrum, quos semper veneror, &, vt par est, suspicio, silentio prætermittere, D. CHRYSOST. & aliorum, & suam sententiam his verbis
D. Chrys. in cap. 1. aperit: *Qua vero de causa non eum ante filium Abrahæ, & postea filium Dauid nuncupauit? non sicut opinantur aliqui ab inferioribus volens ad superiora conscendere, alioquin fecisset, quod fecit & Lucas; nunc*
Matth. homil. 2. *autem è contrario facit: cur ergo commemorauit priorem Dauid? quia ipse proculdubio in omnium versabatur ore, ob insigne honoris & gloriæ, ob ipsius quoque temporis iunctiora, non enim olim defunctus fuerat, sicut Abraham. Etsi enim vtrique promiserat Deus, sed tamen illud quasi antiquum reticebatur, hoc vero quasi nouum & recens ab omnibus celebrabatur; ipsi namque Iudæi dicunt: Nonne ex semine Dauid, & Bethlehem castello, vbi erat Dauid, venit Christus? Nemo igitur illum filium Abrahæ, sed omnes filium Dauid nominabant.* hæc Chrysostomus. At Sanctus HIERONYMVS singularem aliam viam ingressus, in commentario huius loci ait: *Ordo præposterus; sed necessario commutatus: si enim primum posuisset Abraham, ac postea Dauid, rursus ei fuerat repetendus Abraham, vt generationis series texeretur;* repetendus, inquam, in hunc modum, quod MATTHÆVS hoc obseruat in ista genealogia, vt nomen progenitoris bis coniunctim nullo alio interpo-
Matth. 1. sito repetat, vt, *Salomom autem genuit Roboam, Roboam autem genuit Abiam, Abias autem genuit Asa,* & sic de reliquis: si ergo Matthæus Abrahamum Dauidi præposuisset, non potuisset hunc modum seruare, sic enim scripsisset: *Liber generationis Iesu Christi, filij Abraham, filij Dauid, filij Abraam, Abraam autem genuit Isaac,* quæ sane repetitio parum fuisset venusta, S. THOM. hanc reddit inter
S. Thomas in Cat. super c. 1. Matth. alias illius antepositionis rationem, *quia regni dignitas maior est, quam natura:* nam & sic Abraham præcedebat in dignitate. Alii (id referente BARRADIO) propterea aiunt Euangelistam præpo-
Barrad. in c. 1. Matth. suisse Dauidem Abrahæ; nam si econtra dixisset; *Filii Abraham, filii Dauid,* sensum redderet ambiguum, quia posset intelligi, Abrahamum esse filium Dauidis. Scio supradictas rationes corruere, si
Corn. Ians. in Concordia, c. 6. vera est ingeniosa CORNELII IANSENII interpretatio, asserentis, sensum illorum verborum esse: *Liber generationis Iesu Christi, filii Dauid, qui fuit filius Abrahæ,* secundum quam intelligentiam minime præponitur Dauid Abrahæ, sed postponitur, cum filius Abrahæ dicatur.

III. CÆTERVM his iam prælibatis literalibus expositionibus, ad mysticas properemus. In primis propositæ quæstioni egregie satisfieri posse
Iac. c. 2. arbitror per verba Diui IACOBI: *Superexaltat misericordia iudicium;* id est, vt explicat Cardin. CAIETANVS, *Gloriatur misericordia, & triumphat de iudicio,* hoc est, de sententia, qua iustum iudicat: sed exemplo innotescet magis hæc expo-
3. Reg. 3. sitio. Iustum iudicium Salomonis fuit, celebris illa sententia, qua litigantibus matribus, cuius nam esset infantulus, illum diuidi iussit; sed de hoc iudicio triumphauit misericordia veræ matris infantuli, dicentis, vt integer absque vlla diuisione falsæ matri traderetur. sane hæc misericordia reuocare fecit Salomonis sententiam; infantulus enim diuisus non fuit, sed suæ ma-

tri traditus: ad rem ergo nostram, Abraham quidem iustitiæ adeo cultor fuit, vt nec proprio filio suo pepercerit; si enim *iustum* definitur esse, *dare vnicuique, quod suum est*, certe Deo tamquam vniuersali omnium Domino ab Abraham postulante, vt immolaret sibi filium suum, & illum sibi traderet, id ipse exequens, non solum obedientiam, sed *3. Reg. 9.* & iustitiam ostentauit: Dauid autem mansuetissimus in misericordia exercenda insignis adeo fuit, vt cum infestissimum suum inimicum Saulem non solum facile, sed impune interficere potuisset, liberaliter vitæ eius pepercerit; immo interfectorem eius gladio confodi iussit, & postea in regno ei suc- *2. Reg. 9.* cedens, dixit: *Putasne, est aliquis, qui remanserit de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiã Dei?* vbi obseruandum est, non dixisse, misericordiam, sed *misericordiam Dei*; sicut enim hæc in eo maxime effulget, quod offensas sibi illatas condonet, ita etiam Dauid in condonandis iniuriis, DEVM ipsum imitans, insignis & famosus fuit. in historia ergo generationis Christi, quæ fuit supremum omnium opus misericordiæ diuinæ, congruum erat, rationique consonum, vt in capite libri ille, qui inter Christi progenitores clementia & misericordia insignior fuisset poneretur: ideoq; Dauid præpositus fuit Abrahæ: Atque in idem recidit, si dicamus, nominasse consulto primo loco Dauidem, quia cum hic liber contineat præclarissima omniũ facinora Christi, & inter hæc primum locum teneat, ad maiorem eius gloriam ostentandam, parcere inimicis, & veniam peccatoribus impertiri; *Isai. 30.* vt aperte indicant verba ISAIÆ: *Exaltabitur vobis parcens: quia Deus iudicii Dominus*: hinc est, primũ nominasse Dauidem, qui mansuetudine eximia in parcendo inimicis insignis fuit.

IV. SED ne quæso præcitata ISAIÆ verba illustrare prætereamus, continent enim specialẽ difficultatem; nam cum dicat ISAIAS, exaltandũ esse Deũ, *Ibid.* quia *parcens est*, reddit rationem, quia *Deus iudicii Dominus*: vnde è contrario videretur oratio contexenda, exaltandum scilicet esse Deum punientem, quia Deus iudicii est. Certe iudices non solent magnum parere sibi nomen, nisi ob insignia iustitiæ opera; vnde Iuuenalis alloquens iudicem exercendæ iustitiæ timidum, ilum hortatur his verbis:

Iuuenal. Sat. 2.

Rumpe miser tensum iecur, vt tibi lapso
Figantur virides scabarum gloria palmæ:

quibus verbis alludit ad antiquum illum morem; quod cum quis ad scabas condemnabatur, quod perinde erat, ac si patibulo suspenderetur, multis encomiis iudicem prosequebantur, quod iniquorum hominum fæce Rempublicam expurgaret: Illud igitur mirabile est, quod Isaias ait, quod cum reuera iudices per iustitiam exercendam laudibus ac palmis exaltentur, Deus autem supremus iudex ea præcipue ratione exaltetur, quod misericordiam impertiatur; huius autem rationem deprehendere possumus ex loco illo ECCLESIASTICI, vbi, postquam sapientia æterna Filii comparauerat se palmæ: *quasi palma exaltata sum in Cades*, de- *Eccles. 24.* inde comparat se nouæ proceræ arbori, vt palmæ, sed humili, vt rosæ: *quasi plantatio rosæ in Iericho*; *Ibid.* postmodum vero comparationem magnarum arborum prosequitur; *quasi oliua speciosa in campis*: *Ibid.* non absque mysterio paruam & humilem rosæ plantam inter proceras arbores constituit. illud autem mihi detegitur, quod palma est symbolum iustitiæ, quia nullo pondere flectitur; vnde forsan ad significandam hanc inflexibilitatem, Debora illa *Iudic. 5.* formosa, quæ iudex fuit in populo Dei, iudicii sui tribunal constituit sub palma, vt Iudicum sacra narrat historia; econtra vero oliua symbolum est misericordiæ, & reconciliationis, vt columba illa à Noe missa ramum oliuæ in ore deferens, in signũ diuinæ placationis, significauit: purpurea tandem rosa symbolum est amoris, vnde antiqui in Veneris manu eam depingere solebant. Si quispiam ergo quærat, quis coniunxit iustitiam significatam per palmam cum misericordia significata per oliuam? respondebo: Amor significatus per rosam: cum enim misericors amor iustitiam mitigat, & lenit, nihil hæc suæ gloriæ & splendoris amittit: nam, vt IACOBVS dixit, *superexaltat misericordia iu-* *Iacob. 2.* *dicium*: quia vero in iudicibus huius sæculi nec amor, neq; odium præualere debent, quo minus iustitiæ iura seruent, idcirco quod illos exaltat, & famosos reddit, est inuiolabilis iustitiæ obseruantia: in Deo autem supremo iudice aliter se res habet, quia cum ipse quempiam amore prosequitur, facile amor ille iustitiam in misericordiam conuertit; nec iustitia huic iudicio dissentit, quia Deus absolutus Dominus est, & supremum habens dominium, cui licet facere, prout libuerit, non vero iudici humano. recte ergo dixit ISAIAS: *Exaltabitur* *Isa. 30.* *parcens vobis Deus, quia Deus iudicii Dominus*, id est, quia Dominus iudicii est ad suspendendum, prout sibi placuerit, pœnam; quam secundum diuinã iustitiam delicta merebantur.

V. SED iam aliam rationem, quæ præcedentem magis confirmet, subiiciamus. Certe cum promissio Christi venturi facta fuisset prius Abrahæ, quam Dauidi, & ex illo non minus, quam ex Dauid processisset; prima facie videbatur congruentius, & cum ratione magis coniunctum, vt Euangelista præponeret Abraham Dauidi: at cum aliter Spiritu Sancto dictante fecerit; rationes eius diligenter inuestigemus. Dauidis quidem, & Abrahæ singula *Rom. 8.* insignia opera præ aliis gratiora fuisse nouimus: Abraham enim proprio filio suo non pepercit; Dauid inimicis suis parcere non dubitauit: heroicum opus fuit illud Abrahæ, sed id fecit propter amicũ *Gen. 22.* Deum: *Non pepercisti filio tuo propter me*, placere autem amico, dulce est placenti. Deus hoc opus compensauit cumulatissime, quia pro filio suo vnigenito oblato vnigenitum suum ei dedit, vt tamquam filius ab eo secundum carnem procederet, deinde manibus inimicorũ, immo & morti illum tradidit.

Dauidi

Dauid autem inimicis ſuis parcens excellentius
ſane facinus patrauit, licet n. obſequentioré animũ
redoleat propter mandatũ Dei, filium interficere,
quã propter illum ipſum hoſtes non occidere, hoc
ſine dubio illo præſtantius eſt, & Deo gratius, quia
ingeniũ Dei non eſt, vt auferat vitam, ſed vt donet
eam; non vt morte mulctet, ſed vt à morte liberet;
Deus non fecit mortem, nec delectatur in perdi-
tione viuorũ: quia ergo opus Abrahæ eo tendebat,
vt occidens filium vitam ei auferret, Dauid vero
illum ſcopũ reſpiciebat, vt vitam conferret, & mor-
tem hoſtibus minime inferret, in quo Deo valde
perſimilem, qui mortem peccatoris non vult, ſe o-
ſtentauit, ideo voluit Chriſtus auctor vitæ & ſalu-
tis noſtræ prius vocari filius Dauidis, quam Abra-
hæ. Quod ſi quiſpiam obiiciat, Deum morti tradi-
diſſe filium ſuum, atque ideo non minus ſimilem
fuiſſe Abrahæ, qui vnigenitum ſuum occidere ten-
tauit: in promptu eſt reſponſio; Deum non abſtu-
liſſe vitam filio ſuo, vt vitam auferret, ſed vt illam
mundo in peccatis mortuo liberaliter condona-
ret. deinde actus Abrahæ opus fuit obedientiæ,
Dauidis vero charitatis; tantum ergo hoc opus il-
lud exceſſit, quantum virtus charitatis obedientiæ
virtutem ſuperat.

VI. His rationibus aliam non minus ſingula-
rem ſubnectamus: certe dum præponit Spiritus
Sanctus in genealogia Chriſti Dauidem Abrahæ,
arbitror (ni fallor) nos docere voluiſſe; quantum
interſit inter amicitiam diuinam & humanam. ini.
ta inter homines amicitia ſæpe ſæpius proprium
emolumentum intente adeo reſpicit, vt illo ceſſan-
te ipſa etiam ceſſet, IOB id atteſtante, cum dicebat:
Iob. 6. *Fratres mei præterierunt me, ſicut torrens, qui raptim
tranſit in conuallib.* originale Hebræũ habet: *Fratres
mei fefellerunt fidem, vt torrens:* egregia ſane cõpara-
tio: contingit enim non ſemel, vt cum viator hy-
berno tempore riuum aliquem magna aquarum
copia fluentem pertranſit; poſtea æſtiuo tempore
illac ſitibundus præteriens arentem adeo riui al-
ueum reperiat, vt neque vnica aquæ gutta linguam
refrigerare poſſit: non ſecus in humana, ac fal.
laci hominum amicitia contingit, vt expertus
fuit Iob; cum enim ille diuitiis afflueret, amici
eius variis modis ei inſeruiebant, & vt Hiſpanice
Hiſpaniſmus. dicitur: *Iuuan de mar à mar los arroios de los donnes,
y offertas*; quando tamen omuibus bonis deſtitu-
tus, in ſterquilinio ſitibundus iacebat, nec vnicam
conſolatoriam aquæ guttam apud amicos inuenit:
nemo enim erat, qui promiſſa illi in proſperitate
eadem in egeſtate, & aduerſa eius fortuna imple-
Iob. 5. ret; recte ergo dixit IOB: *Fratres mei fefellerunt fi-
dem, vt torrens.*

VII. AT longe aliter diuina amicitia erga homi-
nes ſe habet: quanto enim illi grauioribus preſſu-
ris ac miſeriis coanguſtantur, & comprimuntur,
tanto magis Deus illos ſolatur, DAVIDE dicente:
Pſal. 90. *Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorifi-
Dan. 13.* *cabo eum.* Expertus fuit id DANIEL in lacu leonũ, à
quibus nec minimum nocumentum accepit: ex-
perta fuit Suſanna, à morte, ad quam iam damnata
fuerat, diuinitus erepta: experti tandem fuere tres *Dan. 3.*
illi iuuenes in caminum ignis ardentis immiſſi,
quos voraces flammæ non ſolum non combuſſe-
runt, ſed nec tetigerunt: vt ergo nunc Deus oſten-
deret amicitiæ ſuæ integritatem, ac fidelitatem,
quam olim cum Dauide inierat, quando eius ge-
nus magis viluerat, à regia illa maieſtate ad fabrilẽ
Ioſephi artem decidens, tunc ex eius genere car-
nem aſſumit, & ſuæ genealogiæ ac gentilitiæ nobi-
litatis caput ipſum conſtituit, Euangeliſta dicente:
Liber generationis Ieſu Chriſti filii Dauid. Atque hoc *Matth. 1.*
eſt, quod ISAIAS Propheta docuit ſub eleganti illa *Iſa. 9.*
metaphora: nam vbi vulgatus noſter Interpres le-
git: *Egredietur virga, de radice eius aſcendet.* CHAL- *Chald. ſup.*
DÆVS Paraphraſtes vertit: *De radice egredietur Rex* *c. 9. Iſa.*
Regum, hoc eſt, quando Dauidis genus magis ab-
iectum extiterit, & minus decorum, velut radix ar-
boris, quæ in imo loco iacet, & venuſtatem nullam
præ ſe fert, ex eo tunc orietur Rex Regum Chriſtus
Dominus: explicuit adhuc magis idipſum origina-
le Hebræum, vt perdocte adnotauit PROCOPIVS in *Procop ſup.*
eumdem locum, dum ait: *Naſcetur virga ex trunco* *c. 9. Iſa.*
ſicco. ſicco quidem, tum quia humano ſemine mi-
nime humectato, tum quia viriditate, ac regio
ſplendore omnino carente. adeo vt tunc nulla ſu-
pereſſet ſpes antiquam maieſtatẽ recuperandi: cum
ergo magis deſpecta iacebat Dauidis proſapia,
Deus, tanquam fidelis amicus, adeo illum exaltat,
vt poſſit veraciter dicere: *In capite libri ſcriptum eſt* *Heb. 10.*
de me: atque ob hanc rationem in Chriſti genealo-
gia ſacer hiſtoriographus non Abrahamum, ſed
Dauidem in priori & honoratiori ſede conſtituit.

VIII. ILLVD etiam nonnulli in quæſtionem re-
uocant, quare non dixit Euangeliſta, *filii Regis Da-
uid*, ſed nomen regium reticuerit? maxime quod
iuxta opinionem eorum, qui dicunt, Euangeliſtam
præpoſuiſſe Dauidem Abrahæ, quia licet iſte anti-
quitate præcelleret, ille tamen regia dignitate eum
ſuperabat, congruum erat, vt diceret: filii Dauid Re-
gis. Voluit quidem Spiritus Sanctus reticere no-
men Regis, quando ait, Chriſtum eſſe filium Daui-
dis, vt ſignificaret, quod ſicut regnum Dauid cœ-
pit, cum humile paſtoris munus exercebat, & de-
ſpectus erat, ita regnum Chriſti ab eius humilitate
& deſpectione cœpit. De principio enim regni DA-
VID dicitur: *Conuenerunt ad eum omnes, qui erant in* *1. Reg. 22.*
*anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & mœſto ani-
mo, & factus eſt eorum princeps:* ita Chriſto adhæſe-
runt duo hominum genera; quidam, qui variis
languoribus cruciabantur, hi erant in anguſtia
conſtituti; alii, qui multo ære alieno erant oppreſſi,
de quibus dixit ipſe per parabolam: *Duo debitores* *Luc. 7.*
erant cuidam fœneratori: vnde Magdalenæ, Mat-
thæo, & pluribus aliis innumera debita liberaliter
dimiſit.

IX. SED pergo iam rationes adnotare, ob quas
in Chriſti genealogia, cum reliqui eius Reges an-

numerati sint, tres illos Euangelista præterierit, Ochoziam, Ioam, & Amasiam? Diuus THOMAS, ex D. Hieronymi, Chrysostomi, & Augustini sententia hanc rationem tradit, quod hi tres parentum suorum peccata continuarunt, & idololatriæ [D. Th. sup. 1. c. Matth.] deditissimi fuere: *Continuatio*, inquit, *peccati causa, vel ratio est destructionis gentium, & ideo isti tres, qui in peccato idololatriæ permanserunt, excluduntur à genealogia Christi.* [Laurent. Masseli. lib. de B. Virg. c. 7.] Alii putant, prætermissos illos Reges, qui ministros Dei inhonorarunt, & variis iniuriis affecerunt: hos Ochozias consiliarios DEI spreuit; Ioas Zachariam percussit, odio [2. Paral. 23. 24. 25.] illum habens, quia palam veritatem ei dicebat: Amasias ad Prophetam alium eum increpantem, [3. Reg. 21.] magna ira percitus, hæc locutus est: *Num consiliarius Regis es? quiesce, ne interficiam te.* Alii arbitrantur, exclusos fuisse à Christi genealogia, quia hi tres Reges ex genere Achab insignis idololatræ, ac diuini nominis infestissimi hostis originem trahebant. Aliis deinde placet, prætermissos fuisse hos Reges, quia Ochozias nupsit cum filia Iezabel, & [4. Reg. 9.] sicut ad delendam memoriam impiæ Iezabelis ossa eius canibus corrodenda, ac deuoranda tradita fuere, ita nunc ad sepeliendam in perpetuæ obliuionis sepulchro istorum Regum memoriam abo-liti sunt à genealogia Christi Domini. Alii tandem tradidere, deletos fuisse ab hoc libro vitæ tres illos Reges propter lupinam tyrannidem, quam in subditos exercebant, vnde vt DEVS ostenderet, quantum hoc genus peccati execretur, noluit eos in libro generationis filii sui adscribi; ex quo coniicere licet, quam sit formidanda Principibus regia eorum dignitas, cum ob ingentem eorum potentiam facile sit in tyrannos conuerti, nisi immoderatas animi sui passiones vehementer coerceant. Quadraginta supra vnum fuerunt cum Saule Reges populi Israelitici, & vix decem ex illis inuenti sunt iusti: triginta & sex Reges Gothorum in Hispania regnarunt, quorum sexdecim tyrannidis suæ pœnas debitas luentes, partim gladio, partim veneno interierunt.

X. RATIONEM autem, ob quam regia dignitas multiplici discrimini exposita est, tradit Propheta SAMVEL, cum populo importune postulanti dari sibi Regem, Deus petitioni eorum annuens, præce- [1. Reg. 8.] pit ei sic respondere: *Hoc erit ius Regis, qui imperaturus est vobis*, id est, vt explicat CAIETANVS, hoc erit ius Regis, quia ipse volet esse ius, *filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, &c. agros quoque vestros, vineas, & olineta optima tollet.* sane mihi videtur, Spiritum Sanctum tyrannidem Regum multifariam multisque modis subditos opprimentium vocasse ius per errorem existimatum, cum nihil magis iuri aduersetur, quam potentia tyrannica. Explicuit hoc singulari metaphora Propheta A- [Amos 8.] MOS, cum dixit: *Hæc ostendit mihi Dominus Deus: & ecce vncinus pomorum: & dixit: quid tu vides, Amos? & dixi vncinum pomorum.* certe hunc pomorũ vncinum tyrannica iniquorum Regum potentia præsignare aperte indicant sequentia verba: *Audite* [Ibid.] *hoc, qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ.* Duobus modis solet hortulanus poma ab arbore carpere; ex inferioribus ramis manu, ex sublimioribus vero vncino; sic potentes tyranni, quod manu carpere non possunt, vncino tyrannidis extorquent, importabilia tributorum onera imponunt, grauissimis legibus vexant, & pauperum sanguinem, velut lupi famelici sugunt, & pelle bonorum corporalium oues suas expoliant; at certe impunes non abibunt, SALOMONE dicente: *Potentes* [Sapient. 6.] *potenter tormenta patientur*: quod & aperte significauit Deus IEREMIÆ: nam postquam ostendit illi regalem dignitatem per virgam significatam, *Vir-* [Ierem. 1.] *gam vigilantem ego video*; continuo interrogauit eum, *quid tu vides* Ieremia? & respondit: *ollam suc-* [Ibid.] *censam ego video*; significans per hoc voraces, ac vindices ignis flammas, quibus Reges & Principes tyranni misere in æternum cruciabuntur. Illud tamen super omnia, quantum Deus tyrannidem detestetur, clare ostendit, quod RVPERTVS tradit super Exod. lib. 1. cap. 1. vbi quærens, quare Deus distulit aduentum suum per quatuordecim illas generationes, quæ numerantur ab Abraham vsque ad Dauid? respondit, rationem huius fuisse, quia fratres Ioseph illum tyrannice tradiderunt, & ven- [Gen. 37.] diderunt, & quia per quatuordecim annos illum seruire coegerunt. per quatuordecim generationes voluit Deus in pœnam tanti delicti aduentum suum in carne differre; quis, quæso, non mirabitur adeo tyrannidem, & iniustam insontis oppressionem Deo detestabilem esse, vt, quamuis re ipsa sanguis Ioseph non profusus; sed venditus duntaxat fuerit, & captiuitas eius per quatuordecim annos in honorẽ eius adeo redundauit, vt totius Ægypti prorex creatus fuerit, nihilo secius tamen in pœnã & vindictam illius delicti Deus primum suum in carne aduentum humano generi valde profuturũ, & diuinæ iustitiæ in integrum satisfacturum, differre non dubitauerit? Hoc qui alta mente perpenderit, non poterit non tyrannidem, & innocentis oppressionem mirum in modum execrari.

XI. SED & parabola illa Christi Domini de illis, qui erant oppressi ære alieno, docemur aperte, quãtum Deus tyrannicam Principum insolentiam detestetur. Erat quidam debitor, qui debebat decem [Matth. 18.] millia talenta, cui alius conciuis centum argenteos dare tenebatur. Rex decem millia illa talenta liberaliter ei donauit, & à debito immunem fecit; quia tamen hic, cui pepercerat Rex, suum debitorem centum argenteorum grauiter opprimebat, & tenens suffocabat eum, Rex dixit illi: *Serue nequam,* [Ibid.] *omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me; nonne oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Iratusque Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum.* Narrat sacra Scriptura rem tyrannis Regibus vti- [2. Reg. 16.] lem valde: refert enim, ex longinquis regionibus deferri solitos Salomoni dentes elephantorum,

simias,

simias, & pauones. mirabile sane est, quod Spiri-
tus Sanctus non solum referat ingentem auri &
argenti quantitatem, quæ singulis trienniis Salo-
moni ferebatur, sed elephantorum dentium, simia-
rum, & pauonum mentionem faciat. Diuus HIE-
D. Hieron. sup. 2. Isa. RONYMVS ait: Per elephantis ossa mortua, mortem
significari, quam Deus volebat præ oculis Reges
habere: vnde & ipse Salomon hac ratione sibi con-
3. Reg. 10. struxit sedem eburneam: *Fecit etiam Rex Salomon
thronum de ebore grandem*: per simias item, quarum
ingenium hoc est, humanas operationes imitari,
monebat Regis operationes per normam rationis
regulandas fore: vnde Diuus HIERONYMVS
D. Hieron. ibid. ait ibidem: *Et similitudo rationis, quod sentitur in
simiis*: per pauones tandem edocere volebat Re-
ges, ne à subditis laudati, velut pauones intume-
scerent, de quibus ait OVIDIVS: *Caudato pauone su-
perbior*, sed potius instar eorumdem pauonum,
quorum ex pompaticis plumis concepta super-
bia deformi pedum suorum aspectu statim eua-
nescit, ita ipsi turpitudinem affectuum suorum per
pedes significatorum, vel puluerem, ex quo facti,
& in quem reuertendi sunt, aspicientes, humilia-
rentur, & recordarentur illius petitionis: *Ne tra-*
Esth. 14. *das, Domine, sceptrum tuum his, qui non sunt*: ver-
ba hæc sunt Reginæ ESTHER, deprecantis
Deum, ne morti traderet captiuos. in quibus
duo ponderanda sunt: primum, quod seruos & ca-
ptiuos vocat, *sceptrum Dei*: quo significare voluit
Spiritus Sanctus, Dei seruos esse verum sceptrum
in manu Dei, quo & ipse honoratur; & potentiam
suam ostendat: secundum, quod Regem Assuerum,
& Principes eius, & nobiles regiæ curiæ nominat
Ibid. illis verbis: *iis, qui non sunt*, significans tam Reges,
quam Imperatores, & quoscumque alios magna-
tes absque Dei gratia, quasi nihilum reputandos
1. Cor. 13. esse, iuxta PAVLI sententiam, dicentis: *Si charita-
tem non habuero, nihil sum.*

XII. OPORTET igitur (vt ad id, vnde nonnihil
digressi sumus, reuertamur) sæpe Principes, vt do-
mini sint, seruos fieri: voluntati n subditorum ali-
quando obedientes, eosdem sibi obsequentiores
reddent, ac proprium dominium magis augebunt.
Probe quidem id agnouerunt supremi illi Regis
Salomonis consiliarii, qui filio eius tyrannice re-
3. Reg. 12. gnare ambienti dixerunt: *Si hodie obedieris populo,
& seruieris, & petitioni eorum cesseris, erunt tibi serui
cunctis diebus*: quia tamen noluit prudenti eorum
consilio acquiescere, certe dum semel subditis o-
bedire renuit, ipsi quidem per totam vitam serui-
tutem & obedientiam ei denegarunt. Et quidem
cum Deus supremus omnium Dominus obedierit
Iosuæ imperanti, ne Sol moueretur contra Gabao
Ios. 10. nem: *Non fuit antea, nec postea, tam longa dies, obe-
diente Domino voci hominis*, id sufficere deberet, vt
Principes Dei vestigia sequentes, rationabili sub-
ditorum voluntati, suam propriam coercentes
non semel subaudiant: id enim præstantes, & sub
ditorum animos gratos, & Deum sibi propitium
reddent: cui sit honor & gloria in sæcula sæculo-
rum, Amen.

HOMILIA XIV.

*Prosequimur idem argumentum, literalem ac my-
sticam aliam intelligentiam totius Marianæ ge-
nealogiæ tradentes, à prioribus illis verbis incho-
antes*: Liber generationis Iesu Christi, *&
in illa desinentes*: Ioseph, virum Mariæ, de
qua natus est Iesus.

Liber generationis Iesu Christi. §. 1. Matth. 1.

I. VM non semel obseruauerim, di-
uini verbi præcones numquam
seriem hanc progenitorum bea-
tæ Virginis, ex quibus D. MAT-
THÆVS matris & filii genealo-
giam contexuit, populo Chri-
stiano elucidandam proponere, placuit, præter o-
mnia in hoc genere argumenti à me superius dicta,
literalem, & mysticam intelligentiam omnium
verborum, quibus D. MATTHÆVS illam descripsit,
hoc loco adnectere. Quamuis autem rei difficultas
me terreat, vtilitas tamen me allicit, dum in memo-
riam reuoco verba Diui CHRYSOST. dicentis: *Iam si* D. Chrys.
non intelligas ipsa recondita, tamen ex ipsa lectione hom. 3. de
multa nascitur sanctimonia; & simul atque tetigerit ali- Lazaro.
*quis Euangelium, mox componit suam ipsius mentem,
& à rebus mundanis abducit; idque ex solo ipso aspectu,
solo et auditu, licet mysteria non intelligas*: hæc Chry-
sostomus; quibus valde consona sunt alia ORIGE- Orig. hom.
NIS dum ait: *Velut incantatione quadam noxiarum* 20. sup. Ios.
*virtutum, quæ tibi insidiantur, virus depellitur, & fu-
gatur: si tu non efficiaris sicut aspis surda, quæ non au-
diat vocem incantantis sapienter.*

II. CÆTERVM antequam propositum argumen-
tum aggrediar, non possum D. Paulo non obiicere,
quomodo Euangelista Matthæo Christi genealo-
giam texente, ipse ad HEBR. expressis verbis tra-
dat, Christum Dominum similem fuisse sacerdoti
Melchisedech, matre, patre & genealogia carente;
PAVLI verba sunt hæc: *Melchisedech sine patre, sine* Ad Heb. 7.
*matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque
finem vitæ habens, assimilatus autem filio Dei, manet
Sacerdos in perpetuũ*, Scio, D. HIERONYMO id refe- D. Hieron.
rente, ORIGENEM his verbis conuictum: falso ep. 126.
opinatum fuisse, Melchisedech angelum fuisse,
non hominem; at cum ex sacra Scriptura hominem
fuisse liquido constet, communis Patrum senten-
tia docet, propterea Melchisedech dici à Paulo
sine patre, sine matre, & sine genealogia, im-
mo & sine certo dierum numero, quia hæc omnia
cunctis erant ignota: similem autem in his om-
nibus Christum Dominum Sacerdoti Melchise-
dech

dech exstitisse, tradit Apostolus, quia cum ille duplicem sustineat naturam, diuinam; & humanam, certe, tamquam Deus genitus fuit à Patre sine matre, quatenus homo vero, à Matre sine patre, vt pulchre & religiose dixit Diua Agnes: *Cuius mater Virgo est, cuius pater fœminam nescit*: similiter secundum naturam humanam, regiam genealogiam habet, secus vero secundum diuinam: nam cum secundum hanc progenitorum serie careat, genealogiam opus est omnino nesciat.

Surius in vita S. Agnetis, & Eccl. Rom. in officio illius.

III. HAc igitur soluta difficultate, exordiamur iam priora verba explicare: *Liber generationis Iesu Christi*: Liber, si primariam eius significationem consulamus, arboris corticem significat, qua antiqui quondam, tamquam pelle aut papyro, vtebantur, vt auctor est AMBROSIVS; iam vero inueterata consuetudo obtinuit, vt solus liber dicatur, qui ex multis foliis secum colligatis coalescit, iuxta quam communem acceptionem videbatur sane non debuisse D. Matthæus generationem Christi, quam vnica pagina absoluit, librum vocasse. Trifariam hic nodus solui potest, primo, si ex sententia Diui AVGVSTINI contra Faustum dicamus: inscriptionem hanc: *Liber generationis*, non apposuisse Diuum Matthæum soli Christi genealogiæ, sed toti suæ Euangelicæ historiæ, quia tamen series illa generationis Christi est prima & præcipua pars illius, ab illa tamquam à principaliori totum opus denominationem desumit; ad eum certe modum, quo Moyses primum suum librum, *Genesim* inscripsit, quia in primis capitibus mundi creationem, & rerum generationes enarrabat. Secundo occurrere possumus cum D. CHRYSOST. verba illa: *Liber generationis*, non inscriptionem declarantem vnam tantum partem, sed totum libri argumentum, ita vt sensus sit, non solum in eo agi de Christi ortu, sed de operibus eius, quæ in sacra Scriptura generationes appellantur; iuxta illud GEN. *Noe perfectus in omnibus generationibus suis*, id est, in omnibus orationib. suis; vniuscuiusq; enim opera filii sunt, & partus voluntatis, & ideo merito generationes possunt appellari. Tertio posset dici, Latinum interpretem (vt recte obseruarunt ABVLENS. IANSEN. & alii) non incongrue solam narrationem genealogiæ Christi, librum generationis appellasse, quia verbum Hebræum, ספר *Sepher*, vt illius idiomatis periti adnotant, quo D. Matthæus vtitur in originali, non solum librum variis foliis compactum, sed & schedulam significat, iuxta quam acceptionem charta illa, in qua vxoris repudium scribebatur, liber in sacra Scriptura appellatur: *Quis est hic liber repudij matris vestræ, quo dimisi eam*, similiq; legimus apud IEREMIAM, & ISAIAM. Potest quarto pulchra alia expositio adhiberi, ad quam astruendam supponendum est, triplicem esse temporalem Christi generationem; primam in vtero materno: *Ecce concipies, & paries*. Secundã allegoricam ex vtero legis, quam vterũ vocat DAVID, de perfidis Iudæis dicens: *Errauerũt ab vtero, locuti sũt falsa*: hoc est, in ipsa lege, in qua nati & enutriti sunt, adhuc errauerunt. sed Christus Dominus in lege, tamquam in vtero inclusus, implicite continebatur, quoniã oportebat impleri omnia, quæ in Lege & in Psalmis erant scripta de eo. Parturiebat si quidem Christum Lex, cum ipsum implicite sub vmbris illis profitebatur, & venturũ desiderabat; at cũ omnia impleta sunt quæ de eo scripta erant, quasi ex vtero peperit eum, cum in lucẽ prodiit, qui sub vmbra latebat. Tertia generatio Christi est moralis, ex vtero mentis per fidẽ & charitatẽ illius; nam, vt ipse docuit, ille mater eius est, qui fecerit voluntatẽ Patris sui: cum ergo sacer Euangelista Matthæus pertractet hanc triplicem temporalem Christi generationem, merito Euangelicæ suæ historiæ eam inscriptionem apposuit: *Liber generationis Iesu Christi*.

Matth. 1. — Ambros. — Calep. in suo dictionario. — D. Augustin. lib. 2. cont. Faustum, c. 6. — Gen. 1. — D. Chrys. homil. 2. in Matth. — Gen. 6. — Abulen. in 1. c. Matth. Maior. & Gagnet. ibid. — Deut. 24. Ierem. 32. Isa. 50. — Isa. 7. — Psal. 119. — Luc. 24. — Matth. 1.

IV. TANDEM his omnibus expositionibus aliã non contemnendã adiungimus, nimirũ quod inscriptio illa: *Liber generationis*, titulus est toti historiæ Euangelicæ appositus; nomine tamen *generationis* non solum complectitur Euangelista generationem corpoream illius ex Matre, sed spiritualem eiusdem, qua per Euangelicam, quam seminauit, doctrinam, permultos filios regenerauit, & in dies regenerat, iuxta illud D. IACOBI: *Volũtarie genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius*: hoc est, vt in nobis exordiũ sumat spiritualis eius generatio, de qua ISAIAS dixit: *Generationẽ eius quis enarrabit?* licet n. HIERO. de æterna filii generatione verba hæc intelligẽda arbitretur; alii vero cum AYMONE in comment. illius loci, de temporali ex matre illa intelligant; alii cum doctiss. FORER. super Isai. contẽdant, quod cum דר *Dor* significet nõ solum generationẽ, sed sæculum, seu ætatẽ, sensus illorũ verborũ est sæculum illud adeo insipiens & immane, exstitisse, vt Christũ Dominũ probatissimum virum abiectissima crucis morte iniuste mulctaret, quis non mirabitur? vel aliter, vt idem auctor exponit, vt generatio non sumatur ibi pro sæculo, sed pro vita, vt perinde sit, ac si diceret; vitam eius breuissimam quis enarrabit? fuit enim præreptus immatura & violenta morte.

Iacob. 1. — Isa. 53. — D. Hier. in cap. 1. Matth. — Forer. sup. Isa. cap. 53.

V. EGO tamen has omnes interpretationes non inficians, germanã magis ac literalẽ eorũ expositionẽ esse reor, vt de spirituali generatione, qua Christus in lecto crucis iacens, nos concepit, & regenerauit, & instar parturientis grauissimis nos peperit doloribus, intelligenda sint, vt patet manifeste ex verbis eiusdem Isaiæ, & in eod. cap. tam antecedentibus, quam subsequentibus: *De angustia, & de iudicio sublatus est, generationem eius quis enarrabit? quia abscissus est de terra viuentium: si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum*: ecce Isaias aperte loquitur de spirituali sobole in filios plurimos per mortẽ Christi propaganda, iuxta illud, quod ipsemet de se vaticinatus est: *Nisi granũ frumẽti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multũ fructum affert.*

Isa. 53. — Ioan. 12.

In cu-

In cuius figuram nouimus, quod quia Abraham voluit immolare filium suum Isaac, vidit ex eo semen longæuum, quod sane non minus vidisset, etiamsi in holocaustum igne illum concremasset. nam is erat Deus, cui filium offerebat, vt inquit PAVLVS, qui posset Isaacum à mortuis reuocare, vt filiorum procreationi operam daret: obedientia ergo Christi in morte non fuit sterilis, sed instar obedientiæ Abrahami fœcundissima, tot Deo parturiens filios, vt numerari non possint; ad quod significandū Isaias dixit: *Generationem eius quis enarrabit?* id est, multitudinem filiorum, quos moriens generabit, quis poterit computare?

Heb.11. Gen.22. Isa.53.

VI. EXCELLENTIAM autem huius spiritualis regenerationis inde venari possumus, quod omnes aliæ temporales generationes in hanc vnam referuntur, & ordinantur; prima generatio fuit Adami sine viro & fœmina, cum ex limo terræ factus fuit; secunda Euæ ex viro sine fœmina, quia, ex costa Adæ educta fuit; tertia ex patre & matre, vt Abelis, & reliquorum omnium, qui naturali propagatione à primo parente originem trahunt; quarta fuit Christi Domini ex fœmina sine viro, quæ reliquas omnes generationes per peccatum euersas instaurauit, & à Diaboli dura seruitute liberauit, vt egregie adnotauit Diuus AVGVSTINVS, qui postquam priores tres generationes commemorauerat, continuo subiunxit: *Quarta restabat sine viro de fœmina, sed ista quarta liberauit tres; prima enim & secunda ruerunt, tertiam de ruina genuerunt, in quarta salutem inuenerunt.* hæc igitur quarta Christi generatio, quæ radix & origo nostræ spiritualis regenerationis exstitit, salutem omnibus generationibus attulit: vnde, ex sententia Cardin HVGONIS, non incongruè ei accommodari possunt verba illa GENES. *Generatione quarta reuertentur huc.* sicut enim filij Abraham generatione quarta reuersi sunt in Palæstinam ab Ægyptiaca captiuitate liberati; ita quoque per quartam generationem Christi, ex fœmina sine viro, filii Adam facti sunt filii Dei, & consortes diuinæ naturæ, vt Diui PETRI verbis vtar. quod sane contemplans RICHARDVS, tam acute, quam eleganter dixit: *De sexu fortiori fragilior producitur, quando de Adam Eua formatur. sic status statum sequitur. & meliore sublato deterior subintroducitur: prior fuit ante peccatum, secundus peccatum: hic autem è conuerso de infirmiore sexu fortior gignitur, quando de altera quasi Eua, quæ vere est mater omnium viuentium, secundus Adam generatur. sic hic post vnum statum alius exsurgit, & deteriori melior succedit: & prior quidem ante resurrectionem, secundus post resurrectionem* hæc Riccard, quibus aperte indicat, per generationem Dei hominis ex Virgine non solum miseram Adæ conditionem, sed & hunc nostrum terrenum statum in alium meliorem & cœlestem fuisse commutatum.

Gen.1. Gen.2. Gen.4. Matth.1. D. August. ser.16. de natiu. Iesu Christi. Hugo Cardin. super cap.6. Gen.1. Gen.15. 2. Pet.1. Riccard. lib.1. de Emman.

VII. ATQVE hinc colligere licet causam ob quā Deus olim librum Legis Mosaicæ in captiuitatem duci permisit. Narrat FLAVIVS IOSEPHVS, & PAVLVS OROSIVS, Imperatores Titum & Vespasianum, post deuastatam vrbem Hierosolymitanam, summa pompa & apparatu triumphantes Romam ingressos fuisse, præibant ante illos variæ militum cohortes, vexilla, quæ ab hoste extorserant, per terram trahentes; sequebantur vasorum, & candelabri aurei delatores, ac tandem vltimo loco, tamquam nobilius spolium, librum Legis aureis laminis exornatum ferebant: deinde adhibitis, vt moris erat, variis ceremoniis, ad maiorem triumphantium honorem, & gloriam, vexilla illa in Capitolium fuere deportata, liber vero Legis ad sacrum palatium delatus: mysterio carere non potest, voluisse Deum sanctum librum Legis in infidelium captiuitatem dari, cum D. PAVLVS asserat, *verbum Dei non est alligatum*, quasi apertius diceret, me quidem in carcerem detrudere, non erit vobis difficile, verbum autem Dei in captiuitatem & seruitutem redigere minime valebitis. Ego in hoc diuino consilio illud arcanum latere puto, quod ea propter Deus librū veterem Legem continētem in captiuitatem abire permisit, vt indicaret, interitum eius iam accessisse, ac loco illius nouam gratiæ Legem substituendam fore, cuius obseruationem permulti in filios Dei regenerarentur.

Flauius Iosephus, & Paulus Orosius de Tito & Vesp. Impp. 2. Tim.2.

VIII. SANE in principio illius veteris Legis libri sermo erat de terrena Adami generatione; in principio vero libri Legis gratiæ de cælesti agitur Adamo: illius libri historia ab illis verbis exordium sumpsit: *Hic est liber generationis Adam, in die, qua creauit Deus hominem*; huius vero narratio ab illis cœpit: *Liber generationis Iesu Christi:* in illo agitur de principio humanæ captiuitatis, in isto de origine nostræ liberationis; in illo de eo, qui per obedientiam sumēs de ligno vetito Diaboli filios nos genuit, in hoc de Christo, qui per obedientiā in ligno crucis moriens, in filios Dei nos regenerauit. Itaq; cum D. MATTHÆVS recte nosset scriptum fuisse librum generationis Adæ, exorsus est suam narrationem ab illis verbis *Liber generationis Iesu Christi*, vt opponeret librum libro, & Adamum veterem Adamo nouo, per quem omnia sunt restaurata, quæ per illum alterum fuerant dissipata, & corrupta vndedum D. MATTH. ait: *Liber generationis Iesu Christi.* perinde fuit, ac si clarius diceret: attendite, hanc generationē non esse Adæ nos perdētis, sed Iesu nos saluantis; non Adæ bonis spiritualibus nos expoliantis: sed Iesu diuinis gratiæ charismatibus; ac multis virtutum margaritis nos locupletantis; non tandem Adæ à paradiso terrestri nos expellentis, sed Iesu in paradisum cœlestem nos introducentis.

Genes.5. Matth.1. Matth.1. Ibid.

IX. PERMVLTIS quondam datum fuit nomen IESV sed in figura Saluatoris nostri, sicut Iesu Naue, id est, Iosue, de quo ECCLESIAST. *Fortis in bello Iesu Naue, successor Moysi*, & sicut Iesu filius Iosedech, cuius meminit ZACHARIAS: at hi nihil aliud, quam salutis per Christum dandæ figuram prætulerunt

Eccles.46. Zach.6.

tulerunt. vnde ne quis in nomine IESV hallucina-
retur, adiecit Euangeliſta nomen CHRISTI, quod,
Cyrill. Alex. lib. de incarn. vnigen. c. 2. vt ſcribit CYRILLVS ALEXANDRINVS, *nec definitionis
vim obtinet, nec cuiuſpiam ſubſtãtiæ, qualis ſit, ſignifi-
cat; ſicut forte homo, aut equus, aut bos, ſed rei magis,
quæ in aliquo agatur, habet ſignificationẽ.* At dicet quiſ-
piam, nõ recte ſecernit MATTHÆVS IESVM ab aliis,
qui hoc nomine fuerunt inſigniti, vocans illum
Chriſtum, id eſt, *vnctum*; quia olim etiam vngebãtur
Reges, Prophetæ, & Sacerdotes: tres enim vnctio-
Leuit. 3. nes inter alias in veteri Teſtamẽto legimus: vnctus
1. Reg. 10. fuit Aaron in ſacerdotem, vnctus Saul à Samuele in
1. Reg. 16. Regem, vnctꝰ & ab eodẽ Dauid in Prophetã, & Re-
gem: verũ neutra iſtarũ vnctionũ cum Chriſti vn-
Pſal. 44. ctione comparari poteſt, vt perſpicue cecinit DA-
VID, dicens: *Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ
participibus tuis.* vnde ſi illarum vnctionum chariſ-
mata contempleris, omnia ſimul, & alia longe ma-
Deut. 18. iora in Chriſto confluxiſſe reperies: ſi vngebantur
Prophetæ, & ille Propheta eſt, *quem Deus ſuſcita-
Apoc. 19. uit de fratribus ſuis*, vt dixit MOYSES: ſi vngeban-
tur Reges, ille, vt ait IOAN *Rex Regum, & Domi-
nus dominantium eſt*: ſi vngebantur Sacerdotes, &
ipſe *eſt Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Mel-
Cyrill. Hier. catech. 10. chiſedech.* vnde D. CYRILLVS, Chriſti vnctionis ex-
cellentiam perpendens, dixit: *Non ex corporea ſuc-
ceſſione accepit ſacerdotium, neque factitio oleo vnctus
eſt, ſed tanto excellentius aliis, quanto hic cum iureiu-
rando factus eſt ſacerdos.* Sanctus vero IOANNES
DAMASCENVS luculenter explicans, quænam fue-
D. Io. Damaſ. lib. 3. de fid. orth. cap. 3. rit hæc præſtantiſſima Chriſti vnctio, omnes alias
longe ſuperans, perdocte inquit: *Chriſti vocabulum
perſonæ dicimus, vt quod non vnimode dicatur, ſed du-
plicem naturam ſignificet; ipſe enim ſeipſum vnxit, cor-
pus videlicet diuinitate ſua vngens vt Deus, vnctus
autem vt homo; quandoquidem ipſe & hoc, & illud eſt:
vnctio porro humanitatis eſt diuinitas.* hæc D. Dama-
ſcenus. vbi etiam docet, ſpiritualem hanc Chriſti
vnctionem communem, & non communem eſſe
nobis: communem quidem, quia participatione
Chriſti ab eo dicimur Chriſtiani; non commu-
nem autem, quia vnctio per vnionem perſona-
lem Verbi cum humanitate inæſtimabili quadam
ſublimitate vnctionem noſtram per gratiam ha-
bitualem, vltra quam dici poteſt, excedit. In cuius
Leuit. 7. figura legimus, ſimul vnctos fuiſſe Aaronem, & fi-
lios eius, ſed non talia in eis, qualia in Aarone vn-
ctio præſtitit non diſſimiliter Chriſtus, & nos Chri-
ſtiani vngimur, ſed aliter, & aliter, ille ſubſtantiali
diuinitatis vnctione, nos operatione eius gratiam
nobis conferente.

X. TANDEM D Matthæus generationem Chriſti
& Mariæ enarrare aggrediens, eiusque genealo-
giam recenſens, permultas ſimul hæreſes extir-
pat; nam qui hanc credit, deridebit hæreſiarcham
Valentinianum perfide aſſerentem, Chriſtum per
Mariam, tamquam per canalem tranſeuntem, ni-
Apollinaris. hil ab ea accepiſſe. Contemnet Apollinarem, qui
corpus Chriſti de cœlo delatum ementitus eſt. exe-
crabitur Manichæum phantaſticam, & non veram
fuiſſe carnem Chriſti mendaciſſime effutientem, Manichæus.
ſola ergo hæc inſcriptio: *Liber generationis Ieſu Chri-
ſti*; omnes hos eliminat errores: cum ab humanis Matth 1.
parentibus genitus humanæ naturæ expers eſſe
non poſſit.

Filii Dauid, filii Abraham. §. 2.

XI. Hos Patres in capite libri ſuæ generationis
congrue ſatis voluit Chriſtus Dominus apponi,
Dauidem quidem, quia cum populus Hebræus
ſacris eloquiis edoctus Chriſtum ex Dauide ori-
undum certo crederet; vnde Phariſæi interrogati
ab illo: *Quid vobis videtur de Chriſto? cuius filius eſt?* Matth. 22.
continuo reſponderunt: *Dauid*: Turba etiam ſtu-
penda Chriſti opera admirans dicebat: *Numquid* Matth. 12.
hic eſt filius Dauid? Pueri etiam acclamarunt in die Ioan. 12.
Palmarum: *Oſanna filio Dauid*: ac tandem quot-
quot à Chriſto aliquid poſtulabant, vt ſacri Euan-
geliſtæ referunt, his verbis vtebantur: *Miſerere mei,* Matth. 9. & 15.
fili Dauid. hinc eſt, voluiſſe Chriſtum in principio
ſuæ genealogiæ Dauidem apponi, de quo ipſe di-
xit: *Ego ſum radix, & genus Dauid*: quibus verbis Marc. 10.
duo ſignificauit, & eſſe radicem Dauidis, quia crea- Luc. 18.
tor erat illius; & pariter genus eſſe Dauidis, quia
de genere eius carnem ſumpſit; iuxta illud PAVLI
ad ROM: *Factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecũdum carnem*: 2. Tim. 2.
ex quo patet, nullam eſſe contrarietatem inter I-
ſaiam, & D Ioannem, dum ille Dauidem radicem Iſa. 11.
Chriſti vocat: econtra vero hic Chriſtum radicem Apoc. 5.
Dauidis appellat; vtrumque enim propter gemi-
nam Chriſti naturam veriſſimum eſt: ratione enim
diuinæ radix Dauidis: ratione vero humanæ Dauid
radix illius erat.

XII. ABRAHAMVM etiam in limine genealogiæ
poſuit MATTHÆVS, quia Iſraelitici populi caput Matth. 1.
fuerat, & origo; vnde ISAIAS ad populũ illũ dixit: Gen. 17.
Attendite ad petram, vnde exciſi eſtis, & ad cauernã Pſal. 51.
*laci, de qua præciſi eſtis: attendite ad Abraham patrem
veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos, quia vnum vo-
caui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum*: cum er-
go petra eſſet Abrahã, merito in huius genealogiæ
fundamento veluti primus lapis collocatur, cæte-
riq; illi adnectuntur, quouſq; ad Chriſtum angula-
rem lapidem, de quo DAVID: *Factus eſt in caput an-* Pſal. 117.
guli, perueniretur; meritoq; Abraham ab Iſaia pe-
tra nominatur, propter fidei ſtabilitatẽ & conſtan- Pſal. 51.
tiam, in qua adeo effulſit, vt à PAVLO vocitetur: *Pa-* Rom. 4.
ter omnium credẽtium. vnde ſicut lapidem primum,
quem Rex in fundamento collocat, magni alicuius
ædificii, quod extruere ſatagit, ſpeciali aliquo ſi-
gno illũ exornat, ita cum Deus optimus maximus
templum humanitatis Chriſti ex Iſraelitico popu-
lo ædificandum ſtatuiſſet, primum lapidem A-
braham, quem in fundamento poſuit, regio illo ac
purpureo ſigno decorauit, de quo PAVLVS: Ad Rom. 4.
*Signum accepit circumciſionis, ſignacu-
lum iuſtitiæ fidei.*

Abraham genuit Isaac. §.3.

XIII. Apte satis Euangelista per generationem Isaac Christi generationem texere exorditur; sicut *Gen.15.17.* enim Deus promisit Abrahæ Isaacum, antequam nasceretur, vnde D. Pavlvs vocat illum natum *Ad Gal.4.* per repromissionem; sic etiam Christum, antequam in orbem veniret, antiquis Patribus pollicitus fuerat: & quemadmodum Abrahamo centenario Sara peperit Isaac; sic populo Israelitico Abrahæ semini centenario in ipsa eius senectute, post *Gen.17.* tot Reges & Duces Maria peperit Christum; & sicut Isaacum non naturæ facultas, sed miraculum ex sterili genuit, sic Christum non naturæ vires, sed Altissimi Dei potentia ex Virgine produxit: Angelo ad illam dicente: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* *Luc.1.* Sara quidē peperit in senectute sua, Maria vero in virginitate sua; mirabile est illud, sed multo mirabilius est hoc; itaq; ille vtiq; Isaac genitus fuit extra spem naturæ ille de anicula iam de- *Gen.21.* ficiente, hic de Virgine incorrupta: quia ille Isaac filios fuerat geniturus in lege corrumpenda, iste autem in lege stabili, & mensura: & sicut Sara dixit: *Risum mihi fecit Deus, quicumque audierit corridebit mihi*; *Genes.21.* sic Maria non dissimilia protulit verba, nam quid aliud est: *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*, *Luc.1.* quam, *risum fecit mihi Dominus*: *Gen.21.* & quid aliud: *Beatam me dicent omnes generationes.* *Luc.1.* quā quod illi de Christi conceptione congratulantur, & corrident omnes: corrisit Elisabeth, dicens: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* *Ibid.* corrisit Ioannes, dum in matris vtero delitescens, *Exultauit infans in gaudio*: *Ibid.* corrisit Marcella, dum exclamans, sacra illa protulit verba: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti*: *Luc.11.* & sicut Sara dixit: *quis auditurum crederet Abraham, quod Sara* (alioquin vetustissima) *lactaret filium*; *Gen.21.* ita beata Virgo subiungere potuisset: quis auditurus absque fidei diuino lumine credet, Virginem lac ex vbere de cœlo pleno ipsi Deo & homini propinasse? Deinde sicut Isaacum mater nesciuit, quando *Gen.22.* ductus fuit, vt immolaretur, sed postquam reuersus est, id agnouit; sic Iesum Synagoga, legalis eius mater, non cognouit illum filium Dei, quando ducebatur ad mortem, sed postquam per resurrectionem de illa triumphauit, tunc non pauci Iudæi nosse cœperunt, pro humano genere in ara crucis cum immolatum fuisse: & sicut Isaac ligna porta- *Gen.22.* uit in locum, in quo erat immolandus, sic & iste li- *Gen.27.* gnum portauit extra portā, vbi cruci affigendus e- *Gen.22.* rat: & sicut ille non restitit Abrahæ, illum occidere *D.Chrys. seu auct. imperf. super cap.1. Matth.* volenti, sed dixit (vt obseruat D. Chrysostomvs) Pater, liga mihi manus, & pedes, ne forte insurgens me defendam, sic & iste non contradixit Patri, vt ipse dixit per Isaiam: *Ego autem non contradico, retrorsum non abij*; *Isa.50.* sed paratus ad mortem respondit, *Fiat voluntas tua*: *Matth.16.* & quemadmodum, cum Abraham ex diuino præcepto vellet Isaac occidere, *Gen.22.* prohibitus est illum mactare, & loco illius suffectus fuit aries, quem obtulit; sic toto illo sæculo, quousque venit plenitudo temporis, in quo Deus missurus erat filium suum, in ara crucis pro nobis immolandum, arietes, hirci, atque vituli, non pauci Deo oblati fuere, vt per illa vmbratica sacrificia ad illud cruentum, quo Christus offerendus erat, mundus præpararetur. Vel dicamus aliter cum S. Cyrillo Alexandrino, quod sicut *D.Cyrill. Alexan. in comm. huius loci.* ibi occisus fuit aries, non Isaac, ita oblato Christo in ara crucis, mortem subiit humanitas, nō diuinitas, quæ impassibilis erat. Sed neq; hoc loco prætermittam aurea verba Origenis super Genes. *Orig. hom. 8 in c.22. Gen.* vbi ait: *Mouet me satis diligens & acuta Abrahæ responsio, nescio, quid videbat in spiritu, quia non de præsenti, sed de futuro dixit, Deus prouidebit sibi ouem, futura respondit filio de præsentibus requirenti, ipse namque sibi Dominus ouem prouidebat in Christo.* Ac tandem pulchra alia Cyrilli Alexandrini verba his *Cyrill. Alex.* adnectā, quibus singulare aliud arcanū detexit in eo, quod Abraham filio suo vxorem nō ex Chananæis, *Gen.24.* sed ex iis, qui idolis addicti erāt, seligeret; sic enim ait: *Deus congregationem Iudæorum noluit coniungere Christo, quorum Chananæi notam gerebant, sed Ecclesia ex gentibus est, ad quam ministri Dei missi sunt.* *Gen.25.*

Isaac autem genuit Iacob. §.4.

XIV. Observandvm est hoc loco, quod licet Rebecca esset sterilis, Isaac tamen noluit aliam, *Gen.25.* præter illam, vxorem; quod propterea Hebræi eum fecisse opinantur, quod non liceret homini consecrato geminare vxores, Isaac autem consecratum Deo putabant, quod Dei victima exstitisset; ipse vero efficacissima sua oratione fœcunditatem suæ vxori obtinuit, vt aperte indicant verba illa Gen. *Gen.25.* *Deprecatus est Isaac Dominum pro vxore sua, eo quod esset sterilis, qui exaudiuit eum*; contulit autem Deus tantam fœcunditatem Rebeccæ, vt geminos infantes vno partu ederet; Esau prior in lucem venit, rufus, & pilis toto hispidus corpore: hic venator & *Gen.25.* agricola euasit; Iacob vero, vt habetur ibidem, *vir erat simplex*, *Ibid.* &, vt LXX Interpretes vertunt; *LXX. Interp.* *vir erat non fictus, & absque fraude.* Esau venationis causa vagabatur in agris, Iacob vero habitabat in *Gen.25.* tabernaculis, hoc est, domi se continebat, Deoque, & doctrinæ, vt vult Chaldævs Paraphrastes, vacabat; vnde ipse interpretatur prædicta verba in hunc modum: *Iacob erat vir perfectus, minister domus doctrinæ.*

XV. Hi duo fratres egregie adumbrant duo hominum genera, peccatorum, & iustorum; Esau quidem venator improborum typum gerit, qui caducas res, honores, & diuitias venantur; Iacob autem proborum imaginem præ se fert, in tabernaculis habitantium, hoc est, vt D. Gregor. explicat, se intra mentis secreta restringentium, & per vana desideria minime se dissipantium, illi, vt

Esau, qui prior egressus est è ventre, tanquam filii huius sæculi, priorem in illa locum ambiunt, iuxta illud Christi Domini, MATTH. 23. *Amant primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis:* [*Matth. 1.*] hi vero, velut Iacob, qui fratris pedem tenuit, verbo, & templo sceleratos homines cohibent, ne in varia scelera se præcipitent: ac tandem impii, instar Esau, hirsuti & asperi sunt moribus, ac superbi; probi vero instar Iacob lenes, mites, faciles, ac humanos omnibus se præbent.

XVI. OBSERVANDVM etiam est, consulto Euangelistam prætermisisse alterum fratrem Iacobi, nomine Esau; tum quia illum reiecit Dominus à se, ne in delecto populo suo connumeraretur, iuxta illud: [*Malach. 1.*] *Iacob dilexi, Esau autem odio habui:* [*Gen. 27.*] tum quia Iacob [*Gen. 25.*] surripuerat benedictionem & ius primogenituræ fratri suo; vnde ipse solus debebat hic annumerari: quod sane nulla ratione mysterio vacare putauerim; nam, vt auctor est AVGVSTINVS, [*D. August. to. 5. lib. 6. de Ciuitat. Dei. c. 39.*] lucta illa, quã Iacob habuit cum Angelo, non pauca Christi arcana aperuit; Iacob quidem præualuit contra Angelum, & accepit benedictionem ab eo, indeque claudus mansit; præualuit autem, quoniam ipse voluit ab eo vinci, & tunc nominatus est Iacob [*Gen. 32.*] *Israel*, à quo omnes illius populi vocati sunt Israelitæ: no dissimiliter plebs illa duræ ceruicis præualuit, iuxta falsam eius opinionẽ, contra Christum, [*Isai. 53.*] turpissima crucis morte illum afficiens, tamen *ob-* [*Ioan. 10.*] *latus est; quia ipse voluit*, & capi, & occidi permisit; ipso dicente: *Nemo tollet à me animam meam, sed ego pono eam à meipso*; ex hac victoria factum est, quod Israel mansit benedictus in his, qui Christo crediderunt, & ab eo fideles, *Christiani* dicti sunt: sicut ab Israel, *Israelitæ* factum est etiam, vt maneret claudus, in his, qui sibi rebelles exstiterunt, iuxta illud [*Psal. 17.*] DAVIDIS: *Claudicauerunt à semitis tuis.*

XVII. LVCTA deinde illa ad amussim refert efficaciam orationis, ac precum, quas sancti ad Deum [*Ose. 12.*] fundunt; nam, vt dixit OSEAS: *Iacob in fortitudine sua directus est cum Angelo, & inualuit ad Angelum, & confortatus est: fleuit, & rogauit eum*; ecce arma, quibus Iacob pugnauit aduersus Angelum Deum repræsentantem, preces quidem fuerunt, quibus de illo palmam reportauit, lucta deinde illa non obscure docet, eos, qui ad Deum conuertuntur, oportere se ad pugnam accingere, iuxta illud ECCLE- [*Eccles. 2.*] SIASTICI: *Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentatio-* [*Genes. 25.*] *nem*; attende, Iacobum habuisse fratrem suum in- [*Genes. 31.*] fectissimum hostem ab vtero matris suæ, insuper & socerum, atque cognatos persecutores sustinuisse; immo, quando iam cæteri hostes ab eius impugna- [*Gen. 32.*] tione destiterant, Angelus Domini descendit de cœlo, vt cum eo tota nocte luctaretur, ne ignauia ac desidia mollesceret: hanc enim continuam pugnam valde vtilem esse; id quod Iacob contigit, apertissime commonstrat; nam sicut ille remansit [*Ibid.*] vno pede claudus, sic seruis Dei accidit, vt ex assidua præliandi consuetudine aduersus hostes maneat sinister pes, hoc est, appetitus eorum sensitiuus, debilitatus, ea, quæ carnis sunt, obliuiscens; pes autem dexter, scilicet spiritus, sanus, & fortis adeo, vt illi innitantur, illo ambulent, illo, quocumq; pergunt, se moueant, implentes illud PAVLI: *Spiritu ambulate, fratres, & desideria carnis nõ per-* [*Ad Gal.*] *ficietis*: recte quidem Apostolus monet, vt pede spiritus forti, non infirmo carnis ambulemus; nam sicut qui infirmo pede laborat, vix tangit illum, nec ei se fidit, aut innititur, sic non infirmæ carni, sed spiritui innitendum est: *Nam spiritus est, qui viuificat;* [*Ioan. 6.*] *caro autem non prodest quidquam*: quemadmodum etiam Iacob vicit alibi fratrem suum Esau, non illũ aggrediendo, sed fugiendo, matris suæ Rebeccæ consiliis acquiescens: *Fili, audi me, & fuge in Meso-* [*Gen. 27.*] *potamiam, donec quiescat ira fratris tui*; sic Ecclesia filios suos docet ex Christi doctrina edocta: *Cum* [*Matth. 10*] *autem persequẽtur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.* Iacob egrediens ex vtero fratris plantam tenuit, vt [*Gen. 25.*] quem à primogenitura supplantaturus esset; Iacob enim *supplantator* interpretatur; id ex sententia IRENÆI victoriam Christi præsignauit, de quo IO- [*D. Iren. lib 4. in Hær. cap. 38.*] ANNES dixit: *Exiuit vincens, vt vinceret*, immo & victoriam populi gentilis, qui primogenitum, quem populus Iudæus à se repulit, dicens: *Non ha-* [*Apoc. 6.*] *bemus Regem, nisi Cæsarem*, religioso animo susci- [*Ioan. 19.*] piens, diuinæ benedictionis primogenituram nactus fuit: Iacob ex duabus sororibus plures filios [*Gen. 30.*] habuit, Christus ex duabus legibus: Iacob multa [*Gen. 29.*] passus est propter pulchram Rachelem, Christus mortem ipsam sustinuit propter pulchram sponsam suam, Ecclesiam Catholicam.

Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius.

§. 5.

XVIII. HOC loco D. CHRYSOSTOMVS ait, quod [*D. Chrys. op. imperf. in Matth. hom. 1.*] sicut Iacob duodecim filios habuit, qui duodecim fuere Patriarchæ; ita Christus duodecim Apostolos in spiritu, & non in carne, verbo, & sanguinis effusione genuit, qui duodecim fuere Eccle- [*Gen. 35.*] siæ Catholicæ Patriarchæ: & sicut Iacob cum filiis suis descendit in Ægyptum, per quos genus eius [*Gen. 46.*] magnum suscepit incrementum; ita Christus Dominus cum Apostolis descendit in mundum, vt Ecclesia Catholica in dies magis ac magis propagaretur.

XIX. ANTEQVAM tamen vlterius progrediar, non possum duplici dubitationi, quæ hic occurrit, prius non facere satis. Prima est, quomodo Euangelista primo loco recenseat Iudam, cum quarto loco natus sit: primogenitus fuit Ruben, secundus Simeon, tertius Leui, quartus Iudas, vt sacra GE- [*Gen. 35.*] NESEOS commemorat historia. Respondeo, diuino consilio factum esse, vt nullus illorum trium hic annumerandus assumeretur, propter enormissima eorum peccata, ob quæ ius primogenituræ merito illis fuit ablatum. Etenim Iacob ad Ruben di- [*Gen. 49.*] xit: *Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti*

cubile

cubile patris tui: de Simeone vero, & Leui: *Vasaini-*
quitatu bellantia, in consilium eorum non veniat
anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea,
quia in furore suo occiderunt virum, & in volun-
tate sua suffoderunt murum sed obserua, quæso, hic
diuino consilio Patres illos ius primogenituræ ad
filios minores non transtulisse, vt per id, tamquam
per typum, præsignaretur ius illud, quod per Chri-
stum Deum habemus, non ex carnis successione,
sed ex electione, vocatione, ac diuinæ gratiæ infu-
sione pendere.

XX. SECVNDA dubitatio est, quid sit, quod, cum
à solo Iuda Christus Dominus originem ducat,
non à fratribus eius, Diuus MATTHÆVS memine-
rit cæterorum eius fratrum; cum tamen id minime
factitauerit, cum Abrahæ aut Isaac filium esse ex-
pressit; nec enim tunc ita scripsit: Abraham genuit
Matth. 1. Isaac, & fratres eius, aut, Isaac genuit Iacob,
Theoph. & fratres eius. Respondeo ex doctrina THEO-
super cap. 1. PHYLACTI, eorum solum mentionem fecisse
Matth. Euangelistam, à quibus Iudæi descendebant, & ex
quorum propagine, tamquam ex semine electo, se
oriri gloriabantur; illi autem non ex Ismahele aut
Esau natos se iactabant, sed ex filiis Iacob; propter-
ea ergo Matthæus simul cum Iuda fratres eius in
Christi generatione inseruit.

XXI. His iam prælibatis, accedamus oportet
ad ea, in quibus Iuda Christum Dominũ ad viuum
expressit; reperiemus illa in benedictione, quam à
patre suo suscepit, Iacob spiritu prophetico filios
D. Hieron. suos benedixisse, vt tradit HIERONYMVS, quod &
tom. 8. sup. sa ceripse textus apertissime indicat, dum Iacob di-
Isa. c. 2. xit: *Congregamini, vt annunciem, quæ ventura sunt*
Gen. 49. *vobis in diebus nouissimis*; hoc est, in vltima ætate,
quando venturus est Christus auctor legis gratiæ:
quando ergo Iacob in vltima illa benedictione
conuertit sermonem suum ad Iudam à quo Chri-
stus originem ducturus erat, varia Christi arcana
sub typicis & symbolicis verbis nobis scripta reli-
Gen. 49. quit; nam præterquam Iudæ dixit: *Te laudabunt*
fratres tui, & adorabunt filii patris tui, quod non ob-
Matth. 2. scure adumbrabat, Christum Dominum non so-
lum à Regibus adorandum, MATTHÆO dicente:
Hebr. 1. *procidentes adorauerunt eum*; sed & ab Angelis, vt ait
Gen. 49. PAVLVS: *& adorent eum omnes Angeli eius*, postea
subiunxit: *Manus tua in ceruicibus inimicorum tuo-*
rum; quibus verbis aperte præsignauit victoriam,
Ioan. 16. quam Christus de vniuerso orbe habiturus erat,
Ioan. 12. iuxta illud: *Confidite, quia ego vici mundum*: vicit
sane gloriose, inimicum foras eiiciens: *nunc prin-*
ceps huius mundi eiicietur foras: & gentem idolorum
cultricem suaui Christianæ religionis iugo subiecit.

XXII. POST hæc subdidit Iacob verba illa my-
Gen. 49. steriis plena: *Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi*
ascendisti, requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna,
quis suscitabit eum? his quidem miram Christi for-
titudinem vaticinatus est, quam ipse descendens
ad prædam mortis, & inferni, & eorum, qui ab eo
captiui detinebantur, mirifice ostentauit. fecit
hanc prædam, ascendens in crucem: *Ad prædam,*
fili mi, ascendisti, deinde cum requieuit corpus eius
in sepulchro, iuxta illud: *Caro mea, requiescet in spe*; Psal. 19.
descendit secundum animam in infernum, vt in-
de vinctos educeret, deinde ex morte resurrexit vi-
ctor quasi leo, & quasi leæna, quæ rugitibus suis
non solum filios viuificat, sed & caueæ, in qua la-
titat, tremorem incutit, quod & in Christi resur-
rectione accidisse video, cum & terræmotus ma-
gnus insonuerit, & sepulchri custodes tremefacti
in terram ceciderint, MATTHÆO dicente: *Ecce ter-* Matth. 28.
ræmotus factus est magnus, & exterriti sunt custodes, &
facti sunt velut mortui. cum autem addit: *quis susci-* Gen. 49.
tabit eum? perinde fuit, ac si diceret: non indiget,
vt resurgat, extrinseca aliqua virtute illum susci-
tante: nam cum ipse sit auctor vitæ, & vita ipsa, per
essentiam facile se suscitare valebit, vt & ipse de se
testatus est: *Soluite templum hoc, & in tribus die-* Ioan. 2.
bus reædificabo illud, ille autem, inquit IOANNES,
dicebat de templo corporis sui. Rursus IACOB adie-
cit: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femo-*
re eius, donec veniat, qui mittendus est: vel, vt PARA-
PHRASTES CHALDÆVS vertit: *donoc veniat*
Messias: ita sane contigit, quoniam vsque ad ad-
uentum Christi numquam defuit gubernator de
Iuda, siue haberet titulum Regis, siue Ducis, siue
Præsidis, etenim vsque ad captiuitatem Babylo-
nicam Reges sceptra tenuerunt: in captiuitate au-
tem ipsa, licet regnum Iuda fuerit interpellatum, 1. Esdr. 1.
non tamen penitus ablatum; postea tamen sub & 4.
Zorobabel restitutum est, qui fuit Iudæorum Prin-
ceps, cui postea in eodem principatu successere
Machabæi, qui quamuis essent Leuitæ, & Sacer-
dotes, materno tamen genere de Iuda descende-
bant, cum liquido constet, has Tribus commixtas
inter se fuisse. & quidē licet daremus, Machabæos
non fuisse partē ex Tribu Iuda, non tamen habue-
runt Ducatum, nisi in deposito, ex consensu ex-
presso ipsius Tribus Iuda, vt sacra MACHABÆO-
RVM narrat historia dicens: *Iudæi, & sacerdotes* 1. Macc. 14.
eorum consenserunt, eum esse Ducem suum, &c. *donec*
surgat Propheta fidelis, &c. *vt cura esset illi pro sanctis*,
&c. id est, Messias, vt sapienter interpretatur HIE-
RONYMVS, qui super Oseam non legit prædi- D. Hieron.
ctum locum, *donec veniat, qui mittendus est*; sed, sup. c. 3. Os.
donec veniat, cui repositum est, id est, Christus Do-
minus cui seruatum erat imperium & regnum Da-
uid, quasi in deposito ab eo tempore, quo defece-
runt Reges de domo Dauid; postea vero aliquan-
tulum ante Christi Domini ortum, ablato de Iu-
da regno, & ad hominem Idumæum translato,
continuo Christus in mundum aduenit: quare
putauerim hoc esse certissimum signum, verum
Messiam aduenisse. vnde D. HIERONYMVS egre- D. Hier. in
gie dixit: *Iamdiu apud Iudæos ex semine Iuda Reges* 1. Matth.
fuerunt, donec Christus ex Virgine nasceretur; primus
enim in gente Iudæorum Rex alienigena fuit Herodes;
qui ergo negat venisse Christum, ostendat Regem de
tribu Iuda in gente Iudæorum.

XXIII. PROSEQVENS autem Iacob propheticam *Gen. 49.* suam benedictionem, dixit: *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, ô fili mi, asinam suam:* quibus verbis explicuit vocationem populi gentilis ad Ecclesiam, & coniunctionem eiusdem sub eodem legislatore ad plebem Iudæam, per Asinam significatam, eo quod instar asinæ assueta esset portare grauia illa Mosaicæ legis onera, quæ, vt dixit D. *Act. 15.* PETRVS, *neque patres nostri, neque nos portare potuimus:* ostendit aperte D. PAVLVS hanc coniunctio- *Eph. 2.* nem, dum dixit de Christo: *Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum.* ad quod sane significandum, arbi- *Matth. 21.* tror Christum Dominum consulto ingressum fuisse Hierosolymam asinæ & pullo insidentem. Atque hoc modo recte etiam cohærent metaphoræ vineæ, & vitis, quibus vtitur Iacob: per vineã enim existimo intelligi Ecclesiam Catholicam, sic enim *Isa. 5.* illam appellauit ISAIAS: *Vinea Domini Sabaoth, domus Israel est.* vitis autem Christum adumbrat, qui de seipso dixit: *Ego sum vitis vera:* illos ergo, quos Deus ad se traxit ad vineam; simul ad vitem ligat, id est, Christo & Ecclesiæ illos copulat; sicut enim impossibile est coniungi viti alicuius vineæ à vinea sese separando, ita impossibile est, quempiam Christo copulari, qui ab eius Ecclesia Romana sese sequestrat.

Gen. 49. XXIV. SVBDIT præterea Iacob verba illa: *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum:* ecce adumbratam passionem Christi, & fructum eius: namquid aliud est: *Lauabit in vino stolam* *Isa. 63.* *suam:* quam id, quod ISAIAS in Christi persona prædixit: *Torcular,* scilicet crucis, *calcaui solus?* in hoc certe torculari, quando claui acriter prementes vinum sanguinis Christi expresserunt, sacra eius corporis stola fuit lota: ecce Christi passionem adumbratam; cum etiam per pallium eius Ecclesiã *Isa. 49.* iustorum intelligat, iuxta illud ISAIÆ: *Viuit Dominus, quia iis omnibus tamquam ornamento vestieris,* sane purpureo hoc sanguine intinctum fuit palliũ istud, omnes eius maculas abstergente; ecce fructum passionis Christi.

Matth. 1. XXV. TANDEM eorumdem verborum: *Iacob autem genuit Iudam & fratres eius:* mysticam accipe intelligentiam: Iudas *confessionem* sonat, quæ alia laudis est, alia peccatorum, vtramque assumat seruus Dei: confiteatur Deo, illi gratias referendo, quod victor ex tot præliis suo opportuno adiutorio euaserit, confiteatur etiam peccata sua, cum opus fuerit, ad hoc assumat etiam fratres Iudæ, hoc est, comites vere confessionis, nempe, quod sit integra, simplex, & lachrymosa.

Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar. §. 6.

XXVI. HI filii extra coniugium nati sunt; erat *Gen. 38.* enim Thamar nurus Iudæ: siquidem ille tres filios habuit, Her, Onan, & Sela: primogenito dedit Thamar, sed mortuus est sine semine: secundus, cum nequam esset, & nollet iuxta Domini præ- *Deut. 25.* ceptum suscitare semen fratri suo, interfectus est à Domino, quo mortuo, dixit Iudas ad Thamar: *Esto in domo tua vidua, donec crescat filius meus Sela.* *Gen. 31.* post aliquot dies videns Thamar, quod Iudas rem procrastinaret, & quod defraudaret eam, prolis desiderio accensa, quia maritus non dabatur, ex socero Iuda liberos hac arte suscipit: cum Iudam audisset Thamnas proficisci, vestes, quibus viduarum more vti solebat, exuit, meretricium ornatum induit, in biuio sedet, quid multa? Iudas illac transit, meretricem putat, ex socero nurus concipit, intumescit vterus, nuncius ad Iudam fertur, Thamarem esse grauidam, flammis iubet exuratur. at cum ex armilla, annulo, & baculo, quem in arrhabonem existimatæ meretrici dederat, quid actum esset, resciuisset, parcit, parit Thamar geminos; Zaram vocatur vnus, alter Phares, ex quo Rex inclytus Dauid; & Christus optimus maximus genus ducunt: *Iudas* ergo, ait MATTHÆVS, *genuit Pha-* *Matth. 1.* *res, & Zaram de Thamar.*

XXVII. HÆC verba versans D. CHRYSO- *D. Chrys. hom. 2. in nat.* STOMVS, alia præclara nobis tradidit, silentio minime prætermittenda: *Quid agis, ô homo? nobis talis recordationem infers historiæ, qua adulterium turpe continetur? quid hoc vero rei est? quia si nudi tantummodo hominis describeretur genus, merito hæc reticuisset, quia vero de Incarnati mysterio scribimus Dei, non modo non tacere ista, verũ ostentare debemus: sic n. magis virtus eius, ac pietas refulgebit; venit enim, non vt nostra fugeret opprobria, sed vt ea potius extingueret: sicut n. admirabilis iudicatur, nõ quia mortuus tantũ, verũ etiã quia crucifixus, & sepultus est; quanquã est certe res ista per se exprobratione plenissima, sed quanto magis exprobrabile illud est, tanto magis illum ostendit de misericordia gloriosum; sic & in generatione illius dici potest, quod non solũ, quia suscepit carnem, & homo factus est, admiratione sit dignus, sed quia etiam natus tales progenitores habere dignatus est, nihil de nostris vilitatibus erubescens; idq; ex ipsis nascendi primordiis ostendit, quam nil eum pudeat omnino nostræ carnis assumptæ.*

XXVIII. D. AVGVSTINVS sublime aliud myste- *D. August. lib. 1. de ciuit. Dei, c. 83. 84. 85. & 86. Gen. 38.* rium, huic loco valde consentaneum, detexit, ait enim, quod quemadmodum Iudas, cum progrederetur ad tondendas oues suas, copulatus fuit Thamari ornatum meretricium habenti, & in signum beneuolentiæ dedit illi armillas, & virgã: sic Christus Dominus, veniens ad tondendas oues gregis sui, hoc est, ad spoliandos electos à vetustate peccati, tunc gentilitati, quæ ratione idololatriæ meretricio, instar Thamaris, induebatur amictu, se copulauit, & in signum beneuolentiæ dedit ei virgam spiritualis regiminis, ac cœlestium charismatum armillas. PROCOPIVS GAZEVS aliam viam ingressus, *Procop. Gaz. sup. c. 38. Gen. Gen. 38.* idem aperuit arcanum, ad quod præsupponere oportet, quod, vt sacra GENES. historia refert, cum Thamar proxima esset partui, apparuerunt gemini in vtero, atque in ipsa egressione infantium vnus,

protulit

protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinũ, dicens: *Iste egredietur prior.* illo vero retrahente manum, egressus est alter, dixitque mulier: *Quare diuisa est propter te maceria? & ob hanc causam vocauit nomen eius, Phares*, postea egressus est frater eius, in cuius manu erat coccinum, quem appellauit Zaram: hoc supposito, ait, hunc mirabilem partum, egregium symbolum fuisse vocationis gentium: nam per Zara coccino filo notatum, Hebræi adumbrantur, rubeo & cruento circumcisionis signo sigillati, qui primo fuerunt vocati atq; adeo priores ad diuinæ Legis obseruationem manum extenderunt, ac primogenituram nacti sunt, instar Phares: Gentiles vero posteriores, & nouissimi, Christo adhæserunt, ex quibus eius Ecclesia coalescit; vt enim dixit D. PETRVS: quia Iudæi repulerunt verbũ Dei, quibus ob Dei promissionem debebatur, Apostoli se conuerterunt ad gentes. Act. 13.

XXIX. HIS mysticis expositionibus addimus & nos aliam ad informandos mores non incongruã. Zaram & Phares, peccatores duos recte adumbrant, quorum alter, instar Zaram, extendit manum, insinuans, velle ad Deum conuerti, ac denuo renasci; facile tamen voluntatem hanc retractat, & manum, quam mittere cogitabat ad aratrum, continuo retrahit; alter vero, suæ conuersionis sitientissimus, omnium difficultatum maceriem rumpens, denuo in Christo renascitur, & instar Phares, viscera matris, hoc est, carnis voluptates relinquẽs, foras progreditur, vt pœnitentiam agat, ac regni cœlestis primogenituram accipiat. Gen. 38.

Phares autem genuit Esron, Esron autem genuit Aram, Aram autem genuit Aminadab, Aminadab autem genuit Naason, Naason autem genuit Salmon, Salmon autem genuit Booz de Rahab. §. 7.

XXX. PRIORVM verborum: *Phares autem genuit Esron*, non aliam pulchriorem, quam D. CHRYSOSTOMI expositionem hoc loco adhibendam censui; ille enim super MATTHÆVM in hunc modum loquitur: *Quoniam quidem causa, & ratione, prouidentiaque Dei posita sunt hæc nomina, credimus maxime, cum essent hi principes generis electorum: qua autem causa & ratione posita sunt, vere ipsi scierunt, qui posuerunt, & Deus, cuius prouidentia ponebantur; nos vero quid intelligere possimus in nominibus ipsis; hic loquimur, maxime quum nullam Scripturam canonicam de istis personis habeamus. Esron enim (sicut Hebræorum sermonum nominum Interpretes dicunt) interpretatur: Iaculum videns; Iacula autem sunt inimici, omnes passiones carnales, quas intrinsecus Diabolus iaculatur in animam, & omnes tentationes aduersitatum, quæ prouenerint fidelibus extrinsecus iaculante Diabolo; Omnes deinde homines iniqui, quos vel contra Dei voluntatem, vel contra seruos eius excitat inimicus, iacula eius sunt, de quibus omnibus dicit Apostolus: ante omnia accipientes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: Qui ergo videns est iaculum, vigilans est contra versutias inimici, & de longe prospicit iacula eius, & cauet.* D. Chrys. in auct. op. imperf. per s. c. Matth.

XXXI. AD hæc, cum Esron interpretetur, *Sagitta*, non incongrue dicemus, quod postquam quis ad Deum toto corde se conuertit, debet esse velut sagitta, ex diuini pectoris pharetra emissa ad ferienda verbo & exemplo peccatorum hominum corda. cum autem subiicit Euangelista: *Esron autem genuit Aram*, qui *sublimis* interpretatur, præmii quidem sublimitatem, quam vir iustus, id præstans, nanciscitur, non obscure denotat. Matth. 1. Addit: *Aram autẽ genuit Aminadab*: Hebræi doctores referunt *de Aminadab*: quod cum esset Dux filiorum Iuda, & mare rubrum esset diuisũ in exitu Israel de Ægypto, nec alii videntes aquas à dextris, & à sinistris, illud pertransire auderent, ipse primus assumpto vexillo Tribus Iuda, in quo erat insigne leonis, sub cuius metaphora Iacob filium suum Iudam benedixerat, velut fortis signifer, primus mare ingressus est, quem postea cætera Tribus ad exemplum illius intrepide subsequuta fuit; quare ex consensu totius populi ducatus ad eum translatus fuit: non dissimiliter, ad exemplum veri Aminadab Christi Domini Crucis vexillum in bello illo cruento Caluariæ in sublime leuantis, generatio filiorum Dei, fide constans, spe nutrita, charitate firmata, obedientia prompta, confessione mundata, à vitiis purgata, & à concupiscentiis separata, intrepide per mare rubrum laborum viam inueniens pertransit, & ad terram promissam properat: Respicite, quæso, non dico, viros, sed pueros ac tenellas virgines pro Christo sanguinem fundendi sitientissimas, quomodo constanter ad martyrium properarint, & per rubras proprii cruoris aquas ab hoc Ægypto ad cœlestem patriam transitum fecerint: quibus certe non contigit, quod de illis dicitur: *Vt inuenirentur illæsi in aquis validis, terra apparuit arida, & in mari rubro via sine impedimento*: sed id accidit, quod dixit PAVLVS: *Alii ludibria & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt.* vnde, rogo, in carne debili fortitudo ænea ad tot inaudita tormentorum genera perferenda, nisi ab illustrissimo illo cœlestis Aminadab exemplo, qui, vt à nobis timorem expelleret, primus immensum tormentorum mare peruadere non dubitauit; adeo vt diceret: *Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam: infixus sum in limo profundi.* Trad. Nic. de Lyra. Exod. 14. Eccl. Rom. in off. pro mart. Heb. 11. Psal. 68.

XXXII. ADDIT præterea: *Aminadab autẽ genuit Naason*: hic Naason, vt legimus NVM. 1. fuit Princeps Tribus Iudæ in deserto, interpretatur autem: *Terra promissionis filii Dei*: quo nõ obscure insinuatur, eos, qui per pœnitentiæ desertũ incedunt, cœlestem patriam filiis Dei pmissam adepturos. Subdit deinde: *Naason autem genuit Salmon*: hic Salmon natus est in deserto; fuitque Dux eo tempore, quo Iosue terram promissionis ingressus est Matth. 1. Matth. 1.

simul

Num. 13. 14. ſimul cum Caleb, aliis exploratoribus mortuis in eodem deſerto propter infidelitatem ſuam: fuit etiam vnus ex duodecim illis, qui miſſi fuerunt in terram Chanaam, vt explorarent fertilitatem, & aditum eius, qui & latuit cum cæteris in domo Rahab, ne in Regis Iericho poteſtatem deueniret; & hic tandem, Iericho ante euerſa, Rahab illã meretricem, ſeu cauponariam accepit in vxorem, ex diuina ſcil. inſpiratione; vnde additur: *Salmon autem genuit Booz de Rahab.* Inſeritur iſta generi electo propter virtutẽ, non modo ſuæ fidei, qua credidit Hebræis eam docentib. Dei ſui maieſtatẽ, & promiſſiones ab eo ſuæ plebi factas, vt PAVLVS oſtẽdit, ſed & propter hoſpitalitatẽ, qua extraneos excepit, & inſidiis petitos, & in diſcrimine vitæ poſitos cõſeruauit, vt habetur IOSV. II. Nec obeſt, quod à Iacob vocetur meretrix, cap. 3. & in lib. IOSVÆ nuncupatur ZONAH, quæ meretricem, & aliquando cauponariam ſonat; quia, vt ait NICOLAVS de LYRA in MATTH. *Quod dicitur meretrix, non obſtat, quia hoc erat tantum ipſius cognomen, & ideo non oportuit, quod eſſet talis ſecundum rem, ſicut aliquando è contrario aliquis pauper ruſticus cognominatur nomine Regis, etſi Rex non ſit. Hebræi etiam dicunt, hoſpitatricem, vbi nos habemus, meretricem?* Reſoluit & aliam quæſtionem LYRANVS; qui fiat, vt Salmon princeps Tribus Iuda in vxorem duxerit mulierem Chananæam, præſertim cum filiis Iſrael omnino prohiberetur, ne quam ex illo populo in coniugem acciperent: reſpondet, hoc eis prohibitum fuiſſe, ne per Chananæos à Dei veri cultu auerterentur, & ad idola deflecterent, vt Lex ipſa exprimit; quod ſi ex illo populo aliquis veram fidem admitteret, & profiteretur, & quid magnum egiſſet, ex quo ſuam fidem proteſtatus fuiſſet, tunc & ille populo Dei inſeri poterat; quemadmodum & Rahab factum eſt, ob cauſas, quas diximus.

Ioſu. 2.

Matth. 1.

Heb. 11.

Ioſu. 2.

Nicol. de Lyr. in Matth.

Deut. 7.

Boaz autem genuit Obeth ex Ruth; Obeth autem genuit Ieſſe; Ieſſe autem genuit Dauid Regem; Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ. §. 8.

Ruth. 4. XXXIII. HÆC Ruth venit cum Noemi à terra Moab in terram Iuda, quam Booz accepit in coniugẽ, eo quod eſſet propinquus priori marito Ruth, filio Noemi ſine prole defuncto: quamuis n. illicitũ fuerat Iſraelitis contrahere cum Moabitis, & propter diſparem cultum contractum non eſſet verum matrimonium (hac enim ratione Eſdras abiecit à filiis Iſrael vxores earum Moabitidas,) nihilominus tamen, vbi illæ ad Iudaiſmum conuerſæ ſunt, & vnius Dei cultrices, & in quotidiana conuerſatione inſignes euaſerunt, tunc illas in vxores accipere permittebatur. Atqui talis erat RVTH, humilis, & obſequentiſſima in omnibus: vnde & Booz dixit ad eam: *Scit omnis populus vrbis meæ, mulierem te eſſe virtutis.* S. CHRYSOST. ait: *Idcirco vero & Ruth, & Rahab mentio facta eſt, vt diſceres, ideo Chriſtum veniſſe, vt mala noſtra deleret omnia; non enim quaſi iudex, ſed quaſi medicus aduenit:* ſicut igitur hic olim meretricem, ille alienigenam in vxorem accepit, ſic etiam Chriſtus fornicatricem hominum naturam ſibi copulauit. Quod Prophetæ quoque olim Synagogæ factum eſſe dixerunt: ſed illa quidem cohabitatori ſuo ſemper fuit ingrata; Eccleſia vero ſemel à malis ſuis liberata in ſponſi amore permanſit.

Nehem. 13.

Ruth 3.

D. Chryſ. 3. op. imp. in Matth.

XXXIV. SED & conſidera etiã ea, quæ in Ruth facta ſunt, noſtri figuram fuiſſe; hæc enim erat alienigena, & in extremam delapſa pauperiem, ſed videns eam Booz, nec ob ipſius paupertatem deſpexit, nec ob impietatem gentis exhorruit; ſicut etiam & Chriſtus Eccleſiam ſuſcipiens, & alienigenã, & magnorum oppreſſam egeſtate bonorum ſuo conſortio copulauit: ſed quemadmodum Ruth illa ex alienigenis mulier, niſi prius reliquiſſet parentes, niſi domum contempſiſſet, & gentem & patriam, atq; cognatos nunquam profecto tali fuiſſet nobilitata connubio; ita & Eccleſia etiã non ante amabilis efficitur ſponſo, quam priorem conuerſationem relinquat. Quod Propheta quoque ad ipſam loquens ait: *Obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui; & concupiſcet Rex decorem tuum:* PROSPER AQVITANICVS ex gratia illa collata Rahab colligit ſpem ſalutis dari fornicatoriæ animæ pœnitenti: ſic enim MATTHÆO atteſtante: *publicani & meretrices Phariſæos præcedent in regno Dei:* & OSEÆ Prophetæ iubetur mulierem accipere fornicariam, atque ex ea procreare filios, vt ſit iam vxor, quæ paulo ante fuerat meretrix, habeatque filios, quæ ſtudebat filios non habere, nec iam libidini, ſed ſuſcipiendæ ſeruiat proli.

Pſal. 44.

Proſp. Aq. l. de promi. & præd. p. 2. c. 15.

Matth. 21.

Oſe. 6. 1.

XXXV. Subdit deinde: *Obeth autem genuit Ieſſe:* cum certum ſit, patrem Dauidis binonimum fuiſſe, cum vocaretur *Ieſſe* & *Iſai:* vulgatiuſque nomen eſſet, & frequentius Iſai, non poteſt carere myſterio, quod ſacer Euangeliſta non Iſai, ſed Ieſſe, illum nominauerit. ego quidem arbitror, Matthæum imitatum fuiſſe ISAIAM Prophetam, dicentem: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet:* vt ſic exprimeret generationem Chriſti, quam enarrabat antiquis Prophetarum vaticiniis conſonam eſſe. deinde etiam, quod cum Ieſſe ſignificet *incendium:* pariter commonſtrauit, humanam Chriſti generationem non aliunde, tanquam à primo principio ortum habuiſſe, quam ab ardenti diuini amoris incendio, quo *ſic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Addit: *Ieſſe autem genuit Dauid Regem:* qui præ cæteris fratribus etiam minimus à Deo ſelectus eſt, non modo quem populo ſuo Regem conſtitueret, ſed & à quo Chriſtus naſceretur: hic eſt, quem Samuel vnxit in Regem, qui tot inſidias pertulit à Saule, cui Dominus hoc teſtimonium perhibuit, vt diceret: *Inueni Dauid virum ſecundum cor meum:* hic optimum ſe Regẽ præbuit, non aliena rapuit, nõ ex ſuæ voluntatis

Matth. 1.

Iſa. 11.

Ioan. 3.

1. Reg. 16.

Act. 13.

tatis temerario decreto, sed Dei oraculo omnia instituit, nisi quod, vt humanum est peccare, & alterius vxorem concupiuit, & virum occidi curauit, & populum suum numerare voluit: sed his flagitijs aut ipse sibi pœnã inflixit, aut à Deo inflictã patiẽter pertulit. Itaq; ille propter excellentiam sãctitatis, *Rex*, inter cæteros solus nuncupatur; nec enim tam faciunt Regem sceptra, & coronæ, quam illarum rerum significationes, nimirum, vt sit pietate, iustitia, & vitæ sanctimonia insignis.

Matth. 1. XXXVI. SVBDIT Euangelista: *Dauid autem genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ:* quamuis Euangelista facile potuisset dicere: Dauid autem genuit Salomonem ex Bethsabee, cõsultò tamen dixit: *ex ea, quæ fuit Vriæ*, adulterium eius in memoriam nostram reuocans, vt sub prætextu secreti nemo peccandi licentiam sumat, quantumcumque ad magnum dignitatis culmen euectus sit. Certè Chain existimabat fratricidiũ, quod in fratrẽ suum Abel commiserat, secretissimum, & occultissimum esse; at repente præter eius opinionem insonuit clamor *Gen. 4.* de cœlo, dicens: *Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra:* ac si diceret: quamuis nõ adsint oculati testes enormissimi tui delicti, quia in agri solitudine illud patrasti; tamen effusus sanguis instar præconis est, & loquacissimæ linguæ homicidium tuum diuulgantis. Lasciui etiam illi Senes *Dan. 13.* Babylonici, impunes sceleris, quod cõtra Susannã tentarant, abituros falsò sibi blandiebãtur, quia non alii aderant testes, quam fontes & arbores illius horti, in quo Susannam comprehenderunt: cum res tamen videbatur magis incognita, & sub secreti latebris & inuolucris abscondita, tunc mouit Deus linguam cuiusdam infantis, lasciuiam eorum, ac falsum testimonium, quod castæ Susannæ imposuerant, cuncto populo propalantis. Ac tandem Rex Dauid falsò putabat, adulterium & homicidium suum nulli esse manifestum; Propheta tamen Nathan acriter eum increpauit, dicens: *V-* *2. Reg. 12.* *riam percussisti, & vxorem illius accepisti.* Sed nõ contentus Deus hoc genere publicationis, iubet sacro Euangelistæ Matthæo, vt Euangelico testimonio vniuerso orbi contestatum relinquat, Regis Dauidis homicidium & adulterium, vt intelligant *Matth. 16.* Principes: *Nihil occultum, quod non reueletur:* Euan- *Matth. 1.* gelista dicente: *Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ.*

XXXVII. SED iam de Salomone, quem genuit Dauid, nonnihil dicamus, vt ad præsens institutum spectat. Salomon Rex inclytus, ac sapiens, qui magnificatus est super omnes Reges terræ, tria (secundum HIERONYMVM) sortitus est nomina; *D. Hier. in prin. Eccl.* primo vocatus est *Salomon*, id est, *pacificus*; & hoc fuit vulgatum nomen: secundo vocatur, *Cobeleth* Hebraice, Græce autem *Ecclesiastes*, Latine *Concionatorem* dicimus: tertio dicitur Hebraice *Iedidija*, *2. Reg. 12.* vel *Hididia*, Latine *Amabilis Domino*, vel, *dilectus Deo:* quod nomen non humana industria, sed diuino afflatu fuit impositum, vnde LXX. dixerunt: in verbo Domini sic vocatum fuisse, per hoc significante Spiritu Sancto, tale nomen non tãipsi conuenire, quam illi, cuius gerebat imaginem, scilicet Christi, cui & reliqua omnia mirifice conueniunt: Nam Salomon, dicitur pacificus, at Christus est, qui pacificauit per sanguinem crucis eius, *siue quæ in cœlis, siue quæ in terris sunt:* ipse etiam *Ec-* *Coloss. 1.* *clesiastes* noster est, *qui vocauit nos vocatione sua sancta:* ipse tandem est *filius paternæ dilectionis*, de quo *2. Tim. 1.* Pater & in baptismate, & in transfiguratione testimonium perhibuit, dicens: *Hic est filius meus* *Matth. 3.* *dilectus:* In sollicita etiam cura ædificationis Tem- *17.* pli, quã adhibuit, perspicue exstitit figura Christi, qui ædificauit Ecclesiam, quæ domus Dei est, fuit etiam Christus plenus gratia, & veritate, quæ sunt sapientia, & diuitiæ spirituales illius.

Salomon autem genuit Roboam: Roboam autem genuit Abiam: Abias autem genuit Asa: Asa autem genuit Iosaphat: Iosaphat autem genuit Ioram: Ioram autem genuit Oziam: Ozias autem genuit Ioatham: Ioatham autem genuit Achaz: Achaz autem genuit Ezechiam. §. 9.

XXXVIII. ROBOAM genuit Abiam ex filia Absalonis, fratris sui, quam secundum Legem habere nõ potuit, propter cognationis propinquitatem; & hic etiam à Domino declinauit: & tamen memor Dominus pacti, quod cum Dauide inierat, *3. Reg. 11.* protexit Hierosolymam, & Tribum Iuda, ne ei hic Ieroboam Ephratæus dominaretur, qui iam sibi decem Tribus subiecerat, & regiam sedem in Samaria constituerat, vt habetur 2. PAR. 13. Hic vxores habuit quatuordecim, ex quibus habuit viginti duos filios, & sexdecim filias. *Abias autẽ genuit Asa:* & hic primum quidem Domino Deo Israel adhæsit, imitator factus Dauidis patris sui; sed trigesimo regni sui anno, cum Basa Rex Israel contra illorũ exercitũ irruisset, ille iam quasi de vnius Dei omnipotentia diffidens, non ad eum conuersus est, sed à Rege Syriæ auxilium implorauit; quo factum est, vt Anani Propheta illum grauiter increparet; ille vero in scelus deterius seipsum conijciens, Prophetam neruo adegit: neque, cum tandem graui morbo laboraret, ad Dominum reuersus est, sed Medicorum industriæ se totum com- *2. Par. 14.* misit. quo monemur, ne ad hominum potentiam, *15. & 16.* aut artem, etiam in quauis necessitate positi, prius & potius, quam ad Deum confugiamus: *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius*, inquit Chri- *Matth. 6.* stus, *& hæc omnia adiicientur vobis. Maledictus homo (ait* IEREMIAS*) qui confidit in homine, & ponit car-* *Ierem. 17.* *nem, brachium suum.*

XXXIX. ASA *autẽ genuit Iosaphat:* est hic in Scri- *Matth. 1.* pturis celeberrimus ob suam in Deum fiduciam, ad quem in necessitate positos recurrere, & clamare debere

2. Par. 16. 18. debere docuit: hoc solum illi labem inussit, quod cum Achab impio Rege Israel fœdus contraxit: interim tamen pseudoprophetas auersatus est, & Micheam Prophetam Domini plurimi fecit. Sed inter hæc pluris fecisse videtur hominum fauorem, quam Dei legem, ad eorum instar, qui putant, se pacem nancisci, si cum in auctoritate cōstituti fuerint, homines sibi amicos, etiam cum diuinæ legis dispendio faciant. Rursum enim cum Ochozia filio Achab amicitiam iniit, & eapropter correptus est ab Eliezer Propheta, filio Dodam de Maresa. *Iosaphat autem genuit Ioram*, virum impiissimum, qui
2. Par. 20. Athaliam, filiam Achab & Iezabel, sumpsit in con-
Matth. 20. iugem, cuius consilio plurima scelera operatus est: induxit enim in Ierusalem fornicationes Ie-
2. Par. 21. zabelis, & impietates Achab: occidit & omnes fratres suos, filios Iosaphat: vnde & à Domino
Ibid. digna factis supplicia accepit. Ita videmus à probis parentibus filios degeneres effici si cum impiis
1. Cor. 15. consuetudinem habeant: *Corrumpunt* enim *bonos mores* consortia, sicut & *colloquia praua*. Hinc caueat quisque, cui mulieri filium in virum collocauerit, & è conuerso, ne forte, quod debet iniri in sacramentum Christi, & Ecclesiæ, contra Christum
Matth. 1. & Ecclesiam directe militet. *Ioram autem genuit O-*
4. Reg. 8. *siam*: omittuntur tres Reges intermedii; Ioram au-
4. Reg. 14. tem genuit Ochoziam, Ochozias autem Ioas, Ioas Amasiam, qui genuit Oziam, alio nomine vocatum Azariam, cuius tempore Isaias prophetare orsus est; itaque tres illi omittuntur, Ochozias, Ioas,
Hila. can. 1. & Amasias, vt iuxta sententiam HILARII, CHRY-
Chrys. ho. 3. in 1. Matth. SOST & HIERON. posteritas Iorā, quæ fuit ex flagitiosissima muliere Iezabel, excluderetur; & ideo
Hier. in c. 1. Matth. tolluntur eius filii vsq; ad quartā generationē, iuxta illam Domini sententiam: *Ego Dominus zelotes,*
Exod. 20. *vindicās iniquitatē patrū in filios, in tertiam & quartā vsq; generationē*. Altera scilicet ratio etiā ab HIERON. assignatur, id consulto factū ab Euangelista fuisse, eo quod, cum proposuisset oēs generationes ter per quatuordecim diuidere, ita vt à Dauide, vsque ad transmigrationē Babylonis quatuordecim assignaret, & occurrere sibi vidisset decē & septē generationes, ideo factū est, vt tres istos, velut indignos, & quasi superfluos reticeret, & ad Oziam de-
2. Par. 26. ueniret, qui primū, quod rectū erat in oculis Domini fecit, nec Iezabelis impietatibus se addixit; at vero postquā firmata sibi in regno omnia vidit, superbia inflatus, Dominū contempsit, & ingressus templū thus adolere voluit super altare Thymiamatis, ob quam præsumptionē lepra percussus est à Domino, vt legimus 2. PARAL nec enim Azariæ dehortā-
Leuit. 13. ti acquieuit, quin potius minas adiecit, ni se id muneris exequi pateretur. DIONYSIVS AREOPAG in epist. ad Demophilū Monachū, hoc exēplū vsurpat in eos, qui temere sese sacris altaris ministeriis ingerūt; nec enim id licet omnibus, neq; Regibus, cū di-
D. Chrys. lib. 3. de sacerd. stincta sint Regis & sacerdotis officia, vt docet CHRYSOST. lib. 3. de sacerd.

XL. VERVM antequam vlterius progrediar, perpende, quæso, quomodo, quia Ioram miscuit sanguinem Dauid religiosissimi Regis cum sanguine 4. Reg. 8.
impiissimi Achab idolorum cultoris, ideo filii eius non recensentur cū aliis Regibus, qui id non fecerunt: ipse autē numeratur, quoniam filius fuit optimi Regis Iosaphat: ex quo infer, quantū noceat, impiis misceri; ex impiorū quippe societate non nisi quidpiā mali tibi cōtinget, SALOMONE dicēte, *Qui*
tetigerit picē, inquinabitur ab ea, & qui cōmunicauerit Eccl. 13.
superbo, induet superbiā. Ob hanc rationē lex vetus leprosos arcebat à societate cæterorum; ne alii sani inficerentur ab eis. Prouerbium antiquum fuit: Prouerbiū antiquum
Aliquid mali ex vicino malo. quare cum præco hereditatem quandā publicaret, quam dominus fundi vendebat, multaque bona de ea dixisset, vtilitatesque eius proclamasset, audiens ALCIBIADES, dixit: *Dic inter cetera commoditates, bonū etiam habere vicinum*. atq; huc facit illud: *Recedite de taber-*
naculis impiorū, ne inuoluamini in peccatis eorū: cui Num. 16.
consonat aliud SAPIENTIS: *Quid cōmunicabit caca-* Eccl. 13.
bus ad ollam? quasi dicat: nihil certe, nam si quidquam nocumēti, si se colliserint. vnde in LEVIT. dicitur:
Ne tangas morticinium, ne polluaris, vsque ad vespe- Leuit. 13.
rum, id est, vsq; ad tempus mortis, per vesperum significatum. ac tandem PAVLVS dicebat: *Denuncia-* 2 Cor. 6.
mus vobis, fratres, in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt abstineatis vos ab omni fratre inordinate ambulante, & non secundum traditiones quas accepistis à nobis.

XLI. OZIAS *autem genuit Ioathā*, qui rexit pala- Matth 1.
tiū, patre eius propter leprā seorsum habitāte. Hūc Ioatham, scribit HIERON. in Isaiam, fuisse iustissi- 4. Reg. 15.
mum, correptione enim patris cautior euasit. *Ioa-*
than autem genuit Achaz, hominem impurissimum, Matth 1.
qui declinauit ad impietates Regum Israel, erexit statuam Baali, iis incensum obtulit, lustrauit igni 2. Par. 28.
filios suos, & præter antiquas Iezabelis fornicationes, è Damasco effigiem altaris idoli sibi afferri voluit, & ad instar illius aliud effingi. Hic confregit, & diripuit vasa domus Domini, Templum clausit, & in omnibus angulis Hierosolymæ alienis & prophanis diis aras exstruxit; ideo Deus magnis illū bellis premi permisit: sed tamen adhuc ei misertus est propter fœdus suum cum Dauide; propterea enim ad eum Isaias missus est, qui auxilium a Domino polliceretur, eo præcipue nomine, quod sibi domum conseruare vellet, & ex illa Messiam mittere, qui omnem Satanæ virtutem comprimeret. Vnde factum est, vt Achaz ridente Deum, & Prophetam, ille tamen subintulerit, in populi Iudæi
cōsolationē: *Audite ergo domus Dauid: Nunquid* Isa. 7.
parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: ecce virgo concipiet, & pariet filium: præterea, vt Achaz domus non rescissa sit, sed adhuc ei filios nasci voluerit; ne scilicet spes futuri Messiæ sublata
esse videretur. *Achaz autem genuit Ezechiam*: qui Matth. 1.
tantam apud Deum gratiam nactus est, vt de ipso 4. Reg. 16.
in lib. Reg. legatur, quod nec ante eum, nec post 18. & 21.

eum

eum aliquis ei æquari possit. Hic est, qui magna bonæ conscientiæ fiducia sic ad Deum orare ausus est: *Memento; Domine, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & corde perfecto: & quod bonũ est in oculis tuis, feci:* In eo contemplari possumus mirabile pii Regis exemplum, vt in tribulatione, & angustiis opprimentium se constitutus, in Dominum sua vota, & omnem suam spem contulerit, & graui morbo in lecto decumbẽs, supplicem ad Deum orationem fuderit; ex quo factum est, vt & eius ætati alij quindecim anni adderẽtur, & ipse, & vniuersa Hierosolyma diuina manu ab Assyriis eriperetur. Voluit autem Deus ita eius vitæ dies longiores reddere, vt filium haberet, & ita spem illius confirmaret de Messia ex suo semine nascituro, vt legimus 2. Paral. Eapropter etiam ei in horologio signum datum est, Sole decem lineis, per quas descenderat, retrocedente; Typus enim erat Christi, veri iustitiæ Solis, qui decem lineis retrogredi visus est, cum paulo minus ab Angelis minoratus, nouem ordines ipsorum transgressus, ad hominem, qui in decima velut linea constitutus erat venit.

Margin: ...38. / ...Par.29. / ...38.

Ezechias autem genuit Manassen; Manasses autem genuit Ammon; Ammon autẽ genuit Iosiam; Iosias autem genuit Iechoniam, & fratres eius in trãsmigratione Babylonis & post trãsmigrationem Babylonis Iechonias genuit Salathiel; Salathiel autẽ genuit Zorobabel; Zorobabel autẽ genuit Abiud; Abiud autẽ genuit Eliachim; Eliachim autem genuit Azor; Azor aũt genuit Sadoch; Sadoch autem genuit Achim; Achim autem genuit Eliud; Eliud aũt genuit Eleazar; Eleazar autem genuit Mathan; Mathan autem genuit Iacob. §. 10.

4. Reg. 21. / 2. Par. 33. / 2 Par. 35.

XLII. MANASSES à maiorum suorũ virtute valde degenerauit, & omnium superiorum Regum, immo & gentium flagitia superauit, hic Isaiam lignea serra dissecari iussit vt scribit EPIPHAN. lib. de vita & exitu Prophetarũ; Prophetas Domini persequutus est, & nihil nõ tentauit, quod facere putaret ad penitus subuertendum Dei vnicus cultum: sed quia vexatio dat intellectum Deo vindicante eius scelera, cũ a Rege Assyriorũ captiuus, & compedibus cõstrictus teneretur, tũc Dei iusta iudicia cogitans, & priora scelera perpendẽs, pœnitẽtiam egit, & corde contrito & abiecto ad Dominum clamauit; qui vt in pœnitẽtes benignus est, Manassẽ eripuit, & ad regnum reduxit. In eo vides, quantũ sit tribulationis bonum, quæ hominem, alioquin diuini muneris contemptorem, & hominum oppressorem, superbum & arrogantem humiliat, & ad mentẽ reducit: vnde fit, vt cooperãte Dei gratia ex tribulatione purior emergat. *Manasses autem genuit Ammon*: qui, etsi paterna malitia imbutus, & Manassis impietates sequutus sit, non tamen, sicut ille, pœnitentiam egit.

Matth. 1. / 4. Reg. 11.

XLIII. AMMON *autem genuit Iosiam*: In eo pietas Dauidis & Ezechiæ refloruit, hic Legem & religionem fere collapsam restituit: huius temporibus liber diuinæ Legis per Moysis manum traditus, & in templo absconditus, repertus est, quem Rex cum Dei timore accepit, & supplicem ad Deum orationem effundi iussit, ne iracundiæ suæ flagella in plebem Israeliticam suorum mandatorum præuaricatricem immitteret. Hunc etiam pridem apud Ieroboam per Prophetam suum Dominus promiserat: stante enim Ieroboam super altare Bethel, & thus iaciente, exclamauit Propheta in sermone Domini: *Altare, altare, hæc dicit Dominus, ecce filius nascetur domui Dauid, Iosias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum super te incendet.* De huius laude scriptum est ECCLESIAST. *Memoria Iosiæ in compositionem odoris, facta opus pigmentarij: in omni ore; quasi mel indulcabitur eius memoria, & vt musica in conuiuio vini.* Occisus est autem à sagittariis Phamonis Nechaï Regis Ægypti, quem Ieremias maxime deplorauit. In eo videant Principes, quo zelo religionem tueri, pseudoprophetas persequi, Dei legem admittere, & templum Dei curare debeant.

2. Par. 34. / 2. Reg. 13. / Eccl. 49.

XLIV. IOSIAS *autem genuit Iechoniam, & fratres eius, in transmigratione Babylonis*: Id non ita intelligendum est, quasi IOSIAS in ipso exilio filios genuerit, cum nec in Babylonem adductus fuerit, nec transmigratio illa temporibus eius contigerit; sed quod illa iam imminente filios habuerit, aut quod in Babylonem posteritas eius abducta sit. Ceterum videtur Iechonias non fuisse filius Iosiæ, sed nepos ex patre Ioachim, vt constat ex 3. REG. filio Iosiæ, qui hic omittitur, satis alioquin notus ex historicis & propheticis libris. Nam & I. PARALIP. hæc leguntur: *Filij autem Iosiæ fuerunt, primogenitus Ioanam, secundus Ioakim, tertius Sedechias, quartus Sellum, de Ioakim natus est Iechonias, & Sedechias*: erat igitur Iechonias non Iosiæ, sed Ioakim filius. EPIPHANIVS Binonimum fuisse Ioakim putat, dictum scilicet Iechoniam esse, à quo & filius tale nomen sortitus est. porro 3. ESDR. Ioakim vocatur Iechonias, qui tribus tantum mensibus regnauit in Ierusalem, & vt ibi dicitur 2. PARAL. *Amouit autem eum Rex Ægypti, cum venisset in Ierusalem, & condemnauit terram centum talentis argenti, & talento auri. Constituitque pro eo Regem Eliachim, fratrem eius, super Iudam, & Ierusalem, & vertit nomen eius Ioakim: ipsum vero Ioachaz tulit secum, & abduxit in Ægyptum. Vigintiquinque annorum erat Ioakim, cum regnare cœpisset, & vndecim annis regnauit in Ierusalem, fecitque malum coram Domino Deo suo.* Contra hunc ascendit Nabuchdonosor Rex Chaldæorum, & vinctum catenis duxit in Babylonem. Liber etiam Hebræorum (Seder olam Zitta) Ioakim

2. Par. vlt. / 3. Reg. 13. / 1. Par. 3. / Epiph lib. 1. cõt. hæres. / 3. Esdr. 1. / 2. Par. 36.

& Iechoniam eadem ſonare oſtendit, cum filium Ioakim vocet etiam Ioakim, ſeu Iechoniam. hæc enim habet: [Ioakim patri Ioſiæ ſucceſſit; tribus menſibus; Ioachim ſuperioris Regis frater regnauit annis vndecim, & regni tertio anno captiuus factus eſt à Nabuchodonoſor in vinculis, vt impleretur illud IEREMIÆ: *Ierem. 22.* *Sepultura aſini ſepelietur*: poſt patrem Ioakim regnauit Ioakim, ſiue Iechonias tribus menſibus, & diebus decem: traxit autem illum in exilium Nabuchodonoſor cum octodecim millibus, Sedechiamq; patruum eius, filiũ Ioſiæ, in locum eius ſuffecit:] Ex his colligimus fratres Ioakim, ſeu Iechoniæ, omnes in exilium abductos, aut à Rege Ægypti, aut à Nabuchodonoſor, Rege Babylonis; & illo quidem occiſo, filius tandem eiuſdem nominis, Ioakim, ſeu Iechonias, cum videret ſe denuo, & vrbem Ieroſolymam obſideri à Chaldæis, conſilio Ieremiæ tradidit ſe Regi Nabuchodonoſor, & hic quidẽ proprie dicitur tranſmigraſſe in Babylonẽ, vt ſcribit S. THOMAS lib. Comment in Matthæum; *S. Tho. ſup. Matth.* & ille eſt, de quo dicitur: *Matth. 1.* *Et poſt tranſmigrationẽ Babylonis Iechonias genuit Salathiel*: Magna tum populo Dei clades, magnæ principibus à Deo perſecutiones imminebant, cum extraneorum libidini ſubiicerentur.

XLV. NEC interim tamen Deus paſſus eſt, ſemẽ Iuda, & domum Dauid reſcindi, etiam ipſis Regibus in Babylonem abductis: *Iſai. 1.* *Niſi enim Dominus reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha.* Quæ rerum vices, & Reipublicæ Iudaicæ, ſimul & regii ſtatus euerſio non aliunde euenit, quã à Dei, & religionis contemptu, à Principum tyrannide, à ſeditione populi, à ciuilibus bellis, & à contracto cum prophanis hominibus fœdere; ideo exclamat IEREMIAS: *Ierem. 22.* *Numquid vas fictile atq; contritum vir iſte Iechonias?* legimus Iechoniæ filios fuiſſe *1. Paral. 3.* Aſir, Salathiel, Melchiram Phadaiam, Senezer, Iecemiam, Samam, & Nadabiam: etſi autem in ipſo exilio geniti ſunt, poſteritas tamen ſuperfuit eo tempore, quo liber in Palæſtinam populus egreſſus eſt. Aut ſic intelligendum, quod genuerit Salathiel, vt legitur in contextu Græco, id eſt, quod circa deportationem in Babylonem, ſeu poſtquam ipſe, & populus in Babylonem tranſmigrauit, non autem poſtquam à Babylone reductus eſt. Chronicon Hebræorum (Seder olam Zutta) narrat, Sedechia abducto, ne vllum quidem relictum eſſe de familia Dauidis, præter illum Iechoniam, filium Ioakim, quem antea Nabuchdonoſor in exilium duxerat, ita illum à poſtrema clade gentis Hebraicæ, quæ diebus Sedechiæ contigit, exilium ſecurum reddidit. Frequenter enim accidit, vt, ſi quo malo primum premamur, ab imminente immunes, & cautiores efficiamur; vt enim ait Prouerbium: *In quibuſdam mala profuerunt.* Obſeruat hoc Chronicon tres tranſmigrationes in Babylonem, primam ſub Ioakim filio Ioſiæ, ſecundam ſub Iechonia eius filio, tertiam ſub Sedechia, qua Nabuchdonoſor abduxit Iuda è patriis ſedibus, tum videbatur ſpes naſcituri Meſſiæ decidiſſe, occiſa omni familia Dauid, cum tamen exiſterent triginta octo cognationes, niſi Dominus Iechoniam olim captiuum, & in quem inimicorum furor deferbuerat, reſeruaſſet. Ac, vt proſequar ex Seder olam, imperium quidem obtinuit Nabuchdonoſor vſque ad annum trigeſimum ſeptimum exilii Regis Iechoniæ: poſt eum mortuum Euilmerodach filius eius imperauit annis viginti tribus: is anno primo regni ſui eduxit Iechoniam de carcere, qui poſtea diſceſſit de vita, Sedechia iam mortuo: hunc Iechoniam virum fuiſſe ſanctiſſimum, tradunt nonnulli, quique continuis apud Deum precibus pro populi ſui liberatione egerit. Porro Salathiel filius Iechoniæ (vt quidem narrant ſapientes) in captiuitate erat, imperante tribus annis Balthaſſare.

XLVI. HINC oportet deducamus illud magni momenti documentum, nimirum, infallibiles eſſe diuinas promiſſiones, nec aliquo vmquam caſu impediri poſſe. captiua fuerat Tribus Iuda, ex qua Chriſtus ſecundũ carnem procedere debuit, atque translata in Babyloniã ſterilis remanſerat domus Dauid, ac veluti extirpata, & emortua, quibuſdam captiuis, aliis exſtinctis. cum ergo videretur radix Ieſſe velut euulſa, ac emortua; quia tamen radices ſuas fixas habebat in firmiſſimis Dei promiſſionibus; etiã poſt tranſmigrationem Babylonis denuo germinare ac florere incepit, vt eleganter ISAIAS *Iſai. 1.* Propheta nobis inſinuauit. nam cum per aliquot capita præcedentia hanc domus Dauid euerſionem prædixiſſet, cum iam exſtincta, ac penitus euulſa putanda eſſet, ecce ſubito, ac improuiſo, rurſus quaſi euigilãs Propheta dixit: *Ibid.* *Et egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet*: ac ſi patenter dicat: ne putetis, prorſus exſtinctã radicẽ Ieſſe, etiamſi & Tribum illam in alienigenas tranſmiſſã, Reges eius interfectos, ac captiuos, abſque Regis cultu, ac nomine remanſiſſe videatis: quoniam fidelis eſt Deus, ſeipsũ negare non poteſt, *2. Cor. 1.* & ideo nec iota quidẽ aut vnus apex ex omnibus, quæ promiſerat, *Matth. 5.* præterire poterit; vnde ex his mancipiis, ex his captiuis, ex his quaſi obliuioni datis Regum filiis rurſum vireſcet radix Ieſſe, erumpetque flos de trunco eius: ſicut enim non ſemel vidimus, ſalicem longe aliquando ab aquis ac fontibus eſſe plantatum, tamen ſubterraneas, & aridas radices emittit, quæ cum ad ripas fontis appulerint, ibi vireſcere & germinare incipiunt; ſic arbor iſta de domo Dauid, cuius radices, quæ pene emortuæ videbantur, ac paulatim, quaſi ſub arenis captiuitatis, ſeruitutis, & aduerſæ fortunæ, tandem ad fontem peruenerunt, & præter humanam ſpem rurſum gratiſſimo virore pullularunt: Ibant enim omnes illi priſci Patres, velut ſub terra, ac ſiccis arenis, per legem veterem, per deſerta, per exilia, atque varia diſcrimina rerum properantes; tamen indies magis radices ad fontem, hoc eſt, beatam Virginem, fontem ſignatum, ac puteum aquarum *Cant. 4.*

viuen.

viuentium appropinquarunt: vnde factum est, vt
Ibid. cum domus Dauid oblita, ac sepulta videretur, alie-
nigena Herode regnante, cum paupercula esset
Virgo de domo Dauid fabro cuidam pauperi de-
Matth.1. sponsata: *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ*: in
ea rursus cœpit pullulare & virescere radix hæc
Is.53. emortua Iesse, vt ISAIAS prædixerat: *Ascēdet sicut*
virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti: hoc
est, radix, quæ de captiuitate venerat, rursum pullu-
labit, ac crescet, quousque ad fontem perueniat, ex
quo nascatur Christus, qui ex illa radice promissus
Iob.14. erat. Id mihi Iob insinuasse videtur, cū dixit: *Li-*
gnum habet spem, si præcisum fuerit, rursum virescit,
& rami eius pullulant: si senuerit in terra radix eius, &
in puluere emortuus fuerit truncus illius: ad odorē aquæ
germinabit, & faciet comā, quasi cum primū plantatū
est: certe arbor hæc generationis Christi, licet ha-
buerit quasi emortuas in captiuitate Babylonis
eius radices, tamen quia illæ diuinæ promissioni
firmabātur, tandem copiose adeo germinauit, *vt*
Ibid. *faciat comam, quasi cum primū plantata fuit*, hoc est,
vt non minorem claritatis splendorem, sed multo
maiorem per Mariam Christum germinantem ob-
tinuerit.

Matth.1. XLVII. SALATHIEL *autem genuit Zorobabel*, cu-
Esdr.c.3. ius præconia in libris Esdræ narrātur: ad eius quip-
pe petitionem Darius Rex Persarū liberum Iudæis
in terram suam reditum fecit: de quo etiam in Ec-
Eccl.46. CLESIAST dicitur: *Quomodo amplificemus Zorobabel?*
ipse enim quasi signū in manu dextera Israel: & apud
Agga.c.1. AGGÆVM: *In die illo, dicit Dominus, assumā te, Zoroba-*
bel, fili Salathiel serue meus, & ponā te, quasi signacu-
lum, quoniā te elegi: hoc duce populus lætus ab exi-
Matth.1. lio remigrauit. *Zorobabel autē genuit Abiud*: hoc re-
cedere videtur à 1 PARAL.3. vbi legitur Zorobabel
tres filios habuisse, Mosolā, Ananiā, & Salomith.
Salathielis autem nulla fit mentio, sed soluit LYRA-
NVS, quod Abiud vno nomine intelligi potest, vt
qui ad aliorum multorum instar binominis fuerit;
vel quod non omnes hic in Paralipomenon Zoro-
babelis filii expressi sunt; aut quod Abiud re-
scissus fuerit ab Herode, vt regia successio rescin-
deretur. aut quod Matthæus diuina ratione, aut
arcana traditione intellexit, hūc etiā fuisse Sala-
thielis filiū, è quo Ioseph originē traxit. Sunt, qui
Ananiam illum esse censeant, qui post Messolam
obtinuit principatum.

XLVIII. ABIVD *autem genuit Eliachim*: illum for-
Matth.1. te, quē NEHEMIAS primo loco inter sacerdotes enu-
Nehē.c.10. merat; aut eum, quem liber Seder Olam Zutta Ba-
Matth.1. rachiam nuncupat. *Eliachim autē genuit Azor, Azor*
autē genuit Sadoc, Sadoc autem genuit Achim, Achim
autē genuit Eliud, Eliud autē genuit Eleazar, Eleazar
autē genuit Nathan, Nathan autē genuit Iacob. De his
in canonicis scripturis nulla fit mētio, quod illæ, id est,
historiæ fuerint antiquiores, & quod, si quæ tandē
editæ sunt, quæ illas seu regalis, seu Leuiticæ Tri-
bus successiones exprimerent, temporum iniuria
perierunt. Narrant enim AFRICANVS, in e-
pistol. ad Aristidem, quam supra citauimus, EVSE-
BIVS CÆSARIENSIS, & post eum NICE-
PHORVS locis supradictis, Herodem id curasse,
vt catalogi successionis regalis cremarentur, verum
nec tam præualuit eius inquisitio, vt non interim
aliquid apud quosdam scriptum, aut traditione
mandatum superesset, ex quo Matthæus hæc; sed
maxime ex diuina reuelatione, collegit.

Iacob autem genuit Ioseph, virum Mariæ, de
qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.
§.11.

XLIX. ANTEQVAM verba hæc elucidare aggre-
diar, oportet prius reddere rationem, quare Chri-
stus Dominus voluerit non solum ex sceleratis
progenitoribus, tam viris, quam fœminis ortum
ducere; sed & has in sua genealogia expresse nomi-
nari. Rationes Patrum primum proferam, deinde,
quas nos excogitauimus. D. August. impugnans D. Aug.
Manichæorū hæresim, asserentium, Christum non lib.22. cōt.
habuisse verum corpus humanum, originem Faust.c.
ducens ex fœminis peccatricibus; hanc singula- 64.
rem rationem reddidit in hæc verba: *Isti hæretici*
ignorant veracissimum & verissimum Saluatorem no-
strum non solum loquendo, sed nascendo magistrum ex-
titisse; etenim fideles congregandi erant ex omnibus
gentibus, & ita ex generatione Christi discere debue-
rant, parentum iniquitatem sibi non obesse, iuxta illud
Ezechielis: Non occidentur patres pro filiis: & illud Ezech.18.
Deuter. Vnusquisque onus suum portabit. D. HIERON. Deut.24.
& CHRISTIANVS BRVTHMARVS in Comment. hu- D. Hieron.
ius loci asserunt, propterea de peccatoribus Chri- super cap.
stum Dominum nasci voluisse, vt pro redimendis 1. Matth.
peccatoribus se venisse profiteretur; verba D. HIE- Christian.
RONYMI hæc sunt: *Notandum est, in genealogia Salua-* Bruth. ibi-
toris nullā sanctarū assumi mulierū, sed eas, quas Scri- dem.
ptura reprehendit, vt qui propter peccatores venerat,
de peccatoribus nascens omnium peccata deleret: hæc
ille. Quibus non dissimilia sunt, quæ tradit CHRI-
STIANVS BRVTHMARVS, dum ait: *Quare peccatrices*
mulieres commemorentur in genealogia Domini, & non
iustæ, vt Sara, Rebecca, & aliæ, quæ ibi multæ fuere, vt
mater Dauid, & Iosaphat? sed propterea illæ peccatrices
mulieres ponuntur, vt ostendatur, illum, cuius genealo-
gia est, propter peccatores venisse; sicut ipse dixit: Non
veni vocare iustos, sed peccatores; & vt nullus pec-
cator desperaret conuerti ad Dominum. Atque hinc
est, quod, vt obseruat Diuus AVGVSTINVS, D. Aug. lib.
in illo sacrificio agni paschalis, quod præcipitur 22. cont.
EXOD. 12. hœdus simul, & agnus immolabantur, Faust. c. 64.
vt colligitur ex MATTH. per agnos significan- Matth. 25.
tur boni, & per hœdos peccatores, vt intelligere-
mus, Christum, qui significabatur per hoc sacrifi-
cium, ex bonis & malis originem duxisse, & pro
vtrisque immolandum fuisse; nec enim peccatores
horret Rex ac legifer noster Christus: sed intel-
ligant gentes, & peccatores, se ius ad Christum

Gen. 24. Gen. 28. habere. Horrebant Isaac, & Iacob, filios suos peccatricibus iungere, ne eorum hæreditas ad alienos transiret; noster autem verus Isaac, ac Iacob, etiam peccatores pœnitentes amplectitur, cohæredesque cum sui populi hæredibus facit, quippe cuius hæreditas etiam in plures distributa, nequaquam minor sit.

L. SED dicamus aliter, Christum Dominum mirabilem se voluisse ostendere, dum non solum à Regibus, & Patriarchis, sed & à peccatoribus, quod mirabilius est, nasci decreuerit, vt non obscure insinuasse videtur ISAIAS, Isai. 9. dum de illo prædixit: *Vocabitur nomen eius admirabilis, Deus fortis, Princeps pacis, pater futuri sæculi:* admirabilis quidem, quia à Regibus, qui iniuriarum acerrimi vltores esse solent, Matth. 21. oriens, pacificus Rex nobis factus est: *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus*: admirabilis, quia à Patriarchis originem ducens, eorum omnium Patriarcha nascitur. Deinde illud sane dicitur admirabile, quod non secundum naturæ cursum fit, aut, quod raro contingit: vnde sicut Christus Dominus admirabilis dicitur, non solum, quia totam facultatem naturæ transcendens, portentosa miracula fecit; sed multo magis, quod mortem obierit, cum insolitum sit, & raro contingens, Principem pro subditis mortem oppetere. sic etiam, & ob hanc rationem ipse admirabilis merito nuncupari debet, non solum, quod homo factus, sed quod tales habens progenitores sceleratos, & facinorosos, nihilominus tamen nec ipse, nec mater eius aliquam inde peccati labem contraxerint. Vnde D. HIERONYMVS in Dialogo de origine animarum, respondens quibusdam, qui Deum increpabant, eo quod animas adulterinis fœtibus infundebat, eleganter dixit: *Non est vitium sementis in tritico, quod furto dicitur esse sublatum, sed in eo, qui frumenta furatus est, nec quid sit, quod terra non debuit in gremio suo semina confouere, quia sator immunda ea proiecerit manu*: quemadmodum ergo frumentũ furto habitum nullam maculam contrahit à fure seminante illud, ita Christus Dominus, & Maria, licet à progenitoribus peccato infectis processerint, nullam tamen ab eis peccati maculam contraxere: quemadmodum autem cum quis aquam ex longinquo loco ad proprium ducere satagit, licet fistulæ, per quas illa ducitur, luteæ, impolitæ, atq; deformes sint, fons tamen, in qua aqua recipitur, ex pulchris lapidibus, vt iaspide, marmore, porphyrete, & alabastro confici solet; & aqua, quæ inde defluit, nihil fistularum deformitatis, per quas transit, ab illis mutuat: sic certe, quamuis progenitores Christi, luteæ fistulæ, & peccati macula deformati fuerint, ex beata vero Maria, quæ fons erat variis virtutum lapidibus perpolitus, & exornatus Christus Dominus nascens, nullam progenitorũ, per quos pertransiit, maculam contrahens, emanauit; itaque cœlestis illa aqua, de qua ipse dicebat: Ioan. 7. *Qui sitit, veniat ad me, & bibat*, ea quidem puritate, Ioan. 1. qua erat apud Patrem: *& Verbum erat apud Deum*, eadem in vterum Mariæ descendit: *De qua natus est Iesus.* Matth. 1.

LI. TANDEM arbitror, Euangelistam consulto quatuor peccatrices fœminas in Christi genealogiam induxisse, quia omnes illæ nouis ac singularibus quibusdam modis fuerunt viris coniunctæ, in quibus mira arcana delitescunt coniunctionis Verbi cum humanitate Christi, & eiusdem spirituali cum Ecclesia desponsatione. Thamar n. simulans Gen. 38. se meretricem, cum socero proprio se commiscuit, vt sine filiorum sobole non maneret. Rahab exploratores Iosu. 1. occultans, in populum Dei translata est, atque digna habita fuit coniugio principis Tribus Iudæ. Ruth Moabitis, quoniam propter famem ortam in terra Israel, ad Moabitas profugit. Ruth 1. 4. Abimelech cũ vxore sua Noemi filiis suis coniuges Moabitides ibi accepit, Ruth. 1. 2. 3. 4. quæ orbatæ viris, vna remansit cum suis. Ruth adhæsit socrui suæ, atque colligens spica post messores in agro Booz, viri potentis, Ruth 4. ipsi in coniugem copulata est. Bethsabee, ex quo Dauidi visa est, 2. Reg. 11. cum se lauaret, eius amore captus, eam à viro rapuit, quo interfecto, in coniugẽ eamdem sumpsit; hæc omnia varia mysteria Christi complectuntur, quæ non est huius loci enucleare: maxime cum in Homiliis nostris Catholicis de Incarnatione latissime de eis sermonem instituerimus. Hom. Cathol. lib. 2. de Incarn.

LII. HIS iam prælibatis ad verba illa accedamus: *Virum Mariæ, de qua natus est Iesus*: ecce, quam sapienter Euangelista mutauit stylum narrationis suæ; nam cum antecessorem semper dixisset genuisse successorem, *vt Nathan genuit Iacob, Iacob autem genuit Ioseph*: Matth. 1. minime tamen subiunxit: *Ioseph autem genuit Iesum*, vt significaret, Christum Dominum non à Ioseph, tamquam à patre, qui solum habet patrem in cœlis, ortum habuisse; sed à sola Maria; & ideo stylum mutans dixit: *Iacob autem genuit Ioseph, virum Mariæ, de qua*: non, *de quibus, natus est Iesus*: quibus verbis duo magni momenti sacramenta nobis detexit; primum, Christum Dominum non fuisse conceptum ex virili semine; secundum, Mariam, virginitatis integritate conseruata, filium suum concepisse, cum non ex viro, sed ex diuino spiramine conceperit. Deinde id non potest vacare mysterio, quod cum Deus olim reliquis sanctis insigne aliquod beneficium conferens, nomen eorũ mutabat: Abrahæ n dixit: *Non vocaberis Abram, sed Abraham*: Gen. 17. quia pater eris multarum gentium: Iacob post nocturnam luctam ait: *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel*: Gen. 32. quasi diceret; iam non amplius nomen tuum erit, *luctator*, sed, *videns Deum*: Sauli etiam nomen in *Pauli* nomenclaturam commutauit; ac tandem Simoni inquit, iam deinceps non sic appellandum, sed *Petrum*: *Et imposuit Simoni nomen Petrus*: Marc. 3. *quia super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matth. 16. Hæc cum ita se habeant, non potest non aliquod in eo latere arcanũ, vt, alioquin Deus ad sublimissimam Dei Genitricis dignitatem

Virgi-

Virginem euehens, Mariæ nomen, quod ab infantia sibi collatum fuerat, minime, vt moris erat, mutauerit. Crediderim sane, id consulto Deum fecisse, vt significaret, alios cum ad nouum statum mutabantur mutare etiam debuisse licentiosam vitam in regularem; Virgo autem tanta semper sanctitate præcelluit, vt nihil in ea vnquam de malo in bonum mutandum desideraretur, & ideo ad id significandum etiam nouam, ac celsissimam Dei Genitricis dignitatem accipiens Mariæ nomen non mutauit, sed semper illud retinuit, quod & eius significatio non obscure portendebat, cum *Illuminata* interpretetur: quæ autem illuminata erat, non indigebat, instar cæterorum, de tenebris ad lucem transferri, iuxta illud PAVLI: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux.* ph. 5.

LIII. ILLVD tamen silentio prætereundum non est, non absque diuino consilio factum esse, diuersam omnino genealogiam Christi narrandi rationem sortitum fuisse Matthæum à Luca; hic enim in ista mystica scala generationis Christi ascendit vsque ad supremum gradum, nempe Deum, desinens in illa verba: *Qui fuit Dei*; primus enim genitor Christi Deus fuit, iuxta illud SYMBOLI NICÆNI: *Deum de Deo, lumen de lumine: genitum non factum:* ille vero descendit ab Abraham vsque ad Mariam, à qua vltimus gradus huius scalæ CHRISTVS Dominus secundum humanam naturam prodiit, eodem Euangelista dicente: *De qua natus est Iesus:* sic enim sacri Euangelistæ nos monuerunt; illum secundum diuinitatem cunctis creaturis celsiorem, secundum humanitatem vero nouissimum omnium virorum habitum esse, vt dixit ISAIAS. vnde & iusti per Angelos significati, qui ascendebant & descendebant per scalam, quam in somnis vidit Iacob, inuitantur, vt ascendant per hanc mysticam scalam vsque ad cœlorum cacumen, diuinitatem eius in sinu Patris adorantes, atque inde descendant vsque ad terrarum infima, abiectum scilicet, & humile stabulum, humanitatem eius in gremio Mariæ, *De qua natus est Iesus*, religiose venerantes.

uc. 3. | Symbol. Concilii Nicæni. | Matth. 1. | a. 53. | en. 28. | uc. 1.

LIV. SACRA narrat GENESIS historia, quod cum Abraham misit famulũ suum Eliezer, vt quæreret sponsam filio suo Isaac, dixit ei: *Pone manum tuam subter femur meum, vt adiurem te per Dominum cœli & terræ, vt non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum.* Inaudita sane iuramenti cæremonia hæc fuit; antiquitus super altare fiebant iuramenta, sicut nunc super Euangelia, aut super crucem, quid ergo est, quod subter femur Abraham illud iuramentum factum est? Sciebat quidem ille spiritu prophetico, femur eius, quia ex ipso oriundus erat Christus, aquæductum esse, per quem aqua illa plouialis Verbi diuini carnem assumpturi, quam antiqui Patres deprecabantur: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum:* transitura erat: & ideo dixit famulo suo, vt iuraret, ponens manum subter femur suum, tanquam super rem quodammodo sacram, vt enim nunc in Ecclesia Dei, quando ad petitionem Iudicis sacerdos compellitur iurare, iurat ponens manum super pectus suum, tanquam super rem eo nomine sacram, quod illac frequenter transeat corpus Christi in Eucharistiæ Sacramento sumptum: ad eundem modum Abraham fecit famulum suum Eliezer iurare super femur suum tanquam super rem ea ratione sacram, quod per illud, tanquam per aquæductum pertransibat cœlestis illa aqua Verbi diuini vsque ad Isaac, & reliquos eius successores, Christi futuros progenitores.

Gen. 24. | Isa. 45.

LV. SED dicet quispiam, & merito, qui fieri potest, vt si Iacob, Isaac, & reliqui Patriarchæ aquæductus erant, per quos cœlestis illa ducebatur aqua, sitibundi adeo essent, vt continuis precibus illam de cœlo decidere obnixe efflagitarent, immo & DAVID illam ardentissime sitiret, quando dixit: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem?* respondeo Patriarchas illos, etsi prophetico spiritu afflati probe agnoscerent, se aquæductus esse, per quos cœlestis illa aqua ducebatur, necnon & rumorem fluxus illius perciperent, & audirent, sitientes tamen erant, quia nondum peruenerant ad Marianum fontem, ex quo illa in terram defluere debebat. In cuius figuram, ne à prædicto GENESIS loco recedamus, legimus, Eliezer Abrahæ famulum, quando iuit ad quærendam sponsam Isaaco, non bibisse, quousque pulchra Rebecca aquam ex fonte hausit, & eandem ei porrexit; sic certe nunquam sancta Dei Ecclesia hanc cœlestem aquam ex profundissima illa diuini pectoris abysso manantem ebibit, quousque ad purissimum immaculatæ Virginis fontem peruenit, ex quo illam hausit, quia ipsa est, *de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus*: vnde D BERNARD. ait: *Propterea tanto tempore humano generi fluenta gratiæ defuerunt, quod necdum intercederet is, de quo loquimur, tam desiderabilis aquæductus: nec mirabere diutius expectatum, si recordaris, quot annis Noe vir iustus in arcæ fabrica laborauerit, in qua paucæ, id est, octo animæ saluæ factæ sunt; idque satis ad modicum tempus. sed quomodo noster hic aquæductus fontem illum attigit tam sublimẽ? quomodo putas, nisi vehementia desiderii, nisi feruore deuotionis, nisi puritate orationis? sicut scriptum est: Oratio iusti penetrat cœlos; & quis iustus, si non Maria iusta? de qua Sol iustitiæ ortus est nobis? Quomodo ergo illa inaccessam attigit maiestatem, nisi pulsando, petendo, quærendo? denique & quod quærebat, inuenit; cui dictum est: Inuenisti gratiam apud Deum.* hæc D. Bernardus.

2. Reg. 23. | Gen. 24. | D. Bernar. serm. 5. de Assumpt. | Luc. 1.

LVI. AD hæc de Rege Dauid quædam legimus, quibus proposita verba nonnihil illustrari possunt: *Misit manum suam in peram, tulitq; vnum lapidẽ, & funda iecit, & circumducens, percussit Philisthæum in fronte:* Ad eundem modum æternus Pater, per Dauidem significatus, misit manum hoc est, filium suum, iuxta illud: *Emitte manum tuam de alto:* & intromisit petram angularem, vt loquitur PAVLVS,

1. Reg. 17. | Psal. 14. 31.

humani.

humanitatis Christi in peram vteri virginei, deinde autem Christo nascente, inde illam extrahens, vt in crucis funda tempore cruenti illius belli in Monte Caluario ineundi, eandem collocans, Diaboli caput conterat, ac de vniuersis hostibus, instar Dauidis patris sui, de gigante gloriosam victoriam reportet. *1. Reg. 17.*

LVII. TANDEM dicamus (vt ad informandos mores nostra conuertatur oratio) quod si miraris ingentem Virginis dignitatem, dum Genitrix Dei facta est: *De qua natus est Iesus*; sane, tu amice Lector, non prohiberis, quinimmo inuitaris, vt mater Christi efficiaris, ipso dicente: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est*: non enim Christi propinquitas secundum sanguinẽ, sed secundũ spiritum nos sanctificat, quia, vt ait Diuus IOANNES, illi sunt sancti, & iusti, *qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.* Ego certe voluntatem, velut vterum animæ contemplor, in quo omnia desideria concipiuntur, iuxta illud ISAIÆ: *A facie tua, Domine concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum.* Quando enim ex diuinæ inspirationis semine sancta proposita pullulant, tunc bona desideria concipimus; quando vero per bona opera illa exterius in lucem prodeunt, iam partus edimus, & quasi Christum parturimus, quem antea mente solum conceptum ferebamus. IOB hunc partum considerans, dicebat: *Vel parturientes ceruas obseruasti? incuruantur ad fœtum, & pariunt, & rugitus emittunt.* Ceruæ istæ animas sanctas adumbrant, quæ facile, ac proinde instar ceruarum sublimia loca salientium cœlestia petunt, sancta suæ conuersationis desideria concipiunt, incuruantur per humilitatem, vehementes suspiriorum rugitus præ magna contritione emittunt, ac tandem varia pœnitentiæ opera instar parturientium summo animi dolore pariunt. Verum tamen est, quod, *sicut mulier, cum parit, tristitiam habet; cum autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum*; ita veri pœnitentes post editos salutaris pœnitentiæ fœtus, eo gaudio gaudent, de quo CHRISTVS Dominus ibidem dixit: *Gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis*:

Matth. 1. *Matth. 13.* *Ioan. 1.* *Isa. 26.* *Iob. 39.* *Ioan. 16.* *Ibid.*

Quod nobis dignetur præstare, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

* *
*

Finis Secundi Libri.

DE







DE SACRIS ARCANIS PRÆSENTATIONIS BEATÆ VIRGINIS IN TEMPLO,

LIBER TERTIVS.

Homilia Prima.

HISTORIAM MARIANAE PRAESENTATIONIS IN TEMPLO, variaque prodigia illam concomitantia, priscorum Patrum monumentis, ac multiplici probatißimorum Doctorum testimonio stabilimus.

I. E in vanum in sublime ædificium erigere videamur, non præiacto prius sufficienti fundamento, certe cum hæreticorum impudentia PRÆSENTATIONIS historiam ab Ecclesia Catholica receptam, tanquam fabellam, ac ridiculam narrationem perfricata fronte, irrideat, compellor, verissimam illam esse, ex antiquissimis Patribus, omni exceptione maioribus testibus, prius comprobare, quam illustrare. In primis ergo produco S. IOANNEM DAMASCENVM in hunc modum de Præsentatione loquentem: *Editur partu in domo ouilis Ioakim, & adducitur in templum; deinde in domo Domini plantata, & impinguata spiritu, velut oliua fructifera omnis virtutis habitaculum facta est ab omni sæculari vita, & carnali concupiscentia procul mentem sequestrans, & sic Virgineam animam cum corpore conseruans, vt decebat eam, quæ in sinu Deum susceptura esset; sanctus enim existens in sanctis requiescit; sic igitur sanctificationem omnem exercet, vt templum sanctum & admirabile Altissimi Dei digne demonstraretur.* sic ille. Sed ante illum GREGORIVS NYSSENVS sermone de S. Christi natiuitate, ita habet: *Audiui igitur arcanam & occultam quandam historiam tales de ea re memoria prodentem narrationes. Insignis quidem in illa exacta secundum legem viuendi ratione, & nobilis propter summam virtutem pater Virginis erat, sed expers sobolis consenescebat, propterea quod coniux eius ad liberorum procreationem apta non esset. Habebatur autem matribus ab lege quidam honor, cuius honoris steriles participes non erant. Imitatur igitur hæc quoque ea, quæ de matre Samuelis narrantur, & Sanctum sanctorum ingressa, supplicat Deo, ne legum beneficio priuetur, quæ nihil in legem peccasset; sed vt mater fieret, ac Deo, quod gigneretur, consecraret. Confirmata autem nutu diuino, donum, quod petiit, accepit, quum autem nata esset puella, nomen quidem imposuit ei Mariam, vt etiam per nomen impositum diuinitus datum munus significaretur; quum autem puella iam ita grandis euasisset, vt mammæ admoueri eam amplius opus non esset, haud cunctata est eam ad templũ adducere, ac Deo reddere, atque promissum præstare. Sacerdotes autem exemplo Samuelis in sacris interim puellam educauere.* hæc D. Gregorius Nyssenus. Nec iuuat auctoritatem huius historiæ infringere velle, eo quod S. GREGORIVS egregie vocauit illam apocrypham, & mysticam, quia hoc idem est, quod apud nos tanquam occultam & arcanam, absque scripto canonico, per nudam traditionem, vsque ad tempus illud peruenisse. Vnde veram illam esse existimasse, probant verba, quæ inferius subiungit, explicans verba illa: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* hæc (inquit) *Mariæ vox demonstrat esse vera, quæ per occultam illam historiam traduntur.* Luc 1.

Ioan. Dam. lib. 4. de orth. fid. cap. 13. circa med.

Greg. Nyss. serm. de nat. Christi.

II. SED adhuc, quod maioris ponderis & momenti est, ad magis stabiliendam veritatem Marianæ præsentationis, B. EVODIVS vir Apostolicus, post D. Petrum Antiochenæ Ecclesiæ præsul in epistola, quã *Lumen* inscripsit, (vt refert NICEPH.) ait: *Trimula cum esset, in templum est præsentata, & ibi in Sanctis sanctorum traduxit annos vndecim: deinde* B. Euod. apud Niceph. lib. 2. c. 3. hist.

Epiph. lib. de vit. B. Virg.

vero sacerdotum manibus Iosepho ad custodiam est tradita: tandem eandẽ historiam recipiunt EPIPHAN. Monach⁹, ac presbyter Constantinop. qui ait: Virginẽ triennẽ præsentatã tẽplo a parentibus suis, cũ donis, & susceptam à sacerdote *Iodai*, qui & *Barachias* dicitur, pater Zachariæ; & narrat paulo post dictam præsentationem Ioakim annorũ nonaginta nouem è vita decessisse. Addo GEORGIVM NICOMEDIENSEM, & GREGORIVM THESSALONICENSEM ante 60. annos, & PHOCIVM ante 70. annos in questionibus ad Ampylochiũ Cyri Episcopum, NICEPHORVM lib. 1. hist. cap. 7. D. BONAVENTVRAM in meditationibus vitæ Christi, ANTONIVM p.p. cap. 1. § 8. textu 5. SIMONEM METAPHRASTEM, LIPPOMANVM Episcopum, & CANISIVM: quos cõmuni consensu sequũtur historiographi Ecclesiastici. Nec mihi videtur ignota fuisse hæc Præsentationis historia, vt quidam putarunt, D. Gregorio Nazianzeno; non enim legeram totam Tragœdiam de Christo patiente, vbi induxit B. Virginẽ in hunc modũ loquentem.

Georg. Nicom hom. de præsent. Gregor. Thess. hom. de præsent. Canis. lib. 1. de Deip. c. 13.

Simulatque nata sum, patris tui, vt arbitror,
Ex mente summa, me meus nutrit pater.
Non inter illos, quos colunt homines, lares,
Sed me sacratæ mater ædi destinat.

III AD hæc, quod omnem dubitandi viam præcludit, illud esse arbitror, quod GVILIELMVS Dux Saxoniæ pro religione sua & pietate in hoc Virginis festum, quod in Saxonia magna pietate celebrabatur, literas misit ad Pium II. Pontificẽ Maximũ, quibus, vt hoc festum auctoritate Apostolica confirmaret, postulabat, sed illi immature mortuo successit Paulus II. qui fere ante centum annos, postulatis Guilielmi Ducis de benignitate assensus est Apostolica; concedens, vt non secus, atq; Assũptio Virginis, eiusmodi solennitas in Ecclesia celebraretur: cuius rei extant grauissimi testes, nẽpe ipsæmet literæ Apostolicæ in registro gestorũ Pauli II. & testantur duo Martyrologia: alterum Vsuardi, alterũ Molani theologi. Non est autẽ verisimile, hoc diploma à Sede Apostolica prodiisse, & nõ prius diligenter fuisse examinatũ, atque discussum, quibus, & quam firmis testimoniis hæc Præsentationis historia niteretur. Quod autem tarde fuerit hoc festum institutum, singulari Dei prouidentia factum reor, vt singulæ Ecclesiæ ætates suis gaudeant reuelationibus, singularibusque obsequiis Deiparam venerentur. Quod si non miramur, tam sero institutum festum corporis Christi per Vrbanum IV. tempore D. Thomæ, cuius tamen veritas plane constat ex sacris literis; quid mirum, si serius coli cœpit in Ecclesia Romana Præsentationis festum, cuius nullum est in Scripturis testimonium?

Referunt id Martyrologium Vsuardi, & Martyrologium Molani.

IV. DVO tamen præcipua, eaque scitu dignissima in hac Præsentationis historia difficultatem ingerunt: primum est, quod non videtur verum, intra templum beatã Virginem habitasse, vt prædicta testimonia tradunt: fœminæ enim illæ, quæ Deo sacrabantur, domos habebãt iuxta templum, vt constat ex Rabbi Abraham; qui in commentario super illa verba EXODI: *Fecit labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi*, sic ait: *Erant in Israel mulieres Deum colentes, quæ spreta mũdi vanitate sua specula Domino offerebant, quia non erant illis opus, quæ per singulos dies veniebant ad ostium tabernaculi, vt orarent, & Dei audirent præcepta*: de quibus mulieribus intelligitur, quod legitur 1. REGVM, impios Heli sacerdotis filios earum fœminarum, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi, castitatem commaculasse. Vnde locum illum 2. MACHABEORVM: *Accinctæ mulieres ciliciis pectus, per plateas confluebant, sed & virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam*: multi explicant (teste LYRANO) de fœminis, quæ iuxta templum habitabant: mihi tamen verisimilius videtur, quod præcipitati Patres indicant, intra ambitum ipsius templi cellulas aliquas fuisse, quibus Virgines, & religiosæ *Viduæ* Deo sacratæ degebant, & templi ministeriis, quoad poterant, inseruiebant. Moueor ad hoc primo ex illo REG. *Iosaba abscondit Ioas à facie Athaliæ, vt non interficeretur, eratque cum ea sex annis clam in domo Domini*: ecce manifestè intra templum (id enim sibi volunt verba: *in domo Domini*) erat habitatio fæminarum, cum Iosaba filia Regis Ioram, vxor Ioiadæ Pontificis, in eo sex annis habitauerit, cum magno ancillarum comitatu, vt Reginam decebat. Moueor ex testimoniis Sanctorum Patrum; nam D. AMBROSIVS ait: quod in primo etiam templo Hierosolymis legimus Virgines esse deputatas, & ex CYRILLO ALEXANDRINO vbi docet, inter templum, & altare spatium quoddam intermedium Virginibus dicatum: & ex antiquissimis ORIGENES ADAMANTIVS huius traditionis mentionem faciens ait: in Hierosolymitano templo peculiarem extitisse locum Virginibus, vt commodius diuinis orationibus vacarent: ac de beata Virgine ibidem subiungit, illam etiam, postquam genuerat Saluatorem, suam stationem, ac precationem, eodem in loco cum Virginibus peregisse, quod factum cum ab aliis reprehenderetur, Zachariam patrem Ioannis Baptistæ illam defendisse, ac dixisse: *Digna est Virginum loco, quia virgo est*, & in eius defensionem violentam mortem sustinuisse, idque significant verba illa: *Quem occidistis inter templum & altare*: ibi enim orta fuerat illa contentio. Refert hanc eandem traditionem THEOPHYLACTVS ad cap. 23 Matth, & admittit illam CYRILLVS ALEXANDRINVS lib. aduersus Anthropomorphitas, cap. 27. & THEOPHYLACTVS in enarratione 23. cap. Matth. ait: *Habet ita narratio nobis tradita, quod locus quidam in templo fuerat, in quo stabant Virgines.* Moueor tandem ex testimonio GEORGII CEDRINI in compendio historiarum, nec nõ ex auctoritate insignis nostri sæculi Poëtæ, BAPTISTÆ MANTVANI, qui lib. 1. Partheniæ ita scripsit:

Exod. 38.

1. Reg. 2.

2. Mach. 3.

Lyr. ibid.

4. Reg. 11.

D. Ambr. lib. 1. de Virginib.

Cyril Alex lib. contra Antrop. c. 27.

Orig. Adam. tract. 26. in Mat.

Matth. 23.

Mose-

Mos erat antiquus, longum seruatus in æuum,
Æde puellares annos includere sacra,
Ætatemq; Deo teneram, primumq; dicare
Virgineum florem vitæ, & generare pudoris
Ingenui curam, sanctosq; inducere mores;
Mox, vbi vestitum prima lanugine tempus
Venerat, in thalamos ibant, hymenæaq; tecta,
Coniunctaq; viris proli indulgere solebant.

quibus consonant carmina GOTHFREDI VITERbiensis 4. p. sui Chronici:

Mos erat in templo teneras seruare puellas,
Quas ibi lege sua cum relligione reseruant:

de Maria porrò hæc adiicit:

Nata maris Regina Maria nouella;
In templo Domini nocte dieq; fuit.
Creuit, & à cunctis meruit vehementer amari,
Moribus, & specie dignior absq; pari.

V. SECVNDVM, quod prædictam Marianæ præsentationis historiam suspectam reddere videtur, illud quidem est, quod in ea asseritur B Virginem habitasse in secretiori templi loco, quem *Sancta sanctorum* vocitabant; hoc enim putant non solum hæretici, sed & quidam Catholici falsum, quia vt constat ex D. PAVLO, soli Pontifici illud ingredi fas erat, idq; semel in singulos annos. sic enim ait: *In secundo tabernaculo (id est, in Sancta sanctorum) semel in anno solus Pontifex non sine sanguine introibat:* & tradit Iosephus: non ergo, inquiunt, permitteretur Virgo in eo loco habitare, ad quem soli Pontifici accedere licebat, sed obiectio hæc facile eneruatur, si dicamus, soli Pontifici licuisse ingredi Sancta sanctorũ ex lege, ex speciali tamẽ priuilegio id etiam concessum fuisse Virgini: immo D. GREG. NISSÆN. in orat. de natiu. ex arcana quadam historia refert, D. Annam ad adorandum Sancta sanctorum ingressam fuisse, & ECCLESIA ROMANA in officio S. Iacobi ait: *Iacobo vni licebat ingredi in Sancta sanctorum.* si ergo ob insignem horum sanctitatem permissum fuit his Sancta sanctorum ingredi, non est difficile credere, idem datum fuisse Virgini. Equidem locum illum D. Pauli de ingressu solius Summi Pontificis in Sancta sanctorum non ignorabant antiqui Patres, & tamen disertis verbis Virginem Mariam in loco illo, Sancta sanctorum, vocato, commoratã fuisse contestatur: nam S. GERMANVS Episcopus Constantinopolitanus in sermone de præsentatione Virginis, ait: *Vbi non sæpe, sed semel solum in anno sacerdos ingrediens peragebat cultus mysticos; illuc Virgo, vt ibi perpetuo maneret, à suis adducitur parentibus, vt esset in sacris gratiæ adytis. Quis vidit aut audiuit fœminam, quæ adduceretur in intima Sancta sanctorum, ad quæ vix patet aditus hominibus, vt in eis habitet, & versetur: an non est hoc euidens demonstratio noui & alieni operis, quod in ea futurum erat postea? ostendant nobis, qui in eam linguas mouent, & vident, tanquam non videntes, vbinam talia vmquam viderunt? puellam ex professo adduci intra tertium velum, tanquam donum, in quod nullã cadit reprehensio, vt illic habitaret assidue.* hæc ille. & NICEPHORVS expresse ait: Virginem in sanctiori templi loco habitasse. *Virgo, vt res diuina, intacta, & sacrosancta, in templi sanctiore loco, & in adytis ipsis viuebat.* constat autem, sanctiorem locum fuisse Sancta sanctorum, quod & docent fere omnes præcitati Patres, & moralem eius rationem pie & ingeniose tradidit GEORGIVS NICOMEDIÆ Archiepiscopus in oratione de præsent. Virginis: *Oportebat*, inquit, *Virginem non in sanctis sanctorum tabernaculis, sed in ipso cœlo cœli in prima ætate educari eam, quæ his collata sit latior, & puritate antecellat.* Quanto autem tempore in eo loco habitauerit Virgo, per vndecim annos respondet EVODIVS præcitato loco, dicens: *In Sanctis sanctorum traduxit annos vndecim.*

Heb. 9.
Ioseph. lib. 2. contra Appionem
D. Greg. Niss. orat de nat.
Heb. 9.
Niceph. lib. 1. hist. c. 7.
Euod. apud Niceph. vbi supra.

VI. SED nec silentio præteribo, quod hæretici nonnulli obiiciunt, in more non fuisse in Veteri Testamento puellares virgines templo dedicari, & consecrari, cum virginitas tunc in precio non esset, & matrimonium honorificum haberetur, vt pote benedictionis Dei habens promissionem: sed falsum existimo, virginitatem eo tempore in nullo precio habitam; quia præterquam pluralitas vxorum sublata erat, certe castitas non ab vno priuato aliquo culta & recepta erat, sed etiam à publicis cœtibus Essænorum, vt testatur Iosephus lib. de bello Iud. quos admirati sunt externi, & laudibus celebrarunt, vt auctor est PLIN. idque ita congruisse fieri, vt templo Virgines illæ dedicarentur, constat, tum quod Ethnicorum templis Virgines Vestales Diabolo obseruabantur, ad diuinum cultum spectabat, vt verus Deus, puritatis auctor, Virginum obsequiis in templo coleretur; tum quia aliquod congruebat extitisse monimentum in statu illo templi Mosaici, quod typum & figuram gereret earum Virginum, quæ in lege gratiæ peculiari voto intra monasterii septa se concludentes, Deo consecrantur, quas D. AVGVSTINVS *Sanctimoniales*, D. IGNATIVS, HIERONYMVS, & AMBROSIVS, *Nonnas* vocant.

Ioseph. lib. de bell. Iud.
Plin. lib. 5. c. 17.
S. Aug. in Ps. 95. v. 2.
D. Ignat. ep. ad Antioch.
Ambr lib. 3. de Virg. p. 1.

VII. SED iam alia ex Patribus subiungamus, quæ & præsentationem Virginis, & vitam, quam agebat, in templo, demonstrent. Inprimis S. GERMANVS affirmat, beatam Annam voto nuncupato partum suum templo dedicasse; vouerat enim oblaturam Deo filiam diuinitus ei datam, & ad implendum votum suum Virginem Deo præsentauit, & NICEPH. inquit: *Promissionem mater Anna adimplet, & in templum ascendens iuxta votum eam Deo consecrat.* & D. GREGOR. NISSÆN. ex arcana quadam historia scribit: *Non cunctata est Anna eam ad templum adducere, & Deo reddere, ac promissum præstare.* ecce votum sub nomine promissionis expressum, ex quo sane voto meritum illius præsentationis creuisse dubium non est apud Catholicos, cum præter meritum oblationis accreuerit ei meritum impletionis voti. Deinde tradit idem S. GERMANVS (id referente SVRIO) quod sicut Simeon sacerdos adfuit in præsentatione Chri-

S. Germ. orat. de oblat. Virg. in Templo.
Niceph. lib. 1. hist. c. 7.
D. Gregor. Niss. orat. de nat. Christi:
S. Germ. qui supra
Sur. in fest. præsent.

ne Christi in templo, ita Zacharias, magni Baptistæ parens, beatæ Virginis præsentationi interfuit, propriisque manibus eam suscepit, magna Angelorum & hominum astante caterua.

Ioseph. lib. 6. de bello Iud. c. 7.

D. Hieron. siue quicũque alius auctor sit; lib. de ortu Virg.

D. Hieron.

VIII. Vt tamen aliud stupendum miraculum, quod in B. Virginis præsentatione contigit, commemorem præsupponere oportet, intra templum quindecim graduum scalam fuisse, qua ad locum præsentationis ascendebatur. Iosephvs enim lib de bello Iudaico ait: *Gradus quindecim à muro, qui mulieres segregabãt, ad maiorem portam ducebant*: & Arias Montanvs in lib. de Arcæ fabrica inquit: *Quindecim gradus, quos quidã in templo constituũt, ad quos psalmi canerẽtur ab Israelitis, ad sacerdotũ atrium pertinuisse videntur*: Auctor ergo libri de ortu Virginis (siue Hieronymvs sit inter cuius opera existat, siue quisquis alius fuerit) tradit, B. Virginem in infantili illa, ac tenera trium annorum ætate solam absq; aliquo humano iuuamine quindecim illos gradus expedite ascendisse, quod satis constat, sine speciali miraculo fieri non potuisse: verba D. Hieronymi hæc sunt: *Erant circa templum iuxta quindecim graduum psalmos quindecim ascensionis gradus: in horum itaq; vno beatam Virginem Mariam paruulam parentes constituerunt, cumq; ipsi vestimenta, quæ in itinere habuerant, exuerent, & cultioribus ex more Vestibus se, & mundioribus induerent, Virgo Domini cunctos singillatim gradus sine ducẽtis & leuantis manu ita ascendit, vt perfectæ ætati in hac duntaxat causa nihil deesse putares. Iam quippe Dominus in Virginis suæ infantia magnum quid operabatur, & quanta futura esset, huius miraculi indicio præmonstrabat* Consonant hæc aliis, quæ tradit antiquus liber de infantia saluatoris, dum ait: *Virgo Maria tertio anno cũ ablactata esse, abierũt cũ ea Ioakim pater eius, simul & Anna vxor eius ad templũ Domini hostias Deo oblaturi; quindecim gradus templi ita velociter ascẽdit, vt penitus retrorsũ non aspiceret, nec, vt solitũ est, parentes requireret: vnde eius parentes pariter ambo obstupuerunt, & templi Pontifices mirati sunt.*

Antiq. lib. de infantia Saluatoris.

Sabell. lib. 2. exemp. c. 4. & 8. & lib. 3. c. 4.

IX. Exercitia autem, quibus in templo vacauit, ex maiorum traditione repetit Sabellivs: *A prima*, inquit, *luce ad tertiam diei horam rebus diuinis peculiarem operam daret, inde ad meridiẽ puellare aliquod opus obiret; sæpe & lanificio vacaret; mox autem à cibo, qui parcissimus illi erat; reliquam diei partem Scripturæ sacræ lectioni sedulo impenderet; ita vt cum rite sancteq; cœlestia curaret, humana tamen non despiceret, vtrumq; munus Marthæ & Magdalenæ complexa.* His non dissimilia tradit D. Hieronymvs in quadam epistola ad Heliodorum, ait enim: *Beata Virgo etiam in pueritia & adolescentia sua, quando in templo morabatur cum aliis puellis suis coæuis, vitam suã valde ordinatã ducebat: nam à mane vsq; ad tertiam orationibus insistebat, à tertia vero vsq; ad nonam operi manuum intendebat, à nona vero adhuc orationem suam incipiebat, à qua non recedebat, quousque illi Angelus appareret, de cuius manu escam accipere solebat, & sic semper melius in Dei amore proficiebat.*

Cedrin. in compend. hist.

Georg. Nicomed. homil. de oblat Virg. in templo.

D. Ambr. lib. 2. de Virgin.

Metaphr. de Præsentat. Virg. Pãt in hist Sanctorũ, & refert Canis. lib. 1. de Deip. cap. 13.

X. Porro B. Virginem in Templo cœlitus angelico ministerio fuisse enutritam cibo, tradunt Cedrinus, & Georgivs Nicomediensis, & iudicat Ambrosivs, ac propriis oculis conspexisse Angelum cibum Virgini deferentem Zachariam Ioannis Baptistæ patrem, auctor est Pantoleon apud Metaphrastem. Quod, ne cuipiam creditu difficile sit, aut illud in dubium reuocet, meminerit in primis, idipsum non semel contigisse Abbati Apollo, qui sub Theodosio maiore vixit apud heremitas, cum enim ille sacris precibus dies ac noctes intentus esset, Angelus de more ei nutrimentum afferebat: necnon etiam de Abbate Nuph simile quidpiam commemorat, qui cum nullius omnino rei, præterquam Dei desiderio teneretur, nullo alio cibo, nisi cœlesti ab Angelo suppeditato vtebatur: & simile aliud legimus de Elia, & de Sancto Paulo heremita, qui ministerio corui diuinitus eis panem deferentis alebantur. Deinde legat incredulus Georgivm Nicomediensem; qui homilia de oblatione Virginis in templo hæc scripsit: *Tu autem, ô homo,* inquit: *admirabilem, & nouam in templo viuendi rationem audiens Virginis, noli de eo dubitare; noli examinare ratione ea, quæ capere non potest cogitatio. Vides ipsum Dei Verbum modo ineffabili habitasse in eius vtero, & contendes fueritne alimentum, quo nempe Maria vesceretur, materiale, an expers materiæ? vides paterno consilio spiritus in ea adumbrationem, & de ministerio Angelorum dubitas? nihil est dubium ex his, quæ sunt castissimæ Virginis, ex eius magnalibus nihil est, quod non sit conueniens: omnia à veritate ipsa sunt confirmata; oportebat enim diuinum Tabernaculum augeri talibus ascensionibus, oportebat agnam immaculatam tali excipi conuiuio, talibus cibis excitari.*

XI. Tandem Cedrinvs in compendio historiarum, refertque illud Canisivs, & acceptat lib. 1. de Deipara cap. 13. quod cum beata Virgo ad annum ætatis suæ duodecimum peruenisset, media nocte piis precationibus incumbens, quarum semper fuit studiosissima, vocem hanc diuinitus audiuit: *Paries filium meum*, quam reuelationem, ait, Virginẽ nemini patefecisse ante Christi Domini in cœlos ascensum: sed illud fateor nõ omnino certam apud me reddit hanc reuelationem; quod Virginis turbatio, & eius cogitatio, & interrogatio in annuntiatione illius mysterij ignaram ante esse ostẽdant, vnde Patres ab Angelo illud didicisse cõi consensu autumant. Dixi tamen notanter, *non omnino certa*, quia hæc, quæ adduxi, non probant omnino incertam: turbatio enim, & cogitatio illa Virginis nõ erat de partu, sed de salutatione. Angelus enim tunc nihil de filij conceptione edixerat; vnde Lvcas ait: *Turbata est in sermone eius, & cogitabat, qualis esset ista salutatio*: interrogatio vero Virginis post filii Dei conceptionem sibi ab Angelo nunciatam nihil etiam obest, quia ibi non interrogauit de substantia ipsius mysterii; quod iam prænouerat in illa esse celebrandum, sed de modo illius

Patres su per 1. Luc.

Luc. 1.

Ibid.

do illius

do illius absq; virili opera, vt clare indicant verba illa: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Refert autem S. BONAVENTVRA, Beatam Virginem cuidam deuotæ fœminæ reuelasse, quotidie in templo hæc septem à Deo postulasse dona; primum, vt condignaretur sibi conferre vberrimã gratiam, qua illum ex toto corde diligeret; secundum, vt amaret proximum sicut seipsam, & omnia illa, quæ a Deo amantur; tertium, vt ea omnia odio haberet, quæ Deus detestatur; quartum, vt conferret sibi humilitatem, patientiam, ac reliquas virtutes, quibus gratam magis illam redderet in oculis suis; quintum vt liceret sibi hac fœlici sorte frui, vt videret, & coleret Virginem filium Dei parituram; sextum, vt præstaret ei promptam obedientiam ad perfecte obediendum Pontifici, qui in templo præsidebat; septimum tandem, vt conseruare dignaretur Templum, & eius ministros, ac vniuersum populum, vt illi perpetuo inseruiret.

S. Bonau. opusc. de vita Chri. c. 3.

HOMILIA II.

De solemni comitatu, quo beata Virgo in Templo à parentibus suis fuit præsentata, ac Deo oblata: vbi de recta filiorum educatione pulchra multa disseruntur, acriterque reprehenduntur parentes, filiis seu filiabus suis cœlibatum aut vitam religiosam prohibentes.

I. VAMVIS prima facie hodierno Præsentationis Virginis festo Matthæi Euangelium, quod solum nudam quamdam antiquorum Patrum nomenclaturam continet, minime congruere videatur; mihi tamen nullum illo aptius atque conuenientius Præsentationi Virginis in templo Ecclesiam canere potuisse videtur. Sicut enim mos inoleuit in curiis Regum, vt, cum in palatium regale nobilis aliqua fœmina denuo introducitur, magna nobilium virorum eam stipante caterua, honorifice deducatur: vti etiam, cum Regina Hispaniarum Regi nubenda ex Germania, vel Gallia proficiscitur, non pauci Principes, ac viri clarissimi, quoadusque ad Hispaniarum Regis præsentiam veniat, concomitantur: non secus quidem, cum hodierna die nobilissima fœmina Maria *ex semine Abrahæ, orta de Tribu Iuda; clara ex stirpe Dauid* in palatium cœlestis Regis ingressura, & velut Regina sponsa cœlesti sponso publico ritu nubenda sit non incedit sola, sed illam honoris gratia cõcomitatur insignis Patriarcharum cœtus, quorum primum connumerat sacer Euangelista Abraham: comitatur potentissimorum Regum laudabilis numerus: quatuordecim enim enumerat Matthæus, inter quos primum fert Dauid: comitatur Prophetarum laudabilis numerus; ac fortissimorum Ducum inuincibilis exercitus, vt non immerito posset tunc dici, quod de mystica illa Arca B. Virginem adumbrante, 1. PARALIP. legimus: *Dauid cum cantoribus deducebat Arcam fœderis cum iubilo*: merito ergo sancta mater Ecclesia Euangeliũ præsens, viros clarissimos regiæ prosapiæ Mariæ continens, in festo Præsentationis canit, vt omnes illi mystice concomitentur regiam Virginem in Regale Templi palatium ingredientem.

Matth. 1. *Eccl. Rom.* *2. Par. 15.*

II. SED præter hunc mysticum comitatum adfuit & alia clarissima Angelorum & hominum: Angelorum quidem, quia (vt D. BERNARDVS attestatur) *Adfuit Virgini Angelorum protectio, assidebant enim illi innumerabiles multitudines Angelorum in eius protectione; pie etenim credo, quod plurimas legiones habuit Angelorum ad custodiam*, cum & Eliseus, vt legitur 4. REG. Angelorum multitudinem habuerit ad sui defensionem. Hominum etiam clarissimorum celebri comitatu fuisse in Templum deductam, auctor est S. GERMANVS, qui beatam Annam Virginis matrem in hunc modum loquentem introducit: *Vota mea reddo Domino, quæ distinxerunt labia mea, & Virginum cateruas coegi cum lampadibus, & conuocaui sacerdotes, congregaui cognatos meos, omnibus dicens: Congratulamini mihi, quod hodie mater & productrix effecta sum, non Regi terreno meam offerens filiam, sed Deo cœlesti* Hactenus S. Germanus. Specialiter tamen de die Præsentationis GEORGIVS NICOMEDIENSIS Archiepiscopus, vt refert SVRIVS, Angelorum chorum Virginẽ ad Templum comitatum esse, ait: vnde GREGORIVS Archiepiscopus Nicomediæ oratione de exitu sanctissimæ Dominæ Dei parentis, quando fuit oblata in templo, excellentiam huius doni admirans; templum ipsum, quasi rationis particeps esset, in hunc modum alloquitur: *Dilata atria ad excipiendam latiorem, quæ sub aspectum cadere & non cadere conspecta est creatam naturam, in qua comprehensus, qui comprehendi non potest, vitii latitudinem redegit in angustissimum.*

D. Bern. ser 51. ar. 3. c. 2. tom. 2. *4. Re. 6.* *S. Germ. ser. de præsent. Virg.* *Surius tom. 1.*

III. ILLVD in hac oblatione ad humanos mores componendos primo loco expendendum occurrit, quod parentes Virginis sollicitam curam adhibuerunt in reddendo Domino votum, quod ei polliciti fuerant; prolem videlicet suam Templo dicaturi. Nouerant enim illud ECCLESIASTICI: *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis & stulta promissio*: vnde Salomon vouentem infidelem in reddendo vota sua eleganter comparauit nubi pluuiam promittendi, sed numquam illam exhibenti: *Nubes, & ventus, & pluuia non sequentes, vir gloriosus & promissa non complens*: alludit ad id, quod frequenter accidit; persæpe n. apparet nubes caliginosa à qua, dices, terram copiose fore irrigandam; postea tamen tantã portendit siccitatẽ, vt non nisi ventũ, tonitrua, & fulgur reddat: ad eum modũ multi feruenti animo magna vota emittentes, postea vero nihil implentes; quasi

Eccl. 5. *Prou. 25.*

mendaces nubes esse perhibentur, hos persimiles existimo illis, qui versus fontem ad hauriendam aquam pergentes, postquam vrnam impleuerunt, continuo fonti nullam eius rationem habentes terga vertunt: sic ingrati homines ad diuinæ largitatis perennem fontem accedentes, postquam desiderii sui complementum obtinent, ab illo inexhausto fonte bona, quæ appetierant, haurientes, continuo ingratitudinis vitio torpentes, diuino huic, ac perenni fonti terga vertunt; de quorum *Ierem. 2.* hominum genere Deus conqueritur, dicens: *Verterunt ad me tergum, & non faciem*: non sic certe.

IV. Illvd existimo interesse discrimen inter *propositum* nudum, & *votum* aliquid efficiendi in Dei honorem, quod inter glaciem & crystallum: sicut n. glacies calore illam inuadente, in labilem aquam resoluitur, crystallus autem, etiamsi vehementer incalescat, soliditatē suam retinet, nullamque in aquam iacturā resolutionis patitur; sic propositum nudum eius naturæ est, vt velut glacies facile à proponentis voluntate dissoluatur; at voti obligatio eam sortitur conditionem & naturam, vt instar solidissimi crystalli vouentis voluntatem in bono firmiorem ac solidiorem, & ad obseruantiam diuinæ legis proniorem reddat; vnde Ionas dice- *Ion. c. 2.* bat: *Ego autem, quæcunque voui, reddam pro salute Domino*: idque probe etiam agnoscentes Virginis parentes, postquam ab illo diuinæ largitatis fonte desideratam prolem hauserant, quo citius potuerunt, voti sui, solidissimi ad instar crystalli, obseruatores *Genebr. l. 2. in sua Chron.* illam Domino in Templo obtulerunt. Genebrardvs in sua Chronographia commemorat, quod Antiochus Sedetes præstantem taurum cornibus auro ductili obtectis, bdelliis, omnique preciosorum lapidum genere cinctum, purpureo panno, & summi precii ornamentis opertum, cum vasis aureis & argenteis aromatum plenis, in Hierosolymitanum Templum misit: præclarum sane sacrificium, quo (vt nonnulli asseuerant) præclarius templum numquam viderat: at in comparatione huius, quod hodierna die Anna offert in templum, longe inferius; non enim taurum purpura, auro, gemmis, & similibus ornatum, sed cunctis Seraphim puriorem, ac præstantiorem Virginem, aurea charitate, purpurea patientia, sapphirina virginitate, smaragdina humilitate, aromatica oratione, ac fulgentibus aliorum cœlestium donorum pyropis ornatam, in templo altissimo offert.

Iudic. 11. V. Sacra Scriptura commemorat in lib. Iudicum, Iephte filiam suam virginem in holocaustum Domino mactasse, quod in hunc modum contigit: Cum ipse proficisceretur ad bellum contra filios Ammon, votum vouit Domino, quod si victor euasisset, primum, quod egrederetur de domo sua, & illi occurreret, illud ipsum occidens offerret Domino: accidit autem, quod ei victoriam reportanti, & in domum suam reuertenti occurrit vnica filia, quam obtulit Domino in holocaustum, peracto duorum mensium tempore, quo ipsa suam deplorauit virginitatem: non dissimiliter Ioakim vir beatæ Annæ post multum temporis elapsum à matrimonio inito, cum illa nullam prolem habuisset, hoc votum Deo vouit, quod si sterilitatis & infœcunditatis difficultatem vinceret per prolis generationem, primum, quod occurreret ei de domo sua, hoc est, primū fœtum, qui de vtero Annæ prodiret, Domino offerret, vt in templo ei deseruiret: accidit, vt deuicta naturalis infœcunditatis difficultate, primum, quod illi occurrit, fuit beatissima Virgo, vnica patri suo, sicut filia Iephte, & illam, vt pollicitus fuerat, ætatis trium annorum in templo obtulit Domino. Solum id in hac historia inuenio discriminis, quod præterquam Iephte, vt dixit D. Hieronymvs in eum locum, in vouendo fuit imprudens, & in implendo impius; Anna vero in vouendo fuit sapiens, & in implendo religiosa; præter hoc (inquam) illud agnosco discrimen, quod & in commendationem Virginis cedit, quod filia illa Iephte suam virginitatem deplorauit quia maledictæ erant steriles; at beatissima Virgo non solum suam virginitatem non planxit, sed summo iubilo eam semper illæsam seruauit nec sterilitatis maledictionem sustinuit, quæ gaudia Matris habuit cum virginitatis pudore coniuncta.

VI. Sed præter istam Iephte historiam aliam lego Annæ matris Samuelis in principio libri primi Regvm, quæ ad amussim adumbrant hanc, quam *1. Reg. 1.* beata Anna Virginis oblationem in templo fecit, cuius & meminit S. Gregorivs Nissenvs, & Ni- *Greg. Niss. ser. de nat. Christi. Niceph. lib. 1. c. 7.* cephorvs. Ambæ istæ fœminæ erant nuptæ, ambæ steriles, ambæ ob sterilitatē afflictæ, ambæ in templo Dei frequentes, ambæ prolem suam Deo offerre promiserunt, ambæ precibus à Deo fœcunditatem efflagitarunt, ambæ illam impetrandi firmissima fiducia & spe non caruerunt, ambæ desiderii sui complementum obtinentes partum suum feliciter ediderunt, ambæ tandem prolem suam Domino in Templo religiose obtulerunt atq; sacrarunt. Quod si S. Chrysostomvs de oblatione illius primæ Annæ matris Samuelis filium suum in Templo offerentis dixit: *Suorum viscerum facta est immola-* *S. Chrys. homil. de An. tom. 1.* *trix*; quid quæso dicendum arbitramur de hac nostra celebriori Anna, offerente Deo vnicam filiam dilectissimam, ac Dei Matrem futuram? Ausim dicere, meritum eius Abrahæ merito inferius non *Gen. 22.* fuisse: immo si oblationem eius ex rei oblatæ obedientia pensemus, tanto Annæ oblatio oblationē Abrahæ excelluit, quanto Virginis sanctitas Isaac sanctitatem superauit. Facta quidem hac oblatione, contemplor Virginis parentes verba illa Pa- *1. Para. 29.* ral. sibi vsurpasse: *Cuncta, quæ in cœlo sunt, & in terra, tua sunt; tuum Domine regnum, & tu es super omnes Principes; tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi: respice Domine de domo sancta tua in nos, & inclina aurem tuam, & exaudi nos; aperi oculos tuos, & vide, &c.*

VII. Atqve ex hac religiosa B. Annæ obseruantia duo valde vtilia documenta omnes parentes elicere

elicere moneo; primum, vt filios, ac filias suas non profane, sed pie, ac religiose instituendi sollicitam curã habeant; sunt n. non pauci parentes, de quib⁹ Psal.145. DAVID dixit: *Quorum filii sicut nouella plantationes in iuuentute sua: filia eorũ cõposita, circũornata vt similitudo Templi:* quasi diceret, quorũ filii & filiæ ꝑpter prauã parentũ educationẽ nihil aliud curant, quã externum amictus splendorem, cui adeo vacant, vt simulacrorũ, ac imaginum Templi ornatum longo interuallo excellant. Heu, cum præcipuã curam in eorũ animis recte instituendis adhibere deberent, totam in exornandis eorum corporibus misere ac S. Chrys. op. imper. hom.35. in Matth. 2. vane impendunt. vnde illis merito dixit CHRYSOSTOMVS: *Desiderant valere illos in hoc sæculo, & non curant, quid passuri sunt in alio.*

VIII. ANTIQVI certe Gentiles non ignorauerũt, quantum vtilitatis bona filiorum institutio secum afferret; nam de Philippo Macedonum Rege narrat Plutarch. de Philippo Mac. Rege. PLVTARCHVS non tam gauisum fuisse ob natale filii sui Alexandri, quam quod eo tempore nasci contigisset, quo illi Aristotelem Philosophiæ principem in Magistrum ac pædagogum adhibere poterat. Plutarch. in suis mor. PLVTARCHVS deinde in suis moralibus non longe ab ea Spiritus sancti sententia recedens: Prou.23. *Tu virga percuties eum, & animã eius de inferno liberabis:* erudite satis dixit, quod sicut nouella arboris planta in sinistram partem deflectente; si in principio eius obliquitati non obstes, postea in dies magis in obliquitate sua inueterascit, & ad rectitudinem recipiendam ineptior redditur: Et quemadmodũ, quantumcumque tellus fœcundissima sit, si aratri Eccl. 31. ferro eam non proscindas, aut ligone effodias, nullum frumenti fructum tibi referet; & sicut ferox & indomitus equus, nisi eius maxillas in camo constringas, & pungenti calcaris aculeo effrenem eius petulantiam compescas, ferocitatem numquam, apetit ac tandem, sicut in cera molli facile sigilli figura imprimitur, si tamen illa nimium induruerit, difficillime sigillarem imaginem in se recipit: non dissimiliter, si vos ô parentes, filios vestros in infantia, in pueritia immo & in iuuentute, in sinistram partem deflectentes, bonæ institutionis virtute non dirigitis, si acri verborum increpatione lasciuientes eorum appetitus non proscinditis, si ferrea correctionis virga effrenatam eorum viuendi consuetudinem imperiose non coerceris; ac tandem, si id opus fuerit, variis suppliciis induratos eorum animos non emollitis, vosmetipsos, & illos in æternæ damnationis barathrum præcipites fertis; experientia enim satis exploratum habemus illam tritam valde HORATII sententiam:

Horat. *Quo semel est imbuta recens seruabit odorem*
Testa diu.

IX. VNDE de celebri illo Lacedæmoniorum legislatore Lycurgo legimus (id referente PLVTARCHO) Plutarch. ubi supra. quod vehementer Lacedæmonibus suadere desiderans, quantum à pueritia ipsa bona filiorum institutio interesset, vt deinceps in iuuentute & senectute bonorum operum fructus producerent, duos canes catulos hac industria educauit, vnum in culina inter tripodes, cacabos, & sartagines; alterum vero in agresti sylua in venationibus; postea vero Lacedæmoniis in vnum congregatis, proposito in medio theatri cacabo, seu olla carne cocta plena, ac lepore hac & illac circumcursante, canes illos in conspectu eorum produxit; quorum in culina inter cacabos & ollas educatus, nihili faciens leporem continuo cacabum seu ollam festinus inuasit; alter vero in rure, venationi vacans, enutritus, confestim leporem, spreta ollæ carne, insectari cœpit. Ecce ergo, inquit tunc Lycurgus, ô Lacedæmonii, ad amussim expressum commodum bonæ, & nocumentum prauæ filiorum institutionis; qualis enim illa fuerit in pueritia, tales proculdubio pariet fructus in iuuentute & senectute.

X. SED quid opus est Ethnicorum exemplis, vbi sacra ac diuina suppetunt documenta? Cum enim Deus in LEVITICO præcepit sibi offerri agnos anniculos; & in libro NVMERORVM iussit, vt vitula ei in oblationem daretur, quæ numquam portauerit iugum; quid aliud parentes docet, nisi vt filios suos diuinis obsequiis a pueritia sua mancipare satagant, antequam peccati aut Satanæ iugo subesse assuefiant? vt enim testatur D. IOANNES, ipse vidit, quod Draco mulieris partum apertis faucibus exspectabat, vt continuo illum deuoraret; quod non obscure indicat, quam solicita ac diligenti cura opus sit parentibus, ne filii eorum antiqui serpentis veneno in pueritia inficiantur. Cum etiam in DEVTERON. hoc mandatum DEVS promulgare fecit: *Si genuerit homo filium contumacem, ac proteruũ, qui non audiat patris aut matris imperium, & coercitus obedire contempserit, apprehendent eum, & ducent ad seniores ciuitatis illius, dicentq; ad eos; filius iste noster proteruus, & contumax est,* &c. *comessationibus vacat,* &c. *lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur, vt auferatis malum de medio vestri:* quid aliud hoc supplicii genus indicat, nisi quantum nocumenti peruersa pariat filiorum educatio, ac licentiosa eorum viuendi ratio?

Leuit. 1.

Apoc. 12.

Deut. 21.

XII. PERCVTITE ergo parentes correctionis virga filios vestros; alioquin illi grauiore supplicii virga vosipsos afficient. Vt enim narrant ALEXANDER ab ALEXANDRO, & IOVIANVS PONTANVS; cum quadam matre filii sui domestica quædam ac modica furta non increpante, ille externa alia grauiora commisisset, ob quæ suspendio adiudicatus fuit; dum ad supplicii locum duceretur, fingens se matri, quam in itinere offendit, secreti quidpiam dicere velle, auri eius os admouens, aurem dentibus euulsit, hæc continuo proferens: si ob minora illa, ac pueritia furta me dure increpasses, in grauiora non incidissem, nec ad hoc supplicii genus venirem. & S. BERNARDINVS, simile quidpiam de alio commemorans, qui dentium morsu nasum patri amputauit, subiungit, quod audiens id prudens quædam mater, acriter increpans filios, ac latera eorum tundens dicebat: non mihi nasum amputa-

Alex. ab Alex. lib. 1. genial. dierum, c. 1.
Pont. l. 1. de liber. c. 9.
Ierem. 7. Patres succedunt ignem, & mulieres in conspergũt adipe, vt faciant placentas.
S. Ber. ser. 17. de Eu- ang. ætern.

amputabitis. longe quidem ab hoc periculo aberant celeberrimi illi duo antiqui patres, IOB & TOBIAS, quorum primus sacrificium offerebat Deo: *Ne forte peccauerint filii mei*: vt ipse aiebat: secundus vero filium suum hac pietate instruebat: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & caue, ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Dei nostri*: quod si hæc, & similia bona documenta præstantes (vt credibile est) sanctus Noe & Dauid, ille à duobus filiis derisus; hic ab Absalone acri persecutione infestatus fuit, quid quæso mali peruerse educati filii aduersus parentes non molientur? Vnde incognitus super PSALMVM 143. in illa verba iam præcitata: *filii tui sicut nouellæ*: ait: *à filiis tuis caue, si filiis abundas, & non diuitiis filiorum amore, miser es; si filiis abundes, & diuitiis, insidiatores illos habes; quia, quanto ditiores, quantoque potentior, tanto amplius insidiantur vitæ tuæ, & mortem tuam quærunt.*

Iob. 50. Tob. 4. Gen 9. 2 Reg. 15.

XIII. SECVNDVM documentum, quod ex pia ac religiosa Annæ oblatione parentes colligere debent, illud esse arbitror, quod inurbanitatem eorum apertissime damnat, qui Deo prolem suam oblaturi, ex filiis quidem ingenio hebetiorem, & corpore deformiorem, ex filiabus vero facie turpiorem ei offerunt; imitatores quidem facti tum antiqui illius Chaim, qui imbecilliora ac deteriora Deo offerebat; tum illorum, de quibus ait MATTHÆVS, quod obtulerunt Christo omnes male habentes. Reuocate, quæso, ô parentes, in memoriam, quod præcipiens Deus olim animantium primogenita sibi immolari, asinum excepit, dicens: *Primogenitum asinæ mutabis oue*: quid quæso aliud primogenitum asinæ, quod inter omnia animalia insipientissimum & stolidissimum est, significat, nisi stolidum & insipientem filium, quem Deus tanquam statui religionis monastico ineptum minime sibi offerri desiderat? immo, si rem altius Patres considerent, facile reperient, nullam viuendi rationem magis prudentia, immo & sapientia indigere, quā monasticam; vbi cum tanta sit conditionum & ingeniorum diuersitas, difficillimum est omnibus coaptari, vt PAVLINVM illud documentum impleatur: *Omnibus omnia factus sum.* Quid, quod ad sustinendum superbum, aut imprudentem Prælatum non solum insigni patientia, sed & singularissima opus sit prudentia, qua certe stolidi & insipientes homines omnino carent. Sed & parentes, qui facie & corpore turpiorem filiam Deo consecrant, meminisse deberent, quod Deus olim etiam animalia, quæ sibi offerebantur, volebat esse pulchra, & omnis maculæ expertia, vnde in LEVITICO ait: *Si de bobus voluerit offerre marem, siue fœminam, immaculatum offeret Domino*: & apud EZECHIELEM: *Offeres vitulum de armento immaculatum*: hæc quidem omnia: (vt ait Apostolus) *in figuris contingebant illis*: significare enim per illa Deus intendebat preciosiora atque pulchriora, non deformiora sibi esse offerenda, vt primus ille munerum oblator

Gen. 4. Matth. 14. Exod. 34. 1. Cor. 9. Leuit. 3. Ezech. 43.

Abel nos docuit, sacra Scriptura testante, quod de adipibus gregis sui obtulit Deo, ob quod meruit id, quod statim sacer textus subiunxit: *Et respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Chaim vero, & ad munera illius non respexit*, vtpote quia de adipibus non erant, sed de deterioribus.

Gen. 4.

XIV. TANDEM singularis hæc amborum parentum B. Virginis cura de offerenda illa in templo clamat aduersus parentes, qui filiis aut filiabus suis religiosam vitam, aut cœlibatus statum prohibent, hi quæso, non me, sed priscos Ecclesiæ Patres audiant, quid in hoc genere argumenti edixerint; D. AMBROSIVS sic eos alloquitur: *Si hominem amarent filiæ vestræ, per legem possent eligere, quem vellent; quibus igitur hominem eligere licet, Deum non licet? bonum est, si Virgini studia parentum, quasi flabra, vt eris aspirent.* D. HIERONYMVS ad Furiam sic aduersus parentes excandescit: *Filii magis sunt Christi, cui renascuntur; non es eius, cui natae, sed cui renata, & qui te grandi precio redemit sanguine suo*: videns etiam D. HIERONYMVS amorem parentum erga filios esse absque prudentia & scientia, subdit: *Pium parentis amorem intellige, cui vt amorem in te tribuam, amoris scientiam non concedo*: parentes quidem illos non diffiteor eam habere, qui filios religiosæ sanctæq; vitæ mancipare sciunt; qua scientia illi sine dubio carent, qui mundi mancipia magis fieri eligunt, quam religiosæ vitæ se tradere. Consonant his omnibus egregia, quæ cecinit carmina GREGORIVS NAZIANZENVS.

Vos ego conuerso iam nunc sermone parentes
Alloquor, in quorum manibus iacet, arbitrioque
Gloria virgineæ, vel fœda infamia prolis,
Ac simul ad charos etiam dabo dicta propinquos,
Et quibus ætatis commissa est cura tenellæ.
Haud decet, haud fas est, magni figmenta parentis
Cogere.
Nemo igitur stolidæ vanissima gaudia carnis
Dum sequitur, Christiq; flagrat amore puellam
Inuitam ad thalamos reuocet, Veneremq; molestam,
Ac velut hærentem saxo affixumq; rigenti,
Polydon, aut volucrem tentet depellere nido.

XV. QVOD si hæc parentes non terreant, terrere ac contremiscere faciat sacrosancti CONCILII TRIDENTINI decretum, anathemate damnans parentes, vel consanguineos, vel quoscunq; alios, tam laicos, quam ecclesiasticos, qui alicuius fœminæ voluntatem accipiendi habitum religiosum, vel votum castitatis emittendi, quoquo modo impedierint. Quod si neque spiritualē pœnā expauescant, temporalē saltē pertimescant, quia, vt experientia non semel comprobauit, huiusmodi parentes Deus è vita tollit, vt filiis ad capessendum sanctius vitæ genus tollat impedimentum: vnde D. AMBROSIVS referens, virginem quandam, quæ altari hærebat, cum ei à quodam diceretur: *Si pater tuus viueret, innuptā te manere pateretur?* ait, continuo respondisse: *Ideo fortasse defecit, ne quis impedimentum posset afferre.* quid plura? meminerint quæso

Concil. Trid. sess. 25. c. 18.

D. Ambr. lib. 1. de Virg.

parentes

Exod.5. parentes religiosæ vitæ, aut cœlibatus statum filiis suis prohibẽtes, persimiles existere tum Pharaoni, & reliquis Ægyptiis prohibentibus Israelitis exitum à captiuitate Ægyptiaca, & ingressum in terram promissionis; tum etiã impio Herodi, quia sicut ille Christum recens natum acriter persecutus fuit, ita ipsi eundem in animis filiorum per propositum vitæ religiosæ recens conceptum Herodiana crudelitate enecare contendunt. Meminerint deinde, D. HIERONYMVM aduersus Heluidium tam pie, quam acute dixisse: *Virgines fructus esse nuptiarum; vnde merito steriles se putare debent, si fructum hunc nõ producant, fœcundos vero, cum, qui virginitatem colãt, filios filiasq; protulerint:* immo addit D. HIERONYMVS pro sua insigni pietate in epist. ad Furiam, parentes non implere mensuram nominis patris, aut matris, dum filios aut filias Deo non consecrant: *Pater, inquit, impleat nomen suum, lætetur filiam genuisse Christo, non sæculo:* Ad extremum meminerint huiuscemodi parentes, ingressum religionis suis filiis interdicentes in extremo Dei iudicio rationem reddituros non solum peccatorum, quæ propter permanentiam in sæculo commiserunt; sed & bonorum operum, quæ religionem ingredientes effecturi forent, vt Regis Achab historia ad amussim repræsentat. Nam cum Iehu iudex à Deo creatus esset contra impietatem Regis Achab, eo quod iniuste occidisset Naboth, ait sacer textus, Regem Achab morte plectendum esse pro sanguine Naboth, & pro sanguine filiorum eius, & tamen certum est, nullum eius filium occidisse, ait nihilominus, filiorum eius sanguinem effudisse, quia præmatura, & anticipata patris morte, gerendam ab eo prolem impediuit; non secus, qui filios religiosam vitam agere prohibent, omnium bonorum fœtus, quos in religione edituri essent, sibi in extremo Dei iudicio fore imputandos certo sciant: Cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Matth.2. — Reg 9.

HOMILIA III.

Prosequitur B. Virginis præsentationem & oblationem ab eius parentibus in Templo factam; dum illam Deo, tanquam aureum vas preciosißimis gẽmis ornatũ in diuinum eius obsequium obtulerũt.

I. VM Beata Virgo non solum paritura esset Templi Dominum, sed & propriis sanguinis sui expensis ædificatura templum illud Deitatis, humanum Christi corpus, quod templum ipse vocauit: *Soluite templum hoc, & iterum reædificabo illud:* nullibi aptius commorari debuit, quam in templo Domini; & ideo Spiritus Sanctus ad id eam inuitans nũc ei dicebat: *Veni in hortũ meum, soror mea sponsa, veni electa mea, & ponam in te thronum meum;* nunc illi suggerebat: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum.* Audiuit sane B. Virgo Dominum sibi loquentem, & vt audiens subaudiret, ac diuinæ vocationi citius obsecũdaret, parentes suos sollicitabat, vt quæ iam triennis esset, sanctissimæ Triadi absq; vlla mora illam in templo præsentarent, debitamq; Deo ipsius oblationem non vltra differrẽt: Marianis precibus parentes Virginis annuentes confestim dilectissimã filiam in templum adduxerũt, preciosissimum & inæstimabile illud munus religiose & liberaliter Domino donãtes. Sane licet Deus ditissimus sit, nec nostris indigeat muneribus, vt cecinit ipse DAVID: *Deus meus es tu, quoniam bonorũ meorum nõ eges:* placet nihilominus ei, vt in supremi dominii illius recognitionem, quæ de munificentissima eius manu accepimus, liberaliter ei tribuamus, alioquin non semel repulsam patiemur, quia, vt dixit OVIDIVS:

Ioan 2. — Cant.3. — Psalm. 44. — Psal 16.

Ipse licet venias musis comitatus, Homere,
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

II. Hoc Dei ingenium cum non ignorassent sacri Mariæ parentes, Deo placẽdi sitientissimi, charissimam filiam suã, velut sacrum quoddam vas, diuino ministerio aptissimũ Deo consecrarũt. Diuina eloquia referũt, Regẽ Balthassarem sacra Tẽpli vasa prophanasse, dum illa in lautũ conuiuiũ adduxit, quibus conuiuæ ad inuicẽ sibi vinum propinabãt. Eadẽ sacræ Scripturæ monumẽta commemorant, Menelaũ vasa domus Domini diuino cultui dicata sacrilego ausu sibi vsurpasse: at parentũ Virginis sũma erga Dominũ & Templũ illius religio eo peruenit, vt à prophanãdis, vel eripiendis sacris vasibus templi tam longe religiosus eorum animus abesset, vt potius præter alia munera, quæ singulis annis templo offerebant, sacrum hoc, & animatum vas immaculatæ Virginis ad eius ministerium Deo sacrarent.

Dan.5. — 2. Mach. 4.

III. OLIM IEREMIÆ lachrymanti ob ruinam generis humani Dominus dixit. *Descende in domum figuli, & ibi audies verba mea:* continuo ille in domum figuli se contulit, ingressusq; est eo tempore, quo vas iam actum cecidit in terram: *& dissipatum est vas, quod ipse faciebat è luto manibus suis:* tunc figulus ex eodẽ luto, apponens illud in rota, alterum vas confinxit: *Conuersusq; fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis eius, vt faceret.* Visio hæc Ieremiæ ad amussim ante oculos nobis ponit instabilitatem & fragilitatem Euæ, fortitudinemque & stabilitatem Mariæ; fecit Deus Euam, quæ vas adeo fragile fuisse noscitur, vt Diabolicæ suasionis vento in illam flante continuo confringeretur; peccato enim consentiens, subordinatio illa sensus ad rationem, quam iustitia originalis ei conferebat, penitus corruit: *dissipatum est vas.* Huius vasis casus grauis adeo fuit, vt & peccati Adæ, & post ero-

Ierem.18. — Ibid. — Ibid. — Ibid.

rum illius origo fuerit: quod Ieremias considerans,
non poterat à lachrymis se temperare: vt tamen
Deus solaretur illum, ex eadem lutea massa gene-
ris humani aliud mirabile vas confecit, nempe bea-
tam Virginem, per quam iactura illius primi casus
mirum in modum instauraretur: vnde ECCLESI-
Eccl. 43. ASTICVS eam vocauit: *Vas admirabile, opus excelsi:*
& merito quidem; est enim vas illud vnicum, in
Exod. 17. quo manna humanitatis Christi positum fuit, ad
seruandũ illud in cibum animarum, est vas nouum
4. Reg. 2. Deo exhibitum, in quo sal diuinæ ac increatæ sapi-
entiæ ad sanandas aquas humanæ generationis, ne
vltra in eis mors & sterilitas spiritualis grassaretur,
4. Reg 12. depositum fuit. est vas aureum de pecuniis Templi
Domini, hoc est, ex propriis & potentissimis Chri-
sti meritis fabricatum; est vas purissimum ex argen-
Prouer. 25. to ab omni peccati rubigine præseruatum; est vas
mundum, habens operculum diuinæ protectio-
Num. 19. nis, & desuper legaturam superuentionis Spiritus
Eccl. 43. Sancti in eam; est vas castrorum in excelsis in firma-
mento cœli resplendens; est vas altissime suspen-
Eccl. 54. sum in solio gloriæ domus Patris sui; est vas con-
Isa. 22. flatum à fabro, sufflante in igne prunas, & proferen-
te illud in opus suum, nempe in opus Incarnatio-
Isa. 54. nis Christi, & redemptionis humanæ; est vas à Deo
Ierem. 18. fabricatum, sicut placuerat in oculis eius, vt face-
Eccl. 50. ret; est vas vtile in domo Dei, in quo gloriatur Deus,
qui possidet illud: tandem est *quasi vas auri solidum
ornatum omni lapide precioso*: bene quidem ait, *soli-
dum*, quia in reliquis fœminis, vt concipiant vir-
ginitatis claustra violantur, & parturientes præ
nimio dolore quasi franguntur; beata autem Vir-
go instar solidissimi vasis aurei tanta fuit solidi-
tate prædita, vt nec conceptus virginitatem, nec
partus integritatis eius clausuram disrumperet,
sed inuiolata potius, integerrima, ac solidissima
semper maneret.

IV. FATEOR hæc omnia huius virginei vasis ex-
cellentiam non parum ostentare; duo tamen reli-
quis omnibus mirabiliorem valde illam commen-
dant. Primum est, quod cum cõmuni Philosopho-
rum sententia id approbante, continens maius sit
suo contento, vnde, si videremus vas, quod liquo-
rem duplo aut quadruplo se maiorem contineret,
omnes nos in magnam admirationem raperet, e-
contra vero omnino hic accidit: nam dum Deus
sub humana carne delitescens angusto Virginis
Mariæ vtero continetur, tanto quidem contentum
est maius suo continente, quanto Creator excedit
creaturam, infinitum finitum; immensum id, quod
certis terminis circumscribitur: vnde ECCLESIA
CATHOLICA tanti operis admirabunda in ea
Eccl. Cath. in offic. verba prorumpit: *Quibus te laudibus efferam, nescio,
quia, quem cœli capere non poterant, tuo gremio contu-
listi.*

V. SECVNDVM, quod valde admirabile reddit
hoc sacrum vas, illud sane putauerim esse, quod,
sicut stupendum in omnium oculis esset, intueri
vas aureum, quod vndique perfecte clausum, non
minus facile suum effunderet liquorem, quam si re-
vera apertum, & absque vllo operculo esset; ita sum-
ma admiratione dignum nemo sanæ mentis infi-
ciabitur esse, quod cum admirabile hoc vas sa-
cratissimæ Virginis cœlestem Ambrosiam, ac diui-
num nectar increatæ sapientiæ in se contineret,
clausum tamen vndequaque virginitatis clausura
facile nihilominus illud effuderit, dum absque vl-
lo prorsus dolore, sed potius summa animi lætitia
Christum Dominum parturiit.

VI. ADDIT præterea ECCLESIAST. vas illud ad-
mirabile ornatum esse *omni lapide precioso*: sed, quid-
ni ornari deberet vas, in quo seruandum erat cœle-
ste manna Verbi diuini? nam si vt Diuus PAVLVS,
tanquam vas electum, portaret nomen IESV, iux-
ta illud: *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen me-* Act. 9.
um coram Regibus, & gentibus; preciosis adeo virtu-
tum margaritis diuinus aurifex illud exornauit,
consequens est, longe preciosioribus Deiparam
Mariam exornasse, quæ vas electionis sibi erat, non
vt instar Pauli solum nomen IESVS, sed ipsum
IESVM, Deum verum, & hominem in vtero suo
per nouem menses portaret. Est etiam & aliud mi-
rabile excellentiæ discrimen inter Paulinum & Ma-
rianum vas, quod Paulus vas erat ad propinandum
fidelibus, & infidelibus potum Euangelicæ do-
ctrinæ; at beata Virgo vas fuit ad id speciali Dei
consilio deputatum, vt Christo infanti potum lactis
vbere de cœlo pleno propinaret. in cuius figuram
apud GENESIM lego, Iosephum specialem quendã
scyphum habuisse, in quo & bibebat, & auguraba-
tur: *Ipse est, in quo bibit Dominus meus, & in quo augu-* Gen. 44.
rari solet: non secus verus Ioseph, Christus Domi-
nus; beatissimam Virginem in scyphum, & precio-
sissimum vas sibi elegit, vt in eo lacteum liquo-
rem ebiberet, vitam quidem dantem, non mor-
tem inferentem, instar vasis illius lacte pleni, quod
Iahel Sisaræ potandum obtulit, tum vt in eo, velut Iud. 4.
alter Ioseph, permulta prophetico spiritu Mariano
ore promens sapientissime auguraretur, prout ex
Cantico, *Magnificat*, satis liquet, quod variis pro- Luc. 1.
pheticis oraculis scatet.

VII. SED iam videamus, quinam fuerint hi pre-
ciosi lapides, ac inæstimabiles gemmæ, quibus sa-
crum hoc Marianum vas fuit exornatum. Eas plane
nobis indicarunt S. HIERONYMVS, & D. BERNAR- S. Hieron.
DVS: nam ille in epistola ad Nepotianũ ait: *Vis scire,* epist. 52. ad
quales Dominus quærat ornatus? habeto prudentiam, Nepot.
iustitiam, temperantiam, fortitudinem; his plagas D. Bern.
cœli includere, hæc te quadriga in altum ferat, nihil hoc ser. 22. sup.
monili preciosius, nihil hac gemmarum varietate di- Cant.
stinctius, & ornamento sunt, & tutamini. hæc D. Hie- Bercorius
ronymus: quibus persimilia sunt, quæ D. BER- in suo re-
NARDVS scripsit super Cantica: *Sic prudentia, sic* ductorio
tẽperantia, sic fortitudo, & si quæ sunt virtutes aliæ, morali.
*quid nisi margaritæ sunt quædam in spõsæ ornatu splẽ-
dore perpetuo coruscantes?* diuersa ergo virtutum ge-
nera preciosi lapides fuere, quibus exornatũ Ma-
rianum vas mirum in modum effulgebat Aderat

enim

enim in eo Amethystus, qui animū vigilantem red-
dit: aderat Iaspis, virtutem habens contra incanta-
tiones: aderat Beryllus cęrulei coloris, qui mitem
& benignum reddit illius possessorem: aderat Cal-
cedonius pallidi coloris, carnis mortificationem
denotans: aderat Carbunculus, qui nocte splendet,
& instar ignis scintillat, charitatis ignem non ob-
scure designans: aderat Hiacynthus coloris cœle-
stis, virtutem habens somnum immittendi, mani-
festum contemplationis symbolum: aderat Chry-
solitus auri colorem redolens, virtute præditus
contra nocturnos timores, fortitudinem animi a-
pte satis denotās: aderat Sardonix ad humilitatem
inclinans: aderat Onychinus tremulos faciens o-
culos, timoris illius manifesta imago, de quo DA-
Psal.32. VID: *Timete Dominum omnes sancti eius:* aderat Sar-
dius, sanguinis fluxum restringens, & audacem red-
dens animum, virtutem animositatis adumbrans:
aderat Adamas, inexpugnabilis animi imago: ade-
rat Smaragdus, in quo viridis color, spei argumen-
tum effulget: aderat Topazius, excitatæ iræ miti-
gandæ singularem vim habens: aderat Sapphirus,
qui intensum sanguinis ardorem refrigerans, casti-
tatem carnis incentiua extinguentem perspicue
Eccl.28. significat: ac tandem (vt paucis multa comprehen-
dam) *Omnis lapis preciosus operimentum eius*: Mariam
enim operiebat fides Patriarcharum, spes Prophe-
tarum, charitas Apostolorum, constantia Marty-
rum, sobrietas Confessorum, sapientia Doctorum,
castitas Virginum, diligentia Angelorum, illumi-
natio Archangelorum, quies Thronorum, magni-
tudo Dominationum, excellentia Principatuum,
seueritas Potestatum, potentia Virtutum, scientia
Cherubinorum, necnon amoris incendium, quo
Seraphici spiritus inardescunt; ecce quam bene
Mariæ congruant præcitata ECCLESIASTICI verba:
Eccl.50. *Tamquam vas auri solidum ornatum omni lapide pre-
cioso.*

VIII. HESIODVS in illa sua secreta philosophia
pulchram quandem Virginem describit à Diis sum-
mopere dilectam, cui singuli amoris gratia singula
monilia liberaliter condonarunt; Apollo Musi-
cen, Mercurius eloquentiam, Mars fortitudinem,
Venus gratiam, Minerua sapientiam, Iuno singula-
rem venustatem. hanc Virginem tantis dotibus
Eccl.24. ornatam, *Pandoram*, hoc est, *Donum omnium Deo-
rum*, vocitabant; alii vero addunt, illam confictam
fuisse, omnium Deorum Matrem esse. hæc quidem
prophana si in sacra conuertamus, non fabulosa,
sed in beata Virgine verissima comperiemus;
cum tres diuinæ personæ Mariam Deiparam sum-
mo amore prosequentes, tot cœlestibus donis
Eccl.24. illam cumularint, vt ipsamet ore suo promat: *In
me gratia omnis viæ, & veritatis; in me omnis spes
vitæ, & virtutis*: ac si diceret: in me primorum
parentum iustitia originalis, in me columbina
Cant.6. simplicitas Abelis: *Oculi tui columbarum*: in me
somnus contemplationis Enoch: *Ne suscitetis,*
neque euigilare faciatis dilectā, quoadusque ipsa velit: Ibid.
in me iustitia magni illius Patriarchæ Noe: *Indu-* Isa.61.
mento iustitiæ circumdedit me: in me fides Abra- Luc.1.
ham: *Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur in
te, quæ dicta sunt tibi à Domino*: in me tolerantia
patientissimi Iob: *Stabat iuxta crucem Iesu Mater* Ioan 19.
eius: in me insignis pudicitia Rebeccæ: *Turbata* Luc.1.
est in sermone eius: in me pulchritudo Saræ: *Tota pul-* Cant 4.
chra es amica mea: in me prudentia Abigailis: *Et co-* Luc.1.
gitabat, qualis esset ista salutatio: in me humilitas
Liæ: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum ver-* Ibid.
bum tuum: in me virginitas Sunamytidis, quam
non cognouit Rex, licet illam in coniugem acce-
pisset: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cog-
nosco?* in me tandem solicita cura Marthæ, & ardens
amor Magdalenæ: *Dicite dilecto, quia amore langueo*: Cant.2.
ecce nullus lapis preciosus, nulla inæstimabilis
vnio, nulla fulgentissima gemma, nulla, quantum-
cumque orientalis ac summi valoris margarita in
hoc Mariano vase desideratur, vt revera decebat
regium vas, in quo filius Dei ad incarnationem pu-
rissimum sanguinem ebibit, & ad carnis assumptæ
nutritionem lactis potum, vt supra dicebam, bibi-
turus erat.

IX. CÆTERVM, sermonem ad nostram institu-
tionem conuertens, à vasis tamen metaphora mi-
nime discedens, PAVLINA verba in memoriam re- 2.Tim.2.
uocare oportet: *In magna domo non solum sunt vasa
aurea, & argentea; sed & lignea, & fictilia*: in hac
autem magna domo Ecclesiæ Catholicæ iusti sunt
vasa argentea & aurea, in quibus preciosissimum
diuinæ gratiæ balsamum suauissimum odorem ef-
flans reconditur; peccatores vero sunt vasa lutea,
& fictilia, quæ non nisi vitiorum fæces à longe fœ-
tentes continent; illi sunt vasa in honorem, isti in
contumeliam, vt ait idem PAVLVS; illi sunt vasa vi- Ad Rom.9.
tæ, isti vasa interitus: *Preparabit vasa mortis, sagittas* Psal.5.
suas ardentibus effecit: illi sunt vasa solida, isti fragi- Eccl.21.
lia: *Cor fatui, quasi vas confractum, & omnem sapien-
tiam non tenebit*: illi sunt vasa misericordiæ, isti vasa Ierem.50.
iræ: *Aperuit Dominus thesaurum suum, & protulit
vasa iræ suæ*: illi sunt vasa plena, isti vacua. Illud au-
tem interest inter vas plenum, & vacuum, quod il-
lud tactum non sonat, istud autem si tangatur, tin-
nit, & personat: non secus iusti, tanquam vasa di- Eccl. in of-
uinæ gratiæ plena, si aduersitatibus tāgantur: *Non* fic. martyr.
murmur resonat, nō querimonia: vt apparet in IOBO, Iob.19.
quem cum Deus lepra percussisset: *Manus Domini* Iob.1.
tetigit me; ipse tamen, vt ait sacer textus, *nihil stul-
tum loquutus est labiis suis contra Deum*: econtra vero
peccatores, tamquam v sa diuinæ gratiæ liquore
vacua, quocumque dolore tangantur, continuo
impatientissimis verbis crepitant, immo in blas-
phemias sacrilego ausu in magnam Christi iniuri-
am prorumpunt, cui ob summam eius benignita-
tem, qui vasa iræ in multa patientia susti-
net, sit honor, & gloria, in sæ-
cula sæculorum A-
men.

HOMILIA IV.

Agitur de oblatione, quam sui ipsius fecit triennis beata Virgo in templo Hierosolymitano; & de facili ascensu quindecim graduum; cuius occasione non pauca de profectu spirituali vtilia traduntur.

I. E oblatione hucusque, qua B. Virginis parentes illam in Templo Deo sacrarunt, disseruimus: nunc oportet, vt de illa, qua eadem sacerrima Virgo in infantili sua æ ate Creatori suo seipsam obtulit, sermonem instituamus. Ecce ergo hodierna die præ omnibus aliis pulchris fœminis pulcher-
Esth.9. rimam ESTHER in conspectu Regis Assueri, adeoque illi placentem, vt ob eximium eius decorem in sponsam suam eam assumeret: ecce Reginam Sab-
3.Reg 10. ba sapientissimum Salomonem adeuntem, ac regalem eius aulam ingredientem, vt & munera illi offerat, & maiora recipiat, & abditissima cœlestium rerum arcana sibi pandat: ecce tandem pulcherrimam IVDITH templum Hierosolymitanum visitan-
Iudith 16. tem, vt de victoria Holofernis debitas gratias Deo reddat; cum enim B. Virgo in conceptione sua Serpentis caput, hoc est, peccatum originale contriuisset, propter felicem hanc partam victoriam oportebat, vt non secus ac Iudith pro gratiarum actione Hierosolymæ Templum inuiseret; at non solum inuisit, sed se in eius obsequium libentissime
D.Gregor. mancipauit. quod si, vt Diuus GREGORIVS
lib.22. mo- dixit in moralibus: *Omne, quod datur, ex dantis*
ral.c.12. *mente pensatur:* non potuit Virginis oblatio, quæ ex ardentissima, ac superseraphica charitate procedebat, non illi gratissima esse.

II. MVLTI quidem fructus varios, animalia, pecunias, agros, domus, preciosas vestes, argentum, & aurum, immo margaritas, & inæstimabiles lapides, ac similia alia munera Deo obtulerunt, se autem totos paucissimi cum Virgine consecrarunt. Philomela suauissimum tibi ex arbore amœna offeret canticum, si tamen extensa manu intuam potestatem redigere velis, aufugiens minime se comprehendi patitur; ecce cantum obtulit, sed seipsam offerre omnino renuit: Virgo se totam tradidit, excepit nihil. Vnde si eam etiam conferamus cum illis, qui perfectam & Apostolicam vitæ rationem sectantes, se totos Deo obtulerunt, illud inter eos, & B. Virginem interesse reperiemus, quod illi sacrificium, Maria sui holocaustum obtulit: alii enim, cum aliquando peccauerint: quia
Iacob.3. nemo sine crimine viuit; &: *In multis offendimus omnes*; aliquid sibi retinuerunt, illud scilicet, cui inordinate adhæserunt; beata autem Virgo, quæ nullo terreno affectu commutabili bono vmquam adhæsit, nihil sui sibi reseruauit, sed totam, ac totaliter, vt ita loquar, in holocaustum, id est, totum combustum, Creatori suo se obtulit. Quod si
hilarem datorem diligit Deus: non potuit non per- *2. Cor. 9.*
grata eidem extitisse Virginis oblatio, GERMANO Archiepiscopo in oratione de oblatione Deiparæ
dicente: *Puella autem valde latans & exultans ibat in* *Gen.22.*
templum Dei, tamquam in thalamum. Deinde, si anti- *Niceph.*
quum prouerbium habet: *Qui cito dat, bis dat:* quæ *lib.1.c.7.*
tam cito in infantia sua se donauit, millies qui- *S.Germ de*
dem dedit Abraham centum & viginti annos com- *oblat. Virg.*
pleuerat, cum Isaac filium suum Deo obtulit; at *in Templo.*
beata Virgo triennis tantum (vt tradunt NICEPHO- *S Bonau.*
RVS, S.GERMANVS, Diuus BONAVENTVRA & GRE- *in medit.*
GORIVS NISSÆNVS) seipsam Deo in perpetuum con- *de vita*
secrauit. *Christi.*

III. QVAM celeritatem (vt non semel alibi adno- *S.Gregor.*
taui) non obscure significauit visio illa IOANNIS, cū *Niss orat.*
pedibus B. Virginis Lunam subesse vidit; inter *de at.*
omnes namque Planetas Luna breuiori tempore *Christi.*
cursum suum peragit, ad eundem enim, vnde mo- *Apoc 12.*
ueri cœpit, punctum redit; Saturnus post annos triginta, Iuppiter post duodecim, Mars post duos; Sol post trecentos sexaginta quinque dies, & aliquot horas; Venus, & Mercurius idem fere tempus insumunt; at Luna viginti septem diebus, & paucis horis totam sphæram velocissimo cursu percurrit: ad eundem modum ex hominibus multi Saturno similes, qui quo celsiorem dignitatis locum obtinent, eo ad dignitatis cursum segniores sunt; alii religiosiores breui, instar Iouis, tempore cursum absoluunt; alii perfectiorem vitæ statum profitētes, instar Solis, Veneris, & Martis viam mādatorum Dei citius ac velocius currunt; at Virgo sanctissima, velut Luna, totam illam sanctitatis sphæram, quæ futuræ Matri Dei necessaria erat, velocissimo omnium motu cucurrit; cuius non leue argumentum, nec obscurum indicium existimauerim, quod (vt præcitati Patres tradiderunt) quindecim illos scalæ templi gradus sine alicuius iuuamine supra totā infantilis corporis facultatem cum magna omnium astantium admiratione ascenderit; est enim exploratissimum, ipsa experientia id probante, vt quæ in infantia accidunt, eorum quæ postea futura sunt, præsagia quædam, ac prognostica signa
sint: Zoroastes enim, qui ridens natus est, futuræ *Marul. &*
alacritatis, & lætitiæ, qua totā vitam duxit; signū *Volat.*
fuit; ori Pindari infantis, dum somnum duceret, examen apū insedit, quod PLATONI, & Diuo CHRYSOSTOMO contigisse, Historiographi narrant, eorū vitam describentes, idque, vt euentus probauit, melliflui eorum sermonis miram dulcedinem redūdantis prognosticum fuit. Et de Iulio Cæsare fertur, frequenter in ore eius versari verba illa: *Si ius violandum est, regnandi causa violandum est*; quod aperte præsignauit, vt postea contigit, illum suæ tyrannidis petulantia Rempublicam fore oppressurum.

IV. SED quid prophanis egemus testimoniis, vbi multa sacra suppetunt? nam lucta illa, qua in materno vtero fratres illi Iacob & Esau acriter pugnabāt,

aperte significauit varias rixas, ac contentiones in-
ter ipsos, & inter populos ex eis nascituros futuras,
vt & sacer textus adnotauit, dicens: *Duæ gentes sunt*
Gen.25. *in vtero tuo.* In historia etiam scholastica legimus,
Hist. schol. quod cum Rex Pharao in regio diademate, quo
in Moyse. certis diebus caput suum redimibat, Ammonis i-
Exod.2. dolum ex auro confectum adisset, Moyses, dum à
filia eius, quæ illum ad nutriendum exceperat, quã
doque instar infantis iocans diadema de capite
eius tollebat, ac pedibus conculcabat, quod singu-
lare factum id, quod postea accidit, prænotabat;
Exod.14. nam postea grandior factus Moyses, Pharaonem,
& omnem eius exercitum non solum profligauit,
sed inundantibus maris rubri aquis submersit.

V. Cvm igitur hodierna die, quo tempore B. Vir-
go in Templo à parentibus præsentata gradus quin-
decim non sine magno prodigio triennis ascende-
rit; sane id non obscurũ indicium, ac prognosticum
fuit celeris cursus, ac velocissimi progressus, quem
in via perfectionis in dies effectura erat: *Ascẽsiones*
Psal. 83. enim *disposuit in corde suo*, vt dicebat David. vnde
D. Hieron. tract. de ortu Virg. D. Hieron. tract. de ortu virginis, postquam enar-
rauerat ascẽsum illũ quindecim graduum, conti-
nuo ait: *Iam quippe Dominus in Virginis suæ infantia
magnũ quid operabatur, & quãta futura esset, huius
miraculi indicio præmonstrabat:* velox enim illa ascẽ-
sio futurum eius progressum spiritualẽ aperte satis
Cant.6. pręfigurabat; ad quem etiam significandum, præ-
terquam quod sponsus comparauit Virginem au-
roræ, cuius lux semper procedit, & crescit vsque ad
Ibid.7. perfectum diem, illam componit cum turre ebur-
nea; deinde cum turre fortissima, ex qua mille cly
Cant.4. pei pendent: consulto primo comparat illam tur-
ri ex ebore confectæ, quæ non nisi exigua esse so-
let, & instar monilis ex infantili collo pendere; de
inde fortissimæ arci, & inexpugnabili turri assimi-
lat; ex excessu quippe fortitudinis huius turris su-
pra fortitudinem illius spiritualẽ Virginis incremẽ-
tum significabatur. Atq; hoc idem præsignare volu-
isse arbitror eundẽ sponsũ, dum Virginẽ malo gra
Cant.6. nato assimilat: *Sicut cortex mali Punici*: postea vero
spiritualem eius profectum admirans, aceruo triti-
ci qui multitudine granorum longe malum grana-
tum excedit illum comparat.

VI. Celerrimvs iste B. Virginis in via perfectio-
nis progressus adeo Dæmonis oculos offendit, vt
propterea Angeli Mariæ per quindecim illos gra-
dus ascendenti dicerẽt subobscura illa verba: *Quæ*
Cant.3. *est ista, quæ ascẽdit sicut virgulta fumi?* nõ diffiteor in-
auditũ genus laudis videri hoc angelicũ encomiũ;
nã qd magis futile, & vanũ q̃ fumus? certe Iobvs mi-
seriã ac caducitatem humanæ vitæ ad amussim de
Iob.3. scribens, dixit: *Dies mei sicut fumus euanuerũt:* cum
etiam quispiam superbus esse agnoscitur, nimio
fumo scatere dicitur: qui ergo fieri potest, vt Ange-
li laudare cupientes B. Virginem quindecim gradu-
um scalam templi ascendentem, virgulæ fumi eam
cõparauerint? videtur mihi in hac metaphora allu-
sisse ad locum Nvmerorvm, vbi sacra narrat histo-
ria, quod igne cœlitus misso super filios Chore, Num.16.
Eleazar ex diuino iussu incensum adoleuit, cuius
fumus vehemens adeo fuit, vt ignem illum extin-
gueret: vt ergo Angeli significarent tenellam hanc
infantulam spirituali sui profectus fragrantia Dæ-
monem mirum in modum infestasse, fumo illam
compararunt; quia sicut iste lacrymas ab oculis ex-
torquere solet, & flere compellit, non secus aroma-
ticus ille, ac suauissimus Mariani profectus fumus
Dæmonis oculis adeo infestus ac importunus fuit,
vt vlulare, & amare flere illum compelleret; etenim
cum ille è celsissimo loco ad inferni barathrum de-
scenderit, nihil molestius fert, quam capitalis suæ
hostis Mariæ spiritualem ascensum, cuius vitam
& mores à principio conditionis mundi vehemen-
ter cœpit detestari, Deo ipso tunc dicente: *Inimici-
tias ponam inter te & mulierem.*

VII. Atqve hic B. Virginis progressus Dæmo-
ni adeo terribilis, ac molestus nos omnes edocet,
spirituali nostro progressui sedula diligentia vaca-
re, ac omnem segnitiem in via diuinæ seruitutis
longe à nobis repellere debere. quidam hanc viam
perambulant, de quibus regius Vates ait: *Beati, qui* Psal.118.
ambulant in lege tua, Domine: beatos illos vocat;
quia obseruatio legis diuinæ semen est beatitudi-
nis, ac vitæ æternæ, Christo dicente: *Si vis ad vi-* Matth.19.
tam ingredi, serua mandata: quasi diceret: cum sit
certum, quod quæ quis seminauerit, hæc & metet;
si vis metere vitam æternam, semina diuinorum
mandatorum obseruantiam.

VIII Alii proficientes magis non solum hanc
viam deambulant, sed & illam percurrunt; illud Psal.118.
eiusdem Vatis obseruantes: *Viam mãdatorum tuo-
rum cucurri, cum dilatasti cor meum:* in horum nu-
merum videntur mihi merito referendi Abraham, Gen.18.
Sara, & eorum famuli; nam, vt sacra narrat Gene-
sis, cum tres peregini, tres diuinas personas adũ- Gloss. & Lyr. in cap. 18. Gen.
brantes, vt adnotarunt Glossa, & Lyranvs, A-
brahami domũ ingrederentur, omnes illius fami-
liæ ad illos benigne suscipiendos ac leniter pertra-
ctandos festinantes occurrerunt. De Abrahamo sa-
cer textus ait non solum, quod festinauit, sed & Gen.18.
quod Saræ vxori suæ dixit: *Accelera, tria sata simila
commisce, & fac subcinericios panes*: ipse etiam ad ar-
mentum cucurrit, & vitulum condiendum famulo
porrexit, qui etiam festinanter abiit, deditq; puero
qui & festinauit. Origenes solicitudinem
hanc Abrahæ, Saræ, & famulorum eorum admi-
rans, ait: *Abraham cucurrit, Sara accelerat, puer fe-* Origines in Comment. huius loci.
stinat: quasi dicat, nullus est in hac Abrahami do-
mo, qui otio vacet, nullus, qui diuinis obsequiis
non attendat, nullus, qui lento gressu incedat,
omnes currunt festinant, atque accelerant huius
rei eam puauerim rationem, quod Abraham,
qui caput erat, primus omnium festinauit, & exem-
plo eius Sara accelerauit, & ad vtriusque imitatio-
nem famuli currunt: habet enim se maiorum ex-
emplum instar illius columnæ nubis filios Israel Exod.13.
per desertum ducentis, quæ si progrediebatur,
illi

illi etiam fequebantur; fin vero fiftebat, ipfi quoque progredi ceffabant.

IX. ALII tandem funt, qui non contenti viam mandatorum Dei ambulare, & percurrere, fed peruolant etiam, cum eodem Propheta dicente: *Quis dabit mihi pennas ficut columbæ, & volabo*: quare aũt [*Pf. 54.*] DAVID volare defiderans, non accipitris, aut aquilæ, quæ velocioribus alis præditæ funt, fed columbæ potius à Deo poftulet pennas, duplicem egregiam rationem, binamque huius loci pulchram in- [*Incognitus Pf. 54.*] telligentiam his verbis tradit INCOGNITVS: *Iuftus timet in profperis, & in aduerfis; duo autem funt remedia contra illum timorem, qui fignificatur in pennis columbæ. nam, ficut dicunt Naturales, Accipitrum funt duo genera, quidam funt nobiles, qui aues non caperent, nifi in altum volando effent eleuatæ à terra, & quidam funt degeneres, qui eas non caperent, nifi in terra; columba autem iftos cognofcens, vt primos videt, ftatim defcendit ad terram, & quando fecundos, ftatim volat in altum; fic & moraliter, accipiter auis rapax, eft Diabolus, qui aliquos rapit in alto, fcilicet in ftatu profperitatis, & aliquos in infimo, fcilicet in ftatu aduerfitatis, columba autem fignificat iuftos & fimplices, qui felle peccati carent; hæc columba duas alas habet, fcilicet humilitatem, & patientiam: quando ergo iuftus videt accipitrem, Diabolum ipfum volentem rapere furfum in alto profperitatis, tũc vti debet ala humilitatis, per profpera non fe exaltando, fed ex hoc fe magis Deo debitorem cognofcendo: quia cum augentur dona, rationes etiam crefcunt donorum. Quando autem videt Diabolum fe volentem rapere in terra, fcilicet in infimo aduerfitatis, tunc volare debet in altum per alam patientiæ, & fpei, fperando, quod patientia eft via ad cœ-* [*Luc. 21.*] *lum, meditans verbum Chrifti: In patientia veftra poffidebitis animas veftras; iftæ ergo funt alæ columbæ, quas iuftus à Deo fibi dari petere debet, fcilicet humilitas in profperis, & patientia in aduerfis. Vel aliter, per columbam intellige Apoftolos Chrifti, quoniam, ficut refertur, quædam funt columbæ, quæ nunciorũ funguntur officio, literas dominorum fuorum fub alis portantes, & modico tempore multa terrarum fpacia tranfeuntes, quæ maxime funt neceffariæ, quando per terras ho-* [*Plin li. 10*] *ftiles alii nuncii tranfire non audent; vnde Plinius dicit, quod in obfidione Mutinenfi Decius Brutus epiftolas ligatas pedibus columbarum in caftra Confulũ tranfmifit; confimile narrat eodem l. de hirundinibus; & ex hoc Apoftoli columbis affimilantur, qui verbum Dei per totũ orbem in breui tempore portauerũt. Quod in fpiri-* [*Ifa. 60.*] *tu admirans* ISAIAS, *de Apoftolis ait; qui funt ifti, qui vt nubes volant, & quafi columbæ, &c. quæ autẽ funt pennæ iftarum columbarum, fcilicet Apoftolorum, nifi virtutes quibus eleuantur à terra ad cœleftia? quæ funt* [*Greg. fup. Ezech. p. p. hom 4. fuper illo verbo Ezech 1.*] *quatuor (vt dicit* GRE. *fuper Ezechiel.) Duæ pennæ iũgebantur, & duæ tegebant corpora eorum, hæ funt quatuor virtutes, duæ refpectu futurorum, fcilicet amor, & fpes, & duæ refpectu præteritorum, fcilicet timor, & pœnitentia; primæ duæ iunguntur, quia profecto electi, & amant cœleftia, quæ fperant, & fperant, quæ amãt; duæ autem aliæ tegunt eorum corpora, quando eorum mala præterita à confpectu iudicis timor & pœnitentia abfcõdunt: fcriptum quippe eft, Beati quorum remiffæ funt* [*Pfal. 31.*] *iniquitates, & quorum tecta funt peccata.* Iftas ergo quatuor pennas à Deo petit iuftus, vt à malis fæculi euolando, requiefcat in Chrifto, dicens: *In pace in* [*Pf. 4.*] *idipfum dormiam & requiefcam.* hæc ille.

X. VERVM ad profectum fpiritualem reuertẽtes, de quo præcipue erat fermo, ftatua illa celebris Nabuchodonofor ad viuum fatis mihi exprimere [*Dan. 2.*] videtur virtutis illud incrementum, quod Deus optimus maximus à nobis defiderat; pedes eius erãt lutei, tibiæ terreæ, femora ænea, corpus argenteũ, caput tandem aureum: lutei pedes affectus terreftres, quibus recens ad Deum conuerfus fcatet, fignificant, at hic in via diuini famulatus progrediens, ad vincendos hos prauos affectus, & ad fuperandas difficultates, quæ in illa occurrunt, quafi ferreus efficitur; fed adhuc magis proficiens, ad æquanimiter fuftinẽdas aduerfitates, ac labores perferendos ænea fortitudine induitur: deinde ad vlteriorem perfectionis gradum afcendens, vitæ innocentiæ, ac cordis puritati per argentum fignificatæ, quæ fymbolum eft illius, diligenter infiftit: ac tandem ad anteriora cum D. PAVLO fe extendens, [*Heb. 6.*] perfectiorẽ viam ingreffus, charitatis auro adeo locupletatur, vt non folum fibi, fed & proximis æternam felicitatem ardentiffime exoptet, & cũ eodem D. PAVLO pro fratrib. anathema fieri ardentiffime [*Rom. 9.*] cupiat: ecce fpirituale iufti incrementum ad amuffim in ftatua illa delineatum. Sed, proh dolor! quã pauci illud fufcipiunt, rari crefcunt, pene infiniti decrefcunt, quorum decrementum pulchre etiam eadẽ Nabuchodonoforis ftatua præfignauit, fi eam non à pedibus in caput, fed à capite in pedes contemplari cœperimus: caput eft ex nobiliffimo metallorum auro, fed continuo decrefcere incipit, quia corpus eft argenteũ, femora fequuntur ænea, tibiæ adhuc ex ignobili ferro, ac tandem definit in pedes ex viliffimo luto; ecce fpirituale animæ decrementum, de quo loquens IEREM. prædixerat: [*Thren. 4.*] *Quomodo obfcuratum eft aurum; mutatus eft color optimus, difperfi funt lapides fanctuarii in capite omniũ platearum: filii Sion inclyti, & amicti auro primo: quomodo reputati funt in vafa teftea, opus manuum figuli?* & paulo poft: *candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, fapphyro pulchriores: Denigrata eft fuper carbones facies eorum, & non funt cogniti in plateis.* Ecce Propheta tangit extrema illa [*Dan. 2.*] duo ftatuæ Nabuchdonofor fpirituale decrementũ præcipue fignificantia, quorũ alterum erat aureũ [*Thren. 4.*] caput, cui refpondent verba IEREMIÆ: *quomodo obfcuratũ eft aurũ?* alterũ, lutei pedes, quibus con- [*Ibid.*] fonant alia eiufdem Prophetæ: *reputati funt in vafa teftea*: quod perinde eft, ac fi diceret, quod iufti in peccatum mortale prolabentes (vt Hifpanum idioma eleganter loquitur, *fiendo de oro, fe ponen de lodo*) quos D. PAVLVS increpãs ait: *O infenfati Galatæ, quis* [*Galat. 3.*] *vos fafcinauit, nõ obedire veritati, &c. fic ftulti eftis, vt cum fpiritu cœperitis, nunc carne confummemini?* fa-

fcina-

scinatos illos vocat D. Paulus, quia sicut fascinari proprium est puerorum, qui à qualitatibus nociuis oculorum eos intuentium facile læduntur, & pristinam pulchritudinem, ac rubeum colorem repente amittunt; ita hi, cum iusti & sancti essent, leui tentatione eos inuadente, instar puerorum facile cedunt ac superatur, & cũ spiritu charitatis animas eorum deaurantis feliciter diuinum famulatum cœpissent, tandem peccati mortiferi luto deturpati, à Dei seruitute se subtrahunt, ac misere intereunt: quorum sane ruinæ eam inter alias frequentiorem causam esse existimauerim, quod immemores illius sententiæ: *Fili, accedens ad seruitutẽ Dei, præpara animam tuam ad tentationem*; dicunt illud DAVIDIS in corde suo: *non mouebor in æternum*: sed continuo experiuntur quod & DAVID: *Auertisti faciem tuam, & factus sum conturbatus.* (Eccles. 2. — Psalm. 14. — Ps. 29.)

XI. SANE dum IOANNES vidit mulierem, supra cuius caput erant stellæ, & Luna sub pedibus eius, gementem & plorantem, ac instar parturientis vehementer dolentem, non obscure mihi id significat animã, quæ illum perfectionis gradum attigit, vt stellas; hoc est, cœlestia dona supra caput suum collocet; mutabilem vero Lunam, hoc est, bona hęc sublunaria, & mutationi obnoxia sub pedibus calcanda apponat, continuo variis tentationibus oppressa gemere incipit; at oportet tunc minime animo cadere: (Apoc. 12.)

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito, (Virgil. Æneid. 6.)

vt quidam Poetarum dixit: cui consonant GREGORIANA illa carmina: (D. Greg. Nazianz. in præcept. ad Virg.)

---------- ad cætera magno
Tende gradu, semper scandens, spectansq; priora:
Stare loco, mala res, ergo torpore remoto,
Vt capias, propera, donec virtutis ad arcem,
Supremumq; gradum perueneris, auspice Christo.

XII. SED melius omnibus D. PAVLVS his ait: *Sic currite, vt comprehendatis*: quasi diceret: ea animi gigantea fortitudine properate, qua Sol, de quo DAVID: *Exultauit vt gigas ad currendam viam*; sicut enim Sol horrenda peragrat signa, Taurũ, Leonẽ, Sagittarium, & Scorpionem; sic viro forti licet occurrant tentationum tauri, scorpij, & leones, nulla ratione eis cedere debet; hoc sibi persuadens, quod sicut, quæ soli monstra occurrunt, monstra quidem nomine tenus sunt, cornua vero, vngues, dentes, sæuitia ac venenum longe ab eis absunt; ita quæ sibi occurrunt monstra laborum, ac tentationum, monstrorũ sunt velut spectra, aut simulachra quædam inania, quæ nullam contra viriliter pugnantes vim ad lædendum habent: in cuius figuram legimus, quod cum MOYSES non apprehendebat colubrum, ille eum persequebatur adeo, vt fugeret Moyses, vt ait sacer textus; cum vero illum apprehenderet, continuo in virgam, seu baculum leuaminis conuertebatur: non secus, qui laborum ac difficultatum colubrum pertimescens apprehendere illa tenuit, ab eis vincitur; at si viriliter illas aggreditur, in solaminis baculum ex Dei auxilio conuertuntur: Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen. (1. Cor. 9. — Psalm. 18. — Exod. 3.)

HOMILIA V.

Ostenditur ex Sanctorum Patrum doctrina, beatam Virginem in Templo, in quo fuit à parentibus præsentata, Virginitatem suam Deo expresso voto nuncupasse, atq; adeo castitatem vouendi primam inuentricem fuisse, vbi etiam nonpauca virginitatis encomia subiungimus.

I. INTER alia permulta, quibus Sancti Patres Virginem Deiparã adumbratã autumant, non infimum locum ex Diui AMBROSII sententia tenet virga Aaronica, quæ simul fuit florens, & fructus germinans; in quo aperte Mariam præfigurasse constat, quæ virginitatis florem conseruans, Christum Dominum inæstimabilem fructum nobis peperit; in eo tamen, quod nostro argumento mirum in modum congruit, egregie virga illa Beatæ Virginis typus exstitit, quod virga erat ex amygdalo, similis illi, cuius meminit IEREMIAS: *Virgam vigilantem ego video*: vbi THEODOSIVS vertit: *Virgam amygdalinam ego video*; immo & verba NVM. non obscure idipsum probant: *Inuenit germinasse virgã Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt*: sicut enim (PIERIO VALERIANO id attestante) amygdalus apud antiquos castitatis & continentiæ symbolum fuit, & inter omnes arbores hoc habet peculiare, vt prima omnium emittat flores; ita Maria inter omnes fœminas prima emisit votum virginitatis. (D. Ambr. ser. de nat. Virg. — Num. 17. — Ierem. 1. — Num. 17. — Pier. Valer. lib. 51.)

II. QVAM veritatem antequam multis modis cõprobare, & illustrare aggrediar, illud certe prius dixerim in Marianam commendationem, quod eo tempore illud Beata Virgo emiserit, quo fœcunditas tanto precio habebatur, vt Deus ipse tamquã rem magni precii atque momenti illam Hebræis polliceretur: *Non erit apud te sterilis vtriusque sexus*: quæ verba non præceptum, sed promissionem liberam indicant; vnde est illud PSALMI: *Ecce hæreditas Domini filii merces, fructus ventris*: & illa alia eiusdem DAVIDIS benedictio: *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: filii tui sicut nouella oliuarum in circuitu mensæ tuæ*: E contra vero sterilitas magno opprobrio habebatur, vt non obscure indicant verba illa ISAIÆ: *In illa die apprehendent septem mulieres virum vnum dicentes: panem nostrum comedemus, vestimentis nostris operiemur, tantummodo inuocetur nomen tuum super nos, tolle opprobrium nostrum*: hoc est, quando inimici victoriam de Ierusalem, & de eius viris reportabunt, manebuntque vxores viduæ, & absque prole, tunc septem mulieres, opprobrij vi- (Deut. 7. — Psal. 126. — Psal. 127. — Isa. 4.)

vitandi cauſa, ſi ſteriles, & abſque liberis manebunt, apprehendent virum vnum, rogantes, vt ſecum vellit nubere; ne tamen quotidianus cibus & potus pro alimento familiæ ſibi quærendus quidquam eum retardaret, quo minus earum voluntati annueret. [*Ibid.*] d xerunt ei: *Panem noſtrum comedemus, veſtimentis noſtris operiemur*; cuncta expenſis noſtris fient, ſolum à te poſtulamus, vt ſterilitatis opprobrium à nobis auferas.

III. Hvivs odii contra ſterilitatem ea vnica cauſa erat, quod cum Meſſias ex eorũ genere oriundus expectaretur, vnuſquiſque ex ſua proſapia naſciturum eum ſperabat: atque hæc (ni fallor) fuit etiã cauſa, [*4.Reg.21.*] ob quam Rex Ezechias moleſte ferebat vltimam vitæ ſuæ periodum iamiam inſtare, nimirum quod deinceps ex ſuo ſemine deſcenſurum Chriſtum minime poterat ſperare, ſi vitam cum morte commutaret, atque huc facit, [*Iud.11.*] quod cum Iephte voti ſe religione putaret aſtringi, vt quidquid ſibi poſt partam victoriam primum occurriſſet, Deo in holocauſtum deberet offerre, filia quidem eius prima ſibi occurrens, ac patris voluntatem de illa [*Ibid.*] mactanda agnoſcens, continuo dixit: *Pater mi, ſi aperuiſti os tuum ad Dominum, fac mihi, quodcunque pollicitus es, &c. hoc ſolum mihi præſta, quod deprecor: Dimitte me, vt duobus menſibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam cum ſodalibus meis*: tunc ergo, cum ſterilitas magno deſpicatui ducebatur, cum virginitatem mundus ridebat, non exigebat lex, vſus ignorabat, populus pro nihilo faciebat, & fragilis fœminarum natura vix illam ſuſtinere poſſet; tunc, inquam, Beata Virgo priuſquam virile & heroicum opus aggrediens, non muliebri affectu mota, non mundi iudicium attendens, non ſexus imbecillitati cedens, non carnis illecebris allecta, non denique florida iuuentute impedita, virginitatem ſuam perpetuo conſeruandam Creatori ſuo dicauit; [*D.Bern. hom.3. de B.Virg.*] quod excellentiſſimum opus Bernardvs admirans, non temere Mariam ſciſcitatur: *Vbi legeras, B.Virgo de virginibus, quia cantant canticum nouum, quod nemo alius cantare poteſt, & ſequuntur agnum, quocunque ierit?* [*Apoc.14.*] *vbi legeras, laudatos eſſe, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum?* [*1.Cor.10.*] *vbi legeras: In carne ambulantes, non ſecundum carnem militamus? &: qui matrimonio iungit virginem ſuam, benefacit, & qui non iungit, melius facit?* [*1.Cor.7.*] *vbi audieras: Volo vos omnes eſſe ſicut & meipſum, & bonum eſt homini, ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium? Chriſto ergo denoues te exhibere virginem, & neſcis, quod ipſi exhiberi te oportet etiam matrem?* hæc ille.

IV. Adrem tamen noſtram propius accedens, pleraque, eaq; pulchra, Patrum teſtimonia reperio, quæ B. Virginem tum in ſeruanda, tum in vouenda virginitate primam fuiſſe proclamant. In primis Abdias Babylonicvs in vita S. Bartholomæi hæc eius verba refert: *Hæc virgo, cum execraretur omnem virũ prima Deo omnipotenti vouit; primã autem ideo dixi, quia ex quo Deus homo factus eſt, ab initio ſæculi, nulla hoc votum Deo obtulit; hæc ergo prima inter fœminas conſtituit in corde ſuo, vt diceret: Domine, offero tibi virginitatem meam, cum hoc à nullo homine nec verbo didiciſſet, nec exemplo, ad imitationem videlicet in vita conſtituiſſet, vt virgo pro amore Dei ſpecialiter permaneret.* hactenus Diuus Bartholomæus; cuius verba refert & acceptat Diuus Bonaventvra: [*D.Bonau. lib.1. Pharet.c.5.*] Audite nunc Diuum Bernardvm in hunc modum loquentem: [*D Bern. hom.3 ſup. miſſus.*] *Tu Virgo, non dicam præceptum Virginitatis, ſed nec conſilium, nec exemplum habebas, niſi quod Spiritus Sancti vnctio docebat te de omnibus, ac ſermo Dei viuus prius tibi factus eſt magiſter, quam filius*; & in ſerm. ſuper *ſignum magnum apparuit*; [*Apoc.12.*] ait: *Offerentur Regi virgines, ſed poſt eam: nam primatum ſola vindicat ſibi Maria.* [*D.Ant.4. p.ſum. theo. tit 15. c.20.§.10.*] Diu. Antoninvs Bernardo conſentiens, inquit: *Beata Maria eſt mater omnium in virginitate, quia prima ſine præcepto, conſilio, vel exemplo virginitatis munus Deo obtulit; & per virginitatis votum opprobrium virginitatis abſtulit, & eam in ſe conſecrauit, & ſic omnes virgines per imitationem ſui genuit.* Verba etiam antiquiſſimi Origenis non obſcure idem ſignificant: [*Orig.in c. 13.Matth.*] *Arbitror*, inquit, *rationi conſentaneum eſſe, virilis quidem puritatis in caſtitate primitias fuiſſe Ieſum, muliebris vero Mariam; non enim poſſibile eſt alij præter hanc virginitatis primitias adſcribere* D Ambrosivs, [*D.Ambr. lib.de inſt. Virg.c.5.*] frequens Origenis imitator, de Maria palam teſtatur, virginitatem adeo coluiſſe, vt virginitatis ſignum extulerit, & intemeratæ virginitatis pium Chriſto vexillum leuauerit, vt verbis eius vtar. ſubſcribit venerabilis Beda, [*Bed.Luc.1.*] dicens: *Prima fœminarum tantæ virtuti ſe mãcipare curauit*: & homil. de Annunciat. [*Bed.hõ.de Annunc.*] *Virgini diuino munere collatum eſt, vt prima inter fœminas Deo virginitatis munus offerret.* ac tandem Rvpertvs [*Ruper.in c. 3.Cant.*] inquit: *Dicunt, & vere dicunt, quia votum virginitatis Deo prima vouiſti.* item Arnoldvs Abbas tract. de laud. Virgin. expreſſe affirmat: *Hanc Deo vouerat; & integritatem mentis & carnis conſecrarat.* hos Patres ſequutus Albertvs Magnvs, [*Alb.Mag. ſup. miſſus. cap.82.*] eidem adſtipulatur ſententiæ in hæc verba: *B. Virgo eſt mater omnium in virginitate, quæ prima ſine præcepto, conſilio, vel exemplo virginitatis munus Deo obtulit, per quod omnes virgines per imitationem virginitatis genuit*: accedit Abvlensis, [*Abul in 4. Reg.18. q.19.*] qui ſuper lib. 4. Reg. inquit: *Sola ſine exẽplo placuit fœmina Chriſto, id eſt, non fuit aliqua, quæ emiſiſſet votũ viginitatis propter Deum ante Dominam noſtram.* hæc ille. vnde Apponivs lib in Cant. accommodat Virgini ad hoc propoſitum illud Canticorvm: [*D.Ambr. de inſtit. Virg.c.5.6.*] *Vox turturis audita eſt in terra noſtra. nam turtur, quia auis eſt caſtiſſima, typũ gerit caſtiſſimæ Mariæ, cuius inſtar turturis vox, emittens virginitatis votum, audita eſt in terra noſtra, qualis à ſæculo nuſquam perſonuerat.* [*D.Epiph. ſer.78.*] Atque hinc ortum habuere celeberrima illa epitheta, atq; clariſſima cognomẽta, [*D Dam. hom.de Aſſumpt.*] quibus antiqui Patres B. Virginem cohoneſtarunt: nam D. Ambrosivs vocat illam: *Virginem vexilliferam, & virginitatis magiſtram*: Epiphanivs: *Principem virginum*: [*Iſid.de eccleſ.offic. c.17.*] D. Damascenvs: *Virginum Reginam, matrem & gloriam*: Isidorvs: *Virginum*

caput

D. Bern. v. supra. D. Aug. ra. 10. in Euang. Ioan. Sophron. hom. de Assumpt. Naziānz. in car. de Christo.

caput. Diu. BERNARDVS: *Virginitatis primiceriam.* D. AVGVSTINVS: *Virginum initium.* SOPHRONIVS: *Perfectionis originalis exemplum.* NAZIANZENVS: *Virginum lumen.* IDIOTA nomine, re tamen sapientissimus: *Virginitatis primipilam*: ac vniuersa ECCLESIA CATHOLICA, *Virginem virginum*, luculenter eam appellat.

D. Hieron. lib. 1. adu. Iouin. D. Ambr. lib. 1. de Virg. Ignat in ep. ad Philadel.

V. SCIO quidem, quosdam grauissimos Patres plures viros commemorare, qui ante B. Virginem virginitatem coluerunt: nam Sibyllas virgines fuisse necnon etiam Ieremiam, & Elisæum auctor est D. HIERON. contra Iouinianum, quod idem de Elia tradit AMBR. & IGNATIVS ad Philadelphienses scribit, Iosue & Melchisedech virgines fuisse: D. etiam DAMASC propter virginitatem testatur Danielem & tres pueros diuinitus liberatos fuisse, illum quidem à leonum dentibus, hos vero a voracitate ignis in camino Babylonis. Collegium deinde Essænorum in Iudæa fuisse, qui castam vitam agebant, communis est omnium sententia: non autem est verosimile, inter tot castitatis sectatores neminem non virginem extitisse Virgines etiam Vestales virginitatem coluisse, innumeræ referuntur historiæ ac tandem D GREG. NAZIAN. in carm. de virginitate concedit, à nonnullis illam fuisse custoditam: quod ita contigisse mihi facile suadeo, tum ex eo, quod vt D. AMBROSIVS testatur lib. 1. de virginibus, permultæ virgines erant Templo deputatæ, quæ religiose & caste viuebant; immo D. GREGORIVS NYSSEN. sororem Moysis virginitatis cultricem fuisse assueuerat: tum etiam, quia per ISAIAM iam Dominus virginibus prohibuerat, ne dicerent: *Ecce ego lignum aridum: quia hæc dicit Dominus Eunuchis; qui custodierint sabbata mea, & elegerint, quæ ego volui & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus*: hoc est, dabo eis excellentius nomen, quam si parentes essent plurium filiorum, & filiarum: ecce ante Mariam iam virginitas erat in vsu, & in æstimatione.

Dan. 3. & 6.

Isa. 36.

Alex. ab Alex. l. 5. genial. die.

VI. CÆTERVM hæc omnia asserta à nobis veritati ex Patrum doctrina nihil præiudicant; nam in primis Vestales Virgines non perpetuam, sed ad tēpus virginitatem colebant vt scribit ALEXAND. ab ALEXANDRO vnde S. AMBR lib. 1. de Virg. ad sororem suam Tom. 4 loquens de Virginibus quæ post longum tempus seruatæ virginitatis illam amittebāt, eleganter dixit: *Petulantior est talis integritas, cuius corruptela seniori seruatur ætati.* Maria autem soror Moysis, vt tradit antiquissimus IOSEPHVS, cui in hac re propter eius antiquitatem magna videtur adhibenda fides, coniux fuit Hur, quod & affirmat ABVLENSIS super Exodum, quod si quipiam alii vsque ad mortem virginitatem seruarunt, nullus tamen eorum voti religione illam illustrauit: quare sola Virgo est, quæ prima noscitur virginitatem suam Deo speciali voto nuncupasse, & consecrasse: ex quo merito virginum Dux, Chorifera, & Vexillifera (vt supra tetigi) appellari meretur, cum instar Ioab, qui tanquam strenuissimus Dux nullius præcedente exemplo primus fuit, qui vexillum leuauit super muros Hebron sic ipsa prima fuit, quæ super muros Ecclesiæ Catholicæ candidum virginitatis vexillum Christo leuauit: Et sicut Euandri mater (vt refert OVIDIVS) prima fuit, quæ Vestalium Virginum ritum instituit, quam imitatus postea Numa Pompilius, eundem Romæ instaurauit, vt auctor est TITVS LIVIVS: sic Deipara Maria prima fuit quę religiose votum virginitatis emittendi cōsuetudinis initium dedit: ac prima exstitit, quæ virgines, non Vestales, ad conseruandum ignem materialem in tēplo dicatas, sed virgines ex voto Deo consecratas ignem diuini amoris in se conseruantes instituit: & sicut Maria soror Moysis, quæ typum Mariæ gerebat, prima fuit in vsu tympani ad laudes Deo decantandas; sic B. Virgo prima exstitit in emittendo voto virginitatis, quæ pulchre per tympanum adumbratur. nam sicut tympanum ex desiccata penitus animalis pelle, omnique prorsus sanguine & carne euacuata conficitur; sic virginitas corpus & animam ab omni carnis libidine euacuat, & ad laudes Deo decantandas, & se, & alios prouocat, vt his verbis recte adnotauit AMBR. de Virginib. dicens: *Tunc Maria tympanum sumens, choros virginales excitauit: Cantemus Domino, quod per mare sæculi sine sæcularibus fluctibus transiuimus; ô quantis illa virginibus occurret quantas complexa ad Dominum trahet, dicens: hæc thorum filij mei, hæc thalamos nuptiales immaculato seruauit pudore* His consonant, quæ testatur IOANNES, dum ait: *Virgines esse quæ cantant canticum nouum, quod nemo alius cantare potest.*

Abul. in fi. comment. super c. 35. Exod.

Ouid. 1. Fastor.

Ambros. l. 2. de Virg.

Apoc. 5.

VII. CERTE olim Antiqui magnum honorem deferebant iis, qui primi rerum inuentores existebāt: nam (vt alios omittam) Veneti (teste BLONDO) plurimi quondam habiti sunt, eo quod primi fuerint bellicorum tormentorum inuentores Lacedæmonii laudati valde, quod ensem primi inuenerint: Anaximenes, & Anaximander mirifice commendati, eo quod ante omnes initium dederint horologiis, ac tandem Deam Arcadiæ, nomine Carmentam, Euandri matrem, multis encomiis efferebat prophana antiquitas, eo quod carmentorū & curruum artificium prima inuenisset: si ergo semper primi Reipublicæ vtilium rerum inuentores magno honore & laude digni fuere, quibus quæso pręconiis Deipara Maria exaltanda erit, quæ voti virginitatis, Christianæ Reipublicæ adeo vtilis prima inuentrix fuit? ipsa quidem, quæ prima tormenta bellica vt Veneti, ensem vt Lacedæmonii, horologium vt Anaximenes, currum vt Arcadiæ Dea, sapienter inuenit; cum reuera Virginitas voto confirmata & stabilita nihil aliud sit, quam spirituale quoddam tormentum bellicum Veneris arma cōfringens; acutissimus ensis carnis illecebras resecans, regulatissimum horologium irregulares animi motus & mores componens; ac tandem triumphalis quidam currus ad cœlestem patriam il-

[*Marc. 12.*] lam euehens, vbi (Christo id attestante) *neq; nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei.*

VIII. Cæterum illud non pauci nosse desiderãt, quo tempore B. Virgo virginitatis votum prima emisit. [*D. Th. 3. p. q. 28. ar. 4.*] D. Thom. censet, votum expressum suæ virginitatis emisisse post factam desponsationem, ante tamen desiderium solum illius habuisse: Antiquiores tamen Patres huic sententiæ video refragari, nã D. Hier. de ortu Virginis; D. Greg. Nyssæn. orat. de natiuit. & antiquus Niceph. celebris historiographus li. 1. ca. 7. vnanimi consensu tradunt, quod cum sacerdotes vellent B. Virginem, vt moris erat, nuptui dare, illam id respuisse, propterea, quod diceret, suam virginitatem Deo vouisse; ex quo illi magna perplexitate laborare cœperunt, cũ ex vna parte inueterata cõsuetudo virgines nubendi, quæ in Templo degebant, valde vigeret, ex alia rem sacrilegam iudicarent; virginem Deo religioso voto nuncupatam marito alicui tradere. Ego sane huic sententiæ facile subscribo, nam cum B. Virgo non ignoraret, magis gratam esse Deo virginitatẽ voto constabilitam, quam illius expertem, vt Theologi omnes docent cum Angelico Doctore, [*D. Th. 2. 2. q. 88. ar. 6.*] & habetur cap. *beata Maria*, 27. q. 2. non dubito, illam, vtpote Deo magis ac magis placendi sitientissimam, virginitatem suam, vt cœlesti sponso gratior & acceptior esset, expresso voto, dum in templo aderat, consecrasse. Illud certe est discriminis inter obseruationem virginitatis absque voto, & custodiam illius ex voti religione, quod inter simplicem donationem fructuum, & liberalem largitionem arboris simul cum fructibus; virgo quidem etiã, quæ est absque voto, pulchrum sane animi & corporis sui fructum Deo offert, arborem tamen sibi retinet, quam potest alteri donare, cum absque peccato possit nubendo viro se tradere; at integerrimã Virginem Mariam, quæ in holocaustum se Deo totam obtulerat, minime gentium credam quidquam sibi reseruasse, sed perfectissime, dum in templo aderat, virginitatem sponso suo consecrasse, fructum & arborem liberaliter ei donando.

IX. Porro cũ iam, Deo auspice, non obscure ostenderimus, beatissimam Virginẽ virginitatis Deo speciali voto consecratæ primam inuentricem, atq; adeo inuictissimam virginum ducem fuisse, reliquũ est, virginitatis encomia ad cœlum vsque efferamus, vt ad eam sectandam puellarum animi accendantur, & sub tanta duce Marianæ militiæ nomen suum dare non dubitent.

X. Inter omnia virginitatis præconia illud mirum in modum eam extollit, quod Christus Dominus regnum cœleste virginibus comparauerit: quo in virginum laudem duo potissimum indicauit: Primum est, virginitatem non terrestre munus, sed cœleste pignus esse: ad quod significandum Antiqui (vt obseruauit D. Hieronym. lib. 1 contra Iouinianum) alterum signorum cœlestium, quæ sunt in Zodiaco, [*Matth. 13.*] *Virgo* voluerunt appellari; itaque in orbe illo cœlesti virginitatem constituerũt, nuptiis nullũ locum dantes, vbi illo nõ caret Scorpius, nec Cancer. Secundum, comparatione regni cœlorum Christus Dominus aperte satis innuit, virgines Reges esse; nam præterquam seruire Deo regnare est, illi instar Regum speciali corona in cœlesti patria donantur, vt Theologi omnes docent. [*Theologi 4. dist. 49*] Atque hinc est, quod Romani (auctore Cælio Rhodigino) [*Cal. Rho lib. 17. lec c. 19.*] regium honorem virginibus deferentes, cum inueterata apud eos vigeret consuetudo, ne quispiam inter ciuitatis mœnia sepeliri posset, solis Imperatoribus, & Vestalibus Virginibus, quod omnibus erat interdictum, libenter concesserunt. Extat & aliud virginitatis celebre encomium, quod Patres, sectatores illius cum Angelis cognitionem habere frequenter prædicant. D. Hier. [*D. Hier. ser. de Af… sumpt.*] dixit: *Bene Angelus ad Mariam mittitur, quia semper est Angelis cognata virginitas*: & Diu. Gregor. Nazianz. inquit: *An non plane angelicum est, eam,* [*D. Greg. Nazianz. orat. in di… dũ Euang…*] *quæ carnis vinculis cum sit alligata, non secundum carnem viuere, sed natura ipsa excelsiorem esse?* & in præclaro etiam illo opere, quod de virginitate poetice conscripsit, his, quæ sequuntur carminibus, virginitatem angelicam virtutem eleganter cecinit:

Salue virginitas, diuino tradita dono,
Mater inoffensæ vitæ, bona maxima fundens,
Christi pars, & spiritibus sociata supernis.
Ignaris thalami, nam magnus coniugis expers
Est Deus, atque Dei rutilans chorus omnipotentis.

Non dissimilia paucis verbis dixit D. Cyprianus: *Cum caste vixeritis, virgines, Angelis Dei estis æquales.* atque huc facit, quod titulus Psalmi 44. qui in nostra vulgata in hunc modum inscribitur: *Pro his, qui commutabuntur:* Hebræum originale legit: *pro liliis,* vbi D. Hieron quærens, quæ lilia sint ista, quæ cõmutantur, [*D. Hier. in Ps. 44.*] respondit, Virgines esse, quæ ob puritatem vitæ in Angelos commutari videntur: ex qua doctrina colligere licet solutionem illius dubii, quare olim Angeli Abraham visitãtes, ab eo se adorari paterentur; [*Gen. 18.*] Angelus tamen, qui D. Ioan. Euangelistæ apparuit, non permisit se vllo adorationis genere coli, quin potius volenti illum adorare, continuo ei occurrit, dicens: *Vide, ne feceris,* [*Apoc. 22. 19.*] *conseruus enim tuus sum*: existimo eam fuisse rationem, quod, cum Ioannes virgo esset, non putauit Angelus illum sibi esse inferiorem, sed æqualem, & conseruum, & ideo adorationem eius respuit.

XI. Hinc est, quod quia virgines angelicam vitam agunt, conuersatio earũ in cœlis est, & ideo Ioannes [*Apoc. 14.*] dixit, se illas vidisse in sublimi monte cœlestis patriæ comitari agnum: *Vidi, & ecce agnus stabat super montem Sion, & cum eo centum & quadraginta quatuor millia*: quare egregie (vt assolet) Diu. Greg. Magnus dixit: *Bene in sublimi esse Virgines dicuntur, quia quod naturam humanam supergreditur, in altissimo virtutum culmine situm est*: hæc D. Gre [*D. Greg. Magnus su. 3. Re. l. … go.*]

gotius: cuius doctrinæ innitens non inepte dixerim, continentiam, & virginitatem, montem illum esse, de quo Angelus ad Loth clamauit: *In montem saluum te fac*: nam & ipse D. GREGORIVS in suo Pastorali id non obscure his verbis indicauit: *Sodomam fugere, est illicita carnis incendia declinare; altitudo vero montium est munditia continentiū.* Hæc tamen licet vera sint, minora tamen arbitror esse, quam Virginum dignitas mereatur; vt.n. acute dixit D. PETRVS CHRYSOLOGVS: *Excellentius est virginē esse virtute, quā natura*, verba eius hęc sunt: *Virginitas hoc obtinet virib. quod habet Angelus ex natura; Angelus & virgo diuinum agunt officium, non humanum; angelicam gloriam acquirere, maius est, quā habere.* scite & sapienter dixit, *maius*, quia Angelis virginitas naturalis est, virginibus meritoria; Angelis innata, virginibus industria sua, diuina gratia cooperante conseruata; Angelis vna est simplex virginitas, quia simplices spiritus sunt, virginibus vero duplicata inest virginitas, & mentis, & corporis, ex quibus tanquam partibus integra componitur; Angelis virginitatis custodia, pugnæ, & victoriæ expers est, virginibus vero pugnantibus & vincentibus, virginitatis gloria adscribitur: vnde D. HIERON. (vt refert GLOSSA) dixit: *Maior est victoria Virginum quam Angelorum: Angeli enim sine carne viuunt, Virgines vero in carne triumphant.* Tandē, etsi in Angelis virginitas laudabilis, longe in virginibus laudabilior, cum illis necessaria, istis spontanea & libera ob sponsi amorem existat.

en.16. .Greg. 3. Pastoral. dmon. 28. :Petrus hrysolog. rm. 3. de nnunc. D. Hieron. Gloss. super 1. ad Cor. 7.

XII. ILLVD tamen hæc omnia virginitatis præconia longe antecellit, quod D. GREGORIVS NAZIANZ. alta mente perpendens, non satis pro dignitate commendari virginitatem, si regno cœlorum, & Angelis comparetur, religiosa quadam audacia partem Christi illam vocitare non dubitauit:

Sic quoq; virginitas magni pars inclyta Christi.

Certe corpus mysticum Ecclesiæ Catholicæ, cuius caput est Christus, vt dixit Apostolus: *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam*; variis partibus compactum est, quarum quædam minus dignæ reperiuntur, vt coniuges, aliæ digniores, vt viduæ, & continentes; aliæ vero multo honoratiores, quæ virginitatem suam Deo sacrarunt; vnde D. HIERON. coniuges ferro, viduas argento, virgines auro comparauit: & interpretes super Matth. ex tribus numeris ibi assignatis trigesimum coniugibus, sexagesimū viduis, centesimum vero virginibus tanquam dignioribus assignant: has ergo vocat Gregorius inclytas partes Christi, alludens ad communem loquendi vsum Latinorum, qui cognomen, *inclyti*, strenuis Ducibus, & Victorib. præcipue accommodare solent; perpetua autē virginitatis custodia insignis victoria est, quam qui reportant, merito *inclyti*, seu *inclytæ partes* Christi, vt loquitur D. Gregorius, appellari merentur; ex quo fit, quod cum Christus fuerit fortissimus virorum, non possunt virgines, quæ partes eius sunt, non magna fortitudine pollere. Ad id enim significandum arbitror Salomonem præceptum à Domino habuisse, vt in Templo super columnas quædam lilia in modum coronę apponerentur: voluit enim ostendere, debere virgines, significatas per lilia, iuxta illud CANTICOR. *Qui pascitur inter lilia*, fortitudinem velut firmissimas columnas induere ad ingentes superandas difficultates; quibus quidem superatis, fulgentissimis coronis eorum capita redimentur. Et quidem si rem bene perpendamus, ipsa nominis etymologia perspicue satis indicat, fortitudinē cum virginitate coniunctam esse: nam si credimus D. ISIDORO, virgo à virago deriuatur, quod virilem, ac fortissimam fœminam significat; vel, si malumus Diuo THOMÆ consentire, qui vocem virginis à virore originem trahere putat; id etiam Virginum fortitudinem præ se fert, quia perfecta virginitas, etiamsi permulti eius hostes eam marcescere moliantur, semper suum retinet vigorem, & veluti viridis laurus à libidinis fulgoribus animum viriliter præseruat.

D. Greg. Nazian. in carm. de Virgin. Ephes. 1. D. Hieron. epist. ad Nicol. Matth. 13. 3. Reg. 17. Cant. 2. D. Isidor. lib. Etymol. D. Thom. 2. 2. q. 125. a. 1.

XIII. HÆC attente consideranti videbitur forsan non posse sublimius virginitatem extolli, quā quod inclyta pars corporis Christi sit; at altius illā extollit D BASILIVS, vbi ait: *Magnum quidem, vt vere dicam, est virginitas incorruptibili Deo, vt ita dicam; hominem similem faciēs.* similia dicit CYPRIAN. martyr de habitu Virginum: *Dei imago est, respondēs ad sanctimoniam Domini*: id est, ad puritatem Dei, quia *sanctum* idem est, quod purum, seu sine terra. In eo etiam præcipue virgines diuinæ sanctitatis inueniuntur æmulatrices, quod terrenis affectibus morientes, soli Deo viuunt, ac perpetuam mentis & corporis integritatem perpetuo conseruant; vnde D. GREGORIVS NAZIANZEN. beatissimam Trinitatem, primam Virginem appellat, quam in hoc & mentis, & corporis sui integritate virgines solummodo imitantur:

Prima Trias Virgo est, siquidem Patre natus Anarcho
Filius est, nec enim Pater ortum traxit ab vllo:
Vtpote principium rerum, & vitalis origo,
More nec humano generauit sanguine natum.

D. Basil. li. de vera Virginit. D. Greg. Nazian. in carm. de Virginit.

XIV. AD extremum (vt paucis multa comprehendam) SAPIENS dixit: *Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ*, ergo si virginē incorruptibile cœlum appelles, *non est digna ponderatio*: si cœlesti regno illam compares: *non est digna ponderatio*: si angelum voces, *non est digna ponderatio*: si partem inclytam Christi: *non est digna ponderatio*: si imaginem Dei: *non est digna ponderatio*. aliquid igitur amplius latentis excellentiæ virginitas continet, soli Deo perspectum, quod nos etiam religiosa admiratione suspicere ac reuereri debemus: vnde, vbi nostra Vulgata legit: *Apprehendite disciplinam*: quædam translatio legit. *Osculamini filium*; alia vertit: *Adorare puritatem*, vel *virginitatem*: quo non obscure indicatur, virginitatem Deo consecratam, tāquam imaginem diuinæ ac increatæ virginitatis adoratione dignā esse: Quod sane videtur

Eccl. 26. Psal. 2.

non ignorasse Imperatorem Iustinianum, qui, *vt constat ex § illud. in quadam eius authen.* non solum illius amator exstitit dum ait: *Non enim castitatis sumus amatores, sed & cultores etiam;* vt ipse testatur *in l. si qua, C. ad Senatusconsult. Orfi.* vbi ait: *Ipsi pudicitiæ, quam semper colendã censemus.* Atque hinc est, quod Gentiles hanc virginitatis excellentiam adorantes, multipliciter illam coluere, magnosque ei honores detulerunt: nã in primis, vt tradit D. HIERON. Gentiles ea præcipue ratione Dianam & Mineruam, tanquam Deas venerabantur, quia virgines illas esse certo sibi persuadebant; deinde, vt commemorat D. HIERON, lib eodem; Romani tãto honore virgines prosequebantur, vt si Imperatores in curribus triumphantes, & de hostibus superatis trophæa referentes Vestalibus Virginibus obuiassent, eis de via cedere soliti essent: & merito quidem quia virginum triũphus de indomita carne celebrior ac dignior erat, quam si de hostibus etiam infestissimis extitisset, SALOMONE dicente: *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium:* par igitur erat, vt minor Imperatorũ triũph⁹ cederet maiori virginũ.

D. Hieron lib. contra Iouin.

Prou. 16.

XV. ACCEDIT ad hæc, quod Imperator Iustinianus hanc legem condidit in virginitatis honorẽ, vt cum virgines nuberentur, illorum viri in præmium virginitatis arrhas illis donarent, *vt habetur ex text. in l. res vxoris C. de donatione inter virum & vxorẽ.* ROSINVS quoq; refert, quod si quę Virginum Vestalium per publicas ciuitatis vias egrediebatur, eadem stipantium caterua, qua Consules, ac supremi Romæ primates incedere soliti erant, ipsa magno fastu & apparatu procedebat. Ipse etiã auctor scribit, Romæ moris esse, vt si quis ad mortem damnatus per publicas vias duceretur, si Vestalem Virginem offenderet, ab omni pœna immunis manebat, tantum honoris apud Romanos virginibus exhiberi solitum erat.

Rosinus de Virg. Vest.

Rosin. ibid.

XVI. QVOD si in hoc genere argumenti sacra eloquia cõsulamus, pulchra multa reperiemus, quibus aperte constabit, quantũ non solum terrestria animãtia, sed & astra cœlestia, & spiritus angelici, immo & ipsemet Deus virginitatem honorauerint. Reuocate quęso in memoriam, quod D. DAMASCENVS tradit lib. 4. de fide, ca. 15. nec voraces flammas ignis tres pueros in camino Babylonis exurere, nec immanissimos leones Danieli quidquam lædere ausos fuisse, quia virgines erant. Mẽmentote etiam illius, quod Patriarchis Ioseph & Iacob in somnis contigit: nam illi, quia virgo tunc erat, clarissima Solis & Lunæ astra visa sunt eum adorare; huic vero ostensa est mirabilis scala à terra vsque ad cœlum pertingens, in cuius summitate Deus ipse sedebat, & per eam Angeli ascendebant, & descendebant; nouit enim Iacob hunc fauorem sibi à Deo virginitatis causa impensum esse; nam cum postea eadem illã via reuerteretur, amissa iam propter matrimonium virginitate, quanquam inuenit Angelos, non tamen pacificos, sed in modum exercitus pugnantes: & hinc est, quod antea dixerat: *Vere locus iste sanctus est, & ego nesciebam,* nunc vero in hæc verba prorumpit: *Castra Dei sunt hæc:* itaq; virginitate amissa, Angeli solum se ostendunt Iacob velut defensores, neutiquam tamen, vt sibi familiares, & ei æquales, velut antea.

Dan. 3.

Dan. 6.

Gen. 37.

Gen. 28.

Ibid.

Gen. 32.

XVII. PORRO iam veniamus ad honores, quibus Deus optimus maximus virginitatem semper cumulauit. D. AVGVSTINVS meminit quarundam virginum, quarum vna cribrum aqua plenum manibus continebat, absque eo, quod nec gutta vna ex eo decideret; altera vero, vt tradunt OVIDIVS, li. 9 Fastorum, & TITVS LIVIVS li. 7. de bello Punico, nauim, quæ ex defectu venti vlterius progredi non poterat, zona, qua cingebatur, non minus velociter traxit, quã si à vento raperetur. STRABO etiã refert, virgines apud Persas Dianæ dicatas super ardentes prunas illæsis pedibus incessisse; quę omnia ea ratione arbitror Deum fieri permisisse, vt etiam apud Gentiles, & idolorum cultores virginitas in magno precio haberetur; apud fideles vero in Veteri Lege hunc honorem contulit castitati, vt ex omnibus Tribubus solum Tribum Leui sibi eligeret, in quo maxime castimoniam effulgere oportebat, eo quod diuino famulatui Leuitæ essent mancipati. Quod vt magis innotescat, obseruandum est, quod ex duodecim lapidibus, quibus Rationale summi sacerdotis iusserat Deus exornari, tertius erat Smaragadus, in quo (vt tradunt D. HIERONYMVS, & ABVLENSIS) sculptum erat nomen Tribus Leui, qui fuit tertius filius Iacob, vt iidem Doctores docent, per quod sine dubio voluit Deus significare, eos, quos sibi maiori vinculo copulabat, castitate, ac animi puritate cõspicuos valde esse debere. Smaragd⁹ enim (vt refert VALERIANVS) castitatis symbolũ propterea semper exstitit, quia, si quis illum secum deferens, Veneri vacet, cõtinuo rumpitur. Est etiam ad idem obseruatione dignum, quod Leui tria significat, ad illustrandum præsens argumentum non parum accommodata: primo significat idem, quod *assumptus,* seu *electus,* vt notauit Diuus GREGORIVS super Ezechielem: sane si rem altius contemplemur, preciosiora pignora, quæ sibi Deus assumpsit, & ex omnibus elegit, virginitate præcelluerunt, vt his verbis acute adnotauit magnus Pater HIERONYMVS: *In omni hominum genere optimus virgo fuit; inter homines optimus Christus, hic virgo fuit; inter mulieres optima Maria, hæc virgo fuit: inter Apostolos, Paulus per excellentiam Apostolus dicitur, & virgo hic fuit: inter martyres, Stephanus & Laurentius, & hi virgines fuere:* Secũdo significat Leui, *Assistens Deo,* scilicet per cogitationem, iuxta illud PAVLI: *Mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt.* cũ .n. virgines sint similes Angelis, non cessant clamare quotidie vna voce dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* cuius sane cãtus suauissimus concentus, dulcissimaq; harmonia angelicos spiritus adeo exhilarat, vt ad illum auscultandum cum summo gaudio accedant, iuxta

D. August. li. de ciuit Dei.

Exod. 28.

D. Hieron. tom. 3. lib. de vest. sacerd.

Abulen. sup. c. 28. Exod. q. 12.

Pier. Valer. lib. de Smaragd.

1. Cor. 7.

Isa. 6.

illud

Cant. 8. illud sponsi: *Quæ habitas in hortis, amici auscultant te*: quis ergo non miretur, tantam virginum esse excellentiam, vt Angeli dulcissimos cœlestis patriæ hymnos, & suauissimos cantus audire assuefacti, Virginum melodiam diuinas laudes personantium attentis auribus auscultare de cœlo veniant: *quæ habitas in hortis, amici auscultant te*: tertio Leui, vt tradit Diuus AMBROSIVS, idem denotat, quod *meus*: adeo quidem Deus sibi complacet in virginibus, vt quasi zelotypico amore ardens, velit virgines totas esse suas, totaliterque ab eo possideri, vt
Iosu. 4. verba IOSVÆ satis indicant: *Non habebit Leui partem, nec possessionem cum fratribus suis, quia ipse Dominus possessio eius*: vnde quando iussit Deus populo suo, vt legimus in lib. NVMEROR. quasdam ciuitates cum ciuibus suis penitus euertere, præcepit tamen, ne virgines, vtpote quæ ad possessionem suam speciali ratione pertinerent, interimerentur:
Num. 31. *Puellas tantum virgines reseruate vobis*: ecce, cum in illis ciuitatibus tanta esset statuum diuersitas, solis virginibus, tanquam rei sibi sacræ, hanc immunitatem Deus seruari voluit, vt nemo militum illas lædere, aut contingere auderet, sed sibi soli reseruarentur: *Tantum virgines seruate.*

XVIII. ATQVE hinc colligo rationem, ob quam inter omnes cœlicolas soli Virgines deferant scriptum in frontibus nomen IESVS, iuxta illud APO-
Apoc. 14. CALYP. *Habebant nomen eius scriptum in frontibus suis*: eam (ni fallor) opinor esse, quod speciali ratione præ cæteris aliis beatis ad Christum pertineant, tanquam peculiaris eius possessio. Vnde, quemadmodum mancipiorum domini solent in eorum maxillis, vel mento; & pastores in ouium velleribus signum aliquod imprimere, vt, ad quem pertineant, dignoscantur, ita Deus virginibus, quia specialissimo obsequii genere seipsas ei manciparunt, specialissimo etiam sacri nominis IESV notamine frontes eorum præ omnibus aliis beatis condecorari voluit, illud etiam adnotarim (quod ad virginitatis honorem non parum conducet) Deum olim conquestum fuisse de populo suo, quod mortuas virgines non defleuisset, variisque encomiorum honoribus mortem earum non cohonestasset:
Psal. 77. *Virgines eorum*, inquit DAVID, *non sunt lamentatæ*: Vbi Hebræi legunt: *Virgines eorum non sunt laudatæ*: ecce volebat Deus, vt virgines, instar magnorum Principum, tam in vita, quam post mortem, non solum lachrymis & gemitibus, sed & variis præconiis ac laudibus populus prosequeretur, quæ se totas Deo consecrauerant: Cui sit honor, & gloria, in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA VI.

Virtutes variæ, quibus B. Virgo in templo effulsit, virginibus imitandæ proponuntur; præsertim vero clausura, verecundia, otij vitandi cura; quæ sunt velut propugnacula virginitatis, cuius custodiæ mira difficultas ex Patrum doctrina ostenditur: variaque ad illam superandam remedia traduntur.

I.  VAM sancta, quam sincera, quam perfecta, quam cœlestis, quam seraphica, quam omnibus numeris absoluta Mariana in Templo viuendi ratio fuerit, non aliunde probare adnitar, quam ex his, quæ de illa ibidem commorante priscorum Patrum antiquitas cõtestata nobis reliquit. IOANNES CHRYSOST. ait: *Beata Maria vltra omnem humanæ naturæ modum modestiam atque temperantiam excoluit, ac ob id vniuersorum Dominum in vtero gestare promeruit. Quod si quæ virgo alia maiori modestia, vel ampliori puritate aut maturitate præter hanc ornata extitisset, illam sibi Dominus præ hac ipsa omnino in habitaculum delegisset.* idem etiam CHRYSOST. inquit: *Maria non leuis, non iocosa, non cantatrix, non turpium verborum amatrix, sicut solent plerumque puellæ, quæ libenter talia aut loquuntur, aut audiunt; non super virum oculos suos extulit, nec infixit aspectu.* IOANNES DAMASCENVS: *Deinde in domo Domini plantata, & impinguata spiritu, veluti oliua fructifera, omnis virtutis habitaculum facta est, ab omni sæculari vita, & carnali concupiscentia procul mentem sequestrans; & sic virginem animam cum corpore conseruans, vt decebat eam, quæ in sinu Deum susceptura esset: sancta enim existens in sanctis requiescit: sic igitur sanctificationem omnem exercet, & templum sanctum, & admirabile Altissimi Dei digne demonstratur.* EPIPHANIVS presbyter Constantinopolitanus in vita Virgin. *Erat docilis, & amans doctrinam, & non solum in sacris literis, sed etiam in lana & lino, serico, & bysso laborabat; erat præterea in sapientia & intelligentia super omnes illius sæculi adolescentulas cunctis admirationi, quæ & vere consuerit ea, quorum vsus erat in templo sacerdotibus.* D. ANSELMVS opusculo de forma & moribus beatæ Mariæ: *Mos tuus erat modica loquela, expedita obedientia, munda proximationis; sine audatia, sine turbatione, sine ira, benigne salutans, eloquentiam eius homines mirabantur*; & paucis interiectis subdit: *Perseuerans in orationibus, ferens panum proprij coloris, lectioni, ieiuniis, & labori manuum, & omni bonæ virtuosæ operationi se dederat.*

Io. Chrys. in Domini hypopanti.

D. Chrys. in cap. 1. Matth.

Ioan. Damasc. lib. 4. fid. c. 15.

II. Eximias has Virginis virtutes AMBROSIVS contemplans, ad Virginis imitationem nos inuitans ait: *Sit vobis tanquam in imagine descripta virginitas Mariæ, & eius vita, in qua, velut in speculo, refulget species castitatis, atque forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla viuendi, vbi tanquam in exemplari magisteria sunt expressa probitatis, quæ quid corrigere, quid tenere debeatis, ostendunt.* hæc S. Ambrosius: quibus non dissimilia scripsit D. HIERONYMVS epistola ad Paulum & Eustochium in hæc verba:

Ambr. lib. de Virgin.

verba: *Si placeat vobis, chariſſimæ, talis ac tanta Virgo placeat, & opus virtutis eius, cuius vita omnium diſciplina eſt, cuius mores inſtituta ſunt Eccleſiarum.* Et quidem Ethnici Philoſophi putarunt, magni momenti eſſe præclaram alicuius viri viuendi rationem attendere, vt ad eius normam mores quiſque ſuos efformaret; vnde TERENTIVS in Adelphis dixit: *Inſpicere tanquam in ſpeculo vitam hominum iubeo, atque ex aliis ſumere tibi exemplum.* & SENECA ad Lucillũ ſcripſit: *Elige tibi, cuius tibi placeat vita, quia opus eſt aliquo, ad quẽ mores noſtri ſe erigãt;* ac tandem CATO inter ſua documenta hoc potiſſimũ reliquit:

Multorum exemplo diſce, quæ facta ſequaris,
Quæ fugias; nobis vita eſt aliena magiſtra.

III. EX vnanimi igitur Patrum, quos retuli, doctrina tria præcipue virginibus imitanda proponuntur, ad virginitatis earum cuſtodiam apprime neceſſaria. Primum clauſura, & à virorum conſortio omnimoda ſequeſtratio; vt enim eleganter dixit D. HIERONYMVS epiſtola ad Euſtochium: *Raro cogitatur in mente, quod exteriores ſenſus nõ nutriunt; hæc enim ſunt feneſtræ, hæc eſt, quæ, niſi clauſa fuerit, morti patet introitus, & nil niſi funeſte ingreditur, in ſilentio autem, clauſura, ac quiete cogitationes peruerſæ vitantur:* idem etiam HIERONYM. eidem Euſtochio ſcribens, dicit: *Caue, ne domum exeas, & ne velis videre filias regionis alienæ, quamuis fratres habeas Patriarchas, & Iſrael parente læteris; nam Dina domum egreſſa corrumpitur; nolo igitur te ſponſum quærere per plateas, nolo te circumire angulos ciuitatis, zelotypus eſt Ieſus, non vult ab aliis videri faciem tuam: foris vagentur virgines ſtultæ, tu intrinſecus eſto cum ſponſo:* & in epiſt. 3. ad Gaudentium ait: *Nec liberius procedat ad publicum, nec ſemper Eccleſiarum quærat celebritatem, in cubiculo ſuo totas delitias habeat.* hæc ille. AMBROSIVS ad idem ſuper Lucam ait: *Diſcite virgines ſacræ non circumcurſare per alienas ædes, non demorari in plateis:* & in exhortatione ad Virgines ait: *Nullus ſit ſine matre progreſſus, quæ ſit anxia tui cuſtos pudoris; ipſa quoque ad Eccleſiam progreſſio rarior ſit adoleſcentulis.* ſacra Scriptura inſignem illam fœminam Iudith clauſuræ amantiſſimam proponit, dicens: *In ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur.* ſimilem clauſuram obſeruaſſe arbitror Saram, vt nõ obſcure colligitur ex lib. GENESIS; cum enim tres Angeli Abraham inuiſere veniſſent, non inuenerunt Saram, quia in penetralibus domus latebat, nec inde exiuit, quouſque ab Angelis accerſita fuit, dicentibus: *Vbi eſt Sara vxor tua?* Verum non ſolum fideles, ſed & Ethnici homines magni momenti eſſe putarunt fœminarum clauſuram ad pudicitiã conſeruandam: vt enim refert TIRAQVELLVS in l. I. connubiali, PLVTARCHVS teſtatur, moris fuiſſe apud Boetios, vt coniux ad nuptias curru duceretur, & cum in domum reducebatur, continuo aderant, qui currum comburebant, ſignificare volentes, iam non vltra opus ſibi eſſe curru, cum perpetuo domi conſiſtere deberet.

Hieron. ep. 22. c. II. ad Euſtoch.

Iudith 8.

Gen. 18.

IV. IDEM etiam PLVTARCHVS cõmemorat Phydiam, celebrem ſculptorem, Veneris pulchrã ſtatuam affabre feciſſe, illamq; ſuper teſtudinem quãdam poſuiſſe, tum vt lento illo greſſu, quo illa graditur, ſignificaret, fœminam debere deambulatricem non eſſe; tum quia, ſicut teſtudo non aliter de vno loco ad alium mouetur, niſi intra domunculam ſuam clauſa, & eandem ſuper ſe deferens; ita fœmina, & maxime virgo, tam ægre ferre debet domus ſuæ clauſtra egredi, & foris incedere, quam ſi totam domus molem ſuper humeros latura eſſet. Tandem Diuus PAVLVS hortatur vxores clauſuram domus ſuæ ſeruare; nam vbi noſtra vulgata legit: vt ſint *domus curam habentes*, originale Hebræum habet, vt ſint *cuſtodes domus*, atque huc arbitror tendere verba SALOMONIS, dum de muliere prudenti ait: *Conſiderauit ſemitas domus ſuæ, & panem otioſa non comedit.* Primo ait, illam nõ per alias vias circũcurſare, nec per alias peruagari ciuitatis plateas, quã per ſemitas domus ſuæ. Secũdo ait (quod & noſtro argumento deſeruit) otioſitatis inimicam eſſe: *& panem otioſa non comedit:* hoc enim ſecundũ eſt propugnaculũ virginitatis; exercitium autem, quo otium vitabat, adnotauit etiam SALOMON: *Et digiti eius apprehenderunt fuſum.* Spiritus Sanctus etiam TOBIÆ vxorem laudat, quod otii inimica textrinæ arti vacaret. Hinc HIERONYMVS ad Demetriadem honeſtiſſimam virginem ſcribens, inquit: *Habeto lanam ſemper in manibus, vel ſtaminis pollice fila deducito.* & in epiſtola ad Lætam, de inſtitutione filiæ, ait: *Diſcat lanam facere, ponere in gremio calathum, rotare fuſum.*

Tit. 2.

Prou. 31.

Ibid.

Tob. 2.

V. QVID plura? ipſi Romani ſolo lumine naturæ illuſtrati, vt auctor eſt PLINIVS, cum ſponſam ad nubendum ducerent, manu illa fuſum deferebat, vt hoc ſymbolico ritu aduerteret, non otio languere, ſed labore manuum ſuarum illud continuo vitare debere. Alii vero Gentiles, vt ſignificarent, longe à virginibus relegandum eſſe otium, ſi caſtitatis theſaurum cuſtodire vellent, virginitatem in hunc modum deſcripſere: per bellam quamdam, ac venuſtam puellam depingebant, capite cœlum tangentem, cuius dextera ſalicis ramum ferebat; ſiniſtra vero examen apum continebat: ſalicis ramus ſymbolum erat caſtitatis (vt tradit D. HIERONYMVS ſuper cap. 4. Zachariæ) quia, vt ipſe ex Medicorum ſententia teſtatur, flos eius aquæ immiſſus, & ebibitus, carnis petulantiam compeſcit, ac Veneris ardorem mitigat; ad cuſtodiendam autem hanc caſtitatem, per ſalicem ſignificatam, duo præſentiſſima remedia ei exhibebant: primum, vt capite tangeret cœlum, hoc eſt, *quæ ſurſum ſunt, ſaperet, non quæ ſuper terram*, ſed corde & animo cœleſte auxiliũ ſemper imploraret, quaſi præodoraſſent id, quod Spiritus Sanctus ait: *Quoniã aliter non poſſem eſſe continens, niſi Dominus dederit.* Alterum remediũ fuit, vt otioſitatem diligenter vitaret: id enim ſibi volebat examen apum, quas conſtat adeo laborioſas eſſe, & otii inimicas, vt longiſſima etiam itinera conſi-

Plin. lib. 8. cap. 48.

Ad Coloſſ. 3.

conficiant ad debitam faui materiam quærendam; qua ſemel habita, nulli parcunt labori, quouſque & mel, & ceram in humanos vſus adeo neceſſariam elaborauerint.

VI. Non ſolum autem otioſitas virginibus, ſed cuiuſcumque ſtatus & conditionis viris ac fœminis nocua eſſe perhibetur, Eccles. dicente: *Seruo maleuolo tortura, & compedes, mitte eum in operationem, ne vacet, multam enim malitiam docuit otioſitas:* equidem cum Deus creauit hominem, noluit eum eſſe otioſum in paradiſo, vt verba Moyſis teſtantur, ſed cultorem illius eum cõſtituit: *Tulit Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum:* vnde quidam Imperatores Romani, quaſi primum parentem imitantes, vt referunt Cicero lib. de Senect. & Fulgosius tit. de otio honeſto, hortos habebant, quos propriis manibus ad otium vitandum colebant, quod multorum ſcelerum origo eſſe ſolet, vt obſeruauit Ovidius lib. 1. de remedio Amoris, dicens:

Eccl. 33.

Gen. 2.

Quæritur, Ægyſthus quare ſit factus adulter,
In promptu cauſa eſt, deſidioſus erat.
Otia ſi tollas, periere Cupidinis arcus.

Diuus autem Bernardus in vniuerſale loquens, dixit: *Omnium tentationum, & cogitationum malarum, & inutilium ſentina eſt otium:* atque hinc eſt, apud Athenienſes hanc fuiſſe legem ſtabilitam, vt refert Laertius lib. 5. c. 2. vt otioſi homines haberentur tamquam rei omnium ſcelerum, de quibus accuſarentur, ita vt nulla alia deſideraretur probatio ad eorum punitionem.

D. Bern. de otio vitando.

VII. Ad hæc, inter alia non pauca, quæ ſacra Virgo in Templo degens, virginibus imitanda propoſuit, modeſtia etiam fuit, & verecundia, quibus diuino ſponſo ſummopere placuit. Memini Pamphilum Poetam inepte ſatis dixiſſe, pudorem filium eſſe ruſticitatis:

Nam venit à ſola ruſticitate pudor.

Sed falſa cum ſua fefellit opinio: nam, vt ſapienter Valerius Maximus dixit: *Verecundia parens eſt omnis honeſti, magiſtra innocētiæ, chara proximis, accepta alienis, omni loco, omni tempore fauorabilem proferens vultum.* Vnde Ecclesiasticus inquit: *Gratia ſuper gratiam, mulier ſancta, & pudorata.* imo de Ariſtotelis filia fertur, quod interrogata, quiſnam ex coloribus magis ei arrideret? reſpondit: *Optimus color eſt, quem ingenuus gignit pudor:* videturque ſententiam hanc didiciſſe à parente ſuo Aristotele in Politicis dicente: *Plus homines erubeſcentia rei amatæ, quam alia eius perfectione capiuntur.* præcipue tamen apprime neceſſaria eſt adoleſcentibus, tam viris, quam fœminis, vt eleganter docuit D. Ambros. in hæc verba: *In adoleſcentibus verecundia, velut quedã natura dos commendatur, & eſt prima diſciplina; hæc in ipſo corporis motu, geſtu, & inceſſu tenenda eſt; habitus enim mentis cernitur in ſtatu corporis, & vox quædam eſt animi, corporis geſtus, vel motus: in ipſo quoque corporis decore verecundia plus eminet.* Atq; hinc eſt, quod ipſe D. Ambrosius ſcite adnotauit, inſignem verecundiam, quam præ ſe tulit Rebecca, quando, vt legimus Gen. 24. ducta ad nuptias, & admonita, quod vir, qui à longe videbatur, erat Iſaac futurus eius maritus, confeſtim nulla interpoſita mora velo vultum ſuum cooperuit; manifeſtum ſane ſuæ pudicitiæ argumentum; nam quæ marito proxime futuro præ verecundia faciem velabat, longe aberat ab illarum leuitate, quæ videre, & ab omnibus videri deſiderant. De Abimelech narrat ſacra Scriptura, quod eximiam Saræ pulchritudinem admiratus, ne forſan aliis, quod ipſi contigerat, accidiſſet, qui amoris illius flammis exarſit, mille argenteos ei donauit, vt velum emeret, quo verecũdiam ſuam oſtendens, miram vultus ſui venuſtatem, ac pulchritudinem contegeret: *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum ſunt,* ita hunc locum interpretantur Tertull. lib. de veland. Virginib. Lypomanus in catena ſuper Geneſ. c. 20. Marginalis Scholiastes in Biblia Sancti Pagnini.

Val. Max. de verecundia.
Eccl. 26.

Ariſt. in Polit.

D. Ambr. l. 1. de offic.

D. Ambr. l. 3. de Virg.

VIII. Cæterum non ſolum moralis diſciplina, ſed & natura ipſa, ſi non ſermone, ſaltem ipſo opere verecundiam virginibus libentiſſime amplectẽdam fore, non obſcure docuit: nam, vt auctor eſt Plinius, cadauera virorum viſa ſunt ſuper aquam natare facie ſurſum reſpiciente: fœminarum vero non niſi vultu verſus aquam conuerſa; quo natura ipſa verecundiam fœminas valde decere apertiſſime commonſtrauit. Atque hinc patet imprudentiũ quarundam virginum dementia, quæ virginei pudoris immemores, cum earũ leuitas & immodeſtia cunctis patula reprehenditur, ipſæ inſipienter reſpondent: nihili pendimus hominum dicta, &, vt Hiſpane dicitur: *Digam, que de Dios dijeron.* O ſtultã reſponſionem: cuius ſtultitiam perſpicue ſatis damnat illud, quod ſacra Numer. hiſtoria cõmemorat: cum enim Deo dicenti velle populum ſuũ peſte conſumere: *Feriam igitur eos peſtilentia, atque conſumam:* Moyſes quidem reſpondit, quod ſi id faceret, anſam præberet Ægyptiis, vt dicerent: *Non poterat introducere populum in terram, pro qua iurauerat, idcirco occidit eos in ſolitudine:* quo audito (licet alioquin illud minime Deus ignoraret) cõtinuo ad exemplum noſtrũ pepercit populo ſuo, & auertit malũ, quod ei minatus fuerat facere: ſi ergo Deus ipſe cauit, ne quidquam Ægyptii contra illum dicerent, & ad id vitandum euaginatum iræ gladium in miſericordiæ vaginam miſit; quanto, quæſo maiori cura nobis, & maxime Deo dicatis virginibus cauendum erit, ne corporis leuitatem, geſtus immodeſtiam, licentioſam loquelam, aut inordinatam viuendi rationem, detrahendi occaſionem, obſeruantibus illas temere præbeamus.

Plin. lib. 7. c. 12.

Num. 14.

IX. His tantis adminiculis clauſuræ verecũdiæ, ac vitandi otii, ſolicitudinis, aliiſque ſimilibus, quę longum eſſet percenſere, & prolixius pertractare, indiget fulciri virginitas, ne virgines pudicitiæ ſuæ iacturam miſere patiantur; cuius eam potiſſimam arbitror rationem; quod, vt vnanimi cõſenſu ſan-

cti

cti Patres contestantur, multo difficilior fit contra Venerem, quam contra Martem victoria, & ideo pluribus indiget adiumentis, & subsidiis: vnde D. AVGVST. ait: *Inter omnia Christianorum tormenta duriora sunt prælia castitatis, vbi continua pugna, & rara victoria.* Idem etiam AVGVSTINVS de verbis Domini: *Nolumus*, inquit, *vt nulla sint concupiscentiæ, sed non possumus; velimus, nolimus, habemus illas, titillant, blandiuntur, stimulant, surgere volunt, premunt:* id ipse satis expertus, ingenue fatetur, quod quando diuina inspiratio animum eius pulsabat, vt Christianæ militiæ nomen suum daret, nihil magis conuersionem eius retardabat, quam quod caste viuere deberet. Sed attendamus, quid in hoc genere argumenti dicat Diuus HIERONYMVS. Certe epistola ad matrem, & filiam in Gallia commorantes, dixit: *Ferreas mentes libido domat.* Epistola ad Nepotianum, quæ incipit: *Petis à me*, hæc scribit *Vide, ne sub eodem tecto inuaseris, nec in præterita castitate confidas, nec Samsone fortior, nec Salomone sapientior esse potes: memento semper, quod paradisi colonum de possessione sua mulier eiecerit.* In Epistola etiam ad Amandum de quæstionibus noui Testamenti, obseruauit acute, facilius conteri peccatorem de aliis peccatis, vt de homicidio, periurio, & similibus, quam de libidine, cuius reddens rationem, inquit: *Sola vero voluptas ac libido etiam in ipso tempore pœnitendi præteritos stimulos patitur, & per hæc quæ cupimus, cogitantes, rursus fit materia delinquendi.* Sæpe enim contingit, vt dum Venerea crimina in confessione aperire parati memoria euoluimus, Veneris laqueis iterum irretiamur. Ipse etiam Diuus HIERONYMVS libr. epistolarum hanc difficultatem præsentiens, ab omni humano consortio sequestratus, & velut alter Paulus corpus suum castigans, & in seruitutem redigens, tot carnis stimulis agitabatur, vt diceret: *Putabam me Romanorum interesse deliciis, & sicca iam carne præmortua, sola incendia carnis bulliebant*, hæc D. Hieronymus.

D. Aug. lib. de ag. Chr.
D. Aug de ver. Dom. ser .43.
D. Aug. lib. 8. confess. c. 7.

X. AVDIAMVS nunc sanctum AMBROSIVM libro de Dauid dicentem: *Samson validus, & fortis leonem suffocauit, sed amorem suum suffocare non potuit; vincula soluit hostium, sed suarum non soluit nexus voluptatum; messes incendit alienas, sed vnius ipse mulieris accensus igniculo, messem suæ fortitudinis amisit.* Ipse etiam libro 4 super Lucam cap. 4. ad difficultatem hanc magis ostendendam narrat, quod cum quidam infirmus à medicis moneretur, certo visum fore amissurum, si à matrimonii vsu non se abstineret; ille rei difficultate perterritus, medicorum consilium respuens, continuo in hæc verba prorupit: *Vade amicum lumen*: eligens magis Veneri vacare, quam visum conseruare. Sed iam ad idem accedat Diuus BERNARDVS super Cantica, dicens: *Quantumuis in hoc corpore manens profeceris, erras, si vitia putas emortua, & non magis suppressa; velis, nolis, infra fines tuos habitat Iebusæus, subiugari potest, non exterminari.* Accedat etiam Diuus CYRILLVS cathe. 12. dicens: *non ignoramus castitatis gloriam, angelica enim est corona, & supra hominem est hæc perfectio:* similia dicit CASSIANVS. *Vltra naturam est, carne circumdatum carnis aculeos non sentire.* Ac tandem præter quotidianam experientiam, quæ non sine ingenti animi nostri detrimento in vincendis carnis illecebris miram difficultatem palam facit, id quod LVCAS Euangelista narrat, nimirum inter omnes illos ad cœnam inuitatos nullum licentiosius ab ea se excusasse, quam qui vxorem duxerat, satis illam ostentat; quidam enim dixit *Villam emi, habe me excusatum:* alter: *iuga boum emi, & eo probare illa:* qui vero coniugem acceperat liberius: *vxorem duxi, non possum venire:* ecce nullus illorum, præter istum, impotentiam allegauit, quo apertissime significauit difficultatem, quam in abstinendo à carnis deliciis præsentiebat, ingentem adeo esse, vt eam *impotentiam* vocare non dubitaret: *vxorem duxi, non possum venire.* Exstat ad idem Christi Domini testimonium, omni exceptione maius, dum per MATTHÆVM de Virginibus loquens dixit: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est; qui potest capere, capiat:* in quæ verba Diuus HIERONYMVS dixit: *Nemo autem putet, sub hoc verbo: sed quibus datum est, fatum, vel fortunam introduci, sed iis datum esse à Deo, qui petierunt, qui voluerunt, qui, vt acciperent, laborauerunt.* huc etiam facit, quod de matre fortissimi illius Ducis Achillis varii commemorant auctores: quæ cum quodam liquore vellet corpus eius inungere, vt illud obduraret, & contra aduersariorum tela robustius redderet, solum renes, vbi libido dominatur, absque vnctione prætermisit, significans in hoc humanam industriam ad vincenda carnis incentiua minime sibi sufficere posse. hæc enim sanctissimos quoque viros non semel superarunt, vt auctor est, & testis Diuus BONAVENTVRA, qui in quodam suorum opusculorum ait: *Sermo rigidus, & breuis cum mulieribus est adhibendus; nec tamen, quia sanctiores, eo minus periculosiores; quo enim sanctiores sunt, eo magis alliciunt, sub prætextu blandi sermonis, & immiscent se vitiis impiissimæ libidinis. Episcopus sum, in Christo loquor, crede mihi, quia non mentior; vidi cedros Libani, id est, magnæ contemplationis viros magnos, Prælatos Ecclesiæ sub hac specie corruisse, vidi, de quorum casu non magis præsumebam, quam de Hieronymo, & Ambrosio.* Atque hoc idem putant nonnulli significare voluisse antiquos Astrologos, dum Libram & Taurum constituunt Veneris domum, cum enim Libra iustitiæ, Taurus fortitudinis symbolum sit, non obscure indicarunt, quandoque Venerem iustos ac fortissimos viros superasse, & tanquam in propria domo diu in eis habitasse.

Cassian. l. 6. c. 6.
Luc. 4.
Matth 19.
D. Hieron. super c. 19.

XI. QVAMVIS autem hæc difficultas in superando infestissimo libidinis hoste per totum genus humanum grassetur; quia (vt inquit Diuus PAVLVS) *habemus thesaurum in vasis fictilibus:* vasa autem fictilia exiguam, ac modicam vim habent ad resistendum: illa tamen magis viget in virginibus, 2. Cor. 4.

tum

Tum propter maiorem sexus imbecillitatem; tum quia, vt D. HIERONYMVS libr. de vitando suspecto contubernio tam eleganter, quam vere dixit: *Libido in virginibus maiorem famem patitur, dum dulcius esse putatur, quod nesciunt*: vnde oportet eas viriliter contra carnis illecebras pugnare, nisi velint ab eis facile superari; quod non obscure indicant

Exod. 38.

verba EXODI: nam vbi nostra vulgata ait: *Virgines in ostio tabernaculi excubasse*; Hebræum originale habet: *In ostio tabernaculi militasse*: cui lectioni

Cant. 7.

consentanea sunt verba illa CANTICORVM: *Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum?* inaudita sane copulatio castrorum cum choris: nam in castris pugnatur, in choris cantatur; in castris sanguis hominum spargitur, in choris oratio ad Deum effunditur; in castris tubæ ad prouocandos militum animos audiuntur, in choris psalterii, & organi voces sursum corda ferentes personant: quid igitur choris cum castris? multum per omnem modum, quia Virgo Deo dicata instar chori diuinas laudes in ore semper gerere, & instar castrorum militaribus armis inimicę carnis petulantiam continuo retundere debet, ad quod sane al-

D. Amb. l. 1. de Virg.

ludens Diuus AMBROSIVS, pulchre dixit: *Quid de Virginib. Bononiensibus loquar? fœcundo pudoris agmine, quæ relicto parentum hospitio, tendunt in tabernaculis Christi, indefessæ milites castitatis, nunc canticis spiritualibus personant, nunc victum operibus exercent*: quia vero in castris arma spiritualia, non specula necessaria sunt, idcirco fœminæ illæ militantes, quas nuper dicebam, non abs re vitrea specula abiecisse dicuntur, in hac enim Virginum militia non splendida specula ad ornatum, sed orationis, ieiunii, ac vigiliarum fulgentissima arma ad carnis lasciuiam expugnandam desiderantur.

XII. TANDEM hanc difficultatem duo mihi videntur mirum in modum augere. Primum est, quod caro, aduersus quam bellum geritur, præ nimia sua sagacitate mille stratagemata ad expugnandam animam excogitat, vt egregie docuit fabulosa illa OVIDII narratio, fingentis acrem fuisse exortam pugnam inter Acheloo, & Herculem supremi Deorum filium; at videns Acheloo se infirmum, ac debilem esse, implens illud Prouerbium: *Vbi non est fortitudo leonina, suppleat industria vulpina*: variis incantationibus vtens, in serpentem se conuertens Herculem inuasit; sed victus Acheloo, ferocissimam tauri naturam assumpsit, & iterum cum illo congrediens, acerrime, vltra quam dici possit, cum illo pugnauit: non dissimiliter in pugna illa spirituali inter corpus & animam, de qua D.

Galat. 5.

PAVL. *Caro concupiscit aduersus spiritum*: qui merito filius supremi Deorum vocari meretur, iuxta illud

Act. 17.

eiusdem Apostoli: *Ipsius enim & genus sumus*: appetitus sensitiuus varias formas, instar Acheloo, induens, nunc vt tortuosus coluber innumeras insidias parat, nunc velut taurus excandescit, & fremit, vt spiritum expugnans carni inseruire faciat; ecce non potest ex tanta huius hostis astutia, & sa-

de B.V.

gacitate non ardua valde, ac perdifficilis reddi eius victoria. Secundum, quod eandem difficultatem apertissime demonstrat, illud est, quod in hoc spirituali bello non pugnat totus homo. Certe cum miles aduersus alium militem insurgit, totus miles pugnat, spiritus, caro, pectus, brachia, manus, fœmora, crura, & pedes pugnant; in hoc autem duello non totus homo, sed vna eius pars, scilicet, spiritus pugnat aduersus carnem, ad cuius latus innumeræ sunt hostium legiones aduersus spiritum auxilium ei ferentes; si enim pulchram mulierem intuearis, agmina inimicorum confestim tecum pugnare incipiunt; pugnat decor frontis, venustas oculorum, pulchritudo vultus, rubicundo genarum, flauus color capillorum, caput exornatum, vbi tanquam è sublimi arce tot te hostes propugnant, quot capitis sunt capilli; quis autem non videat, vnius pugnantis aduersus pene infinitos hostes victoriam esse difficillimam, imo & solis naturæ viribus impossibilem?

XIII. VERVM cum hucusque difficultatem libidinem superandi plane ostenderimus, remedia opus est ad illam vincendam adhibeamus: alii alia præstabunt: ego vero, quia argumentum hoc alibi fusius pertractandum duxi, tria laconico (vt aiunt) stylo perstringam: primum, & à Patribus sæpe inculcatum est, fuga ab hominum consortio, præcipue tamen D. HIERONYMVS illud docuit in epist. ad Eustochium, vbi Virgines alloquens, hæc aurea verba scripsit:

Lib. de sacr. ar can. sanct. Eccles. Cathol.

Viri cuiuscunque status, etsi eum sanctitas exornet, etiamsi Ioanni Baptistæ aquaretur in meritus, quæratis effugere faciem, nec liceat secum dilectione feruenti adstringi, credatis experto; nihil omnino est periculosius viro, quam mulier, & mulieri, quam vir; vterque palea, vterque ignis, dicam audacter, proh dolor, Dei templa, Spiritus sancti vasa, & Deo dicata ædificia, nisi diligentissima seruentur custodia, prostibula fiunt, & aufertur tam nobile depositum, tam pretiosus thesaurus irrecuperabile decus castitatis: omni igitur custodia seruetur cor, super muros Ierusalem ponantur custodes, tota die ac nocte non dormiant, nec fur introeat, ne spolia auferat, quæ penitus recuperari non possunt. hæc ille. Ad hanc eandem cautelam habendam exhortans Diuus AVGVSTINVS Rusticum, ait: *Matrem tuam ita vide, ne per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hæreant; ancillas, quæ ibi sunt, tibi scias esse in insidiis, quia quanto vilior earum conditio est, tanto facilior ruina est*: ecce Patres ad Virginitatem conseruandam fugam consulunt, & labendi occasiones penitus resecare monent. In cuius figuram lego libro 2. REG. quod cum Dauid à Deo sciscitaretur, quomodo expugnaret Philisthæos, responsum accepit, ne facie ad faciem in illos inuaderet, sed à tergo exercitum illorum irrumpere moliretur. sed videtur fortasse alicui, non esse hoc honorificum genus hostem deuincendi; nam, vt refert PLVTARCHVS in suis Apophthegmatib. admonitus Alexander magnus, non posse aliter vrbem quandam, quam sibi subiugare cupiebat,

2. Reg. 5.

debellari, nisi nocturno tempore illam ingrediendo, cum ciues somno vacarent, respondit, se minime id facturum, quia non venerat velut latro ad furandam victoriam, sed vt fortissimus Dux ad illam de hostibus acriter pugnantibus gloriose reportandam: non diffiteor, id honorificentius esse
2.Reg.6. in temporali pugna; at longe diuersum iudicium ferendum est in pugna spirituali aduersus carnem,
2.Reg.5. & sanguinem: consulens enim Deus Dauidi, ne Philisthæos facie ad faciem aggrederetur sed à tergo eos expugnaret, significauit aperte carnem & sanguinem non aliter melius vinci, quam si eorum faciem fugiamus. arbitror etiam simul significasse, in Venereis peccatis non esse aspiciendam faciem, hoc est, principium illorum, voluptatis dulcedinem præferens, sed adspiciendum potius tergum, hoc est, finem eorum, dolorem scilicet, & fastidiũ, quod ingerunt, & graue vulnus, quod animæ inferunt. Ad hæc Christum Dominum obseruauit Di-
D. Athan. uus ATHANASIVS exemplo suo nos docuisse, fu-
homil.156. gam, & cautelam præsentissima remedia esse ad castitatem conseruandam; nam præterquam rarus erat sermo illius cum fœminis, vt patet ex testimo-
Ioan.5. nio IOANNIS dicentis, quod discipuli videntes eum cum Samaritana sermonem iniisse: *Mirabantur, quod cum muliere loqueretur*: quasi rem nouam, & insitatam intuerentur; præter hoc, inquam D.
D. Athan. ATHANASIVS versans illa Christi Domini verba ad
homil.56. Magdalenam: *Noli me tangere*: ait, propter tactum
Ioan.20. illi prohibuisse, quia solus, & sine teste aderat, vnde cum illa postea venit cum aliis, osculum, & tactum pedum non interdixit, vt Euangelista testatur: id sane fecit Christus, non vt in se, qui impeccabilis erat, alicuius mali periculum præcaueret, sed vt exemplo suo nos edoceret, in hac materia, nisi prolabi magis placeat, & cautos esse, & fugam arripere nos oportere.

XIV. SECVNDVM remedium ad hunc hostem vincendum, timor est supplicii, quo id genus peccati
Gen.8. non semel Deus diuinæ iræ hastam vibrans acriter punire consueuit; propter illud namque vniuersam terram copioso illo aquarum diluuio inundauit;
Gen.19. propter illud super quinque ciuitates misit de cœlo fulgura, & ignem voracissimum, breui tempore illas absumentem; propter illud Ruben maledictio
Gen.49. patris sui grauiter torsit; propter illud insignem ci-
Gen.34. uitatem Sichem, & fere totam Tribum Beniamin
Gen.46. deuastauit; propter illud subitanea morte Onan
2.Reg.13. interemit, Ammon interfecit, Saræ maritos suffo-
Tob.7. cauit, falsos Senes in Susannam lasciuientes capite
Dan.13. mulctauit; Dauidem, & Salomonem variis plagis
2.Reg.12. affecit; ac tandem propter illud eodem die viginti
13. tria hominum millia populi Israelitici enecauit, &
1.Cor.10. quidem si cuncta supplicia, quibus in hoc vitii genus diuina iustitia animaduertit, recensere vellem, tempus me potius, quam materia deficeret; quare
Rom.7. Veneris cultores solum cum Diuo PAVLO interrogabo: *Quem fructum habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis? quoniam finis illorum mors est*: nullum alium respondere poterunt se accepisse, quam quod in hac vita inferni tormenta experiri cœperint; nam si castitas cœlum est, luxuria infernus est; consequentiam hanc & format & probat D. Bo- D. Bonau.
NAVENTVRA; quia, sicut tria in inferno vehementer in diet.1.c.
excruciant, ignis, vermis, & fœtor; sic in libidinis luxur. c.
peccato hæc tria grauem molestiam inferunt; ignis ardens concupiscentiæ, quæ exurit; vermis conscientiæ, qui mordet; fœtor infamiæ, qui honorem denigrat; hi quidem merito sibi vsurpare poterunt verba illa Rebeccæ, dolentis se concepisse: *Si sic* Gen. 25.
mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? si momentanea delectatio tam graues exsoluit pœnas, quid opus erat Veneri vacasse, & cum tam certo animi & corporis discrimine carnis voluptatibus indulsisse?

XV. TERTIVM denique remedium ad hunc hostem vincendum non parui momenti esse putauerim, si virgines, vt viriliter pugnent, victoriæ suæ immarcescibilem coronam, ac cœlestis patriæ prę-
mium illud: *Vincenti dabo manna absconditum*; sibi Apoc.2.
ob oculos proponant: in cuius figuram sacra narrant eloquia, quod, vt Deus filiis Israel pugnam aduersus hostes suos suscipiendam suaderet, futurum præmium illis proposuit in hæc verba: *Dabo* Deut.6.
vobis terram lacte, & melle manantem: hoc est, terram fœcundissimam, vberrimam, & bonis omnibus temporalibus affluentem: hic est cortex, literalis sensus horum verborum; at si spiritus eorum medullam sugere cupimus, arbitror illis verbis significare voluisse, non aliter illos ad promissæ terræ dulcedinem peruenturos, quam per laboris, & pugnæ amaritudinem: sicut enim candidum lac prius est cruentus sanguis, vt Medici docent, & dulce mel ex amaris, & insipidis floribus conficitur; non secus vsque ad sanguinem, si opus fuerit, resistere oportet Virgines, & per mortificationis amaritudinem transire, si cœlestis beatitudinis suauissimo lacte, dulcissimoque melle perfrui desiderant. Narrat ROSINVS, quod iuxta ianuam do- Rosinus de
mus Deæ Vestæ, vbi Virgines Vestales suam virgi- antiq. lib.
nitatem ei dicabant, aderat arbor, nomine *Lothos*, 3.c.19.
quam obliuionis arborem vocabant, & ex qua illæ capillos de capite suo præcisos pendebant, vnde ortum habuit Prouerbium illud antiquum: *Lothos capillata*: quam egregie quidam Poetarum descripsit:

Vt quondam Vesta scindebant sacra capillos;
In viridem iactans, virgo dicanda.

Erat autem arbor hæc aspera, ac sentibus plena, vt
auctor est POLYBIVS, fructus vero illius dulcissi- Polyb.l.12.
mus, vnde originem sumpsit HOMERI, & OVIDII Hom.od.9.
fabula, qui finxerunt, Vlyssis socios, cum primum Ouid.9.
illius arboris dulcem fructum degustarunt, pa- Metamor.
triam, amicos, ac reliqua omnia obliuioni tradidisse: vnde ALCIATVS cecinit:

Sic Ithacum præmissa manus dulcedine Lothi Alciat.
Liquerat, & patriam liquerat atque Ducem. Embl.14.

XVI. ECCE Ethnici etiam homines solo lumine

naturæ

naturæ ducti, fere omnia, quæ hucusque diximus, factitabant. Sub quibus sane mira Virginibus traduntur documenta, inprimis ad ianuam templi Vestales Virgines capillos scindebant, eosque super arborem *Lothos* (arborem, inquam, obliuionis) proiiciebant, quo genere ritus docebantur, quæcunque mundi pulchra, & grata sunt, honores, diuitias, parentes, & cognatos perpetuæ obliuioni commendare debere. hoc quid aliud erat, nisi quod DAVID singulis virginibus suadet: *Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum.* (Psal 44.) Cum etiam antiqui Virgines illas Vestales intra domum Deæ Vestæ simul habitare præcipiebant, clausuram Virginibus omnino necessariam aperte docebant: quod vero arbor illa *Lothos* talis naturæ esset, vt spinis, ac sentibus esset plena, fructus vero gutturi dulcissimus, non obscure significabat, oportere virgines, vt lauream virginitatis suæ suauissimum fructum degustent, prius per difficultatum sentes, spinas, ac vepres, quas ad virginitatis custodiam superare opus est, viriliter pertranseant. Vel dicamus aliter, arborem illam *Lothos* arborem crucis delineare, clauorum sentibus plenam, cuius fructus suauissimus est animæ esurienti, vt testatur sponsa: *Et fructus eius dulcis gutturi meo*: (Cant. 2.) ab hac arbore suspendunt sacræ Virgines in templo dicatæ capillos cogitationum suarum, in Christum solum fructum illius cogitatum suum iactantes, vt ab illo enutriantur, iuxta illud DAVIDIS. *Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet*: (Psal. 54.) ex hac item arbore suspendunt sacræ Virgines, velut Israelitæ in salicibus organa sua, hoc est, delicias, diuitias & honores, quibus perpetuo priuari amore Christi eligunt: in hoc Vlyssis sociis dissimiles valde, qui, vt narrant HOMERVS & OVIDIVS, (Hom. od. 9. Ouidius 9. Metan.) cum arbori illi *Lothos* adhærentes, ab ea separari nollent, tandem flagellis lacerati, ab ea discedere compulsi sunt; longe aliter sacræ Virgines, Catharina, Agnes, Agatha, Cæcilia, Lucia effecerunt, quæ virgarum flagellis cæsæ, ferreis vnguibus excarnificatæ, ac variis tormentorum generibus confectæ, à crucis arbore, & à Christo eius fructu nec per momentum dimoueri potuerunt:

Cui sit honor, & gloria in secula seculorum.
Amen.

FINIS LIBRI TERTII.



DE SACRIS ARCANIS DESPONSATIONIS B. VIRGINIS, NEC NON DE eximiis laudibus dilectissimi eius sponsi Ioseph,

LIBER QVARTVS.

Homilia Prima Historica.

DESPONSATIONIS VIRGINIS CVM CASTISSIMO IOSEPHO DVLCISsimam historiam antiquorum Patrum testimoniis stabilimus, verumque matrimonium inter hos sacros sponsos exstitisse apertissime comprobamus: ac tandem de ætate, in qua illi sponsalitia inierunt, disserimus.

I. NTEQVAM Patrum testimonia de Virginis despõsatione proferam, antiquissimi NICEPHORI, celebris historiographi, verba in medium producã; sic enim ait: *Postquam adoleuit Virgo, consiliũ Sacerdotes agitarunt, quid de ea statuerẽt, ne in sacrum eius corpus admittere quidquam viderentur; sacrilegium namq; prorsus se commissuros putabant, si viro eam coniungerent, atque in seruitutem coniugalis legis redigerent, quæ semel Deo dicata esset. E diuerso autem puellam eo ætatis flore in sacratiore templo versari nec permissum lege putabant, nec rem satis honestam, & decoram esse videbant. Sæpe itaque, & multum re deliberata, diuinitus eis per inspirationem ostenditur, vt eam alicui, qui ad templum sedulo esset, sponsæ nomine committerent; eum vero talem esse debere, cui recte virginitatis custodia demandaretur; porro non alius Iosepho visus est magis idoneus ad sponsaliũ coniunctionem contrahendam, quippe qui propinquitate generis eã contingeret, eiusdẽ enim Tribus erant: insuper vero & senio, & honestate morum iampridem bonæ fidei existimationem consecutus esset.* hæc ille. His de Mariana cum Iosepho desponsatione consentiunt grauissimi Patres, D. GREG. NISS. in orat. de natiu. ex arcana historia: *Cum creuisset, & adulta esset, consilium Sacerdotes agitarunt, ne quid de sacro illo corpore statuentes, in Deũ peccarent: nam subiugare eam legi naturæ & addicere quasi seruã si quis eam in matrimonium duceret, res lõge absurdissima, minimeque decora videbatur: sacrilegium enim prorsus existimabatur, si homo ius ac potestatem in donarium, quod Deo consecratum ac dedicatum esset, haberet; quoniam legibus sancitum est, vt vir potestatem habeat in vxorem: vt autem intra Templum vna cum sacerdotibus mulier versaretur, & in sanctis conspiceretur, neque consuetum, nec vsitatum erat, & simul grauitas, & honestas rei non aderat. Deliberantibus igitur eis super hac re, diuinitus incidit consilium, vt darent eam cuidam viro nomine desponsationis: is autem ad custodiendam virginitatem eius idoneus esset. inuentus est igitur Ioseph talis, qualem ratio consilii requirebat, ex eadem cum Virgine familia, ac Tribu, isque de consilio sacerdotum sibi puellam despondit: coniunctio autem non vltra sponsalia progrediebatur.* hæc ille. Sed & Diu. DAMASC. orat. de dormitione Virginis ait: *Cum Virgo ad ætatis florem iam perueniret, atque intra templi septa manere lege prohiberetur; sponso, hoc est, Virginitatis custodi, Iosepho à sacerdotum choro traditur, qui quidem integram, & inuiolatam legem ad senectutem vsque si cum aliis conferatur, seruauerat.* His accedit D. GERMAN. Archiepiscop. Constantinopolitan. de oblatione Virginis in templo, eadem dicens: Quodnam autem fuerit hoc consilium, quæque sors ad Iosephi electionẽ in

Niceph. l. 1. c. 7.

D. Gregor. Niss. orat. de nat.

Gen. 3.

D. Damas. orat. 1. de dorm. Virginis.

D. Germa. de oblat. Virg. in templo.

spon-

ſponſam Virginis, his verbis enarrat D. HIERON.
vel quicunque alius auctor fuerit libri de Ortu
Virginis: *Pontifex publice denuntiabat, vt virgi-*
nes, quæ in Templo conſtituebantur; vt ætatis tem-
pus impleſſent, domum reuerterentur, & nuptiis, ſecun
dũ more͂ gentis, & ætatis natiuitatem, operam darent.
Cui mandato cum ceteræ paruiſſent, ſola Virgo hoc ſe
facere non poſſe reſpondit dicens; ſe quidem & parentes
ſuos Domini ſeruitio mancipaſſe, & inſuper ſeipſam Do-
mino virginitatem vouiſſe. tunc Pontifex præcepit, vt
ad feſtiuitatem, quæ imminebat omnes ex Hieroſolymis,
& vicinis locis primores adeſſent, quorum conſilia ſcire
poſſet, quid de tam dubia re faciendum eſſet. Omnibus in
communi placuit, Dominum conſulendum, & cunctis
quidem orationi incumbentibus, Pontifex ad conſulen-
dum Deum ex more acceſſit; nec mora, cunctis audien-
tibus de oraculo, & Propitiatorij loco vox facta eſt, I-
ſaiæ vaticinium requirendum eſſe, cui illa Virgo deſpon-
ſari, & commendari deberet: ſecundum ergo Iſaiæ vati-
Iſa.11. *cinium: Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de ra-*
dice eius aſcendet & requieſcet ſuper eum Spiritus Do-
mini: cunctos de domo & familia Dauid nuptui ha-
biles nõ coniugatos, virgas ſuas allaturos, ad altare præ-
dixit: & cuiuſcunq; virga florem germinaſſet, & eius ca
cumini Spiritus Domini in ſpecie columbæ conſediſſet,
ipſũ eſſe, cui Virgo deſpõſari deberet; erat autẽ Ioſeph de
familia Dauid grandæuus. Cũctis vero virgas ſuas iux-
ta ordinem deferentibus, ipſe ſolus ſuam ſubtraxit. vn-
de cum nihil diuinæ voci conſonum apparuiſſet, Ponti-
fex iterũ Deũ conſulendum putauit, qui reſpondit, ſolũ
illũ ex iis, qui deſignati erant, virgã ſuã attuliſſe, qui
Virginẽ deſponſare deberet. Proditus eſt itaq; Ioſeph, cum
enim virgam ſuam attuliſſet, & cacumine eius colum-
ba de cœlo conueniens cõſediſſet, liquido omnib. patuit, ei
Virginem deſponſandam fore. hęc ille. Ne tamen tibi
præter rem videatur, ſigno viſibili electũ fuiſſe Io-
ſephum à Deo animaduerte in ſacra ſcriptura *ſortis*
nomine acci[p]i diuinam voluntatem ſigno externo
declaratã qua oſtenditur, eligiturque is, qui quæ-
Num. 17. ritur; ſic floribus, & amygdalis germinantibus in
Ioſ.7. virga, electus eſt Aaron in ſacerdotẽ: ſic diuina ſorte
1.Reg.10. quęſitus eſt præuaricator Acham: ſic etiam ſortibus
Act.1. electus eſt Saul. ſic diuina ſors cecidit ſuper Mat
thiam: quam *ſortem* appellaſſe ſcripturam teſtatur
D. DIONYSIVS AREOPAGITA li. de Eccleſ. hierarch.
cap. 1. dicẽs: *Diuini quiddam & præcipui muneris,*
per quod illi choro ſacratiſſimo inſinuaretur, qui eſſet
diuina electione declaratus. quod ſi huiuſmodi ſortes
tam frequentes erant ad oſtendendum eos, qui
ad maiora munera eligebantur, imo & eos, qui
puniebãtur; quid mirum, ſi ad eligendum eum, qui
futurus erat Virginis ſ[p]õſus, & Chriſti nutritius, &
legalis pater, ſorte diuina floreret virga, & colum-
ba in eius faſtigio conſideret?

II. AN autem inter B. Virginem, & Ioſephum in-
terceſſerit verum & proprium matrimonium, an
vero ratum ſponſalia, nõnulla videtur inter Patres
diſſenſio, quos tamen adhibita diſtinctione facile
conciliabimus. Sunt aliqui Patres, qui in negan- D. Bern.
tem partem iuiſſe videri poſſunt; nam D. BERNARD. hom. 2. ſup.
ait: *Virum nominat Euangeliſta Ioſephũ, nõ quia ma-* miſſus eſt.
ritus, ſed quod homo virtutis erat. Et rurſus: *Nec vir*
matris, nec filij pater Ioſeph extitit, quamuis vtrũq; ad
tempus & appellatus ſit, & putatus. S. PETRVS CHRYS. S. Petrus
inquit: *Ioſeph maritus ſolo nomine, conſcientia ſponſus.* Chryſ. 175.
D. CYRILL Archiepiſc. Hieroſolymitanus in illa D Cyrill.
verba Lucæ: *Vt profiteretur cum Maria deſponſata ſi-* Catech. 12.
bi vxore, non dixit, inquit, *cum vxore ſua*, ſed *deſpõ-*
ſata ſibi: & paulo ſuperius: *Maria propter ſolam deſpõ-*
ſationem vxor Ioſephi vocabatur: ac tandem ibidem
ait: *Meminimus Iacob, qui prius, quam Rachel vxorem* Gen. 29.
acciperet, dicebat ad Laban: da mihi vx[o]rem meam:
ſicut enim illic ante nuptiarum conſtitutionem,
cum tantũ promiſſio interceſſiſſet, vxor Iacob no-
minabatur, ſic & Maria propter ſolam deſponſatio-
nem vxor I[o]ſeph vocabatur. D HIERONYMVS in li.
aduerſus Heluidium ait: *Ioſeph Mariæ cuſtos potius* Matth. 2.
fuit, quam maritus: & MATTHÆVS in illa verba, *Io-*
ſeph accepit puerum & matrem eius, non dixit inquit,
accepit filium ſuum, & vxorem ſuam, ſed puerum, &
matrem eius, quaſi nutritius, non maritus.

III. QVOD ſi obiicias, Virginem dici ab Euange-
liſtis vxorem Ioſeph, reſpondet D. HIERONYMVS in
lib. contra Heluidium, ac probat, hãc eſſe Scriptu- D. Hilar.
ræ conſuetudinem, vt ſponſas appellet vxores. HI- in Matt. 1.
LARIVS: *Quotieſcunq; de vtroque, id eſt, Virgine & Io-*
ſepho fit ſermo, mater potius Chriſti, virgo, quia id erat,
nõ vxor Ioſeph eſt nũcupata, quia nõ erat. CYPRIANVS
de Paſſione Domini: *Obſequium Virginis virgini di-*
ſcipulo tradis Domine, vt iam non Ioſeph tanti myſterij
oneretur præpoſitura, ſed Ioannes, quia iam exigebat
ratio, vt coniugij remoueretur opinio, nec vltra pater
Chriſti æſtimaretur, quia eatenus vicẽ patris & coniu-
gis tenuerat D. AMBROS de inſtit. Virg. c. 6. *Deſpõſata*
viro Virgo, coniugis nomen accepit, cum enim imitatur
coniugium, tunc coniugij nomen aſciſcitur: & epiſt. 79.
& lib. 2. in Lucam, in principio, & lib. de Inſtitut.
Virg. c. 6. & 7. cum Cypriano de Paſſione Domini
ait: Chriſtum in cruce ſeparaſſe matrem à Ioſeph,
eãq; Ioanni tradidiſſe, vt indicaret, inter eos verũ
coniugium non interceſſiſſe. Ac tandẽ eodẽ modo
loquuntur GREG. NISSÆNVS homilia de natiuitate,
& GREG. MAGNVS homil. 26. & 27. in Euangelia.

IV. AT cum ex Euangelica hiſtoria apertiſſime
colligatur, matrimonium ratum inter B. Virginem Matth. 1.
& Ioſephũ extitiſſe, vt cõſtat ex illis verbis MATT. Ibid.
Iacob genuit Ioſeph, virum Mariæ, de qua natus eſt Ie-
ſus. & ex illis, quæ dixit Angelus: *Noli timere accipere* Luc. 2.
Mariam coniugem tuam: & ex illis LVCÆ: *Aſcendit* Matth. 1.
Ioſeph cum Maria deſponſata ſibi vxore prægnante:
necnon ex illis: *Antequã conuenirent*: quibus aper-
tiſſime ſignificatur, potuiſſe, quantum eſt ex parte
vinculi, honeſte conuenire; cum (inquam) ex Euã-
gelica hiſtoria, tanquam veritas fide Catholica te-
nẽda liqueat, verum ac ratum matrimonium inter-
ceſſiſſe inter Mariam & Ioſephũ, certe cũ illud ne-
gant præcitati Patres, loquuntur de matrimonio

consummato, quod cum copulam carnalem importet, vt hanc longe à Virgine relegarent, matrimonij, aut mariti nomen fugiebant. Posse autē verum & essentiale matrimonium esse absq; copula coniugali vnanimis est Theologorum consensus; idq; habetur ex cap. *sufficiat*. 22. q. 2. & ex CONCIL. FLORENT. in decreto Eugenij, vbi definiit, matrimoniū perfici mutuo consensu, quem constat manifeste antecedere copulā: & ex TRIDENT. sess. 24. vbi supponens, esse verum & proprium matrimonium, distinguit ratum à consummato. Immo constat ex coniugio primorum parentū, inter quos fuit verū matrimonium in amœno illo paradiso, in quo tamen à carnali copula se abstinuerunt, atque huic veritati innitentes Patres non pauci, inter B. Virginem & Iosephum non solum sponsalia de futuro, sed & verum, ac proprium matrimonium de præsenti intercessisse docuerunt: D. enim AVG. ait: *Non fallaciter dictum est ab Angelo ad Ioseph: noli timere accipere Mariam coniugem tuam; coniux vocatur ex prima fide desponsationis, quā concubitu nec cognouerat, nec fuerat cogniturus; nec perierat, nec mendax mãserat cõiugis appellatio, vbi nec fuerat, nec futura erat vlla carnis cõmixtio*: Idem ēt AVG. l. 2. de cõsensu Euangelistarũ inquit: *Exemplo Virginis & Ioseph insinuatur fidelibus cõiugatis, etiam seruata pari consensu continentia posse permanere vocariq; coniugium, nõ cõmixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu*: & lib. 1. de nuptiis & concupiscentiis: *Cur non coniuges maneant, qui ex consensu concumbere desinunt, si manserunt coniuges, Ioseph & Maria, qui concũbere nec cœperunt?* cap. 11. *Omne*, inquit, *nuptiarũ bonũ impletum est in illis parentib. Christi; proles, fides, sacramētũ; prolē cognoscimus ipsum Dominũ Iesum: fidē, quia nullum adulterium; sacramentum, quia nullum diuortiũ*. idē ēt nõ obscure docuit D. AMB. dũ l. 2. in Lucā in principio ait: *Quam nõ accepit, nemo dimitit, & ideo, qui volebat dimittere, fatebatur acceptā*: scil. in vxorē aut coniugē, vt satis explicant præcitata verba Angeli: *Noli timere accipere Mariam coniugē tuam*. idem etiam D. AMBR. c. 1. Luc. acute dixit: *Maluit Dominus aliquos de suo ortu, quam de Matris pudore dubitare*; censebat ergo B. Virginem per verum matrimoniũ fuisse Iosepho coniunctam, alioquin cum parturiret, pudoris eius fama iacturam pateretur; maxime quod cum in Euangelio vocetur Ioseph pater Christi, aperte supponitur, verum matrimonium inter Virginē & Iosephum extitisse, cum Christus minime illegitimus fuerit existimatus. Tandem idipsum constanter docet D. THOM.

Theol. in 4. d. 30. de quo Vbald. lite 2. to. de sacram. c. 130.
Concil. Florent. decr. Eug.
Concil. Trident. sess. 24.
D. Aug. li. 1. de nupt. & concup. c. 11.
Matth. 1.
D. Th. 3. p. q. 1. art. 2.

V. QVOMODO autem verũ ac ratũ matrimoniũ non pugnarit cum firmissimo Mariano proposito de perpetua seruanda virginitate, vel qua ratione Virgo, quæ virginitatis votum emiserat (vt testatur AVGVSTINVS libro de sancta Virginitate) poterat matrimonio consentire, cum teste HIERON. super 1. epist. Pauli ad Timoth. cap. 5. *Vouentibus virginitatem non solum nubere, sed etiam velle, damnabile est*: quidam respondent, quod, licet emisisset votum virginitatis, potuisset reuocari, & irritari per parentes eius, præcipientes illi nubere, vt habetur lib. NVMER sed minime gentium illos id præcepisse credam, quia votum Virginis irritum factum perfectionem & excellentiam virginitatis minueret, quæ proculdubio minor extitisset, quam si ex voto ab ipsa nuncupato, & per parentes cõfirmato custodita fuisset. Bifariam ergo aliter id explicari potest, primo dicendo: ante sponsalia conuenisse Iosephum, & Mariam, vt neuter ab altero vnquam postularet debitum, & ita sub hac conditione contraxisse; quod nihil obesse substantiæ matrimonij docuerunt celebris ille Cancellarius Parisiensis, ABVLENSIS, DIONYSIVS, & alij perplures; sicut enim dominiũ distinguitur ab vsu, & absq; illo haberi potest; ita in matrimonio potest dari potestas & dominium in corpus coniugis absque vsu copulæ carnalis: & sicut põt tale dominiũ cõferri sub conditione numquam tali re vtendi, cũ conditio hæc non sit contraria traditioni dominij; ita potuit inter B. Virginē & Iosephum vera fuisse corporum traditio per matrimonium ratum, sub conditione numquam vtendi tali re tradita. Secundo alij cum D. THO. opinantur, & verius, B. Virginem ex speciali instinctu Spiritus sancti, vel ex diuina reuelatione agnouisse Iosephum nullũ prorsus eius virginitati nocumentũ fore allaturum, vt qui numquam ab ea petiturus esset debitum; vnde recte potuit B. Virgo consentire in verum matrimoniũ, nõ explicite consentiendo in copulā carnalē, absolute, & nõ sub conditione, si Ioseph debitũ petiisset: cũ enim esset certa, ex infallibili reuelatione, nõ fore illum à se postulaturum, non opus erat actum illum conditionatũ elicuisse: vnde cum D. AVGVSTINVS ait (vt refertur dist. 27. q. 2.) *B. Maria subiecit se diuinæ dispositioni, dũ proposuit, se perseueraturã virginē, nisi Deus aliter ei reuelaret; cõmittēs ergo virginitatē suã diuinæ dispositioni, consensit in carnalē copulã, non illam appetēdo, sed diuinæ inspirationi in vtroq; obediendo*: intelligi debet loqui de consensu non expresso & explicito in copulam, sed in radice, quatenus diuinitus edocta vinculo matrimonij consensit, quod ex natura rei ad liberorũ procreationē ordinatur: talis autem consensus in radice, in nullo virginitatis perfectioni derogat, cum stare possit, supposita diuina reuelatione, cum formalissimo proposito omnem copulam etiam coniugalem vitandi. Vnde HVGO VICTORINVS, qui suo sęculo, velut alter AVGVST. haberi meruit, pie simul, & sapienter dixit: *De incorrupta virginitate Matris Domini hoc fides, inquit, pie, & pietas fideliter confitetur, quod eius perfectionem nullo modo imminuit coniugalis consensus, quemadmodũ castitatē illius nõ violauit cõceptus, nec integritatem abstulit partus. Ipsa nãq; eadem Virgo perpetua, & cum desponsaretur viro, non tamen deseruit, aut mutauit propositũ cõtinētia, & cum fœcundaretur, non à viro, concepit sine libidine, & cum filium ederet, peperit sine dolore*: ac seipsum explicans magis: *Discutiamus*, inquit, *vt postulas, quid*

Num. 30.
Ioan. Gers. Canc. Par. ser. de nat. Mariæ.
Abul. in c. 30. nu. q. 32.
Dion. Car. in vita Chr. p. p. c. 3
Palud. in 4. d. 30. q. 2.
D. Th. 3. p. q. 29. art. 2. ad 1.
Hugo Vict. ser. de despon. Mariæ.

sit

sit coniugium, & ex eius definitione proposita consideremus, si simul esse potuerunt in virgine Matre & consensus coniugalis, & propositum virginitatis: quid enim est coniugium, nisi legitima societas inter virum & fœminã, in qua videlicet societate ex pari consensu vterq; semetipsum dedit alteri? spontaneus ergo consensus inter virum & fœminam legitime coniunctus fuit, quo vterque alteri debitorem sui se spondet, iste est, qui coniugiũ facit, & coniugium est ipsa societas tali consensu confœderata, quæ altero viuente, alterum ab altero nõ dissoluit. est adhuc alius consensus, sed carnalis commercii ab inuicem exigendi, atque reddendi, similem inter virum & mulierem pactionem constituẽs, comes, non effector cõiugii; officium & non vinculum, qui & ipse tamen, cũ pari ab vtroque voto suscipitur, pari etiam necesse est debito teneatur. Adiungit: *Porro huius debiti* (de carnali commercio loquitur) *necessitas illos coniugatos sibi ad inuicem non subiicit, in quibus, dum coniugium contraheretur, vel sanciretur, huius operis consensus non præcessit; nec tamen hoc officio cessante, veritatem, seu virtutem coniugij cessare credendum est, immo potius tanto verius ac sanctius coniugium esse, quod in solo charitatis vinculo, & non in concupiscentia carnis libidinis ardore fundatum est.* hæc ille.

VI. DVPLICEM deinde cæremoniam, quam in eo sacro spõsalitio intercessisse autumo, nõ est, cur inutili silentio prætercam. Prima est, q; S. Ioseph annulum porrexit B. Virgini; annulum enim sponsalem loco arrhæ solitum dari inter Hebræos, non obscure colligitur (vt Cardinalis BARONIVS adnotauit) ex illo GENES. *Dixit Thamar: patiar, quod vis, si dederis mihi arrhabonem, donec mittas, quod polliceris; ait Iudas, quid vis pro arrhabone dari? respondit, annulum tuũ*: hic aũt annulus B. Virgini à S. Ioseph datus Perusiæ, Italię ciuitate, in Ecclesia S. Laurentii magna veneratione asseruatur, cuius tamen materiæ sit, distincte discerni non potest. Secunda cæremonia fuit, quod sanctus Ioseph pallium suum extendit super beatam virginem, quo illam cooperuit, vt mos erat apud Hebræos, vt constat ex illo Ruth vbi petens illa Booz sibi desponsari, dixit: *Expande pallium tuum super famulam tuam*: duplex autem hęc cæremonia & fidelitatem ab vxore seruandam, & protectionem à marito ei exhibendam protendebat.

Card. Baron. tom. 1. Annal. Christ. 57. p. 941 in p. impress.

Gen. 38.

Ruth 3.

VII. PORRO iam tempus est, vt de ætate, in qua cœlestes hi coniuges, Maria, & Ioseph, coniugium inierunt, sermonem instituamus, & quidẽ de ætate Virginis ALBERTI MAGNI opinio fuit (id referente DIONYSIO) vigintiquinq; annos habuisse, cũ sponsalia contraxit: sequutus est illum Card. CAIETAN. & vterque eo innititur fundamento, quod oportet in beata Virgine concedere omnem congruentem dispositionem, tam ex parte naturæ, quam ex parte gratiæ, ad hoc, vt mater Dei fieret: ætas autem nubilis exigit completum motum augmenti, quia naturalis ordo id ex natura rei sibi vindicat, vt prius perficiatur persona, quam detur opera ad conseruandam speciem; huiusmodi autem augmentum, iuxta Philosophorum sententiam, requirit in viris quatuor septennia, in fœminis vero tria cum dimidio; vt ergo perfecta mater perfectum filium generaret, oportebat ex natura rei esse viginti, vel viginti quatuor annorum, vnde PLATO propter ineptitudinem ad generationem, quæ in puellis plerumque viget, iubet, ne vsque ad vigesimum annum nubant: qua etiam ratione ARISTOT. à magistri sui sententia non recedens, docet, viros non esse nubendos vsque ad 18. annum. E contra vero alii quindecim tantum annos ei tribuunt, vt tradit DIONYSIVS CARTHVSIANVS, qui lib. de laudibus Virginis ait: *Dixerunt quamplures, etiam eruditi, quod Virgo circa quintumdecimum ætatis suæ annum conceperit Dei filium*: eidemque sententiæ subscribit Card. BARONIVS Tomo 1. Annaliũ: Alii antiquiores Patres decimoquarto ætatis anno Virginem nuptam fuisse autumant; hi sunt antiquissimus EVODIVS apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. D. BONAVENTVRA in suis meditationibus, GREG. NICOMEDIEN. orat. de oblatione Virginis, ANDREAS CRETENSIS, GRE. NYSSÆNVS, CEDRINVS, & ABVL. hi enim omnes tradunt, Virginem tertio ætatis suę anno in templo fuisse oblatam, & in eo per annos vndecim permansisse; & continuo à sacerdotibus fuisse Iosepho desponsatam. Omnes etiam vt certum supponunt, Virginem, cum Christus ascendit in cælos, ætatis fuisse quadraginta octo annorum, à quibus si demas triginta tres, quibus superstes fuit Christus, remanent quindecim: igitur cum decimoquinto anno ętatis suę Virgo pepererit Christum, reliquum est, decimoquarto anno matrimonium contraxisse; conueniunt namque omnes, post vnum annum ab initio matrimonii peperisse Christum. Alii denique, quos sequuti sunt IOANNES ANNIVS recens Chronographus, & DRIEDO sponsatam affirmant, anno ætatis suæ decimotertio, idque putant se ex D. Hieronymo colligere; in tanta aũt opinionum varietate mihi satius videtur communiori Patrum sententiæ adhærere, qui quartodecimo anno ætatis suæ B. Virginem nuptam tradunt; cum enim esset optimæ complexionis, non est, cur maior ætas desideranda esset ad conceptum.

Dion. Car. lib. de lau. Virg. ar 37

Caiet. sup. Luc. 1.

Plato li. 4. de Rep.

Barõ. p. 27.

And. Cret. ser. de dor. Virg.

Greg. Nyss. ho. de humil. Christigen.

Cedrin. in compend. hist.

Abulen. in c. 2. Matt. q. 91.

Ioan. Annius apud Suarez. 3. p. q. 29. disp. 7 sect. 2.

Dried. l. 3. de dogm. tr. 3. c. 5. in fine.

VIII. DE ætate autem sponsi eius Iosephi tempore desponsationis nõ minor est opinionum diuersitas; nam D HIERO. vel quicunque alius auctor est lib. de ortu Virginis, ait: Iam tunc senilem ætatem agere: ait enim: *Erat Ioseph de familia Dauid grandæuus.* Consentit NICEPH. dum ait: *Ioseph senio, & honestate morum iampridem bonæ fidei existimationem consequutus erat.* Et quamuis hi non signent ætatẽ, expresse tamen illam signauit D. EPIPHAN. dicẽs: *Ioseph accepit Mariam, agens annum fortassis octogesimum, & vltra*: & deinde subdit: *Senex octogesimum annum supergressus, non accepit Virginem in vsum, sed magis dispositus est in custodiam.* Cancellarius vero Parisiensis existimat; Ioseph tunc nactum fuisse annos

D. Hier. de ortu V.

1. Reg. 4.

D. Epiph. li. 2. de hær. 31. & l. 3. hær. 38.

Ioan. Gers. Cancell. Par. ser. de nat. Virg.

nos quinquaginta, à quibus incipit senectus. [*Abul. in Matth. 1. q. 32.*] ABVLENSIS non longe diuersam viam ingressus, ait: *Quamuis Ioseph esset aliqualiter senex, tamen adhuc erat potens ad gignendum; & manifeste apparebat omnibus ex habitudine corporis.* Permulti tamen cum [*Vigu. in inst c. 20. §. 9. Matth. 1.*] VIGVERIO tradunt, *Iosephum* tunc iuuenem fuisse; sic enim ille ait: *Virgo non euasisset notam infamia, si vir eius fuisset senex, & decrepitus, prout olim, non reuelata veritate pingebatur; nec fuisset Virgini solatio, aut adiutorio, sed tadio.* Consentit eidem sententiæ MAIOR, dum triginta annorum ætatem, vel paulo ampliorem illi tribuit: consentit partim [*Salmeron.*] SALMERON, dum ait; cum ratione coniunctam videri sibi corū sententiam, qui intra quadragesimum annum, vel saltem intra quinquagesimum Iosephi ætatem cōstituunt; vt ita in vitenti florido que æuo, ac prudentia pleno commode Virgini in coniugem aptari posset. Doctissimus vero [*Ekius ser. de S. Iosepho.*] EKIVS vt litem hanc dirimat, in antiquiorem sententiam, senem illum asserentem, propendens, ait: *In hac re non lubet ad alterutram partem declinare, vbi nullum nobis constat Scriptura pro quacunque parte testimonium, eo maxime, quod à recepta, & diu persuasa opinione temere discedendum non est; facilius igitur paterer, antiquiori sententia auctoritatem suam fidemque manere.*

IX. SED mihi, salua eius pace, videntur non obscura sacræ Scripturæ testimonia senilem ætatem ad generationem ineptam aperte refellere; nam apud [*Isa. 62.*] ISAIAM legimus: *Habitabit enim iuuenis cum Virgine*: quæ verba GLOSSA explicat de Iosepho, & Maria; quam sequitur VIGVERIVS vbi supra, & LYRANVS ibidem ait: *Habitabit iuuenis cum virgine, vt Ioseph cum Maria, Valerianus cū Cacilia, Chrysantus cum Daria*: Deinde, quod magis vrget, extant verba [*Luc. 1.*] LVCÆ: *Putabatur filius Ioseph*: si ergo iudicabatur Christus Dominus ab Hebræis, tanquam filius Ioseph, manifestum est, eum ætatis fuisse aptæ ad generationem, alioquin nec ipse notam spurii, nec mater adulteræ infamiam (vt præcitati auctores adnotarunt) euasissent. Et Ioseph quidem inutilis fuisset, ac debilis ad labores fabrilis artis, & ad obsequia infanti matrique præstanda, cum esset eundum in Bethlehem, redeundum Nazareth, fugiendum in Ægyptum, atque inde remeandum, & sudore vultus sui victus illis suppeditandus. Sane si tam senex fuisset (vt EPIPHANIVS, & NICEPHORVS, & alii antiqui putarunt) alieno potius ministerio eguisset, quam vt aliis valeret ipse ministrare.

X. NEQVE quidquam obstant antiquæ picturæ, quæ illum senem canescentem & curuum exprimunt; vt enim [*Horat. in art.*] HORATIVS dixit:

Pictoribus atque Poetis
Quidlibet addendi semper fuit aqua potestas.

Vel fortassis ideo pingitur canus ac senex, ad castitatem mentis, & virtutem signandam; nam vt [*Sap. 4.*] SALOMON dixit: *cani sunt sensus hominis, & atas senectutis vita immaculata*: vel tandem, vt ab intuentibus omnis libidinis suspicio longe exterminetur. Sed neque illa consuetudo senem illum pingendi vniuersalis est in tota Ecclesia: vt enim adnotauit sapientissimus SALMERON, [*Salmer. text. 2. tract. 29.*] in quibusdam Germaniæ prouinciis vir fortis & robustus depingitur; neque id quidquam dedecet honestatem Virginis; nam si in aliis non paucis plus potuit gratia, quam natura frigida, & senectus, non est, cur id iuueni Iosepho denegetur. Deo autem, & beatæ Mariæ sit honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

HISTORICA.

In qua difficultas illa elucidatur, num Iosephus statim post initum Hierosolymis matrimoniū, Virgine remissa in Nazareth, Bethlehem redierit tempus celebrandarum nuptiarum ibi expectaturus: an potius ipsemet Virginem reduxerit in Nazareth, ibique in propria secum domo eam retinuerit vsque ad nuptiarum solemnitates.

I. PLEROSQVE video, eosque antiquissimos, & grauissimos Patres, constanter asserentes, B. Virginē statim ab inito coniugio Iosepho fuisse traditam, & mox Nazareth ab eo deductam, ibique in propria domo custoditam: hi sunt S. IOANNES CHRYS. homil. 4. super Matthæum, EVODIVS apud Nicephorum lib. 2. histor. cap. 3. AVCTOR imperfecti homil. 1. in Matthæum, GERMANVS Patriarcha Constantinop. in vita Virginis, BERN. homil. 12. super *missus est*, EVTHYMIVS in 1. Matthæi; NICEPH. li. 1. hist. cap 8. Ducti sunt hi auctores ad hoc asserendum, primo consuetudine quadam inueterata, quam dicunt à Iudæis obseruatam; & colligit eam CHRYS. hom. 45. in GEN. ex historia Loth, [*Gen. 19.*] qua erat in vsu, vt à die desponsationis vsque ad tempus nuptiarum sponsis sponsæ traderentur custodiendæ, vt earum ipsi eo pudicitiam seruarent studiosius, quo sibi ipsæ fideliores existerent; secundo, quia si aliud effectum fuisset, non id commodi ex hoc sacro matrimonio consequeretur Deus, quod nitebatur nempe vt, dum concepisset Virgo in domo sponsi Ioseph, Iosephi esse existimaretur cōceptus, & non ex fornicatione habitus, si non nupta concepisse videretur: cogimur ergo affirmare, etiam ante solemnes nuptias fuisse Virginem sub custodia Iosephi.

II. CÆTERVM alii, firmioribus conuicti rationibus, in ea sunt sententia, vt existiment, Iosephum post initum matrimonium rediisse Bethlehem patriam suam tempus nuptiarum expectaturum, & necessaria paraturum ex more, nec profectum Na-

zareth

zareth vsque ad reditum Virginis ex visitatione Elisabeth, quando inuenta est à Iosepho habens in vtero. Eorũ rationes sunt huiusmodi; prima, quia Iosephus Bethlehem oppido propinquo venerat Hierosolymam inscius de futuro matrimonio; nec vlla ratio cogebat, vt relicta omnino patria, & re sua familiari ad ignotam terram imparatus abiret Nazareth, scilicet non prope distantem. secundo, quia si cum Virgine abiisset, non potuit cum ea cohabitare vsque ad solemnitatem nuptiarum, ex veteri Iudæorum consuetudine variis ex Scriptura animaduersis exemplis comprobata vsque ad Christum, qua erat consuetum, sponsas ante multum tempus desponderi solitas, & interim permanere in parentum domibus, aut tutorum, donec per nuptiarum solemnitatem eas sponsi traditas accepissent; nunquam enim vsque ad nuptias nec custodiendæ sponsis permittebantur; & hoc est, quod vocat sacra Scriptura: *sponsam accipere sponsum*: & iura post initum verbis contractum solemniter *reiemptæ possessionem aut hæreditatem adire*, ꝙ nisi per solemnem traditionem, & nuptiarum celebrationem non fiebat.

III. HANC consuetudinem, quoniam diuersa est ab ea, quam in vsu fuisse Iudæis dixerunt Patres pro superiori sententia citati, multis Scripturæ sanctæ testimoniis & exemplis confirmabimus.
Gē.19.v.8. primum ex GEN.19. vbi dixit Loth: *Habeo duas filias, quæ necdum cognouerunt virum, educam eas ad vos*: & versu 14. *Egressus itaque Loth, loquutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias eius*: & dixit: *Surgite, egredimini de loco isto, &c. cumque esset mane, cogebant eum Angeli, dicentes: Surge, tolle vxorem tuam & duas filias, quas habes, &c. apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, & duarum filiarum eius, &c. eduxeruntque eum*: ex hoc loco constat, duas filias Loth iam desponsatas fuisse duobus illis generis, vt etiam aduertit AMBR. l.1. de Abrahã, c.6. maritos vocans; & CHRYS. homil. 43 in Genesim; vnde morem illum colligit; & tamen extra domum habitasse vsque ad acceptionem, siquidẽ egressus est de domo, vt eos moneret de fuga, & nec noctu, nec mane domi erant: insuper & virgines erant filiæ. & generos vocat, qui accepturi erãt filias suas, hoc est, solemniter per nuptias in possessionem earum venturi, vt eis iam tamquam vxoribus vterentur. Secundo: GEN. 24. Rebecca spõsa iam facta, ducta est ad Isaach, *qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ, & accepit eam vxorem*: hoc est, solemniter nuptias celebrauit; & possessionem eius accepit vsu matrimoniali. Tertio: GEN. 29. desponsata est Rachel Iacob pro seruitute septem annorum, quibus finitis, ait: *Da mihi vxorem meam, quia iam tempus impletũ est, vt ingrediar ad illam*: qui (Laban) vocatis multis amicorum turbis ad conuiuium, fecit nuptias; & vespere Liam filiam suam introduxit ad eum: & infra: *Imple hebdomadam dierum huius copulæ, & hanc quoq; dabo tibi pro opere, quo seruiturus es mihi septem annis aliis*; acquieuit placito, & h[e]bdomada transacta, Rachel duxit vxorem: en vsque ad nuptias nec datam sponsam à patre sponso, nec acceptam; vnde, vsq; ad nuptias non fiebant extra parentum potestatem, nec sponsis permittebantur. Quod autem asserit de hebdomada copulæ, hoc est, vt ait AVGVS. & EVCHERIVS quæstionibus in Genesim, consuetudinẽ fuisse Iudæis, septem diebus nuptias celebrare, vt constat ex Samsonis nuptiis: sic enim iuuenes facere con- Iudic.14.
sueuerant. Quarto: GEN. 38.2. *Et accepta vxore ingressus est ad eam*; ergo aliud erat accipere per solemnitatem à cõgressu. Quinto: DEVT. 20.7. dicitur: *Quis est homo, qui despondit vxorem; & non accepit eam? vadat, & reuertatur in domũ suam, ne forte moriatur in bello, & alius homo accipiat eam.* AVG. qu. in Aug qq. in
DEVTER. *Accepit*, duxit vxorem, declarat & IOSE- Deut. q.31.
PHVS l.4. antiq. ca. 8. *Præter hos*, inquit, *qui desponsata vxore nondum eam domum duxerunt, ne harum rerum desiderio sibi parentes seruassent, si relictis voluptatibus in gratiam vxorum, parum fortiter rem gerant.* PHILO l. de fortitudine: *Edicitur enim*, ait, *vt* Philo l.1.
si quis ædificauit domum, necdum immigrauit in eam, de fortit.
siue plantauit nouellam vineam opera sua, necdum aduenit tempus vindemiæ; siue sponsam habeat virginẽ, necdum celebrauit nuptias, abstineat à militia. Sexto: DEVT. 22. & 23. *Si puellam virginem desponderit vir, & inuenerit eam aliquis in ciuitate, & concubuerit cũ ea, &c. lapidibus obruentur. &c. vir quia humiliauit vxorem proximi sui, &c.* GREG. epistola ad Mauritium Imperatorem, & refertur 23.q.2. qui desponsatam: *Et illud ait in Deuteronomio: Si quis cuiuslibet hominis desponsatam puellam in agro, vel in quolibet loco oppresserit, vel adduxerit in domum suam, moriatur, quia vxorem proximi sui violauit, nõ quæ iam vxor erat, sed quæ à parentibus vxor fieri debebat*: ex quo colligitur, sponsas sub cura parentum fuisse: à quibus vxores fieri debebant, hoc est, vsque ad nuptias, non sub cura sponsorum.

IV. QVOD explanat PHILO l. de specialibus legibus: *Si quis*, inquiens, *post epulum nuptiale cum puella non maritali affectu, sed tamquam cum meretrice libidinis causa congressus calumniose vertat se ad occulta crimina, dicendo, à se deprehensam non virginem, vocetur vniuersus Senatus, & adsint etiam accusatæ parentes, communem causam acturi: in tali enim causa, seu controuersia, quando de castitate corporis quæritur, non imminet periculum soli filiæ, sed etiam eius curatoribus, non modo quia vsque ad suum tempus non custodierunt natæ pudicitiam, verũ quia vitiatam ab alio desponderunt pro virgine*: ecce ad parentes tutoresque spectabat, vsque ad nuptias, etiam despõsatæ puellæ virginitatem custodire, non ad sponsos. Septimo: IVDIC. 14. Samson despõdit sibi Philisthæam, & post aliquod tempus venit pater eius, & fecit filio suo Samsoni conuiuium; sic enim iuuenes facere consueuerant; & omnes cõuocauit ad nuptias celebrandas per septẽ dies, hoc est illud, *quã, quæso, vt mihi accipiatis vxorem: & hanc mihi accipite*: & vsque ad acceptionem non habitabit cum ea, quo-

usque iratus remisso mulieri nuncio, res suas sibi habere iussit; ac ita dimisit eam; vt cõstat etiam ex IOSEPHO l.8. Antiq.c.10. Octauo: TOB.6.18. dixit Angelus Tobiæ: *Tu autem cum acceperis eam, ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea.* Tobias aũt despon dit sibi Sarã, TOB.7. & post desponsationem celebratis solemniter nuptiis, accepit eam, & statim secum deduxit in domum patris

1.Mach.9. sui. Nono: 1.MACHAB.c.9 habetur: *Post hac renuntiatum est Ionatha, & Simoni fratri eius, quia filij Iãbri faciunt nuptias magnas, & ducunt sponsam ex Madaba filiam vnius de magnis Principib. Chanaan, &c. & ecce tumultus & apparatus multus & sponsus processit, & amici eius, fratres eius obuiam illis cum tympanis, & musicis, & armis multis.* quam historiam IOSEPHVS l 13. Antiquit.c.1. sic refert: *Eodem tempore nunciatum est Ionatha, & Simoni fratribus, quod Amarei filij celebraturi essent nuptias, & adducturi sponsam ab oppido Gabatha, filiam illustris cuiusdam inter Arabas, eamque puellam introducendam cum pompa sumptuosa, & splendida; vt vero in conspectum venit sponsus cum virgine, & amicorum comitatu, vt fieri solet in nuptiis, coorti ex insidiis omnes ad vnum interfecerunt:* ecce morem deducendi sponsam in domum sponsi, & exeundi illi obuiam; quẽ Christus in illa parabola, MATTH.25. repetiuit, tamquam vsu communi frequentem; cum decem virgines, quæ comitabantur sponsam, exierunt cum lampadibus obuiam sponso, cum quo intrauerunt ad nuptias. quę consuetudo etiam Gentilibus frequens fuit, vt constat ex STATIO in epithalamio Stellæ, & Violantilæ, & multis aliis, quæ adducit Neapolitanus ALEXANDER l.2. genialium dierum, c.5. & super eum TIRAQVELLVS. Ex quibus omnibus certo certius colligitur, eam fuisse Hebræis consuetudinem, vt ante nuptias sponsa non traderetur sponso, nec ad custodiam, hoc enim vel parẽtum erat munus, vel tutorum; in nuptiis vero tradi solitam, & inde deduci in sponsi domum, ex hoc significauit Angelus MATTH. 1. cum Iosepho dixit: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Decimo: quoniam aliqui ex Patribus putant, Virginem quidem habitasse in domo parentum suorum, Iosephum autem in separata domo, vel cognatorum, vel conducta. sic EVSEBIVS EMISSENVS serm. in vigil. Natiu. & ANSELMVS in 1. cap. Matth. vnde frequenti sponsam visitatione vna cum parentibus

Castren. in vita B.V. c.6.n.8. & 10. custodiret; adnititur probare CASTRENSIS, nec in vrbe Nazareth propter hanc rationẽ degisse, quia, inquit, pro comperto haberi debet, Iosephum nihil nouisse eorum, quæ cum Angelo tractauit Maria, nec de eius discessu in domum Zachariæ, nec

Matth.2. de his, quæ dicta sunt ab Elisabeth; & gesta in eius domo, donec post reditũ noctu admonitus est ab Angelo de fœtu diuinitus dato. Verum quidquid

Lib. seq. hom. 10. sit de efficacia huius rationis, quæ apud me nullã vim habet, vt suo loco commonstrabo, ex aliis tamen supra adductis probationibus manifestum est, & rationi, & fidei satis consonum, non fuisse in vrbe Nazareth tunc Iosephum, sed Bethlehem, donec tempus accederet nuptiarum.

V. QVONIAM vero ad primam superioris sentẽtiæ rationem satis responsum est, posteriori satisfaciamus, dicendo, quod, tametsi verum esset, Iosephum non fuisse concomitatum sponsam suam in itinere ad montana, satis tamen prouisum fuisse famæ & honori Virginis, quod Elisabeth reuelatũ est mysterium, & domui eius vniuersę declaratum, & inde ad cæteros cognatos delatum: tum etiam postea, dum reuelatur Iosepho, apud quem iam non bene audiebat sponsa, vt multi Patres putarunt, eius enim erat deferre, si adultera putaretur. Verum hoc adhibito remedio tam certi & iusti innocentiæ Virginis, & cœlestis testes mysterii satis erant; vt eam omni periculo liberarent, eiusque honori consulerent, præsertim, quia cum iam virum Iosephum cum ea deinceps habitantem vidissent, nihil erat, cur suspicarentur malum, qui non tam curiose alienam sponsam speculabantur; maxime cum non liceret sponso congredi cum sponsa, vt dicunt TERTVLLIANVS, CHRYS. AVGVS. & alii. Hactenus de hoc historico argumento in laudem Virginis; cui sit honor, & gloria, in sæcula sæculorum, Amen. *Tertull. Chrysost. D. Aug.*

HOMILIA III.

In qua de patria Diui Iosephi parentibus, genere, nomine, statu, moribus, singularique martyrii genere, felici morte, gloriosa resurrectione: nec non erga pios suos cultores sollicita cura, & protectione, breui sermonis eloquio disseritur.

I. CONSVEVERVNT non semel diuina eloquia vitam, & mores alicuius viri descriptura ab eius patria tractationem exordiri: vnde de TOBIA aiunt, fuisse ex ciuitate Nephthali, *Tob.1.* & de patientissimo IOB ex terra Hus, ac simili modo de aliis in- *Iob.1.* numeris. Hunc eundem nos morem sectantes, de vita & moribus Sanctissimi Iosephi acturi, ab eius patria narrationem auspicabimur. Scio non paucos existimasse, patriam illius fuisse Bethlehem, propter testimonium IVSTINI martyris, qui in eloquio cum Triphone Iudæo de Ioseph agens, ait: illum ad Nazareth, vbi domicilium habebat, ascẽdisse in Bethlehem veterem patriam, vt nomen profiteretur. Verum hoc fundamentum futile est, quia Iustinus martyr non appellat Bethlehem, antiquam Iosephi patriam, quia ex ea fuisset oriundus, sed solum, quia maiores eius inde erant, quos ibidem ait IVSTINVS, esse ex Tribu Iuda, cuius sortis illud Bethlehemiticum oppidum fuisse testatur.

II. COMMVNEM ergo Patrum sententiam am-

ple-

plectentes, aſſerimus Ioſephi patriam fuiſſe Ciuitatem Nazareth in prouincia Galilææ, quæ eſt regio terræ Palæſthinorum, & clauditur ab ortu Syria, ab occaſu Phœnicia, à ſeptentrione Libano monte, & Tyronum finibus, & à meridie Samaria per lineam ductam à Ptolemaydis territorio in Scythopolim, eſt autem regio fertilis & intermedio monte ampliſſimos habet campos: vnde de illa & de gentium in ea habitantium natura, & indole
oſeph.l. .de bell. ud.c.2. dixit IOSEPHVS: *Sunt pugnaces ab infantia Galilai, & omni tempore plurimi, neque aut formido vmquam viros, aut penuria regiones illas occupauit, quoniam tota optima, & fertiles ſunt.* Porro hanc Galilæã multi duplicem fuiſſe affirmant, ſuperiorem, & inferiorem; ſuperior à fontibus Iordanis in Genneſaretricum lacum deſcendit, terram Zabulon, & Nephthalim complectens, ſicut MATTH. Euangeliſta ex
Matth.2. Prophetæ Iſaiæ auctoritate comprobat, ſic dicens: *Seceſſit* (de Chriſto loquitur) *in Galilaam, & relicta Ciuitate Nazareth venit, & habitauit in Capharnaũ in finibus Zabulon, & Nephthalim, vt adimpleretur quod dictum eſt per* ISAIAM *Prophetam: Terra Zabulon, & terra Nephthalim via maris trans Iordanem Galilaa Gentium.* Per hãc eſt via publica ab Aſſyriis in Tyrum ad mare mediterraneum. Cognominatur aũt hæc à Propheta, *Galilaa gentium*, quia non modica eius pars donata fuit à Salomone Hyram Regi Tyri. Inferior reliqua Galilæa eſt, quę Lacui, & Tyberiadi vſque in regionis finem meridianum imminet, montem Carmelum complectens; & in hac eſt Ciuitas Nazareth, quæ fuit patria Ioſeph, in qua ipſe non ſolum natus & nutritus fuit, ſed etiã habitauit; meritoque S. Ioſeph debuit eſſe ex patria Nazareth, quæ inter alias interpretationes, *Cuſtodia & ſeparatio* interpretatur; cum & Chriſti infantis, & Mariæ virginitatis ſingularem cuſtodiam habiturus eſſet; & ab ſponſa, licet alioquin matrimonii vinculo cum ea coniunctiſſimus, quo ad thorum tamen ſeparatiſſimus futurus ſemper foret Hæc autem Ciuitas Nazareth deſpecta adeo
Ioan.1. erat, vt Nathanael vir inſignis diceret: *à Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* poſtquam tamen beata Virgo, & Ioſeph in ea nati, & filius Dei in eadem carnem aſſumens conceptus fuit, omnes totius orbis ſplendidiſſimas, ac opulentiſſimas ciuitates longo interuallo ſuperat.

III. QVI autem fuerint D. Ioſephi parentes, non eſt concors omnium ſententia: nam licet Sanctus
Matth.1. MATTHÆVS diſertis verbis affirmet, Ioſeph filium eſſe Iacobi, dicens: *Iacob autem genuit Ioſeph*: cui minime refragatur LVCAS, dum ait: Heli fuiſſe patrem Ioſephi: nam ille patrem naturalem, hic legalem deſcripſit; quidquid ſingulariter ſenſerit
Ambr. ſuper Luc. 3. AMBROSIVS ſuper Luc. vnde ille, quia de naturali filiatione loquebatur, gignendi verbo vſus eſt: *Ia-*
Ibid. *cob autem genuit Ioſeph:* LVCAS vero, quia de ſola legali contentus fuit dicere: *qui fuit Heli*: nihilominus tamen quiſnam fuerit hic pater legalis, non parua diſſenſio reperitur apud Doctores: quidam enim contendunt illum fuiſſe vterinum fratrem Iacob; docuit primus hanc ſententiam AFRICANVS Theologorum non ſolum antiquiſſimus, ſed etiam pariter diſertiſſimus in ea epiſtola, quam ſcripſit ad Ariſtidem, & refertur ab EVSEBIO CÆSARIENSI li.1. hiſtoriæ ca.9. in qua AFRICANVS ipſe ſic dicit: *Vterini erant fratres, Heli abſque prole decedente, Iacob illi ſemen ſuſcitauit, & genuit Ioſeph, qui natura filius eius erat, lege vero Heli*: Africanum non modo ſequuntur D. HIERON. & D. ANSELM. in 1. cap. Matthæi, THEOPHYLACTVS, & D. BONAVENT. in 3. cap. Lucæ; ſed etiam cæteri antiquorum Patrum mira conſenſione illi adſtipulati ſunt; inter quos eſt IVSTINVS Philoſophus & martyr in reſponſionibus quæſtionum ad Orthodoxos in reſp. q. 133. vbi poſtquam clare dixit Ioſeph duos fratres habuiſſe, vnum videlicet ſecundum legem, & alterum ſecundum naturam, pulchre ſatis in hunc modum ſubiungit: *Efficit diuina gratia, vt cũ audimus Chriſtum filium eſſe Ioſeph, nec tamen ex eo natum ſecundum naturam, non admiremur; vt enim Ioſephus ipſe vocatus eſt Heli filius, nec tamen ex eo genitus, quoniam diuinæ legi ſic viſum eſt ex vxore Heli dare filium Heli; ſic viſum eſt Deo ex vxore Ioſephi dare filium Ioſepho, non genitum ſecundum naturam ex ipſo*: hæc Iuſtinus. cui ſane ſimul cum aliis Patribus, qui hanc ſententiam amplectuntur, magis tribuendum eſt, quam recentioribus ſuperioris opinionis aſſertoribus.

IV. TAMEN, licet hæc opinio verior, & firmior ſit; aliorum etiam placitum minime deſpiciendum eſſe reor, qui putant patrem legalem Ioſephi fuiſſe naturalem patrem beatiſſimæ Virginis, qui binonimus fuit, hoc eſt, duplici nomine, *Heli*, & *Ioakim* appellatus, fauent huic ſententiæ D. AVG. & D.Aug.l.
PHILO IVDÆVS, qui l. de temporibus teſtatur, apud 2.q.euang.
Aſſyrios, & Ægyptios, *Heli, Helichin*, & *Ioakim* idẽ c.5.
eſſe, ſolumq; differre vt ſynonyma. Confirmat etiam eamdem opinionem, quod iuxta D. HIERONYMI doctrinam conſueuit ſacra Scriptura eumdem virum diuerſis nominibus vocitare, vt ſocerũ Moyſis vocat *Raguel*, & *Iethro*, & Gedeonem appellat etiam, *Ierobaal*, & patrem Dauidis Iſai, *Ieſſe*, & *Naas*; & Principem Apoſtolorum Petrum, *Simonem*, & *Cephas*; qui ergo huic opinioni adhærent, D.Hier.l. cont. Heluid. Exod.2. & 3. Iud.7. 2.Reg. 17. Matth.16.
aſſerunt, quod ſicut Rex Ioakim, qui fuit in tranſmigratione Babylonis, dictus eſt etiam Heliakim; ita etiam pater Virginis, *Ioakim* alio nomine vocatus eſt *Eliachim*, & breuitatis cauſa Heli, qui propterea à S. Euangeliſta Luca pater Ioſephi nuncupatur, quia ſocer eius erat: moris enim eſt in ſacra Scriptura generos, filios nominare, vt aperte conſtat ex h. GEN. vbi ſecundum hebraicam veritatem Gen.37.
dicitur, quod *omnes filii, & filiæ Iacob ſurrexerunt ad conſolandũ eum* de exiſtimata morte filii ſui Ioſeph, ꝙ neutiquã intelligi poteſt de filiabus Iacob naturalibus, cum ſolũ vnam haberet; nomine Dinã, ſed de vxorib. filiorũ ſuorũ q̃ à Scriptura *filiæ* vocãtur.

V. PORRO, quod attinet ad nobilitatem, & ge-

 neris

neris splendorem nostri Iosephi, satis constat ex
sacris litteris, nullum vmquã illo ex illustriori fa-
milia ortum fuisse, angelo illum vocante *filiũ Da-*
Matth. 1. *uid*, & MATT. in eius genealogia perplures poten-
tissimos Reges commemorante, à quibus eum o-
riginem ducere testatur. At licet præclarum & il-
lustre sit Iosepho, quod ex Dauidica prosapia om-
nium nobilissima descendat; illud tamen multo il-
lustriorem, & clariorem illum reddit, quod non
solum sanguinis, sed & virtutũ Dauidis legitimus
Bern. hom. 2. super missus. adeo extiterit hæres, vt D. BERN. dicere non dubi-
tarit: *Vere de domo Dauid, vere ex regia stirpe descen-*
dit vir iste Ioseph, nobilis genere, mente nobilior, plane
filius Dauid non degenerãs à Patre suo Dauid, prorsus,
inquam, filius Dauid non tantum carne, sed fide, sed
sanctitate, sed deuotione. Atque hoc simul dicere vo-
Luc. 1. luisse LVCAM Euangelistam, vocantem eum: *de do-*
mo Dauid: his enim verbis significauit, non tantũ
illum esse de domo Dauid propter generis succes-
sionem, sed principalius propter virtutum imita-
Psal. 67. tionem, quia tales, iuxta phrasim ipsius DAVIDIS,
dicuntur esse de vna domo, ipso dicente: *qui inha-*
bitare facit vnius moris, vel *vnanimes, in domo.*

VI. SED iam de nomine eius dicamus, quod mi-
rum in modum congruit moribus eius: Ioseph e-
nim, quod *incrementum* interpretatur, egregie cõ-
cinit vitæ illius integritati; quod vt clarius, ac ma-
D. Th. 3. p. q. 37. art. 2. nifestius fiat, obseruare oportet ex doctrina Ange-
lici Doctoris, nomina vt plurimum hominibus
semper imponi, aut ab aliqua proprietate subiecti,
quod nomen accipit; aut à tẽpore, sicut imponun-
tur nomina aliquorum Sanctorum iis qui in eorũ
festis nascuntur; aut à cognatione, sicut cum filio
imponitur nomen patris: aut alicuius de cogna-
tione eius, sicut propinqui Ioannis Baptistæ vole-
bant eum vocare nomine patris sui Zachariã, non
autem Ioannem, quia nullus erat in cognatione e-
Luc. 1. ius, qui vocaretur hoc nomine, sicut patet ex LVCA;
aut etiam ab euentu, sicut Ioseph vocauit primo-
genitum suum *Manassem*, dicens: *obliuisci me fecit*
Deus omnium laborum meorum: vel ex aliqua quali-
Gen. 41. tate eius, cui nomen imponitur, sicut in GENESI
dicitur: quia ille, qui primus egressus est de vte-
Gen. 25. ro matris, rufus erat, & totus in morẽ pellis hispi-
dus, vocatum est nomen eius *Esau*, quod *rubeum*
interpretatur. Nomina etiam imponuntur aliqui-
Gen. 17. bus diuinitus data; sicut in GENESI dictũ est Abra-
hæ, *appellaberis Abraham, quia patrem multarum*
Matth. 16. *gentium constitui te:* & apud MATT. dictũ est Petro:
Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiã
meam: ex quibus facile colligere licet Iosephi no-
men cœlitus fuisse delapsum, qui futurus erat spõ-
sus Genitricis Dei, & pater legalis Christi: nã his
adeo dignitas eius creuit, vt congrue satis ei nomẽ
Iosephi, quod *incrementum* significat, donaretur. A-
lia ẽt ad idem occurrit ratio, quia cum alii nuben-
tes virginitate minuantur & expolientur, ipsi ta-
men è contra accidit: nam Maiiam in vxorem ac-
cipiẽs, virginitatis suæ augmentum suscepit, dum

illam ad imitationem suæ sponsæ speciali voto fir-
mauit, & constabiliuit; qui ergo præter communẽ
matrimonii consuetudinem in matrimonio, quo
non solum diminui, sed penitus aboleri virginitas
solet, illius augmentum suscepit, merito *Ioseph*, id
est, *Adauctus*, vel *additus* appellatus est.

VII. ATQVE hinc liceat mihi gradum facere, vt
de moribus Iosephi aliquid attingam, non ex meo
marte, sed ex mente insignis illius Cancellarii Pa-
risiensis, qui rem hanc altius repetens in hunc mo-
dum loquitur: *Sicut decuit, vt Virgo summa puritate* Gers. Cancell. Paris. ser. de nat. Virg.
niteret, sic decuit, vt haberet suo modo parem sponsum
purissimum, qui cum perpetua Virgine Virgo permane-
ret; vterque regali progenie illustris, vterq; sanctifica-
tionem in vtero recipiẽs, cum Maria plena gratia fomi-
tem reprimente mansit Ioseph repletus gratia peccatum
mortale quodlibet superante. huic etiam sententiæ de Iacob. de
sanctificatione in vtero adstipulantur Episcopus Valent. in
Christopolitanus in Cant. Virginis, & doctissimus cant. Virg.
Echius in ser. de S. Ioseph: Eaq; ratio illi suffraga- Echius ser.
tur, quia si Ieremias ad vaticinandum, & præ- de S. Ios.
dicandum de Christo, & Ioannes Baptista ad eum Luc. 1.
baptizandum, & digito commonstrandum sancti-
ficati fuere in vtero materno, nõ est à ratione alie-
num, vt qui manibus frequẽter per multos annos
contrectaturus esset sacratissimum corpus Christi,
sanctus esse inciperet ab vtero matris suæ. hæc ille
in concione habita in Concilio Constantiensi.

VIII. NEC mirandum, quod D. Iosephum Dei
Genitricis sponsum pie credamus in vtero sancti-
ficatum, cum & idem singulare priuilegium de a-
liis permultis sanctis à grauissimis Auctoribus cre-
ditum fuerit: de Iacobo enim minori id existima- *Simeõ Me-*
runt EGESIPPVS l. 5. comm. EVSEB. CÆSARIEN. SI- *taphra. a-*
MEON METAPHRAST. & PETR. Episcopus Aquili- *pud truxil-*
nus: deinde de D. Nicolao & Dominieo idipsum *lum in ser.*
quidam asseruerunt, vt auctor est D. ANTONIN. in *S. Iacobi*
hæc verba: *Legimus Ieremiam sanctificatum: aliqui* *Minoris.*
hoc etiã credunt de D. Nicolao, qui natus stetit rectus, *Petr. Episc.*
& de B. Dominico, qui iam in cunis egrediens lectum, *Aquili. in*
iacebat in terra: immo & D. HIER. sanctam Asellam *eius vita.*
affirmat in vtero matris sanctificatam, id referente *D. Anton.*
Card. BARONIO in suo Martyrologio, ac tandem *3. p. summa*
idipsum tradit de S. Georgio Episcopo Suellensi *tit. 18. c. 5.*
Frater DIMASERPI. de D. etiam Paulo sanctificatũ *§ 6.*
fuisse in vtero materno, auctores id asserentes re- *F. Dima-*
feram, ansam ad id sumentes à verbis D. PAVLI: *serpi in apo.*
Cum autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero: nec *dixi sancti-*
obstat, aiunt, quod persecutus fuerit Ecclesiam *tatis sancti*
Dei, *quia* (ipse ait) *ignorans feci.* Immo, vt idem *S. Georgii.*
HIERON. D. BERNARD. D. AVGVST & ANASTASIVS *Gal. 1.*
NICÆNVS rursus non solum in lege gratiæ, sed & *S. Hier. su-*
tempore legis naturæ non scriptæ nonnullos fuisse *per c. 1. ad*
sanctificatos referunt non infimi nominis Do- *Gal.*
ctores: nam de Iacobo nobilis auctor COMEXTOR *D. Ber. ep.*
super historiam Gen. ait: creditur in vtero sanctifi- *174.*
catus fuisse Iacob, & in collisione infantium præfi- *S. Aug. ep.*
guratum, quod non esset consensus Christi ad Be- *57.*
lial. *Anast. Nice. in qq. sac. scr. to. 6. bib. 55. q. 59. Comext. c. 66. hist. in Gen.*

lial. Et DIONYSIVS CARTHVSIANVS, dum verba illa cap.28. *Ero custos tuus, quocumque perrexeris*, explicat: *Magna*(inquit)*promissio, ex qua sequi videtur, quod Deus in omnibus præseruauit Iacob deinceps à culpa mortali, forsitan & ante, maxime cum credatur sanctificatus in vtero.* & cap.25. AVGVS. in hanc sententiā ducere contendit. in ea ferme est AMBR. l. 4. de fide cap.4. *Negent* (inquit) *Iacob sanctum fuisse, priusquam nasceretur, qui fratrem supplantauit in materni adhuc vteri positus arcano.* Ex opinione S. EPHRÆM in oratione de Transfiguratione Christi, Moyses addi potest: *Sursum*(inquit) *discipulos ducit in montē, & ostendit eis se non esse Eliam, nec Moysem, sed Deū Eliæ, & qui sanctificauit Moysem in vtero matris*; Samsonem quoque annumerandum illa verba
Iud.13. suadere quidā putant; *Erit Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex matris vtero.* Exstat & aliud Iosephi sanctitatis testimonium apud sanctā BRIGITTAM l.6. Reuelationum c. 59. vbi Deipara MARIA eidē dixit: *Ioseph nullum verbum non bonum protulit, nec otiosum, nec murmurationis; erat enim patientissimus, diligentissimus in labore, & paupertate, mansuetus in iuriantibus, obedientissimus obsequiis meis, constans cōtra meam virginitatem impugnatores, fidelissimus testis mirabilium Dei, mortuus carni, & mundo, nonnisi cœlestia desiderabat, dicebat; si velit Deus me viuere, vt eius voluntatem videam adimpletam. raro erat in hominum congregatione; solum desiderabat Dei voluntati obedire, ideo eius gloria modo magna est.* hæc ibi.

IX CÆTERVM, quod spectat ad statū eius, licet certa fide teneamus vxoratum fuisse, Euang dicēte: *Ascendit autem & Ioseph, vt profiteretur cū Maria*
Luc.2. *vxore sua prægnante*: illud tamen apud plerosque in dubiū vertitur, an præter Virginem aliam coniugē habuerit; bigamum n. fuisse & filios ex prima vxore procreasse, constanter affirmarunt D. EPIPHA-
D. Epiph. hær.28. NIVS, GREG. NISSÆNVS, D. HILARIVS; AMBR. O-
Greg. Niss. orat. 2. de resurrect. RIGENES, THEOPHYLACTVS, EVTHYMIVS, EVSEBIVS CÆSARIENSIS, & NICEPHORVS CALIXTVS. Alii vero Patres è contra candidius de nostro Iosepho
Hilar. can. in Matth. iudicantes, non modo ante coniugium cum Virgine vxoratum, aut filios habuisse abnegant, sed &
D. Ambr. ep. ad Gal. & de instit. vir c.6. integerrimum Virginem fuisse ingenue fatentur; hi sunt D. HIERON. lib. contra Heluidium, D. AVGVS de natiu. Domini, S. THEODORETVS in epistola ad Galatas, Diuus ANSELMVS in cap. 20.
Orig. 13. c. Matth. Matthæi, BEDA in cap. 2. Ioannis, RVPERTVS in ca. 1. Matthæi, HVGO VICTORINVS in lib. de Mariæ
Theop. in c.23. Mat. coniugio, PETRVS DAMIANVS epistol. 11. cap. 4. ac Diuus THOMAS super primum cap. epistolæ ad
Euthy. in eundem. c. 20 & 27. Galat. Atque hanc tantorum Patrum sententiam reliquorum omnium etsi grauissimorum Doctorum opinioni, vti rationi magis consentaneam
Euse. Cæs. l.2 hist. c. 1. Nice. l. et iam 2. hist. c.3. omnino præferendam semper duxi; valde enim decebat, cum ille, *qui pascitur inter lilia*, frequentissime pasci deberet, & inter Mariam, & Iosephum, & ab eis paterno affectu infantile eius corpus sæpissime contrectari, vtrumque virginem esse, & angelicis spiritibus puriorem. Decebat etiam

sanctum Iosephum maxime liberum, & expeditum esse à filiorum cura, & obligatione illis necessaria prouidendi, vt ministerium Matri, & filio inseruiendi susciperet, & vt ad eorum protectionē propriam patriam relinqueret, & in longinquam Ægypti plagam proficisceretur; sicut enim dixit
Apostolus: *qui cum vxore est, solicitus est, quæ sunt* 1. Cor. 7.
Mundi, quo modo placeat vxori, & diuisus est; ita similiter pater filios habens, necesse est, vt sollicitam eorum curam gerat, & consequenter iuxta Paulinam sententiam diuisus erit; ad id ergo vitandum omnino oportebat Iosephum filijs carere. Scio dicere posse proteruos, Iosephum filios genuisse, sed illis iam orbatum esse, cum beatam Virginem in coniugem accepit: verum in re incerta, & vtrinque opinabili, cum pietate magis coniunctum
arbitror, non solum castimoniam, sed & virgini- Hoc lib. 4.
tatem intemeratæ Virginis sponso tribuere, vt nos hom.12.
infra late comprobabimus.

X CÆTERVM, cum de singulari martyrij genere, ac felici Diui Iosephi morte aliquid dicere polliciti fuerimus, tempus est iam ad id calamum admouendi. Inter alia quidem permulta, quibus beatissima Virgo, ac dilectissimus eius sponsus Ioseph persimiles fuere, illud valde singulare reperio, quod vterque non solum virgo, sed & martyr extiterit, non alio carnifice illos excruciante, quam ipso Christo Domino. Mariam torsit acriter Christi passio, Iosephum torsit Christi conceptio; Mariam torsit videre Christum in cruce pendentem, Iosephum vehementer pressit, videre illum in vtero Virginis latitantem; Maria dolet, quod intueatur Christum in ligno mortuum, Ioseph contristatur, quod agnoscat illum intra sponsæ suæ viscera viuum; Maria, vltra quam dici potest, dolebat dilecto filio spoliari, Ioseph ægre ferebat illam filio genito gaudere. Zelotypicum Amorem depingebant olim antiqui in habitu cuiusdam venatoris, qui canibus circumdatus, prædam insectabatur, vt hoc symbolo significarent, cogitationes zelotypiæ phrenesi laborantis, velut rapidos canes esse, qui huc, & illuc vagantes, & odoratu suo prædam, quam non vident, ingēti labore quæritant. bene quidem, sed certe ac diminute veteres illi zelotypiæ furorem ac impatientissimam vim descripsere; melius quidem Spiritus sanctus *Inferno* illam comparans expressit; vnde cum zelotypi-
cus amor sit, vt ait Salomon, *dura sicut Infernus æ-* Cant. 8.
mulatio, non poterat non vehementer, & absque vlla interruptione Iosephi cor transuerberari, sicut & Infernus summopere torquet, & nec per mo-
mentum excruciare cessat. Vnde Deus ipse pro- Num. 5.
be agnoscens vim zelotypici doloris virum excruciantis, ad illum mitigandum, & alleuiandum singularem ac inauditam illam zelotypiæ legem condidit; quia præcepit, quod si spiritus zelotypicus concitaret virum contra vxorem suam, adduceret eam in templum, vbi sacerdotes certam potionem illi propinarent, qua ebibita, si vxor adultera erat,

continuo vterus eius disrumpebatur; si autem fidelis, incolumis manebat. Cum ergo B. Ioseph immani zelotypiæ dolore angeretur, neque leuamen hoc, quod ei assumere licebat, quęritaret, Euangelista dicente: *Cum esset iustus, noluit eam traducere,* consequens est, cor eius grauissimo doloris vulnere fuisse exulceratum: vnde sicut Martyres moriendo insigne suæ patientiæ testimonium exhibuere, ita Ioseph raræ & eximiæ suæ tolerantię & fortitudinis specimen edidit, cum sponsæ tumentem vterum, & indubitata concepti filij indicia cerneret, nec cum vxore verbum vllum commutaret, nec apud affines quereretur, nec in ius iret, nec ad pœnā repeteret coniugem, sed omnes suos æstus intra se, tamquā patientissimus vir, viriliter presserit; quoniam tamen dissensio est inter Patres, suspicatusne fuerit Ioseph adulterium de Virgine, compellor ostendere, etiamsi ab omni adulterij suspicione longe alienus fuerit, summo nihilominus dolore tunc fuisse confectum, atque adeo, cum dē dimittenda Virgine cogitaret, Euangelista dicente: *Voluit occulte dimittere eam:* cogitationem hanc singulare martyrij genus illi fuisse. Nam in primis, si Ioseph ab sponsæ suę consortio ad eximiam dignitatem Matris Dei, se eo indignum arbitrans, sequestrare volebat; & quia fulgor diuinitatis Christi in vtero eius latentis foras in facie eius irradiabat, ita vt vsurpare sibi posset verba illa Esdræ: *Ad irradiantem vultum expauescentis, & factum est, cum loquebar ad eam, facies eius fulgebat subito, coruscus fiebat visus eius, vt essem pauens valde ad eam, & cogitarem; quid esset hoc:* sane hoc idem non potuit non summo mœrore Iosephi viscera valde torquere; nam præterquam amantem à dilecta sponsa diuelli grauiter affligere solet, certe cogitatio illa, qua se indignum putabat sponsum esse Virginis, & eius consortio frui, confusionem quandam internam pariebat, quæ velut gladius cor eius confodiebat; vt enim experiuntur viri spirituales, confusio illa, quam in Dei maiestatis præsentia se constituentes patiuntur, ingentem dolorem eis ingerit: si autem Ioseph nec de Virgine adulterium iudicauit, neque humilitate ductus indignum se reputans Matrem Dei in sponsam habere, eam dimittere decreuerat; sed (vt alij volunt) anceps, & fluctuans varijs cogitationibus agitabatur, ita vt sensus cum ratione acriter pugnaret: nam sensus virgineum vterum intumescentem videns, adulteram iudicabat, ratio autem raram eius sanctitatem perpendens, longe eius animum ab hac suspicione auocabat: profecto huiusmodi perplexitas, & plusquā ciuile bellum inter sensum & rationem non poterat non immaniter viscera Iosephi disrumpere, & excarnificare: ob quamcumque igitur causam ex præassignatis voluerit Ioseph vxorem suam Mariam dimittere, cogitatio illa non potuit non esse ei graue martyrij genus.

Mat. 1.
Ibid.
Esd. 4. c. 10.
Matth. 1.

XI. Silentio prætereo ingentes labores, quibus per totum vitæ curriculum à tempore desponsationis adeo excruciatus fuit, vt non immerito tota eius vita prolongatum quoddam martyrium censeri debeat. Certe cum ex regia stirpe esset, pauper, ac humili fabri officio vsus sit, in Bethlehem profectus, infantem Iesum intuitus lachrymantem, & præ nimio frigore algentem, vili præsepio cubantem, ac aeris inclementiæ ob incommoditatem loci expositum, summo dolore fuit confectus, eumdem in tenera ætate octauo die sanguinem fundentem cernens, vehementer doluit; Simeonis verba audiuit ad sponsam suam dicentis: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius:* in Ægyptū fugam arripuit, vt Christum ab Herodiana sæuitia liberaret, vbi per septem annos (vt auctor est Diuus Anselmus in Matth. cap. 2.) vitam pauperem inter barbaram, ignotam, & infidelem gentem exul egit. Cum redijt etiam ab Ægypto, audiens filium Herodis multo illo crudeliorem regnare, maximus timor inuasit eum, ne quidquam mali contra infantem ille machinaretur: ingentem deinde sustinuit dolorem, cum Iesum in itinere ad Ierusalem amisit, beata Virgine dicente: *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te;* ac tandem vsq; ad mortem summa egestate, sudore vultus sui, & labore manuum suarum Virginem Matrem, & filiū eius, & se aluit, quæ productum quoddam martyrium fuisse nemo sane ambigit.

Luc. 2.
Luc.

XII. Denique, vt ad felicem Diui Iosephi mortem accedamus, tria præcipue, quæ erga illam desiderari possunt, nobis commemoranda sunt: primū, quo tempore obierit; secundū, cuius ætatis esset, cum è vita discessit; tertium, an Christus Dominus & mater eius morti eius affuerint, & quæ obsequia illi præstiterint: Circa primum licet D. Ambrosius, & Cypr. & Arnaldus Abbas putauerint Iosephum tempore mortis Christi superstitem extitisse, cui sententiæ consentit D. Augustinus, dum ait: Iosephum Christum adorasse in sua resurrectione, verba eius hæc sunt: *Sol, & Luna, & vndecim stellæ Christum adorauerunt, quando post resurrectionē sancta Maria quasi luna, & beatus Ioseph vel vt sol cum vndecim stellis, i. beatis Apostolis prostrati sunt ante eū:* verū cum alijs grauissimis Patribus arbitror Diuum Iosephū ante tempus mortis Christi obiisse: ita censent D. Epiph. qui post duodecimū Christi annum è vita illum discessisse opinatur, sic enim ait: *Post reditum ab Ægypto Ioseph non multis annis vixit permansit octo annis superstes, & in duodecimo anno, ascendentibus illis Hierosolymam, quæsitus est Dominus, quando non reperiebatur in itinere; post hos annos moritur Ioseph; vbi non amplius dicit Euangelista; quod venit pater ipsius, & fratres, sed, ecce mater tua, & fratres tui; foris stant; & quando in Cruce pendebat, si fuisset Mariæ vir, qua ratione tradidisset ipsum Ioanni?* hæc ille: cui consentiens Casalius lib. de arbore vitæ censet, non post multos dies, post inuentionem Iesu in Templo cum doctorib. disputantis, vita functum fuisse Iosephū. Sanctus autem Bernardinus serm. de S. Iosepho pro-

D. Ambr. l. de inst. virg. c. 6. & Lucæ 25.
Cypr. de pass. Domini.
Arnal. Abb. tract. de 7. verb. Domini circa ver. Ecce filius tuus.
D. Aug. serm. 81.
Hæres. 78.
Matth. 12.
Ioan. 19.

drin. in npend. ſt. Bonau. e vita riſti ca. mextor 8. an.2.

probabiliter credit, illum mortuum fuiſſe ante Chriſti Baptiſmum. CEDRINVS egregius hiſtoriographus tradit Ioſephum vſque ad Chriſti baptiſmum vitam produxiſſe. D. autem BONAVENTVRA in vita Chriſti vſque ad finitum eius ieiunium illam protendit. ISIDORVS lib. 4. de Sancto Ioſeph, refert quorundam opinionem exiſtimantium Ioſephum poſt vocationem Apoſtolorum obiiſſe. Ac tandem nobilis auctor COMEXTOR, quamuis ſub dubio relinquat an ſuperſtes eſſet Ioſeph tempore nuptiarum in Cana Galilææ, expreſſe tamen ait: certum eſſe, quod in Paſſione Domini mortuus erat. Id, quod apud me certiſſime perſuadet prætacta ratio à D. EPIPHANIO, quam etiam acceptant præcitati Doctores: nam ſi ſponſus Virginis ſuperſtes fuiſſet tempore mortis Chriſti, minime alteri, quam illi à filio commendaretur: fuit autem commendata Ioanni, vt in ſuam illam acciperet, prout ipſe teſtatur, quis enim dicat, decuiſſe matrem Domini alieno cuſtodi magis, quam legitimo marito ſuo curandam deputari? Accedit, quod mihi omnino incredibile ſit, quod ſi Ioſeph tempore mortis Chriſti viueret, Cruci non affuiſſet in conſortio Virginis & Ioannis: ardentiſſimus enim amor, quo Chriſtum Dominum proſequebatur, minime ferret tempore paſſionis illum derelinquere, nec poteſt ſane dici affuiſſe, cum eius non fiat mentio ab Euangeliſtis: nã certe, qui aliorum inferioris notę meminerunt, nominatim eos referentes aſtitiſſe, minime ſilentio prætiriiſſent ſponſum Virginis, putatiuum Chriſti patrem.

Ioan I.

XIII. CIRCA tempus autem determinatum, quo ſanctus hic Patriarcha obierit, inter varia Doctorum ſupra relata placita illud mihi magis rationi conſentaneum videtur, quod ſuperſtes fuerit vſque ad baptiſmum Chriſti, quando primum ſe mundo manifeſtius palã fecit; quia cũ Ioſeph ſpecialiter à Deo electus ac deputatus eſſet ad alendũ arte ſua fabrili Matrem & filium, veroſimile eſt ſuperſtitem fuiſſe toto tempore, quo Chriſtus Dominus in ſilentio à communi hominum conſuetudine ſe abſtinens vitam egit ſolitariam, quam tamen conſtat vſque ad annos baptiſmi perduraſſe.

Pſal.125.

XIII. QVA vero annorum ætate S. Ioſeph animã exhalarit, non eſt vna omnium ſententia: nam D. EPIPHANIVS hæreſi 78. nonagenarium tradit obiiſſe; CEDRINVS vero in Compendio hiſtoriarum vſque ad centeſimum decimum annum vixiſſe ſcribit. Demũ, *ſi precioſa eſt mors ſanctorum eius*, non potuit non precioſiſſima, & diuinis fulgoribus clariſſima eſſe mors noſtri Ioſephi, cum Chriſti, & Marię veluti Solis, ac Lunæ irradiantibus ſplendoribus fuerit illuſtrata, vt in hæc carmina cecinit pietas magni illius Cancellarij Pariſienſis:

Ioan. Gerſ. Cancel. Pariſ. in Ioſeph.

Venerat illa dies, qua vitam morte pararet
Perpetuam tibi, iuſte Ioſeph, Dauidis inclyta proles,
Chriſtus adeſt cum Matre pia, quibus officioſe
Seruieras, vultu placido ſolantur euntem.
Ora licet lachrymis oppleuerit intus obortis
Naturalis amor, etenim fat credere fas eſt,
Quod patrem Ieſu, & ſponſum fleuit morientem
Virgo benigna ſuum.

D. Iſid. lib. I de S. Ioſeph. c. 14. & refert Gratian. l. 3. de vita S. Ioſeph. c. 3.

XIV. QVAMVIS autem apud Patres nihil horum reperiam, quæ commemorat GERSON, lego tamen illa, & permulta alia apud ISIDORVM INSVLANVM lib. 1. de S. Ioſeph, quem ſcripſit ad Papam Adrianũ VI. qui ex hiſtoria quadam orientali fide digna refert Chriſtum Dominum Apoſtolis ſuis nonnulla enarraſſe de tranſitu D. Ioſephi; quorũ hæc, quæ ſequuntur, tanquam commemorabiliora hoc loco duxi recenſenda. Primum, Ioſeph præmonitus fuit ab Angelo de morte ſua; deinde Archangelum Michaelem ſibi adeſſe poſtulauit, & obtinuit, nec non & angelum Cuſtodem alacri vultu eidẽ comparere, quod ſimiliter impetrauit: Præterea Ioſeph alloquutus eſt Chriſtum Dominum, qui morti eius adfuit, dulciſſimis verbis verum Deum illum confitens, & Saluatorẽ mundi. retulit ẽt Chriſtus, ſe ad caput lecti Ioſephi ſediſſe cum Maria matre ſua, illum conſolantes & manus eius tenentes, & poſt mortem oculos eius proprijs manibus clauſiſſe, ac tandem præcepit Angelis, vt corpus eius veſte induerent: ipſe illum benedixit, benedictionem ſuam pollicitus datu um eis, qui in die obitus S. Ioſephi ſacrificium Deo in eius honorem obtuliſſent; addiditque vigeſima die Iunij obiiſſe; & ſepulchrum eius iuxta ſepulchrũ Iacobi patris ſui fuiſſe. Verumtamen eſt, & BEDAM docere, Ioſephũ ſepultum fuiſſe iuxta Virginis ſponſæ ſuæ ſepulchrum, quod conſtat fuiſſe in valle Ioſaphat, qui medius eſt inter Montem Sion, & Montem Oliueti; quod idem colligitur expreſſe ex Diuo HIERONYMO ſermone de Aſſumptione.

Beda de locis ſanctis cap. 6.

XV. SED liceat mihi, antequam vlterius progrediar, verba illa, quibus veroſimile eſt in vltima illa hora Chriſtum, & Ioſephũ dulciſſime inter ſe colloquutos fuiſſe, contemplari; ſi enim DAVID dicebat: *Si ambulauero in medio vmbra mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*: putauerim certe ſanctiſſimum Ioſephum iam iam moribundum Chriſto Domino dixiſſe: Mortem non timebo, quoniã tu mecum es, præſentia diuinitatis ſub tegumento carnis humanæ. ſi enim Simeoni te ſemel in Templo vidiſſe, & in vlnis ſuis accepiſſe ſatis fuit, vt lætus diceret, in illa verba erumpens: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei ſalutare tuum*: mihi non ſuffi iet, non dicam ſemel, non dicam centies, non millies; ſed quaſi ſexcenties te adſpexiſſe, in vlnas meas accepiſſe, in ſinu meo fouiſſe, brachijs meis conſtrinxiſſe, dulcia oſcula exhibuiſſe, & vſque ad hanc vltimam horam indiuiduum comitem mecum colloquentem, & conuerſantem ſemper habuiſſe; merito ſane id mihi ſufficiet, vt libens & alacer moriar. Sed dic mihi (ſanctiſſime Ioſeph) ſi alij mori volunt, vt cum Deo viuant, quomodo tu cum Deo viuens mori cupis? Paulus quidem emori deſiderauit, vt Chriſti

Pſa l. 22.

Luc. 2.

præ-

Philip. 1. præſentia frueretur, cum dixit: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*, & tu cum Chriſto habitans, diſſolui cupis, Chriſti ſocietatem amiſſurus? Crediderim ſane in te duplicem voluntatem inter ſe duello confixiſſe mirando: voluntas quidem non diſcedendi à Chriſto, & voluntas diuinæ voluntati obtemperandi; at cum diuina reuelatione agnoſceres, præfixam à Deo tuæ vitæ periodum iamiam proximam eſſe, diuino te conformans beneplacito; voluntas illa prima ceſſit ſecundæ, & ideo cupiebas ardentius, quam Paulus anathema fieri à Chriſto, vt diuinæ voluntati per-
Luc. 22. fectiſſime obſecundares, dicens: *Non mea, ſed tua fiat voluntas*. Exiſtimauerim etiam, Ioſephum tanquam vere humilem Chriſto dixiſſe
Pſal. 18. verba illa DAVIDIS: *Delicta quis intelligit?* propterea Domine, *ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo*: ne differas, quæſo, veniam,
Pſal. 4. ſed *remitte mihi, vt refrigerer, priuſquam abeam*: præſta mihi nate Dei, *vt in pace in idipſum dormiam, & requieſcam* His, quid putas, quæſo, Chriſtum Dominum dilectiſſimi ſui legalis patris verbis reſpondiſſe? Abſque patre in hoc mundo natus ſum, ſed tu paterno affectu, & ſollicita clientela pluſquam pater mihi fuiſti: tu Genetricis meæ Solatium, tu infantilis corporis mei nutritius, tu mihi in terris magni conſilij adiutor fideliſſimus adfuiſti, tu laborioſam in Ægyptum profectionem, & inter idololatras inhabitationem, ac in Nazarethum regreſſum ardentiſſimo amore, & vigilantiſſima cura ſuſcepiſti; cum ergo tot, ac tam innumera obſequia mihi exhibueris, lætus diſcede, quia ab omni prorſus etiam leuiſſimi peccati macula alienus es; angelicis manibus in ſinu Abrahæ certo deferendus, ac poſtea me ab inferis reſurgente mecum glorioſus reſurrecturus, vt in æternum feliciter mecum conregnes. Quod ſi ſacra
Apoc. 14. Scriptura ait: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*; non potuit non beatiſſimus extitiſſe Ioſephus, qui non ſolum in Domino, ſed cum Domino Ieſu, ad caput lecti illum conſolante, ac in manu eius animam exhalans, dulciſſime, ac feliciſſime obijt.

Luc. 7. XVI. His addo id, quod ex ſacra Scriptura colligo; nam ſicut conſtat ex vidua illa Euangelij, quæ filium vita functum ex Ciuitate Naym in ſepulchrum ſequebatur, mos erat apud Hebræos, parentes filios mortuos vſque ad ſepulchrum comitandi; veroſimilius eſt, hoc genus obſequij vxorem, & filios erga parentes exhibuiſſe: Chriſtum ergo, & Deiparam Mariam Ioſephi feretrum comitatos fuiſſe crediderim, prout prudenter ad-
Barad. de buſto, to. 1. euang. l. 6. c. 8. notauit BARADIVS tomo I. Euangelicæ hiſtoriæ; eaque, quæ noſter BERNARDINVS contemplatur; quia rationi conſentaneum eſt ita re ipſa contigiſſe, hoc loco referre non dedignabor; ſic enim ait:
Bern. Buſt. l. 20. de deſpõs. Mar. *Pie credo, quod dulcis Ieſus, & pijſſima Virgo infirmo Ioſepho ſollicite inſeruiebant, & ei fercula propinabant, atque proprijs manibus, quando opus erat; eum portabant, & circa lectum ſtantes ipſum confortabant: dicebatque Ioſeph Domino Ieſu: nunc lætus moriar, ſperans, quod cito venies liberare nos; in tranſitu autem eius dixit Ieſus: Vade, dilecte mi, alacriter ab hac miſeriarum valle, & porta hoc bonum nouum ſanctis Patribus, quod infra paruum tempus veniam ad vos, & ad cœleſtia regna perducam. Præcepit autem* Eccleſ. in off. Mort.
Angelis ipſe Dominus; Subuenite ſancti Dei, occurrite Angeli Domini, ſuſcipientes animam eius; adipſum vero Ioſeph de hac vita migrantem ait: Chorus Angelorum te ſuſcipiat, & cum Lazaro quondam paupere habeas requiem; anima igitur ipſius magno honore in ſinu Abrahæ ab Angelis delata fuit. O terque, quaterque felix Ioſephus, qui certus ac perſuaſus erat, fore, vt breui ex illo obſcuro educeretur carcere, & aſſumptus in cœlum, ibi ſempiterno æuo cum beatis omnibus immortali gloria perfrueretur. etenim ſpem hanc firmam, & conſtantem conceperat de dulci alumno ſuo, quem amantiſſime nutrierat, & quibuſcumque rebus poterat, illi præſto fuerat. Nec ſua illum hæc fefellit ſpes; nam, vt tradunt Diuus BERNARDINVS, D. Bern. in
& GERSON: Sanctus Ioſeph reſurrexit glorioſus ſer. de S. Io-
ad vitam immortalem inter eos, qui cum Chri- ſeph tom.
ſto reſurrexerunt. potuiſſet Chriſtus Dominus, 3. Ger. in
ſicut olim Lazarum, multo ante ad vitam illum re- ſua Ioſe-
uocaſſe, ſed conſulto, opinor, Ioſephi reſurrectio- phina.
nem vſque ad propriam ſuam diſtuliſſe, vt, qui pariter mortales vixerant, pariter glorioſi, & immortales reſurgerēt: vnde Cancellarius Pariſienſis egregie dixit: *Legimus multa corpora Sanctorum reſurrexiſſe, & veniſſe in ſanctam Ciuitatem, & apparuiſſe multis; recogitet, oro, pius animus, ſi iuſtus Ioſeph vnus ex illis putandus eſt, qui apparuerit chariſſimæ ſponſæ, qui eam conſolatus ſit*? Gerſ. Cancell. Pariſ. ſer. de nat. Mariæ.
& clarius adhuc ſanctus noſter BERNARDINVS (id referente illo alio BERNARDINO) concionem habens Paduæ, affirmans clamabat ad populum: *In anima, & corpore ſanctus Ioſeph in cælis glorioſus eſt*. In cuius veritatis teſtimonium (vt idem auctor ſcribit) continuo viſa fuit crux quaſi aurea ſuper caput eius; & quidem, cum Salomon dixerit: *Omnes domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus*; D. Bern. id referente Bernar. de Buſto, 4. p. ſer. de deſponſ. Mar. Prou. vlt.
merito putauerim, cum Maria ſolum & Ioſeph fuerint domeſtici Chriſti, dum vitam mortalem agebant, duplicibus eos fuiſſe veſtitos, veſte ſcilicet glorioſa animæ, & altera ſplendida corporis.

XVII. QVAM autem ſanctus noſter Patriarcha Ioſeph in cælis præpotens ſit ad impetrandum, quæ à nobis enixe poſtulantur, duo potiſſimum mihi ſuadent: alterum, quod ſi Dauid loquens de Deo ait: *Voluntatem timentium ſe faciet*: multo ma- Pſal. 144.
gis voluntatem amantium illum; vnde cum amor Ioſephi erga Chriſtum tenerrimus pariter, ac intenſiſſimus fuerit, facile à dilecto ſuo Ieſu quæcunque volet, obtinebit. Alterum eſt, quod reliqui Sancti, etiam Angeli, & Seraphini deprecatorie poſtulant à Chriſto Domino, tanquam ſerui; Ioſeph autem auctoritatiue quodam-

quodammodo, tamquam pater illius; cui sane sicut Christus ipse in terris tamquam patri ad nutum obsecundauit; ita in cœlis acceptæ ab eo beneficentiæ non immemor, ad nutum eidem tamquam patri affectu filiali, quem ab infantia concepit, ac perpetuo cōseruauit, ad nutum in cœlis obedit.

XVIII. Vt autem ad preces Diuo Iosepho effundendas, ac varia obsequia ei alacriter exhibenda fidelium animi accendantur, operæ pretium duxi ex probatis Auctoribus nonnulla hoc loco commemorare, quæ ad id deseruire poterunt. Sanctus VINCENTIVS sermone de Natiuitate Domini refert pium quendam mercatorem Valentiæ solitum fuisse singulis annis in die Natalis Domini, in reuerentiam IESVS, MARIÆ, & IOSEPH ad prandium inuitare pauperculam aliquam fœminam, infantem filium in brachiis portantem, nec non etiam pauperem senem, qui matrem, & filium comitaretur; hoc sane obsequium gratum adeo fuit Deo, vt ipsi iam moribundo Christus Dominus, Maria, & Ioseph se palam facerent, dicentes: Quia tu nos hucusq; nos gratáter hospitio domi tuæ singulis annis susceperis, nos in æterna tabernacula cum ingenti iubilo perpetuo regnaturum te suscipimus. Narrat etiam ISIDORVS INSVLANVS, quod cum quidam nobilis vir Venetus solitus esset preces fundere Diuo Iosepho, in genua procumbens ante imaginem eius in superficie parietis depictam, accidit, vt graui grassante morbo, adeo, vt omnino spiritualis salutis suæ immemor, ad corporis medicamina totus se conuerteret; at Diuus Iosephus paterna commiseratione motus ei repente comparuit, & à somno spirituali, quo correptus in lecto iacebat, excitans illum admonuit, vt integram suorum peccatorum confessionem nulla interposita mora faceret; quod continuo præstans infirmus, accepta absolutione in manibus D. Iosephi animam exhalauit, qui eam ad æternam hæreditatem secum tulit. Tandem IANVS in historia Diui Iosephi refert, quod cum duo fratres ex Seraphico Ordine nostri Patris Sancti Francisci nauigarent, accidit, vt graui exorta procella nauis submergeretur, & triginta, quos vehebat, homines perirent: illi autem tabulam quandam arripientes, tribus integris diebus, & totidem noctibus per procellosum illud mare pererrantes, Diui Iosephi auxilium religiose implorarunt; quorum preces continuo exaudiens, in pulchra iuuenili forma eis apparens, & beneuole salutans, corroborauit & incolumes ad portum duxit; ipsis autem ignorantibus, quisnam ille esset, ab eo enixe petierunt, vt dignaretur id aperire, quibus respondit: *Ego sum sanctus Ioseph*: & confestim eos commonefaciens, vt singulis diebus in memoriam septem grauium dolorum, quos ipse pertulit, & totidem gaudiorum, quibus exhilaratus fuit, septies orationem dominicam, & septies salutationem Angelicam deuote recitarent, ab oculis eorum euanuit.

(Isidor. Insul. p. 4. c. 10.)

XIX. Vt nemo tamen ignoret, quinam fuerint ij dolores, & quæ illa gaudia, non pigebit ea hic apponere. Primus dolor fuit, cum videns sponsam prægnantem, voluit dimittere. (Matth. 1.) Secundus, cum vidit Christum Dominum infantem in humili stabulo iacere, aeris, & frigoris inclementia oppressum. Tertius in Circumcisione, quando graui eius vulnere percussus Dominus sanguinem fudit. (Luc. 2.) Quartus, cum audiuit verba Simeonis in die Purificationis ad Mariam sponsam suam dicentis: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* (Ibid.) Quintus, in fuga ad Ægyptum, propter Herodianam aduersus infantem Iesum persecutionem. (Matth. 2.) Sextus, quando in reditu ex Ægypto in Iudæam, audiuit Archelaum filium Herodis multo illo crudeliorem regnare. (Ibid.) Septimus, cum in itinere ad Ierusalem amisit puerum Iesum, at hæc de doloribus. (Luc. 2.) Gaudia autem sunt ista: primum, quando perplexus, videns grauidam Virginem, Angelus diuinitus missus consolatus est eum, dicens: *Ioseph, fili Dauid, noli timere accipere Mariã coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* (Matth. 1.) secundum, quando vidit Angelos Christum in præsepio iacentem adorare, & diuinas laudes ei concinere audiuit. (Luc. 2.) tertium, quando imposuit Christo infanti nomen, IESVS, quod ei reuelatum fuerat ab Angelo dicente: *Vocabis nomen eius Iesum.* (Ibid.) quartum, cum à Simone audiuit futurum, vt Christus Dominus auctor esset resurrectionis, & salutis generis humani: *in resurrectionem, & salutem multorum.* (Ibid.) quintum, quando in egressu ab Ægypto vidit Idola, cum præsentiam Christi ferre non possent, in terram confracta concidere. (Matth. 2.) sextum quando admonitus est ab Angelo, tempus iam esse, vt cum matre, & filio in Iudæam rediret. (Ibid.) septimum, quando inuenit Iesum in templo inter Doctores disputantem. (Luc. 2.) Qui pio hoc deuotionis genere vsus fuerit, addat, quæso, sequentes preces.

Antiphona.

IOSEPH, fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est; pariet autem filium, & vocabis nomen eius IESVM.

Vers. *Ora pro nobis beatissime Ioseph,*

Resp. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

Oratio.

SANCTISSIMÆ Genitricis tuæ sponsi, quæsumus Domine, meritis adiuuemur, vt quod possibilitas nostra nō obtinet, eius nobis intercessione donetur: Qui viuis & regnas in secula seculorum, Amen.

HOMILIA IV.

HISTORICA.

Quænam fuerit ars fabrilis, qua vsus est sanctus Ioseph? & an illam exercuerit Christus Dominus, iuxta sanctorum Patrum doctrinam dilucide explicatur.

D. Hilar. c. 14. in Mat. S. Lean. de instit. vir. cap. 22. S. Ansel. in c. 23. Matt. S. Isidor. in reg. monac. c. 5. Beda super c. 6. Marc. S. Petrus Chrysolog. serm. 48. Isa. 44.

I. VM ex sacris monumentis non aliud deduci possit circa officium D. Iosephi, quam fabrilem artem exercuisse, hinc est, quod cum *Ars fabrilis* generica vox sit, Patres in varias abierint sententias, quænam species fabrilis artis illa fuerit? nam D. HILAR. S. LEANDER Archiepiscopus Hispalens. S. ANSELMVS super Matthæum, S. ISIDORVS, & BEDA super Marcum, nec non & S. PETRVS CHRYSOLOGVS, Ioseph fuisse fabrum ferrarium affirmant, cui sane apte concinunt verba illa ISAIÆ: *Ego creaui fabrum, sufflantem in igne prunas, & producentem vna in opus suum*: nec nõ illa alia eiusdem: *Faber ferrarius lima operatus est: in prunis & in malleus formauit illud, & operatus est in brachio fortitudinis suæ*: quæ D. Iosepho satis cõgruunt; lima enim laboris continuo se torquebat in prunis, fabrilia opera sua exercebat, cum amore Charitatis omnia igniret, ac tandem ictibus, quibus Herodianæ persecutionis malleus acriter eum concussit, ob Christi defensionem valde oppressus fuit: quod si vera est horum Patrum sententia, conuenit valde Christo Domino, coadiutorem fuisse Ioseph in ea arte, quoniam faber ferrarius tribus vtitur ad suam artem, nempe aqua, igne, ac aere; Christus Dominus venit, vt emolliret ferrea hominum corda, ad quæ emollienda vsus est aqua Baptismi, igne amoris, ac flatu, quo Spiritum sanctum communicabat: atque huc tendunt verba diui HILARII, & ANSELMI, nam ille ait: *Fabri erat hic filius, ferrum igne vincentis, omnem seculi virtutem iudicio decoquentis, massamq; formantis in omne opus vtilitatis humanæ.* Hic autem in hunc modum loquitur: *Paternæ artis opprobrio eum lacessunt, qui reuera filius erat fabri, quem summus fabricator omniũ genuerat, & qui homines igne decoquit, dum eos in Spiritu S. & igne baptizat, qui & diuersi generis vasa fabricata in vasa iræ, spiritus igne molliẽdo in misericordiæ vasa commutat.* Sed & S. PETRI CHRYSOLOGI aurea verba non prætermittam: *Dicebãt*, inquit, *hic est fabri filius, vt arte vili ars lateret auctoris, & Deitatis nomẽ fabri nomine absconderetur, Christus erat fabri filius, sed illius, qui mũdi fabricam fecit non malleo, sed præcepto, qui elementorum membra nõ ingenio, sed iussione compegit, qui massam seculi non carbone, sed auctoritate conflauit, qui solem nõ terreno igne, sed supremo calore succendit.* hæc ille. D. vero AMBRO. super c. 13. Matth. docet, Iosephum peritum fuisse in vtraq; arte, ferraria, & lignaria, & in aliis pluribus. at D. AVG. de natiuitate Domini tradit, Iosephum non absque singulari mysterio fuisse fabrum cœmentarium, vt qui secundum diuinam generationẽ filius eius erat, qui ex nihilo mundum fabricauerat, idem secundum generationem humanam filius putaretur, & nominaretur fabri cœmentarii; maxime, qui pulchram adeo domum, qualis est Ecclesia Catholica, ab imis fundamentis vsque ad lacunaria erat erecturus. Atque his consonant aurea verba, quæ idem sanctus Doctor scripsit infra octauam Epiphaniæ; sic enim ait: *Ioseph faber in terris pater putabatur Domini Saluatoris, nec ab hoc opere Deus, qui vere est Pater Domini nostri Iesu Christi, excluditur; nam est & ipse faber, ipse enim est artifex, qui huius mundi machinã non solum mirabili, sed etiam ineffabili potentia fabricauit, ipse artifex, qui in nostris moribus præcidit superflua, & opera vtilia quæque conseruat.*

D. Hilar. vbi supra. D. Ansel. vbi supra. D. Petrus Chrysolog. vbi supra. D. Aug. ser. 1. D. infra o. Epipha.

II. SED D. THOMAS in Matthæum, cum communiori, & receptiori sententia, quam etiam tradit historia Orientalis, id referente GRATIANO lib. 2. c. 5. docet, Iosephum fuisse fabrum lignarium, quod tribus præcipue non incongruis rationibus stabiliri potest. Prima, quia ad quærendum victum sibi, & vxori in itinere ad Ægyptum, & dum in ea commoratus est, nec non in reditu in Iudæam ars fabrilis lignaria aptior erat, & paucioribus instrumentis ad eam exercendam indigebat, quam si faber ferrarius, aut cœmentarius fuisset. Secunda ratio, quia antiquissima consuetudo, & communi Ecclesiæ consensu recepta satis confirmat, D. Iosephum fabrum lignarium fuisse, dum frequenter manu serram tenentem eum depingit, quam constat lignariæ artis instrumentum esse. Tertia ratio, quia, si vera est sententia D. BONAVENTVRÆ, CAIETANI, & aliorum, Christum Dominum in fabrili officio nõ semel adiuuisse, ac ministrasse legali suo patri Iosepho, congruentius ac decentius erat, artem illius fuisse lignariam, non ferrariam, aut cœmentariam, quibus manus, & facies necesse est frequentissime spurcari, & maculari. Atq; huc etiam facere arbitror locum illum ZACHARIÆ vbi ait: *Leuaui oculos meos, & vidi, & ecce quatuor cornua*: nosse autem desiderans, quæ illa significarent, responsum accepit: *hæc sunt cornua, quæ ventilauerunt Iudam & Israel*: ne autem animo caderet, aut expauesceret, continuo vidit fabros lignarios: *& ostendit mihi Dominus quatuor fabros*: at confestim iterum interrogans: *quid isti veniunt facere?* diuinum oraculum audiuit, dicens: *Venerunt isti deterrere ea, vt deiiciant cornua gentium*: hoc est, vt tanquã periti fabri serræ instrumento illa per medium scindant: non secus, cum Dæmon, tanquam pestilentissimus Draco expectaret virgineum partum, vt cornibus potentiæ ac industriæ suæ illum ventilaret, misit Deus fabrum quendam, nomine Iosephum, qui fortitudine virili, ac singulari suæ protectionis ab infamiæ nota Matrem liberaret, & desideratum eius partum à morte, quam Herodiana sæuitia ei inferre moliebatur, eriperet.

D. Thom. super c. 1. Matth. D. Bona. med. vit. Christ. Caietã. c. 6. Marc. Zach. 1. Ibid.

III. CVR.

III. Cur aũt Dominus fabri officio fungi voluerit mysterio non vacat: significare enim voluit, tum se tamquam supremum architectum missum esse à Patre ad fabricandam, & renouandam Ecclesiam Catholicam: lignum namque Crucis assumens, ferreis certe clauorum instrumentis secundem arcam Noe, hoc est, militantem Ecclesiam construxit, in qua non velut in illa octo animæ (vt ait sacra Scriptura) sed innumeræ à diuinæ iræ inundanti diluuio saluæ factæ sunt. Vnde sicut æterna sapientia semper ante oculos habuit Mariam in æterna prædestinatione, qua disposuit Ecclesiæ fabricam, vt & ipsa testatur: *Cum eo eram cuncta componens:* (Eccles.24.) sic eadem sapientia Patris, CHRISTVS Dominus, à primo opere, quod fuit eius Incarnatio, cum descendit de cœlis in vterum Virginis matris, vsque ad ascensionem ad dexteram Patris semper illum ante oculos habuit, & reparationis fabricam illi communicabat. Ac tandem, sicut archifaber, vt opus suum perficiat, solet alios plures vocare fabros, qui ei inseruiant, & adiutorium impendant; sic Christus Dominus, supremus Ecclesiæ Architectus vocauit Apostolos, Euangelistas, Confessores, in ædificationem militantis Ecclesiæ, Apostolo dicente: *Dei enim sumus adiutores.* (Cor.1.)

IV. Verum cũ hoc loco de fabrili arte S. Iosephi sermo inciderit, non possum silentio preterire; num Christus Dominus illam exercuerit manuali opere Iosepho ministrando ad lucrandam sustentationem vitæ? Permultos video graues Doctores hanc sententiam sectantes: hi sunt S. IVSTINVS Martyr in Dialogo cum Triphone, vbi ait: *Christus faber esse putabatur; hæc enim fabrilia opera, cum inter homines versaretur, aratra, & iuga faciebat*: atq; hinc putant nonnulli ChristumDominum ansam sumpsisse, vt cum prædicaret, sub iugi, & aratri symbolo Euangelicam legem promulgaret: *Tollite iugum meum super vos.* & : *Nemo mittens manum ad aratrum, & aspiciens retro, aptus est regno Dei.* (Matth.11. Luc.9.) Vnde Cardin. BARON. tom.1 dixit: Christum Dominum iudin illud; *tractant fabrilia fabri*: non semel iugi & aratri exempla adduxisse, vt constat ex LVCÆ 4. & MATTH.11. LYRANVS etiam in cap. 6. Marci ait: *Probabile videtur, quod Christus eandem Iosephi artem exercuerit, quia non fuit occupatus in doctrina & miraculis vsque ad trigesimum annum; nec verosimile est, quod tanto tempore fuerit otiosus.* Deinde Card. CAIETANVS versans verba illa MARCI: *Nonne est hic faber*: hæc scripsit: *Habemus, vnde satis fiat curiosis quærentibus, quid fecerit Christus vsque ad trigesimũ annum; vacabat enim exercitio fabrili.* (Caiet. sup. c.6. Marci.) Idem repetit 3. part. in princip. quæst. 40. tuenturque eandem sententiam ABVLENSIS, & CARTHVSIANVS; immo & D. BONAVENTVRA in præcitatis meditationibus vitæ Christi: fauetque id, quod SOZOMENVS de quodam viro Christiano refert, qui à quodã idololatra ex opprobrio interrogatus: *quid facit nunc filius fabri?* Ipse perlepide respondit: *feretrum fabricat vestro Iuliano Imperatori.* (Abul. Mat. 13.q.81. Dion. Carthus. Mat. 13. Sozomen. lib.6.c.3.)

V. Sed pace dixerim tantorum Doctorum, licet non arbitrer inconueniens admittere, vna vel altera vice, immo & pluribus Christum Dominum Iosepho, dum domi propriæ solus operaretur, inseruisse, eiq; ministrasse, vt qui postea dixit: *Non veni ministrari, sed ministrare*: (Matt.20.) nullum etiam incommodum putem, vt, sicut PLINIVS, tanquam eximium fauorem famoso illi Pictori Apelli ab Alexandro exhibitum commemorat, quod non semel ille ad eius officinam diuerteret, vt videret eum pingentem; ita Christum Dominum non semel hoc fauore Iosephum putatiuũ patrem suum prosequutum fuisse arbitror, vt illum fabrilem artem exercentem non solum conspiceret, vt Alexander, sed adiuuaret, eandem cum illo artem exercens; vt clare indicant verba D. MARCI: *Nonne hic est faber filius Mariæ?* (Marc.6.)

VI. Tamen duo quæ à prædictis Doctoribus docentur, minime gentium credam; primum est, Christũ Dominũ fabrilẽ artẽ exercuisse, vt assolent fabri, per alienas ædes cursitando, aut tecta cõscẽdẽdo, aut simul cum aliis fabris indecore sæpissime confabulantibus ligna dolasse; hæc enim audire, aut his interesse, cum valde dedecerent grauitatem, ac modestiam Christi Domini, longe ab eo sunt releganda. Secundum, quod valde execror in sententia Lyrani, & aliorum, illud sane est, quod fabrilem Iosephi artem Christum Dominum exercuisse contendant, ne otiosus tanto tempore extitisset: cum enim Christus Dominus non solum in quantum cõprehensor per visionẽ beatificã, sed in quãtum viator per scientiam diuinitus ei infusam, altissimum contemplationis gradum semper attingeret, nullo modo dici poterat otiosus, quantumuis ab omni exteriori operatione cessasset: frustra ergo hi Doctores ad remouendam otiositatem à Christo Domino fabrilem putatiui patris sui occupationem illi tribuũt; frustra etiam illam colligit Cardinal. CAIETANVS ex verbis illis D. MARCI: *Nonne est hic faber?* (Marc.6.) Nam, vt D. AVGVSTINVS docuit libr.2. de consensu Euangelistarum: *eo Iudæi fabrum credebant esse Christum, quo fabri filium*: non ergo quia fabrilem artem ex officio exerceret: vel forte Pharisæi, vt contemnerent illum, fabrum appellabant, quasi magis ad illum, fabrilis ars, quam sacra legis doctrina pertineret. Atque hinc colligo (idq; fabrilem artem non parum extollit) quod cũ Christus Dominus priuatim illam exerceret, certe sicut natura humana non potuit altius euehi, quam vt assumeretur à Verbo diuino ad propriam hypostasim; ita non potuit fabrile officium altius conscendere, aut dignius honorari, quam vt filius Dei, qui *fabricatus est auroram, & solem*, (Psal.73.) illud exercuerit, diuinæq; suæ personæ hypostatica vnione mediante (vt loquũtur Theologi) illud copulauerit, quo nihil excellentius dici potest. Vnde, si eo officia & munera Reipublicæ pluris habentur, quo digniores Primates, ac illustriores, & clariores Principes ea exercent; sane fabrile officium in Republica

Christiana omnium honorificentius censeri oportebit, cum illud æterni Patris filius assumens, per plures annos exercuerit; licet enim illud per se vile sit, & humile, postquam tamen Christus Dominus æternus Patris filius eo functus est, adeo illud extulisse opinor, vt nullum quantumcumque honorificum officium illi valeat comparari.

VII. Illvd tamen quispiam non immerito percontabitur, qua ratione, si Ioseph (vt supra vidimus) ex regia Dauidis prosapia originem ducebat, vilem, ac humilem fabrilem artem exercebat? Respondeo, id esse manifestum mundi volubilitatis argumentum, vt ex fabro fiat Rex, & ex Rege faber. De Dionysio Rege Siciliæ potentissimo, quem terra & mare pertimescebat, narrat Valerius Maximus adeo ab ea imperiali dignitate cecidisse, vt magister puerorum factus, eos docens, victum quæreret Corinthiis; contra vero D. Antonin. 1. p. historiali, & Plvtarchvs in suis Apophthegmatibus refert, Agathoclem, figuli cuiusdam filium, regnum Siciliæ adeptum fuisse, & immane bellum aduersus Carthaginenses gessisse. ecce impletum, quod David cecinit: *hunc humiliat, & hunc exaltat*. vnde Salomon dixit: *quod de carcere catenisque interdum quis ingrediatur ad regnum, & alius natus in regno inopia consumatur*: vt contigit Iosepho, qui ex carcere Potiphar, in quem infeliciter fuerat detrusus, eductus fuit, vt Ægypti Prorex esset: ad quod alludens Sapiens dixit: *In vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni*: econtra vero Sedechias, qui filius Regis erat, & tanquam Rex vndecim annis in Ierusalem regnarat, postea captiuus ductus est in Babyloniam, vbi ambo oculi ei fuerunt eruti. Ecce Reges duos, quorum primus ex captiuo Rex, alter ex Rege captiuus prodiit: si ergo tanta in eadem persona status deformitas, ac conditionis inæqualitas accidit, nihil mirandum est, si ex eadem familia alter Rex, & alter faber prodeat.

Val. Max. lib.6. — *Psal. 74.* — *Eccles. 4.* — *Gen. 39.* — *Sap. 10.* — *Ierem. 52.*

VIII. Ad hæc vt humanæ conditionis cunctarũque rerum huius seculi summa instabilitas, ac mobilitas clarius nobis innotesceret, D. Pavlvs absque vlla exceptione dixit: *Mutationi subiecta est omnis creatura*: & merito quidem, nam siue elementa, siue animantia rationis expertia, siue homines, siue cœlos, siue astra, siue Angelicos spiritus perpendamus, omnia illa mutationi obnoxia esse facile cõperiemus; terra non semel tremit; mare frequenter variis procellis conturbatur; aer ventorum flatibus sæpissime inficitur; animantia hodie oriuntur, & cras intereunt; homines arbitrii libertate præditi, instar folii, quod à vento rapitur, mobiles se experiuntur, cæli moueri nunquam desinunt; sol & luna, omnium pulcherrima astra Eclypsis mutationem certis temporibus patiuntur, stellarũ quasdam constat erraticas esse, alias vero, quas fixas vocant ad motum cœli moueri, Astrologia docet; ac tandem spiritus Angelici, qui omnium firmiores & stabiliores esse videbantur, mutationi adeo se subiecisse agnoscimus, vt multi eorum ex pulcherrimis Angelis facti fuerint fœdissimi, ac teterrimi Dæmones.

Rom. 8.

IX. Qvod si ad vicissitudinem regnorum, ac miram eorum instabilitatem oculorum aciem conuerterimus, nonne videbimus Assyrios per mille & quingentos annos regnantes à Medis facile expugnatos, deinde Medos à Persis deuictos, ac postmodum Persas, vt saltem in aqua euanuisse? certe nullum Regnum Israelitico stabilius, nulla Imperii Israelitici prosperitas diuturnior ac firmior esse videbatur, cum Deus ipse illius gentis specialem curam gereret, & inter eos propriam domum ædificasset, illamque inhabitaret; & nihilo secius tamen mutationis immunis minime fuit. Abraham enim pauper peregrinus, & à propria domo exul factus, cum ad regalem curiam Regis Abimelech accederet, tot ac tam fortunatis successibus frui cœpit, vt quinq; Reges acerrime expugnans gloriosam de illis victoriam reportaret; hæc tamen felicitas nonnisi ad quosdam eius nepotes deuenit; nam cum genus eius vsque ad Iesse propagaretur, qui alio nomine Isai nuncupabatur, adeo illa maiorum suorum prosperitas diminuta est, vt filius eius David oues in agro custodiret, ipso id attestante: *de post fœtantes accepit eum*: fortunæ tamen rota (si ita fas est loqui) continuo se mouente, ad regiæ dignitatis culmen euectus fuit, & pastoris agrestem pileum, & humilem baculum in regiam coronã, ac splendidũ sceptrum commutauit. Sed postmodũ eadẽ rota in diuersa & aduersa se voluẽte, illa eadẽ prosperitas tantam sustinuit iacturam, vt ad abiectum fabrilem munus exercendum in Iosepho fabro lignario ex Dauidica stirpe originem trahente descenderet. Vnde facete quidam fabulati sunt, Iouem, quem decepta gentilitas tanquam Deum colebat, nihil aliud in cœlo factitare, quam varias in hunc mundum scalas mittere, vt hoc symbolo innuerent, nihil in eo frequentius exerceri, quam ascensum, & descensum, quibus rerũ humanarum conditio nunc incrementum, nunc decrementum suscipit.

Genes. 20.26. — *Psal. 77.*

X. Sed id obseruatione dignius est, quod ipsum humanæ gloriæ incrementum quoddam decrementum est ac ascensus ipse descensus quidam esse noscitur, vt egregie adnotauit Psalmographvs, dicens: *Deiecisti eos, dum alleuarentur*, non dixit: *deiecisti eos, postquam alleuati sunt*, sed, *dum alleuarentur*: quia permulti, cum primum dignitatis fastigium ascendunt, continuo descendere, & instar lunę plenæ decrescere incipiũt, adeo vt exaltatio ipsa ruina quædam sit, quia dum gloria falsa subnixi sunt, à gloria vera euacuantur. Ad idem etiam alludunt verba eiusdem Davidis, dum ait: *Deficientes quemadmodum fumus deficient*: sicut enim fumus ascendendo deficit, ac sese dilatando penitus euanescit; ita felicitas conditionis humanæ quo altius extollitur, infelicius decidit. quod sane probe agnoscens D. Gregorivs, dixit: *Carnalis gloria, dum*

Psal. 72. — *Psal. 36.* — *D. Greg. l.*

moral. *nitet, cadit; dum apud se extollitur, repentino interce-*
pta fine terminatur: & postmodum subiecit; *ad nubi-*
la fumus attollitur, sed repente in nihilum tumescendo
dissipatur. Consueuere Iurisperiti duplicia bona
distinguere; quædam bona mobilia, alia bona im-
mobilia, seu radicis appellant; at si rem altius quam
illi perpendamus, profecto in mundo nullum radi-
cis bonum adest; omnia sunt mobilia, vt recte ce-
Hidelb. E- cinit HIDELBERTVS Episcopus, id referente D. AN-
isc. apud TONINO:
D. Anton. *Hei mihi! nulla fides, nulla est constantia rebus:*
p. hist. tit. *Res ipsa quid sint, mobilitate docent.*
6. c. 9. *Cuncta sub ancipiti pendent mortalia casu,*
Et spondent propria mobilitate fugam.
Rom. 8. recte ergo D. PAVLVS dixit: *mutationi subiecta est*
omnis creatura.

XI. TANDEM illud in hac humanæ conditionis
inconstantia & mobilitate silentio minime præter-
ibo, quod frequentior est motus à felicitate in
infelicitatem, quam econtra; nam mundus (iuxta
Ioan. 2. Architriclini sententiam) *primum bonum vinum po-*
nit, & cum inebriati fuerint, tunc quod deterius est: si
enim ille quidpiam boni vini habet, id initio con-
uiuij propinat, vt miseros inebriet conuiuas, in fi-
nem amarissimas reseruans fęces. Epulabatur quo-
Luc. 16. tidie splendide diues ille, cuius LVCAS meminit;
initio conuiuij propinauit illi mundus suauissi-
mum vinum, in fine vero acerbissima tormenta, fi-
timque amarissimam reseruauit: vnde illud Abra-
Luc. 16. hami responsum: *Recordare, quia recepisti bona in vi-*
ta tua, nũc autem cruciaris: Recepisti bona in vita tua,
hoc est, *omnis homo primum bonum vinum ponit:*
Ioan. 2. *nunc autem cruciaris,* hoc est, *& cũ inebriati fuerint,*
tunc id, quod deterius est. Vide quam bonum vinum
primum Assuerus Rex posuerit Aman: *Rex exalta-*
Esth 3. *uit Aman,* &c. *& posuit solium eius super omnes Prin-*
cipes, quos habebat, cunctique serui Regis, qui in foribus
palatii versabantur, flectebant genua, & adorabant
Aman, &c. ecce vinum suauissimum in principio e-
pul; finem expecta: *Suspensus est Aman in patibulo,*
Esth. 7. *quod parauerat Mardochæo:* quasnam fæces amario-
res patibulo potuisset miserrimus Aman post vinũ
suauissimum bibere? Lætissima sunt flumina amœ-
nissimis vndiq; ripis pratisque circumdata, sed vt
ECCLESIASTES ait: *Omnia intrant in mare:* quemad-
Eccles. 1. modum fluminum lætissimorum finis amarissi-
mum mare est; ita lætissimi vini, quod mundus
Prouer. 23. propinat, finis amarissimæ sunt fæces. *Ne intuearis*
vinum, ait sapientissimus SALOMON, *quando flaue-*
scit, cum splenduerit in vitro color eius: ingreditur blan-
de; sed in nouissimo mordebit vt coluber; & sicut regulus
(id est, basiliscus) *venena diffundet,* hoc est: Caue ti-
bi à mundi vino, inani scilicet eius gloria, quæ splē-
det, ac flauescit, sed vase vitreo continetur; vita nē-
pe, quæ vitri instar facile frangitur; ne manum por-
rigas huic vino; blande enim ingreditur, & suaue
Ibid. est gutturi; at finem attende: *In nouissimo mordebit*
vt coluber, & sicut basiliscus venenum toto animo cor-
poreq; diffundet: ita initio dulcis illa est, ac suauis; in
fine vero coluber, & basiliscus. Tu ne respice initij
dulcedinem; aspice, si sapis, finis amaritudinem,
& inanis gloriæ, ac fallacis huius sæculi pompæ
splendorem despice, ne amaro, instar absynthij, e-
ius fine te in hoc, & in futuro sæculo excruciari
contingat, claraq; Dei visione priuari: cui sit ho-
nor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA V.

Sacerrimi matrimonii inter D. Mariam, & Iose-
phum pulchræ figuræ, variaque encomia, quæ il-
lud longo sanctitatis interuallo reliqua omnia
matrimonia superasse apertissime indicant, in il-
la verba: Cum esset desponsata mater Iesu
Maria Ioseph.

I. SACROSANCTI matrimonij inter
B. Virginem, & Iosephum tro-
pos ac figuras diligenter inue-
stigans, quatuor præcipuas di-
uina eloquia nobis indicare re-
perio: quarum primo loco refe-
ro Arcam illam fœderis, super quam duo Cheru- *Exod. 37.*
bim sedebant, & à quibus propitiatorium susten-
tabatur, & vnde responsa dabantur, propitiusque
dicebatur esse Deus; alterius autem illorum Che-
rubin effigies erat masculi, alterius vero fęminæ, vt
ARIAS MONTANVS in suo apparatu obseruauit.
Cherubini isti inter se coniunctissimi Mariam &
Iosephum matrimonij vinculo coniunctos signifi-
cant, per quos Deus, qui aderat in Arca sacræ hu-
manitatis Christi Domini (sic enim illam vocat *Psal. 131.*
DAVID: *Exurge Domine in requiem tuam, tu, & Ar-*
ca sanctificationis tuæ) misericordem, ac propitium
se exhibet votis, ac precibus nostris: & sicut à Che-
rubinis illis Arca tenebatur, sic à sacris his coniu-
gibus Iesus in infantia eorum vlnis sustinebatur, &
sustentabatur: & sicut illi à Propitiatorio nunquam
se auertentes mutuo se respiciebant, sic Maria, &
Ioseph, non solum per peccatum aliquod actuale à
Deo vnquam se auertentes, sed per multos annos
Christum, *qui est propitiatio nostra,* concomitantes,
mutuo amore se respexerunt; vt non immerito di- *1. Ioan. 2*
cere potuisset beata Virgo, & Ioseph pariter: *Ego di-*
lecto meo, & ad me conuersio eius.

II. ADVMBRAT etiā eiusdē sacri matrimonij mi-
ram castitatem connubium illud inter Sunamitem
& Dauidem; nam sicut Dauid non ad libidinem,
nec ad prolis generationem accepit in vxorem Su-
namitē; vnde sacer textus ait: *& Rex non cognouit* *3. Reg. 1.*
eam: sic Ioseph non ex concupiscentia, nec
sobolis procreandæ amore, & desiderio ductus, cũ
beata Virgine nupsit; vnde alter Euangelista eadem
verba, quæ de Dauide dicta sunt, refert de Ioseph,
dicens: *Ioseph autem non cognouit eam:* & sicut *Matth. 1.*

illud matrimonium fuit inter Dauidem & Sunamitem, vt illa Regem præ nimia frigiditate algentem iuuenili suo calore foueret, atque calefaceret, sic D.Hieron. super 1. Matth. Ioseph datus est in sponsum Mariæ (vt HIERONYMVS adnotauit) vt eius bonum nomen & famam foueret, non vt filios ex ea procrearet. Ac tandem Deut. 25. olim hanc Deus condidit legem: quod si vir quispiam sine liberis obiisset, defuncti frater acciperet vxorem eius, vt suscitaret semen fratris sui; vnde (vt D. DAMASCENVS adnotauit) partus, qui nascebatur, licet secundum naturam filius esset naturalis secundi, erat tamen filius legalis primi, qui iam obierat, lege ipsa sic illud disponente, quemadmodum contigit S. Ioseph, qui naturalis erat filius Iacob: legalis vero Heli: cum ergo ipse sponsus esset, & vir Mariæ Virginis, & propter votum perpetuæ D.Th. 3 p. q.28. ar.3. ad5.& ar. 4.ad3. virginitatis ab eo emissum (vt D. THOMAS docuit) mortuus esset mundo absque liberis, ad eũ modum; quo religiosi per votum solemne moriuntur mundo, morte quadam ciuili, & legali, iuxta Coloss. 1. illud D. PAVLI: *Mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi*: de qua morte intelligit Diuus CYRILLVS D. Cyrill. lib.16. de orat. verba illa: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius*: valdeque literæ consentaneam eam expositionem Psal. 115. iudico: nam verba immediate præcedentia erãt illa: *Vota mea Domino reddam coram omni populo eius*: cum ergo continuo subiungit: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius*: non obscure indicat, se loqui de morte spirituali, & ciuili, quæ votum inducit, quæ in conspectu Dei preciosissima est. Erat ergo noster Ioseph per votum perpetuæ virginitatis mortuus mundo, pretiosaq; hac sanctorum morte obierat absque liberis, ob quod sane meruit, vt Deus vicem fratris supplens, acciperet in sponsam Mariam quasi defuncti fratris vxorem, generaretq; ex ea filium, cuius solus ipse Deus naturalis, Ioseph vero legalis pater esset, vt his verbis ad hoc mysterium alludens, eleganter dixit D. AVGVSTINVS: *Gaude Ioseph, quia per meritum Virginitatis ita separatus es ab vxoris concubitu, vt pater dicaris Saluatoris*. atque ad hanc historiam Ierem. 29. respiciens IEREMIAS, in persona Dei dixit: *Ecce dies veniunt, & suscitabo Dauid germen iustum*: sicut enim frater, qui vxorem defuncti ducebat, semen fratris sui suscitabat, ita Deus fratris vicem supplens, mortuo sponso Virginis per votum virginitatis absque prole, Deus suscitat ex eius sponsa sobolem, DAVID; & ideo ait: *Suscitabo Dauid germen iustum*: Atque hæc est prima huius sacri matrimonij excellentia, quod non homo, sed Deus, non Ioseph, sed Spiritus Sanctus illud consummauerit, Matth. 1. vt expresse testantur verba MATTHÆI: *Inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto*: neq; obscure commonstrant verba eiusdem Virginis, Eccl. 24. dicentis: *Quasi palma exaltata sum in Cades*: alia enim versio legit: *Quasi palma maritata sum in Cades*. Arbor hęc, quę omnib⁹ procerior, ac inflexibilis est, constantiæ & victoriæ symbolum semper exstitit, hac singulari proprietate prædita esse noscitur (vt vnanimi consensu rerum naturalium scriptores attestantur) vt quædam illarum sit masculus, alia fœmina; vnde hæc absque alterius præsentia nullum fructum fert, ad quem quidem producendum non opus habent se propriis radicibus aut ramis contingere, sed sufficit sibi inuicem præsentes esse. hoc naturæ portentosum miraculum ad amussim nobis ob oculos ponit sacratissimum hoc connubium Mariæ & Iosephi, vterq; coniux palma est, illa enim ait: *Ego quasi palma exaltata sum*: Ioseph Ibid. etiam, cum, teste Euangelista, esset iustus palma quoq; erat, Spiritu S. dicente: *Iustus vt palma florebit*: Psal. 91. & quidem, cum Maria (vt CATHOLICA ECCLESIA canit) *sine tactu pudoris inuenta sit mater Saluatoris*, recte per palmam adumbratur, quia, sicut illa sine præsentia alterius palmæ, absque contactu tamẽ eius profert fructũ suum, ita & Maria desponsata Iosepho, absque tactu eius, virtute Spiritus Sancti concepit, & peperit benedictum fructũ ventris sui. Canat ergo Maria, & canora voce intonet: *Quasi palma maritata sum in Cades*: Cades enim *sanctitas* interpretatur, secundum HIERONYMVM de nominibus Hebraicis, quo non obscure indicatur, nihil in hoc sacrosancto matrimonio extitisse, quod sanctimoniam non redoleret, longeq; ab illo fuisse omnem terreni affectus labem; sanctum enim idem est, quod sine terra.

III. SECVNDAM eius excellentiam ex verbis D. PAVLI in hunc modum deprehendo; ille enim ad CORINTHIOS scribens ait: *Volo autem vos sine solicitudine esse*: 1. Cor. 7. ex hortatur ibi eos ad continentiam seruandam, vt hac ratione à solicitudinibus & curis huius sæculi liberiores essent, vnde statim subiungit: *Qui cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est*: Ibid. hoc discrimen olim intererat inter sacrificiũ & holocaustũ, quod illud diuidebatur, partim enim pertinebat ad sacerdotẽ, partim ad Deum; at holocaustũ non diuidebatur, sed totum cõbustum in honorem solius Dei cedebat. Status cœlibatus & virginitatis holocaustũ quidem est absq; diuisione sui totus ac integer Deo sacratur; status vero matrimonij sacrificium est, diuisionem sustinens; maritus enim partim incumbere debet filiorum educationi, partim attendere vxori, partim familiæ, rerumq; temporaliũ solicitam curam gerere, ac proinde *diuisus est*, vt ait PAVLVS. hoc ergo mirum in modum commendat Ibid. excellentiam sacri huius Iosephini coniugij, quod dum Ioseph vxori placet, & eam diligit, dum solicitam prolis illius curam gerit, dum familiæ suæ incumbit, ac victus illius curam gerit, non solum à Deo nec minimam aliquam diuisionem sustinet, sed strictiori vinculo magis ac magis illi coniungitur. Vnde si D. PAVLVS ea propter laudat mirifice continentis statum, quia nullum orationi & confabulationi cum Deo impedimentum affert: *& quod facultatem prabeat sine impedimento Dominum obsecrandi*: 1. Cor. 7. eiusdem proculdubio laudis dignum est hoc Iosephi matrimonium, cum, cũ non solũ orationi

ftacula non apponat, sed calcaria potius addat. Nã
dum Ioseph cum vxore & filio eius confabulatur,
quid aliud quæso præstat, aut agit, quam orationi
vacat? cum ille vere dicatur orare, qui debite cum
Iesu & Maria loquitur. Ex quo apertissime constat,
consortium vxoris (quod aliis ad perfectionis cul-
men attingendum obesse solet) Iosephum ad
perfectionis fastigium euexisse: nam (vt ait D. BER-
NARDINVS sermone de S. Ioseph) *Si nos miseri ex co-*
habitatione sanctorum virorum, qui respectu Virginis
nihil sunt, sæpe tamen proficimus, quantum existiman-
dum est, Iosephũ cum sacra Virgine profecisse? quod si
D. BERNARDVS sermone primo de Assumptione,
virtutem loquelæ Virginis exaltans, dixit: *Cuius*
salutationis vox, & ipsos exultare facit in gaudio, quos
materna adhuc viscera claudunt, quod si paruuli nec
Luc. 1. *dum nati anima lique facta est, vt Maria locuta est,*
quid putamus, quanam illa fuerit cœlestium exultatio,
cum & vocem audire, & videre faciem, & beata eius
frui præsentia meruerunt? non secus non potuit ani-
ma Iosephi non plerumque deuotione liquefieri,
dum cum Maria loquebatur; non potuit non miri-
fice perfici, & illustrari, cum vocem eius audiuit,
faciem vidit, & beata eius non solum præsentia, sed
& coniugali familiaritate & amicitia frui meruit.

IV. HINC iam tertiam huius matrimonij excel-
lentiam deducamus; quia cum bona, quæ durante
matrimonio coniuges lucrantur, sint vtriusq; cõ-
munia, quæ in Iure *bona matrimonialia* dici solẽt,
non potuit Ioseph ratione huius matrimonij ditis-
simus omnium non esse, cum in acquirendis bonis
spiritualibus nulla vnquam pura creatura felicio-
rem negotiationem nacta fuerit, quam beatissima
Prouer. 31. Virgo eius coniux, Spiritu Sancto dicente: *Multæ*
filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuer-
sas. Vnde D. BERNADINVS serm. de laudib. Ioseph
dixit: *Cũ omnia, quæ sunt vxoris, sint viri, credo, quod*
beatissima Virgo totum thesaurum cordis sui, quem Io-
seph recipere poterat, ei liberalissima exhibebat. Acce-
dit ad hæc: si amor & amicitia communia reddit
bona, Latino prouerbio dicente: *Amicorum omnia*
communia: cum B. Virgo inter puras creaturas nul-
lam maiore dilectione prosequeretur quam spon-
sum suum, consequens est, nihil non ei cõmunicas-
se eorum, quæ quoquo modo communicare lice-
bat. Fuisse autem Mariæ amorem ardentissimum
erga Ioseph, ex eo aperte constat, quod non igno-
rabat id, quod postea docuit PAVLVS, amorem inter
Ephes. 5. coniuges debere esse instar amoris Christi erga Ec-
clesiam; vt sicut Christus nihil carius habeat, quam
Ecclesiam, ita nihil carius sit viro, quam vxor, nec
vxori, quam vir: cum ergo Maria, vtpote quæ per-
fectissima omnium coniux fuit, hoc perfectissime
obseruauerit; consequens est, plus quam Martyres,
Confessores, Virgines, Patriarchas, Prophetas, A-
postolos, ac cœlestes Angelorum hierarchias Iose-
phum sponsum suum dilexisse, adeo vt non solum
vnitate vinculi connubialis, sed & ardentissimi a-
moris vnione vnus spiritus, vnum cor, & vna ani-
ma esset cũ eo; sicut enim carnalis copula efficit, vt
coniuges sint duo in carne vna, ita & vinculum
matrimonij & mutuus amor efficit, vt sint duo in
spiritu vno.

V. HINC velim, vt discant coniuges, mutuo se a-
more prosequi, hæc enim est voluntas Dei, recipro-
cus coniugum amor. Vnde inter alias rationes, ob
quas voluit Deus educere Euam ex latere Adæ, ea
potissima fuit, vt Adam tanquam partem sui ipsius
vxorem diligeret, numquamq; illam odio haberet;
vt enim ait Apostolus: *Nemo carnem suam odio ha-* Ephes. 5.
buit: Eua autem caro erat de carne Adæ, ipso id at-
testante, cũ dixit: *Hoc nunc os de ossibus meis & caro de* Genes. 2.
carne mea. Pręcipiebat olim Deus, quod si cõtinge-
ret ob æs alienum, cum non esset soluendo maritus
in carcerem detrusus, vxor eius venundaretur; sup-
ponens sane ardentem adeo debere esse amorem
vxoris erga maritum, vt non dubitaret propriæ ser-
uitutis precio eius libertatem redimere. Eundem
amorem supponunt Iurisconsulti, dum toto titulo
de donat. inter virum & vxorem mutuas donatio-
nes inter ipsos prohibent, eamque rationem adhi-
bent, ne mutuo amore se expolient, & TIRAQVEL- Tiraquell.
LVS *in legem septimam connubialem* refert ex CICE-
RONE lib. 5. Tusc. quæstionum, & ex SOCINO rerum
memorabilium, cap. 65. necnon ex ELIANO de va-
ria historia, lib. 7. inter Indos adeo vigere amorem
vxorum erga maritos, vt si quis duas vxores habens
obiret, continuo illæ iudicem adibant, varias pro-
bationes adhibentes, quibus vnaquæq; mõstrare
conteudebat, se ardentius, quam alteram, maritum
dilexisse, & quæ litem vincebat, hoc sibi præmium
lege statutum erat, vt pariter cum marito sepelire-
tur; genus autem sepulturæ erat combustio. Ad
hunc amorem significandum consueuit apud om-
nes ferenationes, virũ vxori annulum porrigere,
quod licet multa ac varia portendat, nam (si PLI-
NIO credimus lib. 33. historiæ naturalis, dicenti an-
nuli vsum originem ducere ex ferreo quodam an-
nulo, quo quidam, velut compedibus alligatus e-
rat) exhibitio annuli clausuram obseruandam ab
vxore significat, quod si aliunde annuli conditio-
nem perpendamus, qui iustus & æqualis digito
sa postulat esse, ne alioquin ab eo facile decidat, id
ne non obscure indicat matrimonium debere esse
inter æquales; nam si inter dispares, facile soluitur
amoris vinculum. Cum etiam annulis olim ad ob-
signandas epistolas antiqui vterentur, vt referunt Blond q de
BLONDVS & MACROBIVS, probantque satis episto- Roma tri-
læ, quas regio annulo consignatas scripsere Ieza- umph.
bel, & Aman, vt sacra eloquia commemorant, & Macrob. 7.
patet etiam *ex l. ornamenta, ff. de argento & auro le-* natural.
gato, certe ad hoc attendentes, dixerunt, annulum 3. Reg. 21.
à marito vxori dari, vt fidelitatem ab ea seruandam Esth. 3.
commendaret; nam sigillum fidelitatis symbolum
est, cum adhibeatur, ne res falsitati subsit. Verum
nostro proposito accommodatius annuli exhibitio
cordialem amorẽ vxoris ad maritum aperte signi-
ficat; maritus enim ad id denotandum locat illum

in eo

in eo digito, ex quo venulæ quędam ad cordis medullam ducuntur, vt Nothomici tradunt, *& habetur cap. fœmina, 30. q. 3.* Sed quod super omnia manifestius vnitatem amoris inter vxores mihi ob oculos proponit, illud sane est, quod apud Iobvm obseruaui; attente enim perlustrans, quare, cum *Iob. 1.* Deus liberam facultatem impertiretur Diabolo, vt Iobvm, & omnia quæ ad illum pertinerent, posset affligere, conterere, ac penitus destruere, excepta tamen duntaxat vita ipsius Iobi, licet pecora interemisset, & filios occidisset, vxori tamē eius vitam non ademit; eam huius facti rationē arbitratus sum, quod cum vxor & maritus sint duo in carne vna, & velut vita vna in corpore duplici, eo ipso, quod Deus excepit vitam Iobi, intelligebatur etiam excepta vita vxoris: quod satis perspicue ostendit, quam magna vnitas inter coniuges, quāq; longe animorum diuisio ab eis abesse debeat, vt nō obscure etiam indicauit Christus Dominus; nam *Matth. 10.* licet alioquin diceret: *Veni separare hominem aduersus patrem suum, & filium aduersus matrem suam; & nurum aduersus socrum suam*: minime tamen adiecit, se venisse ad separandum vxorem à marito, innuens, in hoc amorem istorum inter se sibi placere, illorum vero sæpe sæpius odiū sibi displicere. Hinc *Coloss. 3.* est, D. Pavlvm nō semel monuisse viros, vt vxores suas diligant, præcipue tamen ad Coloss. ait: *Viri, diligite vxores vestras, & nolite esse amari ad illas*: in quibus verbis non solum postulat Apostolus internum cordis amorem, dum ait: *diligite vxores vestras*: sed, vt externis operibus illum exhibeant, omnem displicentiam, & amaritudinem vxoris deuitantes: *Nolite esse amari ad illas.* Doctrinam hanc, tanquam naturali lumine notam, non ignorantes *Plutarch. lib. de prac. connub.* veteres illi Ethnici (vt referunt Plvtarchvs, & Evsebivs) non permittebant Iunoni (quam nu- *Euseb. lib. 3. de prap. Euang c. 1.* ptiarum Deam appellabant) animal vllum absque ablato felle ei immolari, vt hoc symbolo significarent, amaritudinem inter coniuges longe ab eis esse relegandam.

VI. Qvartam huius matrimonij excellentiam cōtemplor in eo, quod ad in effabile Incarnationis mysterium celebrandum, vnicum nostræ reparationis remedium, mirum in modum deseruierit: sicut enim singulæ tres diuinæ personæ, præter communem concursum sibi indiuisum, speciali ratione Incarnationis opus respexerunt; Pater enim misit Filium; Filius assumpsit naturam humanam, Spiritus Sanctus formauit eam in vtero Virginis; non dissimiliter in hoc fœcundo matrimonio adest sublimis quædam Trinitas; sic enim loquitur *Canc. Par. de nat. B. Virg.* Cancellarius Parisiensis: *Cuperem, vt mihi verba suppeterent, ad explicandam tam venerandam admirandamq; Trinitatem, Iesus, Maria, & Ioseph*: Iesvs filius Dei incarnatur, Maria Deum incarnatum concipit: Ioseph vero eius sponsus illum celat, & vsque ad præfinitum tempus sacratissimum hoc ar- *Exod. 26.* canum tegit. Quemadmodum enim olim ante sancta sanctorū (vt legimus lib Exodi) iussit Deus apponi velum ex iacyntho, purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorto, opere plumarii, & pulchra varietate contexto, ita ante profundissimum illud Incarnationis mysterium, quod merito *sanctum sanctorum* vocamus, sacrum hoc matrimoniū quasi velum ex omnium virtutum varietate Spiritus Sancti opere contextum voluit collocari: itaque hæc Trinitas personarum nostram redemptionem operata est; Iesus, vt auctor salutis; Maria, vt Mediatrix; Ioseph, vt coadiutor; vnde sicut, cum bellum initur, victoria non solum tribuitur militibus, qui cum hostibus congressi sunt, sed etiam excubiis, & exploratoribus, qui per abscondita itinera clam milites ac arma introduxere, ita licet redemptio generis humani, & victoria communis hostis illius, soli Christo, tanquam principali causæ debeat adscribi, quia solus in Caluariæ palæstra cum hoste congressus est: *Torcular calcaui solus*: Mariæ etiam *Isa. 63.* eatenus debet attribui, quatenus contulit Christo carnem & sanguinem, pretium nostræ redemptionis ei subministrans; Iosepho etiam eius sponso suo modo partim debet dari, quia fortissimum ipsum Ducem, Diaboli debellatorem, dum infans erat, & puer, abscondit, & clam educauit, & enutriuit, vt sic grandior effectus debito tempore fortem illum armatum, Principem tenebrarum, à suo loco deturbaret, & humanum genus à tyrannica eius seruitute liberaret; hinc, licet Isaias de mysterio Incarna- *Isa. 40.* tionis loquens, dixerit: *Quis adiuuit Spiritum Domini?* ausim dicere, Iosephum, celando Christum Dominum, nutriendo, & educando, coadiutorem Dei extitisse in reparatione generis humani per mysterium Incarnationis, vnicum nostræ salutis remedium, celebranda. Est etiam in hac Trinitate Iesus, Mariæ, & Iosephi obseruandum, quod quemadmodum de SS. Triade Ioannes ait in sua pri- *1. Ioan. 5.* ma canon. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnū sunt*: ita tres in terra immensæ Dei bonitatis testes sunt, omni exceptione maiores, Iesus, Maria, & Ioseph, qui vinculo charitatis vnum etiam sunt, vnū cor, & anima vna; & quemadmodum in illa cœlesti Trinitate, quarta non agnoscitur persona eis consubstantialis, ita nec in hac vlla admittitur eis æqualis.

VII. His adiungo quintam excellentiam huius sacri connubij, quod nullum vnquam extitit, ex quo maiora obsequia Christo, & Virgini, humano generi potiora beneficia profluxerint, quam ex isto; propter illud enim genealogiæ Christi & Virginis series nobis innotescit; propter illud B. Virgo grauida ab Hebræorum lapidatione liberatur, propter illud Iosephus solicitam curam gessit ducendi matrem & filium in Ægyptum, vt Christus ab immatura & crudeli impij Herodis occisione eriperetur; propter illud fabrilis artis exercitio, & Iosephi sudore vultus sacra illa familia alebatur; propter illud Diabolus fuit deceptus & illusus; propter illud virginitas Mariæ magis fuit confirmata, & stabilita;

bilita; ac tandem propter illud illustrissimum exemplum imitandum castis coniugibus reliquit, vt coniugalem vitam ducentes, Angelicæ castitatis splendore fulgeant, vt his verbis testatus est Parisiensis Cancellarius serm. de natiuitate Mariæ: *Cur pura perfectaq; Ioseph pudicitia non prædicetur, qui virgo Virginem adiit, atq; seruauit, quiq; primus ex masculis in coniugii consortio coluit, & coli post se docuit sanctum & integrum cœlibatum.*

VIII. EORVM coniugum, qui Mariam, & Iosephum, quorum meliora charismata æmulantes, in Christi Ecclesia imitati sunt, non paucos Ecclesiasticæ historiæ produnt, & commemorant. In quorum numerum refero Henricum Imperatorem, eius nominis II. qui & *Claudus* appellatur, eiusque coniux Chunegundis Augusta, iuuenes licet, & Principes, cum genere, tum virtute illustrissimi; quare cum idem Henricus morti se proximum cerneret, Chunegundem vxorem, & propinquos eius acciuit, eosq; intuens: *O recipite* (inquit) *quam mihi tradidistis virginem vestram.* Præterea suũ in coniugio cœlibatum pure conseruarunt Valerianus & Cæcilia, insigne par Romanę nobilitatis. Iulianus itidem Antiochenus, & Basilissa non modò religionis, sed & martyrii gloria percelebres. Eandem virginitatis laudem Eduardus Britannorum Rex, & vxor eius Editha non obscuræ sanctitatis coniuges mirifice coluerunt. Tum pręter Amonem Ægyptium, Eduardus III. Anglorum Rex, sicut & Vãdesillus Comes Palatinus, qui sub Dagoberto Rege floruit: ac demum Emericus Pannonius, Stephani Regis filius, non immerito inde laudantur, quod illis tam chara ob Christi amorem continentia fuerit, vt Veneris nescij habuerint quidem, sed nõ attigerint vnquam vxores, vtpote cum quibus, veluti sororibus, pudicitiæ integritatem (ô Eunuchos Euangelicos) intemerate seruarunt. His adiungi meretur Alphonsus Aragoniæ Rex, CASTI cognomine honoratus, coniux & ipse nobilis, atque fidus vxori, sed qui ad se pertinere putauit Apostolicum dictum: *Bonum est homini mulierem non tangere, & qui habent vxorem, tanquam non habentes sint.* Neque dissimilis Theophanes fuit, qui cum ad sponsam nocte nuptiarum ingressus esset, & animi puritatem omni corporeæ voluptati anteponeret, tam pium ac efficacem in thalamo vel doctorem & collocutorem se præbuit, vt sponsam continentiæ suæ sociam & fecerit, & retinuerit semper. Eadem integritas in Eghardo, & sanctissimæ Viduæ Brigittæ filia Catharina splẽduit, cõiugium illis tam sancte ineuntibus, vt perpetuam pudicitiam Christo pie oblatam, iuramento confirmarint, ac seorsum tota vita cubarint. quid porro sanctus & illustris Galliæ Comes Elzearius? qui sub Carolo II. Ierusalem, Siciliæque Rege clarus est habitus, & cui æque nobilis ac pia Dalphina virgo sponsæ loco contigit in vrbe Massiliensi? Non sat illis visum est, virginitatis virtutem in aliis suspicere, sed & ipsi admirando con-

Henrici II. Imp. & Chunegundis Augustæ in coniugio cœlibatus.

1. Cor. 7.

silio ducti, quoniam casti ad coniugium accesserant, suæ virginitatis florem nulli, præterquam Iesu Nazaræno offerre, consecrare, seruareq; voluerunt: itaque sacram ædem adiêre, suas Deo preces effudêre, & post sanctissimum Christi corpus reuerenter acceptum flexis genibus, iunctis manibus, erectisq; ad cœlum animis, virginitatem suam Deo deuouerunt. Eiusdem generis plures alios silentio prætermitto, quos tradunt D. HIERONYMVS, AVGVSTINVS, PAVLINVS, atque PALLADIVS, quorum castissima matrimonia, ac thori immaculati fructus fuerunt partus, ac legitimi filij Iosephi matrimonij cum Maria.

D. Hieron. epist. 45. ad Armin. D. Aug. in epist. ad Rustic. Paulin. in epist. 3. ad Appiũ. Pallad. in hist. Lausia.

IX. VNDE sextam huius matrimonii excellentiam elicio, quod in eo nõ solum virginitas splendeat, sed & fœcunditas liberorum variis modis effulgeat; cum & Christum pepererit, & quotquot matrimonij vinculo copulatos, sacros hos sponsos, Mariam & Iosephum imitantes, perpetuæ virginitatis custodes fuerunt. Atque hinc est, Patres miram huius matrimonij excellentiam contemplantes, præclara multa in eius laudem dixisse. AVGVSTINVS enim lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia ait: *Omne nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi: proles, fides, sacramentum. prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum; fidem, quia nullum adulterium; sacramentum, quia nullum diuortium:* prolem dicit Christum, quia, quamuis Iosephi filius non fuerit, tamen Virginis, quę coniux illius erat, legitimus filius fuit; ob quam rationem non solum à plebe, sed & ab ipsa Virgine filius Ioseph vocabatur, vt non obscure indicant verba illa: *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Ait deinde, in eo matrimonio inueniri fidem, quia Maria & Ioseph ad inuicem illam inuiolatam seruarunt, perpetuam virginitatem obseruantes. tandem addit: in hoc matrimonio inueniri *Sacramentum, quia nullum diuortium:* nam indiuisio & vnitas vinculi connubialis, quo Maria & Ioseph vere erant copulati, vnionem Christi cum Ecclesia significabat: quod ea propter meritò Augustinus Sacramentum vocauit, Apostolo dicente: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* RVPERTVS item super cap. 1. Matt. egregie dixit: *Coniugium cœleste, non terrenum, vnus spiritus, & vna fides erat in eis, sola illic carnis corruptio desinit,* &c. Congruit sane potiori iure huic matrimonio, quod de suorum parentum coniugio NAZIANZENVS oratione 19. dixit: *Sic existimo, si quis ab vltimis terrarum finibus, atque ex vniuerso hominum genere præstantissimum coniugium conciliare studuisset, nullum vnquam hoc præstantius aptiusq; reperiri potuisse.* hæc ille. quibus demum addo tria illa verba, quæ in officio S. Iosephi, iuxta pristinum Carmelitarum Breuiarium in Antiphona ad Magnificat habentur: *Felix matrimonium, fide sacrum, nec prole vacuum, sed flore retento vice Pater, Virgo parens cum honore virginali, pura sibi coniugali mutuo subseruiunt, & dulcem enutriunt pari voto filium, quorum mini-*

Luc. 2.

Eph. 5.

sterio latens in mysterio deceptionis inimicum, verum decus, & antiquum perfecit consilium: consilium, inquam sanctissimæ Trinitatis: cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA VI.

Commemorantur variæ causæ ex priscorum Patrum doctrina, & aliis à nobis excogitatis, ob quas decuit B. Virginem matrimonium contrahere, & Iosepho in coniugem dari.

I.  ROPOSITVM argumentum, vt solita nostra perspicuitate, cui valde semper consulimus, edisseramus, placuit omnes causas, ob quas beatam Virginem in matrimonium dari oportuit, ad quatuor præcipue capita reuocare: quædam enim tenent se ex parte Virginis, quædam ex parte Christi, aliæ ex parte nostra, nonnullæ etiam ex parte communis hostis generis humani. D. AMBROSIVS hanc reddit ex parte Virginis causam, vt honori eius consuleretur. Si enim cum nupta filium haberet, certe Hebræi Virginem stupratam esse non iudicarent; verba AMBROSII hæc sunt: *Desponsata fuit Virgo, ne temerata virginitatis adureretur infamia, cuius grauis aluus corruptelæ videretur insigne præferre. Sciebat Dominus, teneram esse Virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris; seruatur itaq; sanctæ Mariæ sicut pudore integra, ita inuiolabilis opinione virginitas; oportet enim sanctos ex aliis bonum testimonium habere, qui foris sunt. Nec decuit sinistra virginibus opinione viuentibus velamen excusationis relinqui, quod infamata Mater quoq; Domini videretur*: hęc Ambrosius; qui eodem lib inquit: *Maluit Dominus aliquos de suo ortu, quàm de matris pudore dubitare: sciebat enim teneram esse Virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris; nec putauit ortus sui fidem matris iniuriis astruendam.* Ferunt Historiographi, quod cum Alexander Magnus ad matrē suam Olympiam scribens, in epistolæ subscriptione hæc verba apposuisset: *Alexander, Dei Iouis filius*: illa eum increpauit, quod, vt se filium Iouis prædicaret, matrem suam adulteram faceret, grauiq; infamiæ nota illam afficeret. longe sane aliud fuit ingenium Christi Domini, quàm Alexandri, cum ille, vt se honestaret, matrem suam dehonestabat; Christus vero, ne Virginis matris suæ honor minima denigraretur infamia, maluit filium cuiusdam fabri reputari, quam bonam Virginis famam quidquam nocumenti recipere. D. HIERONYMVS super cap. 1. Matth. aliam ex parte Virginis scripsit rationem: *Ne tanquam adultera à Iudæis lapidaretur*: eandem tradit EVSEBIVS EMISSENIS his verbis: *Si virum non habuisset, & grauida videretur, nulla ei excusatio subuenire posset, vt quasi adultera non lapidaretur; quis enim ei crederet sine viro concepisse? quis enim ei crederet de Spiritu sancto eius vterum intumuisse? erat enim hoc inusitatum, & sine exemplo; melius ergo fuit, quod virgo ad tempus non Virgo putaretur, quam quod accusata lapidaretur; non enim violatur virginitas falsa opinione, occiditur autem innocens plerunque falsa accusatione. Poterat enim Dominus & aliter Matrem suam non solum ab iniusta damnatione, verum & à falsa opinione defendere, si vellet, qui semper in potestate habuit facere quidquid vellet: cur autem hoc magis voluerit, ipse scit; cum ergo sic ei placuit, placeat igitur & nobis.*

D. Ambr. initio lib. 2. in Luc.

Idem.

Eus. Emis. hō. in vig. nat. dom.

II. ILLVD tamen D. Hieronymi rationem impugnare videbatur, quod si Virgo desponsata non esset, non posset de adulterio condemnari: quomodo ergo verum est, quod si desponsata non esset, tanquam adultera lapidaretur? sed huic obiectioni cum Angelico Doctore respondeo, quod iudicio adulterarum lapidabatur secundum legem non solum illa, quæ iam erat desponsata vel nupta, sed etiam illa, quæ in domo patris custodiebatur vt Virgo, nuptura quandoque: vnde dicitur DEVT. *Si non est in puella inuenta virginitas, lapidib. obruāt eam viri Ciuitatis illius, & morietur, quia fecit nefas in Israel, vt fornicaretur in domo patris sui.* Vel potest dici secundum quosdam, quod B. Virgo erat de stirpe Aaron, vnde erat cognata Elisabeth, vt dicitur LVC. 1. Virgo autem de genere sacerdotali propter stuprum occidebatur; legitur enim LEVIT. 21. *Sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro, & violauerit nomen patris sui, flammis exuretur*: quidam referunt verbum Hieronymi ad lapidationem infamiæ. Diuus BERNARDVS aliam ingenio, & pietate eius dignam rationem adhibuit, vt scilicet Ioseph testis esset virginitatis Mariæ: Nemo enim in asserenda castitate tam dignus esse poterat fide, quam qui custos illius erat & maritus, qui maxime & scire debuit, & potuit, quemque credibilius erat naturali maritorum zelotypia impudicitiæ crimen, vbi non esset, suspicaturum, quam vbi esset, defensurum fuisse: vt enim dixit Diuus AMBROSIVS libro secundo in Lucam, capite primo: *Locupletior testis pudoris Mariæ adhibetur, qui posset & dolere iniuriam, & vindicare opprobrium, si non agnosceret sacramentum.* Sed nec egregia Diui BERNARDI verba ad idem silentio præterire possum: *Dicam quod mihi, immo quod ante me Patribus visum fuit; illa vtiq; fuit ratio desponsationis Mariæ, quæ & dubitationis Thomæ: sicut enim Thomas dubitando, & palpando constantissimus factus est dominicæ confessor Resurrectionis; ita & Ioseph Mariam sibi desponsando, eiusq; conuersationem tempore custodiæ studiosius comprobando, factus est pudicitiæ fidelissimus testis. Pulchra vtriusq; rei conuenientia Thomæ dubitatio, & desponsatio Mariæ: poterant quidem similem erroris laqueum nobis iniicere, fidei videlicet in illo, castitatis in illa, veritatem in suspicionem adducere; sed valde prudenter, & pie factum est per contrarium, vt vnde metuebatur suspicio, firma sit certitudo: nam & de filii resurrectione citius quidem ego (qui infirmus sum) crediderim Thomæ dubitanti & palpanti, quam Cœphæ audienti & credenti,*

D. Thom. 3. p. q. 29. art. 1. ad 4.

Deut. 22.

Luc. 2.

Ioan. 20.

credenti, & de matris continentia facilius sponso eius custodienti, & experienti, quam ipsi quoque Virgini de sola sua conscientia se defendenti.

Ephes.5. Matth.2. Ibid.

III. Deinde ex parte Christi simul & matris ea notissima occurrit ratio, vt Ioseph vtrique esset adiumento, atq; custodia, & sacræ illius familiæ in temporalibus administrator: vnde ad ipsum, tanquam caput (*vir enim caput est mulieris*, vt ait Apostolus) & non ad Mariam Deus mandata sua misit: *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum:* deinde, cum reuersurus esset ex Ægypto: *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: surge, & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israel.* Vt tamen hanc rationem illustremus, in memoriam oportebit reuocare verba illa Isaiæ: *Egredietur virga de Iesse, & flos de radice eius ascendet:* sane virga illa, Virgo Maria est (vt in Commentario illius loci obseruauit D. Hieronym.) ex qua instar floris Christus ascendit, qui de seipso dixit: *Ego flos campi, & lilium conuallium:* sicut autem nunquam flos ascendit virgâ foliis nudâ, prius enim virga foliis adumbratur & honestatur, quam flos ascendat, ita Maria prius viri vmbra & ornamento decorari debuit, quam Christus in ea nasceretur: vt sic & Virgini solaminis vmbram, & fructui illius instar folii à persecutionis grandine protectionem suam exhiberet.

Isaiæ 11. D. Hieron. sup. Isai. 11. Cant. 2.

D. Thom. 3.p.q.29. art.1.

IV. Est etiam alia omnium notissima ratio, cuius meminit Angelicus Doctor ex parte Christi, ne, si mater eius innupta fuisset, ipse tanquam spurius & illegitimus reputaretur, ex quo aliud poterat pullulare manifestum incommodum, vt Messias esse minime crederetur. Si enim leuiora quædam ei obiiciebant ad id negandum, quanto magis hoc ei opposuissent, cum certum esset Messiam non ex illicito concubitu fore nasciturum: vnde D. Ambros. dixit: *Quid Iudæis, quid Herodi posset adscribi, si natum viderentur ex adulterio persequuti?* Madesponsata ergo fuit Virgo, non solum vt Matris famæ, sed & filii honori pariter consuleretur.

D. Ambr. lib. 2. in Lucam.

V. His addo aliam rationem ex parte Christi, vt matrimonium, quod tanquam vnum ex septem Sacramentis Ecclesiæ Christus instituerat, ipse honoraret: id quod præstitit, efficiens, ne careret optimo atque excellentissimo omnium fructu, qualis erat ipse Iesus, mundi vita. Licet enim conceptus non fuerit ex vsu matrimonii, sed ex virtute Spiritus sancti, tamen quia ex Virgine coniugata Iosepho natus est, certe inter fructus illius castissimi coniugii merito computatur, ex quo matrimonium summum honorem suscepit: vnde D. Ambrosius dixit: *Mariam simul fuisse Virginem & nuptam, vt in eius persona virginitas simul, & matrimonium honoraretur.*

D. Ambr. Ibidem.

VI. Ex parte nostra multiplex occurrit ratio: prima, ne per virginitatis electionem nuptias damnare aut despicere videretur; & tolleretur excusatio Virginibus, quæ propter suam incautelam nō vitant infamiam. Secunda, vt non solum Virgines & viduæ, sed & nuptæ haberent Deiparam Mariam tanquam speculum & magisterium recte & sancte viuendi, ab eaq; discerent, quomodo se gerere debeant erga viros suos, tam fidelitate, quam obedientia, & aliis similibus. Tum, vt per virum ordo genealogiæ Virginis texeretur, vnde D. Ambrosius super Lucam ait: *Qui in sæculum venit, sæculi debuit more describi:* viri autem persona quæritur, quæ in senatu, & reliquis curiis Ciuitatum generis asserat dignitatem. Consuetudo etiam nos instruit scripturarum, quæ semper viri originem quærit. Tertia ratio sumitur ex Chrysostomo super Ioan. quoniam fideles sumus filii Ecclesiæ, quæ quidem sponsa est Christi, secundum illud testimoniū, quod dedit Ioannes de illo dicens: *Qui habet sponsam, spōsus est:* & Oseæ: *Sponsabo te mihi in fidē:* & Apocalyp. *Date gloriam Deo, quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se* (eadem, quę hic dicitur *vxor*, appellatur *sponsa*.) igitur, ne filii adoptiui, qui sumus nos, aliquid amplius, vel melius in nostra regeneratione, aut natiuitate haberemus, quam filius naturalis, si nos ex sponsata nasceremur, & ille non, ideo etiam (*vt per omnia similis fratribus esset*) ex matre desponsata nasci voluit, ad cuius similitudinem nostra etiam deberet esse natiuitas, hinc D. Petrus Chrysolog. non solum ait Virginem figurare spōsam Christi Ecclesiam, sed & Iosephum adumbrare eius sponsum Christum, ex quibus tanquam ex patre & matre nascimur, & educamur omnes fideles. Aurea verba illius sunt hæc: *Non apices, non literæ, non syllabæ, non verbum, non nomina, non persona in Euangelio diuinis vacua sunt figuris: sponsa quæritur, vt iam tunc ecclesia Christi sponsa signetur, iuxta illud Oseæ Prophetæ cap. 2. Sponsabo te mihi in iustitia, iudicio, misericordia, & miserationibus, & desponsabo te mihi in fide; hinc Ioannes ait: Qui habet sponsam, sponsus est; & vere sponsa, qua virginali partu nouam Christi regignit infantiam; procuratur Ioseph sponsus, vt iste in illo Ioseph Christi figuram impleat passionis. Ioseph prophetalibus somnis incurrit zelum, Christus propheticis visionibus suscepit inuidiam, Ioseph missus in lacum mortis viuus emergit è lacu; Christus mortis sepulchro datus, viuus resurgit à sepulchro: Ioseph venundatus est, pretio taxatus est Christus; Ioseph traducitur ad Ægyptum, ad Ægyptū fugatur Christus: Ioseph esurientibus populis panem copiose subministrat, Christus cœli pane manentes orbe toto saturat nationes; sic lucet, cur Ioseph iste cœlestis sponsi typū prætulerit, portauerit imaginem, ambulauerit in figurā.* Deniq; vltimā subiungo rationem, vt doceret nos, non posse Christum nasci in anima orbata viro. Vir & sponsus animæ Christus est, secundum illud Pauli: *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Vir autem dicitur à virore: Christus autem est, qui virorem, ac vigorē nostris animabus per suā gratiam cōfert, igitur anima, quæ hoc viro orbata fuerit, nec cōcipere, nec parere optimos bonorū operū fœtus poterit ipso dicēte: *Sine me nihil*

Ibidem. Chrys. super Ioan. 3. Oseas 2. Apoc. 19. Apoc. 21. Ioan. 3. D. Petrus Chrysol. ser. 146. Oseas 2. Ioan. 3. Genes. 37. Matth. 27. Gen. 37. Matth. 28. Gen. 37. Matth. 26. Gen. 37. Matth. 2. Gen. 41. Ioan. 6. 2. Cor. 11. Ioan. 15. Exod. 1.

potestis facere. Mollis & effœminata est anima, quæ non habet hunc virum, nempe Christum in se, carnisque fragilitati potius obnoxia, quam Deo: id autem volebat Pharao, vt viri interirent, fœminæ viuerent; sic Dæmon hunc virum vult perire, & suffocari in nostris animabus, qui & spiritui robur conferebat, & animæ tenebat imperium, vt carne fragili vsurpante sceptrum, fragilia omnia, & debilia opera nostra, ac nullius roboris sint, & adimpleatur in nobis maledictio illa contra Ægyptum: *Mulieres dominatæ sunt eis*, id est, effœminatæ operationes.

Isaia 3.

VII. Ex parte tandem Dæmonis, infestissimi hostis generis humani, hâc tradidit rationem sanctissimus ille martyr IGNATIVS in epist. ad Ephesios: *Vt scilicet partus Virginis Diabolo celaretur*: videns enim ex muliere coniugata nasci Christum, non explorauit, an integra, nec violata mansisset: vnde sicut occultauit olim Dominus vnctionem Dauid, ne Sauli innotesceret, cum enim præcepisset Samueli, vt impleret cornu oleo, & in Bethlehem pergeret ad vngendum Dauid, ipseq; respondisset: *Quomodo vadam? audiet enim Saul, & interficiet me.* Dominus ei dixit: *Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices: ad immolandum Domino veni*: vt hoc, velut tegumento, occulta esset vnctio Dauidis in Regem: non secus cum misit Dominus Christum suum in vterum Virginis, vbi sacra eius humanitas vncta fuit oleo lætitiæ prę consortibus suis, vt Diabolo eius partus, & conceptus celaretur, voluit illam nuptam esse cum Iosepho; sic enim videns Diabolus eam cum viro simul cohabitare, Dei sacramentum non intelligebat, nulla enim tunc suspicio oriri poterat, quod matrimonio coniuncta Virgo conciperet. & licet explorare potuisset claustra pudoris inuiolata permansisse, non tamen ad id attendit, cum in fœmina nupta superfluum appareret id perlustrare: vnde ex eius inaduertentia, Deo sic prouidente, hoc ab eius notitia fugit mysterium: fuisse autem hoc modo delusum Dæmonem non obscure docuit D. BERNARDVS homil. 2. super *missus*, dum ait, quod sicut Diabolus fœminam prius decepit, & per illam virum; sic oportuit eundem hostem à Virgine occulte decipi, & illudi, & postea à Christo virorum fortissimo palam debellari, vt hac arte multiformis proditoris artem falleret,

Mart. Ign. epist. ad Ephes. — *1. Reg. 1.* — *Ibidem.* — *Psalm. 44.*

VIII. SED nihilominus hanc martyris Ignatii rationem, quam tota Patrum antiquitas probauit, eam enim amplexi sunt BASILIVS, HIERONYMVS, DAMASCENVS, BERNARDVS ORIGENES, RVPERT. & THEOPHYLACTVS; refellunt SCOTVS, ABVLENSIS, & MALDONATVS, ea adducti ratione, quia licet Virgo nupta esset, cum integrum ei maneret & inuiolatum claustrum virginitatis facile à Dæmone id cognosci posset, cum id intra sphęram naturalis sui luminis contineretur: nec refert (inquiunt) dicere, diuinitus impeditum fuisse Dæmonem, ne id agnosceret; nam etiam si innupta non esset, impediri etiam eodem modo potuisset. Minime tamen hæc infirmant rationem martyris Ignatij, tot SS. Patrum auctoritate stabilitam; quamuis enim ad occultandum illud mysterium Diabolo non fuisset simpliciter necessarium matrimonium, fuit tamen medium valde conueniens. Primo, vt Dæmon facilius anteuerteretur (vt nuper dicebam) à curiosa scrutatione conceptionis, & partus Virginei; vnde CHRYSOSTOMVS, THEOPHYLACTVS, & EVTHYMIVS super Matth. & DAMASCEN. lib. 4. de fide aiunt: Dæmonem cum ex prophetia illa ISAIÆ: *Ecce Virgo concipiet*: non ignoraret Christum ex Virgine nasciturum, solicite obseruasse omnes virgines: & cum Virginem desponsatam videret, ab illa cauere destitisse, nec quidquam curasse, violata, an inuiolata esset, perlustrare: ex quo D. AMBROSIVS super Lucam ait: *Non mediocris quoque causa est, vt virginitas Mariæ falleret principē mundi, qui cum desponsatam cerneret viro, parum non potuit habere suspectum; fallendi enim mundi principem fuisse consiliū, ipsius Domini verba declarant, cum Apostoli iubentur tacere de Christo.* Secundo, quia si intelligeret non esse ex matrimonio grauidam, non posset sibi persuadere fuisse ex turpi concubitu, tum ob angelicā puritatem, quam videbat in Virgine, tum quia sciebat, se non fuisse auctorem illius delicti; non fit autem communiter fornicatio, nisi ipso sciente, & vt plurimum suggerente. Quod si cuipiam videatur frustra Dæmoni id occultari, cum alia manifestissima ei signa fuerint, per quæ agnoscere poterat Christum esse Messiā; vidit enim euidentissima miracula, quæ Christus fecit in attestationem, quod erat filius Dei; audiuit etiam vocem Patris de cœlo delapsam: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: non recte quidem iudicabit, quia quidquid sit an testimonia, quæ clare ostendebāt Christum esse Messiam, fuerint Dæmoni cognita, vel occulta, de quo THEOLOGI in 3. Sententiarum; certe post adultam ætatem non erat ita necessariū Christi mysteria Dæmoni occultari, quia iam accesserat tempus cum illo apertius congrediendi; quod tamen in infantia non sic oportebat, diuina prouidentia & sapientia id sic disponente; ne scilicet acrius Christum persequeretur, vt adnotauit Angelicus Doctor: vnde RVPERTVS ingeniose dixit: *Desponsatio Virginis Diabolum fefellit, & cunctos satellites eius, vt nescirent sacramentum, cuius sciendi modum non erat tempus.* & ORIGENES super Matthęum ait: *Quæ fuit causa, vt esset desponsata Maria Iosepho? nisi quatenus hoc sacramentum Diabolo celaretur, & ille malignus fraudis commenta aduersus desponsatam nulla penitus inueniret.*

Basil. hom. de Christi gener. — *Hieron super Matt. 1.* — *Damasc. lib. 4. de fid. c. 15.* — *Bern. hom. 3. super missus, & hō. 4. in vigil.* — *Natiuit.* — *Orig. hom. 6. in Luc.* — *Rup. de vict. verb. lib. 11 c. 19.* — *Theoph. super Matth. 1. Maldon. in c. Matt.* — *D. Chrys. Theoph. & Euthy. super c. 1. Matth.* — *Damasc. lib 4. de fid. c. 15.* — *Matth. 17.* — *D. Thom. 3. p. q. 29. art. 1.* — *Ruper. lib. 11. de vict. ver. c. 19.*

HOMI-

HOMILIA VII.

Matrimonium felicissimum inter Mariam & Iosephum varia eruditione, ac vberrima Conceptuũ copia prosequimur; quantaque dignitas sit, Iosephum sponsum fuisse Virginis, ex similitudine, quam opus fuit habere cum illa, elucidamus.

I. NTER alia pleraq; quæ apprime desiderantur in matrimonio, vt felix faustumque sit, illud persæpe tam in sacris quam prophanis eloquiis lego, vt inter coniuges, quoad fieri possit, æqualitas sit generis, diuitiarum, bonæ indolis, & reliquorum bonorum, tam naturæ, quam eorum, quæ fortunæ vulgus vocitat. OVIDIVS id probe agnoscens perlepide cecinit:

uid. in e- Deiani- ad Her- lem.

Quam male inæquales veniunt ad aratra iuuenci,
Tam premitur magno coniuge nupta minor.

Et alibi:

Si qua voles apte nubere, nube pari.

II. HINC eloquentiæ parens, cuius sententiam refert Iurisconsultus, *in l. Cicero, ff de pœnis*, dixit: *Iam hoc fere scitis omnes, quantam vim habeat ad coniungendas amicitias studiorum, ac naturæ similitudo:* Hinc PLVTARCHVS prohibitum fuisse testatur apud Romanos, quempiam in mense Maio nubere, quia Maius à *maioribus* dictus est; nuptias autem dicebant non cum maioribus, sed cum æqualibus celebrandas esse. Vnde CORNELIVS TACITVS de moribus Germanorum, & PIERIVS VALERIANVS tradunt hunc morem apud Germanos viguisse, vt cum vxores ad domum virorum ducerentur, duos boues sub eodem iugo vnitos eis offerebant, vt hoc symbolo significarent æqualitatem & concordiam maxime necessariam esse inter coniuges. Romanis etiam hæc erat consuetudo, vt inter cæremonias, quibus in nuptiis vtebantur, vir ad vxorē diceret: *Vbi ego Caius, Tu Caia:* quibus verbis indicare volebant, inæqualitatem ac disparitatem longe ab eis fore relegandam; & merito quidem: nam, vt recte dixit ANAXAGORAS (id referente STOBAEO) *Siquis pauper pecuniosam vxorem duxerit, non vxorem, sed heram habet; cuius est famulus.* Vnde LYCVRG. (vt tradit PLVTARCHVS in suis apophtegmatibus) prohibuit, vxores dotem in matrimonio adducere, ne ob nimiam pecuniam in viros suos superbirent: quibus satis consentiunt verba D. AMBROSII lib. de Abraham Patriarcha, dum ait: *Offendit virum, si se vxor nobiliorem nouerit.* Plerumque etiam accidit deficiente hac inter coniuges æqualitate, illud Iuuenalis:

ic. orat. o Aulo lu. Cic ff. e pœnis.
lutarch. rob. 185.
De morib. Germ. c. 1.
Pier. lib. 3. Hieroglyp.
Stob. de philosopho Anaxagora.
Lycurg. vt ait Plutar. in suis apophtegm.
D. Ambr. lib. de Abrahã Patriarch. c. 1.

Semper habet lites, alternaque iurgia lectus.

Iuuen. sat. 6.

& illud Horatii:

Oderunt hilarem tristes, tristemq; iocosi,
Sedatum celeres, agilem, gnauumq; remissi.

Horat. li. 2. sat. 1.

Quibus omnibus consona sunt, quæ GALENVS docuit lib. de inæquali temperatura, dum ait: *Simili simile conueniens est; atque amicum, contrarium vero inimicum, atq; molestum;* & concludit: *ideo sanitatis custodia fit per similia;* licet enim verissimus sit Medicorum aphorismus: *Contraria contrariis curantur*, conseruatio tamen salutis non rebus contrariis, sed similibus fouetur, vt egregie adnotauit AVICENNA dicens: *Ægritudo suo medicatur contrario & conseruatur sanitas suo simili.* quod & in plantis suo modo locum habere tradidit COLVMELLA, docens id, quod experientia ipsa satis comprobauit, vnam arborem non posse inseri in aliam, nisi inter vtramq; aliqua reperiatur sympathia, & similitudo.

Galen. lib. de inæquali temp.
Auicen. 4. 1. c. 1.

III. SED quid in prophanis monumentis referendis moror, cum propositam veritatem sacra eloquia non semel nos doceant? nam in primo illo matrimonio, diuino ministerio celebrato, quo Eua data fuit in vxorem Adæ, æqualitatem ac mutuam similitudinem obseruatam fuisse cernimus, Deo ipso dicente: *Faciamus ei adiutorium simile sibi.* quo satis aperte docentur nubendi æqualitatem, vel similitudinem, quoad fieri commode possit, in matrimonio quæritandum esse. quod & ingeniosa illa fabula auctoritate Spiritus sancti comprobata, cuius mentio fit lib. 4. REGVM, ingenioso quodam symbolo mirifice edocuit, dum ait: quod cum carduus montis Libani mitteret ad cedrum nunciũ, vt daret filiam suam in vxorem filio suo, factum est, vt in pœnam huius superbiæ, ac prætensæ æqualitatis ab animantibus illac transeuntibus acriter conculcaretur: *Transieruntque bestiæ saltus, quæ sunt in Libano, & conculcauerunt carduum.* huic fabulæ aliam ÆSOPI nõ indoctam (ne Diui PETRI consilium respuere videar dicentis: *non doctas fabulas sequuti*) hoc loco annectere non dedignabor. Finxit ille Carbonarium rogasse Fullonem, vt simul in eadē domo secum cohabitare vellet: eius tamē precibus Fullo minime acquiescens, respondit: *Timeo, ne quæ ego dealbo, tu fuligine repleas:* quæ sane responsio aperte satis indicat, quantum detrimenti dissimilitudo secum afferat.

Gen. 2.
4. Reg. 14.
Ibid.
Æsop. in suis fabul.
2. Pet. 1.

IV. CVM igitur sacerrimum hoc matrimoniũ inter Mariam & Iosephum altissimo Dei consilio initum fuerit, nemo sanæ mentis ambiget præcipuam æqualitatis coniugum conditionem minime in eo desiderari, æqualitatis (inquam) non mathematicæ, sed moralis, & cum quadam proportione, ad eum certe modum, quo in Cithara reperitur, cuius altera fidium, quæ *prima* vulgo dicitur, acutiorem habet sonum, secunda vero, vel tertia depressiorem, & multo minus acutum, cum tali tamen proportione vt ex vtroq; concentus resultet suauissimus; non dissimiliter, licet B. Virgo prima sit in sanctitate, vt matrem Dei decebat, Ioseph quidem ea polluit, quæ talem eum redderet, qualē esse oportebat, qui in sponsam ipsam Dei Genitricem esset habiturus: nec enim fas est cogitare, vt qui Adæ (vt nuper dicebam) adiutoriũ dedit simile

S. Bernar. tom. 3. ser. de S. Ioseph.

ſibi, B. Virgini illud negauerit. Vnde S. noſter BERNARDINVS ſer. de S. Ioſeph dixit: *Quomodo cogitare poteſt mens diſcreta, quod Spiritus ſanctus tãta vnione (coniugij ſcilicet) vniret menti tantæ Virginis aliquam animã, niſi & virtutẽ operatione ſimillimã? Vnde credo Ioſeph fuiſſe mundiſſimũ in virginitate, profundiſſimũ in humilitate, ardentiſſimũ in charitate, altiſſimum in contemplatione, vt eſſet adiutoriũ ſimile Virgini.* Hanc ſimilitudinẽ aliter in hunc modum explicare placet. Solent coniuges in mutui amoris argumentum veſtes eiuſdem coloris induere, ita vt, ſi fœmina viridi ornetur veſte, ſi crocea, aut purpurea, vir etiam eodem veſtimenti colore incedat; illud tãmen inter vtrumque coniugem intereſſe conſueuit, quod fœminæ multo pretioſiora donantur ornamenta, quam viro, ſericæ enim illius veſtes plerumque intexuntur auro, manus pretioſis ornantur annulis, & collum aurea torque, fulgentibus gemmis diſtincta; quæ tamen minime viri geſtare conſueuerunt: ad eundem modum opinor Deum optimum maximum, poſtquam exornauerat B. Virginem inæſtimabilibus omnium virtutum ornamentis, multisque decorauerat cœleſtium charismatum margaritis, qualia nulli vmquam conceſſit, eiuſdem tamen coloris veſtibus voluit Ioſephum dilectiſſimum eius ſponſum indui, vt debita inter coniuges ſimilitudo, ac morum ſympathia minime in his ſacris ſponſis deſideraretur. Quare ſi rem altius contemplemur, ambo fuerunt ab æterno præ omnibus ſanctis ad duplicem celſiſſimam omnium dignitatem electi: illa in matrem Chriſti naturalem, hic in eiuſdem patrem legalem: ambo in vtero matris ſanctificati (vt magnus ille Cancellarius Pariſienſis teſtatur) ambo nomine cœlitus delapſo inſigniti, ambo variis figuris adumbrati, ambo in miniſterium verbi incarnati aſſumpti, Maria, vt carnis ſubſtantiam daret, Ioſeph, vt eandem aleret, & nutriret; ambo primi, qui votum virginitatis emiſerunt, & in matrimonio cœlibatum coluerunt, ambo qui in terris verbum humana carne indutum videntes cœleſtis mannæ dulcedinem primi deguſtarunt, ambo qui angelici concentus, natale Chriſti celebrantis, & paſtorum ac Regum felicis aduentus teſtes omni exceptione maiores fuere, ambo media nocte ſolem orientem aſpexerunt, quod mirabilius ſane fuit, quam ſtellas in meridie proſpicere, ambo Chriſti parentes nuncupati beatiſſima Virgine id teſtante: *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te*: ambo ab omni lethalis peccati labe longe alieni, vt tradit D. AVGVSTINVS: ambo propter infantem Chriſtum ab Herodiana ſæuitia cuſtodiendum varios labores exilij & paupertatis perpeſſi, ambo Chriſti nutritii. Virgo lacte ex vbere de cœlo pleno, Ioſeph labore manuum ſuarum, & ſudore vultus ſui; ambo in Chriſti infantia, pueritia, & iuuentute indiuidui eius comites, domeſtici, ac dilectiſſimi familiares; ambo millies Chriſtum amplexati, & totidem exoſculati; ambo ſuæ mortis diuina reuelatione præſcii; ambo anima & corpore glorioſi cum Chriſto conregnant.

Gerſ. Cancel. Pariſ. ſer. de nat. Virg. & infra in ſua Ioſephina.

Luc. 2.

Ibid.

V. VERVM vt mira, quæ interceſſit inter hos ſacros ſponſos Mariam & Ioſephum, ſimilitudo clarius innoteſcat, ea, in quibus illa ſplendidiſſimus fulgoribus enituit, latius ac fuſius ediſſeramus. In primis quidem, ſicut ſacri Euangeliſtæ pauca de Virgine enarrantes, plurima eius encomia vnico verbo concluſerunt, Matrem Dei illam appellantes: *De qua natus eſt Ieſus*: ita iidem perpauca de Ioſephi vita & moribus commemorantes, permulta in eius laudem edixere, ſponſum Virginis illum vocitantes: *Ioſeph autem vir eius*, & alibi: *Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ*. hunc Euangelicum morem imitatus D. GREGORIVS NAZIANZEN. cum probare niteretur, qualis vir fuiſſet Gorgoniæ coniux, dixit: *Vultis vno verbo virum deſcribam: vir erat Gorgoniæ; nec enim ſcio quid amplius dicere neceſſe ſit.* ad eundem certe modum videntur ſe nobiſcum geſſiſſe ſacri Euangeliſtæ, dum volentes miram Ioſephi ſanctitatem nobis indicare, ac innumeras eius laudes breui ſermonis eloquio comprehendere, dixerunt: *Ioſeph autem vir eius*: quaſi dicerent: vultis vno verbo Ioſephum deſcribamus, vir erat Deiparæ Mariæ, in quo ſane pene infinita præconia deliteſcunt Fuit enim vir, *qui timuit Dominum, & in mandatis eius voluit nimis*; vir, *qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit*; vir *qui euacuauerat omnia, quæ paruulorum ſunt*; vir, *qui viriliter egit, & confortauit cor ſuum, & Dominum ſuſtinuit*; vir *ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo*; vir *pretioſior auro*; vir *ex omni plebe electus, ſapiens, & timens Deum, veritatem amans, odiens munera, & auaritiam*; qualem non dicam de mille, ſed ex vniuerſo mundi cœtu vnum reperit Deus, quem Genitricis ſuæ in chariſſimum ſponſum, & in fideliſſimum conſortem daret.

Matth. 1.

Ibid.

Ibid.

D. Greg. Naz orat. 11. de laudib. Gorg.

Matth. 1.

Pſal. 111.

Pſal. 1.

1. Cor. 16.

Pſal. 26.

Iob. 1.

VI. IN eo etiam Mariam & Ioſephum apud ſacros Euangeliſtas perſimiles eſſe reperio, quod quoties Mariæ meminerunt, Ioſephum obliuioni minime tradidere, & è contra, cum Ioſephum nominant, Mariam ſilentio non prætereunt. D. GREGORIVS narrat (idque teſtor ab his, qui plerumque id experti ſunt, me accepiſſe) narrat (inquam) duabus citharis eodem prorſus modo aptatis, ac temperatis, ſi citharædus fides vnius pulſet, continuo alteram, nemine illam tangente, reſonare, tanta eſt vis ſimilitudinis, & ſympathiæ earum. Non diſſimiliter Mariam, & Ioſephum velut duas animatas citharas contemplor, perfecte admodum temperatas, ſibique inuicem adeo bene concinentes, vt in ſacro Euangelio ſonante voce Mariæ, cõtinuo reſonet vox Ioſephi, & è contra: *Ioſeph, noli timere accipere Mariam: & Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ*. iterum: *Cum eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph*: ecce Euangeliſta vix Mariam ſine Ioſepho, aut Ioſephum ſine Maria nominat: hæc enim velut amoris correlatiua inſtar cortinarum

D. Greg. li. moral.

Matth. 1.

Taber-

Tabernaculi se inuicē trahebant. Iussit olim Deus fieri Tabernaculū ex perpolitis quibusdam cortinis taliter inter se cohærentibus contextum atque compactum, vt qui ad se traheret vnam cortinam, necessario etiam alterā sibi colligatam attraheret: non secus diuinæ maiestati placuit plenitudine tēporum adueniente, filio suo carne induto, protectionis mirabile quoddam tabernaculum ex cortinis Mariæ, & Iosephi taliter inter se amoris & matrimonii vinculo inuicem connexis construere, vt quo pergat vnus coniugum, pergat & alter, & cum tristatur vnus, tristetur & alter, & cum hilarescit vnus, exhilarescat & alter, immo cum nominatur vnus, continuo nominetur & resonet alter. [Exo]d. 26.

VII. SED iam aliam expendamus egregiā similitudinē inter Mariam, & Iosephum: quemadmodum B. Virgo meruit esse mater Dei, vt passim testantur Patres, & sancta tradit ECCLESIA in verbis illius orationis: *Vt dignum Filio tuo habitaculum effici mereretur*: ad eundē modum beatus Ioseph meruit sponsus esse Genitricis Dei. quid, ne meo marte confingere videar, SALOMONIS testimonio cōprobabo: *Pars bona mulier bona in parte timentium Deum, dabitur viro pro factis bonis*: Ecce Salomonē aperte dicentem in præmium bonorū operum dari viro mulierem bonam; ex quo nō inepte inferam, perfectissima omniū fuisse merita Iosephi, quibus in partem præmii optimam, ac perfectissimam omnium mulierum Mariam sibi in coniugē dari promeruit. Vt tamen maior esset inter hos sacros coniuges similitudo, ac mira sympathia, iisdē sane virtutum meritis, humilitatis scilicet, & virginitatis, quibus beatissima Virgo matris Dei dignitatē sibi comparauit (vt verba ab ea in annunciatione prolata satis indicant: *Ecce Ancilla Domini*: vide humilitatem: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* ecce virginitatem) iisdē sane beatus Ioseph Deiparæ Mariæ excellentissimam sponsi dignitatē obtinuit: in quo plane videtur mihi, tanquam legitimum filium Dauidis, patrem suum fuisse imitatum: nam (vt refert sacra historia) sub duplici cōditione Dauid filiam Regis Saulis in vxorem accepit: prima, vt caput gigantis Goliath præcideret: secunda, vt centum Philisthæos circumcideret: aliis duobus proculdubio similib. operibus meruit Ioseph Mariam matrem Dei sibi in cōiugem dari, primum humilitatis, quam exhibuit, cum eo sponsalitio indignum se reputans, velut alter DAVID dixit: *Quis ego sum, aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israel, vt fiā gener Regis?* vt fiam (inquā) tantæ Virginis sponsus? qua humilitate superbiā, caput omnium vitiorum, viriliter præcidit. Secundum fuit castitatis, dum virginitatem, qua omnes carnis illecebras, ac venereos motus spirituali circumcisione funditus resecauit, adeo coluit, vt primus omnium virorum illam Deo voueret. In cuius figuram lib. PARALIP. lego, quod quando sacerdotes locauerunt Arcā Dei in templo, missæ fuerunt sortes inter Cantores, cui nā incumberet, tamquā primo Cantori, curam habere hymnorū & cantionum, quibus colenda erat Arca; cecidit autem sors super quendam virum nomine Iosephum: certe in cœlesti curia ingens est numerus Cantorum, qui coram sacra illa Arca humanitatis Christi, in qua manna diuinitatis delitescit, incessanter cōcinunt canticum illud nouum APOCALYP. quod solū virgines canere nolunt: hęc autem felicissima sors super Iosephum cecidit, vt ipse quasi virginitatis vexillifer primas ferret inter omnes, & virginum virorum ipse esset Coryphæus; sicut & fœminarum sponsa eius primiceria erat & vexillifera. Hinc crediderim, quod sicut zelus virginitatis Mariam in annunciatione turbauit, vt ait S. LVCAS: *Turbata est in sermone eius*: quia se concepturam & parituram audiuit; ita idem virginitatis ardentissimus zelus, quem Ioseph in se, & in sponsa sua mirum in modū vigere auidissime desiderabat, adeo turbauit eum, vt de dimittenda vxore secum ipse altercaretur.

[Prouer]b. 26.
[L]uc. 1.
[1.] Reg. 17.
[1.] Reg. 18.
Ibid.
1. Paral. 25.
Apoc. 5.
Luc. 1.

VIII. HIS omnibus adiiciam Mariam, & Iosephū inter se persimiles fuisse in eo, quod in Christi infantis educatione, ac in eius custodia, & protectione vigilantissimam curam plusquam paterno affectu adhibuerunt. quod nō obscure significasse arbitror Spiritum sanctum, cum B. Virginem frequenter in lib. CANT. *Columbam* nuncupat: *Veni columba mea*; *Oculi tui columbarum*: Quamuis enim permultæ aliæ columbā nobiliores ac generosiores reperiantur aues, nomine tamen columbæ B. Virginem frequenter cohonestat, alludens tum ad eximiam columbæ fœcunditatem, quæ adeo in B. Virgine viguit, vt Deum ipsum humana carne indutum, tamqā vterinum fœtum, ac ventris sui fructum nobis produxerit; tum, vt pariter significaret, quod licet aquilæ, accipitres, milui, pauones, & reliquæ aues filiorum curam inter se hac ratione diuidunt, vt fœminę maneant in nidis ad eos fouendos, masculi vero cibum foris quærāt & deferant; inter columbas vero præter hoc officiū id speciale habet masculus, vt ipse etiam persæpe in nidulo instar matris pullos confoueat, & calefaciat: non dissimiliter beatus Ioseph, tamquam maritus Marianæ columbæ, & columbinæ Mariæ magnam solicitudinem, ac sedulam curam in Christi infantis educatione adhibuit; algentem calefaciebat, & in sinu suo confouebat, lacrymantem lætificabat, inter brachia dormitantem, ne quispiam à somno excitaret, diligenter curabat, & alia id genus opera in consortio Virginis in Christi infantis obsequium factitabat. Cant. 1. 2.

IX. AD hæc silentio non præteribo aliam egregiam inter hos sacros sponsos similitudinem non longe ab ea diuersam, cuius in CANTICIS meminit sponsa, cū dixit: *Dilectus meus mihi, & ego illi*: adeo enim ambo se dilexerunt, vt ad inuicem ornamentum & corona alter alterius facti fuerint, Mariam quidem aureū diadema, gloriosamq; Iosephi coronam extitisse, satis vtiq; probant verba PROVERBIORVM dicentia: *Mulier diligens corona est viro suo*. Cant. 2. Prouer. 12.

suo: econtra vero Iosephum splendidam coronam pretiosumque ornamentum Virginis fuisse, non obscure indicant verba illa, quæ prudenter protulit vx[o]r sapientis Philonis, quæ dum in cœtu plurium fœminarum adesset, ab eis interrogata, cur non instar reliquarum aureis monilibus, ac pretiosis vestibus accessisset ornata, respondit sapienter: *Satis vxori magnus ornatus viri sui virtus*: ex quo sane nō parum eximia Iosephi sanctitas commendatur, quæ tanta fuit, vt ornamentum potuerit esse illius, quæ Sole vestitur, & amictu corona stellarum redimitur, & Luna tamquam calceamento vtitur, prout se illam vidisse IOANNES testatur: *Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.*

Refert Ant. monarh. ser. de mul. fœti.

Apoc. 10.

X. Ex his itaque sic iam prælibatis, haud difficile erit venari, quam miram hi sacri coniuges, Maria, & Ioseph, cum debita proportione æqualitatem habuerint, sibique bene consentientes extiterint. Vt tamen illud magis adhuc illustremus, placet in medium producere, quæ BIO PIANERIVS, inter celebres Græciæ Philosophos annumeratus paucis perstrinxit, vt doceret ea, quæ vtrumque coniugum decent:

Bio Pianerius apud Auson. in sap. 228.

Quænam summa boni? mens, quæ sibi conscia recti:
Quis diues? qui nihil cupit: quis pauper? auarus.
Quæ dos matronæ pulcherrima? vita pudica.
Quæ casta est? de qua mentiri fama veretur.
Quod prudentis opus? cum possit, nolle nocere.
Quod stulti proprium? non posse, & velle nocere.

XI. Hæc quam mirifice fulgeant in his sacris sponsis, Maria & Iosepho, non erit difficile breui sermone demonstrare; si enim huius vitæ summa felicitas censetur animæ pax, atque tranquillitas, scilicet: *mens, quæ sibi conscia recti*: ecce Virginem tanta animi pace fruentem, vt à proprio marito, à quo non conceperat, grauida inueniri non pertimesceret, nec in eius conspectu quopiā turbationis motu fluctuaret, quia, vt dixit ECCLESIASTICVS: *Loramentum ligneum colligatum in fundamento ædificij non dissoluetur, sic & cor confirmatum in cogitatione consilij.* si deinde diues est, qui nihil cupit; ecce Ioseph, tametsi ex regia prosapia ortus: *qui post aurū non abiit, ne sperauit in pecunia thesauris*: quod si itē pudicitia ac verecundia præcipua vxoris dos est: *Quæ dos matronæ pulcherrima? vita pudica*: procul dubio cum dote Mariæ nulla quantumcunque copiosissima dos valet comparari, cum ab Angelo sub viri specie beneuole salutata, præ mirabili sua virginea pudicitia & verecundia continuo erubesceret, & turbaretur; si præterea illa castitate insignis iudicatur: *de qua mentiri fama veretur*, quis castissimam omnium Mariam non fateatur, quæ & virginitatem adeo coluit, vt nec dignitatē Matris sibi à Deo oblatam admitteret, quousque illam ob id minime fore violandam, angelico didicisset eloquio, vnde Ioseph (id attestante CHRYSOSTOMO) tam magnam de Mariana castitate opinionem cō-

Eccl. 22.

Eccl. 31.

Luc. 1.

D. Ioan. Chrys. sup. Matth.

ceperat, vt grauidam illam animaduertens, & non ab ipso, nihil certè mali de ea suspicatus, potius sibi persuaderet, Virginem posse parere, quam Mariam peccare. Tandem si prudentiæ viri non leue argumentū est, *cum possit, nolle nocere*, nostri Iosephi inaudita prudentia mirum in modū se ostentauit, quippe cum posset vxorem ob intumescentem vterum molestare, prudenter tamē, ac sanctè ab accusatione se abstinuit, Euangelista dicente: *Cum esset iustus, noluit eam traducere.* Illud etiam prudentiam Diui Iosephi mirum in modum commendat, quod memor illius sententiæ TOBIÆ: *Sacramentum Regis abscondere, bonum est*: necnon alterius ex ISAIA dicente: *Secretum meum mihi, secretū meum mihi*: mirabile illud Incarnationis Verbi Dei arcanū, quod sibi creditum erat, mira prudentia celauit. reuelatum quidem fuit hoc sacrum mysterium Apostolis, vt illud euulgarent, iuxta illud: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta*: Iosepho autē manifestatum fuit, non vt ipse illud manifestaret, sed vt sub silentij tegimine illud absconderet, quod maiorē præ se fert difficultatem, ECCLESIASTICO dicente: *A facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis*: quasi diceret, similē parturientis angustiæ esse dolorem fatui, qui habens creditum sibi secretum, nemini illud reuelat; at Ioseph noster, tanquam singulari prudentia conspicuus, hanc fatui difficultatem strenuè adeo superauit, vt per quam plures annos nec minimum ab ore eius decideret verbū, quo tantum sacramentum cupiam aperiret, adeo secreti tenacissimus custos fuit.

Matth. 1.

Tob. 12.

Isa. 24.

Matth. 10.

Eccl. 19.

XII. MEMINI quidem, Romanos tanti momenti secreti custodiam iudicasse, vt in vexillis suis depingerent Minotaurum, ad significandum, secreta non detegenda, vt interpretatur ALCIATVS in quodam emblemate, cuius titulus est: *Non vulganda consilia*: erat enim Minotaurus custos rigidissimus labyrinthi Dedali, nemini aditum præbens ad illud illustrandum: Metolus item Macedonicus interrogatus, cur ita celer & velox esset in consiliis suis exequendis? respondit, vt nec sinistra nosceat proprium consilium dexteræ: & Q. CVRTIVS de gestis Alexandri tradit, Persas fidelissimos se gloriari secretorum custodes esse: vnde refert, quod obseruans Alexander, se quandam epistolam legente, eamdem à quodam eius amico retro existente lectitari, sigillari annulo ex digito suo extracto, os eius obsignauit, vt se fidelem secreti custodem exhibere debere illum moneret. Ægyptij etiam adeo secretum colebant, vt auctor est Diodorus, vt illius reuelatoribus linguas præciderent. Tandem, vt ad id, vnde sum nonnihil digressus regrediar, ac finem dicendi faciam; si, vt ait ECCLESIASTICVS: *Mulieris bonæ beatus vir*: non solū terque quaterque, & millies beatus, sed & beatissimus cēseri debet noster Ioseph, cum non solū mulierē bonam, sed omnium optimam nactus fuerit. Quod si, vt Salomon testatur: *A Domino vxor prudens*:

Alciat. in emblem.

Q. Curt. lib. 4. de gest. Alex.

Prou. 20.

Prou. 19.

dens: eximium profectò donum Iosepho datum fuit, cum Mariam prudentissimam omnium virginum in vxorem accepit, & quam in domum suam ducens, meritò vsurpare sibi posset illud SAPIENTIS: *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa, non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tadium conuictus illius*; sed lætitiam, & gaudium, quod in æternum nobis præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen. Sap.8.

HOMILIA VIII.

Inceptum argumentum prosequimur; quam magna sit dignitas sponsi Deiparæ Mariæ explicantes, vbi de eximia eius sanctitate differimus; verosimile satis esse comprobantes, D. Iosephum reliquos omnes sanctos (Deipara excepta) in gratia & gloria longo interuallo excellere.

I. I in Ecclesia Catholica plerique Sanctorum eo speciali nomine coli & honorari merentur, quod se peculiari ratione sanctissimæ Deiparæ Mariæ deuouerunt, vt S. LVCAS, qui religionis ac pietatis zelo ductus, varias imagines depinxit, ad amussim illam referentes, pariterque Mariana arcana copiosius, quam reliqui Euangelistæ, descripsit: S. DIONYSIVS, qui ab Athenis, vt cœlestem eius vultum intueretur, multo labore longissimum iter confecit. S. CYRILLVS, qui contra impios hæreticos in Matris Dei nomen debacchantes honorificentissimam hanc DEI GENITRICIS nomenclaturā in Concilio Ephesino acerrime defendit. S. IOANNES DAMASCENVS, qui pro singulari amore, quo Virginem prosequebatur, varia, eaque egregia eius præconia nobis scripta reliquit; in quorum beata Virgo præmium abscissam inique manum beneuolè ei restituit. S. IDELPHONSVS, qui ab Heluidianæ hæresis Marianam virginitatem abnegantis impudentissimis calumniis sapientissime vindicauit. S. ANSELMVS, & D. BERNARDVS, qui in eius laudibus decantandis assidui præcones fuerunt; ac tandem S. IOANNES Euangelista prius omnibus illis diuino Christi oraculo adoptiuus Virginis filius institutus, qui (eo id attestante) *accepit eam in suam*; si, inquam, hi omnes Sancti, eo, quod speciali ratione se, suasque lucubrationes Virgini consecrarunt, digni sunt, vt speciali etiam cultu fideles eos venerentur; quantus quæso honor beatissimo Iosepho deferri debet, qui matrimonii pariter, & amoris vinculo Virgini coniunctissimus fuit? Ioan.19.

II. SANE, quæcumque excogitauero encomia, minora erunt, quam Deiparæ sponsi celsissima dignitas mereretur; adnitar tamen (Deo auspice) ex hac

tanta dignitate, velut ex principio, excellentiam sanctitatis D. IOSEPHI super reliquos sanctos, tamquam piam, ac valde probabilem conclusionem deducere, imitans in hoc D. Paulum, qui sicut ex dignitate, & nomine filii Dei excellentiam eius super omnes Angelos intulit: *Tanto* (inquit) *melior* Hebr.1.
Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hareditauit: ad eundem modum licebit mihi philosophari, tanto Iosephum aliis sanctiorem, quanto differentius præ illis nomen ac honorificentissimum SPONSI GENITRICIS & PATRIS CHRISTI titulum obtinuit. Diuina namque prouidentia non consueuit inanes titulos & rebus vacua nomina dare; sed quibus insignes titulos confert, insignem etiam idoneitatem impertitur. Vnde, si Imperator Valentinianus dixit: disputare de principali iudicio non oportet: sacrilegii enim instar est dubitare, an is dignus sit, quem elegerit Imperator; quanto magis execrandum sacrilegium esset, suspicari, Deum optimum maximum, qui sponsi Genitricis suæ dignitatem Iosepho donauit, idoneitatem ad eamdem non contulisse: Hinc D. THOMAS inquit: *Quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat, & disponit, vt ad illud, ad quod eliguntur, inueniantur idonei*: & D. AVGVST. plenitudinem gratiæ super omnes sanctos donatam Virgini ex eo colligit, quod ad dignitatem Matris Dei euecta fuerit: sic enim ait: *Inde nouimus, tantam gratiam illi esse collatam, quia Deum meruit concipere, ac parere.* L.2.C. de crim. sacril. D.Th.3.p. q.27.ar.4. 2.adCor.3.

III. QVOD si ad sacra monumenta mentis aciem parumper conuertamus, id à Deo ita factitatum fuisse, vt pro dignitate muneris sufficientiam præstaret, facile comperiemus. Elegit Moysen hominem agrestem in Ducem populi sui, & contulit ei sapientiam ac potentiam tantam, vt diceret ei: *Ego* Exod.7.
te constitui Deum Pharaonis. Dauidem *accepit de post* Psal.77.
fœtantes, & ex tugurio pastorum illum educens, vnxit in Regem, & caput plebis suæ fecit, deditque *illi nomen grande, iuxta nomen magnorum, qui sunt in* 2.Reg.7.
terra. Ioannem Baptistam, quem in Christi præcursorem elegit, tanto retro tempore, antequam id munus exerceret, eum disposuit, ac præparauit, vt in materno vtero latentem sanctificaret. Piscatores Luc.1.
etiam vocans, vt Apostolica dignitate eos donaret, omnem sufficientiam ad Apostolatus munus rectè obeundum illis impertiuit, Apostolo dicente: *Idoneos nos fecit ministros noui Testamenti*: ac tandem 2.Cor.3.
sanctissimam Deiparam Mariam pro dignitate tanti muneris magna cœlestium charismatum copia locupletauit, vt ipsa testatur: *Fecit mihi magna, qui* Luc.1.
potens est, & sanctum nomen eius.

IV. CVM ergo beatus Ioseph electus fuerit à Deo ad insignem illam sponsi Dei Genitricis & Christi patris dignitatem, nemo sanæ mentis inficiabitur, omnem sufficientiam & idoneitatem ad illa munia exercenda necessariam diuinitus ei fuisse collatam: vnde, sicut Deus optimam omnium fœminarum elegit in matrem, ita optimum omnium virorum decebat eligere in eius sponsum:

quare rectius Deus nostro Iosepho, quam Rex Pharao Patriarchæ Iosepho dicere potuisset: *Numquid sapientiorem, & consimilem tui inuenire potero?* (*Gen. 41.*) Sane si ad vasa Domini deferenda iubebantur sacerdotes mundari: *Mundamini, qui fertis vasa Domini:* (*Isa. 52.*) dubium non est, quin Deus eam munditiem & sanctitatem, quæ ad purissimum vas Mariæ, in quo manna diuinitatis seruandum erat, digne possidendum opus esset Iosepho eius sponso infudisse. si enim quando Arca Dei missa fuit in possessionem Aminadab, vt habetur 1. REG. *Eleazarum filium eius sanctificauerunt, vt custodiret arcam Domini.* (*1. Reg. 7.*) vel (vt Hebræi legunt) *præparauerunt*, seu *disposuerunt*, consequens est, Deum maiorem curam adhibuisse in sanctificando, præparando, ac disponendo Iosepho, cui decreuerat Marianam Arcam, in qua filius Dei claudendus erat (vt loquitur ECCLESIA: *Ventris sub arca clausus est*) custodiendam tradere. Et quidem si, vt sacra GENESEOS narrat historia, ad terreni paradisi custodiam præfecit Deus Cherubim, (*Gen. 3.*) rationi consonum erat, vt ad custodiendum cœlestem Mariæ paradisum, (sic enim illam vocat sponsus: *Emissiones tuæ sicut paradisus*) (*Cant. 4.*) præficeret non Cherubim, sed ardentissimum Seraphinum, Iosephum scilicet seraphici amoris flammis exustum. Quod si etiam sacra commemorant eloquia, Deū, cum Septuaginta elegerat seniores, vt Moysis coadiutores essent in plebis regimine, de spiritu eius plurimum eis contulisse: *Auferam de spiritu tuo, & tradam eis:* (*Num. 11.*) oportebat enim, vt qui Moysis in munere consortes erant, pariter in spiritu ad recte illud gerendum communicarent, certe cum B. Ioseph electus fuerit in consortem, & sponsum Deiparæ Mariæ ad paternum munus obeundum erga Christi Domini personam sub humana carne latentem, par erat rationi, vt sicut cum B. Virgine in hoc paterno munere & officio communicabat, ita & de spiritu, & gratia, ac singulari illius sanctimonia præ omnibus sanctis participaret.

V. ACCEDIT ad hæc, id quod mirum in modum effert D. Iosephum, nimirum, quod postquam SOCRATES (id referente XENOPHONTE) dixerat, *vxores virorum suorum moribus conformari debere*; (*Xenoph. de Socrate.*) subdit: *norma omnis coniugis est vir*: quam sententiam videntur firmare verba ipsius Dei dicentis: *Faciamus ei adiutorium simile sibi:* (*Gen. 2.*) non dixit, se facere velle virum similem vxori, sed econtra, vxorem similem viro. Sane si ita res se haberet inter hos sacros coniuges, vt Ioseph esset norma coniugis suæ, nihil excellentius de illo dici posset, quam tantam fuisse suorum morum probitatem, vt ad eorum normam Mariani mores ac vita adaptarentur. Verum licet aliter sese res habeat in hoc matrimonio Mariæ cum Iosepho, quia in eo coniux fuit norma viri sui, satis vtique eximiam Iosephi sanctitatem commēdat; quod probatissimos mores ac integerrimam almæ Virginis vitam sibi imitandam proponeret, per quam & suæ vitæ rationem, & proprios mores adamussim regulabat. Si enim Deipara Maria tanta præcelluit sanctitate, vt B. PETR. DAMIAN. dixerit: *Maria singulorum & omnium titulos antecedit. Attende Seraphim, & videbis, quidquid maius est, minus Virgine est.* (*B. Pet. Damian. ser. de Assump.*) & ANDREAS CRETENSIS: *Excepto Deo, est omnibus altior: ô sancta, & sanctis sanctior, & omnis sanctitatis sanctissime thesaure.* (*And. Cret. ser. de dor. Virg.*) D. HIERONYMVS. *Hortum deliciarum, in quo consita sunt omnia florum genera, & odoramenta virtutum:* (*D. Hieron. ser. de Assumpt. V.*) ac tandem D. ANSELMVS: *Decuit, vt ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequeat intelligi*: non potuit Diuus Ioseph, qui per suæ vxoris sanctitatem, tamquam per normam per triginta annos, quibus in consortio eius vixit, vitam suam accuratissime regulauit, prout sponsum Dei Genitricis decebat, non (inquam) potuit præ omnibus sanctis cœlestibus charismatibus multisque virtutum meritis cumulatissimus non esse.

VI. SED iam secundam coniecturam, ex qua eximiam D. IOSEPHI sanctitatem super omnes sanctos deprehendere licet, subiiciamus: hanc existimauerim esse ardentissimum amorem Deiparæ Mariæ erga ipsum: cum enim ipsa probe agnosceret coniugis strictam obligationem, vt virum suum diligat, certissimum est, illam perfectissime impleuisse, atque adeo omnes fœminas, quæ in amore suorum virorum exarserunt, ac stupenda suæ dilectionis argumenta exhibuerunt, longo interuallo superasse. Certe dicente Apostolo: *Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam*: (*Coloss. 3.*) ibidem etiam non obscure indicauit, vxores diligere debere viros suos, sicut Ecclesia Christum; quam similitudinem in eo sitam esse reor, vt, sicut Christus, excepto Deo, nihil ardentius amauit, quam Ecclesiam: ita alter coniux nihil præter Deum magis diligat, quam suum consortem; amauit igitur B. Virgo, huius legis obseruantissima, B. Iosephum plus quam Patriarchas, & Prophetas, Martyres, & Apostolos, ac vniuersos Angelos; vnde D. BERNARDVS ait: *Quia reuera Virgo, quanta erat vnitas matrimonij in spirituali amore, agnoscebat, & sciebat Iosephum sibi à Spiritu S. datum in sponsum, & in suæ virginitatis fidum custodem, & ad participandum secum in charitatis amore & obsequiosa solicitudine erga diuinissimam prolem Dei; ideo credo, quod totius ex cordis affectu eum sincerissime diligebat. amplius, cum omnia, quæ sunt vxoris, sint viri, credo, quod beatissima Virgo totum thesaurum cordis sui, quem Ioseph recipere poterat, ei exhibebat* (*D. Bern. tom. 3. ser. de S. Ioseph.*) hæc ille. Ad hæc, cum vir & vxor per vinculum connubii ac mutui amoris non minus fiant vnum cor, & vna volūtas, quam per vsum ipsius matrimonii vnum corpus, & vna caro, iuxta illud: *Erūt duo in carne vna*: (*Gen. 2.*) non potuit spiritualis illa vnitas animorum perfectissima non fuisse in B. Virgine, & Iosepho, nam si Gorgonia D. Gregorii Nazianzeni soror adeo vnum cum viro suo se esse fatebatur, vt ea propter ex parte tantum se baptizatam putaret, quod eius maritus nondum esset baptizatus, quem veluti dimidiam sui partem esse censebat; sic enim loquitur D. GREG. *Porro cum vnum hoc ad omnia ac-* (*D. Greg. Nazianz.*)

cedere cuperet, vt maritus quoque perficeretur, vt sic corpore consecraretur, ac non dimidia tantum ex parte initiata discederet, ipsiusque aliquid imperfectum relinqueretur, hoc quoque impetrauit: ad eundem certe modum Deipara Virgo adeo vnum cum viro suo Ioseph se esse putabat, vt quamuis perfectissima esset, imperfectam quodammodo se existimaret, si dimidia eius pars, nempe Ioseph eius coniux imperfectus esset. Vnde non dubitauerim, Deiparam Mariam excellentissimam perfectionem super omnes sanctos illi impetrasse: non enim amor illius erga virum suum sterilis fuit, sed fœcundissimus. vnde D. BERNARD. dixit: *Cum Virgo tot & tanta peccatoribus impetret sceleratis, quanta putas impetrauerit Iosepho sponso?* equidem si vnum ex efficacissimis mediis ad obtinenda à Deo varia gratiæ dona intercessio Virginis esse creditur, vt experientia ipsa satis exploratum est, non potuit sanctissimus Ioseph Virgini dilectissimus, illius interuentione nō eximiam super reliquos sanctitatis perfectionem obtinuisse; maxime cum Deipara Maria nullius vnquam hominis in virtute progressum, ac sanctitatis incrementum ardentius, quam viri sui, vt optimam vxorem decebat, concupisceret.

…st. 11. de …ud. Gorg.
D. Bern. to. 3. ser. de S. Ioseph.

VII. TERTIAM iam addo coniecturam, vnde excellentiam sanctitatis D. IOSEPHI venari possimus, amicitiam scilicet, & familiaritatem, quam habuit cum Deipara Maria legitima sponsa sua. Profecto D. PAVLVS ratione huius familiaritatis & consortii dixit: *Si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum: sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem.* His similia sunt verba D. Petri, dum ait: *Mulieres subditæ sint viris suis, vt & si qui non credunt verbo, per mulierum conuersationem sine verbo lucrifiant.* ita Romæ contigit Siginio per Theodoram, & Valeriano per Cæciliam, cuius consilio, & exemplo & sacri baptismatis lauacrum recepit, & pro Christo sanguinem profudit. vnde tam acute, quam eleganter dixit D. THOMAS: *Infidelitas est culpa tenacior; virilitas sexus robustior; sanctificare actus difficilior, & tamen cum esset mulier, emolliuit robustum, mundauit immundum, & sic sanctificauit infidelem virum*: innumeraque alia his similia extant exempla; nam Domitilla conuertit Flauium Clementem sponsum suum, Theodolinda Longobardorum Regina (cui D. GREGORIVS inscripsit Dialogum de moribus) bis nupta, Eucharium & Algilalfum ad veram Christi religionem reuocauit, & lupinam eorum crudelitatem in agninam mansuetudinem commutauit. THEODORETVS etiam (id referente CASSIODORO) sanis consiliis Eudoxiæ Imperatoris Theodosii mariti illius sanctitatem adscribit: ac tandem *textus in l. eum qui, C. de Episcopis & clericis*, ait: *Vxores interdum viros meliores efficiunt*: vbi BALDVS subiungit: *Bona mulier facit bonum virum.* Sed melius illo D. CHRYSOSTOMVS: *Nihil potentius muliere bona ad instruendum & informandum virum, quodcumque voluerit*: si ergo tāta esse noscitur vxoris efficacitas, & energia ad viri sui mores verbo & exemplo componendos, euidens est, maximā omnium habuisse B. Virginis familiaritatem ad recte informandum virum suum, nō quidem infidelem, vt illi, sed sanctum iam, & iustum, vt Euangelista testatur: *Cum esset iustus, noluit eam traducere.* Quod si Beata Virgo tam erat potens opere, & sermone, vt eius salutationis vox exultare ac tripudiare fecerit in gaudio Ioannem Baptistam maternis visceribus clausum, adeo vt infantis anima præ amoris ardore liquefacta fuerit, vt Maria locuta est; quantum quæso putamus spiritualis gaudii, & virtutis incrementum ex conuersatione Virginis suscepisse Iosephum, qui & Deiparæ Mariæ vocē audire, & faciē videre, exemplo eius accendi, ac beata illius non solum præsentia, sed etiam coniugali familiaritate & amicitia frui meruit? hinc sanctus BERNARDINVS pie dixit: *Si nos miseri ex cohabitatione sanctorum virorum, qui respectu Virginis nihil sunt, sæpe tamen proficimus, quantum existimandum est, Iosephum cum sacra Virgine profecisse?*

1. Cor. 7. — D. Petrus ep. 1. c. 3. — Sim. Met. in vita horum sanctorum. Lip. to. 5. & Sur. to. 6. — D. Th. sup. 1 Col. 7. — Marcel. 13. — D. Greg. Dial de morib. — Cassiod. hist. trip. l. 9. c. 31. — D. Chrys. hom. 9. — Matth. 1. — Luc. 1. — D. Bern. to. 3. ser. de S. Ioseph.

VIII. PORRO quartam coniecturam, vnde excellentissima D. Iosephi sanctitas super reliquos omnes innotescere possit, adnectamus: hæc est multiplex, imo continua occasio perfectissime exercendi actiuæ & contemplatiuæ vitæ munera, ex quorum feruentiori exercitatione maior sanctitatis perfectio dependet. Et quidem, quod attinet ad vitam actiuam, ille Christum infantem ita protexit, & enutriuit, vt, quod de Deo dicitur iustum protegente: *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis*: merito de Iosepho dici possit respectu Dei, quem ipse scapulis suis infantem obumbrauit, & sub pennis suę protectionis beneuole suscepit. Deinde cum omnes Iosephus externas operationes ac labores fabrilis artis ad Christi Domini infantiam, pueritiam, & iuuentutem per triginta annos nutriendam ac sustentandam dirigeret, non potuit vita eius actiua (excepta Virgine) non omniū fuisse perfectissima. Vnde si IOB dicebat: *Si comedi buccellam, & non comedit ex ea pauper*: melius sane Ioseph dicere potuisset; si comedi buccellam, & Iesus non comedit ex ea: quare nemini (excepta Deipara) tam proprie, quam Iosepho potuit Christus dicere: *Esuriui, & dedisti mihi manducare; sitiui, & dedisti mihi bibere.* quod si potum aquæ frigidæ pauperi porrigere opus adeo ille sibi pergratum fatetur, vt in eius præmium vitam æternam polliceatur: *Qui dederit calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam*: non potuerunt non gratissima esse Christo Domino opera vitæ actiuæ, quæ immediate circa eius humanitatem noster Ioseph exercuit; vnde officium D. Iosephi, quo sacra Carmelitarum Religio olim ex approbatione sedis Apostolicæ vtebatur, recensens præmia, quibus adhuc in hac vita superstes Ioseph cœpit à Christo ob prædicta obsequia remunerari, pie satis dicebat:

Psal. 91. — Iob 31. — Matth. 25. — Matth. 10.

Nunc ad Ioseph tamquam patrem,
Nunc ad sanctam respsit matrem,

Per Virgineas ceruices,
Gratias alternando vices.

Vbi ſpeciali obſeruatione dignam arbitror vocem illam *repſit*, quæ greſſum ſerpentis redolet, qui pauimento adhærens, & quaſi cum eo ſe conſtringens, gradum facit: non ſecus ſalutifer ille ſerpẽs, Num.21. Chriſtus Dominus, ab antiquo illo æneo ſerpente ſignificatus, per cuius non ſolum tactum, ſed & aſpectum ſanabantur infirmi, quaſi manibus & pedibus infans repebat ſuper Ioſephi dilectiſſimi ſui nutritij ceruices, vt gratiſſima vitæ actiuæ opera erga ipſum exercita etiam in hac vita, legali ſuo patri rependeret.

IX Ex his externis operibus facile erit gradum facere ad interna vitæ contemplatiuæ opera, ad quorum exercitationem nemo vmquã inter mortales (beata Virgine excepta) opportuniorem Prouer. 6. caſionem nactus fuit; nam ſi SALOMON ait: *Numquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant?* certe cum Ioſeph ignem, Heb.12. id eſt, Chriſtum (*Deus* enim *ignis conſumens eſt*) ſinu ſuo portauerit, immo millies contrectauerit, expoliarit, veſtierit, amplexatus, & exoſculatus fuerit, conſequens erat, flammis amoris illius vehementiſſime ardeſcere. Virgilius ementite narrat de Didone, quod cum Cupidinem falſi amoris Deum ſub Aſcanij figura amplexaretur, amoris flammis exuſtus remanſit, veriſſime Ioſepho noſtro id perſæpe contigiſſe arbitror, vt verum pulchri amoris Deum humana carne indutum brachiis ſuis amplexãs, & ſinu ſuo dulciſſime confouens, ardentiſſimis amoris flammis vltra, quam dici poſſit, exu- Gen.16. reretur. Pleroſq; ſacra eloquia commemorãt, qui cõtemplatiuæ vitæ nõ ſegnes cultores fuerunt: hi Gen.12. præcipui ſunt ABRAHAM, quem Deus de Meſopotamia egredi præcepit, quia à Dei contemplatio- Gen.28. ne animum eius auocabat; IACOBVS, qui in mirabilem extaſim raptus, vidit ſcalam altera extremi- 1.Reg.3. tate terram, altera cœlum tangẽtem; SAMVEL, quẽ Pſal.118. Deus dormientem ad ſe vocabat; DAVID, qui dicebat; *Septies in die laudẽ dixi tibi*: diuinorumq; ar- Luc.7. canorum aſſiduus ſcrutator fuit; D. MAGDALENA, quæ ſecus pedes Domini ingenua procũbens, opti- Ioan.13. 21 mam contemplationis partem elegit; IOANNES qui ſupra pectus Domini requieſcens, cœleſtia cõtem- 2. Cor. 22. plabatur arcana; PAVLVS, qui vſq; ad tertium cœ- Apoc.1. lum raptus, audiuit, quæ nõ licet homini loqui; ac tandẽ Apoſtoli, ac reliqui pij viri, q à Chriſto edocti, perſeuerantes erant in oratione: hos omnes ſanctus Ioſeph tanto contemplatiuæ vitæ præſtantia antecelluit, quanto præ his ad eius exercitia ex viſibili Chriſti & Mariæ exemplo, & continua triginta annorum pręſentia ardentius accendebatur, & ad feruentiſſimos amoris actus eliciendos, potentiq; eorum dem auxilio frequentius iuuabatur. D.Petr. Maxime quod, vt refert D. PETRVS CHRYSOLOGVS, Chryſ. ſer. Ioſeph pariter cum Maria nocturno tempore, quaſi 25. monaſticam vitam agerent, conſurgere conſueuiſſent ad preces Chriſto Domino effundendas, quem medium inter ſe ſacri illi coniuges conſtituebant. Sicut enim nos orantes imaginẽ Chriſti nobis adhibemus; ita illi ipſum Chriſtum Dominum, qui figura erat ſubſtantiæ Patris, & imago Hebr.1. bonitatis illius adorandum ſibi proponebant, & tamquam in radiantem Solem iuſtitiæ ſemper aſpiciebant; quod ſi Sol, tametſi diſtans ſit à terra, aurum in viſceribus illius, & margaritas in conchiliis virtute radiorum ſuorum procreat, quanto putamus in Mariam & Ioſephum adeo proximum iuſtitiæ Solem liberaliorem extitiſſe? Crediderim ſane cœleſtium chariſmatum margaritas, ac diuini amoris aurum ſuperabundantius, quam omnibus illis, magnificentiſſime donaſſe. Certe ſi D. ATHANASIVS (id referente GRATIANO) contemplabatur Gratian. porticum Bethlehemiticum, velut ſacerrimum Tẽ- l.3.c.4. plum, vbi præſepe erat altare, infans Deus humana carne indutus ſanctiſſimum ſacramentum; ſacerdos Ioſeph, Cantores Angeli; æternus Pater Epiſcopus; Maria thronus ac ſedes Epiſcopalis, licebit mihi ſimili modo contemplari domicilium illud, in quo Ieſus, Maria, & Ioſeph habitabant, non ſolum velut domum orationis, ſed vt cœleſtem aulam: nam ſi cœlum à celando dicitur, quia cœleſtes opes celat, merito domuncula illa cœlum meretur appellari, quæ ſummum Incarnationis myſterium tegebat, & vtriuſque coniugis virginitatem celabat. Quod ſi in cœlo beatiſſima habitat Trinitas, adeſt & in hac cœleſti domuncula ſacroſancta illa Trinitas, Ieſus, Maria & Ioſeph: ſic enim loquitur magnus ille Cancellarius Pariſienſis ſer. de natiuitate Virginis: *Cuperem, vt mihi verba ſuppeterent, ad explicandum tantum myſterium, tam admirandam venerandamque Trinitatem, Ieſus, Maria, & Ioſeph*: Maria quidem refert Patrem, cum integra manens eundem in tempore conceperit, ac pepererit, quem ille ab æterno genuit: Ieſus ipſamet Verbi diuini perſona eſt; Ioſeph autem Spiritus Sancti perſonam repræſentat, quia, ſicut ille amor eſt Patris, & Filii, ſponſus animarum, ac paracletus, & conſolator, ita beatus Ioſeph matrem & prolẽ ardentiſſime amabat, Deiparæ Virginis ſponſus, ac totius illius ſacræ familiæ ſolatium & gaudium erat: ac tandem, ſi in cœleſti illa beatorum aula cuncti illius cœlicolæ clara Dei viſione fruuntur, non ſecus Maria & Ioſeph clara humanitatis Chriſti intuitione continuo lætabantur, cum ergo beatus Ioſeph in conſortio Virginis vitæ actiuæ & contemplatiuę perfectiſſimum gradum attigerit, nemo mihi audaciæ adſcribat, ſi perfectiſſimum omnium Sanctorum (vna B. Virgine excepta) illum prædicẽ.

X. Ex his omnibus aliam efficacem rationem elicio, huic argumento valde conſentaneam, quia miniſterium Ioſephi tam in ratione ſponſi, quam adoptiui patris Chriſti fuit ſumme coniunctum cũ ipſamet Chriſti perſona, adeo quidẽ, vt proximius quam omnis alia dignitas ad Dei Matris ſublimiſſimã dignitatẽ acceſſiſſe videatur. Licet enim miniſterium Apoſtolatus in ordine gratiæ gratum fa-

cien-

cientis(vt Theologorum more loquar) ſupremum
in Eccleſia dignitatis faſtigium attingat, D. PAVLO
dicente: *Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia,*
Cor.2. *primum Apoſtolos*: in ordine tamen gratiæ vnionis
hypoſtaticæ, qui ex ſuo genere perfectior eſt illo. &
in quo primum locum obtinet humanitas Chriſti,
quæ immediate vnita eſſe noſcitur perſonæ Verbi;
ſecundum beata Virgo, quæ carne Verbum indu-
tum genuit, & peperit; tertium locum tenuit bea-
tiſſimus Ioſeph, cui de alendo, nutriendo, educan-
do, & protegendo Deum hominem ſpecialis cura
nemini vmquam data diuinitus fuit commiſſa, &
atth.1. forte hoc D. MATTH. Euangeliſta ſignificare voluit
in eo ordine, quem ſeruauit, quando poſt Ieſum, &
Mariam tertio loco Ioſephum nominauit, indicans
in hoc, quod ſicut in hac nominatione tertium lo-
cum obtinet Ioſeph, eundem etiam in gratia, &
ſanctitate teneat. cum ergo ſanctus Ioſeph in hoc
excellentiſſimo vnionis hypoſtaticæ ordine infimũ
gradum teneat, & infimum ſupremi excedat ſupre-
mum infimi (vt infimus Seraphinorum excedit ſu-
premum Cherubinorum) conſequens eſt, vt nõ ſo-
lum miniſterium Ioſephi Apoſtolorum miniſte-
rium, ſed & gratia tanto muneri debita illorũ gra-
tiam longe ſuperarit. & merito quidem, quia illo-
rum munus ſeu miniſterium ordinabatur ad cor-
pus myſticum Eccleſiæ tuendum; miniſterium au-
tem Ioſeph immediate verſabatur circa corpus na-
turale Chriſti nutriendum, fouendum, & prote-
gendum.

Rom.8. Gloſſa. XI. Scio quoſdam obiicere nobis locum D.
PAVLI: *Nos ipſi primitias ſpiritus habẽtes*, vbi GLOSSA
addit. *tempore prius, & cæteris abundantius*: at præter-
D. Ambr. Chryſoſt. & Anſelm. in Comment. huius loci. quam Diuus AMBROSIVS, CHRYSOSTOMVS, & AN-
SELMVS verba hæc intelligi volũt de omnibus Chri-
ſtianis, vt propterea dicantur obtinuiſſe primitias
ſpiritus, quia limpidiorem cognitionem arcanorũ
Dei, ac feruentiorem eius amorem, quam cæteri
habuerint; immo Patres Græci de omnibus homi-
nib. illa interpretantur, quos propterea aiunt ab
Apoſtolo dici primitias ſpiritus participaſſe, quia
ſpiritu rationali gaudent, & ad æternam hæredita-
tem ſunt procreati. Quæ expoſitio licet multis diſ-
pliceat, habet tamen non infirmum fundamentũ
Rom.8. in verbis eiuſdẽ PAVLI; cũ enim antea locutus fuiſ-
ſet de irrationali creatura: *quæ ingemiſcit & parturit
vſq; adhuc*: continuo ſubiungit: *non ſolũ autem illa,
ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes.* Præter has
(inquã) Patrũ expoſitiones duplicẽ aliã congruam
ſatis ſuſtinent verba illa prima, vt intellecta de ſolis
Apoſtolis iuxta communiorem Interpretum ſen-
tentiam ſenſus ſit, vt illi dicantur habuiſſe primi-
tias ſpiritus, quia prima dona, & quaſi primos fru-
ctus ſpiritus in lege gratiæ collegerunt; ſecunda,
quod tametſi intelligantur (vt cõtendit Gloſſa) de
maiori gratiæ abundãtia, cõparatio illa, & exceſſus
ſolum intelligitur reſpectu illorum, qui tempore
aduẽtus Spiritus ſancti ſuper Apoſtolos ſuperſtites
erant, & aliorum, qui poſt illos futuri ſperabantur.

XII. Scio etiam eoſdem obiectare nobis verba Ephes.1.
illa D. PAVLI: *Secundum diuitias gratiæ eius, quæ ſu-
perabundauit in nobis*: in cuius loci commentario D.
ANSELMVS ait: *Cũ enim gratia in omnibus ſanctis ab-
undaſſet, ſuperabundauit tamẽ in Apoſtolis, quia ipſi
copioſiorem largitatẽ eius acceperunt, quam cæteri*: ſed
nec locus iſte quidquam huic piæ ſententiæ nocet,
tũ quia Diuus HIERONYMVS in cõmentario huius
loci & Diuus CHRYSOSTOMVS interpretantur eius
verba non ſolum de Apoſtolis, ſed de omni Eccle-
ſia ex gentibus congregata; tum etiam, quia non
pauci ſequentes eruditiſſimum Adamũ, verba illa:
ſuperabundauit in nobis, perinde eſſe aiunt, ac ſi di-
ceret, quæ copioſe in nos effudit; tum tandem, quia
Apoſtolus non loquitur ibi de gratia quoad dona,
quæ dicuntur dona gratiæ gratum facientis, ſed de
gratiis gratis datis, quæ ad Apoſtolicum munus, &
officium obeundum neceſſariæ extiterunt: quem
ſenſum perſpicue ſatis innuunt verba ſub ſequen-
tia: *Quæ ſuperabũdauit in nobis in omni ſapiẽtia & pru-* Eph.1.
dẽtia: in quẽ locũ ipſe D. ANSELMVS aperte docet, A- D. Anſel
poſtolos ſuperabundaſſe, ſed in omni ſapientia, & ſup. ep. ad
prudentia: *Quia Spiritus ſanctus infudit eis plus, quam* Eph.1.
*cæteris ſapientiam, qua noſſent Patrem, Filium, &
Spiritum ſanctum, æternaliter ab vtroque proceden-
tem, & alia myſteria Incarnationis, & arcana cœ-
leſtia, nec non & dona Eccleſiæ conferenda; & quia
prudentiam quoque ſuperabundanter dedit eis de my-
ſteriis Eccleſiæ, vt prouiderent ea, quæ futura, vel fa-
cienda erant in Eccleſia, & circa alia huiuſmodi.*

XIII. NEC tandem me latet, alios nobis oppone-
re Angelicũ Doctorẽ, qui explicans præcitata ver-
ba: *Secundum diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabunda-
uit in nobis*, ait: *ex quo apparet temeritias illorum, vt
non dicam error, qui aliquos ſanctos præſumunt compa-
rare Apoſtolis in gratia & gloria, manifeſte enim patet
ex verbis iſtis, quod Apoſtoli habent gratiam maiorem,
quam aliqui ſancti poſt Chriſtum, & Virginem matrẽ.*
hæc tamen verba, ſi, vt Diui THOMÆ aſſeclæ opi- D. Thom.
nantur, vniuerſaliter, & abſque vlla exceptione in- in ep. 1. ad
telligenda forent, pugnarent ſane tum cum com- Epheſ.
muni Patrum ſententia præferentium Apoſtolis D. Greg.
Ioannem Baptiſtam; vt D. GREG. NAZIANZENVS, Nazor. pro
CHRYSOSTOMVS, AVGVSTINVS, vterque CYRILL. Athan.
BASILIVS, BERNARDVS. PETRVS CHRYS. MAXIMVS, Chry. ho.
ISIDORVS, ANDREAS Ieroſolymitanus, THEOPHY. 27. op im-
HONORIVS, ac tandem Diuus AMBROSIVS, qui de perf.
Ioanne loquens, ait: *Præcellit cunctis, eminet vniuer-* D. Aug. de
ſis, antecedit Prophetas, ſupergreditur Patriarchas, & Sãct. ſer. 22
quiſquis de muliere eſt, inferior eſt Ioanne: tum etiam & ſu. ✝ 29.
pugnarent prædicta verba cum Apoſtolico quodã D Cyri. l. 2
teſtimonio, prout habetur lib. 8 Conſtitutionum in Ioã c. 34
Apoſtolicarum; vbi omnes Apoſtoli dicunt ſe ele- Cyr. Hieroſ.
giſſe ſeptem Diaconos: *Ex quibus eſt beatus martyr* cath. 3.
*D. Baſil. hom. 15. ex var. loc. de Mat. D. Ber ſer. in exc. Ioan. Bapt.
Petr. Chryſ ſerm. 127. 174 Maxim hom. de Ioan. Bap. Iſid. l. de vit.
& mor. Sanct. noui Teſtam And. Hieroſ. ſer. de amp. c. Ioan. Bapt.
Theop. ſup. c. 16 Luc. Honor. ſer. de nat. Ioan. Bapt. D. Ambro. ſer. 64.
li. 8. Conſt. Apo. cap 46. alias 52.*

Stephanus, qui non minus quam nos Deum dilexit: ecce fatentur Stephanum æqualem sibi esse in sanctitate, quæ in Dei dilectione consistit: pugnarent tandem cum doctrina eiusdem D. THOMÆ; nam super caput 3. Matthæi, interrogans: *Numquid ergo maiores Apostoli Ioanne?* respondet: *non merito, sed officio noui testamenti*: ecce anteponit Ioannes Baptistę merita meritis Apostolorum; necesse est ergo dicamus, pdicta verba S. Thomæ cōmuni lege, & regulariter loquendo, intelligenda esse, atque adeo nō excludere peculiare priuilegium alicuius Sancti, quem Deo omnibus Apostolis prætulisse placuerit. vnde D. CHRYSOSTOMVS qui homilia 2. operis imperf. præposuit Apostolis Iohannem Baptistam, ipse in homil. 4. sic per Matthæum testatur, Iosephum nō esse inferiorē Ioanne Baptista, sic enim ait: *Sicut Christus existēs in vtero Ioannē per matrē sanctificauit, ita per eandem summam quandā gratiam Iosepho donauit, qui illius difficillimi negotii pondus tam forti ac prudenti animo sustineret*, ac propterea tantam ostendit mentis philosophiam.

Matth. 11. XIV. TANDEM nobis aduersari putant verba Christi Domini dicentis: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Sed neque locus hic quicquam obest; nā illius Glossa pretermissa, quæ illud explicat, quod nullus fuit maior austeritate ab infantia sua; omissa etiam aliorum expositione, qui dicunt sensum verborū illorum esse, vt nullus Ioanne Baptista fuerit maior in opinione hominū, cum Messias fuerit reputatus; his (inquam) interpretationibus explosis, D. HILARIVS canon. 11. & D. AVG. libro quæstionum veteris ac noui testamēti, quæstione vigesima sexta, interpretantur illa de maioritate, & excellentia in dono prophetiæ, verba HILARII sunt hæc: *Ex natis mulierum nullus maior propheta surrexit.* his similia sunt alia Diui AVGVST. dicentis: *Nullus propheta (Dominus ait) maior Ioanne surrexit inter natos mulierum.* præfatumque sensum germanum esse constat aperte ex LVCÆ 7. vbi Christus dixit: *Maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptista nemo est.*

XV. Ex his omnibus infero, magis vere (vt opinor) quā audacter (excepta B. Virgine) D. Iosephū, sicut sanctitate in Ecclesia militante, ita & gloria in triumphanti omnes sanctos præcellere sicut enim sacri hi cōiuges dignitate, & paterno munere erga Christum, & mutuo etiam amore inter se fuerunt coniunctissimi, dum vitam mortalem agerēt, ita ad æternam fœlicitatem translati, beatitudine & gloria propinquissimos esse de[illegible]ebat. vnde Cancellarius Parisiensis tam pie, q[illegible] prudenter dixit: *Quantus existimandus est iustu[illegible]h in gloria, & in cœlis, qui talis ac tantus inuen[illegible] in miseria, & in terris? profecto cum dicat Christ[illegible] i sum ego, illic & minister meus erit, ille proximio[illegible] detur collocādus in cœlis, qui in ministerio fuit vicinior, obsequētior atq; fidelior post Mariam inuentus in terris*: ibidem etiam in hunc modum cecinit:

Cāc. Paris. ser. de nat. Virg. — *Ioan.* 12. — *Id. eod. ser. consid. 3.*

Fœlix illa dies, toto celeberrima mundo,
Sacra docens læta, qua scandit ad æthera virgo
Mater, & angelicos ciues superuolat omnes.
Huic tibi Virgo, Ioseph, Iesus & tua sponsa
Propinquum (credere fas) statuunt solium.

Equidem cum Christus Dominus dixerit: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet*: certe Ioseph, qui Christum Dñm supremum omnium Prophetam millies in domum suam suscepit, non potuit non eius præmium omnium sanctorum esse supremum. *Matth.* 1[illegible]

XVI. VERVM vt rem hanc pro modulo nostro nonnihil elucidemus, placet Diuum BERNARDVM imitari; nam sicut ille contemplatur diuinas personas de humani generis salute solicitas, de Incarnationis remedio exequendo inter se sermonem iniisse, ita & ego appropinquante tempore, quo sancti Iosephi merita remuneranda erant, contemplor Patrem, & Filium instar Tobiæ iunioris & senioris de præmio illi conferendo inter sese collocutos fuisse. Sacra refert historia, patrem TOBIÆ post reditum filii illum ad se accersisse, vt de merce de Angelo Raphaeli danda (quem hominem esse putabant) pro labore itineris, quod cum ipso filio confecerat, inter se confabularentur: *quid* (inquit senior Tobias) *possumus dare viro isti, qui venit tecum?* respōdit filius: *Pater, quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit esse beneficiis eius? me duxit & reduxit sanum, pecuniam à Gabelo ipse recepit, vxorem me habere fecit, & dæmonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus eius fecit, me ipsum à deuoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumē cœli, & bonis omnibus per eum repleti sumus, quid illi ad hæc poterimus dignum dare?* Non dissimiliter æternum Patrem Christo Domino dixisse contemplor: quid retribuemus, fili, iusto huic viro Iosepho, cui ego te tamquam patri in terris tradidi? Filius eius respōdit: quā mercedē, Pater, dabimus ei, aut quid dignum poterit esse beneficiis ab eo per triginta annorum curriculum in me collocatis? Ipse, antequam nascerer, me comitatus est, deinde iam natum me duxit, & reduxit Nazareth in Bethlehem, inde in Ierusalem, à Ierusalem in Galilæam, postea ab Angelo admonitus, vt à deuoratione immanissimi illius piscis (Herodem crudelem intelligo) me eriperet, in Ægypti longinquam regionem duxit, vbi labore artis fabrilis, & sudore vultus sui & Matrem, & prolem alebat; deinde ex Ægypto in Nazaret me reduxit; ipse peregrinationis meæ fidelissimus exstitit comes; ipse mihi esurienti cibum, sitienti potum porrigebat, ipse cum hospes essem, me suscipiebat, cum nudus, me induebat; ac tandem quamdiu vixit, officio, & amore semper amantissimus mihi pater exstitit. his tantis obsequiis à Filio enarratis id putauerim respondisse Patrem: In cœlesti hac nostra curia duo honoratiora sunt loca, vnus dexteræ tuæ, alter sinistræ, tu nosti bene, naturali tuæ Matri, ac legali tuo patri ab æterno illa fuisse præparata; dexteram Mater, sinistram pater accipiat. Hinc inter alias

D. Bern. sup. missus est. — *Tobiæ* 12. — *Matth.* 2.

rationes, ob quas Christus Dominus Matri filiorū Zebedæi ab eo postulanti, vt sederent filii eius vnus ad dexteram, & alter ad sinistram in regno suo, respondit: *Nescitis quid petatis*, &c. *sedere autem ad dexteram vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*: eā nostro argumento valde consentaneam, minimeque contemnendam putauerim, quod iam ab æterno loca illa dexteræ & sinistræ, immutabili Dei decreto, Mariæ, & Iosepho à Deo Patre destinata erant, qui cum Filio & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Matth. 20.

HOMILIA IX.

Prosequimur adhuc idem argumentum, Choris omnibus Angelorū, Antiquis Patriarchis, ac reliquis sanctis beatissimum Iosephum præferentes: vbi nonnullos fauores, quibus Christus Dominus eum cumulauit, recensemus: benedictiones omnes, quibus Iacob iamiam moribundus filios suos benedixit, ei accommodantes.

I. QVANTO magis cœlestia contemplor charismata, quibus eximia Christi Domini magnificentia legitimū Genitricis suæ sponsum, legalemque suum patrem Iosephum locupletauit tāto in maiorem admirationem rapior vehementiusque in eam propendeo sententiam, vt illum (Deipara Maria excepta) cunctis cœlicolis præponendum pie & religiose censeam. Vt rem tamen altius repetamus, in primis eum præfero primo nostro Parenti: si enim illum constituit Deus caput omnium gentium, Iosephum certe constituit caput illius sacræ familiæ, vbi Christum & Mariam subditos sibi habebat: corpus capitis primi parentis genus humanum est, cuius plurima membra peccatis scatent; corpus autem mysticum, cuius caput constitutus fuit Ioseph, Iesus, & Maria erat: ex huius ergo corporis excellentia coniice maiorem dignitatem capitis illius. Deus olim Euam multis animi dotibus decoratam in vxorem primo parenti tribuit: *Faciamus ei adiutorium simile sibi*: at excellentiorem aliā fœminam, immo omnium fœminarum decus & ornamentum, Mariam scilicet, futuram sui filii matrem, Iosepho in coniugem dedit; cuius dos copiosa adeo fuit, vt longe superaret ingentem illam dotem antiqui Patriarchæ Iosephi sponsæ datam; nā si illa (vt tradit SIXTVS SENENSIS) secum in dotem tulit cētum millia talenta auri, quibus (iuxta veriorem computationem) respondent sex ducatorum, aut scutorum milliones; beata tamen Virgo nō caduca auri, & argenti bona, sed cœlestia gratiæ munera, & virtutum preciosissimas margaritas in dotem tulit, quarum omnium vir eius Ioseph mirum in modum particeps fuit, si etiam Adamo potestatem concessit Altissimus, vt animantibus nomina imponeret, sane auctoritas, quam Iosepho contulit imponendi nomen IESV filio suo: *vocabis nomen eius Iesum*; longo interuallo potestatem illam antecellit.

Genes. 2.

Sixtus Sen. l. 2. bibliot.

Luca 1.

II. QVOD si ad priscos tam legis naturæ, quam scriptæ Patriarchas mentis aciem conuertimus, lōge illis nostrum Iosephum feliciorem iudicabimus, fateor illos Christo consanguinitate fuisse coniunctos sed Ioseph coniunctior multo, cū propinquior sanguine esset illius genitrici. Patres illi Christum Dominum videre desiderarunt, sed solā eius vmbram aspexerunt; *Omnia in figuris contingebant eis*: vt ait PAVLVS; vnde cum Christus dixit: *Abrahā exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauisus est*: de visione ꝓphetica locutus est, qua aduētum Christi à longe præodorauit. Potentissimi etiā Reges Verbum diuinum humana carne indutum propriis oculis intueri ardentissime cupientes, minime obtinuerunt. Christo Domino dicente: *Multi Reges desiderauerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt*; at Iosephus vidit eundem recens natum, vidit infantem, vidit puerum, vidit iuuenem, imo & per triginta annos manus eius contrectauerunt. Verbum vitæ (vt D. Ioannis verbis vtar) ub humanæ carnis mole delitescens Moyses (narrat sacra historia) quod, tametsi Deo familiarissimus, cum ab eo postulauit, vt vultum suum sibi manifestare vellet, solum obtinuit à tergo illum sub quadam apparenti humana specie prospicere: *Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris*: at Iosepho non à tergo solum illum videre, sed & vultum intueri, exosculari, & alitorem omnium alere fuit concessum, adeo vt illi eidem, de quo cecinit regius Vates: *Omnia à te expectant, vt des illis escā in tempore*: & rursus: *Et tu das illis escam in tempore opportuno, aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*: illi (inquam) eidem Ioseph manū suam aperiret, vt paterno munere fungens, alimentum omnium creatori persæpe porrigeret. Antiqui Prophetæ variis reuelationibus fuerunt illustrati; at sublimiores quam illi vigilantes noster Ioseph dormiens accepit; cum frequenter (vt sacri Euangelistæ testantur) Angeli ei diuina sacramenta in somnis reserantes apparuerint. Quid plura? excessit (vt paucis dicam) cunctos antiquos Patres: nam vt confinium & orizon vtriusque legis, veteris, & nouæ, instar sponsæ, omnia poma vetera, & noua seruauit dilecto suo, matrimonium veteris, & virginitatem nouæ legis in vnum coniungens atque copulans.

1. Cor. 10.

Ioan. 8.

Luc. 10.

Exod. 33.

Ps. 103.

Ps. 144.

Matt. 2.

Cant. 7.

III. DENIQVE si cū Apostolis Iosephum conferas, in multis eos præcelluisse reperies; nam si ipsi gentibus Christum prædicarunt, Ioseph non pauca de

Christi

Christi infantia eis indicasse creditur; si illi nutritii
Hebr. 5. fidelium fuerunt: *Quibus lacte opus erat, non solido cibo*, vt dicebat Apostolus, Ioseph ipsius Christi nutritius fuit, pariterque educator: si ipsi singularem curam adhibuere, vt Christus cresceret in cordibus
2. Pet. 2. eorum, quibus D. PETRVS dicebat: *Quasi geniti infantes, lac concupiscite*: certe Ioseph magnam solicitudinem, sedulamque curam adhibuit, vt Christus, quē fabrili suo labore, ac sudore vultus sui alebat, in seipso indies cresceret, sanguinēq; aggregaret, quem in redemptionis nostræ pretium in ara Crucis effunderet.

IV. CÆTERVM cum iam mortales homines (Deipara excepta) Iosepho inferiores ostenderimus, reliquum est, ostendamus ab eodem angelicos spiritus longe præcelli, quod vt facilius præstemus, oportebit in memoriam reuocare D. DIONYSIVM de cœlesti hierarchia, & D. GREG. homilia 34. in Euangelia, nouem cœlestium spirituum Choros distinguere, quos illi vocāt Angelos, Archangelos, Principatus, Virtutes, Potestates, Dominationes, Thronos, Cherubinos, & Seraphinos. Officium quidem Angelorum, hominum est custodia; at Iosepho excellentior alia custodia demandata fuit, quam istis, cum non hominis solum, sed Christi Domini, Dei pariter, & hominis, ac Matris eius fidelissimus custos fuerit. Archangeli reddunt diuina oracula, & magni momenti negotia nunciant,
Daniel. 9. vt Michael, & Vriel, & Raphael; ille missus ad Da-
Esdr. 4. c. 4. nielem, alter ad Esdram, hic ad Tobiam; reuera Ioseph Archangeli munus perfectissime exercuit, cū tribus Regibus Magis, ne redirent ad Herodem, sed per aliam viam iter suum facerent, ex diuino, quod acceperat, oraculo eis nunciauit, vt satis in-
Matt. 2. dicant verba MATTHÆI: *Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.* Si Angelicæ deinde Virtutes miracula magna operantur, vt contigit tempore Iosue, vbi ministerio cœlestis cuiusdā Virtutis Angelicæ
Iosue 10. ad Iosue petitionem sol cursum suum cohibuit; mirabilius sane fuit, quod Ioseph solem ipsum iustitiæ Christum Deum, & hominem quandoque sistere, quandoque mouere fecit, illo semper ad nutum ei obediente, vt clare satis indicant verba LVCÆ: *& erat subditus illis.* Potestatum munus est executrices
4. Reg. 19. esse diuinæ omnipotentiæ, vt constat ex lib. REG. vbi sacra narrat historia, vnum ex Potestatibus simul occidisse centum octuaginta millia Assyriorum; id munus excellentius Iosephum exercuisse reperio,
Luc. 2. cum Christū in Ægyptum introducēs, infantis vir-
Matt. 2. tute mirabili omnia Idola corruere fecit, ISAIA di-
Isaia 19. cente: *Ingredietur Ægyptum, & commouebuntur simulacra Ægypti.* Quod si Principatus regiminis habent curam, inferioresque sedula diligentia gubernant; illud procul dubio omnem tam humanum, quam Angelicum principatum lōge superat, quod Ioseph tegimen habuit Matris, & prolis, Christi scilicet & Mariæ, quos tanquam tutor illius sacræ familiæ gubernabat, & eorum singularem prudentiam, ac solicitam curam gerebat. Rursus si ad Dominationes pertinet supra Principatus dominari, excellentius sane ac sublimius dominationis genus fuit, Iosephum tanquam virum Mariæ super eam dominari, quæ regina erat omnium principatuum,
Cancel. Parisiens. ser. de na. Virg. ac vera ipsius Dei mater; vnde Cancellarius Parisiensis hoc dominii genus admirans in hæc verba prorumpit: *O miranda prorsus, Ioseph, sublimitas tua, ô dignitas incomparabilis, quod mater Dei, regina cœli, & domina mundi appellare te dominum non indignum putauerit.* Throni Angelici id muneris habent, vt sedes sint Dei, in quib. ipse requiescit: bone Deus, nulla vnquam creatura (sola Deipara excepta) perfectius Iosepho diuinæ maiestatis sedes & Thronus fuisse reperitur, cum Iesum infantem millies in sinu suo fouerit, milliesque ille inter eius brachia vigilans, & dormiens requieuerit, & super eius pectus, tanquam super molle ceruical, caput suum reclinauerit; vnde apte satis accommodari possunt Christo Domino inter Iosephi brachia re-
Deut. 33. quiescenti verba illa DEVT. *Beniamin amantissimus Domini habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet.* Adhæc, si Cherubin, scientia pleni, sublimium rerū sacramenta scrutantur, Ioseph quidem altissimum Incarnationis arcanum, ipsis etiam Cherubinis nō satis perspectum, singulari Dei lumine illustratus agnouit, perplures eius circumstantias percalluit, ac Mariani pectoris secreta, quod archiuium erat arcanorum Dei, limpidissima cognitione penetrauit. Tandem, si Seraphini diuinam bonitatem, cuius dilectionis flammis exardescunt, manifestant, quis mihi inficiabitur, sanctissimum Iosephum ipsi Seraphici amoris parenni fonti valde proximum, & ipsi diuino igni propinquissimum, ipsique chari-
1. Ioan. 4. tati per essentiam summe coniunctum, quia *Deus charitas est*, diuini amoris flammis, vltra quam dici
Luca 12. possit, non exarsisse? maxime, quod cum Christus dixerit: *Ignem* (scilicet amoris) *veni mittere in terrā, & quid volo, nisi vt accendatur*: sane cum subiectam materiam Iosephini cordis perfecte dispositam inuenerit, non potuit non magnus diuini amoris ignis ardenter adeo in eo accendi, vt Seraphicum amorem superasse mihi non difficile persuaserim.

V. CVM autem omne datum optimum de sursum
Iacob. 1. sit, descendens à patre luminum, (vt IACOBI verbis vtar) non aliam tot donorum, ac cœlestium munerum causam quærendam esse reor, quam liberalē, ac copiosam benedictionem, qua Iosephum Pater misericordiarum benedixit, cuius magnam fœcū-
Gen. 27. ditatem vt clarius agnoscamus, placet Isaac Patriarchæ benedictionem, quam dedit filio suo Iacob,
Gen. 49. nec non & alias, quas ipse Iacob iam iam moribundus filiis suis impertiuit, in memoriam reuocare, easque Iosepho nostro adaptare: Isaac quidem (vt
Gen. 27. sacra GENESEOS narrat historia) in hunc modum filio suo Iacob benedixit: *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini, &*

ni, & seruiant tibi populi, & adorent te Tribus: huius benedictionis quis non videat altius & sublimius participem fuisse Iosephum, cum loco materialis roris, qui facile euanescit, ei datus fuerit in custodiam ros ille incorruptibilis, quem antiqui Patres desiderantes, clamabant: Isa. 45. *Rorate cœli desuper & nubes pluant iustum*: loco autem pinguis terræ, frumentum & vinum producentis, data fuerit ei Mariana illa terra, fœcunda quidem adeo, vt germinarit Zach. 9. *frumentum electorum, & vinum germinans virgines?*

Gen. 49. VI. Venio ad benedictiones, quas ipse Iacob natis suis impertiuit, ad Iudam dixit: non esse auferendum sceptrum de Iuda, & Ducem de femore eius: quod sane in domo Iosephi impletum fuit, cum de ventre sponsæ illius Christus Dominus, Christiani populi Dux, egressus fuerit in salutem populi Ibid. sui. *Lauit*, inquit deinde, *in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum*: id etiam singulari modo contigit Iosepho, qui infanti Iesu sanguinem in Circumcisione effundenti compatiens, lacrymarum Ibid. profluuio animam suam inundauit. Zabuloni insuper dixit habitaturũ in littore maris, & in statione nauium peruenturum vsque ad Sidonem. Mariam sponsam Iosephi *Mare* interpretari docet D. Hieronymus de nominibus Hebraicis: iuxta hoc ergo mare, in quod confluxerant omnium gratiarum flumina, per triginta annos habitauit Ioseph, & in consortio illius tandem ad mortem peruenit per *Sidonem* (*insidias* significantem) apte prænotatam; cum nusquam Dæmon maiores, quam in hora mortis, illas paret. Ad Issachar autem Iacob se conuertens: *inter medios terminos habitaturum* dixit, & humerum suum ad portandum onera suppositurum, id quoque ad vnguem, imo excellentius impletũ intueor in Ioseph, qui & inter terminos veteris & nouæ legis vixit, & inter illos alios cœlestes totius sanctitatis terminos, ac fines (Iesum, & Mariam) vitam egit; nec enim excogitari potest perfectior filius, quam Iesus, nec excellentior Mater, quam Deipara Maria. Humerum item ad grauia onera portanda Iosephum supposuisse, nemo sanæ mentis ambiget, qui varia itinera ob Christi defensionem suscepta, tam profectionis Matth. 2. in Ægyptum, quam reditus inde in Ierusalem non Gen. 49. ignorauerit. Post hæc filio Dan hanc benedictionem Iacob dedit, quæ hæc duo præcipue continet; primum, quod faceret hostem suum cadere retro; secundum, quod expectaret salutare Dei, nihil certe horum desideratur in Iosepho, cum communem humani generis hostem per matrimonium cũ beata Virgine, celata Diabolo eius integritate, fefellerit, & quasi cadentem retrorsum irriserit: præterea expectauit salutare Israel, sed aliter quã ille, cum ab sponsa sua salutem, & Saluatorem mundi mox pariendum certo sciret, quod ei solum fuit concessum, qui solus meruit in sponsum Virgini dari. Rursus ad filium suum Gad respiciens, hãc illi Ibid. dedit benedictionem: *Gad accinctus præliabitur ante eum, & ipse accingetur retrorsum*: sane D. Ioseph Angelico oraculo monitus, vt fugeret in Ægyptũ, Matth. 2. continuo accinxit se, & Herodem mortem infantis Iesu machinantem delusit; benedictio ergo Gad apte conuenit Iosepho. Iam ad Aser Iacob sermonem dirigens, inquit: Gen. 49. *Aser, pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus*: certe cum pane Ioseph nullus quantumcumque pretiosissimus panis valet comparari; Maria fuit: *Quæ quasi nauis institoris de longe portans panem suum*: Prou. 31. cœlestem illum panem nobis præstitit, qui dixit: *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi*: Ioan. 6. hic panis datus fuit Iosepho, vt custodiret illum filiis, non canibus, quia, vt veritas ipsa dixit: *Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus.* Matth. 15 vnde cũ rabidus ille canis Herodes hũc panem deuorare concupisceret, Ioseph abscondit illum ab eo, & in longinquam Ægypti regionem transportauit. Ad Nephtali deinde verba faciens, in hunc modum benedixit: *Nephtali, ceruus emissus, & dans eloquia pulchritudinis*: si solent parentes, & nutritii infantibus dulcia verba loqui persæpe repetentes: *mi Princeps*; id non semel Iosephum factitasse crediderim, mellifluis verbis Iesum infantem demulcendo; at non falso, sed veracissime ei dicebat: *mi Princeps, mi Rex*, cum reuera Rex esset Regum, & Dominus dominantium. 1. Tim. 6. Ad Iosephum vero orationem conuertens Iacob longiorem & cumulatiorem benedictionem ei impertiuit, quæ nostro argumento mirum in modum congruit, cum antiquus ille Patriarcha sponsi Virginis Iosephi figuram prætulerit; in primis ait illi: *filius accrescens Ioseph*: Gen. 49. egregie nomen hoc, quod *incrementum* significat, nostro Iosepho conuenire perhibetur, cum tantopere creuerit, quod (vt nuper ostendimus) & homines, & Angelos sanctitate longe antecelluerit. deinde subiungit Iacob: *Deus patris tui erit adiutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus vberũ, & vuluæ*: Ibid. hanc benedictionem nostet Ioseph sublimius quam ille nactus fuit, dum in sponsam suam Virginem accipiens, cuius sacer venter Virginitatis lilijs vallatus Iesum peperit, & cuius vbera diuino nectare de cœlo plena eundem infantem lactauerunt. hæ sane nostro Iosepho fuerunt benedictiones vberum, & vuluæ, nec non & abyssi iacentis deorsum, cum abyssus latentis deitatis sub humana carne pueri in abiectissimo præsepii loco iacentis cœlestibus benedictionibus Iosephum frequenter impleuerit. Deut. 33. Huc etiam facit Mosaica benedictio, qua in hunc modum antiquum illum Patriarcham Iosephum cohonestatum fuisse legimus: *Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph*: hæc benedictio plenius super caput nostri Iosephi cecidit, cum per multos annos cum Maria, pulcherrima omnium fœminarum, dilectissima sibi sponsa cohabitans, non solum corporis, sed & mentis virginitatẽ adeo custodierit, vt nec minima libidinis cogitatiuncula animũ eius pulsaret. Fuit igitur Ioseph rubus ardens

dens incombustus, de quo licebit dicere cum Moy- *Exod.3.* se: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus:* cecidit quoque hæc benedictio rubi super Ioseph, dum Maria eius sponsa maternitatem ita cum virginitate copulauit, vt ECCLESIA CATHOLICA à Spiritu sancto edocta ei canat: *Rubum, quem viderat Moyses incombustum, conseruatam agnouimus tuam laudabilem virginitatem.* Tandem vltimum colophonē imponens Iacob be- *Gen.49.* nedictionibus suis, ad Beniamin dixit: *Beniamin, lupus rapax, mane comedit prædam, & vespere diuidet spolia:* profecto beatus Ioseph honestiorem quam Beniamin victus quæritandi rationem elegit: nam *Ps.127.* consiliis patris sui DAVID dicentis, *Quia labores manuum tuarum manducabis, beatus es, & bene tibi erit;* innitens fabrilis artis exercitio, summo mane surgens alimenta quærebat, & velut sui laboris spolia inter Iesum & Mariam, ad eorum sustentationem iuste, sobrie, & sancte diuidebat.

VII. ADHÆC (vt paucis multa dicam) cum sacer Euangelista MATTHÆVS diuino spiritu afflatus probe agnosceret ineffabilia esse Iosephi encomia, nec plurima volumina ad ea digne decantanda sufficere posse, volens quasi per compendium ea de- *Matt. 1.* scribere, his duobus verbis illa complectitur: *Virū iustum* illum vocans: *Ioseph aūt vir eius, cum esset iustus, noluit eam traducere:* potuisset quidē Euangelista coniugem, seu maritum Mariæ illum vocitasse; at consulto dixit: *vir eius*, vt maritum simul, & virū esse indicaret: non enim omnes mariti viri sunt: nā, *Diogenes Phil. dictum.* vt DIOGENES dicebat: *homines permulti, viri perpauci.* vnde ipse in foro hominibus pleno ardentem facem in manu dum portaret, & quasi aliquid quæritaret, hac & illac cursitaret, à multis interrogatus, quid quæreret? respondit: *homines tamen non inuenio, quia hi, quos video, cum more bestiarum viuant, inter bruta animantia connumerari merentur;* idem etiam cum agnouisset optimum Lacedæmonum regimen & Reipublicæ eorum præclaram institutionem, dicebat: *Solæ Lacenæ viros pariunt:* quam e- *Isaie 59.* gregiam sententiam Deus ipse per ISAIAM præmiserat, dicens: *Vidi quia non est vir:* Adhæc *vir* (vt do- *D.Greg. sup.c.1.Iob* cet D. GRE.) à *virtute* dicitur, prout idem est, quod *Daniel.10.* fortitudo, vnde apud Hebræos idem est *fortis*, quod *vir*, & ideo vbi nostra Vulgata vertit: *Confortare, & esto robustus:* Hebraicum originale legit: *Confortare,* *Matth. 1.* *& esto vir:* vt ergo Euangelista Iosephi excellentiam commendaret, *virum* vocat illum, & non *maritum*, licet alioqui legitimus coniux eius esset.

VIII. IVSTVM deinde eundem prædicat: *Cum esset* *Arist.5.Ethic.* *iustus;* in quo mira latent Iosephi præconia; ARIST. MACROBIVS, & S. THOM. Iustitiam bifariam accipi *Macro.in Somn.Sci.* docuere; primo pro virtute speciali Iustitiæ, cuius munus est, reddere vnicuique quod suum est: secū- *S.Thom. 2.2.* do pro rectitudine animi, quæ ex omni virtutum aggregatione coalescit, & in hoc sensu dixit bea- *Matth.1.* tus MATTHÆVS: *Cum esset iustus, noluit eam traducere.* sacra eloquia vt plurimum commendant specialem aliquam virtutē in sanctis, quæ in eis magis effulsit; simplicitatem animi in Noe, obedientiam in Abraham, patientiam in Iob, orationem in Iosue, fortitudinem in Sampson; castitatem in Ioseph, mansuetudinē in Dauid, constantiā in Machabæis, fidem in Petro, amorem in Ioanne, vitam contemplatiuam in Magdalena, actiuam in Martha: ac tādem de singulis confessoribus canit ECCLESIA: *Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi:* *Eccl.offic. exc.Eccle. 24.* quia singuli speciali aliqua virtute floruerūt: at cū noster Ioseph omni virtutum genere præfulgeret, à iustitia, & rectitudine animi quæ omnes illas complectitur, illum laudat Euangelista dicens: *Ioseph vir eius cum esset iustus.* *Matt. 1.* Certe vulgari sermone idem pollet *Iustum*, quod *æquale*, quæ acceptio Iustitiæ satis consentanea esse perhibetur, cum proprium illius sit facere æqualitatem rei ad rem; vnde cum illud dicatur alteri æquale, quod nec plus, nec minus illo habet nihil aliud erit esse iustum, quam ita regulæ rationis, ac diuinæ legi adæquari, vt nec per defectum, nec per excessum ab ea deflectat: quia igitur Diuus Ioseph diuinæ voluntati obsequentissimus semper exstitit, & diuinæ legis regulæ toto tempore vitæ suæ se ad amussim conformauerit, ideo etiam merito Euangelista illum *Iustum* vocauit. *Matt. 1.* Illud discrimen interest inter eum, qui iustis calceis instar nobilium, & eum, qui amplis & laxis instar rusticorum incedit, quod ille, si minimus scrupulus calceos subintret, anxiatur, & premitur; ille vero cuius calcei lati sunt, etiamsi terra aut palea ingrediatur, nec minimo dolore afficitur; non secus vir iustus, quia arctam habet conscientiam, quicumque etiam venialis peccati scrupulus illum angit; peccator vero, qui latam illam habet, etiamsi terreni affectus grauiaque peccata illam subintrent, nihili illa fac t. Erat igitur noster Ioseph vir iustus adeo, vt nihil terrenum in mundissimum eius animum ingrederetur, sed in dies in Iustitia magis ac magis crescebat, neā nomine Iosephi (quod incrementum significat) degeneraret; quod si quidpiam leuissimi pulueris subintrabat, confestim illum excutiebat. Vnde ad amussim ad illud APOC respiciens: *Qui iustus est, iustificetur adhuc:* *Apoc 22.* in eo semper singularissimam curam impendebat, vt ad anteriora se extendens, continuū virtutū incrementum susciperet, quod proprium est viri perfecti, vt præclare docuit Diuus BERN. in epistola ad Abbatem Garinum Alpensem, dum exponēs gradus illius scalæ, quam vidit Iacob, pariterque elucidans, cur Angeli in ea scala semper viderentur ascendentes, vel descendentes, nunquam tamen *Gen. 28.* quiescentes, in hunc modum pie & elegāter loquitur; *Nunquam vir iustus arbitratur se comprehendisse; numquam dicit: satis est, sed semper esurit, sitit que iustitiam, ita vt si semper viueret, semper quātum in se est, iustior esse contēderet, semper de bono in melius proficere conaretur; non enim ad annū, vel ad tempus instar mercenarii, sed in æternum diuino se mancipat famulatui; audit denique vocem Iusti: in æternum non obliuiscar* *Ps. 118.* *iustificationes tuas:* & rursus: *Inclinaui cor meū ad faciendas*

endas

Psal. 93. *endus iustificationes tuas in æternum* : & post pauca pulchra hæc subiungit : *Itaq; indefessum proficiendi studium, & iugis conatus ad profectionem perfectior reputatur; quod si studere profectioni, & velle seper proficere, est perfectũ esse, pfecto nolle proficere deficere est. Vbi ergo sunt, qui dicere solẽt; sufficit nobis, nolumus esse meliores, quam patres nostri? O Monache, non vis proficere? non, inquit; vis ergo deficere? nequaquã ait: quid ergo? manere inquit, volo in eo inquo perseuero, nec peior fieri patior, nec melior cupio. hoc vis, quod esse nõ potest. vidit scalã Iacob, & in scala Angelos, vbi nullus residens, nullusue subsistens apparuit, sed vel ascendere, vel descendere videbantur vniuersi; quatenus palam daretur intelligi, inter profectum & defectum in hoc statu mortalis vitæ nihil mediũ inueniri, sed quomodo ipsum corpus nostrũ continue aut crescere constat, aut decrescere, sic necesse sit & spiritum aut proficere semper, aut deficere.* hactenus D. Bernardus.

IX Tandem id mihi palam facit eximiam Diui Iosephi iustitiam & sanctitatem, quod cum nauis aliqua preciosissimis mercibus plena in altum tendit mare, quæri solet assecurator, immo multi, quia vnus solus id præstare non potest; ita cum
Prou. 31. Maria esset quasi *nauis institoris, de longe portans panem suum*, cœlestium charismatum mercibus onusta, ac variis gratiarũ prærogatiuis locupletissima; solus Ioseph inuentus est, qui pretiosissimas eius honoris, & famæ merces assecuraret, quod tanquam diuinis muneribus ditissimus perfecte adeo præstitit, vt etiam sponsam, quã nunquam tetigerat, grauidam obseruans, eius honori consulens,
Matth. 1. minime accusaret, Matthæo dicẽte: *Cum esset iustus, noluit eam traducere*: quid plura? hoc vnũ eius iustitiam super omnium sanctitatem mirum in modum extollit, quod rationi consentaneum putauerim, si Christus naturalem aliquem humanum patrem, vt re vera potuisset, habiturus esset in terris, non alium elegisse, quam Iosephũ, quẽ in patrem legalem elegit, atque adeo eisdem diuinis charismatibus illum exornasse, quibus naturalem patrẽ cumulasset, maxime cum recte Dominus agnosceret, non minori paterno affectu Iosephum illum fore prosecuturum, quam si naturalis eius pater in terris exstitisset. *Iustum* igitur per Anthonomasiam illum fecit, qui *iustus* est per essentiam, Iesus, filius Mariæ; cui sit honor, & gloria in sæcula seculorum, Amen.

HOMILIA X.

Ostenditur ex sanctorum Patrum doctrina, & validissimis rationibus, D. Iosephum, cum beatam Virginem prægnantem dimittere voluit, vel magnum quid, vel saltem nihil sinistrum, aut turpe de ea sibi persuasisse: cuius occasione permulta valde vtilia contra temeraria iudicia traduntur.

I. Cio quidem grauissimos quosdã Patres in eam abiisse sententiam, vt putarent Iosephum vere dubitasse de Virginis castitate, imo & iudicasse adulterii ream esse, valdeque excruciatum fuisse, quod illam sic intueretur grauidam, quã certissime sciebat se ne mente quidem attigisse; fuisse tamen magnæ iustitiæ opus, patienter illatam sibi iniuriam tulisse absq; reuelatione & accusatione. hi sunt in primis Diuus Augustinus, qui scribens ad Mace- D. August.
donium ait: *Ioseph, cui Virgo Maria, Domini Mater* epist. 54. t. 2.
fuerat desponsata, cum eam comperisset esse prægnantem, cui se nouerat non esse commixtum, & ob hoc nihil aliud, quam adulteram credidisset, puniri tamen eam noluit, nec approbator flagitii fuit. Idem de natali Do- Idem serm.
mini: *Nescit* (inquit) *interea Ioseph Mariæ sponsus, quid* 14. tom. 10
cum Maria ageret Angelus, subitoq; Ioseph intuitu familiari, & licentia maritali aspicit Mariã coniugem suam, vidit eam gressibus grauari, intellexit Mariæ vterum grauidari, turbatur Ioseph, homo iustus, quod Mariam nunquam de Templo Domini acceperat, & nõdum cognouerat, & grauidã sentiebat, & quã non meruerat in cõiugii honorẽ, iã haberet in confusionẽ, secũq; diu æstuans disputat, dicens: vnde hoc contigit, quod euenit? nõ cognoui, nõ noui, nõ tetigi, nõ violaui, nõ grauidaui; heu, heu, quid cõtigit? &c. quid ergo faciã? quid agã? anxior, gemo, curro, cõsiliũ quæro, nec penitus inuenio, prodo adulteriũ, aut taceo opprobriũ? si prodidero, adulterio quidẽ nõ cõsentio, sed nauũ crudelitatis incurro; Deut. 22.
quia secundũ libri Moysis sententiã lapidãdã esse cognosco; si tacuero malũ, consentio & cũ adulteris portionem meam pono; quoniam ergo tacere malum, adulterium prodere peius est, ne per me fiat homicidium, dimittam eam coniugio: hæc ille; qui similia tradit homil. 16. Idem
de verbis Domini. Subscribit eidem sententiæ Iusti- August.
nus Martyr in Dialogo suo cum Triphone dicẽs: Homil. 16.
Iosephus etiam is, qui Mariæ sponsus erat, cum vellet sponsam suam principio eiicere, quod eam ex viro grauidatam esse existimaret, id est, ex stupro, in visu & somno ei præceptum est, ne vxorem suam repudiaret, cum ei dixisset Angelus, qui se ei patefecerat, ex Spiritu sancto esse id quod in vtero haberet. Adde D. Ambrosium de Ambros. de
Institut Virg. dicentem: *quid præiudicat Mariæ, si cœ-* instit. virg.
lestis consilii mysterium Ioseph non intelligit, & putauit cap. 5.
Virginem non esse, quia prægnantem viderat?

II. Ac tandem, ne in referendis Patrum testimoniis multus sim, eandem amplexi sunt sententiam Hilarius, Chrys. Euthymius. Theoph. & Hilar. Cãt.
Nicephorus; cuius duo habentur magni momẽ- 1. in
ti fundamenta in sacra Scriptura, quorum primum Matth.
desumitur ex verbis illis: *Cum esset vir iustus, & nol-* Chrys. hõ.
let eam traducere; vbi in Græco verbum, *traducere*, 4. in Mat.
significat *exemplificare*, vel *in exemplum ponere*: quam tom 2.
lectionem secutus Augustinus epistola ad Pauli- Euthym.
num vertit: *& nollet eam exemplare*, & epist. ad Ma- Theophyl.
cedonium legit: *& nollet eam diuulgare* : quod lati- c. 2. Matt.

& Niceph. lib. 1. c. 8. ibid. auct. imperf. Aug. 2. ep. 59. ad Paul. D.
Augu. ep. 54. ad Mac.

D. Christ. loco praecitato. Hilar. Theophyl. vbi supra Sapien. 4.

ne eleganter transtulit vulgatus Interpres: *& nollet eam traducere*, hoc est, *in populi fabulam, aut publicum vulgi sermonem offerre*. S. CHRYSOSTO. legit: *& nollet eam publicare, & in iudicium tradere* HILARIVS autē interpretatur, idem esse *traducere*, quod *legis exemplar edere in aliquem*, per quod iuste deberet condemnari: sed & THEOPHYLACTVS exponit, idem esse, *traducere*, quod *manifestare*, seu *punire crimen*, hancque esse vim huius verbi, non obscure indicant verba illa SAPIENTIS: *traducēt impios ex aduerso iniquitates ipsorum*: quibus consonat mod⁹ loquēdi D. PAVLI, dum ad COLOSS. ait: Christū Dominum *traduxisse confidenter Principatus, & Potestates*; quæ omnia confirmantur ex sequentibus verbis: *Cū nollet eā traducere, sed occulte dimittere*: vnum enim alteri opponitur.

Coloss. 2. Matth. 1. Ibid. Ioan. 20.

III. SECVNDVM fundamētum desumitur ex verbis Angeli dicentis Iosepho: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*: quibus verbis videtur intendisse Angelus quietum ac pacatum illum reddere, ne adulterium suspicaretur; ad id enim indicauit ei, eam de Spiritu sancto concepisse. Deniq; duplex opitulatur huic sententiæ ratio congruentiæ; Prima, quod quemadmodum Deus permisit dubitationem B. Thomæ Apostoli de Christi resurrectione dubitātis, dubitationisq; vulnera curauit, certissimosque de tanto mysterio nos reddidit; simili ratione oportebat Deū permittere Iosephū de castitate B. Virginis dubitare, vt sic omnino certos nos redderet, tū de Matris virginitate, tū de Christi per Spiritum sanctum facta conceptione. Secunda, vt sic exemplo suo iustus Ioseph, quo modo coniugati homines, quibus vxoris adulteræ misera sors contingit, pie, ac prudenter se habere debeant, docere: ita sentit D. AVG. de verb. Domini, dicens: *Si solus nosti, quia aliquis peccauit in te, & eū vis coram omnibus arguere; non es correptor, sed proditor. attende quemadmodum vir iustus Ioseph tanto flagitio, quod de vxore fuerat suspicatus, tanta benignitate pepercit, antequam sciret, vnde illa conceperat, quia grauidam senserat, & se ad illam non accessisse nouerat: restabat itaq; certa adulterii suspicio, & tamē quia ipse solus senserat, solus ipse sciebat: quid de illo ait Euāgelium? Ioseph autem cum esset vir iustus, & nollet ea diuulgare: Mariti dolor non vindictam quæsiuit; voluit prodesse peccanti, non punire peccantem*, hæc ille: quibus consonant alia D. AMBROSII in hunc modum loquentis: *Pulcre docuit S. Matthæus Euangelista quid facere debeat iustus, qui prauam coniugem deprehenderit, incruētum ab homicidio, castum ab adulterio præstare se debeat*.

D. Aug. ser. 16. de ver. Dom. cap. 7. in princip. tom. 10.

D. Ambr. l. 2. in Luc. ca. 1. in fin. tom. 1.

IV. VERVM quia in hac sententia illud aduersus eā vrgere videtur; quomodo iustus dicatur Ioseph, nolens traducere prægnantem vxorem; & non ex se, cum potius, quia iustus esset, deberet illam traducere, iuxta prçceptū legis LEVIT. vnde D. HIERONYMVS dixit: *Præceptum est, non solum reos, sed & conscios criminū obnoxios esse peccati*; Deinde, quia si noluit eam traducere, quia iustus erat, iustitia fuisset eam traducere, quod tamen nullus concedet, cum secundum legem licitum esset eam traducere. Ea propter dicendum arbitror in veteri lege non fuisse præceptum, vt falso putat THEOPHYLACTVS vt mariti adulteras vxores traducerent, sed permissum tantum, sicut permittebatur, & non præcipiebatur, vt mariti de vxoribus sinistre suspicantes ad sacerdotes eas adducerent, vt per eorum maledictionem, & potionem, quam illis porrigebant, rei veritas patefieret; quod autem dicit D. HIER. conscios criminum, si tacuerint, obnoxios esse peccati iuxta legem LEVI. intelligitur (vt patet ex contextu ipso legis) de illis, qui adiurati à Iudice vt testimonium ferant eius, cuius sunt conscii, indicare renuerint, vt egregie adnotauit CORNELIVS IANSEN. in Concord. Euang. Immo crediderim, si rem altius contemplemur, non potuisse Iosephum iure accusare Virginem vt adulteram, cum ad id probandum careret testibus; quomodo enim probare potuisset in iudicio fœtum, quem in vtero Virgo gerebat, à se non esse genitum? nisi dicas: perspecta & explorata virginei claustri integritate & inuiolata reperta, apertissime comprobari, fœtum non esse à Iosepho genitum; sed neque id, arbitror, euidentem rem ipsam faceret, cum naturaliter fieri possit Virginem concipere ex attractione seminis virilis absque violatione claustri, vt testatur Diu. THOM. AVERROES & MARSILIVS. Addo, quod potius mediū illud explorationis virgineæ integritatis faueret illi, quā noceret; quare existimo, quod in eo casu solum iure potuisset Ioseph Mariā traducere, seu diuulgare sacerdotibus, ad quos spectabat per potum zelotypiæ, & maledictionem, quam imprecabantur, periculum facere de eius fidelitate, aut infidelitate; quia ergo, licet hoc permissum erat Iosepho secundum legē, noluit eo legis rigore vti; idcirco dixit Euangelista, quod cū esset iustus, id est, pius & sanctus, noluit eam traducere, sed ad Deum orabat, dicens illud DAVIDIS: *Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum*. Atque tunc contemplor B. Virginem potuisse merito sibi vsurpare verba illa CANTICORVM: *Nigra sum, sed formosa sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*: Tu Ioseph suspicaris me domum esse instar tabernaculi Cedar, sed non sum, nisi vt Salomonis. *Cedar* quidem filius fuit Agar, quæ ab Abrahæ domo meruit cum filio suo eiici: *Eiice ancillam, & filium eius*: tabernaculūm aūt Salomonis fuit sanctuarium, in quo ante ædificationem templi deposita erat Arca & propitiatorium. Vnde perinde fuit, ac si diceret: Ea cogitatio (ô Ioseph) cruciat animum tuum, quod animatam hanc domū tuam existimas esse velut tabernaculum Cedar, in qua adulterinus filius commoretur, ac propterea de eiicienda matre cum filio cogitas; sed tua te fallit opinio; non enim sum, nisi velut tabernaculū Regis Salomonis, in quo mystica arca humanitatis Christi Domini sub clausura Virginei vteri mei delitescit, & in quo et continetur propitiatorium, imo & qui est ipsa propitiatio

Leuit. 5. D. Hieron. Leuit. 5. Cornel. Iansen. in concord. Euang. c. D. Thom. quodlibet. 6. art. 18. Auerr. 2. de cœlo, & Mars. 2. q. 13. ar. 1. ad 2. Matth. 1. Psalm. 118. Cant. 1. Genes. 21.

propeccatis nostri , Verbum Dei, caro factum.
V. ILLVD tamen, cui hæc sententia placuerit, ad-
uertere oportet, præcitatos Patres minime conce-
dere (cum id cum verbis Euangelij meo iudicio pu-
gnet) in illa falsa existimatione, quam S. Ioseph ha-
buit de B. Virginis integritate, quidquam peccasse;
tum quia, cum non agnosceret, nec agnoscere tũc
teneretur mysterium Incarnationis, & videret vxo-
rem suam prægnantem, certoque nouisset, se nun-
quam attigisse illam; certe a temerarii iudicii ma-
cula liber erat, & immunis prorsus eius existima-
tio; tum quia forsan iudicauit illam fuisse graui-
dam absque eius tamen culpa, vt si per vim fuisset
violati, cui delicto specialis in veteri illa lege erat
pœna statuta. Quod si defensores eius sententiæ
interroges, cur Virgo Iosephum cœlestis conce-
ptus certiorem non fecit, præcauens, ne in illam
suspicionem veniret? Respondent, quia se honorẽ-
que suum diuinę protectionis curę subesse sciebat:
si enim de Susanna, cum ab impiis hominibus
aniel. 13. adulterii accusaretur, dicitur: *Erat cor eius fiduciam*
habens in Domino, quid de Dei parente dicendum
est? equidem erat cor eius fiduciam summam
habens in Deo, qua velut anchora sic stabilieba-
tur, vt ne tenuis quidem trepidationis vel pertur-
bationis fluctus illud dimoueret: potuit Ioseph i-
pse vultus virginei serenitatem, modestiamque il-
lis diebus admirari, quæ recti mentem conscia m
satis indicabat; adultera enim fœmina virum ti-
met, fugit, eo viso exalbescit, ventris tumorem te-
git, ac premit, Virgo contra nec virum timuit, nec
fugit, nec eo viso vnquam exalbuit, nec ventris
tumorem aut pressit, aut occultauit, Dei prouiden-
tiæ se totam commisit, neque vero decepta est, ad-
fuit cordi confidenti Deus.
VI. ALII Patres in oppositam è diametro sentẽ-
tiam abeuntes, docuerunt B. Iosephum agnouisse
altissimum Incarnationis mysterium, idque signi
ficasse Euangelistam, cũ dixit: *Inuenta est habens de*
Matth. 1. *Spiritu sancto*. inuenta, exponit D. HIERON, *à Ioseph*,
qui licentia pene maritali omnia nouerat vxoris arca-
na: aiunt ergo, illum præsingulari sua modestia ac
humilitate matris Dei consortio indignum se iu-
dicantem statuisse in animo suo illam dimittere,
Exod. 3. memorem illius, quod dictum est Moysi: *Ne appro-*
pies huc solue calceamenta de pedibus tuis; locus enim,
in quo stas, terra sancta est. Certe S. Petrus simili hu-
Luca 5. militatis spiritu ductus, illam protulit vocem: *Exi*
à me, Domine, quia homo peccator sum: quibus etiam
Ioan. 1. consonant verba humilia D. IOANNIS Baptistæ: *Nõ*
sum dignus soluere corrigiam calceamenti; atq; in hu-
2. Reg. 6. ius figuram dicitur de Dauid: *Timuit introducere*
arcam Dei in domum suã: præ magna. n. sua humili-
tate dicebat: *quomodo ingredietur ad me arca Dei?*
Matt. 1. Amplexatus est hãc sentẽtiã in primis ORIGENES,
dum ait: *Iustus erat Ioseph, & illa virgo immaculata*
erat, sed ideo eam dimittere volebat, quoniã virtutem
mysterii, & sacramentum quoddã magnificũ in eadem
cognoscebat, cui approximare se indignum existimabat;
ergo humilians se ante tantam & tam ineffabilem rem,
quærebat se longe facere. hæc ille. Quibus persimilia
lego apud D. BASILIVM dicentem: *Inuenta est graui-* D. Basil.
da de Spiritu sancto; ambo inuenit Ioseph, & cõceptionẽ, ho. 25. t. 1.
& causam, quod de Spiritu sancto; quapropter timens e-
iusmodi mulieris vir nominari, clanculum ipsam di-
mittere voluit, non ausus publicare, quomodo res ipsius
haberent. cum autem esset iustus, assecutus est mysterio-
rũ reuelationẽ: nã dũ hæc ipsa animo versaret, Angelus
Domini apparuit ipsi per somniũ dicens: Ne timeas acci-
pere Mariã vxorẽ tuam; nec illud cogita, quod suspicio-
nibus absurdis obumbrabis peccatum: iustus enim ap-
pellatus es: non est viri iusti iniquitates silentio contege-
re; ne timeas accipere Mariam coniugem tuam; osten-
dit, quod nõ moleste tulit, neque fastidiuit, sed timuit i-
psã, veluti Spiritu sancto repletam: & illa verba Ange-
li: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*. idem
sanctus Doctor ostendit, quod Virginem Ioseph Matth. 1.
non sit abominatus, nec moleste tulerit, sed quod
eã metuerit, vt Spiritu sancto plenã: hæc ille. quibus
non possum egregia D. BERNARD. verba, etsi per
multa, non subiungere: ait enim: *Quare voluit di-*
mittere eam? Accipe & in hoc non meam, sed Patrum Matth. 1.
sententiam; propter hoc Ioseph voluit dimittere eam,
propter quod & Petrus Dominum à se repellebat dicens: Luc. 5.
Exi à me, Domine, quia homo peccator sum: propter
quod & Centurio à domo sua illum prohibebat, cum di-
ceret: Domine non sum dignus, vt intres sub tectũ meũ,
ita ergo & Ioseph indignum, & peccatorem se reputãs, Matt. 2.
dicebat intra se, à tali. & à tanta non debere sibi vltra
familiare præstari contubernium, cuius supra se mira-
bilem expauescebat dignitatem: videbat, & horrebat
diuinæ præsentiæ certissimum gestantem insigne, & quia
mysterium penetrare non poterat, volebat dimittere eã.
Expauit Petrus potentiæ magnitudinem; expauit Cen-
turio præsentiæ maiestatem; exhorruit nimirũ & Ioseph,
sicut homo, huius tãti miraculi nouitatem, mysterii pro-
funditatem, & ideo occulte voluit dimittere eam. Mi-
raris, quod Ioseph prægnantis sese consortio Virginis iu-
dicabat indignum, cum audias, & sanctam Elisabeth
eius non posse ferre præsentiam, nisi cum tremore qui-
dem, & reuerentia? ait namq; vnde hoc mihi, vt ve-
niat mater Domini mei ad me? Ideo itaq; Ioseph voluit
dimittere eam; sed quare occulte? & non palam? ne vi-
delicet diuortii causa inquireretur, exigeretur ratio.
quid enim vir iustus responderet populo duræ ceruicis,
populo nõ credẽti, & contradicenti? si diceret, quod sen-
tiebat, quod de illius puritate comprobauerat, nonne
mox increduli, & crudeles Iudæi subsannarent illum,
lapidarẽt illã? quãdo nãq; veritati crederent tacenti in
vtero, quam postea contempserũt clamantem in templo?
quid facerent necdum apparenti, cui postmodũ impias
manus iniecerunt etiam miraculis coruscanti? merito
ergo vir iustus, ne aut mentiri, aut diffamare cogeretur
innoxiam, voluit occulte dimittere eam. hanc eandẽ
opinionem sequutus Cancellarius Parisiens. tom.
4. in epistola quam de institutione festi D. Iosephi
scripsit, ait: Dei parentem, antequam ad Elisabe-
tham inuisendam abiret, stupendum Incarnatio-

nis myſterium chariſſimo ſponſo aperuiſſe, obſtupuiſſe vero (vt par erat) Ioſephum, & de coniuge dimittenda, quod illius conuictu eſſet indignus, cogitaſſe. Et VIGVERIVS in Theolog. inſtitut. cap. 20 §.9 tradit, ſanctitatis ſplendorem effulgentem poſt Chriſti conceptionem in integerrimæ Virginis vultu, in admirationem Ioſephum rapuiſſe: & paulo poſt: tanquam indignum ab eius conſortio ſe voluiſſe ſequeſtrare.

Theoph. in locum hūc Matth.
Ricar. ibid.
Ecki⁹ ibid.
Salmer. tom. 2. tract. 3.
S. Brigit. lib. 7. c. 25.

VII. TANDEM horum Patrum ſententiæ ſubſcribunt alii grauiſſimi Doctores, THEOPHYLACTVS, RICARDVS de S. VICTORE, ECKIVS, & SALMERON; fauetque illi inſigne teſtimonium ex reuelatione ſanctæ BRIGITTÆ facta, cuius verba ſunt hæc: *Poſtquam conſenſi nuncio Dei, Ioſeph videns vterum meum virtute Spiritus ſancti intumeſcere, expauit vehementer, non ſuſpicatus contra me aliquid ſiniſtrum, ſed recordatus dicta Prophetarum prænunciantium filiū Dei naſciturum de Virgine, reputabat ſe indignum tali ſeruire matri, donec Angelus in ſomnis præcepit ſibi non timere, ſed cum charitate mihi miniſtrare.* Confirmant eandem ſententiā rationes meo iudicio non parui momenti: Prima deſumitur ex variis verbis ipſius textus; *Inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto:* coniunctim enim hæc legenda ſunt, ne manifeſta vis literæ inferatur: vnde D. BASILIVS exponit: *Inuēta eſt grauida de Spiritu ſancto; ambo inuenit Ioſeph, & conceptionem, & cauſam, quod de Spiritu ſancto.* Eandem expoſitionem ſecutus THEOPHYL. dixit: *Vide, quid dicat: quoniam inuenta eſt in vtero habens; à quo inuenta eſt? à viro, hoc eſt, innotuit, quod ex Spiritu ſancto concepit, vnde clam voluit eam dimittere, & non audebat habere vxorem, quæ tantam haberet gratiam. Deinde ſacer textus ait: Cū eſſet iuſtus, noluit eam traducere*: quæ autem (quæſo) iuſtitia eſt, quæ iudicat re non comperta, & manifeſte explorata, ſed ex coniectura facile expugnabili? quæ hæc iuſtitia, quæ antequam expoſtulet & interroget, damnat? imo etiam quod damnat, non punit? nec puniri vult, imo impunē cenſet dimittendā adulterā?

Matth. 1.
D. Baſil. hom. 25. tom. 1.
Theophyl. ſuper cap. 1. Matth.
Matth. 1.

SECVNDA, quia ſi vera eſt eorum ſententia, qui dicunt Ioſephum paulo poſt Angeli Annunciationem, & Conceptionem Chriſti voluiſſe dimittere Virginem, certe tunc nullus potuiſſet fuiſſe tumor ventris, vnde illam grauidam ſuſpicaretur, nec etiam admiſſo, poſt tres menſes obſeruaſſe in illa tumorem illum, efficax argumentum id erat, eſſe prægnantem, cum ille ex aliis cauſis potuiſſet euenire: præcipue, quod cum eximia Virginis ſanctitas perſpecta ſatis eſſet Ioſepho; nouerat enim admirandam eius natiuitatem, præter omnium expectationem, præſentationem eius, cum triennis eſſet in Templo; famam integritatis vitæ illius; votum, quo virginitatem ſuam Deo ſacrauerat; miraculoſam cum illa deſponſationem, virga eius germinante, & Spiritu ſancto ſuper illam in forma columbæ comparente, vt auctor eſt D. HIERON. lib. de ortu Virginis, non facile adulterium ſibi perſuadere poterat. Item impie, ac ſine vlla miſericordia ageret, dimittendo vxorem abſque libello repudii contra præceptum legis DEVTER. in eo autem libello, ſi cauſam exponeret, vt lege tenebatur, & coram teſtibus, vt mos erat, ne confictus libellus poſſet exiſtimari, quomodo verum eſt, ipſum non voluiſſe eam traducere & publicare? E contra vero, ſi cauſam taceret, certe omnibus grauis ſcandali occaſionem dediſſet, vt qui ſine cauſa, & temere præclaræ indolis adoleſcentulam de ipſo grauidam exiſtimatam repudiaſſet. Demum non repugnabat vllo modo æquitati habitare cum vxore adultera, modo id fieret ad corrigendam errantem, eamque à ſcelere ad meliorem frugem reuocandam; nam id officium eſſet charitatis, & eminentioris perfectionis iuſtitiæ; nam ſi, vt Apoſtolus inquit: *Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem*, è contra etiam, ſanctificabitur mulier infidelis per virum fidelem: & nulla lex ſacra (vt exiſtimat B. AVGVSTINVS ſer. 26. de verb. Dom. & epiſt. 54. ad Macedon) cogebat virum ad deferendam coniugis impudicitiam: nec LEVIT. 20. nec DEVT. 22. quod autem PROV. 8. dicit SAPIENS: *qui tenet adulteram, ſtultus eſt, & inſipiens.* non damnat virum tenentem illam ad corrigendum, ſed tenentem adulteram incorrigibilem, & quæ in adulterio manere vult. hinc facile fuit Ioſeph aliis cauſis tumorem illum tribuere, & non adulterio, alioquin ex leui coniectura in temerarium iudicium proſiliiſſet.

Deut. 24.
1. Cor. 7.

VIII. TERTIA ratio: nam quæro, quando Ioſeph inuenit tumidum ventrem, vt iſti aiunt; ante ſalutationem ne Eliſabeth, an poſtea? certe ante ſalutationem dici non poteſt, quia cum tunc nullus tumor vteri eſſet, nulla poterat ſubeſſe ſuſpicio; conſtat autem ex LVCA, ſtatim poſt annunciationem in illis diebus aſcendiſſe in montana cum feſtinatione, & viſitaſſe Eliſabeth; ergo poſt ſalutationem accidiſſe aſſerendum eſt: nam poſt exactos illos tres menſes in domo Zachariæ poterat vterus intumeſcere. Rurſus quæro: fuitne Virgini Mariæ Ioſeph comes in illa profectione, an nō? & videtur quod omnino illam ſit comitatus, vt expreſſe docent D. BONAVENTVRA & VIGVERIVS, quos ſequuti ſunt multi recentiores, cū ea potiſſimum ratione diuino conſilio fuiſſet tanquam verus maritus illi aſſignatus, vt cuſtodiret illam, eſſetque ei perpetuus, & indiuiduus comes, ac miniſter, & inuiolatæ eius pudicitiæ teſtis, quomodo ergo potuiſſet nouus ſponſus Virginem puellam, ac teneram ad iter agendum alteri committere, cum ipſe ad eam curam eſſet delectus? vnde cū profecta eſt in Bethlehem, & fugit in Ægyptū, illā perpetuo aſſociauit. Deinde, quia Virgo ad Eliſabetham inuiſendam prope tempus paſchale profecta eſt: Paſcha enim quarta decima die mēſis Niſan agebatur, qui Aprili noſtro Martioque reſpondet, Virgo autem vigeſimaquinta die Martii cōcepit, & paulo poſt ad Eliſabetham profecta eſt: ergo cum ratione coniunctiſſimum eſt, Ioſephū illius fuiſſe comitem: ſiquidem omnes viri paſchali tempore Ieroſolymitanū

Luc. 1.
Ibid.
D. Bonau. in medit. cap. 5.
Viguer. in inſtit. c. 20 §. 8.
Suarez tom. 2. q. 35. diſput. 33.
Luca 1.
Luc. 2.

Tem-

[*Matth. 2. Luc. 1.*] Templum adibant: si ergo profectus cum illa est domum Zachariæ, vt est rationi & pietati consentaneum, certe audiuit illa verba Elisabethæ exclamantis: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui: & vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* quomodo igitur Ioseph eiusmodi verba audiens, sinistrum aliquid de Virgine cogitasset? vel nunquid surdus erat, vel stupidus, aut incredulus ad hæc in spiritu dicta, vel ad Canticum sponsæ suæ, vel Zachariæ? Quod si proterue dixeris, quod is non interfuit, saltem hæc quæ erant diuulgata in omnia montana Iudææ, referentibus cæteris accepisset, & si pius esset, credidisset vel quæsisset a Virgine, quæ certe illi non celasset hanc veritatem.

IX. QVARTA ratio: quia non videtur verisimile, quod si Ioseph ignorasset Incarnationis arcanum, Maria Virgo etiam non quæsita ei non patefecisset; tum quia sponsa secreta sua cum sponso communicare debet, maxime vt vitet omnem zelotypiam atque suspicionem; tum quia Elisabethæ à se visitatæ mysterium omne apertis verbis explicauerat, cui tamen minus debebat, quam proprio sponso; tum quia Virgo non putasset Ioseph fore incredulum, cum mysterium hoc à Prophetis fuisset prænunciatum, & eius complendi tempus immineret & signum virgæ suæ reflorentis in desponsatione visum satis illum ad fidem præstandam incitasset.

X. VLTIMA ratio: quia si Christus Dominus noluit Iudæos de matris suæ pudore sinistrum aliquid cogitare, atque ob eam causam voluit Matrem eius desponsatam, maluitque reputari filius Ioseph, quam quod quisquam turpem de matre sua opinionem conciperet; quanto magis rationi consentaneum est, noluisse iustum Iosephum eius virum de tanta Virgine horrendum adulterii scelus suspicari? & quidem cũ Dominus virgineæ Matris suæ pudicitiæ & honoris illius zelantissimus fuerit, iussisset quidem Angelo, quem ad Iosephum misit, vt eum reprehenderet, sicut & Abraham de [*Gen 18.*] risu in Sara reprehensus, & Thomas de increduli- [*Marc. vlt.*] tate, & Apostoli de tarditate fidei in Christi resur- [*Luc. 2.*] rectione.

XI. HANC ergo sententiam tot Sanctorum Patrum testimoniis corroboratam, ac neruosis rationibus munitam non possum non valde probabilem, ac piam iudicare; ad eius tamen maiorem probabilitatem stabiliendam, oportet, vt ea, quæ illam infirmare videntur, proponamus, & diluamus. Illud sane contra illam valde vrgere videtur, quod causam, quam Angelus reddit, cur sit Virgo retinenda a Iosepho, eandem præcitati Patres reddũt, cur illam vir eius dimittere voluerit; ex quo videtur hæc sententia Angeli verbis non cohærere: nam si propterea Iosephus relinquere vxorem volebat, quia diuinitus filium Dei concepisset, non dixisset [*Matth. 1.*] Angelus: *Noli timere accipere coniugem; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*: respondere enim posset Ioseph; ideo illam ego dimittere volo, quia ex Spiritu sancto concepit, non enim cum ea habitare audeo, quæ tantæ sanctitatis, & dignitatis est. Deinde Euangelista affirmat, Iosephum, quia vir iustus erat, noluisse Virginem traducere, id est, infamiæ nota afficere, sed voluisse tantummodo dimittere; ergo suspicabatur, conceptum illum non laude, sed ignominia dignum. Ac tandem, quia si Iosephus ex Spiritu sancto Virginem concepisse nosset, imprudentiæ fuisset non modicæ illam dimittere; è contra vero prudentiæ ac pietatis, velle illi inseruire, & ab eius consortio nunquam semoueri. Responderi potest ad hæc, THEOPHYLACTVM [*Theophyl. super cap. 1. Matth.*] super Matt præcitata verba Angeli in hunc modum exponere: *Tu quidem times adiungi illi, quia ex Spiritu sancto concepit: sed ne timeas accipere*: est enim vxor [*Gen. 2.*] tua, *& à Domino dictum est: Propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ*: Græce etiam illa particula, quam vertit Interpres (*enim*), interdum asserentis est, idemque pollet ac *sane*, vel *certe*. Sapientissimus SALMERON eamdem Theophylacti expositionem acceptans, conformem esse ait Hebraico cuidam Codici Matthæi, qui in hunc modum dicebat: *Ne timeas, vt accipias Mariam coniugem tuam, quia id quod natum est intra eam, de Spiritu sancto est*, id est: ne timeas accipere eam in coniugem tuam ob hanc causam, quia, quod natum est de ea, de Spiritu sancto est, sed cognosce in hac re necessariam esse operam tuam, vt Dei Patris officia exhibeas: vnde continuo subiunxit Angelus: *Pariet autem filium, & vocabis nomen eius IESVM*, [*Matth. 1.*] id est, pater eris in omnibus, excepta copula coniugali, quam suppleuit Spiritus sanctus, per actum enim imponendi nomen significauit Angelus integrum officium paternum; sicut per actum pascendi: *Pasce oues meas*, significauit Christus ple- [*Ioan. 21.*] nam potestatem, & iurisdictionem, quam Petro tradebat. Quod si cui durum videatur verba illa componere, quæ videbantur disiungenda, meminerit, quæso, non minus durum esse ea, quæ sunt coniuncta diuidere; nam cum dicitur: *Inuenta est* [*Matth. 1.*] *in vtero habens de Spiritu sancto*, quidam contendunt hæc diuidenda & disiungenda esse, quasi tantum Ioseph inuenerit eam prægnantem, non prægnantem de Spiritu sancto: sicut ergo illi hæc diuidunt, non possunt, qui hanc sententiam sectantur, coniungere illa: *Noli timere accipere Mariam*, [*Ibid.*] ob eam causam, quod conceperit de Spiritu sancto.

XII. ILLVD autem, quod de imprudentia obiici- [*Luc. 3.*] tur sancto Iosepho, nullius momenti est, quia vel- [*Matth. 8.*] le eam dimittere, ex affectu humilitatis processit; vnde sicut nemo dicet imprudentem fuisse D. Petrum, aut Centurionem, quod ille societatem, hic ingressum Christi in suam domum recusarit; ita nec Iosepho imprudentiæ adscribi potest, quod vellet tunc à Virgine discedere, indignum se reputans eius consortio.

XIII. INTER extremas has sententias supra comproba-

probatas ego mediam viam probabiliorem existimo; nimirum B. Iosephum, cum vxorem prægnantem vidisset, non existimasse quidquam mali de B. Virgine, sed nec quidquam boni, sed summa perplexitate cruciatum viriliter suspendisse iudicium, illud ECCLESIASTICI in memoriam reuocans: *Deprime cor tuum, & suscipe verba intellectus, & ne festines in tempore obductionis.* non desunt grauissimi Patres, qui huic sententiæ adhæreant; nam in primis CHRYSOSTOMVS, vel quicunque alius est auctor operis imperfecti, ait: quod cum variæ cogitationes in Iosephino pectore, velut duello micando præliarentur: nam grauiditas adulterium redolebat, sanctitas vero Virginis illud explodebat; vterus intumescens turpitudinem suadebat, ac castitas Mariæ Iosepho satis perspecta violatam eius virginitatem non patiebatur credere; sensus vrgebat aliquid turpe ibi adesse, at ratio pugnabat sanctitati Virginis magis videndum, quam vteri tumori credendum; cum (inquam) Ioseph variis his cogitationum fluctibus huc, & illuc ageretur, *tanquam vir iustus*, inquit CHRYSOST. *O inæstimabilis (Mariæ laus) magis credebat castitati eius, quam vtero intumescenti, plus gratiæ, quam naturæ conceptionem manifeste videbat, & fornicationem suspicari non poterat, possibilius credidit, mulierem sine viro posse concipere, quam Mariam posse peccare*: reddens autem rationem, quare nihil mali suspicatus fuerit Ioseph, ait: *quoniam auditio verborum Mariæ, & consideratio vitæ eius mala suspicari de ea non sinebat Ioseph; consideratio autem conceptionis eius non permittebat eum ad plenum bona æstimare de ea; & sic animus eius inter vtrasque partes fluctuabat, & tenere eam timebat, & tradere eam non audebat, propter hoc necessaria fuit ei reuelatio diuina.* hæc ille.

Eccl. 20.

Chrysost. hom. 1. in c. 1. Matth.

Ibid.

XIV. ADSTIPVLATVR eidem sententiæ D. HIERONYMVS, dum opinatur, Ioseph nihil mali suspicatum fuisse de B. Virgine, sed latuisse illum tunc mysterium Incarnationis, & ideo in admirationem raptum suspendisse iudicium. verba HIERON. sunt hæc: *Hoc testimonium Mariæ est, quod Ioseph sciens illius castitatem, & admirans, quod viderat, celat silentio, cuius mysterium nesciebat*: subscribit eidem AYMON, dum in vigilia Natiuitatis ait: *Cur dimittere eam voluit? ideo scilicet, quia nec totum sciuit, nec totum ignorauit. Nouerat in vtero habentem non de carnali concubitu, sed spiritali virtute, de quo vero spiritu conceperit, ignorabat: quod ei aperitur, quasi nescienti de spiritu, dum inducit sancto*: & Glossa ordin. in Matth. ait: *Sciebat illam esse inculpabilem, sed vnde, vel quid esset, ignorabat; & ideo mediam elegit viam effugiendi, vt neque innocentem proderet, neque rei incognitæ consentiendo se reum faceret coram Deo. Vera virtus est, cum nec pietas sine iustitia, nec sine pietate iustitia, quæ separatæ ab inuicem dilabuntur.* Fauentque eidem sententiæ non parum verba MATTHÆI: *Hæc eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph*: ex quibus non obscure colligitur, quod nondum deliberauerat, nec determinate iudicauerat, Virginem quidpiam turpe commisisse, sed tantum apud se variis cogitationibus agitari, variasque rationes hinc, & inde emergentes attenta meditatione explorasse. In quo sane prudenter se gerebat, dicente ECCLESIASTICO: *Vir in multis expertus, multa cogitabit*: non solum autem in eo prudentem, sed virum prodigiosæ iustitiæ, & bonitatis se ostentauit, cum sponsæ tumentem vterum, & ad sensum indubitata conceptus signa videns, neque expostulauit ab vxore, nec questus est apud affines, nec zelotypiæ ardore excanduit, nec in ius sponsam vocauit, aut ad subeundam pœnam exposuit, sed æstus suos apud semetipsum pressit, tantum de diuortio cogitans, vt indicat Euangelista dicens: *occulte voluit eam dimittere.* hæsitans enim ob quasdam rationes, adulterium metuebat; ob alias rursum ab hac cogitatione se reuocabat, quod exploratos haberet inculpatissimos vxoris mores; spiritumque diuinum vndiq; sese prodere in ipsius oculis, gestu, incessu, & sermone; fierique posse nō dubitabat, vt ex Deo, à quo necesse est pendeat omnis fœminarum conceptus, vxor eius nouo modo concepisset; maxime quod non ignorabat vaticinium ISAIÆ: *Ecce virgo concipiet*, & quod iam proximus erat aduentus Messiæ, iuxta Danielis computationem in suis hebdomadibus, metuens ergo, se diuinam maiestatem offensurum, si aut seruaret, quam adulteram timebat, aut traduceret cum infamiæ periculo, quam ex Deo concipere potuisse autumabat, nec voluit illam traducere, nec seruare, sed occulte dimittere. Quem autem modum in dimittendo illam decreuisset, non est vna omnium sententia; nam RVPERT. & ABVLENS. quos secutus est SIMON DE CASSIA, fugam fuisse meditatum, sicut fecit Dauid, aiunt; quod & factitarunt non pauci propter diuersos rerum euentus; CORNELIVS vero IANSEN. ait: voluisse illam dimittere, libello repudii dato, quem secreto, & non in publico dari potuisse existimat; nec infirmat hanc Cornelii sententiam, quod obiicit Abulens. non potuisse libellum repudii dari, nisi consummato matrimonio; tum quia verba legis DEVTER. nullum prorsus verbum habent de matrimonii consummatione; tum quia si permissum erat eo tempore libellum repudii dare vxoribus infidelibus post consummatum matrimonium, & ablatam virginitatem, cur non etiam ante sine tanto detrimento dimitterentur? quia tamen existimo libellum non potuisse dari, nisi publica auctoritate, vt sic inspicientibus fidem faceret, & ne quisque, prout suo arbitrio libuisset, libellum daret; idcirco verisimilius censeo, Iosephum voluisse dimittere Virginem per fugam, non per libellum, alioquin volens non traducere, traduceret eam.

Aymon in vigil. nat. Dom. in par. hyem. sub init.

Gloss. ord. in 1. c. Mat.

Matth. 1.

Eccl. 34.

Matth. 1.

Isai. 7.

Deut. 24.

XV. ILLVD tamen minime silentio præteribo, quid secundum hanc mediam sententiam, quam, iuxta multorum Patrum auctoritatem, veriorem censemus, dicendum sit ad obiectionem illam, quod cum Ioseph comitatus fuerit Virginem vsq; ad

ad domum Zachariæ, non potuit Incarnationis mysterium ignorasse, cum palam de illo collocutæ fuissent Maria, & Elisabeth. Quidam recentiores Interpretes, vt hanc difficultatem fugiant, fatentur Iosephum intemeratam virginem non fuisse in illo itinere comitatum, quod plane videtur sensisse

Lyran. sup. Matth. 1. LYRANVS, dum ait: *De licentia Ioseph abiit ad cognatam suam; ipsa autem redeunte, videt Ioseph vterum eius grauidum*: & GRATIANVS in vita S. Ioseph refert, eo tempore occurrisse fabrile quoddam opificium, quod recusare non potuit S. Ioseph, & ob hoc impedimentum non fuisse comitatum Virginem: sed quia in hanc sententiam minime gentium duci possum propter rationes, quas supra commemoraui, facilius crediderim diuino consilio factum esse, quod ob aliquam rationem nobis ignotam, quamuis Ioseph comitatus fuerit B. Virginem, colloquio illi inter ipsam & Elisabeth non adfuerit; vel si adfuit, diuinitus impeditum fuisse, ne mysterium Incarnationis agnosceret; sed quod per Angelum postea ipsi innotuit, propter multiplices fructus ex perplexitate illa Iosephi postea percipiendos.

XVI PORRO, ex hoc illustri Iosephi exemplo vellem nos edoceri, primum negotia, quæ occurrunt, antequam censuram eorum feramus, diligenter discuti debere, iuxta illud IOBI: *Causam,*
Iob 29. *quam nesciebam, diligenter inuestigabam*: sic DANIEL
Dan 11. diligenter examinauit illos duos senes, antequam
3. Reg 3. morti adiudicaret; & Salomon sapientissime explorauit contentionem illam duarum mulierum, & prudentissime illam diremit: imo & Festus noluit
Actor. 24. subito Paulum iudicare, priusquam accusaretur, & audiretur, eiusque causa perspicua fieret: præterea, quod omnia hæc longe superat, Deus ipse (vt sacra GENESEOS refert historia) tametsi infinita sapientia præditus, & quem nihil latere potuit, descendit ad exemplum nostrum, vt videret ædificatores Turris Babel, priusquam eos puniret: & similiter
Gen. 11. priusquam Sodomitas igne de cœlo cadente de-
Gen. 19. strueret dixit: *Descendam, & videbo*: & quidem si adhuc multa perpendentes sæpe allucinamur, & aberramus, necesse est in plures prolabi errores, si attenta meditatione varia, quæ menti occurrunt, non discusserimus.

XVII. SECVNDVM documentum, idque apprime necessarium, quod ex facto D. Iosephi elicere debemus, est, vt sicut ille grauidam intuens sponsam, nihil temere de ea iudicauit, sed iudicium suspendit; non secus nos de proximorum gestis, etiamsi quidpiam mali præseferre videantur, temerarium iudicium non feramus, sed omnem temeritatem cohibentes, in eorum potius excusationem, quam criminationem propendamus: Certe si falsa ac temeraria iudicia, quæ sacra commemorant eloquia, in medium mihi proferenda essent; non possent sine tædio legentium referri; præcipua tamen silentio præterire non debeo, vt inde discamus temeraria coercere iudicia. Postea quam Assuerus infen-

de V.B.

sus fuit contra Aman, cum hic iaceret supra le- Esther 7.
ctum, rogans eum pro salute sua, suspicatus est statim Rex, quod Reginam vellet opprimere. Laban Gen. 31.
illico iudicauit, quod Iacob asportaret Deos suos, Gen. 43.
cum tamen eum explorasset, non inuenit eos. Fratres Ioseph ad conuiuiū inuitati crediderunt, quod Gen. 20.
is vellet eos seruituti subiugare: Abraham putabat, quod in Geraris occideretur pro vxore sua, & tamen non fuit ita. Discipuli Domini timebant PAV- Actor. 9.
LO adhærere, cum tamen esset conuersus. Heli vi- 1. Reg. 9.
dens Annam sibi non respondentem, existimauit eam ebriam esse. Misit Dauid, qui consolarentur 2. Reg. 10.
Hanon propter obitum patris, & tamen ciues suspicati sunt, quod causa explorandi venissent. Pro- Iud. 15.
ficiscitur Samson ab sponsa, vt parētes suos visitet, & putat socer eius, quod ex odio sponsæ fugeret, & alteri illam nupsit. Vaghao cubicularius Holofer- Iudith 14.
nis facile iudicauit Holofernem cum Iudith dormire, re tamen ipsa aliter se habente: Michol Daui- 2. Reg. 6.
de coram Arca Dei saltante, impudorem illum animi leuitati tribuit, quod tamen non nisi pietati, & humilitati adscribendum erat. Amici Iob impatientem iudicarunt IOBVM, patientię speculum, di- Iob 4.
centes: *Defecisti conturbatus, vbi est fortitudo tua, patientia tua?* cum IEREMIAS iret per portam Benia- Ierem. 43.
min, custos portæ falso ei imposuit, quod confugeret ad Chaldæos: vxor TOBIÆ videns eum cæcum Tobiæ 2.
dixit: *Manifeste vana est spes tua, & eleemosynæ tuæ modo apparuerunt.* Discipuli videntes Christum su- Matth. 4.
pra mare ambulare, continuo phantasma esse iudi- Matth. 7
carunt. Pharisæus ille, qui Christum inuitauerat, videns mulierem peccatricem ad pedes illius, nec illam à se expulisse, iudicauit illum non esse Prophetam. Alius item Pharisæus, videns Publicanum Luca 7.
orantem, male de eo suspicatus est. De Cæco nato discipuli eius interrogarunt: *Quis peccauit, hic, aut* Ioan. 18.
parentes eius? temere iudicantes, cæcitatem illam ex peccato ipsius, vel parentum prouenisse: & cum in cruce Christus dixit: *Eli, Eli*, temere iudicarunt Actor. 2.
Eliam vocasse in auxilium suum. De Apostolis variis linguis loquentibus dixerunt Iudæi, quod ebrii erant. Melitenses videntes viperam pendentem de manu Pauli, homicidam eum esse crediderunt; vipera vero excussa cum nil mali haberet, Actor. 28.
eum Deum esse promulgarunt, & in vtroque temeraria existimatione se præcipitarunt: sicut & olim pater eorum Diabolus temere iudicans, quod si Deus Iobum affligeret, ac variis laboribus vexaret, amissa patientia, maledictione in illum insurgeret, cuius iudicii temeritatem exitus ipse probauit; ait enim Scriptura: *In omnibus his non peccauit Iob.* Iob. 1.

XVIII. AVDIAMVS iam Patres, quid in hoc genere argumenti dicant: D. AVGVST. *Perniciosum est,* D. August.
cum quis male senserit, forte de bono nesciens: qualis sit, in Ps. 147.
quid perdo, si credo, quia bonus est: si incertum est, vtrū sit malus, licet quidem caueas, ne forte verum sit, non tamen damnes, tamquam verum sit, hoc pax iubet, D. Bern.
quære pacem, & sequere eam. D. BERN. hanc egregiam sup. Cant.

ſententiam docuit: *Caue alienæ conuerſationis eſſe, aut curioſus explorator, aut temerarius iudex, etiam ſi perperam actum quid deprehendas, nec ſic iudices proximum, maxime autem excuſa intentionem, ſi opus non poteſt: puta ignorantiam, puta ſubreptionem, puta caſum, quod ſi omnẽ omnino diſſimulationem rei certitudo recuſat, ſuade nihilominus ipſe tibi, & dicito apud te: vehemens fuit tentatio: quid de me illa feciſſet, ſi accepiſſet in me ſimilem poteſtatem?* S. IOAN. CLIM. maiora his poſtulat dicens: *Etiamſi in ipſo animæ à corpore digreſſu quempiam peccare videris, nec tunc quidem illum damnare audeas: incertum eſt enim hominibus iudicium Dei.* ſubdit: *Sicut elatio ſola, abſque alio vitio comite, perdere ſe habentem poteſt, ita & iudicandi vitium, etſi ſolum in nobis fuerit, perfecte nos perdere valebit; ſiquidem Phariſæus ex hoc condemnatus eſt.* Tandem B. LAVRENTIVS IVSTINVS hæc quæ ſequuntur, ingenio, & pietate eius digna ſcripſit: *Hinc quorumdam præſumptuoſorum eſt redarguenda temeritas, qui ne dum proximorum opera diſcutiunt, verum etiam alieni cordis ſe faciunt iudices; volunt quippe iudicare, quales ſint hominum cogitationes, quibus ducantur affectionibus, qua intentione operentur, quoue ſpiritu moueantur, quod omnino non licet, cum nemo ſcire valeat, quid agatur in homine, niſi ſpiritus hominis qui in illo eſt; quamquam perſæpe contingat, quod ſibi ipſi ignotus ſit: diuinã in ſe tales reflectunt auctoritatem, quæ interiorum ſola eſt capax, dum intentionum cogitationumq; abdita penetrare poſſe ſeputant, de his legitur ſic: Ambulabunt in tenebris, ſicut in meridie. Porro quemadmodum in meridie, ita illi in tenebris ambulare dicendi ſunt, qui mentium proximorum profunda conſilia curioſa inueſtigatione perluſtrant, & ex hoc iudicia temeraria confingentes, in nocte ignorantiæ ambulantes, meridiem ſe aſpexiſſe exultant. Tales Apoſtolus redarguens ait: Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. præcauenda prorſus ſunt à fidelibus iſta iudicia, quæ abſque peccato fieri nequeunt; cum ex quadam cordis vt plurimum temeritate proueniant; ipſi ſoli cordium ſunt humiliter reſeruanda iudicia, qui in æquitate iudicaturus eſt orbem.*

S. Ioã. Climac. grad. 10 ſuæ ſcalæ.

Ibid.

B. Laur. Iuſt. lib. de ſpirituali animæ interitu.

Pſalm 81.

1. Cor. 4.

XIX. HANC Patrum doctrinam confirmemus & nos tum ſacra Scriptura, tum & ratione. Audi D. PAVLVM tu, qui proximum temere iudicas (ſic enim loquitur:) *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? in quo enim alium iudicas, teipſum condemnas.* Quod ſi à me ſciſciteris, in quo ſe condemnat? plane in hoc, quod læſæ maieſtatis diuinæ reum ſe exhibet, auctoritatem arcana cordis iudicandi (quod proprium eſt ſolius Dei) ſibi petulanter vſurpans: vt enim dixit Diuus IOANNES CLIMACVS: *Iudicare eſt impudens direptio diuinæ dignitatis.* Præcipiebat Dominus in LEVITICO, vt ſeptem diebus leproſus clauderetur; non permiſit Deus ſacerdotem facile de lepra iudicare, ſed ſuſpendi voluit iudicium ſeptem dierum ſpatio: ſi igitur Dominus non permiſit ita facile de lepra, quæ oculis cernebatur, iudicare; quomodo permittet te de cordis proximi tui malitia ſtatim ſententiam ferre? In libris Regum dicitur, quod Bethſamitæ, cum Arcam Domini nimis curioſe intuerentur, illorum percuſſit Dominus ſeptuaginta viros, & quinquaginta millia de plebe; quanto (obſecro) ſecretius eſt ipſum hominis cor, quam illa? quanto ergo maior temeritas penetralia cordis hominis iudicare, quam ſecreta loca Arcæ illius ſcrutari?

ad Rom. 2.

D. Ioan. Climac. in ſua ſcala gra. 10.

Leuit. 13.

1. Reg. 6.

XX. CAVSARVM vero, ob quas homines adeo frequentes in temeraria iudicia incidant, primam affert S. CHRYSOST. dicens: *Sicut difficile aliquem ſuſpicatur malũ, qui bonus eſt; ſic difficile aliquem ſuſpicatur bonũ, qui malus eſt, vt enim dixit ſapiens: In via ſtultus ambulãs, cum ipſe ſit inſipiens, omnes ſtultos æſtimat.* quod ſatis experientia ipſa comprobat, auarus de auaritia, libidinoſus de libidine, ambitioſus de ambitione facile alios temere iudicat, omnes ſibi perſimiles putans; quemadmodum enim in vaſe immundo omnis infuſus liquor corrumpitur, & in languido ſtomacho quicunque cibus, vel pretioſus perditur, & in malos conuertitur humores; atque virga quantumcunque rectiſſima, in aquam immiſſa apparet obliqua; ita quamuis opera alicuius ſint ſancta, & mirabilia, ſi cadunt in animos odio & nequitia infectos, & oculis praue affectis iudicentur, cordibuſq; impietate refertis expendantur, apparebunt vtiq; illis deformia, praua, & peruerſa. Talibus animis illi Phariſæi intuebantur opera noſtri Redemptoris, & ſic blaſphemo corde dicebant: *Dæmonium habes, Samaritanus es:* Quemadmodum etiã radius Solis per vitrũ ingrediens variis colorib. pictum, vitri ipſius colores, non autem ſuum repræſentat, vt cum Sol ſit vnus atque idem, diuerſus tamen pro colorũ varietate appareat; ſic homo affectu corruptus, nõ veros ac natiuos factis colores tribuit, ſed qualis eſt eius affectio, tali colore rem ipſam depingit: ingrediens enim iudicium per affectum ipſius, affectus colorem oſtendit; vnde videas eadem, quæ vnus laudat, ab alio vituperari, quare prudenter quidem AGESILAVS (vt eſt apud PLVTARCHVM) quoties audiebat aliquos de aliorum laude, vel vituperio teſtimonium dicere, exiſtimabat non minus eſſe inquirendos & diſcendos eorum mores, qui loquebantur, quam eorum, de quibus verba faciebant.

D. Chryſ. ſuper Matt.

Eccleſ. 10.

Ioan. 8.

XXI. Ac tandem, ſicut eadem pluuia de cœlo decidens, in lilio flores, in vite vinum, in rubo vepres, in cicuta venenum producit; & ſicut ex eodem odorifero floſculo apis dulciſſimum mel, aranea vero peſtiferum virus gignit, ita quidem ex eodem opere proximi, iuſti ædificationem, peccatores ſcandalum decerpunt, omnia in malã partem conuertentes, inſtar Phariſæorum, qui diuina virtute Chriſtum Dominum ab humanis corporibus dæmonia expellentem diabolicæ poteſtati temere adſcribebant: *In Behelzebub principe Dæmoniorum eiicit dæmonia:* & cum verba illa: *ſoluite templum hoc, & in triduo reædificabo illud*, duplicem ſenſum

Luc. 11.

Ioan. 2.

ſuſtine-

sustinerent, vt intelligi possent vel de Templo ma
teriali, vel de templo corporis sui, ipsi perperam de
primo intellexerunt, omnia vertentes in deterio-
rem partem.
XXII. SECVNDAM causam, frequenter incidendi
in varia iudicia temeraria, arbitror esse, quod per-
multi magis aliorum gesta considerant, quam pro-
pria: si enim quisque sibi attenderet, aliorum vitas
non exploraret. Tetigit hanc causam S. IOANNES *[Io]. Cli-*
CLIMACVS in sua scala his verbis: *Qui celeres, ni-* *[ma]c. in sua*
miumque diligentes proximi delictorum iudices sunt, hoc *sc[al]a gra-*
idcirco patiuntur, quia nondum suorum peccatorum *d[u] 10.*
fixam atque perfectam memoriam curamque suscepe-
runt; nam si quis amoto proprij amoris velamine mala
sua diligenter inspiciat, nullius iam rei alterius in hac
vita curam geret; id apud se reputans, tempus sibi suf-
ficere non posse, quo seipsum lugeat. Sunt quidem non
pauci ad alienos defectus inspiciendos lynceis o-
culis præditi, ad proprios vero instar Talpæ lumi-
nibus carentes, quibus ad amussim cõuenit figmẽ- *[Æ]sopus.*
tum illud Æsopi dicentis: huiusmodi homines
duas peras secum ferre, vnam ante se, alteram à
tergo; & in anteriori aliorum peccata reponere, vt
ante oculos illa habeãt, in posteriori vero propria,
quæ proinde conspicere nequeunt, hos persimiles
ego dixerim oculis, qui cum alia prospiciant, sei-
psos non intuentur. Memorãdum in hac parte ex-
emplum reliquerunt nobis Apostoli Christi Domi-
ni, qui cum audirent illum dicentem: *Vnus vestrũ*
me traditurus est: nemo ad alterius exploranda fa- *[M]atth. 26.*
cta, sed propriam conscientiam discutiendam se
conuertit: nemo de alio, etiam de Iuda, temere
illum traditorem esse iudicauit; sed magis singuli,
vnusquisque, ne ille esset, de seipso timuit; di-
cebant enim: *Numquid ego sum Domine?* verum,
tametsi hoc illustre exemplum sit, longe illud supe- *[I]bid.*
rat, quod sanctus Ioseph nobis exhibuit, dum gra-
uidam videns vxorem suam, & non ex se, adulterã
minime iudicauit: hoc valde commendat eximiam
Iosephi probitatem, ac sanctitatem: Cui, cum vxo-
re sua, & eius filio sit honor & gloria in sæcula sæ-
culorum, Amen.

HOMILIA XI.

Ostenditur multis nominibus beatissimo Iosepho ho-
norificẽtissimam Patris Christi nomenclaturam
deberi, & quam magna hæc dignitas fuerit, va-
riis animi conceptionibus perpulchre explica-
tur.

I.  VAMVIS sacra pagina nos doceat,
Christum Dominum virtute Spi-
ritus sancti absque virili opera
ex purissimis Mariæ sanguinibus
conceptum fuisse, vt aperte in-
dicauit Angelus Iosepho dicens:
Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est: eadem ta- *Matth. 1.*
men Iosephum PATREM CHRISTI fuisse appellatũ,
apertissime nobis testatum reliquit; quia non so-
lum ait, sic vocatum ab his, qui Incarnationis ar-
canum ignorabant, dum dicebant: *Nonne hic filius* *Matth. 13.*
fabri est? sed & à sacro Euangelista LVCA, qui diuino *Luc. 2.*
spiritu afflatus dixit: *Erant pater, & mater eius mi-*
rantes super his, quæ dicebantur: immo & iterum, *cum*
inducerent puerum Iesum parentes eius: beatissima-
que Virgo, ac omnium Euangelistarum sapientis-
sima PATRIS nomine pleno ore eum cohonesta-
uit, cum dixit: *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus* *Ibid.*
te, veracissime potuisset dicere: sponsus meus, & e-
go: vel nutritius tuus, & ego: his tamen omissis,
non dixit: nisi *Pater tuus, & ego*, vt nos omnes al-
liceret ad honorandum beatissimum Iosephum,
super hoc celeberrimo titulo PATRIS Christi, qui
adeo excelsus est, vt quandam præseferat auctori-
tatem supra Christum, quo nihil sublimius dici po-
test.
II. CVM ergo nomina diuini spiritus nutu impo-
sita consonent rebus, non potest non patris Christi
nomen Iosepho diuinitus per os Mariæ imposi-
tum non ad amussim ei congruere. Et quidem in
primis CHRISTI PATER apte conuenit vocitari,
quia, vt docuit D. AVGVSTINVS, ipse Christum Do-
minum in filium adoptauit, & paterna omnia offi-
cia, quæ patres exhibere solent, diligentissime IESV
præstitit: verba D. AVGVSTINI hæc sunt: *Nec enim* *D. Aug.*
propterea non erat appellandus Ioseph Pater Christi, *lib. 2. de*
quia illum non genuerat; quando quidem recte pater *consensu*
illius esse potuit, quem non ex sua coniuge procreatum *Euang. c. 1.*
aliunde adoptasset; cui sane adoptioni Christus con-
sentiens, visus est plane in patrem suum legalem
illum elegisse. Vnde quemadmodum qui solum per
electionem, & non iure sanguinis ad regiam di-
gnitatem ascendit, non minus à cunctis rex voci-
tatur, nec minor obedientia & honor ei defertur,
quam si ex paterna hæreditate regnum obtinuisset;
ita quidem licet, vt obseruauit D. DAMASCENVS, Io- *D. Damas.*
seph natura pater Iesu non exstiterit, tamen quia *orat. 13.*
ex Christi electione in patrẽ suum ipse eum assum-
psit, iure quidem honorificum adoptiui PATRIS IE-
SV nomen sibi vendicat, & veluti patri obedientia
& honor illi debetur.
III. ET quidem non parum Iosephum commen-
dat, quod ille, cuius filii adoptiui sunt Martyres,
Confessores, Apostoli, & omnes Sãcti, ipse Iosephi
adoptiuus filius esse voluerit, deinde BERN ser. de *D Bern.*
Annunc. vocat D. Iosephũ NVTRITIVM CHRISTI; *ser 3. sup.*
nihil autem frequentius apud infantes, quam nu- *missus.*
tritium nutricis virum patrem suum compellare;
tanto autẽ magis nomen hoc PATRIS ei conuenit,
quanto exactius, ac diligentius nutritii munus
erga Iesum exercuit, ac sedulam eius curam gessit.
hinc Diuus CHRYSOSTOMVS eleganter dixit: *D. Chrys.*
Non quia ex Spiritu sancto est, idcirco te à ministerio *hom. in*
tanto æstimes desponsationis extraneum; nam & si ni- *Matth.*
hil habeas in hac generatione commune, tamen quod

eſt proprium patris, quodq́ nihil lædit Virginis dignitatem, hoc tibi facile concedo; quanquam enim non ſit filius tuus, tu tamen curam erga illum, & ſollicitudinem oſtendis parentis.

IV. Ad hæc: ſi pupilli tutores ſuos merito Patres vocare conſueuere, plane hoc etiam nomine Ioſeph pater Chriſti vocari meretur, vt auctor eſt Rvpertvs, qui verſans illa verba: *Iacob autem genuit Ioſeph*: poſtquàm totam illam generationum ſeriem ſcalæ Iacob comparauerat, ait ſupremum ſcalæ gradum, cui Dominus innixus erat fuiſſe Ioſephum, & interrogans; quomodo ergo nitebatur? reſpondet, *vtiq́ tamquã tutori pupillus, quippe qui in hoc mundo ſine patre natus eſt, ita innixus eſt huic beato Ioſepho infantulo pater optimus, cuius ſolatio paterno puer cum Virgine puerpera ſuſtentaretur.*

Rupert. de diu off. c.18 & l I de glor. & hono. filii homin. in Matt.

V. Vt tamẽ Ioſephum tutoris munus erga Chriſtũ præclare exercuiſſe demõſtremus, placet in memoriã reuocare hiſtoriam illam Valerii Maximi referentis, quod cum Ptolomæus Rex Ægypti filij ſui tutorem Senatum Romanum conſtituiſſet, cõtinuo ille elegit Marcum Lepidum Pontificem Maximum, qui bis fuerat Conſul, virum adeo excellentem, qualem verba illius ſatis commonſtrãt, ad pueri tutelam gerendam: *Alexandriam miſit, ampliſſimi & integerrimi viri ſanctitate, Reipub. vſibus, & ſacris comparatam, quem externæ procurationi vacare voluit, ne fides Ciuitatis noſtræ fruſtra petita exiſtimaretur*: additq; tunc à Republica monetã fuiſſe excuſam; in cuius altera parte *fœmina* cõparebat, cum hac inſcriptione: *Alexandria*: in altera vero hic aderat titulus: *Marcus Lepidus Pontifex maximus tutor regis*: quibus ſignificare voluerunt, Alexandriam, & Marcum Lepidum bonæ educationis Principis curam ſuſcepiſſe; ſi ergo ad regis terreni educationẽ vir quæritur ab hominibus variis virtutũ ornamentis cohoneſtatus, qualem (quæſo) putabimus diuinam illam ſapientiam delegiſſe, vt tutor eſſet, & cuſtos cœleſtis regis? Sapiente dicente: *Qui cuſtos eſt Domini ſui glorificabitur, & qui ſeruat fructum, comedet fructus eius.* Quod ſi ad cuſtodiam noſtram Deus ſpiritus Angelicos deſtinauit, ſane cum loco Angeli cuſtodis, qui Chriſto nullus fuit aſſignatus, quia ipſe potius erat cuſtos Angelorum, eos qui nõ ceciderunt, à caſu præſeruans, cum (inquam) S. Ioſeph in Chriſti cuſtodẽ fuerit diuinitus ordinatus, non dubito, quin ipſos etiam angelicos cuſtodes lõge præcelluerit. Quod ſi de Angelis ait David: *Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Ioſeph in via ad Ægyptum, & in via ex Ægypto ad propriam patriam Chriſtum infantẽ cuſtodiuit, & velut alter Raphael Tobiam iuniorem incolumem ad propriã domum reduxit, immo & ab immatura morte, quã Herodiana tyrannis ei inferre moliebatur, diligenter eripuit. Et ſi de eiſdem Angelis ait idem Regius Vates: *In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*, quis, quæſo, in dubium reuocabit hunc ſacrum cuſtodem, tamquam Chriſti nutritium, per fragoſa illa Ægypti itinera manibus & brachiis illum amplexantem, tamquam diuinum Athlantem non ſemel eum portaſſe: *Qui tribus digitis appendit omnem molem terræ?* vnde Gratianvs vir doctiſſimus in vita S. Ioſeph, quam Hiſpano idiomate in lucem edidit, ait: *San Ioſeph como Amo de leche, tomaua el ninno en ſus bracos, y le traiia cantando cantarcicos, acallauale ſilloraba, brizabale paraque ſe durmieſe en la cuma, gergeabale, regalabale, y dabale diges, como à ninno, y quando ſalla fuera de caſa, le traia el paſarito, y la manzana, y coſas ſomeiantes, de que ſuelen guſtar los ninnos, haciendoſe ninno, porq́ trataba con Dios hecho ninno*: vnde D. Ber. in Cant. dixit: *Arbitror & Ioſeph virum Mariæ ſuper genua frequenter puero arriſiſſe.*

Val Max. li. 4. c. 4.

Prou. 28.

Pſal. 90.

Ibid.

Iſaiæ 40.

Gratia. in vita S. Ioſeph. lib. 2. c. 2.

D. Ber. ſer. 43. in Cãt.

VI. Hanc autem ſedulam cuſtodiam, quam beatiſſimus Ioſeph habuit Ieſũ & Mariæ, non obſcure adumbratã reperio in illo antiquo paradiſo, in quo conſtituit Dñs primum hominem principem rerũ omnium, cui cõmiſit cuſtodiam Paradiſi, & maxime ligni vitæ & fontis illius perennis, ex quo irrigatur orbis: lignũ vitę Chriſtus eſt, fons perennis & ſignatus, ex quo aqua vitæ proceſſit, ſanctiſſima eſt Dei Genitrix; Ioſeph præpoſitus eſt à Domino, vt cuſtodiret Paradiſum, & fabrili arte operaretur, atque labore ſuo Dei filium, & Matrem aleret.

VII. Præterea alio ẽt titulo noſter Ioſeph Patris Iesv nomen meretur, quia patrinus eius fuit; eſt aũt manifeſtum patrinum Patrem Patrem appellari; immo quãdã ſpiritualis paternitatis dignitatem contrahere; Ioſeph enim in Circumciſione Chriſti (quæ tunc inſtar baptiſmi erat) patrinũ eius fuiſſe non obſcure conſtat; quia, vt D. Hieron. ait, miniſter fuit illius Circumciſionis, vel ſi non fuit, ex diuino tamen oraculo nomẽ Iesvs illi impoſuit, vt docent D. Ber. ſer. 1. de Circũciſione, & Ephræm Syrus orat. de Transfigurat. Domini, ex illo: *Pariet filium, & vocabis nomen eius* Iesvm; Iesvm in quo (etſi obiter id dicam) magna etiam latet noſtri Ioſephi laus; nam ſi Adami grandis dignitas eſſe cenſetur, quod nomina animantibus impoſuerit: *quod vocauit Adam, ipſum eſt nomen eius*: abſque vlla comparatione maior erit Ioſephi dignitas, quod nomen impoſuerit non creaturæ, ſed creatori, tamquam proprium Dei. Refert Regius Vates, quod Deus ſtellas numeret, & eis nomen imponat: *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnib. eis nomina vocat*: aliquid tamen iſto excellentius Deus ipſe Ioſepho communicauit, dum non ſtellis ſed ei, qui numerat ſtellarum multitudinem; non Aſtris, ſed ei, qui nomen illis impoſuit, ipſe nomen imponat. Quod ſi deinde Naaman Syrus, vt legimus 4. Reg. vocabatur *Pater* à famulis ſuis, quia patronus, & gubernator illius familiæ eſſet: *Pater, & ſi rem grãdem tibi dixiſſet Propheta, certe facere debuiſſes*: hoc etiam titulo, & ratione merito beatiſſimus Ioſeph dignus eſt Patris Iesv nomine donari, cum Marianæ illius familiæ caput, rector, & gubernator eſſet, adeo, vt recte ei conueniant Davidica illa

D. Hier. text. 4. opuſ. p. 1.

Gen. 2.

Pſal. 146.

Ibid.

4. Reg. 5.

Pſal. 146.

ver-

verba: *Constituit eum Dominus domus suæ, & principē omnis possessionis suæ*: in cuius figura EZECHIEL regnum Dei videns in curru, tria præcipue notauit: Thronum, Principem, & Cherubinum currum gubernantem: Thronus erat, Maria; Princeps, Iesus; ductor & gubernator, Ioseph. *Ezech. 10.*

VIII. EXSTANT tamen, prçter hos omnes titulos duo alii potiores, ob quos præcipue B. Iosephum CHRISTI PATREM vocari debere arbitror: primus est, quem nemo ignorat, nam maritus vxoris, quæ ex priori matrimonio liberos procreauerat, ipse quidem (licet eos non genuerit) *filios*, vocat, & ipsi vicissim *patrem* illum cōpellant; si hoc ergo ita se habet (vt experientia notissimum est) potiori iure Ioseph PATER Iesu nuncupari debet, & Iesus FILIVS Iosephi dici. Nā filii vxoris ex primo matrimonio geniti alium humanum patrem habuerunt, & cū illi nati fuere, maritus secundus cum eorum matre adhuc matrimonium non contraxerat: in præsenti tamen mysterio nec Christus aliquem humanum naturalem patrem habuit, neque extra coniugium Mariæ cum Ioseph iā celebratum natus, nec conceptus fuit Christus. est ergo magis cum ratione consentaneum, Iosephum patrem Christi appellari, quam secundum illum maritum, vt eleganter adnotauit S. EPIPH. *D. Epiphā. hæres. 78.*

IX. SECVNDVS titulus, & omnium potissimus, ob quem beatissimus Ioseph CHRISTI PATER cognominari debet, in omniū ore versatur, scilicet, quia iure matrimonii corpus B. Virginis erat ipsius Iosephi, Apostolo dicente: *Mulier sui corporis potestatē non habet, sed vir*; vnde necesse erat Iosephum patrē Christi esse non generatione, sed generatione sua Mariæ vxoris suæ, operante Spiritu sancto, qui vices Iosephi quodammodo gessit non virili semine, sed mystico spiramine. Vnde sicut iura disponunt (*vt cōstat ex §. cū in suo solo, versiculo, ex diuerso*) quod in alieno solo nascitur, vel ędificatur, sub illius dominium cadit, cuius est solum; ex quo aperte constat, quod si arbor, vel fons miraculose nasceretur in horto alicuius, ad Dominum horti pertineret, *& in l. etiam si frumentum § penultimo. ff. de rei venditione, & in l 2. C. eodem titulo*, & in aliis pluribus iuribus habetur, quod id, quod seminatur, vel plātatur in fundo alicui⁹, statim vt in terrā radices egit, efficitur eius, cuius est fundus, aut terra illa; ac tandem *in l adeo ff. de acquirendo rerum dominio*, dicitur, quod si arbor posita in proprio fundo, radices miserit in vicinum, communis vtriusque domini fit arbor & fructus; vnde apud Matthæum legimus, quod quidam conscius cuiusdam thesauri in fundo alieno latentis fundum emerit, vt fundi dominus factus thesauri in eo absconditi dominium acquireret. Quare cum terra virginea, in qua semen illud diuinum, Verbum scilicet æternū, seminatum credimus, in qua arbor illa vitæ plantata fuit, in qua sanctum illud germen, quod in mente Patris radicatum erat, radices egit, & ex qua tandem fons ille aquæ salientis in vitam æternam erupit, ad Iosephum tamquam dominū illius spectaret, ad eundem etiam pertinet speciali iure, arbor, fructus, germen, & fons, & quidquid in ea natum est. fateamur ergo opus est, Iosephum supremum paternitatis ius excepta naturali generatione, in Christum Dominum habuisse, tamquam in fructum, & filium natum ex vtero Virgineo Mariæ, cuius dominium iure matrimonii Virgo ipsa in eum transtulerat. Quod si (vt eadem iura disponunt) partus sequitur ventrem, manifeste inde fit, quod sub cuius dominio cadit prægnās, sub eodem cadat & fœtus: immo iuxta doctrinam D. AVGVST. (*vt habetur cap. quod, dist. 33 q. 5.*) bona omnia vxoris non eius, sed viri arbitrio iacent, sic enim ait: *Nihil de tua veste, nihil de tuo auro, vel argento vel quacumque pecunia sine arbitrio eius, id est, viri facere debuisti.* & in eadem epistola ad Ediciam (vnde verba relata desumpta fuere) subdit: *Coniugata non licet dicere: facio, quod volo de meo, cum ipsa non sit sua, sed, capitis sui, hoc est, viri sui.* Vnde THEODOSIVS, & VALENTINIANVS Imperatores *in l. hac lege C. de pactis conuēt. & in l. 2. ff. de adoptionibus* scripserūt: Bonum est, mulierem, quæ seipsam marito cōmittit, res etiam eiusdem pari arbitrio gubernari: quibus consonat illud HOMERI lib. Iliadum fingentis Iunonem Iouis vxorem noluisse absque eius impetrata facultate ad reconciliandum Oceanum cum Thetide, vt significaret non solum bona, sed & propriam libertatem, quæ nullo venditur auro, non tā suam, quam sui mariti esse; cuius fabulæ PLVTARCHVS etiam meminit lib II de legibus, vt probaret, nec per testamentum quidpiam debere vxorē erogare inconsulto aut inuito viro suo. vnde Cancellarius Parisiensis hæc contemplans dixit: *curi gitur non cem putat ipsi Iosepho ius aliquod legale vltra ceteros homines in benedicta pueri Iesu formatione, quoniam natus est in ea, & ex ea carne, cuius dominium iure matrimoniali vere translatum erat in ipsum?* *Cāc. Paris.*

1. Cor. 7.

Matth. 13

X. CETERVM iam excellentiam, ac miram huius dignitatis celsitudinē, vt Ioseph CHRISTI PATER vocaretur, explicare, variisq; modis illustrare properemus. Non solum vera Theologia, sed & fides Catholica nos docet, paternitatē, qua prima persona Pater est vnigeniti filij sui, proprietatem esse ad intra incommunicabilem, ad extra vero nulli eā communicauit per vnionē hypostaticā; ita vt sicut ratione illius Christus vere dicitur, filius Dei æternus, ita & quispiam hominum Pater æternus veraciter nominaretur; adeo enim nomen Patris Christi sibi soli Deus reseruarat, vt diceret: *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in filiū*; nihilo secius tamē, volens Iosephum hoc indicibili honore cohonestare, PATRIS nomen sibi soli proprium, commune illi fecit, paternam suam dignitatem (quoad decēter fieri poterat) ei communicans: immo Spiritus sanctus, quamuis viri operam in Christi generatione diuina sua virtute suppleuerit, PATRIS nomen minime sibi arrogauit, vt docet Angelicus Doctor 3. p. q. 32. art. 3. sed Iosepho illud reliquit. vnde sicut *Hebr. 1.*

Psal 109. Pater æternꝰ in cœlo filio ſuo ait: *Sede à dextris meis*: crediderim quidem non ſemel Ioſephum ad menſam aſſidenti Chriſto dixiſſe: *fili, ſede à dextris meis.* quod eruditus quidam Hiſpanus poeta perpendẽs, perlepide dixit Hiſpano idiomate:

Y eſtando à la meſa vueſtra,
Pudiſtes decir al hyio?
Para darle de amor mueſtra,
Hyio, ſientate à mi dieſtra.

Eſther. 16. XI. OLIM Rex Artaxerxes in epiſtola, quam centum viginti Prouinciis ſibi ſubditis ſcripſit, vt eas certiores faceret, de magna auctoritate, & dignitate, quã ille obtinuerat, ait, ſe ad illud honoris culmẽ aſcendiſſe, vt PATER NOSTER vocaretur, & adoretur ab omnibus poſt Regem ſecundus: ſi ergo tanta dignitas erat; Artaxerxem PATREM vocari gentis illius, quid quæſo erit Dei patrem appellari? & ſi re vera magni Baptiſtæ excellentiam non parum cõmendat, quod ſancte adeo viueret, vt ab Hebræis non paucis verus Meſſias exiſtimaretur, quamuis re vera non eſſet, non poteſt non in magnum beatiſſimi Ioſephi honorem, ac inſignem commẽdationem cedere, quod CHRISTI PATER putatus fuerit, & à Spiritu ſancto, Angelico, & Mariano ore PATER fuerit vocatus: vnde audeo dicere de ſan-
Heb. 1. ctiſſimo Ioſepho nonnulla PAVLI verba mihi vſurpans: *Tanto maior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit; cui enim Angelorum aliquando dixit: Pater meus es tu?* Non diffiteor, quod
Sapient. 10 Adamus *Pater orbis terrarum* appellatus ſit à Salo-
Geneſ. 13. mone; Abraham *Pater multarum gentium*; Ioſeph
Gen. 45. *Pater regis Pharaonis*: ſed hæc quid ſunt, ſi cum cognomine PATRIS DEI cõparentur? Scio D. LVCAM
Luca. 1. Dauidem vocaſſe patrem Chriſti, dum ait: *Dabit ei Dominus Deus ſedem Dauid patris eius*: huius tamẽ nominis encomium à longe ei comperebat, quatenus Chriſtus ex proſapia eius longa generationum ſerie intermedia deſcendebat; qua etiam ratione multi ſcelerati homines eiuſdem genealogiæ Chriſti patres dici poſſent; at noſter Ioſeph, quantũ ſecluſa naturali generatione excogitari poteſt, verus Chriſti pater, & omnium proximior extitit, cum re vera pariter maritus, & conſanguineus Mariæ eſſet, quæ vera Chriſti Genitrix erat.

Ioan. 19. XII. SANE, ſi Chriſtum Dominum nõ parum Ioannẽ honoraſſe exiſtimamus, dũ in lectulo Crucis iacens, filium Mariæ illum conſtituit, dicens Ma-
Luc. 2. tri: *Ecce filius tuus*; ego ſane tanto maiorem arbitror præſtitiſſe Ioſepho fauorem, dum in patrem ſuum illum elegit, vt elegiſſe teſtantur verba Vir-
Luc. 1. ginis: *Ecce pater tuus, & ego*; quanto paternitas propter ſuperioritatẽ, quã importat, filiatione præſtat, & quanto Chriſtus Mariam præcellit. vnde non dubito, quin ſicut Eliſabeth exclamans dicebat: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* ſic & noſter Ioſeph diceret: vnde hoc mihi, vt mater Domini mei vxor mea ſit? vnde tantus mihi honor, vt eius ſponſus ſim, cuius Deus filius eſt? Deinde ad dignitatẽ patris pertinet, ſubditum ſibi habere filium: quid autem glorioſius, quam quod Ioſeph mortalis homo Ieſum verum Deum ſibi ſubditum, atque ad nutum obedientem ſub poteſtate ſua ha- Luca 2.
buerit, vt clare indicant verba D. LVCÆ: *Et erat ſubditus illis.* ſemel docet ſacra Scriptura retroceſſiſſe horologium ſolis vndecim lineis ad imperiũ Regis Ezechiæ; ſemel etiam tradit IOSVE Soli imperaſſe, Ioſue 10.
vt curſum ſuum cohiberet, & non vltra moueretur: *Obediente Deo voci hominis*: vt ait ſacer textus; ſemel quoq; Ioannes Baptiſta ſibi ſubditum habuit Matth. 3.
Chriſtum in Iordane, dum illum inſigne humilitatis exemplum nobis præbentem baptizauit, in quo ſuperioris munus erga illum exercuit; at Ioſeph Soli iuſtitiæ non ſemel, ſed millies imperauit; puero Ieſu legem ſtatuit, quando domi conſiſtere, quando ab ea egreſſurus eſſet; & vt alter Ioſue ei dicebat; ne mouearis, nunc pedem ſige, nunc propera: & ille patris ſui Ioſephi obſeruantiſſimus, promptiſſime ei obediebat, & veſtigia eius ſequebatur, cum alioquin eſſet ille, de quo IOANNES dicit; *& ſequuntur agnum quocunque ierit.* Apoc. 1.

XIII. Hoc ſane inauditum ſuperioritatis genus omnem tam humanam, quam angelicam auctoritatem tranſcendere haud difficile erit comprobare. Certe Chriſto Domino, tamquã ſupremo omniũ creaturarum Monarchæ omnia oportet eſſe ſubiecta, & volũtati eius efficaci, velint nolint, obedire debent. Mare quidem obediuit, dum ſuper illud tamquam ſuper firmam, ac ſolidã terram deambulabat, Petrumque deambulare fecit: Terra ei obediuit, dum ad imperiũ eius *monumenta aperta ſunt,* Matth. 27.
& multa corpora ſanctorũ ſurrexerunt: Inſtabiles etiã venti & procellæ ei obediunt: *Quis eſt hic, quia ven-* Matth. 8.
ti, & mare obediunt ei? Dæmones obediebant, dum ad imperium eius à corporibus, quæ obſidebant, egrediebantur: Inexpugnabilis mors ab his, quos poſſidebat, voci eius ſubaudiens, longe recedebat, quoties mortuos ad vitam reuocabat. Quid plura? certe Apoſtolo dicente: *In nomine Ieſu omne genu* Ad Phil. 2.
flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, etiam ſuperni cœlicolæ eius voci obſequentes, ab eius voluntate ne latum vnguem recedunt; *Omnes* Heb. 3.
ſunt adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis: ſed & ſtellæ ei promptiſſime obtemperant (vt ait BARVCH:) *Stel-* Baruch. 3.
læ cœli vocatæ ſunt, & dixerunt: Adſumus. Et quod iſthæc omnia longe antecellit, ea quæ omni entitate, & exiſtentia carent, quaſi re vera exiſterent, ei obſequuntur: *Vocat ea, quæ non ſunt, tamquam ea,* Rom. 4.
quæ ſunt. Vocauit lucem, quæ non erat: *fiat lux, &* Gen. 1.
facta eſt lux. Vocauit firmamentum, quod non erat: Ibid.
fiat firmamentum, & factum eſt firmamentum: ecce obediunt ei etiam, quæ non ſunt. Si igitur cuncta tam cœleſtia quam terreſtria, & quæ in infernis ſunt, Chriſto Domino obediunt, & Chriſtus obedit Ioſepho, conſequens eſt, omnia obedientiæ Ioſephi ſubeſſe, & poteſtatem, ac auctoritatem eius omnem, non dicam terrenam ſolum, ſed & cœleſtem poteſtatem longo interuallo antecellere;

Plutarch. de Themist. lere; hoc enim argumentationis genere Themisto-
cles Græcorum Rex (vt retulimus supra ex PLV-
TARCHO) inferebat, filio suo Diaphanto omnia
Græciæ regna subesse; Filius meus (aiebat) imperat
vxori meæ, & vxor imperat mihi, & ego toti Græ-
ciæ, ergo etiam Diaphantus eidem toti Græciæ
præest. Recte ergo, & eleganter dixit insignis ille
Cancellarius Parisiensis: *Hæc subiectio sicut inæsti-*
Can. Par. su de na. *mabilem notat humilitatem in Christo, ita dignitatem*
incomparabilem signat in Iosepho: quid enim sublimius,
quam quod ei, qui in femore scriptum habet: Rex Regũ,
Apoc. 19. *& Dominus Dominantium*: ei, *cuius nomen est: Deus*
Isa. 9. *fortis, Pater futuri sæculi*: ei, qui *Dominus exercituum*
Isa. 1. *vocatur*: ac tandem ei, qui dicit: *Mihi curuabitur o-*
Isa. 45. *mne genu*, Ioseph vnus patris auctoritate imperet;
& ille filiali subiectione ei subsit, & obediat, ac di-
cat: *Pater, fiat voluntas tua*: quod nos æterno Pa-
Matt. 6. tri orantes dicere ipse docuit in oratione Domi-
nica.

XIV. AD hæc, cum officio paterno quid magis
coniunctum, quam alere filium, & maxime in in-
fantia & pueritia, cũ filius propria industria victum
sibi comparare non potest? sane inæstimabilis est
Ps. 144. Iosephi laus, vt ei, de quo ait DAVID: *Aperis tu manũ*
tuam, & imples omne animal benedictione: ille manũ
suam aperuerit, porrigens ei potum, & cibum; & il-
Ibid. li, de quo idem testatur, omnia alere animantia: *Tu*
das illis escam in tempore opportuno; ipse per multos
annos fabrilis artis labore acquisitam escam exhi-
buerit, & necessaria ad victum, & vestitũ submini-
strauerit; vnde nulli melius, quam Iosepho Christũ
dicturum arbitror in die iudicii, quod ipse pollici-
Matth. 26. tus est: *Esuriui, & dedisti mihi manducare: sitiui, &*
dedisti mihi bibere; nudus eram, & cooperuisti me. Im-
mo si rem altius contemplemur, cum Christus Do-
minus ex alimento, quo vtebatur, maiorem in dies
sanguinis quantitatem acquisierit, sane, cum pre-
tiosus ille sanguis pretiũ fuerit inæstimabile nostræ
redemptionis, opus est ẽt concedamus, Iosephum
auctori salutis nostræ materiam subministrasse su-
dore vultus sui labore manuum suarum acquisitam
ad conficiendum pretium pro reparatione generis
humani æterno Patri in ara crucis exsoluendum;
vnde eo modo, quo puræ creaturæ concedi potest,
crediderim Iosephum & Mariam Christi fuisse in
redemptione generis humani præstantissimos co-
adiutores, & consequenter ipsis maiori obligatio-
nis vinculo, quam reliquis omnibus Sanctis totum
genus humanum deuinctum esse.

XV. Ac tandem, quod longe reliqua omnia supe-
rat, ex hoc paterno Iosephi munere erga Christum
colligitur eximius, ac ardentissimus illius erga eũ-
dem amor, cum re vera filii ex gratia non minus,
quam ex natura procreati diligantur, vt docuit D.
D. Ambr. AMBR dicens: *Non enim vos minus diligo, quos in E-*
l. 1. de off. c. 7. *uangelio genui, quã si in coniugio suscepissem; non enim*
vehementior est natura ad diligendum, quam gratia.
hæc omnia adeo celeberrimum toti Orbi reddunt
nostrum Iosephum, vt in eius laudibus decantãdis
impares etiam Angelicos spiritus esse putem, vt qui
PATRIS CHRISTI dignitatem omnino comprehẽ-
dere non valeant, vnde quæ Christus dixit verba: *Matth. 11.*
Patrem nemo nouit nisi filius, & cui voluerit filius re-
uelare: non solum de Patre æterno, sed & de Iose-
pho, patre eius putatiuo, satis verificari autumo. *Sabellicus*
Quare, sicut olim quidam orator (vt auctor est SA- *ad Phil.*
BELLICVS) postquam multis encomiis Philippum *Maced.*
Macedonum Regem ad cœlum vsque extulisset, vl- *Regem.*
timum colophonem orationi suæ præbens, dixit:
Hoc vnum dixisse sufficiat, filium te habuisse Alexan-
drum: sic ego, gloriosissime Ioseph, cum laudes tuas
digne depromere nõ valeam, hoc vnum, quod pe-
ne infinita in se complectitur, dixisse sufficiat, filiũ
te habuisse Deum. Quare si Paulus gloriabatur di- *Actor. 17.*
cens: *Ipsius enim & genus sumus*: sane Deus ipse ve-
racissime dicere potest de Iosepho Patre suo legali,
& matris suæ consanguineo: *Ipsius enim & genus su-*
mus. Tandẽ vero si (SALOMONE id attestante) *Filius* *Prou. 10. 13 15.*
sapiens lætificat patrem: quanta Iosephi lætitia, quã-
que ingens laus erit, filius infinite sapiens, *in quo*
(vt Apostolus inquit) *sunt omnes thesauri sapientiæ,* *Coloss. 2.*
& scientiæ Dei. Sane, cum filii sapientia sit plane in-
finita, non potest non Iosephi patris eius gloria
quandam dignitatis infinitatem inde mutuare. Fa-
teatur ergo tam humana, quam Angelica facundia,
eius in laudibus decantandis omnino se imparem
esse, & quas verbis digne prosequi non potest, reli-
gioso silentio veneretur; cui sit honor, & gloria in
sæcula sæculorum amen.

HOMILIA XII.

Pulchra sanctissimi Iosephi, Deiparæ Mariæ sponsi, cum antiquo illo Iosepho Patriarcha cõparatio: quam tam multiplici sanctorum Patrum eruditione, quam variis animi conceptionibus locupletamus, ac Virginem fuisse comprobamus.

I. NOn paucos scriptores in eo hal-
lucinari animaduerto, quod pau-
cissima de beato Iosepho expres-
se sacros Euãgelistas edixisse au-
tument; quod mihi ẽ contra eos
factitasse videtur, cum præcipua
capita omnium, quæ de beato Iosepho nostræ co-
gnitioni subesse iure desiderari possent, diserte te-
tigerint. Nam si nomen ignoras, IOSEPHVM voca- *Matt. 1.*
tum dicunt: *Iacob autem genuit Ioseph*: si genus &
prosapiam, ecce aperte inquiunt, ex regali proge-
nie ortum *de domo Dauid*: & Angelico ore *filius* *Ibid.*
Dauid vocitatur: si morum eius conditionem,
& vitæ rationem cupis tibi innotescere, minime il-
lam silentio prætereunt, sed compendiosam poti-
us quandam de moribus, & vita illius (vt aiunt)

in-

informationem euangelica auctoritate contestatã [*Ibid.*] tibi reliquerunt, MATTHÆO dicente: *Ioseph autem cum esset iustus, noluit eam traducere*: si deinde statum eius nosse desideras, cum Maria iidem vxoratum [*Ibid.*] tradunt: *Ioseph virum Mariæ*. Quod si adhuc arcanas eius cogitationes tibi patefieri & reserari po- [*Ibid.*] stulas, illas etiam manifestant, dum aiunt: *hæc autẽ eo cogitante*. quid plura? non solum quæ in vigilia, sed quæ ipsi dormienti, & somnianti acciderunt, [*Ibid.*] palam tibi aperiunt, dicentes: *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph*.

II. HÆc omnia ad amussim præfigurata reperio in Patriarcha illo Ioseph, quem beatissimi nostri Iosephi, Virginis sponsi, typum gessisse vnanimis est Patrum sententia. & quamuis non ignorem D. [*D. Bern. ser. de An.*] BERN. & alios præsentis collationis inter hos duos Iosephos egregium argumentum perlepide, & eleganter prosequutos fuisse, quæ illi tamen præterie-re, nostrum erat adiungere, ne actum agere videamur.

III. ET quidem, si à nomine exordiamur, eodem vterque gaudet, quod *augmentum*, seu *incrementum* significat vt multi volunt: ad quod videtur allusisse [*Gen. 49.*] Iacob, cum filio suo Ioseph dixit: *filius accrescens, Ioseph filius accrescens*: quod in nostrum Iosephum satis conuenire noscitur, tum, quia cum alii sponsi virginitate minuantur, ipse per matrimonium cũ Maria virginitatis, & aliarum virtutum singulare incrementum suscepit: tum etiam, quia sicut antiquus ille Patriarcha sic appellatus fuit, quia ad illud honoris augmentum peruenturus erat, vt toti- [*Gen. 41.*] us Ægypti proRex, & secundus à Rege futurus esset; sic noster Ioseph ad tanti honoris culmen ascẽdit, vt & CHRISTI PATER nominaretur, & Dei Genitricis verus maritus esset, quod non solum impe- [*Sup. ho 8.*] rialem, sed & Apostolicam dignitatem longe ante- [*Lingua hebr. professores.*] cellere arbitror, vt suo loco demonstraui, sed nec silentio præteribo, quod *Ioseph* hebraice (si credimus illius idiomatis peritis) *pulchram arborem* significat, quod & Iosepho mirifice congruit; cum sub protectionis eius vmbraculo melius, ac securius, [*Daniel 4.*] quam animantia sub Danielis arboris vmbra, Ie- [*Matt. 4.*] sus, & Maria requieuerint, & à rapacibus Herodiani accipitris vnguibus sua protectione ipse eos liberauerit. Alii tamen ex Hebræo contendunt significare *filium fructiferum*, vel *crescentem iuxta fontem*, vel *iuxta oculum*: vnde PAGNINVS vertit, vt *Ioseph* idem sit, quod *ramus fructificans iuxta fontem*, vel *iuxta oculum*, quod & nostro Iosepho recte consentit; nam infans ille, quem ipse amplexabatur, eius pedes sæpe osculabatur, iuxta quem sedebat, dormiebat, vigilabat, ac permulta virtutum opera exercebat; omnium bonorum fons erat vberrimus, bene ergo iuxta fontem creuisse dicitur Ioseph, vel iuxta oculum, iuxta oculos enim Christi versabatur, quem ipse, vt pupillam oculorum suorum diligebat. O felicem arborem tali irrigatam fonte! ad maximum incrementum peruenisse quis, quæso, ambiget?

IV. QVOD si Moyses antiqui Iosephi historiam [*Sapien. 10*] referens honorifico IVSTI cognomine Patriarchã illum cohonestauit, idem sane cognomen Euangelista nostro Iosepho tribuit: [*Matth 1.*] *Ioseph autem cum esset iustus*. Immo obseruauerim quatuor insignes Iosephos diuina eloquia commemorasse; Iosephum [*Gen. 30.*] proRegẽ Ægypti; Ioseph ab Arimathæa, qui Christi sepulturæ operum dedit, Iosephum Barsabam, super quem ad Apostolatum missæ sunt sortes, & Iosephum Virginis sponsum, quos etiam omnes [*Matt 27.*] IVSTOS cognominant; nam [*Act. 1.*] SAPIENS loquens de [*Sap. 10.*] Patriarcha Ioseph, ait: *hæc venditum iustum non dereliquit*. De Ioseph ab Arimathæa LVCAS ait [*Luc. 23.*] *Vir nomine Ioseph, qui erat Decurio, vir bonus, & iustus*. De Ioseph Barsaba LVCAS scribit: [*Act. 1.*] *Ioseph, qui cognominatus est iustus*. Ac tandem idem Euangelista de nostro Ioseph sermonem instituens ait: [*Matth. 1.*] *Cum esset iustus, noluit eam traducere*: At nostri Ioseph iustitia tantũ illorum iustitiam, quãtum & dignitas antecelluit; maxime si absque lethali crimine (vt certissime credo. & docet D. AVGVSTINVS l. 6. de natura, & gratia) vitam transegit, & fomitis peccati ardor in eo penitus fuit exstinctus, vt tradit ISIDORVS in sua Sum [*Io. Gers. Cãc. Paris ser. de nati Virg. & in Ioseph.*] ma; & in vẽtre materno fuit sanctificatus, vt docent Cancellarius Parisiensis, & Episcop. Christopolitanus, quibus moderni non pauci consentiunt; immo eruditus noster BERN. postquam retulerat opinionem cuiusdam dicentis; diuinitus præseruatum [*Valẽ. Epis. Christop. sup. Magnificat.*] fuisse ab originali culpa, non audens illum damnare ait: *Vtrum autem Ioseph ab originali macula præseruatus fuerit, ipse Deus nouit, qui talem in patrem sibi putatiuum, & gubernatorem suæ humanitatis, & dilectissimæ Matris suæ coniugem super omnes homines elegit*. si Patriarcha Ioseph nobilitate conspicuus fuit, [*Bernard. de Busto in Marial. 4 p. ser. 12.*] quippe, qui ex illustrissima Abrahæ familia originẽ ducebat; eiusdem etiam nobilitatis non solũ particeps esse noscitur noster Ioseph (vt testatur Diu. [*Matt. 1.*] MATTHÆVS Virginis genealogiam texens, cui alterum caput apposuit, Patriarcham Abrahamum, & alterum, Regem Dauid; *filii Dauid, filii Abraham*:) sed in gentilitiæ claritatis genere tanto veterem illum Iosephum præcelluit, quanto Christo sanguine propinquior fuit; qui tanquam fons totius nobilitatis maiorem splendorem in genus suum effudit, quam ab illo susceperit, ex quo apertissime cõstat, nullum virum generis nobilitate Iosepho clariorem vmquam extitisse: vnde D. BERN. hom. 2. super *Missus est* ait: *Vere de domo Dauid, vere de regia stirpe descendit vir iste, Ioseph nobilis genere, mente nobilior, plane filius Dauid, non degenerans à patre suo Dauid, prorsus (inquam) filius Dauid, non tantum car*- [*Actor. 13.*] *ne, sed fide, sed sanctitate, sed deuotione, quem tanquam alterum Dauid Dominus inuenit secundum cor suum, cui cito committeret secretissimum, atque sacratissimũ sui cordis arcanum; cuique tanquam alteri Dauid incerta, & occulta sapientiæ suæ manifestauit*. His non parum consentanea tradit D. ANTON. 4 par. Theologiæ tit. 15. c. 8. Vbi versans illa verba: *De domo Dauid*, inquit: *Dicitur Ioseph de domo Dauid, non tantum*

propter

propter ſucceſſionem in genere, ſed principalius propter virtutum imitationem, quia tales proprie dicuntur eſſe de vna domo, iuxta illud PSALMISTÆ, *qui habitare facit vnius moris in domo.* Addo etiam, quod qui futurus erat nutritius Regis cœleſtis, par erat, vt eſſet regia nobilitate conſpicuus, iuxta illud ISAIÆ Prophetæ: *Erunt Reges nutritii tui*; ſcilicet Maria, & Ioſeph, ex regia Dauidis proſapia originem ducẽtes.

V. QVOD ſi ad morum probitatem antiqui illius Ioſephi mentis aciem conuertas, miram quandam ſympathiam, & harmoniam inter illum, & noſtrũ Ioſeph reperies; vt enim dixit Diuus BERNARDVS: *Memento magni illius quondam Patriarchæ venditi in Ægypto, & ſcito ipſius iſtum non ſolũ vocabulum fuiſſe ſortitum; ſed & caſtimoniam adeptum, innocentiam aſſecutum, & gratiam*: Ille quidem & ſanctitatem, & caſtitatem ſuam mirifice oſtentauit, cum dominæ ſuæ blanditiis prouocatus, non ſolum non conſenſit, ſed vt caſum penitus præcaueret, pallium in manibus illius relinquens effugit. Sed ſi hoc tibi magnum caſtimoniæ, & ſanctitatis argumentum videtur, ecce maius præſtitit noſter Ioſeph; nam ille compeſcuit ſe, ne accederet ad vxorem alienam, hic vero, ne propriam agnoſceret, ſe cohibuit; ille quidem caſtus fuit, at noſter Ioſeph quam caſtus, quia Virgo? ille caſtitate præſtitit hic virginitate præfulſit. Licet Patres Græci EPIPHANIVS, EVTHIMIVS, GREGORIVS NYSSENVS, ORIGENES, THEOPHYLACTVS, & NICEPHORVS, quorum ſententiæ adſtipulantur ex Latinis, HILARIVS, AMBROS. & PLATINA, licet (inquam) omnes iſti arbitrentur, Ioſephum, antequam Mariæ deſponſaretur, ex alia coniuge liberos genuiſſe, qui propterea in Euangelio fratres Domini frequenter vocitari ſolent: Patres vero Latini, HIERONYM. AVGVST. CHRYSOST. ANSELMVS, Diuus THOMAS, VGO de SANCTO VICTORE, Beatus PETRVS DAMIANVS, Venerabilis BEDA, THEOD. CHRYSOLOG. ALCVINVS, & communi conſenſu Scholaſtici doctores docent, Ioſephum perpetuam virginitatem cuſtodiſſe, quorum ſententiæ omnino adhærendum eſſe cenſeo: maxime, quod Beatus PETRVS DAMIANVS diſertis verbis dicit: *hanc eſſe Eccleſiæ fidem*: quam propterea variis Doctorum teſtimoniis, & ſolidiſſimis rationibus confirmabo.

VI. ET quidem in primis deceptionem eorum, qui oppoſitæ ſententiæ ſubſcripſere, Diu. HIERON. ſacrarum ſcripturarum diligentiſſimus ſcrutator, his verbis luculenter aperit, quibus & Ioſeph filios adimit, & ſimul cauſam erroris oſtendit; ſic enim ait: *Quidam fratres Domini de alia vxore Ioſeph filios ſuſpicantur, ſequentes deliramenta Apocryphorum, & à quadam eſca muliercula confingentes. Nos autem ſicut in libro, quem contra Heluidium ſcripſimus, continetur, fratres Domini non filios Ioſeph, ſed conſobrinos Saluatoris, Mariæ liberos intelligimus, materteræ Domini, quæ eſſe dicitur mater Iacobi minoris, & Ioſeph, & Iudæ, quos in alio Euangelii loco fratres Domini legimus appellatos; fratres autem conſobrinos dici, omnis ſcriptura demonſtrat.* Recte ait S. Scripturam id demonſtrare, cum non ſemel ſpeciali propinquitate coniunctos, FRATRES vocare ſoleat, vt cõſtat ex GENESI, vbi Loth & Abraham dicũtur, FRATRES, cum tamen conſtet ex c. 11. Loth fuiſſe nepotem Abraham, & ſimiliter c. 29. Iacob, & Laban dicuntur, FRATRES; extantque alia pleraque exempla, quorum meminere AVGVST. & EPIPHANIVS. Recte etiam D. HIERONYMVS dixit, deliramenta apocryphorum ſequi oppoſitum opinantes; tum quia ORIGEN. ſuper Matth. teſtatur, opinionem illam liberos Ioſepho adſcribentem ortam fuiſſe ex quodam Euangelio Hebræorum Petro aut Iacobo adſcripto, cuius tamen Seleucium hæreticum legitimum auctorem extitiſſe tradit INNOCENTIVS primus ad cap. 7. & AVGVSTIN. lib. 1. de fide contra Manichæos, cap. 38. tum etiam, quia cum in Euangelica hiſtoria aſſignentur expreſſe parentes fratrum Domini, manifeſtum eſt Ioſephũ non fuiſſe parentem illorum; Iacobus enim minor, qui *frater Domini* vocatur, *Iacobus Alphæi* dicitur apud MATTHÆVM, Marcum, & Lucam, in quibus locis alter etiam Iacobus maior, qui & *frater Domini* appellatur, dicitur *Iacobus Zebedæi*, ſic autem dicuntur, quia ille erat filius Alphæi, iſte Zebedæi: iuxta phraſim enim ſcripturæ filius à patre cognominari ſolet, vt conſtat 1. MACHAB. vbi dicitur: *Alexander Philippi*, quia parens eius Philippus erat: vnde venerabilis Beda hæc perpendens, ab hæreticis antumat in Patrum ſcriptam ſententiam de filiis Ioſeph; Patres enim non ignorabant Matthæũ nominare Iacobum filium Alphæi, vnde ergo ſomniare potuerunt eſſe filium Ioſephi? exſtat item aliud inſigne teſtimonium eiuſdem Diui HIERONYMI, Ioſephi virginitatem aſtruentis; ſcribens enim contra Eluidium hæreticum ait: *Tu dicis Mariam Virginem non permanſiſſe? ego mihi plus vindico, etiam ipſum Ioſeph virginem fuiſſe per Mariam, vt ex virginali coniugio virgo filius naſceretur; ſi enim in virum ſanctum fornicatio non cadit, & aliam eum vxorem habuiſſe non deſcribitur, Mariæ autem, quam putatus eſt habuiſſe, cuſtos potius fuit, quam maritus:* (ſubintellige, conſummans matrimonium) *relinquitur, Virginem eum manſiſſe cum Maria; qui pater Domini meruit appellari.* Accedit ad hæc Diu. AVG. ſerm. 15. de nat. Dom. *Habe Ioſeph cum Maria coniuge tua communem virginitatem membrorum, gaude, nimiumque congaude Virginitati Mariæ, qui ſolus meruiſti virginalem affectum poſſidere coniugii, quia per meritum Virginitatis ita ſeparatus es à concubitu vxoris, vt pater dicaris Saluatoris.* Venerabilis BEDA de Ioſephi virginitate, tamquam de re indubitata loquens, ait: *Abſque vllius ſcrupulo quæſtionis ſcire, & confiteri oportet, non tantum Dei Genitricem, ſed & beatiſſimum caſtitatis eius teſtem atque cuſtodem Ioſeph abſque omni prorſus actione coniugali manſiſſe ſemper immunem.* RVPER. l. 2. in Cantica, verſans illa verba: *Paſcitur inter lilia*, ait: *quænam ſunt lilia, niſi amicus dilecti? Ioſeph & ego dilecta, cui dicit: ſicut lilium*

ſ.67.
ſaiæ 49.
D. Bern.
Gen. 39.
Ibid.
Epiph. hær. 51. & 78. & in Anchorato.
Eut. Mat. 12. & 27. Ioan. 19. & Gr. Niſ. or. 2. de Reſur. Chriſti.
Orig. Mat. 13.
Theo. Mat 23. & 27. & Ioã. 19. & ad Gal 1 & 1. ad Cor. 9.
Niceph. l. 1. c. 7. & c. 21 & li. 2. c. 3.
Hilar. cã. 1 in Matth.
D. Am. ad Gal. 1. & de inſt. Virg. c. 6.
Plat. in vi ta D. Petri.
Hierõ. cõt. Helui. in fi. & ſup. Mat
Aug. ſer. 14. de nat. de B. V.

Chryſoſt.
Anſ. Mat. 12. D. Tho. in ep. ad Gal. lect. 5.
Vgo de S. Vict. ib. q. 5
B. ep. 11. c 4
Pet. Dam.
Beda Ioã. 2. Mar. 6. & Luca 8.
S. Theo. ad Gal. 1.
D. Chryſol. ſerm. 175.
D. Bern. 103 ſer. de S. Ioſeph. ar. 2. c. 1.
Lippo in vita S. Ioſeph.
Theol. in 4. d. 30.
Matth. 17.
Gen. 13.
Gen. 11.
Gen. 29.
D. Au. l. 11 de Ciu. Dei, c. 19.
Epiph. hær. 39.
Ori. ſup. 13 Matth.
Matt. 10.
Marc. 3.
Luc. 6. & Actor. 1.
1. Mach. 1.
Beda c. 6. Marci.
D. Hier. li. contra Eluid.
Beda in ca: 2. Ioan.
Rupertus Cant. 6.
Cant. 2.

inter ſpinas, ſic amica mea inter filias? vere ambo lilia, videlicet pro virginalibus nuptiis, & cohabitatione caſtiſſima.

VII. SED quod cuncta omnia ſupradicta longe ſuperat, B. DAMIANVS in epiſtola ad Nicolaū Pontificem tradit his verbis veritatem hāc eſſe de fide: *Et ne hoc ſufficere videatur, vt tantummodo Virgo ſit Mater, Eccleſiæ fides eſt, vt fuerit Virgo & is, qui ſimulatus eſt pater. Si igitur redemptor noſter tantopere dilexit floridi pudoris integritatem, vt non modo de virgineo vtero naſceretur, ſed etiam à nutritio Virgine tractaretur, & hoc cum adhuc paruulus vagiret in cunis, à quibus nunc, obſecro, tractari vult corpus ſuum, cum iam immenſus regnet in cœlis?* ſed & his inſuper tam pie, quam ſapienter ſuperaddunt D. AVGVST. Angelicus Doctor, & Cancellarius Pariſienſis, Ioſephum nō ſolum perpetuam Virginitatem coluiſſe, ſed eandem nuncupato voto in conſortio Virginis conſecraſſe, quod & docuit ABDIAS BABYLONICVS, qui tempore Apoſtolorum vixit, in vita SS. Simonis & Iudæ. Nec deſunt rationes moraliter euidentes, eandem Ioſephi virginitatem ſtabilientes; nam ſi Christus in Cruce moriturus Matrem ſuam Virginem iam in ætate prouecta nonniſi Virgini Ioanni commendare voluit, quomodo eam in iuuenili, ac tenera ætate Ioſeph commendaſſet, niſi ille Virgo eſſet? Vnde Cancellarius Pariſienſis in ſua Ioſephina dixit: *Corrupto nunquid fuerat ſocianda puella, quæ grandæua fuit ſoli commiſſa Ioanni?* Item, quia ſi Chriſtus Dominus adeo virginitatis amatorem ſe exhibuit, vt non contentus virginitatem ſeruare, voluerit de Virgine naſci, virgineo lacte nutriri, virgineo ſinu foueri, præcurſorem Virginem habere, à virgine Martha miniſtrari & hoſpitio recipi, in ſepulchro virgineo: *in quo nondū quiſquam poſitus fuerat*, ſepeliri, ac tandem in cœleſti patria virgineis choris ſeptus incedere: *Qui ſequuntur agnum quocunque ierit*: quis ſibi perſuadeat, eum: *Qui paſcitur inter lilia* Ioſephum legiſſe in patrem ſuum adoptiuum, & matris ſuæ ſponſum & cuſtodem, niſi Virgo eſſet? Deinde, nam ſi D. Cęcilia virgo legitur Valeriano ſponſo donū virginitatis impetraſſe à Deo, & ad illam vouendam perſuaſiſſe, indeuotæ ſane mētis eſt, nō ſibi perſuadere ſimile quidpiam beatiſſimā Deiparam ſanctiſſimo viro ſuo Ioſepho pręſtitiſſe. Itē quia Ioſeph electus fuit à Deo, vt vices patris cœleſtis gereret in terris: congruebat ergo, vt ſicut de illo beata Agnes dixit: *Cuius pater fœminam neſcit*: ita nec Ioſeph fœminā vmquam agnouiſſet; maxime quod cum ipſi incūberet immediatiſſime, & familiariſſime Chriſti humanitatem contrectare, mirum in modum decebat, pluſquam angelica puritate vigere, vnde melius Ioſeph, quam Sara verba illa ſibi vſurpare & adaptare potuiſſet: *Tu ſcis Domine, quod numquam concupiui fœminam, & mundam ſeruaui animam meā ab omni concupiſcentia: vxorem aūt cum timore tuo, nō cum libidine mea conſenſi ſuſcipere.* O virum caſtiſſimum! quis te docuit tantum Deo placere Virginitatem? quæ lex, quæ iuſtitia, quæ denique pagina veteris teſtamenti præcepit tibi in carne nō ſecundum carnem viuere, & in terris Angelicam ducere vitam? Nondum legeras, ô beatiſſime Ioſeph, *Sapiētia carnis, mors eſt*: & : *Curā carnis ne perfeceritis in deſiderio*: nondum legeras de virginibus, qui cantant canticum nouum, quod nemo alius cantare poterat, & ſequuntur agnum quocumque ierit: nondum legeras à Chriſto laudatos eſſe, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum; nondum legeras: *Qui matrimonio iungit Virginem ſuam, benefacit, & qui non iungit, melius facit*: nondum legeras: *De Virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do*: nondum hæc audieras, nondum de illis acceperas, non dicam præceptum, ſed neque conſilium, neque exemplum, & tamen iam illa obſeruabas; ſed ideo te illa obſeruaſſe puto, quia Spiritus ſancti vnctio iam tunc te docebat de omnibus, ac verbum diuinum, qui ſermo Dei viuus, & efficax eſt, ante tibi factus eſt magiſter, quam tu illi pater & nutritius; prius tibi inſtruxit mentem, quam in vtero tuæ ſponſæ ſibi indueret carnem omni labe carentem. quid hoc eſt, ô Virgo Ioſeph, quid hoc eſt? Chriſto deuouiſti te exhibere Virginem, & neſcis, quod ipſi exhiberi te oportet etiam Patrem? Elegiſti in Iſrael eſſe contemptibilis, & vt illi placeres, cui te probaſti, maledictum ſterilitatis incurrere non dubitaſti? ſed ecce, maledictio benedictione commutatur, & ſterilitas paternitate compenſatur; quia vbi pro Deo contemptibilis eſſe non refugiſti, ibi pater filii eius putari & appellari dignus fuiſti.

VIII. SED iam ad deſponſationem Ioſephi statū eius indicantem, in qua perſimilis fuit antiquo illi Patriarchæ, pergamus. VINCENTIVS in quo ſpec. hiſtoriali refert, Aſeneth filiam magni ſacerdotis Heliopoli pulcherrimam ſuæ ætatis fœminam, & caſtitatis amantiſſimā, dixiſſe nemini niſi alicui Deorum, ſe in vxorem fore dandam; vnde in arce fortiſſima ſe concluſit, vbi cum aliis virginibus vitam honeſte degebat: accidit autem, vt Ioſepho Prorege Ægypti iam creato illac eunte, Aſeneth ex feneſtra quadam Arcis illum proſpiciens, eius modeſtiſſimæ ac pudiciſſimæ pulchritudinis amore capta, in ſponſum illum acceperit: Ad eundem modum B. Virgo omnium fœminarum pulcherrima, quæ nonniſi Deum immortalem in ſponſum habere propoſuerat, & ideo ob virginitatis amorem in Templo cum aliis virginibus concluſa vitam traducebat, ex diuino inſtinctu Ioſephi modeſtia, ac virginali pudore allecta, illum in ſponſum ſuum libenter accepit. Quod ſi Aſeneth (ſi Dictionario hebræo Complutenſi credimus) ſignificat: *ignem diſtillantem*: recte id Deiparæ Mariæ congruit; quæ in ſponſum ſuum diuini amoris ignem diſtillans, minimam etiam libidinis ſcintillam penitus exſtinxit. Et vt in omnibus mira effulgeat ſimilitudo atque proportio, ſicut Ioſeph ille patriarcha (eodem auctore id cōmemorante) firmo propoſito de-

cre

D. Aug. vt habetur 27. q. 2. tit. 15. c. 23.
D. Tho. 3. p. q. 38 art. 4.
D. Anton. 4. p. Theol.
Gerſon Cācel. Pariſ. in anno ſup. ep. ad Gal. c. 1. & ſer. de nat. Mar. cōſ. 3.
Caniſ. li. 2 de Deip. cap. 13.
Abdias Bab.
Ioan. 19.
Ioan.
Eccl. in offic. S. Agnet.
Tobiæ 3.
Rom. 8.
Rom. 11.
Apoc. 14.
Matth. 19
1. Cor. 7.
Ibid.
Neh. 4.
Vincent. in ſuo ſpecul.
Gen. 41.
Vinc. ibid.

creuerat, se numquam nupturum: vnde Zenobiæ, & aliarum illustrium fœminarum importunis precibus reluctanti, ac inuicto animo obstiterat; iussu tamen Regis Pharaonis vxorem duxit, sic beatus noster Ioseph, quamuis, tamquam virginitatis cultor, firmum propositum apud se statuisset numquam nubendi, diuino tamen imperio subaudiens, Dei Genitricem Mariam in sponsam, & vxorem libens accepit. [Gen. 41.]

IX. Tandem, sicut antiquus ille Patriarcha Ioseph igne tribulationis exustus, ac probatus, in puteum proiectus, à fratribus venditus, ob falsam adulterij suspicionē perperam accusatus, & in carcerē detrusus fuit, indeque tandem liber euasit; non secus noster Ioseph, cum multis ac variis laboribus esset oppressus, illud tamen vehementius viscera illius contorsit, quod apparentis adulterii in grauida sponsa manifesta indicia oculis suis perlustrabat. Quam autem acriter, immo & immaniter zelotypiæ gladius cordis intima disrumpat, testatur SALOMON, dicens: *Zelus viri, sicut infernus est inexorabilis*; vnde Deus permittebat Hebræis ob ingentem dolorem viri vxoris fidelitatem zelotypiæ remedio explorare, & experiri. quia ergo variis cogitationum aculeis præcordia nostri Iosephi pungebantur, dum grauidam cogitabat sponsam, quam nunquam tetigerat, ideo MATTHÆVS ait: *Hac autem eo cogitante, apparuit ei Angelus Domini*, vt n. testatur S. BRIGITTA (id referente doctissimo GRATIANO in vita S. Ioseph) B. Virgo ex sola compassione doloris sponsum eius excruciantis tanto angore fuit confecta, vt Deus ad illam solandam Archāgelum mitteret Gabrielem, qui certiorem illam faceret, se iam diuinitus destinatum esse, vt Incarnati Verbi arcanum Iosepho aperiret, & conceptā tristitiam in summam lætitiam ad maiorem illius gloriam conuerteret: Qui trinus, & vnus regnat in sæcula sæculorum, Amen.

[Gen. 37. 39] [Prou. 6.] [Matth. 1.]

HOMILIA XIII.

Argumentum inceptæ collationis sanctissimi Iosephi cum antiquo illo Patriarcha Iosepho varia ac multiplici eruditione prosequimur.

I. TRIVSQVE Iosephi ad inuicem comparationem adeo locupletem atq; vberē venam esse cōperio, vt quo diligēti' cogitationis ligone eam effodio, tanto maiora D. Iosephi præconia mihi detegātur. Et quidem vt à donis naturæ ad munera gratiæ nostra assurgat oratio, à corporea eius pulcritudine placet exordiri: sicut enim antiquus ille Patriarcha Ioseph pulcher adeo erat vt sacra GENESIS dicat; *Erat Ioseph pulchra facie, & decorus aspectu*. vnde (vt refert NICOL. de LYRA præcit. loco) quoties fœminæ nobiles Iosephum præterire per medias vias audiebant, confestim ad pulchritudinem eius per cancellos, & fenestras intuēdam properabant: quod non parum ex eo confirmari autumo, quod Iacob, cum Iosephum ad ei impertiendā vltimam benedictionem accersiuit, postquam dixerat: *Ioseph decorus aspectu*; continuo subiunxit: *filiæ discurrerunt super murum*: vel (vt alii vertunt teste LYRANO) *filiæ discurrerunt propter aspectum*: non secus noster Ioseph tanta pulchritudine effulsit, vt Christo Domino, qui speciosus erat pre filiis hominum, vultu similem fuisse, præter GERSONEM historia Oriētalis tradat, vt refert GRATIANVS, adducens verba Christi in reuelatione quadā dicentes: *Ego eram similis Ioseph in omnibus*. vnde credidetim Christum non solum putatum esse filiū Ioseph (vt tradunt Euangelistæ) quia Maria mater eius nupta erat Iosepho; sed & quia vultu ei persimilis erat; sic n. magis Virgineus partus celabatur diabolo, dū similitudo vultus inter Iesum, & Ioseph ansam ei præbebat ad iudicandum, illum filium eius esse.

[Gen. 39. 40] [Nicol. de Lyra sup. c. 49. Gen.] [Gers. in sua Iosephina.] [Gratian. in vita S. Ioseph. l. 2. capit. 4.]

II. DEINDE quemadmodū, vt sacer textus GEN. ait Ioseph præ cunctis fratribus à patre suo Iacob dilectum fuisse: *Israel autem diligebat Ioseph super omnes filios suos*: sic & Iosephum arbitror plus à Deo dilectum fuisse, quam reliquos omnes, vt maioris huius dilectionis aperta indicia & manifesta argumenta attestantur; nimirum excellentiora gratiarū charismata præ cæteris à Deo ei collata, quorum sane hæc, quæ sequuntur, principem locum tenere arbitror. Sicut enim Iacob in signum ardentioris amoris erga Ioseph, fecit ei tunicam polymitam, sic Deus nostro Iosepho polymitam tunicam aptauit, hoc est spiritualem vestem talarem à capite vsque ad talos omnium virtutum coloribus decoratam; ibi charitas ceteris ardentior, ibi pudicitia rara, ibi tolerantia inuincibilis, ibi modestia omnibus grata, ibi comitas omnium animos concilians. Vnde sicut olim, cum summus sacerdos in Sancta sanctorum introire debebat, & arcam illam testamenti concomitari, iussione diuina præcipiebatur, vt pretiosam vestem indueret, in qua Orbis, & eius perfectiones descriptæ apparebant; sic sane, quia Ioseph non semel in anno, vt summus sacerdos ingressurus erat ad Sancta sanctorum, h. e. ad Christū Dominum, quem frequentissime, cum infans erat, manib. contrectabat; & quia pariter concomitari debebat mysticā illā Arcā, beatam scilicet Virginē, ideo oportebat, vt ad hæc tam excelsa munera obeūda polymitam vestem omnium virtutum varietate ornatam indueret. Quod si Rex Pharao honoris gratia induit antiquum illum Patriarcham Iosephum veste byssina & candida, qua per publicas vias incedebat: *Vestiuitq; eum stola byssina*: castitatē eius significans, quæ tanto in eo præcelluit, quanto ab hera sua importunius solicitatus, & instantius ad libidinem stimulatus fuit. Nam si credimus Iosepho de testamentis duodecim Patriarcharū, primum omnium variis ac importunis precibus eū allicere tentauit; deinde videns preces nihil p fice-

[Gen. 37.] [Gen. 41.] [Ioseph. li. 4.]

ficere, finxit se Iudæorum religionem velle amplecti, desiderareque ab eo catechizari, & instrui, vt hac via amicitiam eius & familiaritatem conciliaret; sed cum Ioseph neque his annueret, cœpit muneribus impugnare eum, sed non expugnauit; ac tandem videns prædicta omnia vana sibi ac futilia fuisse, veneficis remediis, & incantationibus eum in suam sententiã trahere conata est; misit enim ad eum (vt auctor est Ioseph præcitato loco) condimẽtũ quoddã, in quo apparebat acutissimus ensis, quem vir quidam vultu toruo, & horribili euaginabat, significans, grauem de illo vindictam fore sumendã, nisi desiderio illius inseruiret; quod sane nõ potuit nõ vehementer animum Iosephi excruciare, vt & vestis illa byssina significabat; byssus enim, antequam candorem & decorem obtineat, variis tunsionibus torquetur.

III. Ad eundem modum Deus candida ac byssina castitatis veste Iosephum nostrum induit, cum multis tamen pressuris coniuncta: hæc autem non solum veteris illius Iosephi castitatem, sed & angelicam longo interuallo excessit puritatẽ; Ioseph enim ille antiquus tandem filios ex matrimonio procreauit, at noster Ioseph castius vixit nuptus, quam ante nuptias; nec filiorum generationi vllo tempore vacauit. Ille quidem vt castitatẽ seruaret, oportuit, vt fugam arriperet, palliũ suum in manu fœminæ relinquens: Ioseph autem noster conuescens, & cohabitans per multos annos cum Maria, pulcherrima omnium fœminarum, caste adeo vixit, vt nec vlla vmquã libidinis cogitatio illum impeteret, prout sponsum Dei Genitricis decebat, quæ puritatis speculũ erat. Angelicã etiã virginitatem Iosephina virginitas multis nominibus superauit: tum ꝙ illa naturalis erat, hæc ex gratia; illa necessaria, hæc libera, & volũtaria; illa absque merito, hæc multiplici merito cumulata; illa tandẽ in solo spiritu, hæc vero in spiritu & corpore, & sicut de illo Iosepho dicitur in Genesi: *Sedit in forte arcus eius:* quasi diceret: ita fortem ac inuincibilẽ, cum variis tribulationibus premebatur, extitisse, vt instar optimi arcus, quamuis flecteretur, non tamẽ frangeretur, ad eundem certe modũ noster Ioseph variis laboribus tam animi, quã corporis ob suspicionẽ grauidæ vxoris, & longo in Ægyptum itinere ob herodianam persecutionem confectus, & excruciatus, nunquam tamen animo aduersis eũtibus succubuit, sed omnes has difficultates constãter superauit. Sicut etiã in signũ amoris & beneuolentiæ Rex Pharao antiquo illi Patriarchæ Iosepho torquẽ auream ex collo eius appendit, alia sane multo pretiosiori collũ nostri Iosephi Christus Dominus cinxit, dũ infans brachiis suis collum eius circundans ab eo tanquam pretiosissimus Agn[us] Dei pendebat, sed & alia etiam torque, ac inæstimabili catena ex variis virtutibus contexta animũ eius exornauit. Gen. 44.

IV. Quatuor Iosephos non semel dixi in sacra commemorari historia: primum, Patriarcham Iosephum proregem Ægypti: secundum Iosephum ab Arimathæa: tertium discipulum Christi, qui cognominabatur Barsabas: quartum, Iosephum spõsum Mariæ; in quib. sane obseruaui, quatuor præcipue virtutes cardinales mirifice effulsisse. In Patriarcha illo prudẽtia adeo viguit, vt teste Catha. l. de Imaginibus, Ægyptii Deum Seraphin appellarent; supra cuius caput modium, quo frumentum mensuratur, apponebant, vt singularem eius prudentiam, ac prouidentiam, qua tempore ingruentis famis, quæ totam Ægypti terram occupabat, frumentũ per varias partes distribui iubebat, significarent. In Ioseph ab Arimathæa fortitudo valde emicuit, cum Christi Discipulis timore perterritis, *petiit audacter corpus Iesu* sibi à Pilato donari. In Iosepho vero Barsabas iustitia adeo se ostentauit, vt cognomento, Ivstvs diceretur. Temperãtia in nostro Iosepho splenduit, sed & prudentia non defuit in seruando Christo Domino, *qui frumentum erat electorum*, & futurus panis ad cibandam Ecclesiam; immo quasi audierit illud Christi Domini: *Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus*; agnoscens famem venturam, panem hunc cœlestem (panem, inquam filiorum) ab illius rabidissimi canis voracissimi faucib. diligentissime custodiuit, fortitudine ẽt claruit, siquidem Herodem Regem, infantem Iesum occidere tentantem, vicit, & prædam quasi è manibus eius eripuit. Iustitiam tandem in eo profundas radices iecisse satis testatur Euangelica historia, dum ait: *Ioseph autem cum esset iustus, noluit eam traducere*: ex his ergo variis virtutibus charitatis auro velut ornamento micantibus torques nostri Iosephi texebatur. Matth. 27. Luc. 23. Zach. 9. Matth. 15. Matth. 1.

V. Commemorat deinde sacer textus de antiquo illo Patriarcha Ioseph, portasse frequenter virgã: de qua D. Pavlvs loquens, de Iacob dixit: *Adorauit fastigiũ virga eius*: quẽ locũ explicat ille alius Isaiæ: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*: ecce virgam, Mariam Virginem; ecce florem ex virga pullulantem, Christum Dominum; Ioseph ergo noster secum ferebat & virgam, & florẽ Dei matrem, dum filium cum matre in Ægyptum ducebat, & domum reducebat. Adhæc si Iosepho illi datus fuit annulus à Rege, in quo regia eius imago erat sculpta, alium similiter pretiosiorem annulum, & pulchriori imagine insculptum Iosepho nostro contulit Deus, Christum scilicet Dominum per annuli symbolum egregie significatum; nam sicut extrema circuli in annulo coniunguntur in vna eademq; gemma, in qua miro artificio regium sigillum adest; sic in Christo duæ illæ naturæ, humana & diuina copulatæ fuerunt in vna eademq; pretiosa petra, Pavlo dicente: *Petra aũt erat Christus.* hoc est, in eadem persona Verbi, quæ sigillum est, & vt ait Apostolus, *Imago bonitatis illius, & figura substantiæ eius*: hunc ergo annulum posuit Deus in manu Ioseph, vt illum custodiret, & signaculo eius, quas vellet litteras, obsignaret; in quo mira effulget Heb. 11. Isaia 11. 1. Cor. 10. Hebr. 1.

effulget Iosephi auctoritas, & potentia.

VI. ADHÆC quemadmodum Iacob adeo libera-
lis extitit erga filium suum Ioseph, vt ei diceret: *Do*
Gen. 48. *tibi partem vnã extra fratres tuos, quam tuli de manu*
Amorrhæi in gladio, & arcu meo; cuius quidem me-
minit D. IOANNES, cum dixit: *Iuxta prædiũ, quod de-*
Ioan. 4. *dit Iacob filio suo,* addens: *Erat autem ibi fons* : supra
cuius lapidem requieuit lassus Iesus: *Sedebat sic su-*
pra fontem: non secus Deus Optimus Maximus no-
strũ Iosephum præ cæteris adeo locupletauit, vt sa-
crum i lud prædium B Virginis, terram sanctam &
immaculatam , quam in gladio & arcu Crucis à
peccati & corruptionis legibus, mortis auctore val
de recalcitrante, & reluctante, immunem seruaue-
rat, liberaliter donauit , purumque fontem eidem
contulit; fontem (inquam) illum signatum, in quo
non solum sedit, sed & requieuit ; immo & ex eo
fluxit, ac per natiuitatem emanauit ad nostrã om-
nium sitim extinguendam, vt ipse testatus est, cum
Ioan. 17. dicebat: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.*

VII. DEINDE de antiquo illo Iosepho sacra com-
memorat historia, somniũ suũ parentibus & fratri-
bus in hunc modum enarrasse : *Putabam nos ligare*
Gen. 37. *manipulos in agro, & quasi consurgere manipulũ meũ,*
& stare, vestrosq; manipulos circumstantes adorare
manipulum meum. Quid manipuli isti adumbra-
bant, nisi homines? quis vero dubitat, ex grano illo
diuino, seminato in sanctissimo agro virginei vte-
ri, cõsurgere manipulũ, nempe Christum, cum quo
nemo est conferendus ? merito autem Ioseph po-
test appellare hunc manipulũ suũ, quoniam quã-
uis iuxta carnẽ filius Dei nõ fuerit filius Ioseph, qa
Spiritu sancto cooperante, ex illibata Virgine cõ-
ceptus & natus est ; cæterum quia manipulus ille
fructus erat sacrosanctæ illius , ac virgineæ terræ
Marianæ , consequenter & manipulus ille erat il-
lius. Hic ergo solus manipulus stetit, quoniam nũ-
quã per peccatũ cecidit, & hũc vnũ Iosephi mani-
pulũ omnes fideles adorant. veracissime ergo vsur-
pare sibi potest noster Ioseph antiqui illius verba:
Putabam vestros manipulos adorare manipulum meũ.
Ibid. Quod si antiquus ille Patriarcha fratribus suis his
verbis somniũ aliud retulit : *Vidi per somnium quasi*
solem, lunam & stellas duodecim adorare me : id sane
prænotabat futurum esse aliquãdo, vt pater, mater,
& fratres ipsius ditioni eius subiicerentur, vt reipsa
postea contigit cum in proRegem totius Ægypti à
Pharaone creatus fuit. Id quam apte Iosepho cõ-
ueniat, nemo est, qui non videat; nam in primis sol
iustitiæ Christus (vt S. LVCAS testatur) *subditus erat*
Lucæ 2. *illis*: vnde cum Christo Domino tãquã filio Dei na-
Ad Heb. 1. turali cuncta obediãt; obediunt angeli, facti *omnes*
administratorii spiritus propter eos , qui hæreditatem
capiũt salutis: obediunt astra cœlestia: *Stellæ cœli vo*
Baruch. 1. *cati sunt, & dixerunt: adsumus*: obedit Sol, Planeta-
Iosue 10. rũ princeps, cum tempore Iosue celerẽ cursum suũ
cohibens, in medio cœli stetit : obediunt ventorũ
Matth. 8. turbines, vt testatur MATTHÆVS, *quis est iste , quia*
venti, & mare obediunt ei? Mare non semel obediuit
eidem, dum tempestate ingruente tumentes fluctus
suos compescuit, & fluxibilẽ aquam suam tanquam
solidũ pauimentum exhibuit , vt super illud velut
supra firmam terram deambularet Iesus , quid plu-
ra? Mors ipsa, quæ super omnes mortales latissimũ
habet dominium, ei ad nutum sæpe obediuit, dum
mortuos, quos deglutierat, ad vitam reuocatos ad
imperium eius restituit ; ac tandem Tartariæ po-
testates, velint, nolint, ei obsecundant, & (vt ait D.
PAVLVS) in nomine eius genu flectunt; immo & ea, Philip. 2.
quæ non sunt, voci eius subaudiunt: *Vocat ea , quæ* Rom. 4.
non sunt, tanquam ea quæ sunt. Cum (inquam) Chri-
sto Domino cuncta subiiciantur , non parum ex-
cellentiam Iosephi commendat, quod sol ipse iu-
stitiæ, cui omnia obediunt, ipsi obedientiam præ-
stiterit; sed & luna etiam, B. scilicet Virgo , quam
pulchram, vt lunam appellarunt Angeli , eidem Cant. 6.
promptissime obtemperabat; si enim (id referente
sacra GENESIS historia) Sara Abraham virum suum Gen. 18.
Dominum vocabat, & tanquam Domino suo obe-
diebat, crediderim merito B. Virginem longe ob-
sequentiorem Sara erga Iosephum se exhibuisse, &
illi tamquam capiti, ac Domino suo se subiecisse:
ac tandem si sol, & luna Iesus & Maria, obediebant
ei, haud difficile erit credere stellas, hoc est, pios il-
los viros, qui illis adhærebant, dignitatem Iosephi
suspicientes, eidem etiam obtemperasse.

VIII. DEINDE si de antiquo illo Patriarcha Ioseph
sacra eloquia dicunt: *Inuenit Ioseph gratiam coram* Gen. 39.
Domino suo, & ministrabat ei, à quo præpositus omni-
bus gubernabat creditam sibi domum: hæc eadem sa-
ne satis superq; noscuntur ad nostrum Iosephũ mi-
rifice pertinere: si enim ille antiqui Iosephi inuenit
gratiam coram Pharaone Ægypti Rege, hic inue-
nit eã coram Christo, cœli , & terræ potentissimo
Imperatore: & si gratia, quam ille sibi conciliauit,
eo peruenit, vt Pharaone iubente alta præconis vo-
ce per publicas ciuitatis vias PATER legalis PHARAO-
NIS & vniuersæ Patriæ acclamaretur , vt tradit D. D. Hieron.
HIERONYM. & fauent verba ipsius Iosephi dicen- sup. cap. 4.
tis : *Deus fecit me quasi patrem Pharaonis*: sane gra- Gen.
tia, quã inuenit Ioseph coram Christo Domino, eo
accessit, vt non voce vnius præconis, velut ille , sed
tot, quot sunt in Ecclesia diuini verbi præconum,
publicis acclamationib⁹, ac singulari Ecclesiæ Ca-
tholicæ iubilo, PATER CHRISTI frequẽter vocitetur,
iuxta verba B. Virginis hoc honorifico nomine illũ
cõpellãtis: *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Luc. 2.
Etsi de antiquo illo Ioseph non addit sacer textus, ꝙ
ministrabat Regi, & creditam sibi domũ guberna-
bat; nemo sanæ mentis ambigere potest, Iosephum
Regi Christo in infantia, pueritia, iuuẽtute, millies
ministrasse, ac de propria substantia & sudore vul-
tus sui illum nutrisse, & aluisse; sacramque illam fa-
miliam non ex aliis, quam ex Iesu & Maria com-
pactam summa prudentia gubernasse. Ac tandem si
Patriarcha ille Ioseph ob fraternam persecutionem
in Ægyptum exulauit, etiam noster Ioseph ob he-
rodianam in Christum persecutionem compulsus

fuit in Ægyptum exulabire: & ficut ille arcana non pauca fibi, & aliis profutura in fomniis agnouit, Gen. 37. vnde fratres dicebant: *Ecce fomniator venit* : ita & nofter Iofeph diuinitus illuftratus perplura arcana Angelico minifterio in fomnis fibi referata accepit, Euangelifta dicente: non femel ei apparuiffe Matth. 1. Angelum Domini in fomnis, vt myfterium Incarnationis, integritatem Mariani thalami, ac profectionem Chrifti in Ægyptum, & reditum in Iudæam aperiret.

IX. Porro, fi hucufque placuit (fratres chariffimi) ea quibus vterque Iofeph fimiles fuere, breui eloquio percurriffe, non difplicebit (ni fallor) nonnulla, in quibus eorum diffimilitudo, & antipathia noftrum Iofephum celebriorem reddunt, breuiori Gen. 37. fermone aufcultare. Moyfes narrat, veterem illum Iofephum fratres fuos accufaffe de crimine peffimo, vt verbis eius vtar; quodnam autem genus peccati hoc fuerit, quidam putant fuiffe contra naturam, vt refert Gloffa; alii melius, vt ibidem dicitur, opinantur peccatum peffimum appellaffe peccatum odii, quo fratres ex Rachele nati alios ex Lia genitos profequebantur, obiicientes illis, filios ancillæ effe, non dominæ. Verum quidquid de hoc fit; quamuis demus iuftam fuiffe illius Iofephi accufationem, Iuftitia tamen noftri Iofephi in eo clarius emicuit, quod cum venter Virginis intumefcens, illum ad eam tanquam adulteram accufandam impelleret, ab ea tamen accufatione penitus fe abftinuit, Euangelifta dicente: *Iofeph cum effet iuftus, noluit eam traducere*. Matth. 1. Itaque fi iuftus fuit ille Iofeph accufans, iuftior fane nofter non accufans; fi iuftus ille fratres traducens iuftior nofter non traducens; fi iuftus ille patris punitioni germanos tradens, iuftior hic à Iudicis punitione vxorem præliberans. Idem etiam Moyfes commemorat, Gen. 39. quod licet Dominus, cuius famulus erat Patriarcha ille Iofeph, cuncta bona fua voluntati eius fubdidiffet, vxorem tamen fibi referuarat, quam minime poteftati eius dederat; vnde Iofeph ipfe dixit dominæ fuæ: *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo fua, nec quidquam eft, quod non in mea fit poteftate, præter te, quæ vxor eius es*: Ibid. at cum noftro Iofepho magnificentius fe geffit Deus, cum dilectam fponfam fuam, beatiffimam Virginem, filii fui Genitricem, fub Iofephi protectione, ac dominio tanquam veram eius vxorem conftituerit. fed quid mirum, fi inter ea, quæ Iofephi poteftati Dominus fubdebat, fponfam fuam etiam fubderet, qui filium fuum naturalem, Chriftum Dominum è patria Iofephi poteftate exemptum minime effe voluit, fed illi potius obedientem, ac fubditum, vt non femel ex Euangelica lectione retulimus, *fubditus erat illis*? Luc. 2. His ergo pariter cum Chrifto fit honor, & gloria in fæcula fæculorum, Amen.

Finis Libri Quarti.

DE



DE SACRIS ARCANIS ANGELICÆ ANNVNCIATIONIS, ET CHRISTI CONCEPTIONIS IN VTERO virgineo

LIBER QVINTVS.

Homilia Prima.

PERMVLTIS RATIONIBVS OSTENDIMVS, VALDE CONGRVVM FVISSE Angelum, non hominem ad Virginem mitti; decuisse tamen, vt sub effigie humana ei appareret. Deinde Gabrielis nomen illustramus, ac supremum illum omnium cœlestium spirituum esse, nonnullis coniecturis, & Patrum testimoniis suademus; ac tandem, quantum intersit ad negotia pertractanda prudentis Nuntij industria vti, edocemus, in illa verba: Missus est Angelus Gabriel à Deo. Luc. 1.

D. Bernar. ser. 4. super Missus.

I. IVI BERNARDI vestigia sequens, qui sermone quodam super *Missus*, inquit; *Lubenter vbi mihi congruere video, verba Sanctorum assumo, quo vel ex vasculorum pulchritudine gratiora fiant, quæ in his lectori apposuerim*; placet perpulchram hanc, ac dulcissimam Marianæ Annunciationis tractationem, verba Sancti Patris nostri BERNARDINI mihi vsurpans, exordiri: *Non est facultatis humanæ (dilectissimi fratres) quamdiu in hoc mortali corpore viuitur, plene pertingere ad laudem gloriosæ Virginis, Matris Dei, quæ omnium hominum & voces excellit, & superat intellectum. Quis enim mortalium, nisi diuino illustratus oraculo, de vnica Dei, & hominis Genitrice quidquam modicum, seu grande præsumat edicere; imo non timeat hanc pollutis labiis nominare? quam Matrem misericordiarum. & ante sæcula Deus perpetuam prædestinauit in Virginem dignissimam, Filius præelegit in matrem, Spiritus sanctus noua gratiæ domicilium præparauit? Quibus laudibus seruitus hominum Reginam efferet Angelorum, quæ præconia dilatet mortalis angustia, vel officia subministret, cui cœlestia parent & famulantur obsequia? quis dignam honoribus plausus hominum acclamabit in terris, quam spirituum agmina beatorum iugiter venerantur in cœlis?* (D. Bernar. ser. 2. c. 3. de glorioso nomine Mariæ.) sane celsitudo ineffabilis huius argumenti humanæ intelligentiæ altitudinem, & totius vincit eloquii facultatem; adeo vt excellentissimis ingeniis, & facundissimis linguis longe sublimior sit. Sed gaudendum nobis potius, quam erubescendum est, quod tanta superemur materiæ dignitate; Dei tamen auxilio freti: *à quo omnis nostra sufficientia est*, (vt PAVLI verbis loquar) sacra; quæ delitescunt in Angelica annunciatione, sacramenta aperire aggrediar. 2. Cor. 3.

II. ET quidem in primis, quanti illa momenti, ponderis, & grauitatis fuerit, neminem latere poterit, qui mittentis maiestatem, Virginis, ad quam mittitur, sanctimoniam, nuncii missi excellentiam, rei nunciatæ altissimum arcanum, salutationis inauditum eloquium, Mariæ nominis dulcissimam appellationem; illius ad Incarnationem sapientem ac maturum consensum, verborum prudentiam pariter & humilitatem, quibus illum expressit, ac tandem temporis, ac loci scatentes mysteriis circumstantias attente perpenderit: *In mense sexto*, ait sacer Euangelista; ecce valde consentaneum tẽpus; *missus est Angelus Gabriel*: ecce nuncii cœlitus missi excellentiam; *à Deo*: ecce maiestatem mittentis; *in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth*: ecce singularem loci & ipsius ciuitatis nominis (Luca 1. Ibid.)

cir-

circumſtantiam; *ad Virginem deſponſatam viro*: ecce celſitudinem & ſtatum Mariæ, cui ſit nunciatio; *& ingreſſus Angelus ad eam, dixit: Aue gratia plena*: ecce inauditum ſalutationis eloquium: *Quæ cum audiſſet, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio*: ecce in turbatione verecundiam & in cogitatione & deliberatione Mariæ ſapientiam: *quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* ecce inſignem Mariæ caſtimoniam, & virginitatem: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*: ecce ineffabile Incarnationis Mariæ reſeratum ſacramentum: *ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*: attende hic prudentem ac humilem Mariæ reſponſionem, per quam internum ſuum conſenſum luculenter expreſſit: *& diſceſſit Angelus ab ea*: ecce Angeli profectum, vt redeat ad mittentem illum, poſtquam munere ſuo iam plene functus fuerat. De his omnibus, Deo dante, diſſeremus; in hac tamen prima homilia ſermonem tantum texemus de Deo mittente, & Angelo miſſo, in illa eiuſdem LVCÆ verba: *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo.*

Ibid. *Ibid.* *Ibid.* *Ibid.*

III. CVM opera Trinitatis ad extra ſint indiuiſa (vt loquuntur Theologi) certe cum LVCAS ait, miſſum Angelum fuiſſe à Deo, miſſum vtique intelligi debet à tota Trinitate; non tamen quomodo alii Angeli mittuntur, qui cum aliquid nunciant, illud immediate accipiunt à ſuperioribus Angelis illos illuminantibus, vt inquit magnus DIONYSIVS AREOPAGITA: *Id diuina, & æterna lege, atque ordine ſancitum eſt, vt per prima ſecundis diuini fulgoris radius influat*; ſed ſpeciali priuilegio, & præter Dei conſuetudinem, teſte D. BERNARDO, nullius Angeli interuentu, ſed Deo ipſo immediate reuelante, arcanum Mariæ annunciandum accepit: *Non ab alio* (inquit) *aliquo forte excellentiore ſe, vt aſſolet, ſpiritu, ſed ab ipſo Deo mitti Gabriel perhibetur; propter hoc ergo poſitum eſt, à Deo*: vnde & addit; *Vel ideo dictum eſt ab Euangeliſta, miſſum Gabrielem à Deo, ne cui vel beatorum ſpirituum ſuum Deus, antequam Virgini, reuelaſſe putetur conſilium, excepto duntaxat Archangelo Gabriele, qui vtique tanta inter ſuos inueniri potuerit excellentia, vt tali & nomine dignus haberetur, & nuncio*: in qua etiam ſententia video fuiſſe D. CHRYSOST. qui Deum introducit hęc verba ad Angelum Gabrielem loquentem; *Placet, vt virtutes omnes, quæ in cælo ſunt, myſterium hoc lateat, & tibi ſoli ſit manifeſtum.* Addo, conſulto Euangeliſtam dixiſſe: *miſſus eſt à Deo*, non ſolum ad maieſtatem mittentis ſignificandam, ſed vt oſtenderet, quod Gabriel non ingeſſit ſe, prout familiare eſt malignis ſpiritibus: Sathanas enim ingeſſit ſe, vt acerrime tentaret Iobum, & in os Prophetarum ſe immiſit, vt mendacia prophetarent, prout legimus lib. 3 REG. ad cuius imitationem Pſeudoprophetæ ſeſe non vocati, velut lupi in ouilia obtrudunt, vt graſſentur, iuxta illud IEREMIÆ: *Currebant, & non mittebam eos*: non ſic Angelus Gabriel, ſed *miſſus à Deo* dicitur, *qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem*: vt ait Regius Vates.

D. Dionyſ. Areopag. li de cæleſt. hierar. c. 8.
D. Bernar. homil. 1 in Euangel. miſſus.
D. Chryſo. apud Metaphraſt. orat. de annunc.
Iob 1.
3. Reg 13.
Ierem. 22.
Pſal. 103.

IV. Licet autem cuipiam videri poſſit, conſentaneum fuiſſe rationi, vt ad annunciandum Deum futurum eſſe hominem, nuncius homo aſſumeretur, miſſio enim humani nuncii ad Virginem egregie quidem adumbraret miſſionem filii Dei ad eandem, vt ex ea humanā carnem aſſumeret; conuenientius tamen, & congruentius multo Angelum fuiſſe Mariæ miſſum à Deo rationes non paucæ aperte conuincunt, quarum primo loco, quas Patres tradidere, tanquam potiores proponam, deinde à nobis excogitatas ſubiungam D. HIERONYM. quē ad id citat D. THOMAS ſerm. de aſſumpt. ait: *Bene Angelus ad Mariam Virginem mittitur, quia ſemper eſt Angelis cognata virginitas: profecto in carne præter carnem viuere, non terrena vita eſt, ſed cæleſtis*; cum ergo B. Virgo pluſquam angelicam ac cœleſtem ageret vitam, conueniens erat ſpiritum angelicum, & cœleſtem ei paranymphum mitti. Secundam rationem tradit Venerabilis BEDA in hæc verba: *Aptum humanæ reſtaurationis principium, vt Angelus à Deo mitteretur ad Virginem partu conſecrandam diuino, quia prima perditionis humanæ fuit cauſa, cum ſerpens à Diabolo mittebatur ad mulierem ſpiritu ſuperbiæ decipiendam*: vt enim egregie D. CHRYSOLOG. adnotauit: *Vt homo curſibus eiſdem, quibus delapſus fuerat ad mortem, rediret ad vitam, agit cum Maria Angelus de ſalute, quia cum Eua Angelus egerat de ruina, vt noſtræ perditionis initio conueniens noſtræ reparationis principium reſponderet.* Tertiam rationem eamque ſubtili CHRYSOLOGI ingenio dignam, ipſe ibidem his verbis ſcripſit: *Audiſtis fragilem noſtræ carnis naturam ad portandam totam Deitatis gloriam angelica exhortatione roborari; ſicut enim Chriſtus interdum per Angelum confortari voluit, ſic decuit Virginem.* Itaque ſicut Chriſto ad depellendam agoniam, vt ait Euangeliſta: *& factus in agonia prolixius orabat*; miſſus fuit Angelus confortans, ita Virgini ad propulſandam futuram eius turbationem: *turbata eſt in ſermone eius*, miſſus fuit Angelus de cœlo illam corroborans, & timorem ab ea fugans: *ne timeas Maria*. Quarta ratio eſt, quia licet B. Virgo ſuperior eſſet Angelis, quantum ad dignitatem, ad quam diuinitus electa erat, ſed quantum ad ſtatum præſentis vitæ inferior erat Angelis, vt docet D. THOMAS; erat enim viatrix, illi comprehenſores; conſtat autem ſecundum doctrinam DIONYSII decere, vt arcana à ſuperioribus inferioribus reuelentur; igitur oportebat Mariam de diuino conceptu in vtero eius celebrando non per hominem, ſed per Angelum inſtrui. Quinta ratio, quia cum Deus non angelicam, ſed humanam naturam aſſumere decreuiſſet, Apoſtolo dicente: *Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*; conueniens erat, vt ad ſupremum Incarnationis ſacramentum ſaltem interuentorem Angelum vocaret, vt ſic tanti myſterii nunciatione angelica natura honoraretur. Sexta ratio, quia proprium eſt Angeli cuſtodis illuminare perſonam à ſe

Gloſſ. ordin. ex Bed ſup. Lucam c. 1.
D. Chryſol. in ſerm 1.
Ibid.
Luc. 22.
Luc. 1.
D. Thom. 3. p. q. 30. art. 2. ad primum.
D. Dionyſ de cœleſt. hierar. c. 4. & 7.
ad Hebr. 2.

à ſe cuſtoditam; Angelus autem Gabriel cuſtos erat B. Virginis, vt tradunt D. ILDEPHONSVS, B. PETRVS DAMIANVS, ABVLENSIS, & VDALRICVS. Vltima ratio ſit; nam ſi Deus olim miſit Raphaelem ad curandam infirmitatem, Gabrielem ad liberandos captiuos, Michaelem ad expugnandos hoſtes, congruentius erat, vt mitteret Angelum ad annunciandam eius Incarnationem, qui ad omnia illa incomparabiliter excellentius præſtanda venturus erat, vt per ESAIAM ipſe prædixerat: *Spiritus Domini ſuper me, vt mederer contritis corde*: ecce infirmitatis humanæ curationem: *& prædicarem captiuis indulgentiam*: ecce captiuorum liberationem: *& diem vltionis Deo noſtro*: ecce diram hoſtium expugnationem.

V. NEC quidquam derogat dignitati Mariæ, quod idem angelus Gabriel nuncii munere functus fuerit apud alios longe illa inferiores: non diffiteor miſſum fuiſſe Danieli, Zachariæ, Ioſepho, & Paſtoribus, nec non Annæ & Ioachimo eius viro (teſte PANTALEONE Diacono, vt refert SIMEON METAPHRASTES de Annunc. Mariæ) tamen huiuſmodi apparitiones ad myſterium Incarnationis in virgineo vtero celebrandum ordinabantur, vnde Danieli reuelauit tempus Incarnationis; Zachariæ natiuitatem Ioannis, qui præcurſor futurus erat Verbi Incarnati; Ioſepho, vt omnino certum illud redderet, ſponſam eius Mariam virtute Spiritus ſancti filiũ Dei concepiſſe: *quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt*; Paſtoribus tandem, vt Chriſtũ ex Maria natũ annũciaret: *Ecce annuncio vobis gaudiũ magnum, quia natus eſt vobis hodie Saluator mundi.*

VI. LICET autem nuncius ſalutationis Angelicę cœleſtis ſpiritus eſſet, ſub corporea tamen pulcherrimi viri ſpecie Virgini apparuit, vt teſtantur D. AMBROSIVS, EVSEBIVS, PETRVS CHRYSOLOGVS, HIERONYMVS, ORIGENES, & AVGVSTINVS, qui ſer. de natali Domini dixit: *Venit ad me Gabriel Archangelus, facie rutilans, veſte coruſcans, inceſſu mirabilis.* His perſimilia tradit B. LAVRENTIVS IVSTIN. ſer. de annũciat. dicens: *Inſolito fulgore veſtitus Angelus in humana effigie deſcẽdit ad Virginẽ*; conſonãt eiſdẽ alia ALBERTI MAGNI dicentis: *Angelus venire debuit in veſte clara: maximus hic ſplẽdor eam decebat legationẽ, ex qua totius orbis ſplendor eſt ortus, fœminis fulgentes apparuerunt Angeli, ſi illis coruſcantes viſi ſunt Angeli, cur non Virgini?* maxime, quod ſi legati pretioſam veſtem induere conſueuere, cum oportet eos regem, ad quẽ miſſi ſunt, alloqui, conueniens erat: vt cœleſtis legatus ſub humana effigie ex aere aſſumpta, Reginam cœli alloquuturus, radianti amictu ſe exornaret. Eius duplicem optimam rationem docuit Angelicus Doctor, quia cum inuiſibilis Deus viſibilem carnem aſſumere veniret, congruum erat, vt inuiſibilis ſpiritus ſub viſibili carnis forma Virgini appareret: atque ita, quia antiquæ Angelorum apparitiones Patribus in veteri lege factæ ad hanc verbi diuini in carne humana pparitionem præfigurandam, ac delineandã ordinabantur, ſub humana forma ab Angelis fiebant. Deinde, quia congruum erat dignitati matris Dei, vt quia non ſolum in mente, ſed in corporeo ventre filium Dei receptura erat, ideo non ſolum mens eius, ſed corporeus eius ſenſus angelica refoueretur viſione.

Ildephõ. ...m. de ...umpt. | Petr. ...amian. | ...at. 1. de ...act. Virg. | ...bulenſ. ...Matt. c. ...q. 60. | ...dal. apud ...ion. Car... ...uſ. in 2. ...iſt. 11. q. 2. | ...obiæ 11. | ...aniel. 9. | ...poc. 12. | ...aiæ 64. | ...bid. | ...an. 9. | ...ucæ 1. | ...an. 9. | ...ucæ 1. | D. Ambro. lib. 1. de off. c. 2. & lib. 1. in Luc. | Euſeb. Emiſ. hõ. ſup. miſſus eſt. & Chryſol. ſerm. 140. | Hieron. tõ. 1. ep. 7. ad Lætam. de inſtit. filiæ & ep. 22. ad Euſtoch. de cuſto. virg. | Orig. hom. 4. in Luc. | Aug. ſer. 14. de nat. tom. 10. | B. Laur. Iuſtin. ſer. de annun. | S. Thom. 3. p. q. 30. art. 3. in corp. de V. B.

VII. EXISTIMO autem cum D. ATHANASIO, B. Virginem non ſolum corporali ſenſu externam Angeli effigiem vidiſſe, ſed & pulcherrimam illius ſubſtantiam mentis oculis conſpexiſſe: verba eius ſunt hæc: *Sola ſancta Deipara Virgo nudam eſſentiam Gabrielis Archangeli contemplata eſt.* conſentit eidem ALBERTVS MAGNVS ſuper *miſſus*, dicens: *fuit in Virginis anima ſpecies propria, quam habuit diſpoſitiue per naturam, completiue per gratiam, & ſecundum hanc vidit Angelos, & animas, & Dæmones.* Scio S. Thomam huic ſententiæ refragari, dũ ait: *fuiſſet nobilior apparitio, ſi ipſum Angelum Virgo intellectuali viſione in ſua ſubſtãtia vidiſſet: ſed hoc non patiebatur ſtatus hominis viatoris, quod Angelum per eſſentiam videret*: ſed nihil ſane incõuenit, vt quod ſtatus viatoris de lege ordinaria non patitur, id ſpeciali Dei priuilegio illi conferatur: collatum autem fuiſſe Virgini hoc genus priuilegii id ſatis perſuadet, quod in Geſtis, & Vita ſanctorum non ſemel reperimus, viſas fuiſſe illorum animas magno ſplendore coruſcãtes in cœlum ab Angelis aſſumptas; vnde de B. Benedicto ſcriptum legimus apud D. GREGORIVM: *Inter manus Diſcipulorũ efflauit animam, quam duo Monachi euntem in cœlum viderunt.* Neq; obſtat, ſi quiſpiam dicat, minime turbatam fuiſſe Virginem, ſi clare ſubſtantiam ipſius Angeli cognouiſſet, cum ſanctum eum eſſe agnoſceret: nam nodus hic bifariam ſolui poteſt; primo, ſi dicamus, non ſtatim à principio ſalutationis eſſentiam Angeli vidiſſe, ſed poſt turbationem tranſactam, cum Angelus timorem ab ea repulit, dicens: *Ne timeas Maria.* Secũdo, quia turbatio eius ortũ habuit ex eo, quod cum humillima eſſet, & nihil magnum de ſe cogitaret, admirata eſt, quod *plena gratia* nũcuparetur, & mater Dei efficeretur: *turbata* enim *fuit* (ait Euangeliſta) *in ſermone eius*: hinc autem orta turbatio compaſſibilis erat cum clara cognitione ipſius Angeli.

VIII. PORRO iam qualitatem Angelici nuncii ad Mariam miſſi diligenter ſcrutemur: & vt rem altius repetamus, ab eius nomine (ſi placet) exordiamur, vt enim dixit Venerab. BEDA: *Ideo Angeli ex nomine aliquando ſignantur, vt ex ipſo, quid miniſtraturi veniant, demonſtretur; Gabriel dicitur fortitudo Dei, quia illum nunciabat, qui ad debellandum Diabolum veniebat.* eandem interpretationem accepta D. HIERON. de nomin. Hebr. dicens: *Gabriel ſignificat, confortauit me Deus, aut fortitudo mea Deus*: THEOPHYLACTVS in Luc. explicat, idẽ ſignificare Gabriel, quod: *vir Dei*: Prochus autẽ Epiſcopus Cyzicinus (vt habetur in Synodo Epheſina) inquit: *Idẽ Gabriel ſonat, quod De⁹ & homo; quia ergo ille quẽ annũciabat, Deus erat, & homo, rei miraculũ nominis notione anticipat.* atq; hinc eſt, ꝙ cum in myſterio In-

S. Athan. l. quæſt. ad Antioch. q. 12. | Albert. Mag. ſuper miſſus c. 109. | D. Thom. 3. p. q. 30. ar. 3. ad 1. | D. Greg. 2. Dialog. | Luc. 1. | Ibid. | Ibid. | Venerab. Beda ſuper c. 1 Luc. | D. Hieron. de nom. Hebraic. | Theoph in c. 1. Luc. | Prochus Epiſc. Cyzin. in Synodo Epiſc. c. 7. tom. 6.

carnationis mirum in modum suam fortitudinem ostentauerit Deus, iuxta Mariana illa verba: *Fecit potentiam in brachio suo*: arbitror hanc Prochi circa Gabrielis nomen expositionem minime ab ea dissidere, quam BEDA assignauit. vnde Cardinalis TOLETVS ait: secundum peritos linguæ sanctæ Gabrielem significare idem, quod *Deus vir*. vtramque tamen interpretationem paucis complexus mihi videtur DAVID, dum cecinit: *Dominus virtutum nobiscum*: ecce virtutem & fortitudinem: *susceptor noster Deus Iacob*: ecce Deum, factū hominem per susceptionē carnis humanæ, iuxta illud, quod canit ECCLESIA ex AMBROSIO, & AVGVST. *Tu ad liberandū suscepturus hominem, non horruisti Virginis vterum.*

Luc. 1. — *Beda vbi supra.* — *Psalm. 45.* — *Ibid.* — *Eccles. Cathol. ex hy. DD. Amb. & August.*

IX. SED dicet quispiam: cum nihil infirmius ac debilius sit carne (vt ait ISAIAS *omnis caro fœnum*) certe Deum carnem induere, nō fortitudinem, sed infirmitatem potius redolere videtur: conueniens ergo videbatur, vt Angelus, Incarnationis mysterium annuncians, vocaretur: *infirmitas Dei*, potius, quam *fortitudo Dei*: per humanæ enim carnis susceptionē fortis factus est infirmus, immortalis mortalis, & impassibilis passibilis: at si rem attente perpendamus, facile deprehēdemus, Deum infirmam carnem assumendo fortitudinem suam valde ostētasse: nam sicut quanto fortissimus Dux vilioribus & infirmioribus armis congrediens cum hoste illum deuincit, tanto magis fortitudo eius effulget, & gloriosior prodit eius victoria; ita dum filius Dei infirmæ carnis mortalitate indutus omnes tartareas legiones profligauit, & spolia, inuitis illis, & reluctantibus, ab eisdem extorsit, tanto eius fortitudo magis innotuit. Ad eum certe modum, quo in figuram & typum eius lib. 1. REG. legimus, in eo valde Dauidis victoriam emicuisse, quod non Saulis galea ærea, lorica ferrea, aut ancipiti gladio accinctus, certamen contra Gigantem iniret, sed funda solum quinque lapidibus, & baculo illum facile expugnauerit.

Isa. 40. — *1. Reg. 17.*

X. ARBITROR tamen non propterea solum conuenienter missum fuisse Angelum Gabrielem, qui *fortitudo Dei* interpretatur, quia in mysterio Incarnationis Deus brachium suæ potentiæ mirifice ostentabat, sed quia nuncium deferebat Virgini, de qua prædixerat SALOMON: *Mulierem fortem quis inueniet? procul, & de vltimis finibus pretium eius*. vel vt vertunt LXX. *Preciosior est lapidibus magni pretij*: & PAGNINVS: *longe distat à margaritis pretium eius*. ORIGINALE Hebræum: *longinquum ab vnionibus pretium eius*. & VATABLVS: *mercem habet gemmis procul petitis pretiosiorem*: opus quidem fuit B. Virgini inuincibilis fortitudo, vtpote cui incumbebat antiqui serpentis caput conterere, grassantes hæreses interimere, libidinem nostrā virginitatis suæ voto extirpare, ac tandem ingens illud difficultatum agmen superare, quæ angelicæ annunciationis tempore animam eius pulsarunt: magna enim difficultas erat, grauidam futuram esse in domo sponsi, à quo minime fuisset agnita; magna difficultas, virginitatem, & maternitatem simul in eadem sede morari; magna difficultas, vt Verbum caro fieret, & immortale mortalitatem indueret; magna difficultas, vt quem cœli capere non poterant, angusto Virginis vtero clauderetur; ac tandem non modica, imo omnium acerrima difficultas, inuincibilem Deum vincere, & inflexibilem ad parcendum humano generi flectere, adeo vt sic diligeret mundum, vt filium suum ei daret. hæc autem vltima huius difficultatis victoria præcellens adeo fuit, vt beatissima Virgo de illa se gloriari non dubitauerit, dicens: *Ego quasi murus, & vbera mea quasi Turris, ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens*: quasi diceret: postquam difficultatem illam reconciliandi hominem cum Deo superaui, merito genus humanum inexpugnabilis muri, ac inuincibilis turris, & fortissimæ arcis illustri nomenclatura me honorare, & cohonestare potest.

Prou. 31. — *Septuaginta super c. 31. Prou.* — *Ioan. 3.* — *Cant. 8.*

XI. CONSVEVERVNT olim Romani in olympicis ludis, & in luctatorum pugnis varios honores victoribus deferre, vt coronam in capite, palmam in manu, corpori splendidum vestimentum, currum etiam triumphalem, quo veheretur, vincenti exhibere: at illud honoris genus reliquos superabat, quando ad victoris ingressum Vrbis murus rumpebatur, vt tradit SVETONIVS; cuius ritus rationem reddidit Commentator Persii, dum ait: non enim opus est muro Ciuitati viros habenti, qui possint pugnare, & vincere. Vt ergo beatissima Virgo nobis manifestaret, se inuincibilem, ac indefessam nostram protectricem esse, tam ab ira diuina genus humanum defendens quam ab infestatione diabolica illud eripiens, fortissimo muro se comparauit; adeo quidem inexpugnabili, vt eam nec partus, qui materni vteri maceriem semper perfringere solet, minime irruperit; Gloriosius enim fuit Christo Domino, clauso & incolumi virginei claustri muro in hanc lucem intrare, quam Romanorum victoribus aperto, & disrupto Vrbis muro illam ingredi. recte ergo ait Maria; *ego quasi murus*: sed non solum ob id, sed quia etiam cūctas, quæ in acceptanda dignitate Matris Dei difficultates latebant, limpidissima cognitione penetrans, ad eas omnes diuina virtute superandas se accinxit, cum consensum suum præbens, dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*

Cant. 8. — *Luc. 1.*

XII. SED iam de excellentia cœlestis Paranymphi Gabrielis sermonem instituamus, id supponentes, quod CHRYSOST. monet, volitantem illum à pictoribus delineari, non quod Deus pennatum illum condiderit, sed ob sublimes & excelsas cœlestis naturæ vires, atque vt illum à supremo domicilio ad terrā nostra causa deuenisse gratis animis reputemus, hac enim ratione CHRYSOL. dixit: *ad Virginem Deum aligerum portatorē misisse*. Est igitur, hoc supposito, inter Patres controuersia, an tanta fuerit eius excellentia, vt inter beatos omnes spiritus supremū sibi locū vendicet, an solū inter Archangelos summus eorum sit. Hoc secundum do-

D. Chrysost. hom. de Incomprehens. Dei natura. — *D. Chrysol. serm. 142.*

docere

cuere multi Patres, D. GREG. in Euangel. dum ait: *Hi qui minima nunciāt, Angeli, qui vero summa annunciāt, Archāgeli vocantur, hinc est enim, quod ad Mariam Virginem non quilibet Angelus, sed Gabriel Archangelus mittitur:* D. BERNAR. similiter inquit: *Putemus Angelus praesse Archāgelos qui nonnisi ob maximas, & præcipuas causas mittuntur, ex quibus magnus ille Archāgelus Gabriel missus legitur ad Mariam, ob causam vtiq;, qua maior esse non potuit.* D. THOM. horum Patrum sententiam sequutus, dixit: *satis credibile est, quod sit summus in ordine Archangelorū:* eidemque adstipulantur D. IRENÆVS, AMBROSIVS, AVGVSTINVS, Card. CAIETAN. & Episcopus ABVLENS. potestq; hæc sententia variis rationibus fulciri. Prima, quia, vt auctor est D. DIONYS. de cœl. hier. Angelorum ordines, & hierarchiæ officiis & ministeriis distinguuntur; ait enim: *neq; alicui fas est operari, nisi quod officii sui diuina sanxit institutio.* ex omnibus autē ordinibus duo vltimi infimæ hierarchiæ ad custodiendos homines, vel res, quæ ad illos pertinent, annunciandas destinati sunt; ita tamen vt infimus Angelorum ordo ad res inferioris ordinis; Archangelorū autē ordo ad altiora mysteria manifestāda ordinetur: Gabriel ergo, qui ad annūciandū Incarnationis mysteriū missus est, ex hac hierarchia fuisse credendus est: nec enim opus erat, hunc hierarchicum ordinem peruerti, sed sufficiens erat, vt quia ad annunciandum supremum omnium mysteriorum mittebatur, supremus esset in ordine eorum, qui diuina lege ad annunciandum destinati erant. Secunda ratio, quia Michael superior Angelus est ad Gabrielem, vt adnotarunt Diuus HIERONYM. BASIL. & RVPERTVS, & non obscure significat Ecclesia, dum in publicis precationibus, seu Litaniis præponit illum Gabrieli. Tertia ratio, in qua D. THOMAS præcitato loco magnam vim facit, est, quod Ecclesia Catholica illum Archangelū vocat, nō Cherubinum, aut Seraphinum; putat igitur ad Archangelorum ordinē pertinere, qui multo inferior est illorū ordine. Quarta ratio moralis est, quia hac admissa sententia, ad componendos hominum mores, illa egregia, ac salutaris erui potest doctrina, vnumquemque scilicet eligi debere ad munus exercendum suo ordini deputatum: nam si alios eligas ad exercenda munera, quæ ex officio illis non incumbunt, prætermissis illis, ad quos ea præstare iure spectat, Reipublicæ ordo peruertitur, ingentesque rixæ, odia, & querimoniæ in ea excitantur. Vnde videmus, quod cum voluit Rex Ozias incensum adolere super altare thymiamatis, Azarias sacerdos, & cum eo pariter omnes sacerdotes acriter ei in faciem resistentes, dixerunt: *non est tui officii Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, qui consecrati sunt ad huiuscemodi ministerium: egredere de sanctuario, ne contempseris:* cumque iratus Ozias nollet relinquere thuribulum, & persisteret, vt adoleret incensum, & minaretur sacerdotibus, statim à Deo lepra percussus est; quo non obscure monemur, ne alienum officium nobis arrogemus, nisi Dei vindictam subire velimus.

Gre. hō- in Euā. | Bern. li. e con- cap.4. | Thom.3. q.30.ar. ad 4. | Iren. li. duers. ræsca.2. | Amb.l. de Spiri- S. cap.7. | ug. ser. de nat. | ō. Caiet. p.3.p.q. art.2. | bulens. Matth. 18.q.60. | Dionys. cœlest. ier.c.3. | D. Hieron. up.c.8. Daniel. | D. Basil. ō. de Ang. | Rupert. li.5. in Apoc. in princ. | 2. Paral. 26

XIII. CÆTERVM Gabrielem supremum inter omnes beatos spiritus esse, nonnulli docuere, vt auctor est D. THOM. dum ait: *Quidam dicunt, Gabrielem fuisse de supremo ordine Angelorum, propter quod* GREGORIVS *dicit: summum Angelum venire dignum fuerat, qui summum omnium nunciabat* tuenturque ex professo hanc sentētiam Cardin. VIGVER in suo decachordo, & COELESTINVS super *missus* qui ad id adducit D. DAMASC. dicentem: *Clamemus cum Gabriele, qui primum locum obtinet inter Angelos.* inde que vero similis sit hæc sententia, cum in re dubia, & incerta coniecturis locus sit dandus: Primo, quia consonum erat dignitati tanti mysterii, vt supremus absolute omnium Angelorum esset, cui suprema legatio supremi absolute omnium mysteriorum committebatur.

D. Thom. 3.p.q.30. ar.2. | D. Greg. hom.34. in Euan. ante med. illius. | Viguer. in suo decachordo c.2. | Cœlest. super missus serm.4.

XIV. SECVNDO, quia, vt docuerunt D. CHRYS. & BERN. ponderantes verba illa LVCÆ: *missus à Deo:* certe Angelus Gabriel immediate absque interuentu superioris Angeli legationem suam accepit à Deo, quod quidem proprium est supremi omnium Angelorum; nam reliqui à superioribus Angelis immediate illuminātur, vt frequēter docet D. DIONYS. Quod si dicas, præter ordinariam legem, & ex speciali priuilegio Deum immediate per se legationem illam Angelo Gabrieli reuelasse, & vt etiam reliquos Angelos lateret, & non quia supremus esset omnium Angelorum; fas etiam nobis erit dicere, præter legem communem, & ex speciali priuilegio Deū non misisse Virgini Angelū ex destinatis ad negotia nuncianda, sed excellentissimum omnium elegisse ad excellentiam, & maiestatem mysterii significandam, ita vt propterea non supremum in officio nunciandi, sed absolute omnium maximum mitteret.

D. Chrys. ap. Metaphrast. orat. de annunc. | D. Bernar. hom.1. super missus. | Luc.1. | D. Dionys. de cœl. hier.

XV. TERTIO, quia ISAIAS ait: missum fuisse ad illum Seraphinum: *& volauit ad me vnus ex Seraphim,* vt illū erudiret, & eloquentem redderet ad verbum Dei annunciandum; conuenientius ergo multo erat supremum Seraphinum ad Virginem mitti, vt eam instrueret, quæ Verbū diuinum nō annunciare, vt ille, sed humana carne induere debebat. huic Isaiæ loco si adiūgas verba D. PAVLI: *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi:* necnon etiam illa GREGORII NAZIANZ. dicentis: *Quidā Græcorū apprime in scripturis eruditus, Seraphinas virtutes quasdam in cœlo esse exponit. quæ ante tribunal Dei assistentes, laudāt eū, & ad diuersa mysteria mittuntur:* facile inde colliges, non esse præter cōmunem Dei legem, vt Seraphim etiam ad extraordinaria quædam, & magni momenti negotia aliquando, licet raro, mittantur, vt & de Angelis disputantes expresse docuere ALEXAN. ALENS. & ALTISIODORENSIS. Et quidē mihi mirabile non est, Deū supremum Seraphinum ad Mariam salutandam misisse, qui filium proprium suū ad eam ex eius visceribus incarnandum mittebat; non enim famulus

Isai.6. | Ad Heb.1. | D. Gre. Nazianz. tract.2. de Theol. | Alex. Alens. & Altisiod. de Angelis.

maior eſt domino, ſed è contra.

XVI. QVARTO, quia Gabriel miſſus fuit ad inſtruendam Virginem, quæ dignitate, & gratia omnes Angelorum ordines longe ſuperabat: decebat ergo non per infimæ hierarchiæ Angelum, ſed per ſupremum omnium illam inſtruere.

XVII. QVOD autem in publicis Eccleſiæ precationibus Michael præponatur Gabrieli, firmum argumentum non eſt, illum ei ſuperiorem eſſe; nã propterea in Eccleſia militanti præfertur Michael, quia Princeps à Deo, & vniuerſalis eius protector conſtitutus eſt, ſicut & olim cuſtos erat Synagogæ Hebræorum: in Eccleſia vero triũphanti Gabrel primatum habet ſuper illum. Et quidem Michaelẽ non eſſe omnium cœleſtium ſpirituum ſupremum, verba ipſius Gabrielis apertiſſime indicant, cum dixit: *Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium meum*: ecce non ait, primum, ſed, vnum de primis. (Daniel. 10) Addo etiam cõſulto Eccleſiam, non abſque latenti myſterio, Gabrielem in ſecundo, & non in primo loco conſtituiſſe, ad ſignificandum annunciationis illius arcanum; nimirum, non primam, ſed ſecundam Trinitatis perſonam humanã carnem ſuſcepiſſe pro reparando damno per ſecundam culpam illato, quæ fuit Adæ peccatum, quo ſecundam naturam intellectualem, nempe hominem, infecerat: ac tandem ex eo, quod Gabriel Archangelus ab Eccleſia compellari ſoleat, nulla ſolida ratio poteſt deprehendi ad inferendum, non pertinere ad ſupremũ ordinẽ; nam etiam Eccleſia Michaelem nunc Angelum, nunc Archangelum, nunc Principem Angelorum vocat; ſicut enim nomen Angeli & commune eſt omnibus cœleſtibus ſpiritibus, & infimo ordini accommodatur: ita et iã nomen ARCHANGELI, quanquam vna ſignificatione proprium ſit ſecundi ordinis infimæ hierarchiæ, tamen alia ratione vniuerſaliori omnis Angelus, qui primatum aliquem habet inter cœleſtes ſpiritus, Archãgelus vocari poteſt: manifeſtum autem eſt, non conſtare, ſub qua ſignificatione Gabrieli ab Eccleſia Archangeli nomen tribuatur. Quare pie ſatis à multis creditur, non minoribus exornatum fuiſſe dotibus, quam, illum, quem Propheta EZECHIEL (Ezech. 28.) variis coloribus depinxit, dicens: *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore in deliciis Paradiſi Dei fuiſti: omnis lapis precioſus operimentum tuum, ſardius, topatius, & iaſpis, chryſolithus, & onyx, & beryllus, ſaphyrus & carbunculus, & ſmaragdus: aurum opus decoris tui, & foramina tua, in die, qua cõditus es, præparata sũt. Tu Cherub. extentus, & protegens, & poſui te in monte ſancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulaſti, perfectus in viis tuis in die cõditionis tuæ*: quibus reb⁹ aperte ſignificat, Deũ ingentẽ donorũ cumulũ in hunc Angelum contuliſſe. Doctiſſ. etiam CANIS. Gabrielem commendans eleganter dixit: *Ingentem profecto huius Angeli laudem eſſe neceſſe eſt, qui à ſummo Deo dilectus, ad ſummum conficiendum negotium in terras deſtinatur, quiq; Domini ſui legantis mandato ad vnguem paret, ac iniuncto munere in tota legatione ſedulo perfungitur, vt euangelicæ gratiæ ad cõmunem ſalutem hominum prima quodammodo iaciat fundamenta; quid illo nuncio expeditius? quid tali monitore ſapientius? quid hoc procuratore fidelius? qui de arcanis cœleſtibus in cõclaui Virginem inuiſit ſalutauit, inſtruxit; remque totam à piis omnibus tot ſæculis vel maxime deſideratam rite confecit.* hæc ille.

(Doctiſ. Caniſ. lib. 3. de Deipar. c. 1. Gabrielis commendatio.)

XVIII. QVOD ſi Deus optimus maximus nunciũ ad Mariam mittendum elegit non quemcumque, ſed ſapientiſſimum & diſertiſſimum; diſcant inde homines, maxime aduertendum fore, quemnam ad peragenda negotia mittant: Sapiens namque ait: *Legatus fidelis ſanitas*; quia proculdubio ægri- (Prou. 13.) tudo, & ſanitas negotii tractandi pendet ex prudentia, & fidelitate legati: ſi enim fuerit prudens, res proculdubio pro votis ſuccedet; ſi autem fuerit prudentia deſtitutus, imprudentia eius rem perdet. Hinc rurſus peruenuſta collationum congerie ſignificat SALOMON, quantum adferat nocumenti rebus nuncius inſipiens: *Dens* (inquit) *putridus, &* (Prou. 25.) *pes laſſus, qui ſperat ſuper infideli in die anguſtiæ, & amittit pallium in die frigoris.* Cum tribus rebus maxime obſeruandis componit nũcium imprudentẽ, cum dente putrido, cum pede laſſo, & cum homine, qui maximo premente frigore, non habet pallium, quo ſe à frigiditate tueatur. Perelegantes iſtæ ſunt comparationes, nam quemadmodum ab homine, ex cuius ore ob dentium fœtorem faciem auertis, quod non poſſis eius graueolentiam ferre, immo hęc eſt miſeranda hominis exhalantis ex ore fœtorem pœna, vt cuncta eius, veſtes, eſca, & denique quidquid tangit, fœtere iudicemus, ita res miſſa per nuncium ſtultum fœtere dicitur, quoniam minime conceditur, quod per legatum inſipientem petitur. Hunc etiam bene componit Salomon cum pede laſſo, quoniam qui pede laſſo iter facit, priuſquam hominem adeat, cum quo res tractanda eſt, vel alii præiere, & beneficium, ad quod ſitibundus anhelabat, amittens, illi adepti ſunt, vel occaſio ad illud conſequendum amiſſa eſt. Demum bene cum homine amittente pallium in die frigoris componit nuncium ſtultum, & imprudentem; quia, quemadmodum is homo torporem quendam incurrit, & eum inertem reddit frigus; ita vt nihil agere valeat, ad eundem modum inſipiens nuncius nihil poteſt efficere aut concludere. E contra vero prudentem & fidelem nuncium eleganter componit cum frigore niuis, tempore meſſis, & æſtatis, quo ſitibundus maxime frigiditate recreatur: *ſicut frigus*, inquit, *niuis in die meſſis, ita legatus fidelis ei, qui* (Ibid.) *miſit eum, animam ipſius requieſcere facit.*

XIX. QVIS non videat, nuncios eſſe præcipua rerũ inſtrumenta ad eas peragendas? igitur ſi inſtrumentũ ineptum ſit; qui fieri poterit, vt res bene efficiatur? ſi aurifex ad ſculpendam imaginem ligneo vtatur malleo, aut lapide impolito, quid boni poterit efficere? ferrea, eaque bene apparata, neceſſaria ſunt inſtrumenta, alioquin opus, & impen-

ſam

Gen.24. sam perdet. Patriarcha Abraham daturus vxorem charissimo filio suo Isaac, misit nuncium, qui hac de re ageret, in Mesopotamiam ad vrbem Nachor, non tamen quemquam sine discrimine, sed seruum seniorem domus suæ, quem prudentia, & fidelitas euexerat ad œconomiam omnium bonorũ illius: neque contentus est Abraham experimento longo cognouisse prudentiam & fidelitatem huius famuli sed vltra progressus, iuramento obligauit eum, vt vxorem adduceret ex regione, in qua ortus fuerat ipsemet Patriarcha. Eximia Prophetæ Nathan in adipiscendo regno Dauid Salomoni prudentia nobis etiam est exemplo, qui ita rem perorauit apud Regem, vt eius animum alliceret ad eligendũ, contempto Adonia, Salomonẽ in Regem. Abigail
3. Reg.1. etiam ea facundia loquuta est ad Regem Dauid, vt ex iracundo placidum, ac plàcatum redderet Dauidem; ne vindictam sumeret de Nabal Carneli, huius verba non refero, ne longior texatur oratio.
1. Reg. 25. Cæterum verba referam DAVIDIS respondentis fœminæ Abigail: *Benedictus*, inquit, *Dominus Deus Isral, qui misit hodie te in occursum meum, & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem, vt vlciscerer me ma-*
Ibid. *nu mea. Alioquin viuit Dominus Deus Israel, qui prohibuit me, ne malum facerem tibi: nisi cito venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal vsque ad lucem matutinam, mingens ad parietem* Denique illi dixit: *Vade pacifice in domum tuam, ecce audiui vocem tuã, & honoraui faciem tuam.* O admirandam fœminæ prudentiã; huius non erat dens putridus, sed fauus distillans labia eius ad demulcendum Dauidis animum; pes nõ fuit lassus, sed maxime festinus & velox: non pallium abstulit à viro suo Nabal, vt frigore torperet, sed eius mira prudentia veluti pallio contegit, ne Dauid supplicium ab eo sumeret. Hanc in negotiis peragendis necessariam valde prudentiam dignetur nobis Dominus infundere, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei; cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA II.

Angelicæ legationis ad Mariam variæ circumstãtiæ loci, & temporis, multiplici eruditione exornantur, & varia quæ in eis arcana latent, deteguntur in illa verba Lucæ: In mense autem sexto
Luc.1. missus est Angelus Gabriel à Deo in Ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth,

I. I, vt latinum fert Prouerbium: *Dimidium facti, qui bene cœpit, habet:* dimidium sane huius orationis iã factum arbitror, cum à verbis D. BERNARDI dicere incipiã: D. Bern.
Quid sibi voluit Euangelista tot pro- hom. 1. de
pria nomina rerum in hoc loco tam signanter exprime- annunc.
re? credo, quia voluit nos negligenter non audire, quod tam diligenter studuit enarrare: nominat siquidem nũcium, qui mittitur, Dominum, à quo mittitur, Virginem, ad quam mittitur, sponsum quoque Virginis, amborumque genus, Ciuitatem, ac regionẽ propriis designat nominibus. vt quid hoc? putas ne aliquid horum superuacue positum est? nequaquam: si enim nec folium de arbo-
re sine causa, nec vnus ex passeribus sine Patre cœlesti Matth. 10.
cadit super terram, putem ego de ore sancti Euangelistæ superfluum defluere verbũ, præsertim in sacra historia Verbi? non puto. Plena quippe sunt omnia supernis my-
steriis, ac cœlesti singula dulcedine redundantia: si tamẽ Deut.23.
diligentem habeat inspectorem, qui nouit sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo. hæc ille. ne tamen à doctrina tanti Patris recedamus, placet allegoricã interpretationẽ, quã ipse tradidit, exponens historiam Abrahæ mittentis nuncium ad quærendã spõsam filio suo, his, quæ mihi dicẽda sunt, texere.

II. NARRAT sacra GENESEOS historia, quod E- Gen.24.
leazar famulus Abrahæ ex eius præcepto perrexit D. Ber. ser.
ad quærendam sponsam Isaac filio Domini sui, qui 6. in virg.
tamen perueniens ad puteum quendam, ecce ad- natiu. Do-
fuit ei pulchra Rebecca, à qua ipse postulans aquã, min. & 2.
illa liberaliter ei respondit dicens: non solũ ei, sed de pãnis, &
& famulis eius libenter daturam, indeque ipse co- ante illum
gnouit illam esse sponsam, quam quærebat; & idcir- D. Aug.
co dixit: *Ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac.* A- serm.77.
braham, qui senex erat, & interpretatur: *Pa-* Gen.24.
ter Altissimus æternũ Patrẽ præsignat, qui *antiquus dierũ* vocatur; & ipse est pater eius, de quo Angelus
dixit: *Filius Altissimi vocabitur.* Eleazar nuncius A- Luca.1.
brahæ, Gabrielẽ æterni Patris nunciũ in Nazareth missum ad viuũ exprimit, quia sicut ille sponsam filio Domini sui quæsiuit, ita Gabriel matrem filio Dei, ac Domini sui diligenter inuenit, quam cũ primum vidit, & audiuit, merito dicere potuisset il-
lud idem, quod Eleazar: *Ipsa est, quam præparasti* Gen. 24.
seruo Isaac: id est, Christo, per Isaac figurato Rebec-
ca, de qua sacer textus ait: *puella decora nimis, vir-* Luc.1.
go pulcherrima, & incognita viro: Mariã pulchram vt lunam, & virginem à viro incognitam: *quoniam virum non cognosco*, egregie adumbrat: sed non solum ob id, verum etiam, quia sicut Rebecca petitioni Eleazar continuo annuit, plus ei offerens, quam postulauerat, ita B. Virgo Gabrieli cõsensum ab ea efflagitanti, vt Mater Dei vellet esse, illa consensit non solum, vt mater, sed vt humilis esset Dei serua,
dicẽs: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbũ* Ibid.
tuũ. In eo etiam suã liberalitatẽ ostendit, quia sicut famulo Abrahæ à Rebecca postulãti aquã de hydria
ad bibendum illa respondit: *Bibe Domine mi, quin* Gen. 24.
& camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibãt:

non dissimiliter B. Virgo omnibus tam cœlicolis,
quam terrigenis aquam salutarem de hydria sua
dedit, vt biberent, & sitim extinguerent: filius Dei
sitiebat carnem assumere ex castissimis eius visceri-
bus; Angelus sitiebat consensum eius, vt fieret in
Zach. 9. ea Verbum caro; Patres in sinu Abrahæ latentes *in*
lacu, in quo non erat aqua, hanc aquam auidissime
desiderabant; peccatores, velut cameli, peccatorũ
pondere pressi, & vehementer defatigati, salutarem
hanc aquam, qua abluerentur, & reficerentur, ardē-
ter cupiebant; ipsa autē liberalius, quam altera Re-
D. Bernar. becca, omnium istorum vota expleuit, BERNARDO
ser. de ver. dicente: *De plenitudine eius accipiunt omnes, captiuus*
Apoc. 12. *redēptionē, æger curationē, tristis consolationē, peccator*
veniã, iustus gratiam, Angelus lætitiam, tota Trinitas
gloriam, persona filii carnis substantiam.

III. Ac tandem, vt nihil in hac figura consonum
non sit mysterii veritati, perpendenda sunt verba
Gen. 24. illa, quæ dixit Abrahamus seruo suo Eleazari: *pro-*
ficiscere ad terram meam, & ad cognationem meam.
olim quidem videbatur Deus in cœlo cum Angelis
tãtum agere, humanæ carnis consortium dedigna-
Gen. 6. batur: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia*
Psal. 113. *caro est*: Cœlum incolebat, cœlum cœli Domino:
Iob. 29. Terram despiciebat: *Lux vultus eius non cade-*
bat in terram: at vbi præfiniti temporis venit pleni-
tudo, miseratione motus, clemētię suæ oculis terrã
nostram benigno aspectu intuitus fuit, noluit qui-
dem angelicam naturam cœli habitatricem, sed
humanam terræ cultricē sibi in vnitatem personæ
ad Hebr. 2. copulare, Apostolo dicente: *Nusquã Angelos appre-*
hendit, sed semen Abrahæ apprehendit: quod non im-
merito dicam cognationem habere cum Deo, eo-
Actor. 17. dem PAVLO attestante: *quoniã Dei genus sumus*. Pos-
sumus etiam dicere per terram hanc, quã Deus vo-
Gen. 24. cat suã: *proficiscere ad terram meã*; B. Virginē intelli-
gi, quia sicut terra infimum est omnium elemento-
rum, & inter omnia illa firmissimum, & immobilis-
simum est, pariterque fœcundissima omnium fru-
gũ mater existit; ita B. Virgo, tanquam omnium
humillima, atque in propria æstimatione sibi ipsi
vilescens, infimum omnium locũ tenebat, & tãquã
omnium fidelissima, multis Apostolis in fide vacil-
lantibus, ipsa tanquam immobilis columna Ca-
tholicæ fidei, firmissima semper perstitit; ac tandē
Sap. 7. velut fœcundissima terra, vt SAPIENS dixit: *Omniũ*
bonorum mater est: fructumque illum super omnes
Isaia 4. benedictum nobis peperit, de quo ISAIAS: *In die illa*
erit germen Domini in magnificentia, & gloria: & fru-
ctus terræ sublimis & exultatio. hunc locum refert D.
D. Gregor. GREG. ad mysterium Incarnationis, per quod filius
homil. 13. Dei factus est nobis fructus terræ, sed *sublimis*, & *e-*
leuatus, quia non solum super homines, sed ēt super
Angelos eleuatus est, & supra ipsos etiam regnat in
Ad Heb. 1. cœlo: *Tãto melior Angelis effectus* (ait PAVLVS) *quanto*
differentius præ illis nomen hæreditauit. sed in eo vide-
ri duas Christi generationes, hoc loco insinuauit
Propheta; vnam, qua germen Domini est, & ex sub-
stantia Patris ante sæcula genitus, plena omni ma-
gnificentia, & gloria, per quam Pater filio omnem
suam substantiam, & omnem gloriam dedit; alterã,
qua germen, & fructus terræ benedictæ est, & ex
substantia matris in sæculo natus; iuxta quod per
ISAIAM dicitur: *Aperiatur terra, & germinet Saluato-* *Isaia 45.*
rē: terra enim virginea manens incorrupta, signa-
ta, & integra, soli Spiritui sancto aperta est, vt in
ea atque ex ea carnem assumeret Dei filius, & fie-
ret fructus terræ, germen Dauid, quod per IERE-
MIAM antea promiserat dicens: *Germinare faciam* *Ierem. 33.*
Dauid germen iustum; quod *germen iustum* adeo iu-
stum fuit, & fructus terræ ita sublimis, vt ipse sit Re-
demptor & Saluator Mundi, Angelorum Rex, cœ-
li, & terræ Dominus, & nobis ex illo fructu terræ
sublimi non solum lætitia & exultatio, sed & om-
nium bonorum copia, & abundantia proueniat: *Vi-*
sitasti terram, inquit DAVID, de hoc Annunciationis *Psal. 64.*
mysterio agens, *& inebriasti eam, multiplicasti locu-*
pletare eam. Mariæ terram Dominus visitauit, quã-
do missus est ad eam Angelus dicens ei: *Spiritus* *Luc. 1.*
sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbra-
bit tibi: tunc enim & illam mirabiliter, & nos mise-
ricorditer visitauit ex alto diuinitatis suæ; nec so-
lũ visitauit, *sed inebriauit hanc terram, & infudit se* *Isaia 66.*
in eam, quã impleuit gratia, & Spiritu sancto, vt ger-
minare eam faceret filium Dei secundum carnem.

IV. PORRO, iam huius cœlestis legationis varias
circumstantias, sacramentis plenas, parumper cō-
templemur. Et quidem ab ea, quæ temporis est, ex-
ordientes, quamuis ex fide Catholica certũ sit, hoc
extitisse discrimen, quoad temporis circumstan-
tiam, inter Christum & reliquos homines, quod hi
nascũtur sub dominio temporis, & eidem subiecti,
Christus vero conceptus, & natus fuit Dominus
vniuersorum temporum; vnde est, quod illi non
fuerunt concepti, quando voluerũt; Christus vero
suæ conceptionis tempus elegit: quare cum ipse
probe agnosceret, quodnã magis cōgruũ, & opor-
tunum tempus esset ad humanam carnem in vtero
Virginis induendam, consequens est, nullum a-
liud excogitari posse congruentius, & oportunius,
quam illud, in quo reipsa conceptus fuit. Nobis ta-
men, quos huius facti congruentia latet, licebit
varias eius rationes diligenter indagare: nam, vt
egregie obseruauit D. GREGORIVS, quoties in sa- *D. Gregor.*
cris eloquiis temporis circumstantia adnotatur, *2. mor. c. 2.*
credendum est, latere ibi aliquod sacramentum,
vnde inquit, ꝙ cum Euangelista signanter dixit: *hy-* *Ioan. 10.*
ems erat, prænotare voluit, quod cũ Hebræorũ cor-
da in festo renouationis Templi feruentiori deuo-
tione incalescere debebant, tũc tēporis magis fri-
gebant, quam soleant in hyeme homines frigere;
similiter cum Diuus IOANNES de negatione Petri
agens, adiecit, quod tunc vigebat frigus, & quod
Petrus erat *calefaciens se*, significare voluit gelidum *Ioan. 18.*
Petri cor, quod charitatis igne valde indigebat.
Quãdo itē Moyses narrans, quomodo Abrahã e-
gressus est de domo sua ad suscipiēdos in ea pere-
grinos, sub quorũ figura tres Angeli ad eũ diuerte-
runt;

...n.18. Luca 1.

sunt, adnotat certe id accidisse *in ipso feruore diei*, vt piũ, ac feruentẽ Abrahæ animũ in peregrinis hospitio suscipiendis commonstraret; simili ergo ratione, dum sacer Euangelista tempus angelicæ legationis prænotauit, dicens: *Sexto autem mense*: consequens est non absque mysterio id fuisse. est ergo rationi consonum, vt, quæ in eo latent, aperiamus; prius tamen de anno, quam de mense, die, & hora dicamus.

...cœlest. su... r missus t ange... s ser. 3. ...uar. to. 2. ...p. disp. 12. ...sess. Doct. Ioan. de Roa de ...nnis mũ... ...tab. 4. Beda de ra... ...one temp. Illuminatus Doct. Franc. de Mayron. ...r. de ann. Heb. 1.

V. Qvo anno à Creatione mundi facta fuerit Angelica legatio, & Christi conceptio, non est vna omnium opinio; quin potius quot capita, tot video sententias: nam (vt refert Coelestinvs) quidá putarunt illam fuisse post tria milia, & septuaginta annos à mundi creatione: alii post 3963. alii post 4000. alii post 4110. alii post 4200. alii post 4300. alii cum Francisco Svarez docent, Incarnationé celebratá fuisse quater millesimo fere anno à creatione mundi, anno 2. Olympiadis 124. alii cum doctore Ioanne de Roa contendunt, Christum conceptum à creatione mũdi quater millesimo septuagesimo secundo dimidio anno ablato; idq; egregio discursu præcitatus auctor comprobat. Alii cũ Beda factam autumant anno quinquies millesimo centesimo nonagesimo nono. D. Hieron. putat angelum venisse ad Mariam in sexto millenario: quam opinionem sequutus Illvminatvs Doctor ait: *Sicut in sexta die formauit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam; ita etiam in isto senario formauit Deus illum hominem, qui est imago Dei, & eius similitudo expressa secundum Apostolum: & sicut die illo fuit hominis lapsus, ita isto millenario fuit reparatus: & sicut in isto anno agebatur septuagesima secunda generatio ab Adam, sic iste homo septuaginta duos Discipulos habuit.* Confirmat idem Diuus Bonavent dicens: *Quod sicut homo primus fuit conditus ad totius mundi complementum sexto die, sic secundus homo, scilicet Christus, incarnatur sexta ætate, & sexto millenario ad totius creaturæ perfectionem.* Quænam autem ex his sententiis veritatis scopum attingat, non est præsentis muneris discernere; mihi sufficit in re dubia Varia Doctorum placita retulisse.

D. Bonau. sup. c. 1. Luc

VI. Ceterum de mense, quo facta fuit angelica hæc legatio, certos nos reddit sacer Euangelista; dum ait: *In mense sexto* missum fuisse angelum Gabrielem; in quæ verba communi consensu omnes interpretes adnotant, non fieri ibi enumerationẽ mensium à primo anni mense, sed à conceptu Ioannis Baptistæ, de quo paulo ante egerat: in quo sane (licet obiter id dicam) magnum Ioannis Baptistæ encomium detego, cum à conceptione eius mensurari incipiant dies illius, qui cum esset æternus, & immensus, caduci temporis mensura pro nobis mensurari voluit; siquidem apud omnes Nationes in magno honore habita sunt principia, à quibus gesta numerari solent: vnde Romani soliti fuere computationé facere à primis suæ Patriæ ædificiis, *ab Vrbe condita*: Iudæi numerabant à liberatione Ægyptiacæ captiuitatis, & nos Christiani à Christi natiuitate: insignis ergo Ioannis laus est, quod ab eius conceptione cœlestis legationis, & Christi cõceptionis tempus computetur, Angelo dicente: *In mense autem sexto missus est Angelus Gabriel à Deo.* hunc autem sextum mensem Martium fuisse, vnanimi consensu docuerunt Patres; nempe Athanasivs, Chrysost. Avgvstin. Rvpertvs, Beda, Aymon, Ambr. Irenævs, Anselmvs, Lvcidivs, Hector Pyntvs, & alii permulti, quos longum esset percensere.

Luc. 1. D. Athã. q. 13. ad Antĩ. D. Chr. ser. de Ioã. Bap. & hom. 1. in Luc. to. 2. D. Aug. l. 4. de Trin. c. 5. & l. q. ex n. test. q. 55. Rup. l. 3. de diu. of. c. 19. Beda sup. Luc. Aymon. ib. Ambros. 1. Exam. c. 4. Iren. l. 4. cõt. Valent. Ansel. l. 2. de fide c. 7. Luc. id de mutat. tẽp. l. 1. c. 2. Hect. Pynt. in 1. Ezech.

VII. Congrvентia aũt huius mensis cum mysterio Incarnationis in eo celebrato, variæ ac multiplices occurrunt obseruatione dignissimæ. Prima, quia cum Christus Dominus principium esset, & origo, ac perennis fons omnium nostrorum bonorum, conueniens erat ad id significandum, vt conciperetur in mense Martio; qui primus est anni sacri: Apud Hebræos enim duo erant annalia principia, alterum anni vulgaris, cuius initium fuit mensis *Tisri*, Septembri respondens; alterum anni sacri, cuius initium *Nisan*, qui nostrum Martium attingit: *Mensis iste* (ait Dominus) *id est, Nisan, vobis principium mensium, primus erit in mensib. anni*, anni, inquam, sacri. Secunda, quia oportebat vt recreatio, & reparatio hominis responderet eius creationi; vt enim dixit Hvgo Cardinalis, *solent eo tempore potissimum adhiberi remedia, quo vulnera sunt inflicta*; homo autem creatus fuit in mẽse Martio (vt præcitati Patres adnotant) & in paradiso collocatus, ac inde propter peccatum expulsus; cõgruebat ergo, vt secundus Adam, primi reparator, eodem mense conciperetur, & in amœno illo virginei vteri paradiso collocaretur, vt sic homo à terreno paradiso expulsus in cœlestẽ introduceretur. Tertia, quia mense Martio fuit liberatus populus Israeliticus ab Ægyptiaca captiuitate, & eductus per Moysen transiens sicco pede per mare rubrum, quæ liberatio vmbra erat, & typus redemptionis humani generis à Diabolica seruitute per Christum in carne venturum. Quarta, quia eodem mense (vt tradit D. Ambr.) Diluuii aquæ cessarunt: vnde, vt significaretur, per Verbi Incarnationem diluuium inundans diuinæ iracundiæ homines absorbens iam cessasse, merito mense Martio concipi debuit Christus Dominus. Quinta, quia cum in mense Martio Sol sit in Ariete, apte satis Christus Dominus in eo concipi elegit, quia ipse veniebat, vt tanquam aries in ara crucis cruento sacrificio mactaretur, & tanquam hostia pacifica Deo offerretur, instar illius arietis inter vepres hærentis, quem Abraham loco filii sui Isaac Deo in monte Moria sacrificauit, qui Christum spinarum vepribus coronandum præsignificabat. Sexta, quia in hoc eodem mense Martio fit æquinoctium, vt obseruauit Diuus Chrysost. in quo sunt æquales dies noctibus; in eodem deinde dies crescit, nox vero decrescit, vt ego nobis insinuaret Christum Do-

Exod. 12. Hugo Car. sup. Luc. Gen. 2. 3. Exod. 14. D. Ambr. l. de Noe & arca. Gen. 22. D. Chrys. hõ. de nat. Ioan. Bapt.

Dominum ad æqualitatem Deo Patri pro peccatis generis humani satisfacturum, & à iustitiæ æqualitate numquam recessurum, iuxta illud IEREMIÆ: *Suscitabo Dauid*, id est, Christum, *germen iustum, & faciet iudicium, & iustitiam in terra*: & vt ostenderetur, fœlici eius aduentu abigendam esse veteris legis vmbram, fugandasque gentilium tenebras, splendidam vero Euangelicæ doctrinæ lucem maiora in dies incrementa suscepturam, congrue valdein mense Martio concipi voluit Saluator mundi. Septima, quia cum hoc mense Martio terra flores germinare incipiat, cœlum suum rorem mittere, infirmos à prauis humoribus purgari, duces & milites ad bellum accingi, iuxta illud: *tempus quo solent Reges ad bella procedere*: merito quidem eodem tempore Christus noster Redemptor concipitur; qui de seipso ait: *ego sum flos campi, & lilium conuallium*: & qui à Patribus antiquis *Ros* vocatus est: *Rorate cœli desuper*: & qui peritissimus medicus ad purgandas animas, Apostolo dicente ipsum *purgationem peccatorum facere*: & qui tandem ad debellandum humani generis hostem, ad principem tenebrarum longe ab Ecclesia eiiciendum: *nunc princeps huius mundi eiicietur foras*: armis nostræ mortalitatis accinctus veniebat. Octaua, nam, vt docet D. ISIDOR. l. 5. Etymolog. Martius appellatur à Marte, Romanæ gentis auctore, & interpretatur: *mensis nouorum*, seu *nouitatum*: conuenienter igitur tali tempore concipitur redemptor mundi, Christianæ gentis auctor, cuius illa sunt verba: *ecce ego noua facio omnia*: noua quidem, quia salutatio Angeli noua; prolis conceptio noua; virginitatis cum maternitate copulatio noua; Dei cum carne vnio noua; Verbi Incarnati exinanitio noua; Viatoris, & comprehensoris in vnum coniunctio noua; ac tandem noua omnis creaturæ innouatio. Quoto autem mense à desponsatione sua cũ beatissimo Iosepho conceperit? quarto quidem mense, respõdet DRIEDO: quod etiam sentiunt multi Patres, teste Doctore SVAREZ, 3. par. tom. 2. quæst. 29. disp. 7. sect. 3. in princ.

VIII. SED iam de die, quo facta fuit Angelica Mariæ annunciatio, & Christi conceptio, edisseramus. Quamuis D. AVG. serm. de natiuitate arbitratus fuerit, Christum Dominum conceptum fuisse in die Dominica, communior tamen & acceptior Patrum sententia affirmat, tam Mariæ annunciationem, quam Christi conceptionem fuisse vigesima quinta Martii feria sexta: ita docuerunt RVPERT. Diuus ANTONINVS, S. ATHAN. IRENÆVS, ANSEL. D. AMBR. CHRYS. & moderniores communi consensu. Congruentiam autem huius ex duplici capite deprehendere possumus; primo ex creatione primi hominis, sicut enim terrenus Adam formatus fuit ex terra virginea sexta feria, vt sacra nos docet GENESEOS historia, ita congruum erat, vt cœlestis Adam ex matre Virgine eadem sexta feria cõciperetur; sicut eadem etiam mortuus est, vt mors conceptioni, finis principio responderet; vnde RVPERT. dixit: *Christus feria sexta conceptus est, die, qua veterem formauit Adam de limo terræ, nouum sibi reformare cœpit hominem Deus de pura carne Virginis Mariæ, eadem die redempturus mortis passione.* Secundo colligere possumus aliam congruentiam, si credimus LVCIDIO asserenti, illo anno nouiluuium mensis primi *Nisan* incidisse in diem 25 Martii, certe Christus conuenientissime conceptus fuit in vtero materno die coniunctionis lunæ cum sole, cũ tunc verus sol iustitiæ lunæ, id est, Mariæ per carnis assumptionem intime coniunctus fuerit. Hinc cõiice, longe relegandam temerariam MATTHÆI BEROALDI opinionem asserentis, Christum natum esse mense Septembri in æquinoctio autumnali, ac consequenter, Incarnationem filii Dei factam esse in medio mensis Decembris, ad cuius opinionis confutationem, præter venerandam tantorum Patrum sententiam, satis est sanctæ matris ECCLESIÆ consuetudo, quæ vigesimam quintam diem mensis Martii annunciationi huic angelicæ ad beatissimam Virginem nuncupauit; nec non & CONCILIVM FLORENTINVM in decreto Eugenii Quarti, vbi Armenis præscribit, vt illo die festum Annunciationis celebrent.

IX. DE hora vero, qua facta fuit diuina hæc legatio B. Virgini, nihil nobis antiqui Patres tradidere; quæ tamen grauissimi Doctores in id scripserunt, breuiter referam, & quæ sit meo iudicio vero similior sententia, aperiam. Quidam putarunt cum D. ANTONINO, ALBERTO MAGNO, & Clysobeo, Virginem salutatam matutino tempore, quod coniiciunt; tum ex eo; quod illo tempore mens humana ad diuina percipienda idonea magis, & apta inueniatur, in cuius figuram lib. EXODI legimus Manna in castra matutino tempore descendisse; tum quia (vt D. HIER. & S. GERMANVS affirmant) B. Virgo solita erat illam matutinam diei partem vsque ad horam tertiam contemplationi sacrare.

X. ALII cum ILLVMINATO DOCTORE putant factam fuisse angelicam salutationem vespertina hora Completorii, tum, quia in ea hora legimus Rebeccam, quæ typum Virginis gessit, salutatam fuisse à nuncio Abrahæ sibi misso, vt eam acciperet in sponsam filii sui; sic enim ait sacer textus: *Vespere eo tempore, quo solent egredi mulieres ad hauriendam aquam*: tum quia (vt illi opinantur) Sol illa hora fuit creatus, vt enim homo, tamquam excellentior reliquis animalibus factus est post omnia illa, vt legimus in GENES. ita & sol luminare maius post omnia luminaria, atque adeo hora serotina: congruebat ergo, vt eadem hora sol iustitiæ Christus Dominus formaretur. Addit tamen ILLVMINATVS DOCTOR, in quo alii dissentiunt, quod collocutio inter B. Virginem, & Angelum cœpit vespertina hora, in qua ipsa fuit ab angelo salutata, & durauit vsque ad horam matutinam, in qua & consensum præstitit: & Filium Dei concepit, & angelus discessit; fauetque huic sententiæ vsus ECCLESIÆ, quæ hora vespertina, & matutina signum præbet ad Virginẽ salu-

Ier. 23.
2. Reg. 11.
Cant. 2.
Isa. 45.
Heb. 1.
Ioan. 12.
Apoc. 21.
Driedo l. 3. de dog. tract. 3. c. 5.
Rup. l. 3. de diu. off. c. 19.
D. Antõ. 4 p. sum. theol. tit. 15. c. 9. §. 4.
Athã. l. q. ad Ant. q. 17.
Iren. l. 5. cont. Valent.

Ans. 2. de fil. ad c. 7.
Amb. 1. Exam. c. 4.
D. Chrys. ser. de Ioan Bapt.
Clysob. l. de annun. c. 3
Ioan. Luci lib. 7. c. 2.
Viguer. l. 20. §. 9.
Frãc. Ma[y] sup. missu[s]
Gen. 1.
Ioan. 19.
Rup. l. de diu. of. c. 1
Luc. de vero pass. di[e]
Beroal. l. 4 sua Chron c. 2.
Eccle. Cat
D. Ant. 4. p. sum. th. ti. 15 c. 9. §. 4. Alb. Magn. sup. missus.
Clysob. l. de ann. c. 3
Exod. 16.
Assump. Virg. S. Germã. de præsent. Mariæ in templo.
Franc. de Mayron.
Doct. Illu. sup. missus
Gen. 24.
Gen. 1.

salutandam; quem ritũ, vt in vita sancti BONAVENTVRÆ refertur, Seraphicus Doctor auctoritate Apostolica introduci fecit.

D. Ath. ser. de Deip.

XI. ALII tandem cum D. ATHANASIO & cũ SIMEONE CASSIANO in Comm. Euang. quem sequuti sunt BARADIVS tom. 1. l. 7. Doctor SVAREZ, COELESTINVS, & permulti alii, docent salutationẽ Mariæ, & conceptionem Christi media nocte completa celebratam fuisse, quam sententiam, quia veriorem iudico, variis coniecturis in hunc modum cõfirmo. Primo, quia sicut media nocte Deus populum suum à tyrannica Pharaonis captiuitate eduxit; & sicut media nocte Gedeon Madianitas deuicit, & in fugam abire compulit, & sicut media nocte Angelus Domini primogenita Ægypti interfecit, ita decuit, vt figura responderet figurato, media nocte concipi Christum, qui genus humanum à Diaboli seruitute eruere, principem tenebrarum fugare, ac inordinatos carnis appetitus interficere venerat. Secundo, quia media nocte Verbo diuino humanam in carnem suscipiente, magis diuina misericordia se ostentat, cum summum omnium Incarnationis beneficium hominibus summa obliuione captis, & in vtramque aurem dormientibus, liberaliter conferret. Tertio, quia hora illa mediæ noctis propter eius secretum, quietem, & silentium, aptissimũ tempus erat, vt in ea abditissimũ hoc mysterium fieret, maxime cum B. Virgo solita esset in secretiori domus suæ loco maiorem noctis partem in contemplatione transigere. vnde SIMEON CASSIANVS dixit: *Nox appendebatur ex medio, nec adhuc Virgo sua membra inquiete collegerat, vigilantem Angelus inuenit.* Quarto, quia natiuitas Christi Domini fuit media nocte, vt nõ obscure mihi videtur indicare LVCAS; nam postquam dixisset: *peperit filium suum primogenitum:* continuo subiunxit: *& pastores erant in eadem regione vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suũ.* vnde orta est Ecclesiastica traditio sacrificium offerẽdi in illa nocte ex decreto THELESPHORI Papæ; quod & notauit DAMASVS Papa in suo Põtificali: igitur vt Christus Dominus per integros nouem menses, more aliorum infantium, in vtero matris delitesceret, oportebat, vt media nocte conciperetur, quod & indicant verba illa SAPIENTIÆ: *Dum nox in suo cursu mediũ iter perageret, omnipotens sermo tuus Domine de cœlo à regalibus sedibus venit:* proprius enim dicitur Verbum de cœlo, & de sinu Patris descendisse per Incarnationem, & per ingressum in vterum Virginis, quam per egressum natiuitatis ab illa in hanc lucem: atq; forsan ad hoc significandum antiqui Patres diuino instinctu permoti, mediæ noctis tempore Christi aduentum efflagitabant, iuxta illud DAVIDIS: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustificationis tuæ:* quem morem imitati Christiani Cœnobitæ, quasi sacram illam cõceptionis, & natiuitatis Christi noctem religiose venerantes, media nocte ad diuinas laudes canendas somni quietem interrumpere consueuere.

Exod. 14. Iud. 7. Luc. 2. Ibid. Sapien. 18. Ps. 118.

XII. QVOD autem in Ecclesia Catholica hora serotina signum ad salutandam Virginem fiat, nihil huic sententiæ officit: nam cum hora media noctis homines somno vacent, conuenienter debuit anticipari tempus ad Virginem salutandam, ex eo ẽt, quod matutino tempore consuerit simile signum fieri, nullum firmum argumentum desumitur, cum etiam meridiano tempore fiat, vnde cum omnimoda certitudo non extet circa tempus determinatum angelicæ salutationis, ter apud fideles eius signum fit, quia vero simile est, in altero illorum salutatam fuisse Virginem, atque hæc de circumstantia temporis sufficiant.

XIII. VT tamen de loci circumstantia acturi debitum ordinem seruemus, à Prouincia ipsa exordiamur. Hanc testatur sacer Euangelista, GALILÆAM fuisse; in quo non pauca sacramenta latent, quę nos oportet diligenter detegamus. Diu. HIERON. de nominibus hebraicis quadruplicem Galilææ interpretationem nobis tradidit, Incarnationis mysterio apprime congruentem: prima est, quod GALILÆA idem est, quod *transmeans*: quæ significatio consentanea satis esse perhibetur Verbi diuini Incarnationi, cum per illam natura humana, quæ ex conditione sua non aliud, quam suppositum creatum sibi vindicabat, per assumptionem ad filii Dei personam, & ad increatum suppositum transmeauerit, Apostolo dicente: *nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.* Luc. 1. Hebr. 2.

XIV. SECVNDO GALILÆA interpretatur *volubilis*: quod eidem mysterio recte congruit; nam sicut in motu, quo voluitur aliquod mobile, motus finis coniungitur cũ principio; ita in Verbi diuini Incarnatione natura diuina, quæ prima est in omni genere perfectionis, copulata fuit cum natura humana, quæ vltima est in genere substantiæ intellectualis; vnde Christus Dominus dixit: *Ego sum Alpha & Omega,* id est, *principium, & finis:* principium quidem, quatenus Deus; finis vero quatenus homo; quia vltimus omnium creaturarum productus fuit. Apoc. 1.

XV. TERTIO interpretatur GALILÆA, vt idem valeat, quod *Rota*: Rota sane, vtpote circularis figuræ, quæ principii & finis expers est, Deum ęternum absque principio & fine apte designat; vnde TRISMEGISTVS Philosophus (id referente ALEX ALENSI) non aliter Deum scribendum putauit, quam dicẽs: *Deus est circulus, cuius centrum est vbique, & circumferentia nullibi.* Hoc etiam mirabile ac stupendum Incarnationis sacramentum mirifice commendat; nam dum Rota diuinitatis quadrata carnis humanæ, quæ ex quatuor humoribus constat, hypostaticæ vnionis vinculo copulatur, certe supra totam mathematicam facultatem circulus quadratur, cuius tamen quadraturam nesciẽs Virgo, quomodo ad praxim reducenda esset, Angelum interrogauit: *Quomodo fiet istud?* cui non aliam nodi illius solutionem adhibere putauit, quam ad Spiritum sanctum eam remittere: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.*

Trisme. ap. Alex. Alẽs. 3. p. sũm. tra. conuenient. Incarnat. q. 2. Luc. 1. Ibid.

XVI. QVARTO interpretatur GALILÆA, vt idem polleat, quod *transmigratio*: quæ significatio multiplicem, ac mirabilem transmigrationem, & mutationem per Incarnationis mysterium in mundo causandam egregie nobis ob oculos proponit: nã præter transmigrationem filii Dei de sinu Patris ad vterum matris, iuxta verba Christi Domini: *Exiui à Patre, & veni in mundum*, sane postquam *Verbum caro factum est*, facta est transmigratio, & mutatio ab ignorantia ad scientiam, à culpa ad gratiam, ab vmbra ad veritatem, à seruitute ad libertatem, à timore ad amorem, à legis grauitate ad seruitutem; ab austeritate ad benignitatem à synagoga ad Ecclesiam, ab Idololatria ad verum cultum, ab ira ad clementiam, a vindicta ad remissionem, à pœna ad præmium, ab odio ad amorem, à morte ad vitam, à seruitute ad filiationem, à bello ad pacem, à tristitia ad gaudium, à sceleratis tãdem ad iustos, à filiis Diaboli ad filios Dei, IOANNE id attestante, qui postquam dixerat: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*: continuo subiunxit rationem: *Et verbum caro factũ est*: illa enim copulatiua (&) iuxta phrasim scripturæ, plerumque est causalis, & tantundem valet, quantum, *quia*; vnde sensus est: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, quia Verbum caro factum est*: ecce magnam rerum mutationem, per quam antiqua omnia nobis nociua intuemur in bonum mutata, iuxta illud Apostoli: *Vetera transierunt; ecce facta sunt omnia noua.*

Ioan. 16. — Ioan. 1. — Ibid. — Ibid. — Ibid. — 2. Cor. 5.

XVII. His quatuor interpretationibus GALILÆÆ alii quintam addunt, vt significet idem, quod *Reuelatio*, quæ si vera est, censeri non debet ab Incarnationis mysterio dissentanea, cum re vera in angelica salutatione facta fuerit supremi omnium secretorum manifestatio. Verbo enim diuino, quod in principio erat apud Deum, & lucem habitabat inaccessibilem, quẽ nemo vidit vmquam, visibilem carnem assumente: *Vidit omnis caro salutare Dei nostri*: salutare (inquam,) quod librum obsignatum aperuit signacula eius soluit, & omnia, quæcumq; audiuit à patre, nota fecit nobis, ecce secretorum reuelationem.

1. Tim. 6. — Isai. 40. — Luc. 3.

XVIII. LATET etiam in GALILÆÆ Prouinciæ nominatione aliud sacramentum: quia cũ Galilęa Regio quædam esset, quam indifferenter incolebant tam Hebræi, quam Gentiles; significare voluit Spiritus sanctus, Verbum carnem fieri, ad saluandum vtrumque populum, & copulandum illos in vnum, iuxta illud: *fiet vnum ouile, & vnus pastor*; habitasse autem in illa tam Iudæos, quam gentiles, constat clare partim ex verbis Euangelistæ dicentis: Mariam, & Iosephum, qui Hebræi erant, ibi commorari; partim autem ex ISAIA, qui de eadem regione loquens, ait: *Aggrauata est via maris trans Iordanẽ; Galilæa gentium*: ecce gentiles etiam ibi commorabantur; vnde Diuus BONAV. super Lucam dixit: *Erat autem Galilæa confinis Iudæorum, & Gentium.*

Ioan. 10. — Isaia 9. — D. Bonau. sup. c. 1. Luc.

XIX. DIXIMVS hucusque de Prouincia Galilæa, nunc de ciuitate, in qua facta est cœlestis hæc legatio, dicamus, sacer Euangelista ait, hanc fuisse Nazareth; pro cuius loci intelligentia obseruandũ est (vt adnotarunt Diuus CYRILLVS ALEXANDRINVS, & D. HIERON) duplicem esse Galilæam; vnam inferiorem, alteram superiorem; vnam versus Meridiem, alteram versus Septentrionem; vnam quam habitabat Tribus Zabulon, alteram quam incolebat Nephtalim; vnam Mari Tyberiadis proximam; alteram Tyro, & Sidoni vicinam, à cuius finibus refert MATTHÆVS egressam fuisse Chananæam: vt ergo Euangelista significaret, Angelum missum fuisse non ad superiorem, sed ad inferiorem Galilæam, propterea nomen ciuitatis Nazareth expressit, quæ in illa erat Prouincia. Arbitror voluisse Christum Dominum non in suburbio, non in deserto, aut in solitudine, sed in ciuitate concipi; Primo, qua *Ciuitas* idem est, quod *ciuium vnitas*. Verbum autem diuinum eo carnem sibi vniuit, vt homines sibi, & inter se copularet, & ex vtrisque vnum corpus faceret; vnde Apostolus Christum Dominum vocauit: *Lapidem angularem, qui facit vtraque vnum*: vocauit etiam conciues eiusdem ciuitatis: *Iam non estis hospites, & aduenæ, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei*. Secundo, vt significaret, *Delicias eius esse cum filiis hominum*: & cum illis conuersari, iuxta illud BARVCH: *cum hominibus conuersatus est*: qui ergo cum hominibus confabulari, & infirmis peccatoribus mederi veniebat, non ad solitudinem, sed ad ciuitatem, quæ & maiori hominum frequentia vigere, & pluribus peccatoribus scatere solet, diuertere debebat: vnde ALBERTVS MAGNVS *super missus* dixit: *Christus nõ in mari, qui est locus piscium, non in aere, qui est locus auium, nec in campo, qui est locus agrestium animalium, sed in ciuitate, qui est locus proprius hominum, concipi debuit, qui propter nos, & propter nostram salutem de cœlo descendit.*

D. Cyril. li. 2. cont. Iul. — D. Hier. de lo. hebraic. — Matth. 11 — Ephes. 2. — Ibid. — Prou. 8. — Baruch 3. — Alb. Mag c. 31. super missus.

XX. SED iam ad Nazareth propius accedo: Diu. HIERON. ait: *Nazareth viculus in Galilæa iuxta montem Thabor; vnde & Dominus noster Iesus Christus Nazarenus vocatus est, habetque Ecclesiam in loco, quo Angelus ad Beatam Mariam euangelizaturus intrauit; sed & aliam, vbi Dominus est nutritus*. hæc ille. Episcopus autem Conimbricensis super Lucã, Nazaretham, quæ ad Septentrionem est, quinquaginta quatuor milliaribus, hoc est, tredecim Leucis cum dimidia ab Hierosolymis distantem constituit. BROCHARDVS vero tradit Ierusalem distare à Nazareth Leucis viginti septem; cui, cum terram illam percurrerit, fides maior videtur adhibenda. eruditus auctor BERNARDINVS de BVSTO quinta parte serm. 3. de Annunciatione ait: *Nazareth autem est in quadam valle, montibus vallata firmissimis, vbi abundat saluia, rutha, & arthemisia; per saluiam sapientia, per rutham iustitia, per arthemisiam bonitas designatur; quæ omnia perfecte fuerunt in filio Dei, Rege Angelorum: in illo etiã loco extant vestigia cuiusdam* Eccle-

D. Hier. de loc. Hebr. — Suar. Epi Conim. su 17. Luc. — Broch. c. 7

Ecclesia, quæ fuit à primitiuis Christianis fabricata, antecuius altare adhuc est columna quædam, quæ dicitur media esse inter Virginem, & Angelum, quæ erat constituta in medio Oraterii. hactenus ille.

XXI. QVARE autem Christus Dominus in Nazareth concipi voluerit, ex eius nomenclatura nonnullas congruentiæ rationes eliciunt Diuus BERNARDVS, & ALBERTVS MAGNVS, ille enim ait: *In Nazareth annunciatur Christus nasciturus, quia in flore speratur fructus processurus; nomen igitur ciuitatis, in qua concipitur, exprimit statum temporis, & finem operis, ad quem venit; cum enim Christus in Nazareth concipitur; iam hyems transiit, tempus innouationis aduenit, fructus appropinquauit; omnibus se exhibuit medicinam, confecit sensum, refecit coronas, peccatoribus venit.* Adhæc sane omnia flos ille vtilis esse perhiberur, qui de se dixit: *ego sum flos campi, & liliũ conualliũ.* ALBERTVS autẽ MAGNVS aliud sacramentum in flore latens aperuit dicens: *Bene in Nazareth conceptus fuit, quia sicut flos de flore sine mixtione, de matre saluo Virginitatis decore, processit.* ILLVMINATVS DOCTOR sex tradit Nazareth interpretationes, ait enim significare. *sanctitatem, consecrationem, vnctionem, munditiam, custodiam, & florem;* quę omnia quam plene in Christum conueniant, nemo est, qui non videat: cum & ipse sit totius sanctitatis auctor; in vtero matris ab instanti suæ conceptionis Deo consecratus; diuinitatis vnctione delibutus; munditiæ fons perennis, ac virgineæ integritatis matris suæ diligentissimus tandem custos extiterit.

[margin: D. Bernar. super miss. — Cant 2. — Ibid. — Ibid. — Alb. Mag. sup. miss. — 33. — Illũ. Doct. Franc. de Mayron. sup. miss.]

XXII. INTER omnes autem has appellationes interpretatio *floris* principatum obtinet, & Christo egregie congruit. Primo propter sanctitatis eius miram suaueolentiam, ac inauditam corporis pulchritudinem; tum quia sicut flos campi ex solo terræ humore, & cœlesti influxu generatur absq; vlla hominis cultura, sic ille ex solo sanguineo Virginis humore diuino spiritu eam fœcundante, ac cœlitus influente, absque vlla conceptus fuit opera viri. Secundo, quia sicut nihil flore suauius, ac leuius, ita Christi iugo nihil suaue magis, ac leuius excogitari potest, ipso dicente: *Iugũ meũ suaue est, & onus meum leue.* Tertio, quia sicut flores fructus spem nobis præbent, vnde flos spei symbolum olim exstitit, vt tradit PIERIVS, ex quo antiqui Romani, vt spem describerent, lilia duo depingebant cum hac subscriptione: *Augusta spes:* ita Christus Dominus, de cuius temporis aduentu prædictum fuerat: *flores apparuerunt in terra nostra;* humanam carnem assumens, certam nostræ salutis spem nobis tradidit. Quarto, quia sicut ex floribus virtute ignis variis morbis medendis salutiferi valde liquores exprimuntur, ita ex sacro Christi corpore, lanceæ mucrone percusso, exiuit vterque liquor, sanguis, & aqua ad humani generis sordes abstergendas, & peccatorum vulnera sananda. Quinto, quia cum Nazareth interpretetur, *flos,* & Maria candidus flos lilii sit: *quasi lilium inter spinas:* & tempus etiam conceptus Christi fuerit, quo flores terræ erumpere solent, congruebat quidem ipsum etiam *florem* esse, & *floridum* vocari, vt sic florem in flore de flore inter flores carperemus. vnde BERNARDVS Nazareth vocat florigeram patriam, nobisque ad eorum imitationem, qui Florentiam laudantes cecinerunt:

[margin: Matth. 11. — Cant. 2. — Ioan. 19. — Cant. 2. — D. Bernar. sup. miss.]

Florida florenti floret Florentia flore,

licebit nunc dicere de Nazareth:

Florida florenti floret pulcherrima flore.

VLTIMO tandem *floris,* ac *floridi* nomen Christo Domino apte adeo congruit, vt spinæ quoque coronæ illius & claui flores sint suauissimo odore fragrantes, ex quibus deuotæ mentes, velut apes argumentosæ, dulcissimos fauos melliflui amoris elaborant, florida serta contexunt, odoriferosque meditationum myrrhæ fasciculos, qui inter vbera sua commorentur, sibi conficiunt.

XXIII. ATQVE hinc colligere licet, quantum honoris, & gloriæ Nazareth Christi in ea facta conceptione sibi cõparauerit; cum enim adeo abiecta, & ab omnibus despecta esset, vt Nathanael diceret: *Numquid à Nazaret potest aliquid boni esse?* tantum ei Christi conceptio nominis splendorem contulit; vt HIERONYMVS florem Galilææ illam vocet: immo & ANDREAS Hierosolymitanus Episcopus terrestri paradiso illam conferat dicens: *Nazareth Edem hortum æmulata, ipsius Eden conditorem sinu suo complectitur.* Verũ mihi videtur Nazarethæ merito inuidere potuisse Paradisum terrestrem, cum hic lignum vitæ, ibi auctor vitæ; hic fons aquæ in terram decurrentis, ibi fons aquæ salientis in vitam æternam; hic terrenus Adam, ibi cœlestis; hic præuaricator, ibi reparator; hic naturam humanã inficiens, ibi genus humanum redimens formatus fuerit; hic Maria, ibi Eua; illa obediens, hæc inobediens; illa virgo prudens, hæc fatua; illa humilis, hæc superba; illa sobria, hæc intemperata; illa ab Angelo euangelizata; hæc ab Angelo decepta; illa mundi saluti consensum præbens, hæc eius perditioni consentiens affuit.

[margin: Ioan. 1. — D. Hieron. — And. Hier. Episc. ser. de annunc. — Ioan. 4.]

XXIV. QVOD si, vt MANTVANVS poeta dixit in Bucolicis:

Dulcis amor Patriæ:

& OVID de Ponto:

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Allicit, immemores nec sinit esse sui.

quis non videat magnam Nazareth laudem esse, quod Christus Dominus singulari dilectione præ omnibus aliis vrbibus eam tamquam propriam patriam adamauerit? Deinde si, vt ARISTOTELES inquit lib. 1. Politicorum cap. 1. *Videmus omnem ciuitatem esse societatem quandam, & omnem societatem boni alicuius gratia constitutam:* facile inde infera, Nazareth opulentissimas quasque totius Orbis ciuitates longo interuallo antecellere, cum gratia tanti mysterii, quale Incarnationis sacramentum in vtero Mariæ celebratum esse perhibetur, à Deo Optimo Maximo structa fuerit, tamquam

[margin: Virg. in Buc. — Ouid. lib. 1 de Ponto.]

futura filij sui chara patria. Quare, si Aristotelis patria ab Historiographis, quod tantum produxerit philosophum, multis encomiis celebratur, & si ob Alexandrum magnum in Macedonia natum miris illa effertur laudibus; ac tandem si Roma propter suos Cæsares, Scipiones & Catones, quos tantopere ipsa iactabat, tantum honoris nacta est, quid quæso splendoris, quid honoris, quid immortalis gloriæ inclyta Nazareth non nancisceretur, dum Christi humani generis Redemptoris legitimam patriam esse, & ab ea Nazaræi appellationem mutuasse merito gloriari possit? vnde D. MATTHÆVS dixit: *Habitauit in Ciuitate, quæ vocatur Nazareth; vt adimpleretur quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur.* In cuius loci expositione D. HIERONYMVS ait; *Omnes Ecclesiastici quærūt, & non inueniunt vbi id scriptū sit*; multos tamen lego, qui id se inuenisse putant. nam in primis D. CHRYSOSTOMVS, postquam rei difficultatem ingenue fassus fuerat, immo ab eius inuestigatione nos deterruisset, dicens: *Neq; in huiusmodi fueris curiosus*, tandem docet, quod tempore captiuitatis populi Hebræi in terra Aegypti nonnulla Prophetarū volumina, Hebræorum negligentia, aut Ægyptiorum malitia penitus abolita fuere, in quibus Messias Nazaræus nuncupabatur, atq; eo respexisse MATTHÆVM, dū ait: *vt impleretur quod dictum est per Prophetas quoniam Nazaræus vocabitur*: hanc expositionem acceptant præter CHRYSOSTOMVM ATHANASIVS in fine sui symposij, & EVTHYMIVS. ISIDORVS autem longe diuersam viā ingressus ait; nihil aliud indicasse Euangelistam per verba illa: *Dictum est per Prophetas*; quam per prophetarū expositores declaratur, qui horum arcana suis scholis aperiunt. Alij vim facientes in interpretatione huius nominis, NAZARÆVS, quod iuxta sententiā Diui HIERONYMI *Sanctum* significat, dicunt, quod cū omnes prophetæ vno ore *sanctum* vocitent Christū Dominum, eiusque sanctimoniam variis modis attestentur, Euangelistam quidem magis ad internum sensum, quam ad externam vocam attendendo verba illa scripsisse: *dictum est per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur.* fundaturq; hæc expositio in doctrina sancti HIERONYMI, qui epistola ad Pamachium ait. *Non est fixum in scripturis, quantum ad verba, sed quantum ad substantiam.*

Matth. 2.
D. Hier. sup. Matt.
D. Chryso. hom. 9. in Matth.
1. expositio.
Matth. 2.
D. Chrys. vbi supra.
2 Epositio.
Athana. in fine sui sim
Euthy sup. Matth.
Isidor. in ann. Biblia
3. Expositio.
D. Hieron.
Matth. 2.

XXV. PRÆTER has tamen expositiones hæ, quæ sequūtur, nobis magis arrident. Quarta expositio sit, quod cum Euangelista ait: *dictum est per Prophetas*, non refert vaticinium aliquod à Prophetis scriptū, sed ore tenus prolatum, vt satis indicant verba illa: *Vt adimpleretur, quod dictum est per Prophetas*, nō dixit: quod *scriptum est*, sed *quod dictum est*: multa enim huiusmodi habentur per traditionem: vnde sicut non omnia, quæ Christus dixit, nobis scripta reliquere Euangelistæ, ita non omnia, quæ Prophetæ locuti sunt, scripturæ demādata fuerunt. Quinta expositio plausibilis valde, quam permulti amplecūtur moderni cū ANGELO COELESTINO super

Matth. 2.

Missus est Angelus, qui ex originali Hebræo huius intelligentiā venari conatus, ait apud ISAIAM Prophetam, Christum Dominum *Nazarenum* vocari; nam vbi Latinus interpres vertit: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*: Lectio hebræa habet: *& Nazaræus de radice eius crescet.* (MATTHÆVS enim hebræo idiomate suum scripsit Euangelium) vnde D. HIERONYM in Catalogo de scriptoribus Ecclesiasticis de MATTHÆO loquens ait; *Vbicumque Euangelista veteris scripturæ testimoniis vtitur, non Septuaginta translatorum auctoritatem sequitur, sed hebraicam*; idque exemplificauit opportune satis ad præsens institutum in verbis illis: *Quoniam Nazaræus vocabitur*, nec mirandum est, quod Euangelista affirmet, dictum esse à Prophetis, vocandum fore Christum Nazaræum, cum tamen solus Isaias cognomine hoc illum compellarit, quia (vt obseruauit D. AVGVSTINVS) moris est in sacra Scriptura, numerum pluralem pro singulari, & è contra vsurpari.

Isaia 11.
Matth. 2.
D. Aug. l. de cōsen. Euāg. ad c. 1

XXVI. SEXTA tandem expositio sit, quod in præcitatis locis, quibus Ioseph, & Samson Nazaræi vocantur, id de Christo intelligitur, quem ipsi, tamquam eius typi, adumbrabant: vt enim docuit Diu. AVG & LEO CASTRENSIS, quando in sacra Scriptura de aliquo quidpiā dicitur, qui fuit figura Christi Domini, & id cum historiæ veritate minime ei conuenit, intelligendum est ad literam de Christo: vnde cum in GENESI dicitur: *Fiant in capite Ioseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos*: id de Iosepho non tam apte intelligi potest, quam de Christo qui (vt explicat ibi D. AMBR) habuit gratiam capitis, vt in omnes fratres suos fideles eam effunderet; & cum in DEVTERONOMIO dicitur: *Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph, & super verticem Nazaræi*: huiusmodi benedictio Iosepho aptari minime potest; quia (vt ibidem adnotarunt D. AMBROSIVS, & PROCOPIVS) quando illa prolata fuit, iam Ioseph obierat: quare reliquum est, vt de Christo intelligenda veniat, ac tandem cum Samsone Nazaræus appellatur: *Nazaræus vocabitur ab vtero*: de Christo debet intelligi, nam, vt constat clare ex NVMER. nemo poterat esse Nazarenus ab vtero Matris suæ; nam in Nazarenorum numero non redigebantur, nisi qui ex voto se consecrabant, & à certis cibis se abstinebant, & ad ostium Tabernaculi adducebātur, ac pro eis certa holocaustomata fiebant: id etiam quod sacer textus addit, scilicet, quod: *Samson erit Nazaræus vsque ad diem mortis suæ*: minime ei conuenire poterat, quia reuera Nazaræi dignitatem, antequam moreretur, amisit; cum cæsaries ei abrasa fuit, à cuius capillis fortitudo eius dependebat: ac tandem, quia Nazaræus non poterat morticinium tangere; Samson autem quamplurimos ex illis, quos interfecit, tetigit: cum ergo Ioseph, & Samson nominantur *Nazaræi*, non ipsi, sed Christus hoc nomine cohonestatur.

D. Aug. & Leo Castr sup. 11. ca Isa.
Gen. 49.
Deut. 33.
Num. 6.
Ibid.
Iud. 13.
Iud. 14.
Gen. 49.
Iud. 13.

XXVII. CÆTERVM, quia NAZARÆVS (vt supra dixi)

flo-

florẽ significat, hinc singularẽ quādā elicio rationem, ob quam Ioseph & Samson Christum Dominum præfigurarunt; hi enim duo insignes viri fuerunt velut flores, qui, vt fructus maturescat, oportet vt decidant, & vitam, quam ab arbore mutuant, amittant: dum enim hi iuuenes floruerunt, populus eorum de inimicis victoriam non tulit, illis autem decidentibus, & vita functis, populus Hebræus indies multiplicari cœpit, & Philisthæi misere perierunt: quia ergo Christus Dominus flos erat de radice Iesse, oportuit, vt decideret, & vitam amitteret, vt fructus nostræ redemptionis maturesceret, idcirco conuenientissime figuratus fuit per Iosephum, & Samsonem, quos *Nazaræos*, vel *floridos* tamquam Christi typos vocat sacra Scriptura: Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum; Amen.

Isaiæ 11.

HOMILIA III.

Circumstantiam loci Angelicæ salutationis prosequentes, dignitatem sacerrimæ Domus Lauretanæ, in qua verbum caro factum est, expendimus; aliasq; circumstantias, Angelicam legationem concomitantes, commemoramus; nonnullaq; de virginibus necessaria Clausura tradimus.

I. Tis, quæ de circumstantia Domus Angelicæ Annunciationis mihi dicenda sunt, plenior fides adhibeatur, profiteor me nihil in Homilia hac dicturum, quod ex Historiographis, auctoribusque grauissimis non decerpserim: hi autem sunt, BEDA, BLONDVS, BAPTISTA MANTVANVS, LEANDER, ALBERTVS, eruditissimus CANISIVS, nec nō HIERONYMVS, ANGELICA, Recanatensis Reipublicæ Secretarius. à venerabili ergo BEDA exordiar; hæc ille scripsit lib. de locis sanctis: *Nazareth muros non habet, sed magna ædificia, duasq; grandes Ecclesias; vna est in medio ciuitatis super duos fundata cancros, vbi quondam fuerat domus, in qua Dominus nutritus est infans; altera vero est Ecclesia, vbi domus erat, in qua Angelus ad B. Mariam venit.* Apostoli sacram hanc domum ob præclara ad salutem humani generis in ea consummata mysteria in orationis domum verterunt illam solemni more diuinis vsibus consecrantes; deinde à Christianis in magna veneratione habita fuit, vt qui recte agnouissēt in ea Virginem natam, nutritam, ab Angelo salutatam, & a Spiritu sancto obumbratam, Christum, naturalem Dei filium concepisse, & natum magna ex parte educasse: postmodum vero anno à reconciliata diuinitate nonagesimo quarto super millenum & ducentenum decima die Decembris sub Bonifacio Octauo Pontifice maximo hoc sacellum a Nazareth ciuitate relictis fundamentis auulsum, & eleuatum, eo iubente, qui solus facit mirabilia magna, in cuius potestate cuncta sunt posita; Angelorum ministerio ad Dalmatiam, seu ad Illyricos prope oppidum Tersactum, & prope oppidum Flumen, delatum fuit, suo, vt olim, cæmento, lapideaque structura cohærens, quatuorque adhuc parietibus constans; deinde illinc abreptum, miro modo super æquora eodem Angelico ministerio, primū in nemore, mox in colle fratrum, & tandem in via publica collocatum est in agro Piceno, siue (vt Itali loquuntur) Recanatensi, in media silua nobilissimæ cuiusdam fœminæ, cui nomen erat LAVRETA, à qua Domus illa Lauretana appellatur.

Beda de locis sanct. c. 16. Blond. li. 1. de Ital. illus. cap. 5. Bapt. Mãt. de Laur. æde & eius orig. D. Hieron. Ang. reip. Recanat. Secret. de hist. Virg. Lauretana Leãd. Alb. in sua hist. Canis. lib. 5. de Deip. Ma. c. 5. Beda vbi sup.

II. RARVM sane, ac portentosum miraculum; sed minime incredibile, vt garriunt illi duo hæretici, VERGERIVS libro, quem impudentissime inscripsit; *contra Idolum Laureti*: & ILLYRICVS in Centuria mendaciorum Papistarum; cum similia portenta diuinam virtutem olim effecisse passim commemorent sacra volumina. Habacuch prophetam ex Palæsthina in Babylonem transtulit, ac eundem incolumem suis illico restituit. rursus Angelico ministerio factum est, vt Philippus Christi discipulus, velut per aera deportatus, nobili eunucho consociaretur; eoque baptizato ad suos in Azotum confestim rediret, longis itinerum spatiis breuissimo tempore confectis, vt omnes subitam illam translationem, atque restitutionem eiusdem hominis admirarentur. Deinde, quid magis prodigiosum Eliam Thesbiten ex hominum conspectu subito rapi, & curru igneo excipi, & in loca remotissima deuehi: ac demum post multa sæcula in Palæsthinam reuerti, & maiestate magna fulgenti in monte Thabor conspici; postquam vero ibi cum Christo de futuro eius excessu collocutus esset, statim rursus euanescere? Nec defuerunt, qui cum Gregorio Thaumaturgo tanta fide excelluerint, vt rupes, & montes ingentes oratione sola mouerint, atque aliunde transtulerint. Quocirca cum diuinæ virtuti nihil queat resistere, & similibus miraculis refertæ sint veteres historiæ, quas nullus in vniuersum, nisi perfrictæ frontis homo, reiicere potest, certe non adeo incredibile videri debet, Mariæ quoque domunculam Deo sacratam, quum male neglecta iaceret, impiis ademptam esse cultoribus, & inuisibili quadam virtute ad locum honestiorem tandem demigrasse, vbi ad verum, & salutarem Christianæ gentis vsum, & fructū conuerteretur.

Daniel. 14. Actor. 8. 4. Reg 2. Matth. 17. Luca 9. Heb. 1. Rufin. lib. 2 cap. 9 hist. eccles.

III. CÆTERVM, si sacerrimæ huius Domus mirā præstantiam agnoscere cupimus, in mentē quæso reuocemus, in ea reparationis nostræ iactum esse fundamentū, pullulasse legis gratiæ exordium, reuelatum fuisse diuinæ mentis arcanum, & factum esse illud immensæ charitatis & supernæ dignat o-

nis officium, vt PAVLVS inquit: *Venit plenitudo temporis:* (*Gal. 4.*) humano generi Deus humana carne indutus apparuit. Quamobrem iudicio meo tanta est loci huius dignitas, talis gloria, tam excelsa maiestas, vt ipsum locis omnibus, quæ sub cœlo sunt, anteferre non dubitem: nusquã enim alibi magis egregia opera excellentioraq; mysteria diuina clementia monstrauit in terris. In agro (vt ferunt) Damasceno (*Gen. 1.*) de limo terræ homo creatus, hic de purissima Virginei corporis substantia, nulli peccato obnoxia, Deus homo factus est: in terrestri paradiso (*Gen. 2.*) mulier de viri latere sumpta, hic mulier Virgo, naturæ ordine mutato, Dei mater effecta est: in arca Noe (*Gen. 7. & 8.*) generis humani seruatæ reliquiæ, hic toti mundo salus est orta; sub quercu Mambre credentium pater Abraham (*Gen. 18.*) tres Angelos vidit, & hospitio suscepit, hic Deus, Angelus, & Maria adsunt, Deus autem non in hospitio tantum, sed in vtero Virginis, in carne nostræ fragilitatis, in vnitate personæ susceptus: in monte Syna lex Moysi tradita (*Exod. 20. 34.*), Dei digito scripta, hic Deus fecit potentiam in brachio suo, & datus est nobis legislator, via, veritas, & vita (*Ioan. 14.*). Templum illud Salomonis (*3. Reg. 8.*) admirabile quidẽ fuit, & gloriosum, ac Dei præsentia sanctum, ac venerabile; sed vbi quæso Deus præsens magis vmquam fuit, quam isto in loco, qui primus Dei præsentiam corporalem accepit? Arca fœderis (*2. Reg. 6.*), Tabularum receptaculum, Legis armarium, quod prophanis manibus attrectari non licuit, præcipua seruabatur obseruantia: at in sacello isto non tabulæ lapideæ, sed ipse legis auctor, & consummator in carne Deus, qui in vento Eliæ (*3. Reg. 19.*), in igne Moysi (*Exod. 3.*) legitur apparuisse: fuit Bethleem ciuitas illa Iudææ (*Matth. 5.* *Matth 2.*), quæ quondam Ephrata dicebatur, Christi natiuitate felicissima, in qua carmen illud Angelicum: *Gloria in excelsis Deo*; (*Luc. 2.*) cœlesti voce cantatum est; sed Christus illic floruit, hic radicauit. Ille mons excelsus, in quo Christus cum Moyse & Elia loquens, transfiguratus (*Matth. 17.* *Luca 9.*), vestibus, & facie glorificata visus est ab Apostolis, ad breue tempus exultauit: hic autem locus longa, secretaque conuersatione Deo familiarissimus; hic enim conceptus, hic nutritus esse perhibetur. Prata illa trans mare Galilææ, in quibus tot hominum millia saturata leguntur (*Ioan. 6.*), Lazari (*Ioan. 11.*), Zachæi (*Luc. 19.*), & Simonis (*Luc 7. & Matth. 26.*), & cætera loca, quæ dignatus est Christus sua præsentia, & miraculis illustrare, profecto sunt omni veneratione dignissima, sed vbinam Deus vmquam maius miraculũ exhibuit? hic *Verbum caro factum est*: (*Ioan. 1.*) hic Deus visibilis ad vitę nostræ palæstram descendit, vt nostris mortalibus armis communem humani generis hostem profligaret (*1 Cor. 1.*). Mons oliuarũ, vtrique Christi Domini ascensione clarissimu; sed locus iste Annæ domicilio, B. Virginis natiuitate, & Christi cõceptione nobilitatus est. beata quidẽ Zachariæ domus, duarũ matrũ salutatione illustrata (*Luc. 1.*), Christi Præcursoris decorata præsentia; sed domus huius longe maius est priuilegiũ. nam præter ea, quæ domui Zachariæ donant ornamenta, hoc plus habet, quod fuit ab Apostolico sacrata collegio: Iordanis (*Matth. 3.*) vnde dominico gloriantur tactu, sed domus ista Virginis immaculatæ tota Christi manibus contrectata, pauimentum hoc toties Christi tulit vestigia, parietes isti conscii fuere Christi Incarnationis. Hæremus? illa dominico consecrata ieiunio, non parum habet venerationis & laudis; at in domo ista quoties abstinuisse, & ieiunasse Christus, & maiora opera virtutis exercuisse putandus est, cuius vita erat sanctitas, doctrina, veritas, pietas, charitas, & omnium virtutum magisterium? Hortus ille, in quo Christus orare consueuerat, inter loca sanctitate præclara nequaquam postremus est habendus; at in sacello isto Christus paruulus, & adultus orauit, manducauit, bibit, dormiuit, atq; quieuit. In Cruce, licet iuxta IEREMIÆ vaticinium, cuius meminit PAVLVS ad Hebræos (*Ierem. 13.* *ad Hebr. 2.*), nostræ salutis opus consummatum, hic vero inchoatum fuerit, ita vt illic vltima Christi, hic vero prima statio fuerit in vtero matris, moriturus venit ad vitam, ibi perrexit ad mortem, hic cum gaudio celebranda conceptio, illic cum mœrore lacrymanda mors.

IV. HÆC vel similia contemplans ille non minus poeta insignis, quam orator præcellens, MARCVS ANTONIVS MAVRITIVS in carmine ad B. Virginem hæc præclara nobis scripta reliquit:

Quænam igitur Regum sedes, quæ Templa per Orbem
Huic se ausint conferre loco? ter, & amplius omnes
Ante alias felix Picœni littoris ora;
Cui Solymos spectare domi, cui munere diuum
Fas calcare domi est pedibus vestigia Christi.
En ego iam supplex procumbam, atque oscula figam
Parietibus sanctis, spargamque hoc puluere crines.
Adspice me superis à sedibus, adspice Virgo
Prostratum, atque imo gemitus ex corde cientem,
Et pectus tundentem, & fletibus ora rigantem,
Neu, quamquam culpis adopertum turpibus arce
Adspectu me Diua tuo; si pectore toto
Te veneror, si te dubiis in rebus ad vnam
Confugio, teque auxilium Sanctissima posco.
Pœnitet ex animo vitæ me Diua prioris,
Pœnitet, & meritas horret mens conscia pœnas,
Quod nisi tu casto pendentem ex vbere natum
Concilias, placasque mihi, quo tendere cursum,
Quoue malis fessam tentabo aduertere puppim?
At tu (namque soles) placida dignare querelas
Aure meas, & ades lapsis mitissima rebus.
Certe equidem tota pendentes æde tabellas
Adspicio, quam te miseris præsto esse loquuntur.
Hic te animo spectans, terrentem viscera febrim
Depulit: ille hyadas tristis, hædumque cadentem
Spectauit tutus, vententibus æquora ventis
Et duce te patrias enanuit saluus ad oras.
Criminis ille reus falsi sub iudice duro
Dum mortem spectat, tenebroso carcere clausus.
Munere Diua suo, detecta fraude reuisit
Vxorem, & natos, exoptatumque parentem.

O ego

O ego nunc morbis multo grauioribus æger,
Naufragiumque timens longe exitiosius illo,
Et iam pridem animum peccati compede vinctum,
Si possim morbis liber, vinclisque solutus,
Fluctibus & ventis laceram subducere puppim,
Quas tibi lætus agam grates, dum vita manebit?
Te, cum luce noua sparget sol aureus Orbem,
Te recinam, quoties abscondet opaca polum nox;
Et tua præcipuo venerabor numina cultu.

Vergerius, Ilyr. c. præc.

V. E contra vero (proh dolor) factitant præcipitati hæretici VERGERIVS, & ILYRICVS, aliique huius tempestatis miseri illorum asseclæ, quorum Sycophantæ maledicentia, ac virulentus furor tantū profecit, vt non solum superuacaneas huius sacerrimæ Domus laudes perperam iudicarent; sed & tamquā contemnendā fabellam multiplicem illius in varia loca translationē sacrilego ausu irrideant: quorum ex crandam audaciam cum mendaciis coniunctam non solum vetustæ historiæ, antiquæ traditiones, Pontificum, & maiorum auctoritas, communisque Catholicæ Ecclesiæ consensus, sed & tot testimonia oppugnant, quot signa, & miracula iam pridem annis quadringentis toti Orbi Deus Opt. Max. publice demonstrauit, ac nunc etiam, Europa tota obstupescente, demonstat. Ea quidem tam multa sunt, vt nullo numero cōprehendi, tam aperta & illustria, vt non nisi ab impudentissimis hominibus negari, tam clara, stupenda, lateque patentia, vt pro dignitate à peritissimo quidem Oratore celebrari, & explicari neutiquam possint; vnde paucissima quædā referre contentus ero, Lectorem mittens ad præclarū historiographum HIERONYMVM ANGELITAM, qui multa in id genus erudite congessit. Miram sane sacerrimæ huius Domus virtutem persensit Paulus II. Pont. Max. qui cum Laureti sese Deiparæ commendasset, ex grauissimo morbo & epydimiæ vlcere, quo laborabat, subito ac mirabiliter saluti est restitutus: Tum celebris viri Petri Gratianopolitani vxor Antonia monnisi hoc ipso sacro loco septem Dæmonibus, a quibus erat obsessa, multis tunc præsentibus potuit liberari. Multis retro annis, quum illustris Theologus item & poeta, quem dixi, BAPTISTA MANTVANVS floreret, qui postquam in febrim ardentissimam inciclisset, Lauretanæ Virgini restituendā valetudinē commendauit, eique vota fecit, sicut carmen ab illo conscriptum non obscure declarat: sic enim inter cetera ille canit:

Hier. Angel. de hist. domus Lauretanæ

Bapt. Māt.

Erue me tantis igitur Regina periclis,
Et laceræ sparsas collige nauis opes.
Mox, vt liber ero, Lauretia Templa reuisam,
Et tibi de nostro carmine munus erit:
Carmine persoluam grates, & carmine laudes,
Carmine diuinum testificabor opus.

VI. Ac tandem (vt paucis multa complectar) innumeri sunt, qui grauissimis morbis superatis optatam sanitatem recuperarunt, horrenda terræ, ignis, maris, hostiumque pericula euaserunt, in rebus aduersis, ac desperatis miram subleuationem persenserunt, & quotidie experiuntur, quia sacra illa domus perennis fons est miraculorum, portenta semper ac prodigia in fidelium salutem, & Hæreticorum confusionem continuo scaturiens.

VII. SED iam ad aliam circumstantiam scitu dignissimā accedamus; de cohabitatione Iosephi cū Maria tempore Angelicæ salutationis, non enim est in hoc vna omnium sententia; nam Diuus ANSELMVS, ABVLENSIS, & CAIETANVS affirmant, Iosephū tunc non habitasse cum Virgine, quod ex illis verbis Angeli colligunt: *Ioseph, fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam*: igitur nondum illam acceperat solemnitate nuptiali, nec cum illa cohabitabat, alioquin iam eam accepisset. Multi tamen Patres secus opinantes aiunt: Mariam & Iosephum iam cohabitasse in eadem domo tempore conceptionis Verbi Dei: ita sentit CHRYSOSTOMVS hom. 4. in Matthæum, GREGORIVS NISSÆNVS in orat. de Christi natiuitate, EPIPHANIVS hæres. 78. ac permulti recentiores, & D. THOM. 3. p. q. 29. art. 2. hanc opinionem ait esse magis consonam Euangelio. Mouet autem D. Thomam ad hanc magis amplectendam sententiam locus ille MATTHÆI: *Voluit occulte dimittere eam*: quo verbo satis aperte indicatur, iam antea fuisse ad cohabitandum admissam; nam (vt D. AMBROSIVS ait) *quam non accepit, nemo dimittit; & ideo qui volebat dimittere, fatebatur acceptasse*: & certe, si quando B. Virgo concepit Verbum Dei, nondum erat in domo viri sui Ioseph, non videtur satis prospectum famæ illius: nam quando sponsa concipit in domo sponsi, merito esse putatur conceptio maritalis; si vero ante cohabitationem concipiat, semper huiusmodi conceptio habetur suspecta. quare verba illa: *Noli timere accipere Mariam*, iuxta CHRYSOSTOMI, & AMBROSII sententiā, non sunt intelligenda, quod denuo esset in domum Ioseph traducenda; sed in hūc modum, quod moneatur Ioseph, vt sponsam, quam domi habebat, & proposito, & animo dimiserat, domi retineat, ita vt sensus sit: *noli timere accipere*: id est, tecū illam simul cohabitare; in qua etiā sententia sunt THEOPHYLACTVS, & EVTHYMIVS. Alter vero locus à CAIETANO citatus: *& nollet eam traducere*: non est sensus (aiunt) in domū suā adducere, sed *traducere*, significabat, *infamare*, & vt adulteram accusare, vt omnes fere expositores explanant. Verum licet hanc sententiam probabilem iudicemus, contrariam tamen probabiliorem late supra lib. 4. commonstrauimus.

D. Ansel. sup. 1. c. Matt. Abul. sup c. 2. Mat post q. 33. Caiet. sup. Matth.

Matth. 1.

D. Amb. l. 2. in Luc. in pr.

Matth. 1.

VIII. PORRO circumstantiam occupationis & exercitii, cui B. Virgo vacabat, cum Angelus ad eam ingressus est, Patres minime silentio præteriere; nam D. AVGVST. lib. 3. de mirabil. sacræ Scripturæ ait: *Mater Domini orās, verbo Angeli annūciātis sine vllo incredulitatis, aut inobedientiæ obiecto cōsensit.* & D. BERNARD. super *Missus*, inquit: *quo ingressus in secreto cubiculo, vbi clauso super se ostio, orabat Patrem in abscondito.* Docet idem ALBERTVS MAGNVS super Lucā dicens: quod cū conceptio filii Dei esset perfectissima

Alb. Mag. cap. 36.

ſup. Luc. — Luc. 1.

ma operatio, nonniſi in perfectiſſimo ſtatu fieri debebat; ſtatus autem vitæ contemplatiuæ perfectior eſt ſtatu vitæ actiuæ. Et quidem ſi conceptio Præcurſoris fuit annunciata Zachariæ eius patri in ſacrificio occupato, multo congruentius erat, vt Redemptoris conceptio annunciaretur futuræ eius matri, orationi, & contemplationi vacanti. Alii dicunt B. Mariam inuentam ab Angelo propheticum illud Iſaiæ vaticinium legentem: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*. Addit autem Albertus Mag. *Credimus B. Virginem in aduentu Angeli inclinatis genibus, & eleuatis puris manibus, ac erectis in cœlum oculis extitiſſe.*

Iſaiæ 7. — Albertus Mag. c. 63. ſup. Lucã.

IX. An autem quando Verbum caro factum eſt, B. Virgo clare intuita fuerit diuinam eſſentiam, licet dubitanter affirmet D. Antoninvs dicens: *Forte in ipſo conceptu, vel partu illi datum eſt ad horam, vt videret myſterium huiuſmodi, vt in patria:* ſuppoſito tamen B. Virginem mortali carne indutam aliquando vidiſſe clare diuinam eſſentiam (prout expreſſe docet D. Avg. tract. ſuper *Magnificat*) dum ait: *Nam cum ſe Dominum magnificare perhibuit, reuerendam vniuerſis æterni numinis maieſtatem interna viſione contueri ſe manifeſte declarauit:* quem ſecuti ſũt Hvgo Victorinvs, Vbertinvs, & Cancellarivs Pariſienſis, ſatis vtique rationi conſentaneum erat, vt in quo die Deum ventre concipiebat, eundem mente per claram viſionem conciperet, vt ſic perfectiſſimæ conceptioni ventris perfectiſſima correſponderet conceptio mentis.

D. Anton. 4. p. tit. 15. 17. §. 1. — Hugo Vict. ſuper Mag. — Vber. l. 1. arboris vi. Crucifixi c. 9. — Cã el. Par. Gerſ. alpha 88. tit. 9.

X. Tandem vltimam clauſuræ circumſtantiam minime prætermittam, vt ad componendos Virginum mores noſtra conuertatur oratio. hanc nobis tradit D. Bernardvs in hæc verba: *Suſpicandum non eſt, quod apertum Angelus inuenerit Virginis oſtium, cui nimirum in propoſito erat fugere hominum frequentiam, vitare colloquia, ne orantis ſilentium perturbaretur.* id ſane myſterio congruebat, vt angelus clauſis ianuis ingrederetur oratorium, quatenus per hoc ſignificaretur, quod Dei filius, cuius Incarnationem annunciabat, clauſo virginali vtero ingreſſurus, & egreſſurus erat, iuxta illud Ezechiel. *Porta hæc clauſa erit, & vir non pertranſibit per eam.* Scio Iacobvm hæreticum in ſuo execrando Protouangelico ementitum fuiſſe, non domi, ſed foris primum ab angelo ſalutatam Mariam; finxit enim illam, velut alteram Rebeccam, accepta hydria foras ad hauriendam aquam prodiiſſe, atque tunc illi vocem, neſcio vnde allatam, intonuiſſe: *Aue gratia plena:* ipſam vero in dexteram, & ſiniſtram partem circumſpexiſſe, vt inſolitæ vocis prolatorem agnoſceret. cumq; tremefacta domum rediiſſet, ac hydriam depoſuiſſet, tum demum Angelum domi adſtitiſſe, & cum illa longum iniiſſe colloquium. Hanc hæreticam fabellam ſatis vtique expugnari arbitror ex verbis ipſius ſacri Euangeliſtæ: nam, vt Patres adnotant, dum ait; *Ingreſſus Angelus ad eam dicens: Aue gratia plena*: aperte ſupponit, Virginem domi ſuæ incluſam eſſe, & in ea primum ab angelo ſalutatam: permultum enim B. Virgo ab aliarum fœminarum moribus aberat quæ vel cum Martha domeſticis curis turbantur, & diſtrahuntur; vel cum Dina foris vagantur; vel cum Iephte filia lamentis, fœmineiſque affectibus libenter indulgent; vel cum Michol Dauidis vxore nugantur; vel cum Moyſis ſorore murmurant; vel cum Herodiadis filia impudice ſaltant; vel denique cum filiabus Sion elatæ atque pompoſæ, vt ſpectent ſimul & ſpectentur, luxu, & mundo immodico delectantur: nihil eiuſmodi, quod frequenter fatuæ Virgines, ac vulgares mulieres factitant, in noſtram Virginem cadit, quæ non in Theatris, choris, aut publicis viis, ſed in loco duntaxat ſecreto, piiſque contemplationibus apto ab Angelo inuenta perhibetur, vt quæ ab Spiritu S. quietis & pacis amantiſſimo velut magiſtro & rectore ſuo gubernaretur. atque hinc eſt, quod D. Hieronymvs monet, Virginem hanc Hebræis, *Ahalma*, id eſt, *ſecretam & abſconditam* haud temere nuncupari, quæ cum primum & vidiſſet, & audiſſet Angelum, turbata fuerit, quod nunquam, aut rariſſime a viro fuerat conſpecta, & ſalutata.

D. Bernar. ſuper miſſ. — Ezech. 44. — Caniſ. l. 3. cap. 1. — Gen. 24. — Luca 1. — Ibid. — Gen. 34. — Iud. 11. — Luc 10. — 2. Reg. 2. — Exod. 14. — Marc. 6. — Iſaiæ 3. — D. Hier. in c. 7. Iſai. & in epiſt. ad Euſtoch.

XI. Hinc virginitatis cultrices diſcant oportet, Clauſuræ vigilantes cuſtodes eſſe, niſi inæſtimabilem virginei pudoris theſaurum latronibus prædandum exponere velint, parenteſque ſuos maculare, ingentique dolore conficere, vt contigit Dinæ, quæ quia voluit peruagari, & luſtrare ciuitatis plateas, virginitatis pudore amiſſo, tam ingenti dolore patrem ſuum Iacobum affecit, vt cum ſtuprum illud magnæ internecionis cauſa exſtitiſſet, ipſe Iacob conquereretur, quod illum filia ſtupro, & filii internecione ab illo exorta execrabilem omnibus reddidiſſent; nam vbi vulgata noſtra ait: *odioſum me feciſtis*: alia verſio legit; *fœtere me feciſtis*: quaſi diceret: antea eram ille, de quo pater meus Iſaac dixerat: *Ecce odor filii mei: ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*: nunc autem, quaſi hoc odore ſopito, infelix hic Dinæ filiæ meæ, & filiorum euentus commaculat me, & fœtere me facit. Vnde ponderatione dignum eſt, quod cum hæc Dina, ſecundum Hebræorum traditionem, poſtea vxor eſſet Iob, cum omnia bona illi eripuiſſet etiam filios, vxorem tamen non abſtulit, quia prauam eius indolem cognoſcens, præodorauit, inſtrumentum eius futurum eſſe ad perſequendum Iobum; quod adeo rei exitus probauit, vt, ſacra Scriptura atteſtante, perſuaderet ei, vt Deum malediceret: *Benedic Deo, & morere.* Imitentur ergo Virgines ſanctam Ivdith, de qua ſacer textus dicit: *Fecit cubiculũ in ſuperiore parte domus*: hæc enim clauſura non parum eam iuuit, vt caſtitatem conſeruaret. Vnde laudantes illam ob victoriam, quam de Holoferne tulerat, in hunc modum canebant: *Benedicta filia tu à Domino, eo quod caſtitatem amaueris, & poſt virum tuum alterum neſcieris.* merito quiſpiam poſſet dicere, incongruum fuiſſe hoc laudationis genus eo tempore, quo non de caſtitate, ſed de fortitudine, quam in

Gen. 37. — Ibid. — Gen 27. — Iob. 2. — Iudith. 8. — Iudith 15.

præci-

præcidendo capite Holofernis, & fugando eius
exercitu oſtentauerat, agebatur; at ſi id alta mente
perpendamus, excellentius fortitudinis opus erat
bullientem libidinem compeſcere, quam fortiſſi-
Prou.16. mum qu mque hoſtem iugulare; nam (vt ait SALO-
MON) *melior eſt qui dominatur animo ſuo, expugnatore*
Vrbium. quod ſi etiam aduertamus, Holofernem
Iudith amore captum, illam ſollicitaſſe, vt ſibi
conſentiret, à quo tamen pollui minime ſe permi-
ſit; facile inde deprehendemus, poſt duplicem
hanc factam victoriam de Holoferne congrue ſa
tis ob caſtitatem laudari. SIMON MAIOLVS Epiſco-
pus narrat, Macrinam vxorem Torquati poſt mor-
tem viri ſui clauſuræ adeo obſeruatricem fuiſſe, vt
præter domeſticos humanus oculus nunquam
eam videret, adeo vt cum Romam duceretur qui-
dam Cyclops, & omnes vndique properarent, tam
viri, quam fœminę ad videndum portentoſum hoc
monſtrum, vnicum dumtaxat oculum in fronte
habens; & quod amplius eſt, tranſeunte Cyclopide
per viam, in qua domus ei erat, & à famula accerſi-
ta, vt ad feneſtram pro eraret ad videndum eum,
naturalem appetitum illum videndi adeo cohi-
buit, vt præ violentia, quam ſibi intulerat, clauſu
ram ſuam ſeruans animam exhalaret. hæc autem
fœmina ſi interrogaretur, vt quid tam ſollicitam
clauſuræ curam gereret, non aliam credimus exhi
bituram rationem, quam vt caſtitatem conſerua-
ret. Fœmina enim eſt velut cerua: ſic namque eam
Prou.3. appellauit SALOMON: *Lætare cum muliere adoleſcen-*
tia tua, cerua chariſſima. hanc quidem, dum intra
ſpecus, & antrum ſuum, vel intra denſiſſimum ne-
mus ſe continet, canes illam non inſectantur, nec
perſequuntur; inde tamen egrediens, & hac, illacq;
errans frequenter & à canibus dilaceratur, & à ve-
natoribus capitur, quibus ad nutum oportet ſe
ſubiici; at non ſecus accidit fœminis, quæ dum in-
tra clauſuram ſe cuſtodiunt, viri eas non facile in-
ſectantur; at ſi videre, & videri cupientes clauſuræ
ſecreta violent, & in publicum prodeant, in ma-
nus laſciuorum venatorum plerumque incidunt,
ac per fas, vel nefas compelluntur ſe miſere illis
ſubdere, ac libidinoſæ eorum voluntati acquieſce-
re, cum magno earum dedecore, ingentique illius
iniuria, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & re-
gnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

HOMILIA IV.

Quæ latent arcana in illo verbo (AVE) ſalutationis Angelicæ, aperiuntur; vbi mira antitheſis, ſeu contrapoſitio nominum, EVA, & AVE, ac perſonarum MARIÆ, & EVÆ, ex Patrum doctrina, & aliis à nobis excogitatis proponitur.

I. 
VLTI olim ac varii ſalutandi mo-
di viguerunt, quorum ſacra me-
minere eloquia. Ioab Princeps
militiæ occurrens Amaſæ ſaluta-
uit eum dicens: *Salue mi Frater.* 2. Reg. 20.
Raphael Angelus Tobiam ſalu- Tobiæ 4.
tans dixit: *Gaudium tibi ſemper ſit*: alius etiam An-
gelus Gedeonem in hunc modum ſalutauit: *Domi-* Iud.6.
nus tecum virorum fortiſſime. Hebræi ſcribentes li-
teras amicis ſuis eos in hunc modum ſalutabant:
ſalutem, & pacem bonam, vt ſacra MACHABÆORVM 2. Mach.1.
narrat hiſtoria. Chriſtus etiam Dominus diſcipu- Luc.24. &
los ſuos ſalutauit dicens: *Pax vobis*, eoſdemque Ioan. 20.
hoc genere ſalutationis vti monuit: *Pax huic do-*
mui: ac ſummi etiam Pontifices hac ſalutatione vti
conſueuere: *ſalutem & Apoſtolicam benedictionem*,
vt patet ex prooemio Decretalium.

II. PRÆTER hæc autem ſalutationum genera
antiquiſſimus mos increbuit vſurpandi hoc ver-
bum, *Aue*, ad ſalutem & vitam longiorem depre-
candam: ſicut è contra, *Vale*, vſurpari conſueuit ad
reſpuendum amicum à ſe, vt contigit Fuluio Cæ-
ſaris Auguſti amico, qui (vt auctor eſt CORNELIVS Cornel.
TACITVS, & latius narrat PLVTARCHVS) cum dete Tacit.
giſſet ſecretum Imperatoris, quod valde ei diſpli- Ann.1.
cuit, idoin aula regia Cæſarem ſalutante: *Aue Cæ-* Plutarch.
ſar: ipſe reſpondit: *Vale Fului*. vnde ortum habuit de Caſ.
commune prouerbium: *Longum Vale* dare illis, Aug.
quos à noſtro conſortio, & confabulatione longe
ſeiungimus: imo & *Vale* olim mortis ſymbolũ fuit;
gentiles enim defunctis igne concrematis, & in
cineres redactis, *Vale*, dicere ſolebant: Nunc autem
Gabriel Angelus, diuino ſpiritu afflatus, reliquis
omnibus ſalutationibus omiſſis, non abſque ſin-
gulari myſterio elegit hoc vltimo ſalutationis ge-
nere Mariam ſalutare, dicens: *Aue.* Cuius rei qua-
tuor præcipue occurrunt rationes, quæ totidem
arcana in verbo *Aue* abſcondita nobis reſerabunt.

III. PRIMA eſt: quod Angelus, tanquam ſapien-
tiſſimus orator, cum vellet Mariæ ſuadere, vt lega-
tioni ſuæ conſenſum præberet, quaſi captans eius
beneuolentiam, prius illam ad gaudium excitauit
& lætitiam, vt adnotauit D. AMBR. humil. de hu-
man. gener. Chriſti dicens: *Maria edocta, & iuſſa eſt*
ab Angelo gaudere; & obſeruauit etiam D. AVGVST.
ſerm. 15. de natiuit. Dom. vbi ait: hæc vox *Aue* in
hoc loco, nõ eſt vox imprecantis, ſed annũciantis,
& exhortantis ad gaudium & lætitiam tum de pro-
prio, tum de communi bono. Vnde EVTHYMIVS in Euthym.
Lucam inquit: *Gaude vtpote inter omnes Virgines in* in c.1. Lu-
Dei matrem electa. Si enim gauiſus eſt Abraham, & ca.
Sara in natali filii ſui Iſaac, ideoque hoc nomine
donauerunt quaſi virum illum *riſum* eſſe cenſerẽt,
quomodo non gaudeat Virgo tanto dignificata
priuilegio, vt fieret Dei ſui, & Saluatoris Mater?

IV. AD intelligentiam vero ſecundæ ſupponere
oportet, veram eſſe vulgarem illam ſententiam
dicentium: quotquot naſcũtur, in egreſſu ab vtero
materno plorare, iuxta illud: *primam vocem emiſi*

Sapient.7. *plorans*, quẽ planctum (ait D. AVGVSTINVS) eſſe quã-
D. Aug. lib. dam prophetiam noſtri incolatus, aperte ſignifi-
de Ciuit. cantem ingreſſum in vallem lachrymarum. eſt au
tem hoc diſcrimen, vt vulgaris illa fert ſententia,
quotidiana experientia comprobata quod maſcu-
lus plorans profert, *A*, quaſi dicat ab Adam multis
miſeriis onuſtus deſcendo; fœmina vero lugens
profert, *E*, quaſi dicens, Euæ ſimilis naſcor, maledi-
ctis eius obnoxia: vt ergo prænotaret Angelus Ada-
mi, & Euæ filios per eorum peccati vulnus mortifi-
catos, viuificari per Virginem ſignificatam per *V*,
quæ media eſt inter *A* & *E*, idcirco Angelus conſul.
to Mariam ſalutauit ſub nomine *Aue*.

V. SECVNDA ratio, quia (vt in ore omnium ver
ſatur, & tradit non ignobilis auctor ÆGIDIVS RO-
Ægid. Roman. ſuper ſalut. Ang. MANVS in expoſitione ſalutationis Angelicæ) *Aue*
deriuatur ab *A*, quod eſt *ſine* & *ve*, quod eſt interie-
ctio dolentis propter aliquam miſeriam; vt Ange
lus igitur ſignificaret B. Virginem immunem o-
mnino ab omni *veh*, tam corporis, quam animæ,
ſalutauit eam dicens, *Aue*. Triplex quidem repe-
rio *veh* corporis, & triplex animæ: Corporis qui-
dem quatuor humorum in proportione debitum
eius temperamentũ ſoluitur; bellum carnis aduer-
Ad Gal. 3. ſus animã, quia *caro*, vt ait PAVLVS, *concupiſcit aduer-
ſus ſpiritum*, ac tandem eiuſdem in puluerem con-
uerſio, quæ tria non obſcure ſignificant verba illa
Gen. 3. GENESIS: *Maledicta terra in opere tuo*: ecce intempe-
riem: *Spinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes her-
bam terræ*: ecce pugnam carnis ſpiritum pungentis,
& ad comedendum vetitum cibum ſtimulantis: *In
ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in
terram, de qua ſumptus es*: ecce manifeſte conuerſio
nem in puluerem. A triplici iſto *veh* longe Maria
aliena eſſe perhibetur, cuius corpus fuit Eucrati
cum, hoc eſt, bene temperatum; cuius caro, vtpote
quæ fomite carebat, nunquam concupiuit aduer
ſus ſpiritum; cuius corporea ſubſtantia corruptio
nem neſciuit, quia (vt dixit D. AVGVSTIN. ſerm.
de Aſſumpt. Virg.) *Putredo, & vermis ſunt opprobri-
um humanæ cõditionis, à quo Maria natura excipitur,
quam de ea Ieſus aſſumpſiſſe probatur.* Triplex enim
veh animam vexare ſolet: *veh* originalis. *veh* mor
Apoc. 8. talis & *veh* venialis peccati, iuxta illud APOC. *Veh,
veh, veh habitantibus in terra*, à quibus omnibus li-
beram omnino intueor Mariam: ab orginali qui-
dem non obſcure mihi indicaſſe videtur ſacrum
Cõcilium Tridentinum, dum decernens omnes
per naturalem propagationem ab Adam præuari-
catore originem ducentes peccatum originale in-
currere, ſubiunxit, ſuæ intentionis non eſſe in hoc
vniuerſali decreto immaculatam Dei Genitricem
comprehendere. *Veh* etiam caruit peccati mor-
talis aut capitalis, quod ſeptuplum eſſe ſacræ li-
Iſaia 5. teræ conteſtantur: *Væ qui conſurgitis mane ad ebrie-
Eccleſ. 2. tatem ſectandam*, ecce gulam: *Væ diſſolutis corde*, hoc
Amos 6. eſt, negligentibus, vt explicant ibi Interpretes,
ecce Acediam: *Væ, qui opulenti eſtis in Sion, qui laſci-
Abac. 2. uitis in ſtratis veſtris*, ecce luxuriam: *Væ qui congregãt
auaritiam malam domui ſuæ*, ecce auaritiæ vitium: Iſaia 28.
Væ coronæ ſuperbiæ. ecce inflationem & ſuperbiam: Eccleſ. 2.
Væ his qui perdiderunt ſuſtinentiam, ecce iram & im- Iudæ.
patientiam: *Væ his, qui abierunt in viam Cain, & Cho-
re*, ecce inuidiam, quia Cain inuidiæ furore cõmo-
tus, occidit fratrem ſuum Abel, & Chore ſimiliter
per inuidiam aduerſus Moyſem inſurrexit. hæc qui-
dem *væ* & miſeriarum genera longe adeo aberant à
Maria, vt AVGVSTIN. diceret: *Cum de peccatis agitur,* D. Aug. lib.
nullam prorſus de B. Virg habere volo quæſtionem: ſci- de natur.
mus enim, quod plus gratiæ ei donatum fuit ad vin- & grat.
*cendum ex omni parte peccatum, quæ concipere, & pare-
re meruit, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.*
Tertium tandẽ genus peccati veniale eſt, de quo
MICHÆAS: *Væ vobis, qui cogitatis inutile*, inutiles e- Mich. 2.
nim cogitationes, quæ peccata venialia ſunt, perfe-
ctiſſimos quoſque viros inuadere ſolent, SALOMO- Prou. 24.
NE dicente: *Septies in die cadit iuſtus*. ab hoc etiam
Væ, tametſi leuiſſimo, immunem fuiſſe B. Virginem,
præter CONCILIVM CLARAMONTANVM tradit ex- Conc. Tri.
preſſe TRIDENT. ſeſſ. 7. c. 23.

VI. TERTIAM denique rationem, ob quam An-
gelus Virginẽ ſalutauit hoc verbo, *Aue*, eam certiſ-
ſimã eſſe exiſtimo, quod, *Aue*, literis inuerſis reddit
idem quod *Eua*, quo non obſcure ſignificauit, Ma-
riam omnino contrariã extitiſſe Euæ, & mala, quæ
ipſa patrauit, Mariam in bona multa commutaſſe,
vt apertiſſime docet ECCLESIA CATHOLICA, dum Eccl. Cath.
Virginẽ alloquens, ait: *Sumens illud Aue, Gabrielis* in hym.
ore, mutans Euæ nomen. hæc autẽ mutatio cum fuerit Aue maris
dexteræ excelſi, non fuit nomine tenus, ſed re ipſa, ſtella.
adeo, vt ſicut Eua fuit mater morientium, Maria re
vera extiterit mater viuentium. Sicut enim po-
pulo Hebræo ad mortem adiudicato ex Aman in-
ſidioſa, & machinanti vafritie, Regina ESTHER ſen- Eſther 5.
tentiã Regis reuocari fecit, deprecans eũ, vt literæ
Amanis corrigerentur, quibus præcipiebat omnes
Hebræos perire; ita ingreſſa in orbẽ B. Virgo Ange-
licę annunciationi conſentiens adeo Altiſſimo pla-
cuit, vt ſententiam damnationis contra genus hu-
manum latam reuocarit. Vnde ſicut Eua principiũ
fuit noſtræ perditionis, ita Maria radix, & origo
exſtitit noſtræ ſalutis: quare egregie D. FVLGENTIVS
ſcripſit: *Cum dixit Aue, oſtendit ex integro iram exclu-* D. Fulgen.
ſam, primæ ſententiæ plena benedictionis gratiam reſti- ſer de lau-
tutam. dib. Virg.

VII. VT tamen hanc Mariæ & Euæ antitheſim,
ac mirabilem contrapoſitionem altius repetamus,
obſeruandum eſt in omnibus mundi ætatibus maſ
culum & fœminam feciſſe Deum ad gloriam ſuam
propalandam, & ad mundi cõmoda promouenda:
vnde D. AVGVST. numerat ſex mundi ætates, quæ D. Aug. lib.
ſimilitudinem habent illorum ſex dierum, quibus 2. de gent.
mundus eſt conditus. In prima exſtiterunt Adam cont. Ma-
& Eua, qui, etſi peccati ac mortis fuere principia, nichæ. c. 23.
tamen pœnitentia ducti eorum, qui per eam ſal-
uantur, prima exempla præbuere, vt egregie ob-
ſeruauit D. IRENÆVS. In ſecunda ætate Noe & vxor Iren. lib. 1.
eius, quã *Bartenon* EPIPHANIVS appellat, in GENES. cap. 30.

numerantur: *Egredere de arca tu, vxor tua, filij tui*, ſcilicet ad genus humanum multiplicandum, & conſeruandum. In tertia fuerunt Abraham, & Sara, ille parens Hebræi populi promiſſionem diuinitus accepit, Chriſtum ex ſemine ſuo naſciturum: pater fidei & obedientiæ exemplar inſigne exiſtit, Sara vero Catholicæ Eccleſiæ typum geſſit, vt tradit D. AMBROS. Trinitatis fidem, ac reuerentiam erga Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum in tribus menſuris vnius ſimilaginis exprimens: ipſa etiam fuit prima mulier, cuius in ſcriptura ætas, mors, & ſepultura ob præſtantem eius dignitatem, excellentemque virtutem narratur, vt obſeruauit PERERIVS. In quarta ætate fuit Moyſes Rex, legislator, Pontifex, Propheta, Dux populi Dei, & primus rerum diuinarum Canonicus ſcriptor. fuit etiam Maria prophetiſſa ſoror eius, quam ſequentes omnes mulieres cum tympanis, & choris canticum illud cecinerunt: *Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt; equum, & aſcenſorem proiecit in mare:* hæc maximarum rerum typum geſſit; vt enim pulſauit tympanum poſt tranſitum maris rubri, figuram prætulit Eccleſiæ Catholicæ laudantis Deum pro his, qui baptizantur in mari rubro ſanguinis Chriſti per lauacrum regenerationis, vt obſeruauit BEDA ſuper eundem locum Exod. & vt miſſa fuit à Deo ad prophetandum, deſignauit Deiparam prophetantem: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes* vt tradit D. HIERON. In quinta ætate enumerandi ſunt Dauid, & Abigail; Dauidem autem typum Chriſti exſtitiſſe nemo ignorat; de Iudæa, & domo Bethlehem, ſicut Chriſtus, ortus eſt, & deinde in regem, vt ille, vnctus; & vt Dauid Goliath occidit, ita Chriſtus Diabolum; & ſicut Dauid immutauit os ſuum coram Achis Regem Geth, ita vt inſanus iudicaretur, ita Chriſtus alba veſte indutus tanquam ſtultus illuſus fuit, & vt ille ſaluauit populum Dei, ſic Chriſtus genus humanum, Abigail, mulier prudentiſſima, & ſpecioſa vt 1. Reg. legimus, figuram geſſit B. Virginis pulcherrimæ, & prudentiſſimæ, quæ vere excellentius, quam illa iram Dauid placauit, cum per Verbum in vtero eius incarnatum, Deum Patrem humano generi reconciliauit. Figura etiam exſtitit Eccleſiæ Catholicæ ex gentibus ad Chriſtum conuerſæ, cum poſt virum priorem Nabal Dauid in virum ſuum acceperit, vt ingenioſe obſeruant D. AMBROSIVS & RVPERTVS. In ſexta, & vltima ætate fuerunt Chriſtus & Maria eius mater, qui Chriſtianam, & nouam Eccleſiam pepererunt: ſicut autem ſexta mundi dies, in qua Deus hominem condidit, operis excellentia cæteros quinque dies ſuperauit, in quibus alia homini inferiora creauit, ita ſexta mundi ætas, in qua Virginem, & ex Virgine Chriſtũ produxit, cæteras mũdi ætates longe præcellit. Fuit quidem Adam typus Chriſti Domini, & Eua Mariæ, vt communiter adnotant Patres, quia licet in eis videatur eſſe diſſimilitudo, eo, ꝙ Eua educta eſt ex latere Adæ, è contra vero Chriſtus, ſecundus Adam, eductus eſt de vtero Virginis; ſi rem tamen altius contemplemur, etiam ſecunda hæc noſtra Eua, Virgo beatiſſima educta fuit de latere ſecundi Adami, quando Eccleſia, cuius præcipuum membrum eſt ipſa, per ſpiritualem regenerationem ex percuſſo latere Chriſti in cruce dormientis prodiit. Vnde AVGVSTIN. ait: *Exulta ſponſa Eccleſia, quia niſi iſta in Chriſto facta eſſent, tu ab illo formata non eſſes; venditus redemit te, occiſus dilexit te; ô magnum ſacramentum huius coniugij, ô quam magnum myſterium huius ſponſi, & huius ſponſæ! de ſponſo ſponſa naſcitur, & vt naſcitur, ſtatim illi coniungitur, & tunc ſponſa nubetur, quando ſponſus moritur.*

D. Ambr. li. de Abrahamo

Perer. in Gen.

Exod. 15.

Beda ſuper Exod.

Luc. 1.

Reg. 21.

Luc. 23.

Reg. 25.

D. Aug. li. 2. de Symb. ad Catech. cap. 6.

VIII. Vt tamen innumera bona, quæ per Mariam accepimus, clarius vobis innoteſcant, illam quæſo cum Eua conferamus, quæ tot damna nobis intulit. Illud certe mirabile ſemper mihi viſum eſt, diuinam ſapientiam ita creaturas condidiſſe, vt fere ſingulis ſingula contraria prouiderit. quorum mira antipathia magis ea illucere facit: vt enim ait SAPIENS: *contra malum bonum eſt, & contra mortem vita, ſic & contra virum iuſtum peccator, & ſic intuere in omnia opera Altiſſimi, duo & duo, & vnum contra vnum*: haud difficile ſane erit hoc exemplis comprobare: elementa inter ſe ſunt cõtraria, ignis calidus, aqua frigida, terra ſicca, aer humidus: Animantia terræ tanquam hoſtes inter ſe præliantur, canis leporem inſectatur, lupus agnum, felis contra murem inſidias parat: inter aues miluus pullũ, auceps turturem, & pernicem perſequitur; aliaque ſimilia diſpoſuit diuina ſapientia inter ſe pugnantia, tum ad maiorem pulchritudinẽ vniuerſi, ARISTOTELE dicente: *Oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt*: tum ad diuinam eius prouidentiam oſtendendam, quæ damna ab vno illata ab alio facile reparari voluit. Si enim lupus ouem inſequitur, adeſt canis moloſſus, qui eum à grege arceat; Vipera venefico morſu inficit, ſed aduerſus eius venenum prouidit præſentiſſimum theriacæ antidotum: ac tandem ſi infirmitates vexant, medicinæ ſanant; omnia igitur Deus ita diſpoſuit, vt ſingulis damnis ſingula remedia opponeret.

Eccl. 33.

Ariſt. in Topic.

IX. HVNC ergo ordinem, quem Deus, vt auctor naturæ, in his rebus ſublunaribus ſeruauit, eundem in ſupernaturalibus adhibuit; vnde ſubdit, *& ſic intuere in omnia opera altiſſimi*: quaſi dicat, ipſa etiam opera gratiæ veſtigia ſequuntur operum naturæ. Fecit Deus maſculum, & fœminam, Adam & Euam, qui peccati, & mortis principium & origo exſtitere; ſed quia, vt ECCLES. ait: *duo contra vnum, & vnum contra duo*: nouum Adam, & nouam Euam creauit, Chriſtum ſcilicet, & Mariam. Vnde ſicut primus Adam fecit nos filios iræ: *omnes naſcimur natura filii iræ*; ita ſecundus nos regenerauit in filios Dei: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*: & ſicut ille fuit auctor mortis, Chriſtus vitæ, PAVLO dicente: *ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur*: & quemadmodũ, prout idem PAVLVS obſeruauit: *ſicut per vnius inobedientiam peccatores*

Eph. 2. c. 3.

Ioan. 1.

1. Cor. 12.

Rom. 5.

constituti sunt multi, ita & per vnius obeditionem iusti cõstituẽtur multi. Quid plura? certe sicut Eua coadiutrix fuit primi parentis in præuaricatione, nõ secus Maria coadiutrix & cooperatrix fuit Christo in Redemptione generis humani, carnem, & sanguinem ei præbens pretium redemptionis nostræ. itaque oportebat, vt sicut per fœminã mors intrauit in orbem, ita per fœminam vita rediret in orbem: & ideo quod damnauit Eua, saluauit Maria, vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret. Eua quidem facta est de latere viri dormientis, Maria vero exiuit de corde Dei vigilantis; illa viro suo fuit occasio perditionis, hæc viro suo adiutorium ad incrementum sanctitatis, illa prima omnium virginitatem perdidit, hæc omnium prima virginitatẽ Deo consecrauit; Eua fuit mater morientium, Maria mater viuentium; Eua intrepida exstitit ad aspectum serpentis cum illa confabulantis, Maria vero turbata ad intuitum Angeli sibi loquentis; Eua per angelicum sermonem seducta est, vt effugeret Deũ, Maria per Gabrielis loquelam euangelizata est; Eua decepta, vt præuaricaretur; Maria suasa, vt obediret; illa consensit Diabolo, & vetitum pomũ comedit, secundum illud: *tulit de fructu & comedit, deditq; viro suo*; ista credidit Angelo, & filium promissum concepit, secundum illud: *Ecce concipies, & paries filium*, illa comedit pomum ad mortem, iuxta id quod fuerat illi prædictum: *Quacunq; die comederis, morte morieris*; ista concepit filiũ ad salutem, sicut ei fuerat prænotatum: *Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populũ suum à peccatis eorum*; illa peperit in dolore, secundum illud: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, & in dolore paries*; ista concepit, & peperit in gaudio, secundum illud: *Annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in Ciuitate Dauid*; illa electa fuit in matrem omnium per generationẽ carnis, hæc prælecta, vt esset omniũ mater per generationẽ spirit⁹; illa fuit plena malitia; Maria plena gratia; illa fuit maledicta in mulieribus; hæc benedicta in mulieribus; illius ventris fructus maledictus fuit Cain, sed fructus ventris Mariæ super omnia est benedictus Iesus.

Gen. 3.
Luc. 1.
Gen. 2.
Matth. 3.
Gen. 3.
Luca 2.

X. Revocate quæso in memoriam illud tritũ tã apud Philosophos, quam Iuriscõsultos proloquiũ, vt habetur *in cap. omnis de reg Iuris: Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur.* Omnia quidem sublunaria tam animata, quam inanimata ex temperamento quatuor primarum qualitatum, caloris, frigiditatis, humiditatis, & siccitatis, nascuntur, & per excessum earundẽ qualitatum tandem corrumpuntur: sed nõ solum id videre est in naturalibus, sed etiã in supernaturalib⁹ nostræ fidei mysteriis Peccatũ quidem introiuit in mundum per res sensibiles, per fructum scilicet ligni vetiti; & per res alias etiam sensibiles, cuiusmodi sunt sacramenta, foras expellitur; & expiatur: peccatum corde concipitur, ore profertur, & opere exercetur; cordis tamen contritione, oris confessione, & operis satisfactione remittitur: similiter etiam per virum & fœminam cœpit generis humani ruina, & per virum & fœminam cœpit eiusdem reparatio, vt enim dixit Bernardvs: *Vehementer quidem nobis vir vnus, & mulier vna nocuere, sed gratias Deo, per vnum nihilominus virum, & mulierem omnia restaurantur, nec sine magno fœnore gratiarum; neque enim sicut delictum, ita & donũ, sed excedit damni æstimationem beneficii magnitudo:* sic nimirum prudentissimus, & clementissimus Artifex, ꝙ conquassatũ fuerat, nõ cõfregit, sed vtilius omnino refecit, vt videl. nobis nouũ formaret Adam ex vetere, & Euam transfunderet in Mariam; specialiter tamen de sola Maria loquens Avgvst. eleganter dixit: *Per fœminam mors: per fœminam vita; per Euan interitus, per Mariam salus; illa corrupta sequuta est seductorem, hæc integra peperit Saluatorem; illa poculum à serpente propinatum libenter accepit, & viro tradidit, ex quo simul mereretur occidi, hæc gratia cælesti desuper infusa, vitam protulit, per quam caro mortua posset resuscitari:* hactenus D. August. Curre ergo Eua ad Mariam, curre mater ad filiam, filia pro matre respondeat ipsa matris opprobrium auferat, ipsa Patri pro matre satisfaciat; quia ecce si vir cecidit per fœminam, iam non erigitur nisi per fœminam Quid dicebas, ô Adam: *mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi:* verba malitię sunt hæc, quibus magis augeas, quã deleas culpã: veruntamen sapientia vicit malitiam, cum occasione veniæ, quam à te Deus interrogando elicere tentauit, sed non potuit, in thesauro indeficientis suæ pietatis inuenit. Redditur nempe fœmina pro fœmina, Virgo prudens pro fatua, humilis pro superba, mulier sancta, quæ pro ligno mortis gustum tibi porrigat vitæ, & pro venenoso cibo illo amaritudinis dulcedinẽ pariat fructus æterni. Muta ergo iniquæ excusationis verbũm in vocẽ gratiarum actionis, & dic: Domine mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi, & dulce factũ est super mel ori meo, quia in ipso viuificasti me.

D. Bern. de ver. Apoc. signũ mag

S. Aug. de Symbolo ad cathec. l. 3. c. 4. to. 9

Gen. 3.

XI. Sed quæ hucusque dixi de contrapositione Euæ & Mariæ, antiquis Patrum monumentis incipiamus iam illustrare. D. Gregor. Nissen. ad hunc modum loquitur: *Defenditur, & pugnatur mulier à muliere: prima aditum, & locum introeundi peccato dedit, hæc vero introeundi iustitiæ subseruiuit, & ancillata est: illa consilium serpentis amplexa atque sequuta est, hæc interfectorem serpentis præbuit, & lucis auctorem peperit.* D. Chrys. hæc præclara scripsit: *Mors per Adã, vita per Christum: Euam serpens seduxit, Maria Gabriel consensit: sed seductio Euæ attulit mortem, consensus Mariæ peperit sæculo Saluatorem, restauratur per Mariam, quod per Euam perierat; per Christum redimitur, quod per Euã fuerat captiuatum; per Gabrielem promittitur, quod per Diabolum fuerat desperatum, deniq; peccatũ aboletur per Christum, quod per Adam fuerat ante contractum. redditur per Mariã vita, quæ per Euam fuerat interempta.* S. Irenævs nõ

D. Greg. Niss. homi. de nat Chr.

D. Chrys. hom. de interdictione ab Adam.

S. Iren. l. 3. c. 33.

dissi -

dissimilia nobis tradidit, inquit enim: *Sicut Eua inobediens facta & sibi, & vniuerso generi humano causa facta est mortis, sic Maria habens prædestinatũ virũ, tamen Virgo obaudiẽs, & sibi, & vniuerso generi humano causa facta est salutis.* Et paulo post: *Euæ inobedientiæ nodus solutionẽ accepit per obedientiam Mariæ. Quod enim alligauit Eua per incredulitatem, hoc Maria Virgo soluit per fidem.* D. AVGVST. in idẽ argumẽtum hæc præcipue scripta nobis reliquit: *Eua inobediens meruit pœnam; Maria obediendo cõsequuta est gratiam: illa gustando prohibitũ maledicta; hæc credens Angelo est benedicta: illa nobis mortẽ contulit, hæc Virgo nobis vitam peperit.* Idẽq; rursus alibi: *Eua mater generis nostri pœnã intulit mundo, Genitrix Domini nostri salutem attulit mundo; auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria: illa occidendo obfuit, ista viuificãdo profuit: percussit illa, at ista sanauit; pro inobedientia enim obedientia commutatur, & fides pro perfidia recõpensatur.* S. IVSTINVS MARTYR id ipsum his verbis confirmat: *Homo natus de Virgine, vt per quam viã fraude serpentis subintrauit inobediẽtia, per eandem sequeretur venia. Cũ n. integra Virgo esset Eua, concepto verbo serpentis inobedientiam, mortemq; peperit, at virgo Maria postquam concepit fidem cum gaudio, afferente sibi Gabriele latũ nuncium, respondit, fiat mihi secundũ verbum tuum.* D. FVLGENTIVS non semel Mariã cũ Eua comparans, matrẽ illã huic nouercæ dissimilẽ fuisse his verbis edocuit: *Attendite fratres*, inquit, *medicinalis gratiæ lineas, diuina nobis benignitate mõstratas: Tunc ad Euam Angelus malus accessit, vt per Euã homo, quem Deus fecerat, à Deo separaretur: nunc autẽ ad Mariam bonus Angelus venit, vt in ea humanæ naturæ Dei vnigenitus vniretur. venit ad Euã Diabolus, vt vitã nobis malignus auferret; venit ad Mariã Gabriel, vt vitam reddendam hominibus nunciaret.* & idem sermone de laudibus Mariæ: *Facta est Maria restauratio fœminarum, quia per ipsam animæ primæ maledictioni probantur esse subtractæ; nã Euæ dictũ est: In doloribus, & tristitia paries, & ad virũ cõuersio tua: & ipse dominabitur tui. Tribus ergo his malis se subiugant fœminæ, quæ Mariam non sequuntur, dolori, tristitiæ, & seruituti; Maria autẽ è contrario quam præclarissimis tribus bonis sublimetur, ausculta, salutationis Angelicæ, benedictionis diuinæ, & plenitudinis gratiæ.* D. BERN. *Crudelis*, inquit, *nimis Eua, per quã serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit, sed fidelis Maria, quæ salutis antidotum & viris, & mulieribus propinauit: illa ministra fuit seductionis, hæc propitiationis: illa suggessit præuaricationem, hæc iniecit redemptionem.* RVPERTVS ABBAS sup. Cantica quanta sit inter Mariam & Euam dissimilitudo, eleganter ac perspicue his verbis declarauit: *Eua quasi inimica: Eua quasi vipera, Eua quasi deformis, & mihi inimica: viro suo vipera, sibimet confusa ignominia: Inimica per superbiã, quæ intus tumuit, vipera per malitiam, quam ex serpente concipiens foris tentata facile cessit; Ignominiosa per pruritum libidinis, quæ statim scaturire cœpit, vnde & nudam se cognoscens, folio pudenda contexit. Tu autem amica mea per humilitatem, columba mea per charitatem, formosa mea per castitatem; Tu contra Deum non tumuisti, immo mente humili Altissimo complacuisti, & ecce amica es; Tu serpẽti aurem non præbuisti, immo inimicitias inter te, & serpentem ego posui, & ecce columba es: Tu nuditatem libidinis non incurristi, immo Spiritus sanctus obumbrabit tibi, & ecce formosa es. Veni ergo Maria, veni. Nã Eua ad latebras fugit; veni, & crede Angelo euangelizanti, nã Eua credidit serpenti susurranti; veni, & contere caput serpentis, nam Eua & capite illecta, & ventre oblectata, & cauda est obligata serpẽtis.* Actã. dem insignis Poeta Arator eleganti compositione hanc Euæ, & Mariæ antithesim in hunc modum descripsit.

Aug. li. quamq; resib. c. 6 · *Aug ser. de Sãct.* · *Aug. ser. de Annunci.* · *Iustinus Martyr in colloq. cum Tryphone.* · *D. Fulgent. serm. de duplici nat. Christ.* · *Idem ser. de lau. Mariæ* · *D. Bernar. serm. de laud. Virgi* · *Ruper. Ab lib. 2. Cant.*

Maria Dei Genitrix intacta creantis,
A natoq; ornata suo, mala criminis Euæ
Virgo secunda fugat; nulla est iniuria sexus.
Restituit, quod prima tulit persona, ruinam,
Non natura dedit, tunc fœmina fœta periclum,
Nunc tumuit paritura Deum, mortalia gignens,
Et diuina ferens, per quam mediator in orbem
Prodiit; & veram portauit ad æthera carnem:

Arator lib. 1. in Acta Apost.

Cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA V.

De plenitudine gratiæ beatissimæ Virginis disserere incipimus, verba illa interpretantes: Gratia plena; *in quorũ expositione varii nodi soluũtur; multiplexq; gratiæ acceptio secundum morem sacræ Scripturæ proponitur, pariterq; ostenditur, Deiparam Mariam secundum omnes illas acceptiones plenam esse gratia.*

I.  NTEQVAM proposita verba elucidare aggrediar, triplex nodus mihi soluendus est, primus, quomodo cœlestis paranymphus Gabriel, cum alioquin non ignoraret illud Spiritus sancti consilium: *Ante mortem ne laudes quenquam*, ipse tamẽ Virginem salutans adeo eam laudauerit, vt Gratia cumulatissimam dicere non dubitarit: *Aue gratia plena.* facile tamen hic nodus soluitur, si dicamus primo, Angelum certum omnino esse ob laudem, quam deferebat Mariæ, superbiæ inflatione ob insignem eius humilitatem minime illam fore intumescendam, atque adeo absque præiudicio illius diuini consilii recte potuisse Mariam laudasse; sed melius, ni fallor, dicam illam laudem non esse datã Virgini ex proprio Gabrielis marte, sed missam fuisse à Deo, ipsum vero Angelum delatorem tantum illius extitisse; vnde apud ECCLESIAST vbi nostra vulgata legit: *Nõ est speciosa laus in ore peccatoris*

Eccl. 11. 30 · *Luc. 1.* · *Eccl. 15.*

quoniam non est à Domino missus; Græcus interpres vertit:*quoniam non est à Domino missa illi*, sicut ergo accepta est Deo laus creatoris, cum missa est ab illo, ita non est ingrata ei laus creaturæ, quæ missa noscitur esse ab eodem.

II. SECVNDVS nodus in ore omnium versatur, quid sit, quod Angelus volens insigni aliquo encomii genere, vt ab æterno electam & mox futuram matrem Dei decebat, commendare, non singularem, sed communem multis aliis Sanctis laudem detulerit, vocans illam *gratia plenam*, cum alios non paucos Spiritu sancto plenos sacra commemorent eloquia, Ioannes Baptista Lucæ 1. Elisabeth, & Zacharias ibid. PETRVS ACT. 4. Stephanus, ACTOR. 6. Paulus & Barnabas, ACTOR. 11. Apostoli omnes, ACTOR. 2. imo & vniuersi illi, qui congregati erant Ierosolymis ACTOR. 4. nec non discipuli cuncti Apostolorum, vt legimus ACTOR. 13. Non diffitemur plures in sacra Scriptura plenos gratia fuisse, at, vt dixit D. HIERON. *Patribus, & Prophetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plena, in Mariam vero totius gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit, quanquã aliter*. Apposite quidem dixit, *aliter*, quia sicut plenus aqua est fons, plenus fluuius, pleni riuuli, & aqua purior in fonte, quã in fluuio, & in fluuio, quã in riuulis; ita plenus Christus gratia tãquã perennis fons, in quo scaturit ipsa gratia, & in omnes iustos sicut ex capite in membra deriuatur: plena Christi mater, tanquã perenni illi fonti proximus fluuius, qui etsi minus, quã fons, aquæ habeat, pleno tamen fluit alueo; pleni tandem Stephanus, Paulus, & reliqui Apostoli, sed tãquã riuuli, qui in comparatione fontis aut fluuii, quasi nihil aquæ continere videntur. Deinde etiã aliter occurrere possumus, quod licet secundum externam vocem magis considerantes, quam sacræ scripturæ vsum, plus esse videatur plenum esse Spiritu sancto, quam plenum esse gratia, iuxta tamen morem sacræ Scripturæ è contra se res habet, cum per multos Spiritu sancto, paucissimos vero gratia repletos esse affirmet; quod non obscure significat, tanto hoc maius esse, quanto rarius, licet enim Spiritus sanctus, qui auctor est gratiæ, gratiam ipsam infinite excedat, tamquam creator creaturam, qui tamen Spiritu sancto impleti leguntur, non tã ipso spiritu, quam dono aliquo spiritus, quod se foris ostẽtat, dicuntur impleri: qui vero gratia, non tam huiusmodi dono, quam gratia iustificante repleri intelliguntur.

D. Hieron. serm. de Assumpt.

III. AD significandam ergo singularem plenitudinem gratiæ, quam præ omnibus sanctis Deus in Mariam effudit, Angelus dixit: *Aue gratia plena*: vnde ORIGENES in commentario horum verborũ inquit: *vbi id in scripturis alibi legerim, non recordor*: & venerab. BEDA. dicit: *Benedictionis nouam formam mirabatur, quæ nusquam lecta est, numquam ante comperta, soli Mariæ hæc salutatio seruabatur*. Quare si totam Gabrielis salutationem attente perpendamus, facile reperiemus adeo illam vrbanam, eloquentem, laudibus cumulatissimam, vt breui verborum compendio, quæ bona in antiquis salutationibus diuisa fuere, omnia in hanc salutationem confluxerint: olim enim in omni salutatione aut fiebat vitæ imprecatio, vt: *Rex in æternum viue*, & *Viuat Rex Salomon*: vel salutis, vt: *salue Rex*: aut benedictionis, vt messores ad Booz: *Benedicat tibi Dominus*: aut fiebat imprecatio diuinæ præsentiæ, vt Gedeoni dixit Angelus: *Dominus tecum virorum fortissime*; aut lætitiæ, vt: *Gaudium tibi sit semper*. hæc autem salutatio Mariæ, & benedictio ex omnib. his conflata est, & omnes has benedictiones complectitur, quia *Aue* idem est, quod *sine væ*, seu *malo*; ecce salutationem TOBIÆ, *Gaudium tibi sit semper*. *Gratia plena*, ecce salutationem Apostolicam; sic enim Vas electionis suos salutãs: *Gratia vobis & pax &c. Dominus tecum*, ecce salutationem Angeli ad Gedeonem, & Booz ad messores: *Benedicta tu in mulieribus*; ecce salutationem Booz ad Ruth: *Mulier virtutis tu es*; ergo salutatio ista omnibus numeris fuit absoluta. Atque hinc est, quod D. FVLGENTIVS perbelle ac eleganter dixit: *Tria namq; mala à tribus bonis Mariæ probantur exclusa. Nam Euæ dictum est; in doloribus, & in tristitia paries; & ad virum conuersio tua, & ipse dominabitur tui. Tribus ergo his malis se subiugant fœminæ, dolori, tristitiæ, seruituti. Maria autem è contrario quam præclarissimis tribus bonis sublimetur, ausculta, salutationis Angelicæ, benedictionis diuinæ, & plenitudinis gratiæ. Cũ dixit, Aue, salutationem illi cœlestem exhibuit: cum dixit, Gratia plena, ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam, cum dixit: Benedicta tu in mulieribus, virginitatis eius benedictum fructum expressit.*

Orig. ho. 6. in Luc.
Beda super c. 1. Luc.
Ruth 2.
Gen. 27.
Iudit. 6.
Tob 5.
Rom. 2.
Iudith 6.
Ruth 2.

IV. TERTIVS nodus est, quare Angelus Virginem salutans præclarum nomen reticuit. Opinatus sum id fecisse, quia ipse volebat alacrem reddere beatã Virginem, & ideo non Mariæ nomen, quod *amarum mare* præcipue significat, sed, *gratia plenam*, quod miram dulcedinem præsefert, eam compellauit: tum quia cum vnicuique charius & amabilius sit nomen gloriosum, quod propriis meritis comparauit, quam quod gratis à parentibus datum obtinuit, ideo Angelus prætermisso nomine Mariæ, quod in natiuitate fuerat illi impositum, egregia ac percelebri *gratia plena* nomenclatura eam decorauit, Tum quia miram Virginis sanctitatem admirans Gabriel, quæ cum in terris degeret, cœlestẽ vitam agebat, instar cœlicolæ aut cœlestis ciuis eam pertractat: constat autem cœlestes ciues nominibus carere, quia cum nominum diuersitas ad cognoscẽdas personas ordinetur, & beati aliunde sint sibi inuicem notissimi, impositio nominum superflueret quod si multi Angeli singularia quædã sortiti sunt nomina, vt Michaelis, Gabrielis, Raphaelis, non personarum, sed officiorum nomina illa sunt, vt per ea illorum munera nobis innotescant. Tum tãdẽ Angelus forsan honorificẽtissimũ Mariæ nomen consulto prætermisit, vt similem hono-

honorem ei deferret, quem Hebræi nomini Dei IE-
HOVA deferebant, ineffabile & innominabile illud
appellantes; non quia re vera nominari non possit,
sed quia ob eximiam reuerentiam ei debitam in-
dignum putabant humana lingua proferri, quod
Angelica parum erat nominari.

V. HIS nodis iam dissolutis, proposita verba;
Gratia plena, elucidare exordiamur: Illud ante om-
nia obseruantes, hæreticorum expositiones, veri-
tatis obscuratrices, longe fore explodendas, qui vt
nihil magnificum, nihil singulare, nihil super ex-
cellens, vt Dei genitricem decet, Mariæ adscribat,
ad sinistros sensus prædicta verba intorquent, vn-
de MARBACHIVS hæresiarcha impudẽtissime dixit:
*Latinus vester interpres, quem adeo constanter sequi-
tur Latina Ecclesia, S. Lucæ mentem, & sermonem Gra-
cum non assequutus, perperã vertit; Gratia plena, debet
enim legi, aue gratiosa*; BVCERVS, *gratiam consequuta*,
vt CALVINVS, vel, *gratis dilecta*, vt BEZA, vel, *gratifica-
ta*, vt BVLLINGERIVS vel, *grata Deo passiue*, sicut SAR-
CERIVS & ÆMILIVS, vel, *cui Deus fauet*, vt LOSIVS,
vel *accepta*, vt CASTALION, vel, *quæ in gratiam rece-
pta sit*, vt HERINGIVS, vel, *cuius consuetudinem omnes
ambiunt*, vt CVLMANVS.

XI. AT vniuersi Patres ex Græco recte LVCAM
transferre, *gratia plena*, vnanimi cõsensu fatentur;
ex Latinis quidem, *plenam gratia*, pleno ore voci
tant D. AVGVSTIN. in Enchirid. CHRYSOL ser. 142.
AMBRO. super Lucam, HIERONYM. & SOPHRONIVS
serm. de Assumptione, & in Epistola ad Principiam
Virginem, Venerabilis BEDA super caput Lucæ,
EVSEBIVS EMISSENVS super *missus est Angelus*; RV-
PERTVS in li. 1. Canticorum, B. PETRVS DAMIANVS
ser. 3. de Natiuitate Mariæ, & D. BERN. persæpe ho.
de Natiuitate Mariæ ser. 3. de B. Virgine, & homil.
29. super Cantica, ac tandem D. THOM Theologo-
rum facile princeps 3. part. q. 27 art. 5. nec non AL-
BERTVS MAGNVS eius magister de laudibus Virgi-
nis c. 69. 70. 72.

VII. Ex Græcis vero Patribus, quos hæretici tã-
quam Græcæ linguæ ignaros inficiari nõ possunt,
vnanimi consensu latino & vulgato nostro Inter-
preti consentiunt, Mariam *plenam gratia* ab Ange-
lo vocatam, vno ore prædicantes, hi sunt D. ATHA-
NASIVS in Euangel. de sanctissima Deipara, EPI-
PHANIVS Cypri Episcopus in oratione de B. Virgi-
ne, CHRYSIPPVS Presbyter Hierosolymitanus ser.
de sancta Maria Deipara, ANDREAS Hierosolymit.
ser. de salutatione Angelica, D. IOANNES DAMASCE-
NVS in festo Annunciationis Mariæ, & orat. 1. de
Natiuit. Mariæ, GREG. Episcopus Neocæsarien-
sis hom. 1 de Annunciatione B. Mariæ, ac tandem
S. EPHRÆM Edessenæ Ecclesiæ Diaconus, oratio-
ne de Deipara, cui Græcæ linguæ peritiam BASIL.
ille magnus à Deo impetrauit, vt refert CANISIVS l.
5 de Deipara cap. 7. his verbis Mariam compellat:
*Aue Dei splendidissimum, & luculentissimum vas, aue
Domina Maria, gratia plena, aue in mulieribus Virgo
beatissima*.

VIII. ECCE Patres tam Latini, quam Græci, cum
aliis multis, quos longissimum esset recensere, non
vt hæretici garriunt, per *gratiam* fauorem extrinse-
cum hoc loco intelligunt, sed vt pulchritudinem
animæ inhærentem, constanter asseuerant: *Gratia* 2. Cor. 3.
enim Dei (iuxta sentẽtiam D. PAVLI) est lex illa scri-
pta *non atramento, sed spiritu Dei viui*, non in tabu-
lis lapideis, sed in tabulis cordis. Gratia Dei est lux
illucescens in cordibus nostris ad illuminationem
scientiæ charitatis Dei in facie Iesu Christi: Gra- 2. Cor. 4.
tia Dei est thesaurus, quem habemus in vasis ficti-
libus, vt sublimitas sit virtutis Dei: Gratia Dei est Rom. 8. 13.
pignus infusionis spiritus Dei habitantis in nobis,
secundum quem si facta carnis mortificauerimus,
viuemus: Gratia Dei est iustitia nostræ animæ in-
hærens, non quidem innata, sed à Deo liberaliter Ioan. 4.
infusa. Hanc *gratiam* vocauit Christus Dominus
fontem aquæ salientis in vitam æternam. Magnus D. Dion. l.
DIONYSIVS AREOPAGITA vocat *Deificationem*: de cœl.
GREGORIVS NISSÆNVS *puritatem à Christo in nos* hier. c. 1.
deriuatam: BASILIVS: *Spiritus sancti participationem*: Greg. Nyss.
CYRILLVS: *sanctitatem, quæ nobis inest*: PROSPER: *vir-* li. de per-
tutem & Deum ipsum in nobis inhabitantem: AMBR. fecta homi.
diuinam medelam deuotis infusam: ac tandem AVG. forma.
gratiam appellat occultam quandam communica- Basil. l. de
tam interioris hominis pulchritudinem. S. Sancto

IX. VERVM cum ex vna parte plenitudo gratiæ, Cyrill. l. 11.
quæ ex Christo perenni fonte in Mariam effluxit, thes. c. 3. &
vberrima fuerit, & ex alia, *gratia* multifariam, mul- 5. Prosper.
tisque modis in sacra scriptura accipi consueuerit, de l. arbitr.
existimo non vltra, quam celsissima Dei matris di- Ambr. l. de
gnitas poscat, secundum omnes eius exceptiones, peccator.
diuinam largitatem exuberantem gratiarum copiã meritis c. 9.
in Mariam infudisse. Solet quidẽ accipi gratia pro & 10.
beneficio prædestinationis seu diuinæ electionis, Aug. epist.
quomodo D. PAVLVS ad ROM. dixit: *Reliquiæ secun-* 81. ad cõsc.
dum electionem gratiæ Dei saluæ fient: vel pro diuino idem li. de
fauore, iuxta illud GENES. *Inuenit gratiam coram* spiritu &
Domino: vel pro beneficio collato, in quo sensu eo- litera c. 15.
dem lib. GENES dicitur: *viuat anima mea ob gratiam* Rom. 11.
tui: vel pro beneuolentia, iuxta illud EXODI: *dabo-* Gen. 6.
que gratiam populo huic: vel pro gratia iustificante, Gen. 12.
vt cecinit DAVID: *gratiam & gloriam dabit Domi-* Exod 3.
nus. vel pro corona, qua caput redimitur, iuxta il- Ps. 83.
lud PROVER. *vt addatur gratia capiti tuo*: ac tandem Prou. 1.
sumi solet gratia pro gratia gratis data, vt cõdistin-
guitur contra gratiam sanctificantem ac deifican-
tem animam, secundum quam acceptionẽ D. PAV- 1. Cor. 12.
LVS ad CORINTH scribens inquit: *Diuisiones gratia-
rũ sunt: alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ,
alii fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum,
alii prophetia: alii discretio spirituum, alii genera lin-
guarum, & alii interpretatio sermonum*.

X. HIS omnibus gratiis plenam intueor beatis-
simam Virginem: suscepit gratiam prædestinatio-
nis: *ab æterno ordinata sum*: gratiam iustifican- Prou. 8.
tem ab instanti suæ conceptionis: *Dominus posse-* Ibid.
dit me in initio viarum suarum: gratiam beneuolen- Cant. 7. 10.
tiæ: *ego dilecto meo, & cõuersio eius ad me*: gratiã fauo-

ris, adeo vt Spiritus ſanctus ad Chriſti conceptionem illam vt cooperatricem ſibi aſſumeret:

Luc. 1.

Ecce cõcipies, & paries: gratiam beneficii, eadem Virgine dicente:

Ibid.

Quia fecit mihi magna: qui potens eſt: gratiam prophetiæ:

Iſaiæ 8. 3.

Acceſſi ad prophetiſſam, & in vtero concepit. inſuper etiam habuit gratiam, ſeu donum linguarum, vt teſtantur D. ANTON. 4. p tit. 15. c. 19. §. 8. abſque illo enim intelligere non potuiſſet Regum Maiorum idioma, qui Chriſtũ adoraturi venerunt: habuit deinde gratiam miraculorum, quam etſi S. THOM. ei negauerit,

D. Tho. 3 p q. 27. art. 5. ad 3.

explicãdus eſt de publicis miraculis imperatiue factis, aut per contactum: nam orante ipſa, celebre illud miraculum factum eſt in Cana Galilææ ex filii eius omnipotentia, ob tantæ matris fidem & fiduciam, qua conſtans adeo & firma fuit, vt poſt audita illa verba: *quid mihi & tibi mulier?* (quæ quãquam repulſæ ſpeciem præſeferre videbantur) famulis confidenter diceret: *quodcumque dixerit vobis, facite.* Vnde D. BASIL. Seleuc. Archiepiſc. orat. de Verbi Incarnat. apud tom. 2. Biblioth. Patrum expreſſe docet B. Virginem minime caruiſſe dono faciendi miracula, ſic enim ait: *Si Chriſtus ſeruis ſuis tantam gratiam contulit, vt ſolo cõtactu, imo vero ſola corporis vmbra ægris præſidium afferre poſſent; nam (vt Actorum liber exponit) infirmi in plateas eiecti, vmbra tamen Petri contacti, liberati à morbis euadebant; non deerant quoque, qui linteo, quo*

Actor. 5. 15

Apoſtolus Paulus corporis ſudorem exterſerat, accepto infeſtos dæmones profligarent; qualem vim aduerſus omne morborum genus Virgini matri collatam fuiſſe putandum eſt; an non multo maiorem, quam cæteris Chriſti imperio ſubiectis? res clara eſt.

XI. Ac tandem, vt vno verbo multa complectar, reliquæ omnes gratiæ gratis datæ, de quibus Apoſtol. vbi ſupra, cumulatiſſime fuerunt in Maria, ATHANASIO dicente:

D. Athan. ſer. de Deip.

Virginem omnibus gratiis abundaſſe: quod non obſcure indicant verba eiuſdem Virginis, cum dixit:

Cant. 7. 13.

Omnia poma noua, & vetera dilecte mi ſeruaui tibi; ſi deſideratis in ea cultum & religionem Abelis, ecce hic agnum pro hoſtia, Virgo vero ſeipſam obtulit, ille pecus gregis ſui, hæc agnum immaculatum fructum ventris ſui, agnum, qui tollit peccata mundi, obtulit Deo: vultis in ea perfectionem Noe nauigantis, ille quidem in Arca lignea ſe pariter cum liberis indemnem ſeruauit, hæc inundante mundi diluuio, in arca illa diuina, quam eleuauerunt aquę dolorum ad montem Caluariæ non octo animas, vt Noe, ſed vniuerſum orbem terrarum naufragantem liberauit:

Pet. 3. 20.

Noe cum de ſua arca emiſit columbam, miſit etiam & coruũ, hæc autem non horridum nigredine coruum, ſed ſpecioſum præ filiis hominum humana carne indutum edidit: deſideratis in Virgine obedientiam Patriarchæ Abraham, hic obediuit voci Domini, vt mactaret illi Filium, Virgo autem cognita Dei voluntate de morte filii ſui, & viuum tradidit, & mortuum obtulit Deo. Abraham alium quidem filium habuit præter Iſaac; Maria autem vnicum tantum genuit, cuius vices nullus in integrum ſupplere poterat. Vt tamen multa paucis comprehendam: ſi effulſit innocentia in Abel, orationis donum in Enoch, fiducia in Noe, fides in Abraham, obedientia in Iſaac, longanimitas in Iacob, patientia in Iob, caſtitas in Ioſeph, manſuetudo in Moyſe, inimicorum dilectio in Dauide, prudentia in Abigail, modeſtia in Ruth, pulchritudo in Rachele, virginitas in Sunamitide, fœcunditas in Lia, fortitudo in Iahele, generoſitas & magnanimitas in Iudith, hæc omnia ſimul diuina munificentia in beatam Virginem contulit, adeo vt D. BERN. non dubitauerit dicere:

D. Bern. ſer. 4. ſuper Salue Regina.

Nihil eſt virtutis, quod ex te nõ reſplẽdeat, & quidquid ſinguli habuere ſancti, tu ſola poſſediſti. hæc ſunt poma vetera, quæ dilecto ſuo ſeruauit B. Virgo, virtutes ſc. veterum Patrum. Poma vero noua dotes clariſſimæ ſunt, ac cœleſtia chariſmata, quibus noui teſtamenti cultores mirifice præfulſerunt: angelica puritas Agnetis, fortitudo Apolloniæ, conſtãtia Agathæ, ſapientia Catharinæ, modeſtia Cæciliæ, zelus Vrſulæ, ac tandem Apoſtolorum ardentiſſima charitas cum reliquis cœleſtibus donis ac priuilegiis quibuſuis aliis collatis in B. Virginem inſtar fluminum aquę in vaſtiſsimum mare confluxere. Vnde Angelicus Doctor inquit:

D Tho 3. p. q. 27. ar. 1.

Rationabiliter credimus, quod illa, quæ genuit vnigenitum, plenũ gratiæ & veritatis, præ omnibus alijs maiora priuilegia gratiæ acceperit. ecce poma noua, quæ Maria dilecto ſuo ſeruabat.

XII. VTRAQVE tamen tam vetera quam noua, quæ de theſauro ſuo protulit, vt magis illuſtrẽtur, reuocemus quæſo in memoriam hiſtoriam illam ſingularem, cuius meminit PLVTARCH. in Sympoſ.

Plutarc. in conuiuio ſeptem Sapientum.

refert, potentiſſimum, ac ſapientiſſimum Amaſium Ægypti regem in conuiuio, quod fecit ſeptem ſapientibus, Niſſolenum interrogaſſe, quænam rerũ inter omnes eſſet antiquior, communior, maior, ſapientior, vtilior, nociuior fortior, tractabilior, pulchrior tandem, ac melior; ille reſpondit tempus eſſe rem antiquiorem, mortem cõmuniorem, mundum maiorem, veritatem ſapientiorem, Deum vtiliorem, cuiuſcunque malum genium, ſeu prauam inclinationem nociuiorem, fortunam fortiorem, tractabiliorem & ſuauiorem, pulchriorem tandem lucem Solis. Inſignis vero Philoſophus Bias hanc Niſſoleni reſponſionem audiens variis modis lacerauit; nam cum tempus (inquit) conſtet tribus partibus, præterita, præſenti & futura, res omnium antiquiſſima eſſe non poteſt. quod enim denuo præſens, aut futurum eſt, omni antiquitate caret. mors etiam non poteſt eſſe rebus omnibus communior, cum beatos non attingat, nec in ſpiritus immortales dominetur. mundus item nequit eſſe maior, cũ maior illo ſit locus continens illum, quare ipſe aliter opinans aſſeruit rem antiquiorem eſſe Deum, maiorem, locum mundum continentem, ſapientiorem, tempus quod latentes veritates manifeſtat: communiorem ſpem, cuius nullus ſtatus expers eſt, vtiliorem virtutem, nociuiorem vitium, fortiorem inſuperabilem neceſſitatem, ſuauiorem

cum

cum natura conformitatem, pulchriorem mundi
machinam. Singuli etiam reliquorum Sapientum,
qui conuiuio astabant, varia propositæ Regis in-
terrogationi responsa dederunt.

XIII. Ego tamen aptius & rationi magis consen-
taneum responsum esse putarim, si interrogatus af-
firmarem, rem inter omnes creaturas antiquiorẽ,
maiorem, sapientiorem, communiorem, vtiliorẽ,
nociuiorem, fortiorem, tractabiliorẽ, ac pulchrio-
rem esse Deiparam Mariam, fuit enim antiquior:
Prou. 8. *nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram.* fuit
Hymnus maior: *trinam regentem machinam, claustrum Mariæ*
Ecclesiæ. *baiulat.* fuit sapientior: *collaudabunt multi sapientiã*
Eccles. 39. *eius.* fuit communior: *Transite ad me omnes, qui con-*
Eccles. 24. *cupiscitis me.* fuit vtilior: *venerunt mihi omnia bona*
Sapient. 7. *pariter cum illa.* fuit nociuior antiquo serpenti: *ipsa*
Gen. 3. *conteret caput tuum.* fuit fortior: *manum suam misit*
Prou. 8. *ad fortia.* fuit tractabilior: *spiritus meus super mel dul-*
Eccles. 24. *cis.* fuit pulchrior: *pulchra vt luna, electa vt sol.* vnde
vbi nostra vulgata legit: *fundatur exultatione vni-*
uersæ terræ, Card. Caietanvs vertit: *pulchra sponsa*
lætificans totam terram. Isidor. clarius; *elegans regio.*
Vatablvs: *pulcher locus, & gaudium vniuersæ terræ,*
ciuitas regis magni. Pulchra sane ciuitas Maria, quia
ipse fundauit eam Altissimus. ac propterea potiori iu-
re, quam *Tyrus,* gloriari potest dicens, quod illa,
Ezech. 27. *perfecti decoris ego sum, & in corde maris sita,* in mari
D. Bona. in quidem, in quod (vt dixit D. Bonaventvra) om-
Pfsc. Virg. nia gratiarum flumina intrant; flumen intrat Patri-
archarum, flumen Apostolorum, flumen Martyrũ,
flumen Virginum, & Confessorum, flumen tan-
dem omnium cœlestium spirituum: vt quemad-
Plin. l. 35. modum celebris pictor Zeusis (teste Plinio) Agri-
9. gentinis id postulantibus, facturus pulchram Iu-
nonis effigiem in celebri eius templo locandam,
Virgines quinque elegit, quas in exemplar, & pro-
totypum sibi proposuit, vt quod in singulis esset
laudatissimum, penicillo suo imitans, omnium il-
larum perfectiones in vnam & eandẽ Deæ Iunonis
imaginem refunderet. Non dissimiliter Spiritus
sanctus, peritissimus omnium pictor, volens B. Vir-
ginem variis virtutum perfectionibus, ac diuinorũ
charismatum coloribus exornare, ac perpolire,
non vnius aut alterius, sed omnium hominum, &
Angelorum perfectiones in eam cumulatissime ef-
fudit, vt non immerito D. Hieron. ser. de Assum-
ptione dixerit: *Cæteris per partes præstatur, Mariæ ve-*
ro simul tota se infudit gratiæ plenitudo. Iureque o-
ptimo ego putauerim, Spiritum sanctum ingen-
tem adeo curam in hac pulchra imagine perficien-
da adhibuisse, vt merito de illo dici possit, quod de
Protogene insigni pictore alius illo magis peritus,
ac celebris Apelles dixit: *Manum de tabula nescit tol-*
S. Epiph. *lere.* hæc cœlestia munera D. Epiph. attente consi-
ser. de laud derans, salutare cupiens intemeratam Virginem
Mariæ. Deiparam Mariam, in hæc tam vera, quam dulcia
de B. V. verba prorupit: *Aue gratia plena multis virtutibus*
exornata Virgo, in lampade gestans lucem inextinguibi-
lẽ, sole splendidiorẽ. Aue gratia plena, gloria spiritualis.
Aue gratia plena, quæ es vrna aurea continens manna
cœleste. Aue gratia plena, quæ sitientes perennis fontis
dulcedine satias. Aue gratia plena, mare spirituale, ha-
bens gemmam cœlestem Christum. Aue gratia plena,
splendidum cœlum, quæ in cœlis incomprehensum con-
tines Deum. Aue gratia plena, quæ Cherubicum thro-
num diuinitatis fulgore superas. Aue gratia plena, quæ
cœli circulum habes, & Deum incomprehensum angu-
sto potissimum loco in te ipsa contines. Aue gratia plena,
nubis columnæ similis, quæ Deum habes, qui populum
deduxit per desertum. Quid dico? & quid proloquar?
quo pacto beatam prædicabo gloriæ radicem? solo enim
Deo excepto, cunctis superior existit. Cui sit honor, &
gloria in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA VI.

Idem argumentum prosequentes, tam humana, quam sacra eruditione eadẽ verba: Gratia plena, *iterum elucidamus; multiplicemq; gratiæ plenitudinem tradimus, & quanam illarum Virgini congruat, ex B. Thoma, & D. Bonauen. edocemus in eadem verba:* Aue gratia plena.

I. Ierivs Valerianvs in calce sui Pier. Val.
operis refert, Antiquos in hunc in fin. sui
modum humanam gratiam de- operis.
scripsisse: Deam quandam Iouis
filiam depingebãt ex tribus Vir-
ginibus compositam, quæ ma-
nus mutuo sibi dantes, ridebant. prima faciem
habebat apertam, secunda opertam, tertia partim
apertam, partim opertam; vocabantur aũt Gratiæ
tres, cum esset vna, quia munus gratuito datum tri-
pliciter considerabant; primo vt datum, secundo vt
acceptum; tertio vt datum, & acceptum: quod mu-
tuo se manus darent, mutuam gratiam, & beneuo-
lentiam dantis, & recipientis donum significabat:
tandem pari risu exultabant, quia non minus dele-
ctare debet dantem doni elargitio, quam recipiẽ-
tem eius acceptio: hæ tres fæminæ Virgines erant;
tũ quia dona debent esse incorrupta, vt nullius in-
honesti finis prætextu fiant; tum, quia donorũ be-
neficentia nõ debet senescere, & marcescere in dã-
te, nec in memoria recipientis, sed semper viuere, &
iuuenescere: quod autem prima illarum Virginum
vultum velamine operiret, significat donum in ab-
scondito dandum; ita vt iuxta consilium Saluato-
ris: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextra tua.* altera Matth. 6.
vero discooperto vultu apparebat, vt denotaret,
beneficium acceptum manifestandum, non celan-
dum esse; tertia vero partim habens vultum cooper-
tum, partim discoopertum, id sane portendebat,
quod datur, occultandum, quod recipitur, propa-
landum: quod tandem ait, patrem habere Iouem,
bona illa cœlitus elapsa esse indicabat.

II. Hæc quam apte virgini congruant ad illustrandum verba illla: [Eccles. 24.] *In me gratia omnis*; haud difficile erit demonstrare: in illa enim fuit gratia dandi quia nō solum hominibus multa bona præbuit, sed & ipsi Deo carnem, quam assumpsit, donauit; vna enim cum Patre æterno dicere potuisset: [Ps. 2.] *Ego hodie genuite*. ille quidem in æternitate, hæc in tempore. fuit etiam gratia accipiendi, quia nulla pura creatura cœlestibus charismatibus cumulatior illa vnquam fuit, ipsa dicente: [Luc. 1.] *fecit mihi magna, qui potens est*. Cœlos ait DAVID. [Ps. 8.] digitis Dei creatos fuisse: *Cœlos opera digitorum tuorum*. homines Dei manu conditos fuisse affirmat IOB: [Iob. 10.] *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me.* quæ vero dona Deus B. Virgini impertitus est, non digitis, non manu, sed brachio diuinæ omnipotentiæ, quasi omnium excellentissima, ea Mariæ adscribit. In illa quoque pariter adest gratia illa simul dandi, & recipiēdi, quia sicut pene infinita dona diuina largitas in eam effudit, ita pene infinita nobis contulit, quæ quia quotidie nos experimur, superuacaneum est illa recensere. In ea deinde huiusmodi gratia dandi non inueterata emarcuit: sed noua conferens beneficia in dies magis virescit, & iuuenescit. Quod si triplex illa gratia sub vultu Virginis incorruptæ ostendebatur, quid quæso incorruptius B. Virgine, quam nec conceptus, nec partus violauit? si illa præterea risu exultabat, beata Virgo, dum plura munera largitur, tantum abest eam tristari, vt amplius hilarescat.

III. Ac tandem si illa Iouis erat filia, quo cœlitus data dona significabantur, omnia & singula bona, tam qui accipit, quam qui donat, à Patre luminum descendere non diffitetur, iuxta illud: [Iacob. 1.] *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* Adde quod (vt auctor Philosophiæ secretæ tradit) Gentiles olim magnā humanæ conditionis inopiam, infirmitatem, & indigentiam contemplantes diuersa vitæ tempora, varios Deos, quæ fœtui propitiarentur, assignabant; ex quo ex ventre matris prodibat, pro partu erat Dea Lucina; ad vitam vegetatiuam conseruandam Deus Sentunus; pro tempore, quo in cunabulis iacebat Dea Comyna; pro vberibus matris sugendis Dea Rumina, & sic de reliquis vitæ hominis actionibus, quousque infans perueniret ad nubiles annos. Nec quisquam mirabitur horum Deorū multitudinem, si legerit D. AVG. li. 8. de Ciuitate Dei, c. 12. vbi detestabiliora alia Gentilium deliramenta commemorat.

IV. QVOD si tot Deos illi putabant adiutores necessarios ad vitæ corporalis augmentum, & conseruationem, pluribus quidem indigere autumarent ad incrementum, & conseruationem vitæ spiritualis: omnia tamen hæc gratiarum genera, quæ à diuersis Diis falso decepta gentilitas communi cari existimabat, ab vno Deo collata fuere Beatæ Virgini. Ipse namque specialissimam curam habuit eius conceptionis, cauens, ne peccati originalis labe inficeretur, ipse ortum eius communi Orbis lætitia illustrauit, ECCLESIA dicente: *Natiuitas tua, Dei genitrix Virgo, gaudium annunciauit vniuerso mundo.* Infantiam eius diuinis cœlestium charismatum pignoribus locupletauit, dum in Templo eam præsentari fecit, & quindecim scalæ gradus, in cuius veneratione hodie in Ecclesia est canticum graduum, eam triennem deuotissime ascendere fecit; ac tandem ad nubilem ætatem perueniente, tot gratiarum fluenta in eam confluxere, vt & Angelus ei dixerit: *Aue gratia plena.* [Luc. 1.] & ipsa de se fateatur: *In me omnis gratia viæ, & veritatis.* [Eccles. 24.] Sed aduerte quæso, dixisse: *gratiam veritatis*, id est, gratiam veram, ad differentiam aliarum gratiarum, quæ falsæ gratiæ sunt, non veræ. his enim nostris tēporibus vidimus gratiam prophetiæ nonnullos finxisse, alios extases, & raptus, alios vulnera in manibus, pedibus & latere (*velut noster Seraphicus Franciscus*) accepisse, humano artificio simularunt; hæ quidem non fuerunt gratiæ veritatis, sed falsitatis & mendacii, vt exitus ipse probauit.

V. VT tamen hanc exuberantis gratiæ plenitudinem B. Virginis distinctius & luculentius intelligamus, consulamus quæso Angelicum Doctorem, qui 3. p. q. 6. art. 6. præter gratias gratis datas, duplicem agnoscit gratiam in Christo Domino: primam vocat, *gratiam vnionis*, per quam ei, vt homini, datū est, vt esset filius Dei naturalis, iuxta illud D. PAVLI, [Rom. 1.] *qui prædestinatus est filius Dei in virtute.* secundam vocat, *habitualem gratiam*, quæ qualitas est supernaturalis, iustis inhærens, per quam redduntur cōsortes diuinæ naturæ, vt loquitur D. PETRVS, [2. Pet. 1.] & filii Dei per adoptionem, & hæredes æternæ hæreditatis, iuxta illud PAVL.: [Ad Tit. 3.] *Vt iustificati gratia ipsius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* hanc duplicem gratiam in Christo extitisse, non obscure significauit D. IOANNES, cū dixit: [Ioan. 1.] *Et verbum caro factum est:* ecce gratiam vnionis, per quam Verbum diuinū carnem humanam in virtute personæ sibi copulauit; deinde subiunxit: [Ibid.] *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre:* ecce gratiam habitualem à gratia vnionis in Christo emanantem.

VI. INTER alia ergo non pauca, quibus B. Virgo reliquos omnes sanctos, tam homines, quam Angelos præcellit, illud omnium singularissimum est, quod vtraque hac gratia Spiritus sanctus eam repleuit: in primis quidem, dum ventrem eius impleuit Christo, satis apparet, prima illa gratia vnionis mirifice fuisse repletam, vt loquitur Diu. AMBROSIVS: *Bene sola gratia plena dicitur, quæ solam gratiam, quam nulla alia meruerat, consecuta est, vt gratiæ repleretur auctore.* Quibus verbis consonant alia D. BERNARDI ho. 3. super *Missus*, in hunc modū loquentis: *Legimus in Actis Apostolorum & Stephanum plenum gratia,* [Actor. 2.] *& Apostolos fuisse repletos spiritu sancto;* [Actor. 6.] *sed longe dissimiliter à Maria: nec in Stephano habitauit plenitudo diuinitatis corporaliter, quemadmodum in Maria, nec Apostoli conceperunt de Spiritu S. quomodo Maria.* Eisdem etiam consentanea sunt

ver-

Chrysip. Iero. ser. de S. Mar.

verba CHRYSIPPI IEROSOLYMITANI: *Gratia plena, quia tecum est vniuersus gratiæ thesaurus, & totius lætitiæ, Rex cum ancilla, cum speciosa inter Mulieres speciosus forma præ filiis hominum, cũ puella impolluta is, qui significat omnia*: similique modo loquuntur HIER serm. de Assumpt. & GREG. NEOCÆSAR. hom de Annunc.

D. Athan. Ibid 44.

VII. FVIT deinde in B. Virgine secunda illa gratia habitualis animam deificans, vt docuit his verbis D. ATHANAS. serm: de S. Deipara: *hac de causa factũ est, vt gratia plena appellata sis, vtpote quæ omni gratia abundares, idq; per superuentum in te Spiritus sancti, ideoq; vultum tuum deprecantur omnes diuites plebis*. atque in hoc sensu intelligenda putant verba hæc *gratia plena*, D. AVG SOPHRONIVS, CHRYS. BEDA, & RVPERTVS, quos sequitur eruditissim⁹ MALDONATVS dicens: *Nec enim Angelus, qualis, cũ Christum concepisset, futura esset, sed qualis iam esset, illi voluit significare* & subdit: *si propterea gratia plena diceretur, quod Christo in vtero concepto plena esset postquã vero peperisset, gratia plena esse desiisset. Quod merito Athanasius in oratione illa de Deipara tanquam absurdũ refellit*: loquitur igitur Angelus ibi de gratia illa, per quam idonea facta erat Virgo, vt Christum mox conciperet.

D. August. in Enchir. c. 6. & serm 13. & 18. 21 Sophr. ser. de assumpt. Chrysol. serm. 142. Beda hom. de B. Vir. Ruper. li. 6 in Cant.

VIII. QVIA tamen multiplex in sacris Scripturis gratiæ plenitudo reperitur, vt facilius venari possimus, quęnam illarum Virgini conueniat, obseruasse oportebit, triplicem esse hanc plenitudinem. Prima, & omniũ potissima est, plenitudo gratiæ *superabundans*, vt verbis D. BONAVENTVRÆ vtar, quæ propria est Christi, quia *in eo* (vt loquitur PAVLVS) *habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter; & in eo sunt omnes thesauri sapiẽtiæ, & sciẽtiæ Dei absconditi*. Alia est plenitudo *gratiæ sufficiẽs*, quæ omnibus iustis datur, vt docet D. THOMAS 3. p. q. 7. art. 10. ad 2 vbi ait: *Est quædam gratiæ plenitudo omnibus sanctis cõmunis, vt scilicet gratiam habeant sufficientẽ ad merendum vitam æternam*. hac sufficientia dicũtur repleti Stephanus, & Apostoli, ille quidẽ gratia sufficienti, vt idoneus Christi testis, & protomartyr esset; illi vero, vt Apostolatus munere perfecte fungerentur Alia tandem plenitudo dicitur *prærogatiua*, quæ soli B. Virgini competit, vt auctor est D. BONAVENTVRA præcitato loco, vbi habet hæc verba: *Christus plenus fuit gratia plenitudine superabundãtiæ, quoniã de eius plenitudine nos omnes accepimus. Virgo plena fuit plenitudine prærogatiuæ, reliqui sancti pleni fuere plenitudine sufficientiæ*. Ad hanc plenitudinem, *prærogatiuæ*, pertinere arbitror id (quod de nullo reliquorum Sanctorum dici potest) in B Virgine fuisse iustitiam originalem, non quidẽ quoad effectus immortalitatis, & impassibilitatis, & similium, quos in statu innocentiæ causabat, sed quantum ad spirituales illos, ac mirabiles effectus cõstituendi perfectam subordinationem hominis ad Deũ & appetitus sensitiui ad rationẽ; hæc enim cũ ad perfectionem animæ pertineant, nõ est, cur dicamus negata fuisse Dei Genitrici, quæ alioquin primis parentibus concessa fuisse noscuntur. Ita docuerunt grauissimi Theologi Cardinalis CVSANVS, & Cardinalis DVRANDVS, DIONYSIVS, CANISIVS, & alii moderniores Doctor. Idq; vero similius fit, si vera est eorum sententia, qui affirmant, donũ iustitiæ originalis nihil prorsus esse præter gratiam in anima existentem, & virtutes omnes per se, & per accidens infusas in gradu heroico, quibus adiungebatur specialis Dei manutenẽtia, & custodia: hæc enim cum nemo Catholicus neget Virgini, & aliunde caruerit fomite, non est, cur iustitiam originalem ei defuisse putemus. Vnde D. BERNARDINVS, diuina Virginis charismata contẽplans, ex feruoris affectu, quo æstuabat, pie dixit: *Sicut diuinæ perfectiones omni intellectui incõprehẽsibiles sunt, sic perfectiones gratiarum, quas Virgo suscepit in conceptione filij Dei, soli intellectui diuino, & Christo, & sibi comprehensibiles extiterunt; & quidẽ quod Deus generaret Deũ, nulla requirebatur in Deo dispositio, cũ ei ex natura conueniret, vt per viam naturæ intellectus produceret verbũ per omnia sibi æquale, immo impossibile est, quod nõ generet Deũ, propter suã fœcunditatẽ; sed quod fœmina conciperet Deum, est & fuit miraculum miraculorum; oportuit enim (vt sic dicam) fœminam eleuari ad quandam quasi æqualitatem diuinam per quandã infinitatem perfectionum, & gratiarum, quam creatura nunquam experta est. Vnde (vt credo) ad illam abyssum imperscrutabilem omnium charismatum Spiritus sancti, quæ in beatam Virginem descenderunt in hora diuinæ conceptionis, intellectus humanus, vel angelicus nunquã potuerũt attingere: quod declarãs Angelus Gabriel, cum ab eo quæreret B. Virgo, & diceret: quomodo fiet istud, quoniã virũ nõ cognosco? respõdit Angelus, se tantũ mysterium ignorare, dicẽs: Spiritus S. superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: quasi diceret, quod à me quæris, ignoro, sed æternæ sapientiæ doctor, qui tibi solum hoc altissimum mysterium reseruauit, te per illuminatissimam experientiam edocebit*, hæc ille.

D. Bonau. in 3. de 13. qu. 3.
Ad Colos. 2.
D. Bonau. vbi supra.
Car. Cus. l. 8 cir. illud: sicut liliũ inter spinas.
Card. Duran. in 3. d. 3 qu. 3.
Dion. Carthu. li. præcon. & dig. Mart.
Canis. lib. 1 de Deip. c 9
Cord. late l. 1. q. 46.
D. Ber. ser. 61 de Virg. benedict. c. 12.
Luc. 1.

IX. VT tamen hæc Mariana plenitudo gratiæ nobis adhuc magis innotescat, placet manifesta illius signa, & indicia in mediũ producere Quatuor ergo obseruaui in his rebus materialibus *plenitudinis* nõ obscura argumẽta, primum est, non resonare, vt apparet in argenteo vase, quod si plenum vino percutias, non resonat. vnde apud IOB dicitur: *Nũquid mugiet bos, cum ante præsepe plenum fuerit?* Secũdum, nõ plus appetere, vt contingit stomacho cibis pleno, tunc enim ille non solum non appetit, sed nauseat supersuauissimas quasq; dapes, iuxta illud SALOMONIS, *Anima saturata calcabit fauũ*: Tertium signum est, ponderosum esse, vt constat etiam in vrna, quæ liquore vacua leuis, plena vero ponderosa redditur. Quartum tandem signum est, superfluere, vt videre est in fluuio inundante, ad quod alludit illud ECCLESIAST. *qui implet, quasi Phison sapientiam*: Phison n. est fluuius paradisi, qui ab eo egrediens, terrã Heuilath circuit, & inundat.

Iob. 7.
Prou. 21.
Eccl. 24.
Gen. 2.

X. HÆC eadem signa reperies quidem in Maria; variis siquidem tribulationibus percussa, maxime

Hym.in off. mart. ob crudelem ſui filij mortem, nullus in ea murmur
reſonuit: *Non murmur reſonat, non querimonia, ſed*
Philip.3. *corde tacito, mens beneconſcia, ſeruabat patientia:*
non appetiit caduca, quæ melius quam Paulus,
omnia tamquã ſtercora arbitrabatur, vt Chriſtum
lucri faceret; non leuis deinde, ſed tanti ponderis
fuit, vt eius merita in lance vna, reliquorum vero
omnium in lance altera locata, longe illa ſupera-
Prou.31. rent, Spiritu ſancto ei dicente: *Multæ filiæ congrega-*
uerunt ſibi diuitias, tu vero ſupergreſſa es vniuerſas. ac
tandem numquã per continua beneficia fluere ceſ-
ſauit, adeo vt non ſolum in homines, ſed & in An-
gelos, immo & in ipſum Deum ea effuderit, vt di-
D.Bernar. ſertis verbis dixit D. BERNARD. *De plenitudine eius*
ſup.miſſ. *accipiunt vniuerſi: captiuus redemptionem, cæcus illu-*
minationem, æger curationem, triſtis conſolationẽ, pec-
cator veniã, iuſtus gratiam, Angelus lætitiã, filius Dei
Pſalm. 18. *humanæ carnis ſubſtantiã; & tota Trinitas gloriam, ita*
vt non ſit, qui ſe abſcondat à calore eius. Atq; hinc eſt,
Eccl.in lau.B.Vir. quod ECCLESIA CATHOLICA, diuino ſpiritu afflata
Deiparam Mariam, *Matrem gratiæ, matrem miſeri-*
cordiæ, immo & vitam, & dulcedinem, ac ſpem noſtrã
piiſſime vocitare conſueuit. Vnde D. AVGVSTINVS
lib. de S. Virginitate dixit: *Mater eſt ſpiritu omnium*
fidelium, & membrorum Chriſti, quia cooperata eſt
charitate, vt illi in Eccleſia naſcerentur.

XI. TANTA autem huius matris fœcunditas eſt
in ſpiritualium filiorum procreatione, vt ipſa pro-
Eccl.24. clamet: *Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, &*
à generationibus meis adimplemini. Vnam tantum
generationem, ſicut & vnicum tantum filium ha-
buiſſe Deiparam Mariam fides Catholica docet;
vocat autem eã plurali numero, *Generationes*, quia
vnica illa Virginis generatio, qua Deum & homi-
nem genuit, cauſa, & origo eſt omnium ſpiritualiũ
generationum, quibus in filios Dei per fidem, &
charitatem regeneramur, & renaſcimur. Vnde fit,
Eccl.20. quod *ſicut à muliere initium peccati, & per illam om-*
nes morimur, vt ait ECCLESIASTICVS; ita à muliere
ſuper omnes mulieres benedicta initium ſumpſit
noſtra ſalus, & vita: quare egregie, vt aſſolet, Sera-
phicus noſter D. BONAVENTVRA, tam ex ſua quam
D.Bona.h. ex D. BERNARDI ſentẽtia, dixit: *Ipſa quoq; nõ ſolũ in*
op.de ſpe. *plenitudine ſanctorũ detinetur, ſed etiã in plenitudine*
B.V.c 7. *ſãctos detinet, ne eorũ plenitudo minuatur; detinet ni-*
mirũ virtutes, ne fugiant; detinet merita, ne pereant;
detinet dæmones, ne noceãt; detinet filium, ne peccatores
percutiat; ante Mariã non fuit, qui ſic detinere Dominũ
Iſa.64. *auderet, teſtante Iſaia: non eſt, qui inuocet nomen*
tuum, qui conſurgat & teneat te: ſi ergo peccator es, &
reconciliari Deo deſideras; aut ſi iuſtus es, & in gra-
tia conſeruari cupis, ne quæſo ceſſes inuocare Ma-
riam: nam quemadmodum vas liquore valde ple-
num perfacili motu copiam facit ſui, &, quod cõ-
tinet, elargitur; ad eundem modum *plena gratia*, &
miſericordia tibi ab Angelo Maria proponitur, vt
intelligas, vel leuiſſimo orationis contactu fauorẽ
ſuũ ac maternam cliẽtelã piiſſime ipſam exhibitu-
ram. Cognouit certe hanc Marianæ clementiæ
affluentiam Rex ille Britanniæ Arcturus, qui cum
ſe infeſtiſſimis hoſtibus circumdatum, & pene iam
regni ſui imperio ſpoliatum cerneret, tandem ad
ſe reuerſus, hoc vnum bello illi cruento adinuenit
remedium; in interiori clypei, ſeu ſcuti parte per-
pulchram Deiparæ Virginis effigiem depingi fecit;
& quoties congreſſurus erat cũ hoſte, eleuans bra-
chium, in quo pendebat ſcutum, oculorum aciem
in Mariæ imaginem conuertens, & ab ea opem im-
plorans, acriter irruebat in hoſtem, ſemperque vi-
ctoriam ex Mariæ auxilio reportabat: Cui ſit ho-
nor, & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

HOMILIA VII.

Plenitudinem Marianæ gratiæ proſequimur, oſten-
dentes illam adeo creuiſſe, vt ſolius Virginis gratia
omnium Sanctorum, tam Angelorum, quam ho-
minum gratiam in aceruum vnum redactam
præcelleret, in illa verba: Aue gratia plena.

I. 
NTER alia non pauca, quib. bea-
tiſſima Virgo magnitudinem Dei
æmulatur, illud vnum excellen-
tiam eius mirifice detegit, quod
ſicut ad cognitionem diuinæ na-
turæ duplici via, affirmationis, &
negationis, nobis incedendum eſt, vt ex antiquiſ-
ſimo DIONYSIO AREOPAGITA docuit Diu. THO- D. Diony.
MAS, ita ad immenſitatem Marianæ perfectionis Areop. de
non quidem penitus exhauriendam, id enim ſoli Ang. hie.
Deo reſeruatur, ſed ad eam pro modulo noſtro pe- D.Th.pp.
netrandam, affirmationis ſimiliter, & negationis
duplex iter nobis arripiendum eſt. Negatio qui-
dem, quid diuinæ naturæ non conueniat, contem-
platur, vnde vt ad Deum per cognitionem acce-
dat; creaturas aufugit; fatetur enim Deum non eſſe
cœlum, non ſolem, non lunam, non Angelum, non
Seraphinum, aut Cherubinum, neque quidpiam a-
liud creatum; & hinc infert; aliquid aliud eſſe præ-
ſtantiſſimum bonum, longe hæc omnia tranſcen-
dens. Affirmatio vero è cõtra, Pauli veſtigia ſequẽs Rom.1.
dicentis: *Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intelle-*
cta conſpiciuntur, ex creaturarum attenta conſide-
ratione innumeras perfectiones creatori tribuit,
quia tamen illæ in creaturis non aliter reperiũtur,
quam multis imperfectionum næuis permixtæ, hac
induſtria vtitur, quod ſicut artifex ad ignẽ fornacis
fundens aurum, terra aut plumbo permixtum, mũ-
dum inde extrahit illud, vt vas conficiat, ita mens
noſtra præſcindens, diuidens ac ſeparans aurũ per-
fectionum, quod in creaturis intuetur, à terra &
plumbo imperfectionum, quibus admiſcentur, eas
ab illis emũdatas Deo optimo maximo tribuit. Ob-
ſeruat quidem in creaturis pulchritudinem, ſapiẽ-
tiam,

tiam, prouidentiam: at videns hæc in illis esse accidentia, quod imperfectionem importat, hāc intelligentiæ acumine remouens ab illis, reliquū quod perfectionis est, Deo adscribit.

II. EQVIDEM contemplantes Deum hac duplici negationis & affirmationis via, persimiles esse dixerim duobus accipitribus, quorum vnus volantem per aera ardeam, vt eam fortius insectetur, ab ea recedēs, quasi eius obliuisci se simulat, quod Hispanice dicitur: *haze vna punta para cobrarbuelo con mas ligereza*, vt sic securius ardeam aucupetur; altero vero suæ velocitati fidens, recto tramite volatum suum ad illam dirigens, eam apprehendere tentat, & quanto illa altius euolat, tanto ipse sublimius conscendit, vt tandem prędam rapacibus vnguibus suis capiat; non dissimiliter Dei contemplationi vacantes, alter per viam negationis, alter affirmationis diuinam naturam cognoscendam, velut ardeam sectantur, aliter tamen & aliter: ille quidē, quasi recedens à Deo, negationis viā complectens, *haze punta como alcon*, vt illam comprehendat: vnde D. DIONYSIVS de cœlesti hierarh. frequenter hanc viam negationis ingressus dicebat: *Ad hanc lucidam caliginem accedentes oramus, vbi & non videre, & non scire est Deum, qui est super omnia, ex omniū ablatione celebrare*. in huius quidē caliginosæ cogitationis figuram lego in Exodo, quod quando Moyses ex diuina visione cum Deo confabulaturus montem ascendit, Dominus nebula verticem montis cooperuit, in cuius caliginē Moyses ingressus est, vt melius Dei voluntatem agnosceret; persimile quidpiā accidit Eliæ, Deo ante ipsum transeunte: ipse quidē, vt eū agnoscere posset, pallii sui velamine proprios cooperuit oculos: ecce quomodo Moyses, & Elias à creaturarum intuitu se subtrahunt, vt Deū melius contemplentur; ecce quomodo nebulæ, & pallij velamine oculos operiunt, vt luci diores, ac perspicaciores ad diuinā cognitionem illos habeant.

Exod.24.

III. VT hæc tamen magni DIONYSII doctrina magis innotescat, sensibili quodam exemplo illam placet elucidare. Sicut enim sapiens statuarius volens pulchram imaginem ex lignea materia fabrefacere, non eam conficit aliquid ei addens, sed potius amplius, & amplius ab ea detrahens, quo fit vt aliquid semper ab ea demēdo, pulchrā faciē, congruāq; membrorū cōpaginem confingat; ita simili artificii genere vtens D. Dionysius Areopagita, volens perfectā Dei idęam mente sua conficere, nō aliquid ei addebat, quia nihil in creaturis, quod imperfectione careret, reperiebat, cum omnes expotētia, & actu, genere, & differentia compositas, variisq; mutationibus obnoxias intueretur; vnde non aliter Dei idæam sibi effingebat, quā omnes creaturarū perfectiones lōge ab eo propulsans, ac remouens; & hoc est, vt ipse dixit: *Deum, qui est super omnia, ex omniū ablatione celebrare*. E contra vero viā affirmationis ingressus D. AVG. dicebat: *Deū meum quæro, quæro quandā lucē super omnē lucem; quandam sapientiam super omnē sapientiā*: sicut enim qui amœnū hortū variis floribus consitum ingrediens, ex multiplici florū varietate fasciculum sibi conficit, maiore suaueolentia fragrātem, quam singuli flores, ita sanctus Doctor viam affirmationis perambulās, varias creaturarum perfectiones, quib⁹ velut odoriferis plantis consitus est amœnus huius mundi hortus, diuinæ naturæ idæam quandā, velut fasciculum sibi effingebat, ex omnibus creaturarum perfectionibus, flosculis contextum, ad quē intuens Deum, vastissimum, ac immensum omniū perfectionum pelagus esse agnoscebat.

D. Aug. in Confess. & in soliloq.

IV. CVM igitur B. Virgo sit, quæ inter puras creaturas diuinas perfectiones cumulatius, & vberius participat, oportet quidem, si sanctitatis eius excellentiam, ac plenitudinem Gratiarum venari cupimus, varias illas negationis, & affirmationis vias ingredi. Cum enim filius, & mater sint relatiua, & isthæc (vt dixit Philosophus) *sint simul natura, & cognitione*: eisdem quidem itineribus, quibus ad filij cognitionē venimus, ad matris notitiam nobis appropinquare oportet; & quidem cū B. Virgo medium sit inter Deum, & reliquas creaturas, ita vt illū non exæquet, has vero longe præcellat, bifariā negationis viam ingredientes, Deiparæ laudes in hunc modū decantabimus: Deus infinite potens est, infinite sapiens, infinite bon⁹, infinite misericors, infinite diues, infinita deniq; omnium perfectionū abyssus; remoue hanc infinitā, & reliquū si Mariæ tribueris, non errabis. Similiter in creaturis singulas perfectiones cōtēplare, in terra stabilitatē, in aqua virtutē purificantē, in aere subtilitatē, in igne caloris vim penetrantem, in cœlis incorruptibilitatem, in sole irradiantem claritatem, in luna fulgentem splendorem, in Angelis tandem miram puritatem, limpidissimam Creatoris, & creaturarum intelligentiam, ac ardentem Dei amorem: has ergo omnes perfectiones cum limitatione, remissione, & imperfectione, qua in relatis creaturis reperiuntur, longe à Maria semoue, si quidpiam illius excellentiæ intueri desideras; est enim stabilior terra, mundior aqua, subtilior aere, penetrabilior igne, incorruptibilior cœlis, mobilior planetis, splendidior luna, lucidior & rutilantior sole, purior Angelis, sapientior Cherubinis, ac amore ardentior Seraphinis.

Arist. in prædicam. ad alia.

V. SI tamen affirmationis viam amplectamur, varias contemplemur perfectiones, & imperfectiones creaturarū, quibus admixtę sunt, ab eis secernentes, & separantes, reliquum, quod remanserit, Deiparæ adscribamus; idcirco enim ipsa, quę maior est omni laude, dixit: *In me omnis gratia viæ, & veritatis*. In Angelis certe simul fuit Deus condens naturam, & largiens gratiam, potentiam tamen ad peccandum, dum viatores erant, ab illis non abstulit; tolle tu hanc potentiam, quod imperfectionem redolet, & reliquum tribue Mariæ, quæ simul sortita fuit naturam, & gratiam, tam excellenti confirmationis dono stabilitam, vt pecca-

Eccles.1.

care non posset, quæ per Dei gratiam impeccabilis facta erat. Similiter in vere pænitentibus adest cõtritio, quæ dolor est de propriis peccatis propter Deum summe dilectum; remoue tu imperfectionem, quam propria important peccata, & reliquum inuenies in Maria ab omni imperfectione semotum, nempe dolorem intensissimum de alienis peccatis propter Deum summe dilectum, qui feruentissimus est charitatis actus. In Virginibus adest integritas, sed cum sterilitate coniuncta, in nuptis reperies fœcunditatem cum iactura, integritatis admixtam; amoue quæso a virginitate sterilitatem & à fœcunditate corruptionem, & quod reliquum est, in Maria constitue: & inde pullulabit virginitas cũ fœcunditate copulata, vt propterea de ea dicatur: *Nec primam similem visa est, nec habere sequentem; gaudia matris habens cum Virginitatis pudore.* Ac tandem antiqui Prophetæ Christum venturum expectarunt, sed non viderũt, Apostoli viderunt, sed in fide eius multi vacillarunt, quidam vitam contemplatiuam cum Maria Magdalena sectantes, Marthæ sororis merito carent; è contra vero actiuam vitam cum Martha complectentes, suaui Mariæ quiete, ac dulcissimis sponsi amplexibus priuantur; at in Deiparam Mariam isthæc omnia cœlestia charismata confluxisse, ab omni tamen imperfectione secreta intuere; expectauit quidem Christum venturum, at simul etiam & genuit & vidit, & nutriuit, & vbere de cœlo pleno lactauit, fidem eius tenacissime tenuit, & contemplatiuæ pariter, & actiuæ vitæ filium suum contemplando, & eidem inseruiendo, & ministrando indefessa semper æmulatrix extitit.

In offi. Nat. Domini.

VI. Vt hanc tamen affirmationis viam latius aperiamus, plenitudinem gratiæ, qua B. Virgo diuinitus fuit donata, diligenter scrutemur, & luculenter ostendamus, tum priscorum Patrum monumentis, tum solidissimis argumentis ab ipsa ratione petitis; quo duplici probationis genere ostentare adnitar, plenitudinem gratiæ beatæ Mariæ non solum singulorum sanctorum, sed & multiplicem omnium gratiam, etiamsi in vnum illæ confluerent, longe superare. Et quidem, vt à magis notis exordiamur, communis est Patrum sententia, Mariam gratia, ac sanctitate singulos sanctos tam homines quã Angelos valde præcellere; huius veritatis primũ testem profero D. IACOBVM in sua Liturgia dicentem: *Dignum est, vt te vere beatam dicamus, Deiparam honorabiliorem, quam Cherubim, & gloriosiorem, quam Seraphim, quæ sine corruptione Deum peperisti.* IDIOTA lib. 6. Tomo 3. Biblioth. sanctæ: *Sanctorum omnium priuilegia; ô Virgo, omnia habes in te congesta, nemo æqualis est tibi, nemo maior te nisi Deus.*

S. Ephræm. de laud. Mariæ. Sãctus Ephræm: *Intemerata prorsusque pura Virgo Deipara, Regina omnium, sublimior cœlicolis, purior solis radiis, & splendoribus, honoratior Cherubim, & multo oculis spiritibus sanctior Seraphim, & nulla comparatione cæteris omnibus superis exercitibus gloriosior.* & ibidem inquit: *Nulla comparatione omnibus superis exercitibus gloriosior præstantissimum Orbis terræ miraculum, omnium sanctorum corona, ob fulgorem inaccessa.* D. ANSELMVS: *Decens erat, vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum, tamquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus, idemque communis Dei Patris, & Virginis filius, & quam ipse filius substantialem facere sibi matrem eligebat, & de qua Spiritus sanctus volebat, & operaturus erat, vt conciperetur, & nasceretur ille, de quo procedebat,* &c. D. Ansel. in li. de cõcept Virg. c. 18. Cardinalis DAMIANVS idem etiam sermone de Natiuitate Mariæ: *Quid sanctitatis, quid iustitiæ, quid religionis, quid perfectionis singulari huic Virgini deesse potuit, quæ totius diuinæ gratiæ charismate plena fuit; sic namque ab Angelo dum salutaretur; audiuit; Aue gratia plena, Dominus tecum; quid ergo vitii in eius mente, vel corpore vendicare sibi potuit locum, quæ ad instar cœli plenitudine totius diuinitatis meruit esse sacrariũ? In Christo enim (sicut per Paulũ dicitur) habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter; nec mirum, si cunctorũ merita transcendat mortalium quæ & ipsã superexcedit celsitudinẽ Angelorum.* Lucæ 1. ad Coloss. 2. Idem eodem loco: *Etsi multa magna facta sunt in creaturis mundi, nihil tamẽ tam excellens, tam magnificum fecerunt opera digitorum Dei,* &c *excipe semper Christi humanitatem;* LAVRENTIVS IVSTINIANVS in serm. de natiuitate Virginis: *Nullus* (inquit) *mortalium, quamuis donorum cœlestium numerositate sit præditus, Virgini valet coæquari, Patriarcharum vtique, Prophetarũ, Apostolorum, Martyrum omniumque Sanctorum merita Beata Maria transcendit.* Diuus EPIPHANIVS: *Solo Deo excepto, cunctis superior exstitit.* & ANDREAS CRETENSIS, Archiepiscopus Ierosolymitanus in tractatu de Assumpt. Virg. D. Epiph. in orat. de lau. Virg. *O Virgo* (ait) *Regina omnis humanæ naturæ, quæ habes non comparabilem cum aliis appellationem; quæ excepto Deo solo es omnibus altior.* Diuus IDELPHONSVS sermone 2. de Assumpt. *Sicut est incomparabile, quod gessit, & ineffabile, quod percepit, ita est incomprehensibile præmium gloriæ quod meruit.* D. ATHANASIVS sermone in Euangelium de sanctissima Deipara in hunc modum loquitur: *Spiritus sanctus in Virginẽ descendit cum omnibus virtutibus essentialibus, induens eam gratia; vt in omnibus gratiosa esset, atque idcirco gratia plena cognominata est, eo quod ab impletione Spiritus sancti omnibus gratiis abundaret.* D. GREGOR. in cap. 1 Regum in illa verba ISAIÆ: *In illa die erit præparatus mons domus Domini in vertice montium;* inquit: *mons quidem fuit beatissima Virgo Maria, qui omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit; mons quippe fuit in vertice montium, quia altitudo Mariæ super omnes Sanctos refulsit.* ac tandem doctissimus BAVXAMIS tomo 1. Euang. armoniæ in illa verba: *gratia plena,* pie & erudite dixit: *Non sine gratia fuit Sara, Rebecca, Rachel, Debora, Susanna, Iudith, vt illis conferrentur insolita quædã beneficia, quanto magis Maria plena gratia erat, vt nobis Deum, & redemptorem nostrũ pareret? Sed & Apostoli repleti sunt Spiritu sancto, & Stephanus ple-*

Actor. 2. Actor. 6.

nus plenus fuisse gratia, & fortitudine legitur, quanto plenior Virgo? nec id quidem ei plenitudini, quæ in Christo est, præiudicium facit. Nam & in ipso omnem diuinitatis plenitudinem corporaliter inhabitasse, & non ad mensuram datum esse spiritum, & plenitudinem omnem effusam esse credimus; non autem pari gradu Mariam accepisse, sed quantum electa creatura præter vnionem cum Deo hypostaticam capax esse potest, Deo illam seligente, & perficiente; ita de Virgine dicere possumus, quod Ecclesia; eligit eam Deus, & praelegit eam; nam si omnia parari debuerunt in propitiatorio Mosaico, quanto magis sanctificauit illud suum Tabernaculum Altissimus? hæc ille.

Ec. off. B. V

S. Bernar. Senens. to. 1 ser 61. art. 3. c. 30.

VII. Cæterum, altius ac sublimius de intemerata Virgine Deipara Maria cogitans, arbitror cum nostro D. Bernardino Senensi, huius opinionis vexillifero, plures illam gradus gratiæ obtinuisse, quam omnes Sanctos simul, ita vt plenitudo gratiæ illius excedat cunctas Sanctorum gratias, etiamsi mente concipiamus, illas omnes in vnam intensissimam gratiam redigi, sic enim loquitur S Bernardin. Posui diadema regni super caput eius, & voluit eam esse Reginam Esther 1. Istud est diadema speciei, & corona gloriæ, qua Virgo super Angelos coronatur, vt intra Trinitatis gloriam ipsa sola amplius sit euecta, ac plus beatissimæ Trinitatis diligat gloriam, capiat, sentiat, & fruatur, quam omnis alia pura creatura simul sumpta, de cuius gloria post filium participant vniuersi. & latius idem sanctus Bernardin. art. 2. de exaltatione B. Virginis cap. 8. Quinta excellentia Virginis capacitas dicta est; secundum enim Dionysium, in regno cœlorum omnium inferiorum dona in superioribus in tanta praexcellentia sunt, quod quasi nulla est comparatio, nisi sicut est circumferentia ad suum centrum. Cum ergo B. Virgo super omnem ordinem sit, in tantũ quod per se faciat ordinẽ incõmunicabilẽ, sequitur, quod super omnes inferiores ordines, tã Angelorũ, quã hominum simul sumptorum ipsa improportionabiliter, & quidquid est gloriæ in omni inferiori glorificata natura, tam Angelica, quam humana, multo præexcellentius est in Virgine matre Dei. Nec dubium hoc reddat omnium Beatorum aliorum multitudo numerosa, & magna, quia hoc nihil facit ad rem maioritatis gloriæ essentialis, seu substantialis: nam in spiritualib. id est maius, quod melius reputatur; vnde plus de substantiali gloria est in vnico Seraphino, quam in reliquis omnibus ei inferioribus. quantum ergo ordo superior superat ordinem immediate sibi coniunctum, tantum gloria matris Dei, omne quod ei inferius est.

Esther. 1.

VIII. Scio nonnullos plus sapientes, quã oportet sapere, parumque de B. Virgine bene meritos, dicere D. Bernardinum aut non tam veraciter, quã hyperbolice locutum fuisse; aut si hanc tenuit sententiam, valde singularem in ea extitisse, quã nullus antiquorum Patrum docuit. falluntur tamen, quia si Patrum monumenta diligẽter euoluissent, reperissent sane quam plures eidem sententiæ non obscure adstipulari, nam præter D. Epiphanium, D. Anselmum, & D. Bonaventuram vocãtes gratiam Virginis immensam; D. Ioan. Damascenus plenitudinem gratiæ, quam Deus Virgini communicauit, Gratiæ abyssũ appellauit, & orat. 1. de dorm. Virg. id magis explicans, dixit: Dei matris, & seruorum Dei infinitum est discrimen. & orat 2. de assump. inquit: solo Deo excepto, cunctis superior existis, cui prædicandæ nec hominum, nec Angelorum lingua sufficit. Deinde D. Chrysostomus in serm quem Ecclesia refert in festo natiuitatis Mariæ: Magnum re vera miraculum, fratres dilectissimi, fuit semper B. Virgo Maria; quid namque illa maius, aut illustrius vllo vnquã tempore inuentũ est, seu aliquando inueniri poterit? hæc sola cœlum, ac terrã amplitudine superauit; quidnã illa sanctius? non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique aliud quidpiam inter creatas res visibiles, aut inuisibiles maius, aut excellẽtius inueniri potest. B. Petrus Damianus Cardin. serm de natiu. Virg. Quid grandius Virgine Maria, quæ magnitudinem summæ diuinitatis intra sui ventris conclusit arcanum? Attende Seraphin, & videbis, quidquid maius est, minus Virgine, solumque opificem opus istud supergredi; & non infra gloriã, quæ eam ex hoc mundo transeuntem excepit, principium ignorat, nescit finem, de qua nihil aliud possumus dicere, nisi quia gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei, & serm. de assumpt inquit: Inter animas Sanctorum, & Angelorum choros supereminens & euecta, merita singulorum, & omnium titulos antecedit: & ibidem ita dicit: superare Virginem alios sanctos in gratia, sicut sol in luce, & claritate stellas excedit: ac tandem de eadem Virgine sic loquitur: in illa inaccessibili luce perlucens, sic vtrorumque spirituum hebetat dignitatem, vt sint, quasi non sint, & comparatione illius nec possint, nec debeant apparere. B. Lauren Iustin. apertius inquit: Merito quidquid honoris, quidquid felicitatis habebatur in singulis, totum abundat in Virgine; hinc sanctorum admiratio de Maria D Bonav. opusc. de laud. Virg c. 6 Plena est Maria inundatione gratiæ in affectu, tanta nempe inundatio gratiæ, tanta profunditas, & magnitudo fuit in Maria, vt ipsa bene mare plenum dici possit, iuxta illud: Tonet mare, & plenitudo eius; sicut in mari aquarum sic in Maria sunt congregationes gratiarum, vnde scriptum est: Congregationesque aquarum appellauit, Maria dicitur quoque in Eccl. omnia flumina intrant in mare: omnia flumina sunt omnia gratiarũ dona quæ intrauerũt in Mariã, iuxta illud Sapientis; In me omnis gratia viæ, & veritatis. Quam plenũ sit hoc mare, quam plena gratia sit Maria, B. Hieronymus aperit dicens: bene plena, quia cæteris per partes præstatur. Maria vero simul se tota infundit plenitudo gratiæ. hæc S Bonauentura, qui ibidem etiam afferens illud Eccl. In plenitudine sanctorũ detentio mea: ex doctrina D. Bernar id explicat in hunc modũ; ideo in plenitudine sanctorum Maria detentio fuit, quia in mirifica perfectione sua plenitudo perfectionis omniũ sanctorũ illi nõ defuit. idẽ quoque S. Bonaventura in specul. Virg. ait: Immẽsa fuit gratia, qua Virgo fuit plena, immẽsũ enim vas non potest esse ple-

D. Epiph. or. de lau. Virg.

D. Ansel. l. de excell. Virgin. c. 8.

D Bon in spec. V c. 5.

D. Damas. ora. 2. de as.

1. Paral. 16

Gen. 1.

Ecclef 1.

Eccles. 24

Eccles. 14.

plenum, nisi immensum sit istud, quo est plenum: Maria autem vas immensissimum fuit, ex quo illum, qui cœlo maior est, continere potuit. Tu immensissima Maria capacior es cœlo, quia quem cœli capere non poterãt, tuo gremio contulisti; tu capacior es mundo, quia quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera, factus homo; si ergo Maria tam capax fuit ventre, quanto magis mente? & si capacitas tam immensa, fuit gratia plena, oportuit vtique, quod gratia illa, quæ tantam implere potuit capacitatem, esset immensa, quis immensitatem Mariæ potest mensurare? ecce quod dicitur Ecclesiast. Eccl.1. *Altitudinem cœli, latitudinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est? cœlum est Maria, terra abyssus est, quis huius cœli altitudinem, quis huius terræ latitudinẽ, quis huius abyssi profunditatem, quis (inquã) Mariæ immensitatem dimensus est, nisi ille solus, qui ipsam non solum in gratia & in gloria, sed etiam in misericordia, tam altam, tam latam, tam profundam operatus est?* hæc D. Bonauẽtura. accedit B. ANDREAS CRETENSIS, qui beatam Virginem sermone de eius dormitione, inuocat in hæc verba: *O sancta, & sanctis sanctior, & omnis sanctitatis sanctissime thesaure.* & D. PETRVS CHRYSOL. considerans plenitudinem gratiæ Virginis comprehendere omnes gratias in reliquos sanctos diuisas, sapienter vocauit Mariam: *collegium sanctitatis.*

IX. NEC desunt, præter Patres, moderniores Theologi magni nominis eidem sententiæ adscribentes; nam doctissimus DION. lib.1. de laud. Virg. sic scribit: *Sanctitate Virginis maior esse non potest, non quia Deus absoluta sua potentia ampliorem, nedũ Virgini, sed alii quoque præstare possit, sed nec decet, nec vtique fiet. sanctitate ergo Mariæ maior sub creata filij eius sanctitate intelligi, esseque nequit; tum quia neque in præsenti vita eius sanctitatis magnitudo ad plenum comprehendi valet, etiam quæ in terris est. Incomprehensibilis enim (vt ait Ambros.) incomprehensibiliter operabatur in Matre; tum quia ampliorem alicui impertiri neque decet, neque continget:* & rursus: *quoniam Mariæ sanctitas quodammodo iuxta præostensa, infinita est.* hæc DIONYSIVS. GVGLIELMVS PARISIENSIS in Rosario aureo ait: *Si gratiæ omnium Sanctorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrũ, Confessorum, Virginum, & omnium electorum, etiam comprehensis nouem ordinibus Angelorum, ponerentur in vna statera, & sola gratia huius Virginis in alia, multo grauior appareret.* Franc. Suar. FRANCISCVS etiam SVAREZ vir hoc nostro sæculo pietate insignis, ac doctrina celeberrimus, postquam in comment. 3. p. ad q.37. pie & erudite, auctoritate, & ratione hanc confirmasset sententiam, tandem ait: *Accedit, quod cum ante viginti annos in Academia Salmanticensi rogatus à grauibus viris quæstionem hanc disputare, atque definire fuerim aggressus, cumque in hanc sententiã valde propenderem, rei nouitate detentus, eam proprio iudicio, ac sententia definire ausus non fui, donec Doctores sapientissimos, & in rebus theologicis valde versatos consului; quibus omnibus pia, atque probabilis hæc sententia visa est,* hęc ille. Consentit ei dẽ eruditissimus BARRADIVS in concord. euang. vbi adductis nonnullis Auctoribus hanc sententiam amplexãtibus, inquit: *Cui etiã subscribo, quod pietati sit consentanea.* Barrad.l. 6.cap.10. Eandem etiã defendit ante illos HENRICVS HENRIQVEZ lib. de fine hominis ad c.10 nec nõ & MAVRITIVS de vita Deip. Mar. vbi refert reuelat. B. Virg. S. Thomæ Cantuar. in hunc modũ loquentis: *Maiorem gloriã habet ipsa sola, quã omnes simul Angeli, & Sancti:* & multis retro annis vir non parũ eruditus, ac de B. Virgine bene me it*, BERNARDIN. de BVST. li. de Annun. ser. 5. *In tantum fuit Maria præ maxima gratiæ plenitudine põderosa, quod si ipsa sola in vna statera poneretur ex vna parte, & cæteri omnes sancti, tam noui, quam veteris testamenti, & omnes Angeli in alia, ipsa amplius ponderaret.* Deinde eandẽ amplectitur insignis Cõcionator ANGELVS COELESTINVS super cap.1. Lucæ serm.13. in illa verba: *gratia plena:* quos secutus HONVPHRIVS MANESCAL serm. de Annun. ciat. B. Mariæ in hunc modum scribit: *In dubium verti potest, an gratia Virginis Mariæ sit maior gratia reliquorum omnium sanctorum, etiamsi simul reliqui sancti sumantur? respõdendum mihi videtur, tantam communicasse Deum optimum maximum gratiam Virgini Mariæ, vt hæc maior appareat, quam sit gratia reliquorum omnium sanctorum.*

X. NE tamen cuipiam hæc nostra sententia difficilis creditu videatur, in memoriam reuocet quęso egregia illa verba ANDREÆ CRETENSIS serm. de dormitione Deiparæ, quæ etiam reperio apud EVTHYMIVM serm. de Zona Virginis, vbi aiunt: *Si quid, quod nos superat, in ea diuina operata est gratia, nemo miretur, intuens ad nouum & ineffabile, quod in ea peractum est mysterium, ab omni infinitate infinities infinite exemptum.* Sane cum celsitudinem animus contemplatur immensæ dignitatis Dei Genitricis, ad quam Maria fuit euecta, ingenue fatetur, quidquid pie in eius laudibus dicitur, minus certe esse, quam dignitas eius mereatur. Sed pergo iam hoc idem argumentum firmissimis rationibus constabilire.

XI. PRIMA Ratio: Ad cuius intelligentiam suppono, tam esse verum, quam tritum illud Philosophorum placitum, cuius meminit D. THOMAS 3. p. q.37. art. 5. *Quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis communicat effectum illius principij:* vt à Sole, qui est principium luminis, & ab igne, qui est principium caloris, quo plus quis eis accedit, tanto magis illuminatur, & calefit; vnde D. DIONYSIVS lib. de cœlesti hier. dixit: *Angeli, qui sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus diuinis:* ex quo fit, quod Angeli infimi ordinis exigua quæque nunciant, Archangeli, qui sublimiores sunt, nonnisi magna, & excelsa euangelizant; Principatus autem quia his altiores sunt, principantur omnibus cœlestibus spiritibus, diuinas iussiones explentibus: his celsiores Virtutes potestatem habent super corporalem naturam in operatione miraculorum; istis superiores Potestates arcere possunt malos spiritus, non secus ac ter-

ac terrenæ arcent à Republ ca malefactores; his celsiores Dominationes præscribunt & præcipiunt aliis ea, quæ ad diuina pertinent mysteria; his altiores Throni, Deum familiariter in seipsis recipiunt, & diuina exercent iudicia, his celsiores Cherubini supereminent, diuina agnoscentes secreta; his superiores Seraphini, ardentes, Deo perfectissime vniti, & in eum præ amoris ardore transformati: ecce quomodo quanto magis aliquid appropinquat primo principio in aliquo ordine, tanto magis participat effectum illius primi principii. Cum ergo B. Virgo super omnes puras creaturas coniunctissima fuerit Christo Domino perenni gratiæ foi t, quem IOAN. vidit *plenum gratiæ & veritatis*, & qui origo, & principium ipsius gratiæ erat, iuxta illud IOAN. *gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*: reliquum est, ipsam abundantius omnibus diuinæ gratiæ charismatibus perfu am fuisse. Ad quam quæso creaturam, præter Mariam, dictum est: *Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum*, aut; *quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.*

Ioan.1. *Ibid.* *Luc.1.* *Ibid.*

XII. QVOD si hanc Virginis cum Deo coniunctionem clarius intueri cupitis, in memoriam reuocate, ab æterno, & in tempore strictissimam omnium fuisse, vltra quam dici possit; cum enim Christus *Dominus prædestinatus fuit, vt esset filius Dei* (PAVLI verbis loquor) etiam prædestinatus fuit, vt esset filius Virginis, & consequenter oportuit Virginem cum Christo prædestinari: ecce quomodo ab æterno nihil filio coniunctius, quam mater: vnde ipsa dixit: *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram*, scilicet in diuina prædestinatione. In tempore etiam, quis non videat nullam creaturã arctiori vinculo Christo Domino copulatam fuisse, quam Mariam, ex cuius purissimo sanguine ipse carnem assumpsit, & materiam ab ea subministratam hypostaticæ vnionis nexu diuini Verbi personæ intime coniunxit? hanc miram Virginis cum Christo coniunctionem perpendens D. THOM. dixit: *B. Virgo Maria tantam gratiæ obtinuit plenitudinem, vt esset propinquissima auctori gratiæ, ita quod Deum, qui est plenus omni gratia, in se reciperet*: & DION. de præconio Virg. lib. 1 art 8 inquit: *Palam est, Christum sine mensura omnis gratiæ plenitudinem obtinuisse, huic plenitudini, gratiæque infinitæ Maria vehementer appropinquat.*

Rom.1. *Eccl.24.* *D.Tho.3. p.q.27.art. 5.ad1.*

XIII. FINXERE quondam Poetæ Principem poeticæ artis, suaui illo montis Parnassi liquore plenum adeo esse, vt propter exuberantem eius plenitudinem in terram præ magno illius pondere decideret; tunc reliqui poetæ ad illum accedentes, singuli, prout poterant, ex liquore illo vasa sua implebant; vnde apti ad varia poemata contexenda permanserunt; at Mantuanus Poeta proximius, quam reliqui Poetæ, ei se approximauit, & quia maius vas secum detulit, plus de Parnassi liquore participauit: non dissimiliter cum Christus Dominus diuinæ gratiæ liquore plenissimus esset, iuxta illud IOANNIS: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis*: multi ad eum accesserunt, vt fluenta gratiæ illius participarent, vnde ipse IOANNES subiunxit: *De plenitudine eius omnes accepimus.* Apostoli ab hoc inexhausto gratiæ fonte hauserunt euangelicam doctrinam, Martyres fortitudinem, Doctores sapientiam, Confessores cõstantiam, Virgines puritatem, Pontifices Apostolicam potestatem; ac tandem Sacerdotes remittendi peccata auctoritatem; Maria autem, quia propinquissima omnium extitit huic perenni fonti, & per excellentiorem suam dispositionem capacius vas secum deferebat, plus illis omnibus simul de plenitudine gratiæ illius accep t.

Ioan.1. *Ibid.*

XIV. SECVNDA Ratio sit, quia cum B. Virgo sit exaltata super omnes choros Angelorum, vt sancta confitetur Ecclesia, necesse est, vt inter omnes puras creaturas ipsa per se supremum chorum omnium efficiat, qui inferior sit ad Christi thronum, sicuti ferior est gratia illius ad Christi g atiam; superior vero ad omnes tam Angelorum, quam hominum sedes: at notissimum est, ex sententia D. DIONYSII de cœl. hier. superiorem chor m continere plus gratiæ, quam inferiores; sunt enim Angelorum chori instar cœlestium orbium: nam quemadmodum celsiores cœli omnium inferiorum cœlorum magnitudinem continent, ita chori Angelorum superiores omnium inferiorum gratiã exæquant, imo & superant, tamquam continens contentum: igitur cum chorus Virginis, vt Dei genitricem decet, sit super omnes choros tam hominum, quam Angelorum, necesse est continere in se gratiam æquiualentem, imo & superantem, tamquam continens contentum, omnes gratias collectiue sumptas, quibus præstant inferiores chori. Vnde quemadmodum in rebus naturalibus videmus ita Deum trinam hanc mundi machinam, elementalem, cœlestem, & Angelicam in hunc modũ disposuisse, vt inter elementa sit vnum, quod magnitudine sit maius, quam reliqua, cuiusmodi est ignea sphæra, & inter cœlestes orbes sit vnus, nempe primum mobile, iuxta Philosophorum sententiam; iuxta Theologicam vero veritatem, cœlum empyreum, quod reliquos cœlestes orbes simul sumptos quantitate molis longe superat; & inter nouem etiam choros Angelorum supremus omniũ sapientia, charitate, & gratia reliquos omnes antecellit: & inter Angelos illius sublimis chori vnus adest supremus, qui intensiua perfectione naturali reliquos inferiores simul sumptos excedit; ita in ordine supernaturali condecens erat, vt Deus opt. max. creaturam aliquam produceret, cui tantã plenitudinem gratię conferret, vt illa omnium sibi inferiorum gratias non solum exæquaret, sed & superaret, ad eum certe modũ, quo in ecclesia Catholica instituit, vt cuncti gradus potestatis spiritualis, qui in Subdiaconis, Diaconis, Sacerdotibus, Episcopis, Archiepiscopis, & Patriarchis reperiuntur,

omnes simul in summo Pontifice existant, adeo vt suprema eius potestas omnium inferiorum potestates simul acceptas longa intercapedine præcellat; quid ergo prohibet, vt Deus eundem ordinem seruans in collatione gratiæ Matri suæ tam exuberantem gratiam donarit, vt illa omnium gratias simul sumpta præcelleret? Maxime, quod si decet, vt solius Reginæ opes omnes subditorum diuitias in vnũ aceruum congestas superẽt, potiori iure Reginæ Mariæ spirituales gratiæ opes oportuit creaturarum omnium sibi inferiorum spirituales charismatum diuitias simul sumptas longo interuallo superare; vnde est ille ad eam sermo: *Multæ filiæ congregauerunt diuitias: tu supergressa es vniuersas.* (Prou. 31.) Quid autem quæso cum ratione magis consentaneum, quã vt filius Rex matri soli vberiores diuitias, quam omnibus simul famulis elargiatur, sicut & dignitatem matris omnibus aliis dignitatibus præstantiorem ei donauit?

XV. TERTIAM iam rationem subiungo, quia cõpertissimum est, Deum maiorem gratiam illi conferre, quem maiori amore amicitiæ prosequitur: Deus autem densius & intensius, quam omnes simul famulos suos, Matrem suam dilexit, vt enim dixit ex AVGVST. D. BONAVENT. B. Virginem alloquens: *Te ipse Rex Regum, vt matrem veram, & decoram sponsam præ omnibus diligens amoris amplexu associat.* (D. Bona. in speculo Mariæ cap. 6.) & D. ANSEL. li. de excell. Virginis: *ostendit ergo amorem erga matrem, quo nullum putemus esse posse maiorem.* (D. Ansel. l. de excell. Virg. c. 4.) & D. BERN. serm. 15. non dubitauit dicere, propter excellentiam huius amoris *Christum potius venisse pro sola Virgine redimenda, quam pro cæteris omnibus hominibus.* (D. Bern. se. 15 de fest. Virg. c. 3.) Et quis quæso bonæ indolis filius non magis diligat matrem suam, quam omnes suos famulos? igitur cum Christus Dominus plus matrem suam dilexerit, quam reliquos omnes simul, consequens est, maiorem gratiæ cumulum ei contulisse, quam reliquis omnibus simul.

XVI. QVARTAM Rationem deprehendo ex variis comparationibus tam sacræ Scripturæ, quam sanctorum patrum, quibus frequenter cohonestatur B. Virgo; comparatur enim mari propter nomen Mariæ: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat:* (Eccles. 1.) igitur sicut mare plus aquarum sinu suo comprehendit, quam omnia simul flumina, fontes, & putei, ita & Maria plus continet gratiæ, quã reliqui simul omnes sancti. Solet etiam comparari Deipara Maria flumini: *flumen Dei repletum est aquis:* (Ps. 64.) flumen autem compertũ est plus aquæ continere, quam vasa simul omnia, quæ in quantũcunque ingenti, ac populosa Ciuitate reperiuntur. Cõparatur item Soli: *pulchra vt luna, electa vt sol:* (Cant. 6.) quis autẽ non videat Soli splendidiorem lucem auctorẽ contulisse naturæ, quam reliquis omnibus astris simul sumptis? vnde B. PETRVS DAMIANVS dixit: *Sol lucidius incandescens ita sibi syderum, & lunæ rapit possessionem, vt sint, quasi non sint, & videri non possint; similiter & Virgo veri præuia luminis, in illa accessibili luce perlucens, sic vtrorumque spirituum hebetat dignitatem, vt in comparatione Virginis nec possint, nec debeant apparere.* (B. Pet. Da. serm. de assum. Virg.) Deinde sicut Christus Dominus comparatur fonti: *apud te est fons vitæ,* (Psal. 35.) id est, Verbũ, *quod erat apud Deum;* (Ioan. 1.) sic B. Virgo (vt recte obseruauit D. BERNARD.) confertur cum aquæductu: *ego quasi aquæductus exiui de Paradiso:* (D. Ber. ser. de nat. Vi.) & reliqui sancti riuis assimilantur: *riuos eius inebrians.* (Ps. 64.) quemadmodum ergo Christus in Ecclesia est tamquam fons perennis gratiæ, beata autem Virgo vt aquæductus, reliqui vero Sancti vt riuuli; ita in Christo vt in fonte congregantur omnes gradus gratiæ, qui tam ad aquæductum, quam ad riuulos fluunt; in Virgine vero, vt in aquæductu congregantur omnes, qui ad riuulos deriuantur, vnde ipsa dixit: *In me omnis gratia viæ, & veritatis.* (Eccles. 24.) sunt ergo in illa tot gradus gratiæ, quot sunt in omnibus sanctis simul. Tandem componitur B. Virgo cum cœlesti Ierusalem: *Pulchra es amica mea, suauis, & decora, sicut Ierusalem;* (Cant. 6.) quasi dicat: decora es, sicut tota cœlestis Ierusalem, quia totam ex hominibus, Angelisque constantem decore gratiæ exæquas, immo & superas. vnde fit (quod & nostrum principale argumentum non parum confirmat) quod intercessio, & oratio solius Virginis efficacior est coram Deo ad impetrandum, quam oratio totius curiæ cœlestis, vt his verbis docuit D. AVGVST. serm. 3. & 4. de Natiu. *Nec dubium est, quia quæ meruit pro liberandis offerre pretium, possit plus omnibus impendere suffragium; & sicut apud Deum est potior, ita & omnibus sanctis est sollicitior,* vnde GREGOR. NICOMEDIEN. orat. de purific. vocauit Virginem: *omnipotentem suis orationibus:* est autem manifestum, quod cæteris paribus, nihil est, quod efficaciorem ad impetrandum reddat orationem, quam gratia & sanctitas personæ petentis, nec sufficeret dignitas, gratia deficiente. Similiter etiam maiorẽ honorem, & cultum defert Ecclesia soli Virgini, quam reliquis sanctis simul, cũ illos duliæ, Mariam vero hyperduliæ adoratione veneretur; cultus autem, & honor maior non datur, nisi propter maiorem sanctitatem.

XVII. QVINTAM deinde rationem præcedentibus adnecto: Quia rationi consentaneũ est, vt quãtum (sine præiudicio excellentiæ Christi Domini) B. Virgo honorari possit, tantumdem exaltetur, & honorificetur, cum inter puras creaturas nulla illa sanctior reperiatur; at, vt optime docuit Card. CAIET. in li. de spasmo B. MARIÆ: *Virgo debet credi similis filio per omnia, quantum fas est.* igitur cum gratia filii omnium Angelorum, & hominum gratias superet, etiam gratia Matris easdem superabit, licet alioquin illa multiplici nomine gratiæ Christi Domini inferior existat: quod si oportuit illius gratiam aliorum omnium gratias simul collectas longe præcellere, quia gratia eius gratia capitis erat, decuit etiam proportionali ratione plenitudinem gratiæ in Mariam effusam illas quoque superare, quia etiam ipsa capitis dignitatem mirum in mo-

dum

D. Iren li. cont. hær. cap. 33. D. Aug. ſer. 33. de Sanctis. D. Chryſoſt. ſer. 140. Iſaiæ 2.

dum participauit nam, vt ait D. IRENÆVS, *ſicut Eua inobediens ſibi & vniuerſo generi humano cauſa facta eſt mortis, ſic Maria & ſibi, & vniuerſo generi humano cauſa facta eſt ſalutis*: & AVGVSTINVS: *hæc primæ matris damna reſoluit, hæc homini perdito redemptionem adduxit*: & D. CHRYSOLOGVS: *Dedit pacem terris, cœlis gloriam, ſalutem perditis, vitam mortuis.* D. BERNARD. ſerm 2 de Aſſumpt. *Merito in te reſpiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus omnipotentis, quicquid creauit, recreauit*: & D. LAVRENT. IVSTIN. ſerm. de Annunc. *Magna profecto fuit Maria gratia exuberans, atque completa, quæ cœlis dedit gloriam, terris præbuit Deum, gaudium præſtitit Angelis, ſæculoque pacem refudit, fide docuit gentes, vitiiſque finem impoſuit; humanæ vitæ inſtituit ordinem, atque ſpiritualem edidit moribus diſciplinam*: ecce ex tantorum Patrum ſententia Maria capitis dignitatem, prout Dei genitricem oportebat, mirifice participauit, vt propterea eius ſanctitas omnium Sanctorum ſanctitatem ſuperet, ſicut & caput omnia ſimul membra ſupereminet.

D. Greg. lib. 1. Reg. c. 1. Pſalm. 86. Ibid.

XVIII. SEXTAM tandem rationem hoc diſcurſu conficio: B Virgo in primo inſtanti ſuæ ſanctificationis ſuſcepit intenſiorem gratiam, quam ſortitus fuerit ſupremus Seraphinus; erat enim illa, de qua dixit ISAIAS: *Præparatus mons domus Domini in verticemontium*, iuxta explicationem D. GREGORII: erat etiam dilecta illa Sion, cuius meminit DAVID: *Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob*: nec non & illa, de qua idem Regius Vates dixit: *Fundamenta eius in montibus ſanctis*; quaſi dicat, fundamenta ſanctitatis Virginis poſita ſunt, vbi alii ſancti conſummantur. Deinde B. Virgo habuit vſum liberi arbitrii à primo inſtanti ſuæ ſanctificationis, qui in ea per totam vitã durauit, vt affirmat S. BERNARDINVS SENENSIS, & Epiſcopus Chriſtopolitanus ſuper *Magnificat.* rurſus B. Virgo per quemlibet actũ adæquabat, & aliquãdo excedebat intenſionem gratiæ, & charitatis, quam habebat: ſi enim Angeli ita cooperati ſunt toti gratiæ, quam poſſidebant, vt docet D. THOM. 1. p. q. 62. art. 6. nec non & Adam ante peccatum, vt tradit idem 1. p. q. 95. art. 4. etiam B. Virgo, cui perfectiores habitus gratiæ, & virtutum inerant, quibus magis inclinabatur in bonũ, quam illi, & vehementius à Spiritu ſancto impellebatur, & maiori conſolatione, & ſpirituali guſtu fruebatur, & cui plura media ad hoc ſuppeditabantur, nec quidpiam habebat, quod illã retardaret, quo minus toto conatu operaretur, & intenſionẽ principii operatiui adæquaret: erat ergo, quoad hoc, par Angelis, & homini in ſtatu innocentiæ, cum & caruerit fomite, & omni motu inordinato, ſicut ille, & in omnibus aliis eos excederet. igitur cum SALOMON dixerit; *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit & creſcit vſque ad perfectũ diem*, continuo B Virgo in gratia creſcebat, quia toto tẽpore vitæ ſuæ continuo meruit, vt expreſſe docent MAGNVS ALBERTVS, D. ANTONINVS & alii, quod facile erat, ſi habuit gratiam infuſam independentem ab operatione ſenſuum, prout docuerunt ALBERTVS MAGNVS lib. 10. de B. Virgine cap. 81. D. BERNARDINVS tract. de B. Virg. ſerm. 4. art. 1. cap 4. & RICHELIVS ſuper cap. 5. Cant nã tunc abſque defatigatione continuo poterat operari, etiam dormiens, vt de facto operatam fuiſſe tradunt S. BERNARDIN. ſerm. 51. & RVPER. ad cap 5. Cantic. in illa verba: *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

S. Bern ſer. de B Virg. c. 2 art. 1. Iacob de Val Epiſc. Chriſt. ſup. Cant Magnificat. Prou. 4. Alb. Mag. de B. Virg. c. 176. & 177. 197. D. Anton. 4 p. tit. 15. c. 20. §. 6. Bernar. de Buſto 4. p. ſer. 9 § vlt. Caniſ. lib. 5. c. 1. Cant. 5.

XIX. LICET tamen demus, quod ſcientiam illam non habuerit, ac propterea defatigatione corporis non totum adhiberet conatum, nec ex tota intenſione habitus ſemper & continuo operaretur; frequentius tamen eliciebat actum æqualem, vel intenſiorem habitum, tum ob gratię ſuæ excellentiã, tum ob ſpecialem Dei motionem, & diuinum auxilium præſto ſibi aſſiſtens; vnde ſatis vtique compenſaretur remiſſio paucorum actuũ per exceſſum omnium aliorum, ita vt abſolute verum ſit, cuilibet actui Virginis correſpondiſſe de nouo tantum gratiæ, quantum in ea præerat ex parte principii. His adiunge, quod actus charitatis ita perfecte intenſi, quos B. Virgo elicuit in via, fuerunt fere innumerabiles, ita vt poſſint conferri cum numero Sanctorum; nam ſemper erat in perpetua contemplatione, ita vt fere in omnibus inſtantibus, quæ in quolibet tempore infinita ſunt, mereretur; & licet numerus actuum fuiſſet minor, quam numerus ſanctorum, hoc tamen potuit aliud compenſari; tum ex eo, quod quilibet actus erat meritorius multo maioris gratiæ, quam ſit in maximo Sancto; tum ex gratia, quam recepit ex opere operato per ſacramentum Baptiſmi & præcipue per frequentẽ Euchariſtiæ receptionem, quæ cum tanto maior ſit, quanto melior diſpoſitio adeſt ex parte ſubiecti, non potuit hæc non eſſe copioſiſſima, cum diſpoſitio ex parte Virginis fuerit perfectiſſima Quæ omnia, vt melius intelligantur, iuuare poteſt id, quod de calculo, ſeu latruncularia dici ſolet, nimirum, quod cum hoc ludi genus non habeat plures, quã ſexaginta quatuor ſedes, ſi tamen in prima ſede vnum frumenti granum colloces, in ſecunda duo, in tertia quatuor, & ſic proportionaliter in ſingulis duplicata ponas, tam ingens erit granorum numerus, vt ad illum explendum non ſufficeret cuiuſcumque fœcundiſſimæ Prouinciæ frumentum. ſi igitur in ſexaginta quatuor tantum ſedibus tantus ſit numerus, quid quæſo iudicandum erit de B Virgine, quæ quotidie non ſexaginta quatuor actus charitatis, ſed quam plures alios pene infinitos excercebat, ſi continuationem eorum ſpectemus per ſexaginta tres annos, maxime quia, vt conſtat ex prædicto diſcurſu, certe in fine vitæ per quemlibet actum charitatis, cum ſemper operaretur ſecundum totam, vel maiorem intenſionem habitus, ex ſpeciali Dei auxilio plus merebatur, quam in toto tẽpore vitæ præcedẽtis merita fuerat; & ſic proportionabiliter de actibus ſequentibus vſq; ad vltimũ vitæ halitũ. Qui ergo recte cõputauerit exceſſum, qui ex hac additione ſingulorum actuum reſultat,

Ibid.

inueniet esse fere infinitum, & facile sibi persuadebit, ingentem adeo esse graduum gratię multitudinem, quam meritis suis Beata Virgo acquisiuit, vt solus Deus eius immensitatem mensurare possit, SALOMONE dicente: *Ipse solus mensus est eam.* vnde merito D. BERNARDINVS tantam asseruit hāc Marianam extitisse gratiam, vt soli Deo cognoscenda reseruetur.

Eccl.1. D.Bernar. ser.15.de B. Virg.

XX. VLTIMAM tandem probationem dirigo ad labefactandas imbecilles quasdam rationes, quib⁹ ABVLENSIS, & quidam alii pauci infimi nominis, qui ei adhæserunt, probare contendunt, Christum plus diligere Ecclesiam, quam matrem suam. Prima est, nam B. Virgo pars quædam fuit Ecclesiæ, & redempta est, sicut quicumq; alius de Ecclesia: pars autem non est dignior toto, nec maior illo. secunda; quia Virgini non fuerunt priuilegia collata, nisi propter Ecclesiam, fuit enim tot gratiæ muneribus donata, vt esse mater Dei, non autem ad eam dignitatem eueheretur, nisi propter saluandam Ecclesiam filius Dei carnem assumeret, vt eam proprio sanguine redimeret. Verum prima ratio in eo peccat, quod reliquum corpus Ecclesiæ absq; Virgine non est tota Ecclesia, vt ait Abulensis, cum inter eius membra B. Virgo sit potissimum omnium, sed est pars quædam multitudine, & numero Virgine maior; intensiuo vero valore, & pretio minor: vnde D. BERNARD. vbi supra dixit; magis fuisse intentā à Deo redemptionem Matris suæ, quam omnium seruorum eius. Deinde licet Deipara Maria pars quædam Ecclesiæ fuerit, nihil tamen inconuenit, vt quemadmodum supremum cœlum, licet alioquin pars sit totius mundi magnitudine sui ambitus reliquas omnes partes simul sumptas cōplectatur, ipsa etiam Virgo reliquas omnes partes, ex quibus coalescit Ecclesia, magnitudine suæ gratiæ superet. Secundam etiam Abulensis rationem imbecilliorem iudico; B. enim Virgo non fuit dilecta Deo propter Ecclesiam magis sibi dilectam, sed cum illa esset amplius, quam tota Ecclesia dilecta, ipse decreuit, vt remedium afferret Ecclesiæ concipiens, & pariens eius Redemptorem: Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Abulens.1. prol in Matt.q.19

D.Bern.ser 15.de festin. Virg c.3.

HOMILIA VIII.

Variis interpretationbus, partim ex sanctorum Patrum fontibus haustis, partim à nobis inuentis, ingenti conceptuum copiâ verba illa explicamus: Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus.

I. NTEQVAM sacramenta, quæ in propositis verbis latitant, detegamus, prius explodendus est error quorundam asserentium per illa verba: *Dominus tecum*, significasse Angelum, Deum per carnis assumptionem in virgineo vtero iam tunc esse cum Maria; ad quod mouentur ex quibusdam apparentibus Patrum testimoniis, præsertim D. PETRI ALEX. AVGVST. D. HIERON. S. THOMÆ AQVIN. B. PET DAM. NICEPHORI, & ANDREÆ CRETENSIS, qui omnes in hunc modum verba illa explicant, vt Dominus tunc esset cum Maria, non solum in mente, sed in vētre: at luce ipsa meridiana ex Euangelica lectione patet, B. Virginem nec ante audita illa verba: *Dominus tecum*: nec in prolatione illorum, nec immediate post illa concepisse, cum vere Angelus ei postea diceret: *ecce concipies & paries filium*, igitur tunc nōdum conceperat. Præcitati ergo Patres minime id potuerunt ignorare: quare explicandi sunt, vt cum dicunt: *tecum in mente; tecum in ventre*: idem sit, quod, *tecum est in mente, & tecum erit in ventre*: sępe enim præsens accipitur pro futuro. quo modo etiam accepit græca lectio; nam vbi nostra vulgata veracissime vertit: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei*: illa legit: *Quod ex te natum, vocabitur filius Dei.* deinde, cum illi Patres dicunt, ad salutationem Angelicam concepisse Virginem, nō accipiunt pro *salutatione* verba illa præcise: *Aue gratia plena Dominus tecum*; sed colloquium inter Mariam, & Angelum; solius tamen ANDREÆ CRETENSIS verba nullā sustinent explicationē, sic enim ait: *Dominum esse tecū dixi, & tu Virgo, quomodo hoc continget, ambigis? Dominum ego anteuertisse aduentum meum, & tuum subiisse vterum tibi nuncio, & tu de viro mihi disseris, & terreno quodam partu?* sed miror sane virum alioquin sapientissimum in re adeo clara hallucinatum fuisse.

Luc.1.

D.Pet. A[...] prout ha[...] tur in Co[...] Eph.tō. c[...] D. Au.f[...] 2.de Aff[...] D.Hier.[...] 140. ad Principii[...] D.Tho 3. q 30.ar.[...] D.Pet.D[...] serm.1. de nat.Virg. Niceph.l.[...] c.8. Andr.Cre[...] orat.de an[...] Luc.1.

II. Hoc supposito varias Patrum expositiones ā proferamus, deinde quas, Deo opitulante, ab illis diuersas excogitauimus, nostrum erit annectere. Diuus BERNARDVS super *missus* in hunc modum loquitur: *Pater tecum, qui filium suum fecit tuum; Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile sacramentum miro modo sibi fecit sacrarium, & tibi seruat genitale signaculum: Spiritus S. tecum, qui cum Patre & Filio tuum sanctificat vterū.* ANDREAS vero IEROSOLYMITAN. tract. de laudibus Mariæ inquit: *Dominus tecum, qui ante te, hodie vna tecū est, & ex te paulo post nascetur; nam sicut prius spiritus Besaleel impleuit, & ei Dominus adfuit, quum tabernaculi vasa fabricaret, ita prius Dominus Mariam suam sua gratia impleuit, quam ex ea filii sui corpus efformaret.* FRANCO ABBAS tom. 6. de gratia Dei ita scribit: *Dominus tecum est, ô Virgo, non generali tantum benedictionis gratia, qua cum cæteris sanctus est, verum & singularis prærogatiuæ gratiæ, sicut cum matre filius. Dominus tecum, vt viscera tua sanctificet, in carne tua humanam sibi naturam associet.* Deinde D. AVGVST. in persona Angeli Virginem alloquentis in hunc modum eam affatur: *Dominus tecum, sed magis quam mecum, in tuo est corde, in tuo est vtero, adimplet mentem, adimplet ventrem.*

D.Aug.ser de Natiu.

III. SED percontabitur, & merito, quispiam, quomodo Angelus veraciter potuisset Virgini dicere,

vt

vt vult Augustinus, Deum magis esse cum illa; nam præterquam Christus Dominus loquens de Ioanne Baptista dixit, *qui minor est in regno cœlorum, maior est illo* : [Luc. 4. 28.] certe in Maria adeat Deus per gratiam, non per gloriam, in Angelo vero per vtrumque, cœlesti enim beatitudine fruebatur. Verissime quidem & acutissime loquitur Augustinus, si rem altius perpendamus: nam sicut qui habet certum ius ad hæreditatem magnam absque dubio consequendam, ditior reputatur, quam qui iam exiguam aliquam nactus (in communi enim hominum opinione multo plus valet certa magnæ hæreditatis spes, quam exiguæ secura possessio) ad eundem ergo modum, quia Deus erat cum Maria per vberiorem gratiam, quæ certum ius illi dabat ad copiosiorem gloriam reipsa consequẽdã, quam Angelus iam possidebat, idcirco veraciter dicit AVGVSTINVS in persona Angeli: [D. Aug. vbi sup.] *Dominus tecum, sed magis quam mecum.*

IV. EGO tamen in hunc modum proposita verba: *Dominus tecum*, expono. Angelus quidem, vt raram ac inauditam salutandi formulam per verba illa: *gratia plena* temperaret, vulgarem ac receptam illam salutationem: *Dominus tecum*, permiscuit; hæc enim frequens erat apud Hebræos; vnde Angelus Gedeonem salutauit dicens: [Iud. 6.] *Dominus tecum virorum fortissime*, & Booz messores: [Ruth 2.] *Dominus vobiscum*. existimo autem verba ista: *Dominus tecum*, nõ salutantis tantum esse, vt exponit Card. CAIETAN. [Card. Caiet. su. c. 1. Luc.] sed asserentis, vt vnanimi consensu explicant supra relati, & mox referendi Patres; vnde ad illa elucidanda Virginem alloquens, primo mihi vsurpo verba illa PSALMI: [Psalm 103] *Tecum principium in die virtutis tuæ*: *Tecum*, inquam, ô Maria, in die, in quo virtutem generatiuam ac mirabilẽ tuã fœcunditatem in cõcipiendo filium Dei absq; virili opera gloriosissime ostentasti, *Dominus* quidem *tecum*: Dominus (inquam) Deus trinus, & vnus; quia si de iusto dictum est: *ad eum veniemus, & mãsionem apud eũ faciemus*: [Ioan. 14.] quid nõ dicemus de te, iustissima Maria; altius quidẽ, & sublimius id prædicabimus? *Tecum* enim est potentia Patris te fœcundans, vt eundem, quem ipse, valeas filium generare, pariterq; cum illo dicere: *Ego hodie genui te*; [Psalm. 2.] *Tecum* est sapientia Filii, erudiens te, disponens, & præparans, vt digna eius mater inueniaris. *Tecum* est munditia Spiritus sancti, te concipientem, & parturientem inuiolatam atq; purissimam Virginem conseruans.

V. VEL aliter secundo dicamus: *Tecum* est Pater æternus, qui ante sæcula te elegit, non solum in viuentium, sed & ipsius vitæ matrem: *Tecum* Filius, quem carne indutum nouem mẽsibus in vtero gestabis; ac postmodum vbere de cœlo pleno pasces, & lactabis. *Tecum* Spiritus sanctus, qui tanquam fons perennis gratiæ cœlestium charismatum fluẽtis te irrigabit, & per te tanquam per aquæ ductum partem eorum ad nos deriuabit. Sed neque his tantum modis intueor Dominum tecum esse; est enim *Tecum*, sicut sponsus cum sponsa, quam vnice diligit; sicut pater cum filia, quam vigilanter custodit; sicut Rex cum regina, quam multum honorat; sicut Sol cum luna, quam fulgentibus suis radiis illustrat; sicut Angelus cum orbe cœlesti, quem incessanter regulatissime mouet; sicut tandem sapientissimus nauclerus cum naui, quam à scopulis & syrtibus incolumem ad portum deducit.

VI. ATQVE ex his aliam eorundem verborum expositionem elicio: cum enim Angelus prædixisset Mariæ: [Luc. 2.] *Aue gratia plena*, rationem & causam illius plenitudinis subiunxit dicẽs: *Dominus tecum*: quasi clarius diceret, quia prædictis omnibus modis *Dominus* adest *tecum*, exuberanti gratia inueniris repleta, hæc enim diuina præsentia fons erat plenitudinem illam scaturiens. vnde eleganter CHRYSIPPVS Ierosolym. serm. de S. Maria inquit: *Gratia plena, quia tecum est vniuersus gratiæ thesaurus, totius lætitiæ, Rex cum ancilla, cum speciosa inter mulieres speciosus forma præ filiis hominum: cum puella impolluta is, qui sanctificat omnia*: quare si olim Samson leonẽ suffocauit, quia: *Spiritus Domini irruit in eũ*: [Iud. 14. 6.] & si Daniel puer impiam iudicum ac fraudulentam cõtra Susannam sententiam detexit, quia *suscitauerat Deus spiritum eius*: [Dan. 13.] & si Iosue tot hostes profligauit; Dauid vrsum & leonem fugauit, & gigantem interfecit; & Iudith Holofernis caput amputauit, [Iudith 13.] quia (vt sacra narrant eloquia) *Dominus* erat *cum illis*; ac tandem si de Ioanne dicitur: quod *crescebat & confortabatur, quia manus Domini erat cum illo*; [Luc. 1.] nihil certe mirandum, Mariam plenam esse gratia, cum Dominus auctor gratiæ inseparabiliter esset cum illa.

VII. ALITER etiam eadem verba licebit in hunc modum explicare, vt per illa precari, immo & affirmare voluerit Angelus omnia, quæ ad mysterium Incarnationis in Mariano vtero celebrandum necessaria erãt, prospere, ac feliciter sibi futura; nam si de Iacob sacra narrat historia, ꝙ postquã introiuit in domũ Laban soceri sui, res eius familiaris magnum suscepit incrementũ, *quia Deus erat cũ eo*; [Gen. 39.] & de Patriarcha illo antiquo Ioseph eadẽ cõmemorat [Gen. 30. 27] prospera multa ei successisse: *quia Deus erat cũ illo*; ac tandem de Gedeone testatur gloriosam de hostib. [Iud. 7.] victoriã reportasse: *quia Dominus erat cũ eo*, prout ei prædixerat Angelus; certe vt Virgini innotesceret, cuncta pro votis fortunatissime sibi successura, [Luc. 1.] idcirco Gabriel ait illi: *Dominus tecum.*

VIII. VLTIMAM iam interpretationem subiũgo; ob quam suppono Deum propter immensitatem suam vbique esse, vt ipse dixit: *Cœlum & terram ego impleo*; [Ierem. 23.] vnde DAVID dicebat: [Psal. 138.] *Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? si ascẽdero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades; si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis Maris; etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* immo & Philosophi gentiles lumine solo naturali id agnouerunt; vnde LVCANVS dixit: *Iupiter est quodcumque vides*: VIRGILIVS, *Iouis omnia plena*: MERCV-

Arist. l. 1. de parti. animalium c. vlt. — RIVS: *Mundus est vas Deo plenum*: ORPHEVS: *ipse semper simul est, & totus vbique*: ac tandem ARISTOTELES refert, quod cum insignis ille Philosophus Heraclytus à quibusdam amicis suis in furno quodam inclusus ac latens visitaretur, eis dixit: *Ingredimini, quia nec huic loco Dii desunt.* sed melius his omnibus Philosophis Diuus ISIDORVS lib. de summo bono, de Deo loquens dixit (D. Isidor. l. de sum. bono c. 2.): *Non est inclusus, foris non est exclusus, supra non est elatus, & infra non est depressus.* Licet ergo Deus sit vbique, diuersimode dicitur existere in creaturis; in omnibus enim sine aliqua exceptione adest per essentiam, quatenus diuina eius substantia indistans est ab illis, ac eis summe proxima, iuxta illud IEREMIÆ (Ierem. 32.): *Deus è vicino ego sum, & non à longe*; adest per præsentiam, quatenus omnes illas agnoscit, & intuetur, Apostolo dicente (ad Hebr. 4.): *Omnia nuda, & aperta sunt oculis eius*: adest etiã per potentiã eas conseruans, ne in nihilum redigãtur; vt n. dixit DAVID (Psalm. 102): *Auertente te faciẽ tuã turbabantur; auferes spiritum eorum, & deficient*: adest deinde in iustis, tamquam cognitum in cognoscẽte, per fidem, & amatum in amante per charitatem & gratiam, in beatis vero etiam per gloriam.

IX. VT autem explicem, qua ratione B. Virgo intra latitudinem illius communis vnionis per amorem & charitatem, qua iusti cum Deo sunt vniti, eos omnes longe præcellat, expendenda mihi sunt verba illa CANTIC. (Cant. 4.) *Vulnerasti cor meum, soror mea spõsa*: sane cum indubitatum sit, nullum verbum ex his superuacaneum esse, apertissime liquet, diuersum quid significari nomine *spõsæ* ab eo, quod præsefert vocabulum *sororis*: iure quidem optimo Beata Virgo *soror Christi* appellatur, quatenus per gratiam, qua sanctificatur, diuinæ est consors facta naturæ: vnde D. PAVLVS dixit (Hebr. 1.): *Qui sanctificat, & qui sanctificatur, ex vno omnes*: ac nomine *sponsæ* non solum significat, quod ex vno illa sit, quæ sanctificata est, & ipse, qui eam sanctificauit, sed insuper denotat, quod vnum sit ipse, & illa; sicut enim sponsi in duobus corporibꝰ vna caro sunt, iuxta illud (1. Cor. 6.): *Erunt duo in carne vna*; ita & in speciali hoc connubio vnum sunt B. Virgo & Christus, dilectione scilicet, & spiritu, Apostolo dicente (Ibid.): *qui adhæret Deo, vnus spiritus est* hanc adhæsionem, quæ propria est perfectissimæ sponsæ, per quam ipsa perfecte vnum fit cum sponso, non omnis anima iusta habet, cũ de ea, quę nupta est, Apostolus dicat, diuisam esse partim in cognitione de Deo, partim de mũdo; vt significaret ergo Christus B. Virginẽ totam, & totaliter sibi inhærere, & sibi internã esse, addit nomẽ *sponsæ* supra nomẽ *sororis*. At pręter modos istos aderat tũc Deus in Virgine in pręparatione animi, vt mox ex ea carnem assumeret, & cũ illa quandam mirabilem matris cum filio vnitatem contraheret, quatenus partem substantiæ illius, hoc est, purissimi sanguinis materiam hypostaticæ vnionis vinculo Verbũ diuinum sibi ineffabiliter copulare debebat: vnde B. PET. DAMIANVS (Pet. Dam. ser. de nat. Virg.) egregie dixit: *Cũ Deus in aliis rebus sit tribus modis, in Virgine fuit quarto speciali modo, scil per identitatem*: quam expositionem, postquam hæc elaborauerã, inueni apud D. BERNARDVM serm. super *Missus* (D. Bern. ser. sup. missus.) his verbis expressam: *Cum Dominus sit cum omnib sanctis, specialiter tamen est cũ Maria, cũ qua vtiq; tanta ei cõsensio fuit, vt illius non solũ voluntatem, sed etiam sibi carnem coniungeret, & de sua Virginisq; substantia vnum Christum efficeret, vel potius vnus Christus fieret; qui etsi nec totus de Virgine, totus tamen Dei, & totus Virginis esset; nec duo tamen filii, sed vnus vtriusq; filius.* Atque hinc est, quod cũ B. Virgo tot ac tam variis modis coniunctissima esset Christo, ægre ferebat etiam per momentũ ab eius corporali præsentia sequestrari; nam (vt sacri Euangelistæ commemorant) cum Christus natus inuenitur à Pastoribus, adest Maria (Luc. 2.); cum adoratur à Magis, adest Maria (Matth. 2.); cũ fugit in Ægyptum, adest Maria (Ibid.); cum ab Ægypto redit in Iudæam, adest Maria (Ibid.); cum præsentatur in templo, adest Maria (Luc. 2.); cum benedicitur à Simeone, adest Maria (Ibid.); cũ ascẽdit in tẽplũ, adest Maria (Ibid.); cum inuenitur disputãs in eo, adest Maria (Ibid.); cũ inuitatur ad nuptias in Cana Galilææ, adest Maria (Ioan. 2.); cum conuertit aquã in vinum, primum quod Christus miraculum fecit, adest Maria (Ibid.); cum turbis prædicabat, aderat Maria (Matth. 12.); cum acerba crucis morte occubuit, adest Maria (Ioan. 19.); cum resurgit, adest Maria, cui primum omnium se manifestauit; cum tandem ascendit in cœlum, adfuit Maria, vt tradit S. ODILIVS CLVNIACENSIS (S. Odil. Clun. ser. de B. Virg.).

X. SEPTIMA expositio sit, quod verbis illis: *Dominus tecum*, Angelus tacitæ cuidam Virginis obiectioni respondit; vnde perinde fuit, ac si diceret: forte si arbitraris humillima ac pudicissima Virgo, ad recipiendum in vtero tuo æterni Patris filiũ opus esse magnam non solum spiritualium, sed & temporalium bonorum copiam tibi suppeditari, vt illis eius diuinitati, his eius humanitati inseruias, foras expelle hunc timorem: aliquid omnibus terrenis bonis excellentius habes, quia *Dominus tecum*, qui cum sit omnium bonorum pelagus, omnia bona venerunt tibi pariter cum illo. Egregiam sane doctrinam & omni acceptione dignam, soli Deo inniti, & solum Deum quærere: *inquirentes* enim *Deum* (vt ait DAVID) *non deficient omni bono.* (Ps. 33. 11.) Iacob olim cum adhuc imperfectus esset, excitatꝰ (Gen. 18) à somno, emisit hoc votũ: *si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad vestiendũ, reuersusq; fuero prospere ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum*: duo hic petiit, vt & sibi assisteret Deus: *si Deus fuerit mecum*, & vt sibi bona tẽporalia impertiret: *si dederit mihi panem ad vescẽdũ*, & D. GREG. (D. Greg. l. c. 4. in 3. c. Iob.) ait: Iacob infirmitatem suam ostendisse in hoc, quod non solum Deo, sed & bonis temporalibus innitebatur, cum tamen soli Deo sibi innitendũ esset, qui cum sit omnium bonorum abyssus, tenens illum omnia bona possidet; vnde acute & ingeniose sanctus ille Doctor ait: *Hinc Iacob, qui Angelum tenuit, vno mox pede claudicauit, qui vero amore sublimia respicit, iam in hoc mundo duplicibus* in-

incedere desideriis nescit; vno enim pede innititur, qui solo Dei amore roboratur, & necesse est, vt alius marcescat, quia mentis virtute crescente, oportet proculdubio, vt carnis fortitudo torpescat.

XI. OCTAVAM denique, eamque præclaram (ni fallor) interpretationem præcedentibus annecto: arbitror quidem singulari mysterio non vacare, quod Angelus Virginem salutans dixerit: *Dominus tecum*: & non: *Deus tecum*; cum aliunde idem reipsa sit in Deo deitas, & potestas dominatiua. Ego sane illud reperio, quod Deus Opt. Max. diuersimode respicit creaturas in quantũ Deus, & vt auctor earum, & in quãtum est earundẽ Dominus absolutus; quatenus enim Deus & auctor naturæ, res creauit singulis tribuens, quæ secundũ exigentiã suę naturæ quasi iure iustitiæ sibi debita erãt: ad quod significãdũ vbi nostra vulgata vertit, dixit *Deus: fiat lux*: originale Hebræũ legit: *dixit Eloim*; quod interpretatur *Iudex*: innuens quidẽ, Deũ in rerũ creatione velut Iudicem rectissimum se gessisse, singulis tribuendo secundum iustitiam distributiuam ea quæ illis iuxta merita suæ naturæ debebantur; ad quod alludens Salomon dixit, quod tunc *librabat fontes aquarum*: *librare* autẽ, quod *ponderare* aut *mensurare* est, ad iustitiam pertinere nemo ambigit: postmodum vero facta iam prima rerum creatione, gerens se Deus tanquã absolutus Dominus, vt supremum suum dominium vniuerso orbi ostentaret, consulto naturæ iura violauit, communes eius leges inuertit; & multa, prout sibi libuit, commutauit. Etenim tanquam Deus ignem creauit duplici vi præditum, altera ad comburendum, altera ad lucendum; ipse vero tanquam supremus Dominus germanos hos effectus, per naturam inseparabiles, separat, & diuidit; ignis namque inferni comburit & non lucet, propterea enim IOB vocauit illud *terram miseriæ & tenebrarum*, è contra vero in Babylonico illo fornace, in quem missi fuere tres innocentes pueri ignis quidem lucebat, sed non comburebat: *& non tetigit eos omnino ignis, neq; contristauit, nec quidquã molestiæ intulit.* Deus enim tãquã absolutus Dominus vnũ ab altero secernebat, vt cecinit DAVID Propheta: *Vox Domini intercidentis flammam ignis* similiter tanquam Deus cœlestes orbes condidit, regularissimos motus singulis tribuens, quos tota naturæ facultas inuertere non posset, nihilo secius tamen tempore Iosue, tanquam absolutus Dominus, solarem motum cessare fecit, & tempore Regis Ezechiæ *retrocessit sol decem lineis*: vt ergo Angelus significaret B. Virgini, Deum in mysterio Incarnationis, & conceptione filii Dei ex matre Virgine naturæ iura velle violare & communes eius leges abrogare, quia *non est impossibile apud Deum omne verbum*: consulto ei dixit: *Dominus tecum*, in memoriam ei reuocans supremã ac omnipotentem Dei facultatem dominatiuam, qua, prout ei libuerit, facile præstare poterat, vt intacta Virgo genitorem suum conciperet, & pareret, S. ATHANASIVS aliã ad idẽ nos edocuit rationẽ; inquit enim, propterea Angelum Virgini, *Dominus tecum*, dixisse, vt maiestatem mittentis illum exprimeret, qui vniuersalis est, ac supremus omniũ Dominus, & vt etiam hac via Mariam alliceret, vt annunciationi sibi factæ facilius & promptius consentiens obediret, Eli verba sibi vsurpans: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat.*

Luc. 1. · Prou. 8. · Iob 20. · Dan. 3. · Psalm. 28. · Iosue 10. · Isa. 38. · S. Athan. serm. cont. omnes hær. · 1. Reg. 3.

XII. PORRO iam ad sequentia verba: *Benedicta tu in mulieribus*, accedentes, varia, quæ in illis sacramenta teguntur, si placet, referemus. Triplici olim (& hæc sit prima horum verborum expositio) benedictionum genere indigebant fœminæ; prima, vt in fragili, ac infirmo carnis suæ vasculo castitatem conseruarent; secunda, vt fœcunditatem obtinerent, quia sterilitas olim valde execrabilis erat; tertia ad victoriam de antiquo serpente (quia cum Eua prima omnium fœminarum à serpente fuisset illusa & deuicta, videbatur sexus fœmineus vires amisisse) deinceps reportandam: dicens ergo Angelus: *Benedicta tu in mulieribus*, ad omnia hæc benedictionis genera mihi videtur allusisse, quod explicare haud difficile erit, si singula percurramus.

Luca 1. · Ibid.

XIII. PRIMVM fuit benedictio, quæ ad castitatẽ conseruandam ordinabatur, & hæc tripliciter fieri contingebat: quædam respiciebat castitatem coniugalem, quæ magni semper habita fuit apud omnem bene gubernatam Rempublicam: hanc illustris illa matrona RVTH perfectissime obseruauit, quam propterea benedixit Booz dicens: *Benedicta es à Domino filia, quia non es secuta iuuenes pauperes, siue diuites*: alia castitas est vidualis, quæ propter præhabitum libidinis experimentum obseruatione difficilior esse perhibetur; huius fuit obseruantissima Iudith, cui propterea Ozias princeps in hũc modũ benedixit: *Benedicta filia tu à Domino Deo excelso, eo quod castitatem amaueris, & post virum tuum alterum nescieris*: alia tandem castitas fuit, inaudita quidem, rara, & digna solum, vt prima eius obseruatrix esset, quæ futura erat Dei Genitrix; hæc fuit castitas Virginea, expresso voto stabilita & nunquam violata. licet ergo prædictæ benedictiones vxoribus, & viduis collatæ celebres sint, hæc tamen tertia, quæ commendabiliorem possidentem reddit, potiore iure ei debetur; eamque præcipue arbitror intendisse Gabrielem significare, cum salutauit eam dicens: *benedicta tu in mulieribus.*

Ruth 3. · Iudith. 13.

XIV. SECVNDVM benedictionis genus, quod ad fœcunditatem ordinatur, bifariam similiter fieri contigit: quædam enim benedictio eo tendit, vt vxorati sibi bene consentientes filiorũ generationi, & Christianæ educationi vacent; cuiusmodi est multiplex illa benedictio, quæ à sacerdote secundũ ritum Ecclesiæ Romanę viro, & vxori in templo dari consueuit; simili genere benedictionis benedixit Raguel Saram vxorem Tobiæ iuuenis: alia benedictio ordinatur ad dandam fœcunditatem sterilibus, pręnimia senectute ad matrimonii vsum impe-

impeditis ; quam quidem sterilis Anna mater Samuelis postulauit, & obtinuit. Præter has tamen benedictiones, alia inaudita fuit Virgini collata, quæ fœcunditatem matris cum gloria virginitatis ei contulit, quam vt ei annunciaret Angelus, eam salutauit dicens: *Benedicta tu in mulieribus.*

XV. TERTIVM deinde genus benedictionis, quod in sacris literis reperio ad victoriam de hoste reportandam, triplex est: solet enim medio aliquo *Iudith 5.* stratagemate inimicus deuinci, quo modo Iahel de Sisara victoriam obtinuit, quando lacte à se propinato, profundum somnum inducente, clauo tempora dormientis Sisaræ terebrauit, ob quod Debora cum vniuerso populo Hebræo multis illam benedictionibus cohonestauit; alia excellentior victoria esse solet, quando hoste cum exercitu suo Vrbem obsidente, & interitum vniuersorum ciuiũ minante ipse interficitur, & exercitus eius fugam *Iudith 13.* arripere cõpellitur, hac ratione fortissima IVDITH Holofernem, qui super Betuliam obsidionem posuerat, exstinxit, & exercitum eius cum magna illius ignominia fugauit, propter quam insignem victoriam summus sacerdos hanc ei benedictionem *Iudi. 15. 10* contulit: *Benedicta filia, tu gloria Ierusalem, tu honorificentia populi nostri.* tertia tandem victoria, & omnium potissima, maiorique commendatione digna esse censetur illa, in qua strenuissimus, ac sagacissimus, & vndequaque munitissimus hostis pacifica bonorum suorum possessione gaudens, ab ea potenter deturbatur, vincitur, & subiugatur; hanc certe comparauit beatissima Virgo, cum fortis armati atrium suum in pace custodientis (vt verbis Christi Domini vtar) caput contriuit, iuxta anti-*Gen. 3.* quum vaticinium: *Ipsa conteret caput tuum.* atque ad hanc celebrem victoriam, quam non ignorabat, Angelus alludens benedixit Mariam dicens: *benedicta tu in mulieribus.*

XVI. SECVNDA expositio sit, quod in sacris litteris, *benedicere,* idem est, quod *benefacere,* & dona, siue munera in aliquem conferre: sic Abigail munus offerens, nempe ducentos panes, & duos vini *1. Reg. 25.* vtres, & quinque arietes, dixit Dauid: *suscipe benedictionem hanc, quam attulit tibi ancilla tua Domino* *4. Reg. 15.* *meo:* similiter Naaman Syrus, Elisæum in hunc modum alloquutus est: *Obsecro, vt accipias benedictionem à seruo tuo.* sic & in GENES. dicitur: *Benedixit Dominus domui Ægypti propter Ioseph, & multiplicauit tam in ædibus, quam in agris cunctam eius substãtiam:* ecce *benedicere* in sacris eloqui idem est, quod *conferre dona*; Angelus ergo ad significandum Deũ permultis cœlestibus donis B. Virginem super omnes fœminas cumulasse, benedictam in mulieribus eam appellauit. fateor quidem Iahelem eo, *Iudith 5.* quod Sisaram interfecit; IVDITH, quia Holofernis *Iudith. 13.* caput amputauit; Abigailem, quia iratum Dauidem *1. Reg. 25.* contra Nabal virum suum sedauit, aliasque fœminas olim à patria, sacerdotibus, vel parentibus varias benedictiones obtinuisse; benedictio tamen B. Virginis supergressa est vniuersas illas, cum ipsa caput Dæmonis contriuerit, humani generis hostem profligauerit, & nos Deo patri reconciliauerit; vnde ECCLESIA CATHOLICA canit: *Virga Iesse floruit, virgo Deum, & hominem genuit, pacem Deus reddidit, in se reconcilians ima summis* Vbi impletum *Eccles. in offic. Nat.* intueor, quod in figura eius lego apud IONAM Prophetam, vbi dicitur, quod Rex Niniue descendit de *Ion. 2.* solio, & indutus est sacco ad placandum iram Dei contra Niniuem. Dei quidem filius, rex regum, descẽdit de cœlestis sui Patris solio, & in vtero virginali indutus est sacco nostræ mortalitatis, in quo erat thesaurus sanguinis sui, cuius pretio periturum mundum reconciliauit Patri; cum ergo B. Virgo hunc reconciliatorem nobis pepererit, merito illam nos Deo reconciliasse prædicamus.

XVII. DEINDE: quia si benedictio Dei est gratiæ donorumque collatio, cum tot cœlestium charismatum flumina in hoc mare magnum Mariæ confluxerint, non potuit non eius benedictio aliorum omnium benedictionem longe præcellere; vnde merito licebit nobis in honorem Virginis verba illa Iacob ad filium suum loquentis vsurpare; *Bene-* *Gen. 49.* *dictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum eius;* quod ne gratis dicere videar, celebriores antiquorum Patrum benedictiones in mediũ producam, sed prius, quæso, in memoriam reuocemus benedictionem illam, quam Deus diei septimo impertiuit: *& benedixit diei septimo, & sanctificauit illũ:* *Gen. 2.* fuit autem illa benedictio consummatio operum Dei, quia, vt ibidem dicitur: *requieuit die septimo, & cessauit ab vniuerso opere, quod patrarat*: at cum in beatissima Virgine fuerit facta perfecta operũ Dei consummatio per vnionem creaturæ cum Creatore in vnitate personæ, ipseque Deus requieuerit in vtero Virginis, illa dicente: *qui creauit me, requieuit* *Eccles. 24* *in tabernaculo meo*; consequens est à benedictione Virginis longe superari sabbati benedictionem, & à sabbatismo recreationis mirum in modum creationis sabbatismum valde antecelli.

XVIII. CELEBRIS est in diuinis eloquiis benedictio illa, quam Isaac filio suo Iacob impertiuit: *Det* *Gen. 27.* *tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini, & seruiant tibi populi, & adorent te Tribus, esto Dominus fratrum tuorũ, & incuruentur ante te filii matris tuæ; qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* hanc quidem benedictionem vestigiũ quoddam esse benedictionis, qua omnium optima filia Iacob fuit benedicta, facile erit commonstrare; dedit quidem Virgini de rore cœli bifariam; primo, pluit in illam ros diuinæ gratiæ; deinde misit in vterum eius cœlestem illum rorem, quem antiqui Patres obnixe postulabant: *Rorate cœli desu-* *Isaiæ 45.* *per, & nubes pluant iustum:* vt enim ingeniose ait D. CHRYSOL. *Cœlestis imber virgineum in vellus placido* *D. Chrysol. serm. 3. de Annunc.* *se fudit illapsu, & tota diuinitatis vnda bibulo se nostræ carnis celauit in vellere, donec per patibulum crucis expressum, terris omnibus in pluuiam salutis se effunderet:* dedit deinde Virgini excellentiorem aliam pingue-

guedinem terræ, cum adeo fœcundam illam redderet, vt Christum tanquam fructum propriũ, absque vlla viri industria produxerit, qui *frumentum est electorum & vinum germinans virgines*, vt dixit ZACHAR. Illud autẽ, quod Isaac subiunxit: *seruiant tibi populi, & incuruentur ante te filii matris tuæ*: quis non videat præclarius Virgini, quam Iacob congruere? Intemeratæ enim Deiparæ Mariæ inseruiũt fidelium populi, adoratione hyperduliæ venerantur, infelices tandem hæretici, qui illam maledicere audent, maledicti sunt à Deo, & à sancta eius Ecclesia Catholica, qui vero illam benedicunt Orthodoxi, benedictionibus Dei (ipsa experientia comprobante) cumulatissime replentur. (Gen.27.)

XIX. ADHÆC insignis etiam fuit benedictio Iosephi, quæ Marianæ benedictionis vmbra & imago exstitit: verba illius sunt: *omnipotẽs benedicat tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus vberum, & vuluæ*: magna hæc videbuntur, sed multo sunt inferiora his, quæ in Mariam diuinitus fuere collata; cum & benedictione plenitudinis gratiæ, nec non benedictione profundissimæ humilitatis; sub nomine abyssi iacentis deorsum significatæ, fuerit cumulata; ac tandem Christum concipiens & pariens, vbereq; de cœlo pleno illum lactans, benedictionibus vberum, & vuluæ fuerit mirifice locupletata. (Gen. 49.)

XX. HINC ea oritur difficultas ex discursu iam facto, cum Mariæ benedictio benedictiones tam mulierum quam virorum longa intercapedine superet, quomodo Angelus, sermonem quasi constringens, solum dixit: *Benedicta tu in mulieribus*, nõ autem & *in viris*? duplicem huius rationem reddo. Primam, quia Christus Dominus de ea nasciturus, magis benedictus, quam illa, futurus erat inter viros, vtpote Deus & homo, & ideo solum eã appellauit benedictam *inter mulieres*. Secundam, quia suprema dignitas Virgini conferenda erat, Dei Genitricem esse, quæ viris competere non poterat, sed solum mulieri, & ideo Angelus non dixit eã benedictam in viris, sed tantum in mulieribus. Tertia ratio, quia Angelus significare voluit singulare priuilegium Virgini collatũ præ cunctis mulieribus, tam virginibus, quã viduis & coniugatis nimirum, quod quidquid boni erat in his tribus statibus, in ipsa non desideraretur; quidquid vero mali, longe ab ea aberat: in virginitate namq; inuenitur bonũ integritatis admixtum cum malo sterilitatis; in viduis adest bonum libertatis animi, sed coniunctũ cum malo solitudinis, & defectu consortii, vt enim ait SALOMON: *væ soli, quia cum ceciderit, non habet subleuantẽ se*; ac tandẽ in coniugio inuenitur bonũ prolis, admixtũ tamen cum malo iacturæ virginitatis: cum ergo sola Maria præ cunctis mulieribus habuerit virginitatem sine sterilitate, animi libertatem absq; defectu consortii, cum vere fuerit desponsata viro, nec non etiam fœcunditatem prolis absque violatione virginitatis, merito Angelus benedictam præ cunctis mulieribus illam prædicat. (Eccles.4.16)

XXI. Ac tandem ea propter hoc genus laudis ei tribuisse arbitror, quia olim triplici maledictioni mulieres erant subditæ, puta opprobrii, quoad infœcundas, vnde Rachel dixit, cum peperit: *Abstulit Dominus opprobrium meum*: peccati, quoad concipientes, iuxta illud PSALMI: *in peccatis concepit me mater mea.* tandem supplicii, quoad parturientes, iuxta illud: *in dolore paries filios tuos.* sola vero Maria super omnes mulieres est benedicta, cuius virginitati additur fœcunditas, & fœcunditati in conceptu sanctitas, & sanctitati in partu iucunditas. His addo verba antiquissimi TERTVLLIANI *Quid Angelus, cum benedicit Virginem inter mulieres, non inter Virgines illam deputat, dicens: Benedicta tu inter mulieres: sciebat & Angelus mulierem etiam Virginẽ dici, sed adhæc ingeniose quidam mihi respondisse visus est: quoniam quidem desponsata est Maria, idcirco & ab Angelo, & ab Apostolo mulierem esse pronunciatam; Desponsata enim quodammodo nupta, sed & mulier censetur propter sexum.* (Gen.30. Ps.50. Gen.3. Tertull. li. de veland. Virg.)

XXII. TERTIAM adnecto expositionem, ad cuius intelligentiam suppono: *benedicere* in sacris Scripturis non semel accipi pro eo, quod est *fœcundare*, seu *prolem dare*, vt obseruauit D. AVG. ser. 10. & 11. & de Natiuit. sic enim in GENES. legimus: *Benedixit illis Dominus, dicens: crescite, & multiplicamini*, & infra habetur: *Omnipotens benedicat tibi benedictionibus vberum, & vuluæ*: cum ergo Angelus vocat B. Virginem *benedictam*, significare voluit cœlitus fore fœcundandam, & propter eius benedictã prolem ipsam etiam super omnes mulieres esse benedictam, & ab omnibus benedicendam, iuxta illud: *Beatam me dicent omnes generationes* hanc expositionem amplectitur D. BERN. ser. 3. de Annunc. cuius præclara verba, tametsi nõ pauca, quia tamen præclara ac pietate plena, hoc loco adscribenda cẽsui, sic enim ait: *Vere benedictus fructus ventris tui, in quo benedicta sunt omnes gentes: de cuius plenitudine tu quoque accepisti cum cæteris; ac propterea quidẽ benedicta tu, sed in mulieribus, ille vero benedictus, non in hominibus, non inter Angelos, sed quia est (vt ait Apostolus) super omnia benedictus Deus in sæcula. Dicitur, benedictus vir, benedictus panis, benedicta mulier, benedicta terra, vel si quid tale in creaturis benedictũ esse memoratur, sed singulariter, benedictus fructus vẽtris tui, cum sit super omnia benedictus Deus in sæcula. Benedictus ergo fructus ventris tui; Benedictus in odore, benedictus in sapore, benedictus in specie. Huius odoriferi fructus fragrantiam sentiebat, qui dicebat: Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. De sapore huius fructus quidam quod gustauerat, taliter eructabat dicens: Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus; & alibi: Quã magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te, & alius quidam: si tamen, inquit, gustatis, quoniam dulcis est Dominus. Et ipse fructus de se inuitãs nos ad se, ait: qui edit me, adhuc esuriet, & qui bibit me, adhuc sitiet: Vtique propter saporis dulcedinem hoc dicebat, qui semel gustatus magis excitat appetitũ; bonus fructus, qui animarũ* (Gen.1. Gen. 49. Luc.1. Rom.9. Gen.27. Ps.33. Ps.30.20. 1.Pet.2. Eccles.24.)

esurientium, & sitientiũ iustitiam, & esca, & potus est.
Gen. 3. Audistis de odore, audistis de sapore, audite & de specie:
si enim fructus ille mortis non solum suauis fuit ad vescendum, sed etiam (teste scriptura) delectabilis aspectu:
quanto magis huius vitalis fructus viuificum decorem
debemus inquirere, in quem, teste alia scriptura, desiderant etiam Angeli prospicere? Cuius pulchritudinem in
1. Pet. 1. spiritu videbat, & in corpore videre cupiebat, qui dicebat; ex Sion species decoris eius; & ne mediocrem tibi vi-
Psal. 49. deatur commendasse decorem, recole quod alio Psalmo
Psal. 44. legis: speciosus forma præ filiis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternũ;
ex cuius benedictione benedicta etiam tu in mulieribus,
Matt. 7. quia non potest mala arbor fructum facere bonum. Hactenus D. Bernardus.

XXIII. Ad extremum triplex in matrimonio bonum reperitur, fides, proles, & sacramentũ, vt tradit D. Avgvst. lib. de Nuptiis, ob quæ merito coniugati cœlestem Dei benedictionem accipere merentur; vnde ad eam significandam Ecclesia Romana, inter alias sacras nuptiarum ceremonias, benedictiones varias adhibere consueuit. primum matrimonii bonum assignat D. Avgvstin fidem, hoc est, fidelitatem, vt neuter coniux alieno coniugi se commisceat: hanc obseruauit adeo exacte B. Virgo, vt non solum alienum, sed nec proprium virum
Matth. 1. vmquam agnosceret, Diuo Matthæo attestante: *Ioseph autem non cognouit eam.* Secundum bonum est proles, in quo præcelluit adeo Maria, vt si aliæ fœminæ principes pepererunt, aliæ Patriarchas & Prophetas, aliæ Imperatores & Monarchas ac præstantissimos viros, Maria tamen Deum & hominẽ, Regem regum, & Dominum dominãtium (quo nihil sublimius excogitari potest) vtero suo concepit & peperit. Tertium bonum est sacramẽtum, quod idem est, quod sacrum signum, de quo D.
Ephes. 5. 42. Pavlvs: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia:* signat enim & repræsentat matrimoniũ cõiunctionẽ Christi cũ illa, immo & vnionẽ Verbi cum humanitate, quæ in virgineo thalamo celebrata fuit: vt ergo Angelus Mariam non solum tanquam Virginem, sed quatenus nuptam benedictam esse præ cunctis fœmi-
Luc. 1. nis significaret, ideo illam alloquens dixit: *Benedicta tu in mulieribus.*

XXIV. Restat, vt iam egregias, quas Patres expositiones nobis tradidere, in mediũ proferamus, ex quibus non parum excogitatas à nobis expositiones iam supra relatas corroborandas fore opi-
D. Ber. super missus. nor. In primis D. Bernard. in comment. huius loci inquit: *Benedicta tu in mulieribus, quæ generalem mulierum euasisti maledictionẽ, vt nec sterilis maneas, nec cum dolore pareas. Cõcipies quippe sine macula; grauida eris, sed non grauata, paries: sed non cum tristitia; nesciens virum, gignes filium: illius eris mater, cuius Deus est pater; Sapientia paterni cordis erit fructus v-*
Andr. Ierosol in comẽ huius loci. *teri virginalis, Deumq; paries, & de cœlo concipies.* Andreas Ierosolymitanvs his verbis prædictũ locũ illustrat; *Benedicta tu in mulieribus:* inquit enim: *Quam Isaias Propheticis oculis conspicatur, prophetissam, & Virginem nuncupauit: laterem insuper & locũ, visionemque & libri caput, idque sigillo consignatum manifeste appellauit. Vere benedicta tu, quam Ezechiel Propheta verum solis ortum proclamauit, sola vere benedicta es, quam montem magnum vir ille desiderabilis Daniel vidit, ac montem obumbrantem Habacuc ille admirabilis; montem præterea Dei, montem pinguem, montem quem Deo inhabitare placuit. Benedicta tu, quam Zacharias vir diuinissimus aureum candelabrũ septem vidit lychnis ornatum, nimirum septem illis Spiritus S. donis, clarum & lucidum. Vere benedicta tu viuidi nostræ salutis ligni paradisus, quæ ipsum horti Eden colonum (Christum inquam Dominum) intra te habes, figuris adumbratum: qui ineffabili quadam potẽtia fluminis instar viuiparum vterum tuum egressus, quatuor velut initiis per Euangelium suum orbis faciem irrigauit.* Hactenus Andreas Ierosolymitanus; ac tandem S. Petrvs Chrysolog. in eadem verba Pet. Chrys.
hæc præclara scripsit: *Vere benedicta, quæ fuit maior* ser. 145.
cœlo, fortior terra, orbe latior. Nam Deum, quem mundus non capit, sola cepit; portauit eum, qui portat orbem; genuit genitorem suum; nutriuit omnium viuentium nutritorem. Fuit olim Patriarcharum benedictio in pinguedine terræ; Ecce terra nostra dedit fructum suum; terra desuper venientem recipiens imbrem, producens tamẽ tribulos & spinas, maledicta est; hæc nullo ab homine semine suscepto, sed tantum Spiritus sancti gratia perfusa, suum ac eiusmodi copiosum fructum edidit, vt quisque in illa cumulatissimam gratiam agnoscat. Cui cum eius filio sit honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IX.

Multiplex Sanctorum Patrum expositio in illa verba: Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat, qualis esset ista salutatio; *ex quibus Virginis mira taciturnitas, ac verecundia cum eximia prudentia coniuncta colligitur, variæque ac permultæ prædictæ turbationis causæ traduntur.*

I. 

Acer Euangelista D. Lvcas egregium suæ Euangelicæ narrationis ordinẽ seruans, postquam introduxerat Angelicum paranymphum Mariam Virginem salutantem, nunc eandem auscultantem inducit, trifariamque illam commendat, ab
auditu, cogitatu, & affectu: ab auditu: *Cum audisset;* Luc. 1.
ecce laudat eius silentium, & taciturnitatem; *audi* Eccl. 32.
tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia: à cogitatu; *& cogitabat, qualis esset ista salutatio:* ecce
commendat prudentiam, vt enim dixit Sapiens; Sap. 6

co.

cogitare de sapientia: sensus est cōsummatus: ab affectu
c.1. tandem: *Turbata est in sermone eius*; ecce laudat ve-
recundiam, quam antiquum ERITHRÆÆ SIBYLLÆ
vaticinium lib. 8. oraculorum prædixerat:

-------Tam virginitatis amatrix
Perpetua, magno subito correpta stupore
Atq; metu trepida, pressit formidine mentem,
Ignotis verbis commoto corde tremiscens.

atque circa hæc tria elucidanda, & illustranda, tota
hæc nostra præcipue versabitur oratio.

uc.1. II. AD primum igitur accedens; *quæ cum audisset*:
obseruauit ad amussim B. Virgo consilium illud,
quod nobis præbuit D. IACOBVS; *Sit autem omnis*
cob.1. *homo velox ad audiendum. tardus autem ad loquen*
dum. tarditatem hanc considerans in Maria D. BER-
NARDVS, postquam ex sacris eloquiis collegisset,
quater tantum narrari locutam; postmodum tam
pie, quā sapienter hæc verba subiungit: *Nunquid nō*
uc.2. *narratur ab initio venisse Pastores, & primā omniū Ma-*
riam inuenisse? sic & Magi quoq;, si recolis, non sine Ma.
Matth.2. *ria matre eius puerum inuenerunt, & inducens in Tē-*
plū Domini Templi Dominum, multa quidem à Simeo-
ne audiuit, quam de seipsa ad loquendam tarde, velox
uc.2. *ad audiendum, & quidem Maria conseruabat omnia*
verba hæc, conferens in corde suo, sed in his omnibus ne-
q; de ipso Incarnationis dominicæ mysterio quodcunque
bid. *verbum fecisse reperies. Toties deniq; Maria filium au-*
diuit; non modo turbis loquentem in parabolis, sed & di-
scipulis seorsum regni Dei mysteria reuelantē, vidit mi-
racula facientem, vidit deinde in cruce pendentem, vi-
dit spirantem, vidit resurgentem, vidit & ascendentē,
sed in omnibus quoties verecundissimæ Virginis vox me-
moratur audita? quasi dicat, quater tantum. Equidē
Menand. sicut poeta MENANDER dixit (referente ARISTOTE-
apud Arist. LE) *Mulierem ornat taciturnitas*: non potuit beata
lib. 2. polit. Virgo, cuius animus omnium virtutum margaritis
cap. 8. ornatissimus erat præclaro silentii ornamēto, vir-
ginibus valde consentaneo, carere.

III. NE tamen tantæ Virgini posset obiici id,
quod THEOPHRASTVS cuidam conuiuæ nullum
verbum proferenti dixit: *Si stultus es, rem facis sapiē-*
tem, si sapiens, stultam: ipsa quidem extremorum fu-
giens vitium, medium inter loquelam, & silentium
Eccles. 3. elegit, memor illius SALOMONIS sententiæ: *tempus*
tacendi, & tēpus loquendi: vt enim loquendo, ita &
silendo peccari potest, iuxta illud DAVID: *Silui à bo-*
Psalm. 38. *nis*, vel (vt GENEBRARDVS vertit) *à iusta causa loquē-*
di destiti. vnde sicut Cantores, cum concinunt, ad
duo præcipue attendunt, ad punctum scil. cantus,
& ad pausam, vt aiunt, æqualemque curā adhibēt,
tamen in obseruando puncto ad vocis sonum e-
mittendum, quam in pausa, vt à vocis prolatione
se abstineant, quando per breuem morulam silere
debent, quia ex vtriusque obseruatione artificiosus
concentus resultat, & alterutra illarum deficiente,
dissonus & ingratus redditur cantus; ad eundem
modum beata Virgo, in omnibus eximiæ suæ san-
ctitatis specimen præbens, ad punctum loquelæ,
& ad pausam silentii attendebat, nunc quæ opor-
tebat, pauca verba promens, nunc silens, & tacitur-
na existens, prout ratio temporis postulabat. non
erat certe regius Vates huius salutaris doctrinæ i-
gnarus, cum Deum alloquens, dicebat: *Pone, Domi-* Psalm. 140.
ne, custodiam ori meo, & ostium circūstātiæ labiis meis:
non postulat à Deo muro lapideo os suū obturari,
sed *ostio* claudi: quia sicut ostiū nec semper clausū,
nec semper apertum esse debet, sed debitis tempo-
ribus modo aperiendum, modo claudendum; ita
os nec semper loquacitate apertum, nec semper
perpetuo silentio clausum esse debet. vnde ipse DA-
VID, aduertens se id non obseruasse, dicebat: *Quo-* Psalm. 31.
niam tacui, inueterauerunt ossa mea, dum clamarem
tota die. Mirabile certe est, quod simul dicat, & ta-
cuisse, & clamasse, quomodo hæc duo inter se co-
hærent? *Quoniam tacui, dum clamarem tota die*: si e- Ibid.
nim tacebat, quomodo clamabat tota die; & si cla-
mabat, quomodo tacebat? hoc sane horrendū por-
tentum parit inordinata lingua, vt simul & semel
sileat, & loquatur: silet enim bona, cum loquitur Ibid.
mala; & propterea inquit DAVID: *Inueterauerunt os-*
sa mea: hoc est, emarcuerunt virtutes, quæ erant in
me, apte quidem per *ossa* significatę, quia sicut ossa
infirmā carnem sustinent, ita virtutes animæ à Deo
infusæ illam conseruant. longe quidem à beata Vir-
gine hæc Dauidica intemperantia abfuit, quæ me-
rito sibi vsurpare poterat illud ISAIÆ: *Dominus dedit* Isaiæ 50.
mihi linguam eruditam: vel (vt LXX. INTERPRETES
vertunt:) *Dominus dedit mihi linguam disciplinæ, vt*
sciam, quomodo oporteat me loqui.

IV. HINC opus est, vt discant Virgines, Mariam
æmulantes, & debitam taciturnitatem, & in loquē-
do maturitatem sectari; si enim nihil magis, quam
munditia Virgines decet, silentii oportet esse custo-
des, memores eius, quod libro NVMER. dicitur: Num. 14.
Vas quod non habuerit operculum (vel ligaturā) desu-
per, immundum erit. Sane garrulitatem, ac loquaci-
tatem à fœminis, & præcipue Virginibus longe ab-
esse debere, ipsa etiam natura non obscure insinu-
uit, cum præbens variis animantibus masculis cā-
tum, fœminis tamen eorum consortibus illum ne-
gauerit: vt enim tradit PLINIVS, Cicadæ fœminæ Plin. lib. 2.
non cantant: & teste TIRAQVELLO, inter Psyt- c. 126.
tacos fœminæ non sunt garrulæ. Deinde Tiraq. n. 8.
fecit tanti ille Poeta paganus silentium non solū in in 12 leg.
fœminis, sed & in viris, vt non dubitaret dicere: connub.

Virtutem primam esse puto compescere linguam; Cato.
Proximus ille Deo est, qui scit ratione tacere.

V. ET D. ANTONINVS refert, Demosthenē alio- S. Antoni. p. par. suæ Chron.
quin inter Græcos eloquentiæ Principem adeo si-
lentium coluisse, taciturnitatis virtutem compa-
randi cupidus, vt solitus esset paruum quēdā lapi-
dē in ore deferre. & S. AMBROSIVS de Pythagora
Philosopho tradit, quod per quinque annos suis
discipulis loquelę vsum prohibebat, vt silentii assi-
duitate apte loqui addiscerent. atque ab hac lege 1. Tim. 2.
nō longe abest illa, quam fœminis D. PAVLVS præ-
buit: *Mulier discat in silentio*: tandem illud sufficere
deberet ad silentium, & taciturnitatem suadendā,

[*Prou.12.*] quod SALOMON dixit: *Qui custodit os suũ, custodit animam suã*: custodit sane à multis linguæ peccatis, [*Prou.10.*] quæ grauiter vlcerant animam: *Quia in multiloquio nõ deerit peccatum*; vnde ad illa vitanda silentii opus est remedio vti, instar Anserum Siciliæ, de quibus [*D. August. in fin. suor. oper.*] refert D. AVGVSTINVS, quod timẽtes, ne si garriendo ab vno loco in alium proficiscerentur, ab Aquilis auditæ dilaniarentur, lapillum ore deferebant, quo à garrulatione præpediebantur. hos imitari Anseres non est dedignatus silentii seruandi vigilantissimus ille Agaton Abbas, qui (teste D. [*D. Hieron in vitis Patrum.*] HIERONYMO) vt linguam compesceret, paruum quẽdam lapidem (sicut de Demosthene diximus) in ore gerere consueuit; hac tamen industria opus non habuit B. Virgo, cuius linguæ gubernaculum Spiritus sanctus peculiari ratione gerebat, adeo vt ne vnicum otiosum verbũ per totum vitæ curriculum ab eius ore deflueret, vt docet sacrum CONCILIVM TRIDENTINVM.

VI CÆTERVM, vt inauditã Virginis verecundiã cum rara humilitate, ac insigni prudentia coniunctã intueamur, varias Virginis cogitationes, quas animo voluebat, variasque rationes, quæ turbationis eius causam præbuerunt, diligenter scrutemur. [*Caiet. 3. p. q. 30. art. 3.*] Card. CAIETANVS censuit in animo Virginis fuisse turbationem ortam ex necessitate materiæ, seu ex infirmitate corporis, quod debilitatur dum anima per multum temporis ad superna tendit; existimauit enim illam Virginis turbationem persimilem fuisse turbationi, quæ accidit Zachariæ, de qua D. [*Luca 1.*] LVCAS ait: *Timor irruit super eum*; & alteri Danielis [*Dan. 10.*] dicentis: *Non remansit in me fortitudo, sed species mea mutata est in me; & emarcui, nec habui quidquam virium.* at meo iudicio fallitur Caietanus, quia cum turbatio oritur ex debilitate, & necessitate materiæ; præuenit humanam voluntatem, & anteuertit vsum liberi arbitrii, ita vt vix illud relinquat compos, vt applicet intellectũ ad discurrendum; quo sane modo se habuerunt turbationes illæ Zachariæ & Danielis; beata autem Virgo hoc imperfectę turbationis genere minime laborauit, vt non obscure [*D. Ber homil. 3. sup. missus.*] testatur D. BERNARDVS dicẽs: *Turbata est, & nõ perturbata; turbata est, & non est locuta, sed cogitabat, qualis esset ista salutatio*: quib. consonãt egregia ANDREÆ Episcopi Ierosolymitani verba, sermone de Annunc. *Sola autem quadam dispositione aliquantulum meditabunda, mentis commotionem quandam significauit morum decore pro sermone vsa*: fuit ergo sine dubio turbatio illa, timor & pauor ortus ex ponderatione cœlestium arcanorum, quæ sibi ab Angelo pandebantur; vnde cõtinuo Angelus dixit [*Luc. 1.*] ei: *Ne timeas Maria*: timor igitur hic erat; qui Mariam turbauerat. Quæ autem fuerit causa huius timoris, quot capita, tot video Patrum sententias.

[*D. Ambros. lib. 1. de offic. c. 13.*] VII. D. AMBROSIVS, HIERONYMVS, & DAMASCENVS turbationem Virginis docent ortam ex subita, & inopinata apparitione Angeli in forma viri; cui sententiæ fauet Græca lectio, qui vbi vulgata nostra legit: *quæ cum audisset*: illa legit; *quæ cum vidisset*. D. AMBROS. loquitur in hunc modum: *salutata ab Angelo tacet, & mota est ad introitum eius, quia ob virilis sexus speciem peregrinam turbatur aspectus Virginis.* & super LVCAM inquit: *Trepidare Virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, omnes viri affatus vereri, discant ergo mulieres propositum pudoris imitari.* [*D. Ambr. super c. 1. Luc.*] & lib. de Virginibus tacitæ obiectioni; cur B. Virgo Angelicis visionibus assueta, viso Angelo turbata fuisset respondens ait: [*Idem Lib. 2. de Virg. in princ.*] *Gabriel eam, vbi reuisere solebat, inuenit, & Angelum Maria, quasi viri specie mota trepidauit, quasi non incognitum audito nomine recognouit; ita peregrinata est in viro, quæ non est peregrinata in Angelo*: quibus verbis significat, solitam quidem fuisse B. Virginem habere Angelicas reuelationes, non vero externas, & sub sensibili specie viri Idem etiam sensit D. HIERON. dicens: [*D. Hier. epist. ad Lætam,*] *Ideo forsitan timore perterrita Virgo est, quia virum, quem non solebat, aspexit.* & in Epistol. ad Eustoch. [*Idem epist. 22. ad Eustoch.*] *quæ hominem formidabat, cum Angelo loquitur intrepida.* & D. DAMASCENVS orat. 1. de dormitione Virg. ait: *Virgo Angeli ore commota est, vt quæ cum viris colloqui minime consueuisset, si quidem Virginitatem sedulo seruare constituerat.* [*D. Petru Chrysol. ser. 140.*] D. CHRYSOLOG. causam illius turbationis censet fuisse tam maiestatẽ, & auctoritatem personæ mittentis nuntium; quam eximium splendorem, ac fulgurantes radios, quos Angelus ex se mittebat, cui intelligentiæ fauet ECCLESIA, dũ canit [*Eccl. in off. B. Virg.*] *& expauescit Virgo de lumine*: verba D. CHRYSOLOGI hæc sunt: *Quid est, quod personam videt, & de sermone turbatur? quia venerat angelus blandus in specie, fortis in bello, mitis in habitu, in sermone terribilis, humana proferens, & diuina repromittens, vnde Virginem, quam leuiter visus sollicitauerat, nimium turbauit auditus; & quam missi præsentia parum mouerat, concussit toto pondere mittentis auctoritas.* Immo & D. HIER. ad Eustochium inquit: *Excessiuum lumen, quod repente irradiauit cubile, timorem incussit.*

VIII ACCEDIT ad hæc, quod pauorem incutere solet angelica præsentia, si cum gloria coruscans appareat; ita enim Pastores lumine circumfusi [*Luc. 2.*] territi fuere, & custodes sepulchri facti sunt velut mortui, & mulieres conciderunt Angelis apparentibus, vt contestantur sacri Euangelistæ, & simile [*Matth. 28*] quidpiam contigit IVDICVM 13. cum Angelus Sam- [*Marc. 16.*] sonis conceptum matri nunciauit, quæ dixit: *Vir Dei venit ad me, habens vultum Angelicum, terribilis nimis*: in quem locum Card. CAIETANVS sic scribit: *Non apparuit sub viri amabilis, sed timendi specie Angelus, quia mulieri iuueni apparebat; nec decebat, eam trahere ad sui amorem, sed ad reuerentiam.* ORIGEN. [*Orig. hom 6. in Luc.*] putat turbatam fuisse Virginem ex insolito genere salutandi, quia à sæculo nõ fuerat auditũ, quod fœmina aliqua fuisset ab Angelo, *gratia plena*, vocata; sic n. ait: *Soli Mariæ hæc salutatio seruabatur, si enim sciuisset ad alium quempiam similem factum esse sermonem (habebat quippe legis scientiam) nunquã quasi peregrina salutatio terruisset.* Nõ dissimilia dicit AMB. [*D. Ambr. sup. c. 1. Luc.*] *Salutationis nouam formam Virgo mirabatur; nusquam*

quā enim erat lecta, vel audita. Doctissimus PETRVS RAVENNAS arbitratur, turbatam esse Virginem propter excellentiam superni mysterii Incarnationis, quod in vtero eius celebrandum audiebat; sic enim loquitur: *Quamuis motu blando, affectu pio Virginem sibi in matrem, famulamq; sibi verteret in parētem, viscera tamen eius turbata sunt, ipsaquoq; tremefacta humana conditio, cum eius conditor Deus, quē tota creatura non capit, totum intra pectus Virginis se recepit: nam vt Angelum vidit, mens eius contremuit, cum eius ingressu Deitatis sensit ingressum.* hæc ille.

IX. CONFIRMANT eandem expositionem verba LAVRENTII IVSTIN in sermone de Annunc. dicentis: *Turbata est non ex angelico aspectu, quasi insolito, quippe quæ iugiter visitabatur ab Angelis, sed ob excellētiā tāti præsagii, quod ꝓpria merita præcellere videbatur.* subscribit eidē sentētiæ D. AVGVSTINVS dicens: *Post illius benedictionis præsagium terretur Virgo de nouitate verborum.* D. BERNARDVS arbitratus est, Mariam prudenter turbatam fuisse, quia à principio salutationis dubitauit, an salutās esset Angelus bonus, vel malus: *Sciebat* (inquit) *prudens Virgo, quod sæpe Angelus Sathanæ transfigurat se in Angelum lucis:* & super illa verba: *Ne timeas,* introducit Angelum dicentem: *Ne timeas Maria, nihil hic doli, vel fallaciæ, nullas hic insidias suspiceris, non sum homo, sed spiritus, non Angelus Sathanæ, sed Dei nuntius* similia dicit EVTHYM. *Turbata est, quia timuit; ne forte dolus esset, & cogitabat vtrum diuina esset salutatio, an à dæmone?* Subscribit huic sententiæ ANDREAS Episc. Ierosolymitans ser. de Ann. dicens: *Ne timeas Maria, non fraudulentus hic modus est, aut fallendi animo ad te venio, non impostor serpēs rursus tibi loquitur, non terrenus tibi nuntius adsum; ex altissimis veni, latum nuntium, nec qualecunque latum nuntium, sed plenum gaudii latum nuntium.* atque hoc est, quod D. IOANNES nobis faciendum consuluit: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.* Eua quidem intrepida absq; debito examine accommodauit aurē serpenti, sed *concepit dolorem, & peperit iniquitatem;* Maria autē cogitabūda, & turbata, filium Dei mox concipit, & parit: *Ecce concipies & paries.* Diuus THOMAS ex doctrina magni ABBATIS ANTONII vtilem valde regulā nos docet, ad discernēdū Angelū Sathanæ ab Angelo lucis: *non difficilis* (inquit) *est beatorum spirituum, malorumque discretio; si enim post timorem successerit gaudium, à Domino venisse sciamus auxilium, quia securitas animæ præsentis maiestatis indicium est; si autē incussa formido permanserit, hostis est, qui videtur.* Itaque in hoc dignoscitur Angelus bonus à malo, q Angelus bonus, quando apparet, in principio terret, in medio confortat, in fine vero lætificat: vnde Gabriel B. Virginem in principio terruit, quando ipsa turbata fuit, in medio confortauit, quando dixit: *Ne timeas Maria:* in fine vero lætificauit, quādo eam ex diuino spiramine grauidam reliquit. E contra vero Angelus malus, quando in Angelum lucis se transfigurat, primo delectat, in medio cōturbat, in fine tandem afficit tristitia.

D. Aug. ser. de An.
D. Bernar. hom. 3. sup. missus.
Euthym. sup. c. 1. Luc.
1. Ioan. 4.
Gen. 3.
Psalm. 7.
Luc. 1.
S. Thom. 3. p. q. 30. ar. 3.
Luc. 1.

X. S. THOMAS ex quorundam Patrum sententia docet, beatam Virginem, vtpote assuetam Angelicis visionibus, *non fuisse turbatam in visione Angeli, sed in admiratione eorum, quæ ei ab Angelo dicebantur, quia de se non tam magnifica cogitabat; vnde Euangelista non dicit, quod turbata fuerit in visione Angeli, sed in sermone.* Atq; hanc humilitatis causam approbans ipse D. THOMAS eadem q. art. 4. ingeniose obseruauit, Angelū annunciationem suam ab illa honorifica salutatione: *Aue gratia plena,* inchoasse, vt Virginem attentissimam redderet; nihil enim magis ad attentionem mouet, quā admiratio. ARIST. enim inquit: admirabilia esse inusitata omnia: & antiquos Philosophos philosophari cœpisse propter admirationem; nihil autem personam humilē magis in admirationem rapit, quam propria laudatio. Beatus etiam LAVRENTIVS IVSTINIANVS eiusdē turbationis causam humilitatem Virginis assignauit, quæ non altum saperet: *Consueuit namq; humilitas sicut semper stare sub se, ita difficile fidem accommodare eis, quæ super eā esse censentur.* Idem D. BERN. *indignam* (inquit) *se Angelica salutatione reputabat, & forsitan in mente talia meditando reuoluebat: vnde hoc mihi, vt veniat ad me sic salutandam Angelus Domini?* Equidem ei, qui vere humilis est, nihil magis displicet, quam proprias laudes auscultare; talis enim cum laudatur facie, acriter vexatur in corde; est enim humili tam ingratum laudari & exaltari, quam superbo molestum deprimi & humiliari: atque hinc est, quod B. Virgo, tanquam vere humilis, ad audita sua præconia continuo turbatur. Apostoli etiam Paulus, & Barnabas audientes diuinas laudes ab hominibus sibi deferri: *Scissis tunicis suis exierunt in turbas exclamantes: & nos mortales sumus similes vobis.* E contra vero Aman superbus, audiens sententiam Regis Assueri illum humiliantis vsque ad suspendium ligni, tremens vehementer conturbatus est. Saul similiter audiens maiorem honorem à fœminis Hebræis Dauidi, quam sibi deferri, cum canerent: *Saul percussit mille, Dauid autem decem millia,* tandem nascente Christo turbatus est Herodes, & omnis Ierosolyma cum illo, putās se à regno fore depellēdū: Balthasar deinde, cum sententiā priuationis sui regni in pariete cœlitus scriptam intuetur, pauet cōturbatus, & contremiscit. Sicut enim Domificatores, qui assueti sunt alta loca conscendere, non facile turbantur, nec casum timent, qui vero imis tantum locis ambulare assuefacti sunt, si contingat in alta loca ascendere, continuo turbantur; & casū timent; nō dissimiliter superbi assueti per ambitionem dignitatum culmina, si non re, saltem desiderio transcendere, cum ad illa euehuntur, non turbantur; humiles vero cū per humilitatē semper assuescant humilia petere loca, & in seipsis propria sui cognitione vilescere, ac deprimi, si cōtingat re,

D. Thom. 3. p. q. 3. art. 3. in fin.
Luc. 1.
B. Lauren. Iustin. ser. de Annun.
D. Bern. sup. missus
Luc. 1.
Actor. 14.
Esther. 3.
1. Reg. 18.
Matth. 12.
Dan. 5.

aut verbis exaltari, confestim turbantur, casum timent, & præcipitium verentur.

XI. In Virgine sane impletum fuit illud Salomonis: *Quomodo probatur in conflatorio argentum, sic probatur homo in ore laudatoris*: cum enim primum illud laudis verbum: *Aue gratia plena*(quod adulationem redolere poterat) audiuit, continuo turbata est, quo, quantum nos adulationem propulsare oporteat, aperte docuit. Quemadmodum enim vento mare concitatur, & orta tempestate, si adeas littus maris, respicis fluctus tumescere, & aquam turbari, & tunc homines minime nauigare audent; certi enim sunt, nauim mediis fluctibus inuolutā, ingenti periculo expositam esse, & ideo tempus tranquillum expectant: ad eundem modum quoties adulatores hominis animum laudibus demulcent, debent laudati timere, & turbari, & laudatoribus non facile fidem adhibere; nam si adhibeant, & si credant vento secundo sulcare mare, quam cito peribunt. vnde merito quidam Philosophus cum laudaretur ab adulatore, turbatus, & in iram concitatus; omnibus circumstantibus dixit: *Quid mali feci?*

Prou. 27.
Luc. 1.

XII. Tandem dicamus, quod cum B. Virgo non esset ignara sacræ scripturæ vsurpantis verbum: *benedicere*, pro eodem, atque *fœcundare*, seu *prolem dare*, vt patet ex Genes. *Benedixit eis dicens; Crescite, & multiplicamini*: certe audiens ab Angelo: *Benedicta tu inter mulieres*, acumine sui ingenii, diuino lumini suffulti, agnouit Angelum non solum à gratia, sed à futuræ prolis fœcunditate illam laudare; vnde cum ipsa castissima esset; & sui pudoris amantissima, continuo verecundia perfusa erubuit, & præ verecundia turbari cœpit. Vt enim dixit D. Bernardus: *Solent Virgines semper esse pauidæ, & nunquā securæ, scientes se in vasibus fictilibus thesaurum portare preciosum, & nimis arduum esse, angelice viuere inter homines, & in terris more cœlestium conuersari; vnde omne nouum suspectas reddit insidias.* & ibidem etiam ait; *Quod turbata est, verecundiæ fuit virginalis; quod non perturbata, fortitudinis; & quod tacuit, & cogitauit, prudentiæ.* Congruit sane ad amussim B. Virgini illud Ecclesiast. *Gratia super gratiā, mulier sancta, & pudorata*; pudor ergo, & verecundia B. Virgini, iuxta Bernardi sententiam, turbationem illam peperit, de qua Euangelista: *Cum audisset, turbata est in sermone eius*, Refert Solinus, in prouincia quadam, nomine *Helessina*, fontem quendam repertum, iuxta quem si quis verba facere incipiat, continuo aqua commoueri & perturbari incipit: fons erat clarissimus B. Virgo, ac vt primum insolita verba Angelus protulit: *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*: continuo sacro quodam affecta pudore cœpit turbari: *Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius.*

Gen. 1.
Luc. 1.
D. Ber. ser. 3. sup. miss.
Eccl 36.
Solin. c. 10.
Luc. 1.
Ibid.

XIII. In hoc sane valde elucet virginea Mariæ verecundia, è diametro opposita inuerecundię primæ mulieris, quod illa ad Angeli sermonem turbatur, hæc vero ad verba serpentis nec minimam patitur turbationem, sed cum eo, velut antiquissimo amico, confabulatur. Propter quam eximiam Virginis verecundiam arbitror sponsum comparasse illam monti Carmelo: *Caput tuum sicut Carmelus*: recte quidem poterat illam comparasse monti Sinai, vbi Deus legem tradidit Moysi, & vnde ipse descendit variis diuinæ lucis fulgoribus coruscans: recte etiam eam comparare posset monti, vnde Propheta Balaham benedixit populo Dei, nec non etiam illi alteri, vnde Elias vidit Deum non in igne, & commotione, sed in sibilo auræ tenui inuolutum; ac tandem recte illam comparare potuisset felici illi monti, quem Angelus reuelauit Loth, vt aufugeret, ne ignis Sodomæ, & Gomorrhæ illum contingeret. at consulto nulli monti, nisi Carmelo illam comparauit; quia præterquam mons iste altitudine sua reliquos omnes longe antecellit (in quo excellentiam Virginis super omnes puras creaturas denotat,) hoc honorificentissimo titulo insignitus est in sacra Scriptura: *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron.* vnde cum vultus decor pulchritudinem importet verecundia, & modestia associatam, quæ externas fœminæ actiones à recto deflectere non sinit, & hæc in B. Virgine mirum in modum effulgeret, iuxta quod sponsus ei dixit: *Pulchra es & decora filia Ierusalem*: idcirco cum monte Carmelo illam composuit, qui præter multitudinem, & pulchritudinem arborum omnes cum summa proportione dispositas continebat, quod eximium ei decorem conferebat.

Cant. 7. 5.

XIV. Tandem id dignum obseruatione arbitror, adeo placere Deo Virgineum ruborem, & ex verecundiæ virtute ortam turbationem, vt in vterum Virginis descendere distulerit, quousque Beata Virgo præ verecundia turbationem concepit. vnde quemadmodum (vt narrat Alexander ab Alexandro) in gentilium sacrificiis Apollinis Oraculum responsum suum differre solebat, quousque victima in ara oblata turbari, & tremefieri cœpisset, non secus (vt profana in sacra conuertamus) in sacrificio, quod hodierna die B. Virgo tam animæ, quam corporis sui Deo Patri obtulit, Verbum diuinum, æterni Patris oraculum (iuxta illud Diui Pauli: *Nouissime autem locutus est nobis in filio*) antiquis Patrum de eius incarnatione desideriis reipsa non respondit, quousque sacra illa victima B. Virginis præ verecundia turbari, & moueri cœpit.

Alexan. ab Alexan. in lib. Gen.

XV. Hanc raram, & inauditam Virginis verecundiam contemplans D. Ambrosius ait: *Disce Virginem moribus, disce Virginem verecundia.* hæc enim fœminis apprime necessaria est, tanquam murus reliquas omnes virtutes custodiens, atque præmuniens. vnde Tertullianus reuocans in memoriam argumentum illud, quod suæ verecundiæ, & pudoris olim Rebecca exhibuit, quādo vidit Isaac futurum suū sponsum, continuo operuit velamine vultum suum, eleganter dixit: *Ore te, siue Mater,*

D. Ambr. lib. 2. in Luc.
De Velan. Virg.

zer, siue soror, siue filia, virgo (secundum annorum no-
mina dixerim) vela caput, si mater es, propter filios, si
soror, propter fratres, si filia, propter patres, omnes in te
Cant.7.4. ætates periclitantur; indue armaturam pudoris, cir-
cumduc vallum verecundiæ, murum sexui tuo strue,
qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos. ob-
seruaui ego, quod Cerua alio vocabulo dicitur, da-
ma, & merito quidem propter similitudinē & sym-
pathiam quæ inter ceruam, & puellam Virginem,
quæ vulgari sermone, præsertim Hispano Dama ap-
pellari solet: quemadmodum cerua ex sola commo-
tione folii solet pauere, ac tremere, ita verecunda
Virgo ad cuiuscumque viri affatum tremit, & pa-
uescit; & sicut ceruam mille venatores insectantur,
vt eam capiant, velut ille alter Poeta dixit:

Imbecilles damæ, quid nisi præda sumus.

ita totidem venatores reperies, qui diu laborantes,
ac integras noctes insomnes ducentes, varia expā-
dunt retia, vt Virgines, velut imbecilles *damas* frau
dulenter capiant. aduersus ergo hos infestissimos
venatores optimum præsidium instar muri, & an-
temuralis noscitur esse verecundia: hæc enim fu-
gam suadet, quæ ceruis ad præcauendam mortem
præcipuum remedium esse solet.

XVI. Porro postquam iam vidimus rarum silē-
tium, profundā humilitatem, ac eximiam Virginis
verecundiam, reliquū est ostendamus, prout polli-
citi fuimus, has heroicas virtutes cum summa pru-
dentia in ea coniunctas fuisse, quod non obscure
Luc.1. indicant verba Lucæ dicentis: *Et cogitabat, qualis*
D.Chrys. *esset ista salutatio*: vnde D. Chrysol. inquit: *Cogitat*
ser.140. *Virgo, quia cito respondere est fœlicitatis humanæ, cogi-*
tare vero ponderis est maximi, & iudicii præmaturi.
Abigailis prudentiam sacra commendant eloquia
eo, quod Dauid contra Nabal Carmelum ira per-
1.Reg 21. citum sedauit, vnde de illa dicitur: *Erat mulier pru-*
3.Reg.1. *dentissima*: Tecuitis etiam prudentiam extollunt,
quod Salomonem cum patre suo reconciliauerit:
Gen.27. Rebeccæ itidem prudentiam efferunt, quod mo-
dum, & industriam filio suo Iacob dederit, vt be-
nedictionem, & primogenituram à patre suo Isaac
Iudit.13.11 referret: Iudith tandem prudentiam mirifice lau-
dant, quod Holofernem singulari quodam strata-
gemate deuicerit, caput amputauerit, exercitum e-
ius profligauerit, ac præclara diuitiarum eius spo-
lia tulerit: at istarum fœminarum prudentia tamet-
si insignis fuerit, ac æterna memoria digna, minime
tamen cum rara Mariæ prudentia venit comparan-
da, cum prudenter cogitans Angelicam salutatio-
nem: *cogitabat qualis esset ista salutatio*, paucis illis
verbis: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbū*
Luc.1. *tuum*; peccatores cum Deo reconciliauit; diuinam
iram compescuit, caput dæmonis contriuit, ac fili-
um Dei hœdinis nostræ mortalitatis pellibus in-
duit, vt benedictionem à cœlesti Patre vniuerso or-
bi obtineret.

XVII. Memini D. Augustinum sermone 4. ad
fratres in heremo dixisse (quod & ante illum elo-
Cic.2.Rhe. quentiæ parentem docuisse lego:) *Prudentia docet,*
quomodo præsentia ordines, quomodo præteritorum re-
corderis, & quomodo futura prouideas; quod idē haud
obscure innuerant prisci illi Romani, teste Pierio
Valeriano, qui *Prudentiam* cum triplici facie de-
pingebant, vt, quod ad tres illas temporis differen-
tias, præteritum, præsens, & futurum respiceret, in-
dicarent, idque munus prudentis viri esse docuit
Seneca dicens. *Si prudens fuerit animus tuus, tribus* Senec. li.
temporibus dispensetur, præterita cogita, præsentia or- de benefic.
dina, futura prouide. Maria igitur, tanquam Virgo
prudentissima, præterita, præsentia, & futura cogi-
tans, animoque voluens præteritum Angeli, & ho-
minis causam, præsentem cœli, & terræ iacturam,
& futuram vtriusque reparationem, vt omnibus
his, quoad posset, prudenter prouideret, Verbi di-
uini Incarnationi, ac temporali conceptioni in v-
tero suo celebrandæ verbis illis: *Ecce ancilla Domi-* Luc.1.
ni, consensit: sicut enim Angelus dixerat: *Ecce conci-* Ibid
pies: quo promptitudinem filii Dei in vterum eius
venturi significauit, ita ipsa dicens: *Ecce ancilla Do-* Ibid.
mini, promptitudinem, qua illum virgineo suo tha-
lamo suscipere parata erat, ostentauit. pertinet e-
nim valde ad prudentiam, vt quanto res maturiori
iudicio cogitata est, tanto postea promptius atque
celerius executioni mandetur, vnde Octauianus *Historiogr.*
Imperator, vt in vita eius legitur, pro insigni suo *in vit. O-*
accepit ancoram; quam Delphinus amplexabatur *ctau. Impe.*
cum hac inscriptione: *Festina lente*; grauitate qui-
dem ancoræ maturitatem, & grauitatem consilii in
deliberando significabat, Delphini vero mira velo-
citate, celeritatem in eius executione denotabat;
vtrumque istud inscriptio illa portendebat: *festina*
lente: lente (inquam) in deliberando *festina* in exe-
quendo.

XVIII. Hinc velim discamus, valde necessariā
esse prudentiam in rebus agendis; nam vt ait D. Av- D. Aug.
gvst. ad fratres in heremo: *Prudentia docet quid fu-* serm.4.
giendum, & quid tenendum sit; prudentia docet te, vt
quæ non potes perpetuo tenere, fructuose permittas abire;
prudentia docet te, vt in cunctis semper idem sis, tam in
prosperis quam aduersis; prudentia testimonium veri-
tati, nō amicitiæ reddit; prudentia cū discretione & pro-
missum accelerat, & amplius, quam promisit, præstat.
hæc ille: Tria ista prudentiæ munera docuisse mi-
hi videtur Angelus, cum dixit Esdræ: *pondera mihi* Esdr.l.4.
ignis pondus, mensura mihi flatum venti, reuoca mihi c.4.
diem, quæ præteriit. Videntur quidem hæc prima fa-
cie quædam deliria; sed non sunt, si altius ea perpē-
damus, sed prudentissima quædam documenta ad
informandos corruptos hominum mores vtilissi-
ma; cum enim ait: *reuoca mihi diem, quæ præteriit;* Ibid.
præteritam nostram vitæ cōsuetudinem vitiis enu-
tritæ in memoriam reuocare suadet, iuxta illud
Davidicvm: *peccatum meum contra me est semper:* Ibid.
seu (vt legit D. Avgvstinvs) *peccatum meum coram*
me est semper. cum vero ait: *mensura mihi flatum*
venti; quid aliud monet, nisi præsentis vitæ breui-
tatem, fugacitatem, & inconstantiam, quam ven-
to expresse comparauit Iob dicens; *quoniam ven-* Iob.7.
tus

Esdr. 4. l. 4. *tus est vita mea.* cum tandem subiunxit; *pondera mihi ignis pondus*; aperte nos edocet, attente in nobis perpendere, quo ignei amoris nostri pondus nos ferat; *D. August. lib. Confess.* nam vt dixit D. AVGVSTINVS; *amor meus, pondus meum, illo feror, quocunque feror*: ex hoc enim examine & scrutinio facile erit coniectari, & præsagire futura, quæ nos exspectant nam si amor noster ad cœlestia nos impellit, cœlestem patriam nobis pollicetur; sin vero ad terrena nos deprimat, æternam nobis minatur damnationem merito nobis pertimescendam. quid plura? certe sicut quæ ponderosa sunt, aquarum ima petunt, quæ leuia, fluitant; sic animus grauis, & prudens rerum fundum cogitando petit: leuis, & inconstans in superficie rerum fluitat. Per tenebrosam domum pedetentim procedendum, parietesque sunt palpandi: tenebrosa domus mũdus est hic, in quo versamur: pedetentim igitur, hoc est, cum consilio, ac maturitate rebus in arduis incedendum: negotia cogitatione prius veluti manu palpanda. Nautæ, demissa bolide, maris profunditatem explorant: tu demissa cogitatione, negotii pericula expende. *Nu. 13. 16.* Misit Moyses, antequam terram promissam ingrederetur, exploratores: mitte tu, antequam negotium aggrediaris, veluti fidissimam exploratricem cogitationem: Vadum prius fluminis, id est, negotii periculosi, tenta, ne si intentato vado temere pertransire velis, aquis obruaris, vt enim SENECA scribit: *Sen. epi. 23.* *Pauci sunt, qui consilio se, suaque disponant, cæteri eorum more, qui fluminibus innatant, non eunt, sed feruntur.* tu vero ex paucis illis esto, ne casu, ac temere, sed consilio vitam agas, vt æternam consequaris, quam nobis donare dignetur, qui cum Patre, & Spiritu S. viuit, & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA X.

Multiplici eruditione exponuntur verba illa Angelica: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum: *cuius occasione ostenditur, quantum ad difficultates superandas intrepidus sit, qui Deum per gratiam secum habet: è contra vero quam pauidus, & imbecillis, qui Dei gratia caret.*

I. GNOSCENS Angelus Gabriel diuino spiritu afflatus inopinatam suam salutationem quandam piæ perplexitatis turbationem in Mariano animo genuisse, vt eam ex illius pectore depelleret, pacificaque ac tranquilla mente secretissimum arcanum reuelandum gratanter ac beneuole Maria susciperet, verba illa variis mysteriis grauida eandem alloquens protulit: *Ne timeas Maria*: *Gen. 3.* quasi dicat: longe à te omnem depelle timorem: non enim ego sum Angelus ille, qui primum hominem è paradiso eiecit: *Exod. 12.* imo venio, vt homo in cœlestem paradisum reducatur: non sum ille Angelus, qui vniuersum Ægyptum septem grauissimis plagis exulcerauit, imo annuncio illum, qui sacramentis, velut saluberrimis antidotis humani generis vulneribus meditabitur: non sum ille Angelus, qui graue *Exod. 24.* legis onus in lapidibus descriptum, vt grauitatem eius significaret, Moysi detulit in monte Sinai, sed potius aduentum illius annuncio, cuius iugũ suaue erit, & onus leue, non sum alter ille Angelus, *Matth. 11.* qui vna nocte ingentem Sennacherib exercitum *2. Mach. 15.* nemini parcens interfecit, imo cœlitus venio, vt vniuersus orbis vitam habeat, & abundantius habeat: non tandem, ô Maria, ad te venio, vt te, velut incredulum Zachariam, obmutescere faciam, sed vt tibi credentium matri ad verbi Incarnationem consensum præstandum suadeam. Ne ergo *timeas*: iam enim lex timoris abire cœpit: *iã hyems transiit, imber abijt*: *Cant. 2.* non est cur Virgo Angelum formidet, cum virginitas Angelis sit cognata, non est cur iam paueas, quia tametsi diuina reuelatio in principio terreat, in fine tamen lætificat.

II. HVIVS quidem timoris, & turbationis, necnon & confortationis, qua illam à Maria Angelus depulit, egregiam imaginem existimauerim esse id, quod reginæ ESTHER contigit cum Rege Assuero: *Esth. 4. & 5.* vt enim sacra narrat historia, cum ipsa non vocata ad regem ingenti ira percitum ingressa esset, turbationem magnam concepit, adeo vt sacer textus dicat: *Regina corruit, & in pallorem colore mutato lassum super ancillam reclinauit caput*: rex autem continuo confortans eam occurrit: *Quid habes, Esther? ego sum frater tuus, noli metuere*. *Ibid.* sicut ergo ibi ad præsentiam Assueri tremuit Esther, ita ad præsentiam Gabrielis sibi loquentis turbatur Maria, licet non vt illa animo cadens, quia turbatio hæc fuit verecundiæ, illa imbecillitatis: & sicut ibi Assuerus cõfortauit Esther dicens: *Noli metuere*, *Ibid.* ita & Angelus ad consolandam Mariam turbationem ab ea excussit dicens: *Ne timeas Maria.* Memini Plutarchũ in vita Cæsaris commemorare, quod cum illo nauigante magna, & inopinata oriretur tempestas, ita vt intumescentes fluctus nauem absorbere viderẽtur, nauclerus pauere cœpit: at Cæsar ei dixit, ne extimescas, tecum enim est fortuna Cæsaris: non dissimiliter videns Angelus Mariam timore turbationis perculsam, continuo occurrit ei: *ne timeas, cum Dominus sit tecum*: quasi dicat, *tecum* est non fortuna Cæsaris, sed omnipotentis Dei indeficiens protectio, foras mitte timorem cum patre tuo DAVIDE concinens: *Psal. 21.* *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum?* Hæc verba versans doctissimus PETRVS RAVENNA in comment. huius loci inquit: *Quid timet, quæ securitatem parit, rerum causam, gaudium sæculorum: timor non est, vbi diuinum est negotium,*

non

D. Bernar. ser. super Missus. *non humanum: quid timet Maria, cui iudex est causa, assertor integritas, testis munditia*: & D. BERNARDVS Angelum introduxit in hunc modum loquentem: *O si scires, quantum tua humilitas altissimo placeat, quantaque tibi apud ipsum sublimitas maneat, Angelico te indignam nec eloquio, nec obsequio iudicares, ne mireris Maria, quod Angelus ad te venit; nam & maior Angelo in te venit: non mireris Angelum Domini cum: nam & Dominus Angelorum est tecum: postremo quid ni Angelum videas, cum iam Angelice viuas: Cur autem indebitam tibi dixeris gratiam Angelorum, quā inuenisti gratiam apud Deum?* S. PETRVS CHRYSOLOGVS contemplans B. Virginem turbatā fuisse, quod in se portare potuisset trinam regētem machinam, hæc scribit: *Denique ne tanto ponderi cœlestis fabrica in Maria subtilis nostri corporis arena succumberet, & in Virgine, totius generis humani portatura fructum, virga tenuis frangeretur, fugatura metum, vox Angeli mox præcessit dicens: Ne timeas Maria.*

Luc.1. III. VERVM mysterio sane vacare minime putauerim, quod Angelus, cum salutat Virginem, nomen eius præterit, cum tamen turbationem ab ea *Ibid.* fugare contendit, vocem Mariæ profert: *Ne timeas Maria.* Arbitror quidem, quod quia Angelus probe agnoscebat virtutem mirabilis nominis Mariæ ad placandum animum, & omnem eius timorem, & turbationem abolendam, idcirco consulto nominauit Virginem proprio nomine dicens: *Ne ti-* *Ibid.* *meas Maria*: a quo sane, ni fallor, edoctus, & illustratus Angelus, qui apparuit Ioseph, si alter fuit quam Gabriel (inferiores enim à superioribus illuminantur) volens ab eo depellere turbationem, quam conceperat, videns sponsam suam, quam nunquam agnouerat, prægnantem, nomen Mariæ adhibuit dicens: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*; nouerat enim nomen Mariæ contra omnem turbationem, & timorem optimum antidotum, & præsentissimum remedium esse.

IV. SICVT igitur beata Virgo persimilis extitit Christo Domino, ita & nomen Mariæ persimile fuit sanctissimo nomini IESV, cuius proprium est non solum turbationem, sed & ipsum dæmonem *Matt. vlt.* fugare; *In nomine meo Dæmonia eijcient.* Ab hac ex- *D. Pet. Chrys. ser. 142.* positione non longe recedit D. PETRVS CHRYSOLOGVS, cum dicat: *Maria Hebræo sermone, latine Domina nuncupatur; vocat ergo Angelus Dominam, vt dominatoris genitricem trepidatio deserat seruitutis, quam nasci, & vocari Dominam, ipsa sui germinis fe-* *D. Bernar. hom. 3. sup. Missus.* *cit, & impertiuit auctoritas.* D. autem BERNARDVS aliam viam ingressus ait, Angelum tunc nominasse Mariam, vt magis familiarem ei se exhiberet; *Familiariter* (inquit) *Virginem vocans ex nomine, benigne, ne timeat, persuadet, nihil hic doli, aut fallacia est, nullam circumuentionem, nullas hic suspiceris insidias.* Ac tandem alii putarunt Angelum consulto tunc sacrum nomen Mariæ protulisse, vt ei ad memoriam reuocaret, nomen eius in libro vitæ esse scriptum, quod non poterat non valde eam exhilara-

re, iuxta illud; *Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* *Luc.10.*

V. CÆTERVM ne ab historia Reginæ Esther recedamus, sicut de illa dicitur; *Placuit ei*, scilicet Regi Assuero; *& inuenit gratiam in conspectu illius*; ita Mariæ dicitur ab Angelo: *inuenisti gratiam apud Deum*, quorum verborum planus sensus est, quod inuenerit apud Deum hunc fauorem, vt mediante gratia sibi infusa ei placeret. phrasi enim hebraica frequenter in Scripturis, *inuenire gratiam apud aliquem*, significatur, fauorem illius consequi, idque ex solo illius beneplacito. locutus est Dauid ad Achis regem Geth: *Si inueni gratiam in oculis tuis*: hoc est, si inueni fauorem: ad eundem modum serui Dauid dixerunt Nabal, cum peterent, vt donaret aliquid ad manducandum: *Nunc ergo inueniant pueri tui gratiam in oculis tuis*: hoc est, hunc fauorem concede. Magnam quidem gratiam nactus est Abraham, cum Angeli ad eum diuerterunt, iuxta verba ab eo prolata. *Si inueni gratiam coram oculis vestris*: sed maiorem gratiam inuenit Virgo, cum rex Angelorum ex ipsa natus est. magnam sibi gratiam conferendam censebat Moyses si Dei faciem videret: *Si*, inquit, *inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam*: at Virgo non vidit tantum, sed & genuit Deum, & hominem: ac tandē inuenit Moyses gratiam electionis: *Inuenisti gratiam coram me, & te ipsum noui ex nomine.* Noe obtinuit gratiam perfectionis: *Noe vir iustus, atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit.* Esther gratiam inuenit, vt fieret sponsa Assueri regis, at Maria inuenit gratiam, vt fieret pariter sponsa, & Mater Christi. Non quidem rapuit gratiam, vt rapere superbe contendit Lucifer, sed *inuenit*, quia, *qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur*: non emit gratiam, vt pecunia emere tentauit Simon Magus Spiritus S. superuentionem, sed *inuenit* instar Euangelicæ illius fœminæ dicentis: *Inueni drachmam*, sed non quam ipsa perdiderat, sed quam perdidit prima mater, gratiam enim, quam Eua Angelo leuiter credens amisit, hanc Maria Angelo prudenter consentiens inuenit, & recuperauit: vnde ALBERTVS MAGNVS ser. 3. de Ann. dixit; *Inuenisti gratiam, non creasti, vt Deus; non rapuisti, vt Angelus: non perdidisti, vt Adam: non emisti, vt Simon Magus: non abscondisti, vt infidelis doctor, sed restituisti potius, gratiam dico increatam, & cum illa omnem creatam, spiritualem, & corporalem.*

Luc.1. *1.Reg.27.* *1.Reg.25.* *Gen.18.* *Exod.32.* *Exod.33.* *Gen.6.* *Esth.2.* *Matth.7.* *Luc.17.*

VI. SED altius, si placet, cum D. AMBROSIO, & ORIGENE verba hæc explicemus: hi Patres nomine *gratia* hoc loco intelligunt gratiam Incarnationis, iuxta illud: *apparuit gratia Saluatoris nostri, erudiens nos*: ad cuius intelligentiam nonnulli moderni supponunt, quod cum B. Virgo diuinitus illustrata agnouisset proximum iam esse aduentum Messiæ, & ex prosapia Dauidica, vnde ipsa originem ducebat, oriundum fore, virginitatis propositum diligenter custodiens, Deum precari non cessabat, vt dignaretur illam esse Virginem, de qua ISAIAS: *Ecce Virgo*

D. Ambr. & Orig. sup. c.1. Luca. *Salmeron in commēt. huius loci* *Mas. in vita B.V. li.3. c.12.*

concipiet: vnde (aiunt) suis precibus hanc gratiam quæsisse, & inuenisse. Cæterum duo mihi id dissuadent, primum quod de rara ac profunda humilitate Virginis verisimile non est, celsissimam illam Dei Genitricis dignitatem à Deo postulare præsumpsisse sed potius illius ancillã esse, quæ futura erat mater Dei: alterum est, quod D. BONAV. de medit. vitæ Christi refert, cuidam fœminæ (quã putat fuisse S. Elisabeth) factam fuisse à Deipara Maria hanc reuelationem in hæc verba: *Petebam, vt faceret mihi videre tempus, in quo nata esset illa honestissima Virgo, quæ debebat filium Dei parere, & vt conseruaret oculos meos, vt possem eam videre; linguã, vt possem adorare; manus, vt possem ei seruire, &c.* quamuis autem Virgo non postulauit filium Dei concipere, quærens tantum matri Dei ancillari, gratiam illam, vt ipsa fieret mater Dei, inuenit, & vt gratię auctorem ex se gigneret; quod inde non parum stabiliri posse autumo, quia commemorante sacra scriptura nonnullos, qui gratiam Dei inuenerunt, quosdam ex illis ait, inuenisse eam coram Deo, vt de Moyse, de quo in EXOD. dicitur: *Inuenisti gratiam coram me:* alios inuenisse eam ante Deum, vt de Dauid, de quo LVCAS è D Stephano Act. 7. dixit: *Inuenit gratiam ante Deum:* ac tandem alios refert gratiam inuenisse in oculis Dei, aut in conspectu Dei, vt habetur GEN. 6 & 18. apud Deum tamen inuenisse gratiam nulli alteri, quã B. Virgini tribuit, vt hoc peculiari genere loquendi significaret gratiam, quam inuenit, fuisse filium Dei, qui erat apud Patrem, iuxta illud IOAN. *Et verbum erat apud Deum.*

Exod. 33. *Ioan. 1.*

VII. HANC intelligentiam satis id confirmare videtur, quod postquam dixerat: *Inuenisti gratiam apud Deum;* cõtinuo subiunxit: *Ecce concipies & paries filium:* gratia igitur, quam inuenit Maria, filius Dei est, quem conceptura erat. Sic enim eum vocat D. PAVL. dicens: *Vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem;* & hanc quidem gratiam (vt egregie dixit ANDREAS IEROSOL.) *non accepit Sara, non sensit Rebecca, non cognouit Rachel) non est digna habita Anna mater Samuelis, quoniam eæ quidem ex sterilibus factæ sunt matres, amittentes vna cum virginitate orbitatẽ; tu autem, etiamsi mater sis, virginitate tamen frueris illæsa.* D. PAVLVS cœlesti numine illustratus inquit: *Diuisiones quidem gratiarum sunt;* & diuersi diuersa obtinuerunt: alii interpretationem sermonum, alii genera linguarum, alii gratiam sanitatis, & his similia; sublimem autem hanc gratiam filiũ Dei proprio vtero concipiendi, nulla vmquã fœmina præter Mariam inuenit. vnde D. BERNARD dicebat: *Inuenisti, quod quærebas; inuenisti, quod nemo ante te potuit inuenire: inuenisti gratiam apud Deum, Dei & hominum pacem, mortis destructionem, vitæ reparationem:* ac tandem dum D. DAMASC. de dorm. Virg. dixit: *Gratiæ abyssum Virgo inuenit, quæ duplicis virginitatis panem incolumem seruauerat, animam non minus, quam corpus virginem custodierat.* quid quæso aliud intelligit, quam Mariam inuenisse filium Dei, qui abyssus est, & perennis fons gratiæ.

Luc. 1. *Hebr. 2.* *Andr. Ierosl. in cõment. huius loci.* *1. Cor. 12.* *D. Bernar. hom 3. sup. miss.* *D. Damas. orat. 1.*

VIII. HINC nos à Maria discamus quærere gratiam, non apud homines, nõ illam, quam obtinuit Ioseph apud Pharaonem, aut Daniel apud Darium, & multo minus illam, quam inuenit Aman apud Regem Assuerum, aut Achitophel apud Absalonẽ, quæ Aman crucem peperit, Achitopheli vero suspendium attulit: vnde acute D. AVG. dixit: *Mundus iste periculosior est blandus, quam molestus, & magis cauendus, cum se facit diligi, quam cum admonet, cogitque contemni;* oportet ergo quærere gratiam apud illum, per quem reges regnant, & legum conditores iusta decernunt, & cui potentatus omnes tam terrestres, quam cœlestes subiiciuntur. hoc idẽ monens BERNARD. dixit: *Quæramus gratiam apud Deum, nam apud homines gratia fallax. Quærant alij alia, nos inuenire gratiam studeamus. Quid enim? non gratiæ est, quod hic sumus? profecto misericordiæ Domini est. quod non sumus consumpti nos? Qui nos? Nos periuri, nos adulteri, nos homicidæ, nos raptores, purgamenta vtique mundi huius.*

D. August. ep. 144. *D. Bern. ser. 5. in Ann.*

IX. ILLVD quidem inter alia multa, quæ nobis suadent gratiam quærere apud Deum non apud homines, non minorem locum obtinet, quod illa ad bonum fortem, & intrepidam reddit animam, hæc vero timidum, ac imbecillem magis ad virtutem capessendam, & ad vitia sequẽda proniorem. Hinc SALOMON ait: *Fugit impius nemine persequente; iustus autem, quasi leo confidens:* ac si apertius dicat: nihil inueniri potest formidolosius impio; quoniam caret gratia Dei, nihilq; fortius iusto, quia gratia Dei instar fortissimi leonis illum hostibus suis horribilem reddit. peccat primus parens, & gratia destitutus, quam primum Deus illi dixit: *Adam vbi es?* respondit: *vocem tuam Domine audiui in paradiso, & timui.* ecce primum fructum peccati, formido est & pauor, vt ait IOB: *Sonitus terroris semper in auribus illius, & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur.*

Prou. 28. *Gen. 3.* *Iob 15.*

X. TRADVNT Philosophi naturales, leporem auditum habere acutissimum, ita vt vel leuem sibilum quam longissime audiat: & cum animal sit timidissimum, semper vagatur, & fere numquam quiescit; imo & quando dormit, oculos habet apertos, quasi nulli fidens. Ferunt etiam iidem, ceruos eodem genere timiditatis laborare, ita vt numquam quiescant, sed ad quemcumque vel folii leuissimi sonitum contremiscant: sic impiis, cum gratia Dei careant, semper terror sonat in auribus eorum, & leporibus, & ceruis timidiores, & imbecilliores multo redduntur, vnde apud DEVTERON. minabatur Deus populo Israel: *Si violaueris legem Dei, non erit fortitudo in manu tua, & dabit tibi Dominus cor pauidum, & timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ, & mane dices, quis mihi det vesperam? vespere, quis mihi det mane?* & apud LEVITICVM: *Dabo pauorem in cordibus eorum, in regionibus hostium terrebit eos sonitus folij volantis, & ita fugient, quasi gladium: cadent, nullo persequente:* timeat ergo, & tremat peccator Cain, cui Deus est iratus, & dicat: *Ecce eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, omnis qui in-*

Deut. 22. *Leuit. 26.* *Gen. 4.*

uenerit

Psal. 26. *August. sup. Psal. 26.* *Psal. 2.*

uenerit me, occidet me: quem enim Deus à facie, & gratia sua eiicit, quæ mala non inuadent? & quem Deus gratiæ suæ donis cumulat, quæ bona non consequentur? Id probe agnoscens, imo expertus DAVID confidenter canebat: *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum, si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo*. quid quæso habes Dauid iuxta te, aut in quo confidis, vt neminem timeas? respondet: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* super quem Psalm. D. AVGVST. egregie dixit: *Protegitur Imperator scutatis, & non timet; protegitur mortalis, & securus est: protegitur mortalis ab immortali, & timebit?* quid est illuminatio Dei, & salus Dei, nisi gratia Dei? hæc est, quæ mentem illuminat, voluntatem accendit, animæ salutem præbet, vires homini confert eas, vt idem regius Psaltes diceret; *Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala. quoniam tu mecum es*: cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA XI.

Luc. 1.

Mariana illa verba: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? *multifariam, multisque modis illustrantur, & ex illis aduersus oblatrantes Hæreticos, constantissima Mariæ fides, integerrima Virginitas, voto constabilita, ac rara, & inaudita eius prudentia apertissime commonstrantur: quorum occasione permulta ad informandos mores traduntur.*

I. NTEQVAM varia arcana, quæ in propositis verbis latent, detegamus, operæ pretium duxi, prius pulchram Patrum contexere catenam, qua B. Virginem ab Hæreticorum calumnia perfricata fronte de incredulitate illam increpantium acerrime vindicemus. Contendunt impii Hæretici, Mariam dubitasse de veritate rei ab Angelo sibi nunciatæ, & ideo vacillantẽ dixisse: *Quomodo fiet istud?*

Luc. 1.

In eamque sententiam quorundam Patrum extorquent testimonia, præsertim AVGVST. & CHRYSOS. quia ille lib. quæst. noui, & veteris Test. dixit; *Ambigenti Mariæ de conceptu possibilitatem Angelus prædicat*; quibus verbis aperte indicare videtur, propterea Angelum instruxisse illam de possibilitate mysterii, quod nuntiabat, adhibito Exemplo Elisabethæ sterilis, quæ iam conceperat, simulque subiunxisse: *quia non erit impossibile apud Deum omne verbum*. In idem trahunt CHRYSOST. introducentem Angelum ad Mariam in hunc modum loquentem: *Ne quæras naturæ modum, & exordium, quando supra naturam sunt quæ fiunt; sane propter hoc erit, quoniam virum non cognoscis, nam si cognosceres, non fuisses habita digna, vt huic ministerio seruires, atque adeo, quod incredula es, propter hoc crede.*

Luc. 1. *Chrysost. hom. 29. in Gen.*

Possuntque hæc Patrum testimonia in hunc modum corroborari; nam vel Virgo existimabat ad Christi conceptionem opus esse virili opera, & hoc non, cum non ignoraret tritum illud ISAIÆ vaticinium: *Ecce Virgo concipiet*; vt enim tradit D. AMBROSIVS, ipsa legerat verba illa ISAIÆ, & vt docet D. THOM. donum, & vsum prophetiæ habebat, & saltem perfectam fidem habebat mysterii Incarnationis, atque adeo, quod Deus concipiendus erat à Virgine: vel putabat, virilem operam ad eam conceptionem non desiderari, & sic omnino frustra, & præter rem dixisset: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* nam, vt adnotauit CHRYSOST. præcitato loco; *potius ad concipiendum Christum oportebat non cognouisse virum*, restat ergo, vt dubitantis sint illa verba.

D. Amb. li. 2. in Luc. *Isaia 7.* *D. Tho. 3. p. q. 25. art. 5.* *Luc. 1.* *D. Chryso.*

II. NODVS sane hic videtur difficilis, ac similis herculeo nodo, in quo nec principium apparebat, nec finis. qualis etiam fuisse dicitur nodus Gordius, quem Alexander, quia dissoluere nequiuit, ense dissecuit. sed absit hic, quidquid garriunt Hæretici, tãtam agnoscere difficultatem, multifariam enim enodari, ac dissolui posse arbitror. Primo quidem, si dicamus probe quidem agnouisse Mariam, ex vaticinio Isaiæ, Virginem concepturam, & parituram Christum, salua & incolumi eius virginitate; sciebat tamen ex diuina omnipotẽtia effici posse, vt ex viro Virgo conciperet absque iactura suæ integritatis, sicut nonnulli dicunt futurum fuisse in statu innocentiæ, vt scilicet absque læsione virginei claustri fœminæ ex viris conciperent, ac parerent, & ideo, quia ignorabat modum, recte Maria interrogauit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Secundo facile hic nodus dissoluitur ex singulari illa pariter, & ingeniosa ALBERTI MAGNI interpretatione, qui in comment. huius loci ait: *Quod ex hoc, quod Maria quæsiuit, non sequatur aliqua dubitatio, nec de facto, nec de modo: patet ex hoc, quod non omnis quæstio est propter dubitationem: Dominus enim in Euangeliis sæpe plura quæsiuit, & tamen de nullis vmquam dubitauit: item Ioannes, cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos ex Discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* quod non propter se, sed propter Discipulos quæsiuit: similiter videtur, quod etiam B. Virgo quæsiuit non sibi, sed nobis. Cõcludit igitur ALBERTVS quæstionem Virginis non factam propter dubitationẽ sed (vt verbis eius vtar) *propter materiæ pleniorem descriptionem, propter veritatis maiorem expressionem, ac denique propter nostram ædificationem.*

Luc. 1. *Alber. Mag. in comme. sup. miss.* *Matth. 11*

III. ALII Theologi dicunt, verosimile satis esse, quod quamuis B. Virgo præcognouisset Messiã ex Virgine fore concipiendum, non tamen statim ad omnia hæc attendit. hanc responsionem indicat D. AVGVSTINVS serm. 2. de Ann. & sufficienter etiam difficultatem soluit: cum enim statim non

ad id attendisset, & alioquin sollicita esset de conseruanda sua virginitate, in ea verba amore illius prorupit: *quomodo fiet istud*, &c.

Luc.1.

IV. TANDEM faciliorem intelligentiam, & veritati, & literæ magis consentaneam esse opinor, B. Virginem nihil aliud significare voluisse, quam supposito, quod ipsa non erat cognitura virum, vt certo supponebat ex vaticinio Isaiæ, quomodo, & qua ratione cõceptio in ea perficienda esset, interrogauit; ad quod respondit Angelus, per superuentionem, & obumbrationem Spiritus S. in eam faciendam fore. Patres autẽ adductos, AVG & CHRY. cum alioquin magnis præconiis Mariæ fidem cõmendent, minime gentium credam, incredulitatis macula eam labefactasse; vnde D. THOM. ait. AVGVSTINVM de dubitatione admirationis, non incredulitatis locutum fuisse: vel certe dicendum, non loqui de dubitatione circa rem reuelatam, sed circa modum, quem Virgo cupiebat ediscere, vt in simili dixit idem AVG. lib. 16. de Ciuitate Dei, c. 24. exemplum autem Elisabethæ non adduxit Angelus ad confirmandam Mariam in fide, sed ad magis explicandum mysterium, vel, si credimus BERNARDO, ad hoc, vt alacrem illam redderet de bono nuncio conceptionis Elisabeth, sic enim ait S. BERNARDVS: *Quid fuit necesse, etiam huius sterilis Virgini nunciare conceptum? numquid forte dubiam adhuc, & incredulam oraculo, recentiore voluit confirmare miraculo? absit, ideo sterilis cognatæ conceptus Virgini nunciatur, vt dum miraculum miraculo additur, gaudium gaudio cumuletur.* Chrysostomum vero arbitror incredulã vocasse propter aliquam in credendo morulam minime culpabilem, nisi mauis dicere (vt nonnulli tradunt) verbum illud non inueniri in originali Græco D. CHRYSOS. sed vel ab aliquo indocto, vel forsan hæretico, in latina illius versione fuisse intrusum.

D.Th.3. p. q.30. art.4 ad 2.

D.Bern. hõ sup. missus.

V. HIS iam prælibatis, producamus nunc antiquos, ac proceres Ecclesiæ Patres vnanimi assensu contestantes, in illis verbis: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* nullũ prorsus incredulitatis, aut dubitationis vestigium inueniri, immo fidẽ magnam effulgere D. BERNARD. versans proposita verba ait: *Non dubitat de facto, sed modum requirit, & ordinem: nec enim quærit, an fiet istud, sed quomodo: quasi dicat, cum sciat Dominus meus, testis conscientiæ meæ, votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, vt fiat istud? si oportuerit me frangere votum, vt pariam filium, & gaudeo de filio, & doleo de proposito Sin vero virgo concipiam, Virgo & pariam, quod vtique si placuerit ei, impossibile non erit; tunc scio vere, quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* GREGOR. NYSSENVS Episcopus oratione de humana Christi generat. & hom. 14. de Natiu. *Quomodo fiet istud, vt grauescam ex pudico, & castissimo marito, quoniam virum penitus non cognosco? desponsata sum homini iusto, si cum illo non conuenero, vnde erit quod generabo? sed si poterit fieri, vt concipiam intacta, & generem clausa, indica modum, & paratum inuenies cor meum: omnibus enim modis excepto me ego Deo meo, vt habeam prolem, & non perdam pudorem.* BEDA sup. LVC. *non ait: Quomodo hoc sciam? sed quomodo fiet (inquit,) ordinem videlicet, cui subdatur, inquirens, non autem signum, cui credat flagitans; nec enim decebat electam generando Deo virginem dubiam diffidentia, sed prudentia cautam existere.* D. ANSEL. li. de excellentia B. Virginis c. 3. *O Domina (inquit) audis, quæ feruntur ad rem omni sæculo inauditam; paues, & miraris, nulla tamen incredulitate moueris: verum indubitanter tenes apud te, omnino impossibile fore non fieri; quod Angelus dixit futurum esse*, & subdit: *Credidit ergo & certissime intellexit, Deum tam bonum, tam pium, tam misericordiæ visceribus plenum, vt ad terras de cœlesti sede descenderet, & homo factus per indebitam sibi mortem genus humanum à perpetua vellet morte, qua tenebatur, eripere: respondes ergo nuncio, ait: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, ô fides Deo accepta, ô humilitas grata, ô obedientia omni sacrificio iucundior Deo oblata!* THEOPHYLACT. deinde in commentario eiusdem loci in hũc modum loquitur: *Non quasi discredens, dixit: quomodo erit mihi istud? sed vt prudens, vt intelligẽs, vt discat modum, inquirit; non enim prius tale quiddam factum est, nec posthac fiet; ideo & ignoscit ei Angelus, & non condemnat vt Zachariam, sed magis modũ docet: nam Zacharias merito condemnatur, habuit enim exempla multa; quandoquidem & multæ steriles pepererunt; Virgini autem nullum exemplum erat.* D. BONAV. super eundem locum inquit: *Nec omnino quærit modum sciendi, seu signum, quod fidem faciat, vt Zacharias, sed quærit modum faciendi, vt consentiat,* secundum illud PROVERB. *Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.* EVSEB EMISSENVS egregia nobis scripta in idem argumentũ reliquit, dũ ait: *Non dubitat fieri, quod Angelus fieri promittit: interrogat tantum, quomodo fiat, quoniam, quamuis Virginem aliquando parituram audierat; dicit enim Isaias; Ecce Virgo concipiet, & pariet filium; quomodo tamen pariet, non dicit; quia ergo Virgo est, & virum non cognoscit, quomodo pariat, & Virgo maneat, interrogat: quia nulli adhuc reuelatum erat.* Hæc ille.

Luc.1.

D.Bernar. hom.4. de Annunt.

Beda super c.1. Luc.

Theoph in c.1. Lucæ.

Luc.1.

D. Bonau. su. c.1. Luc.

Prou.4.

Eus. Emis. ser.4. ante Domin. 2. aduent.

Isai.7.

VI. FVLGENTISSIMVM Ecclesiæ lumen S. Pater AVGVST. magnum discrimen inueniens inter interrogationem Zachariæ, & Mariç, inquit: *Zacharias quando ait: vnde hoc sciam, vel per quid hoc cognoscam, qui sum adeo cum vxore senex, desperando dixit, non inquirendo. Maria vero cum interrogat. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? inquirendo dixit, non desperando, propterea illi dicitur; Tacebis, quia non credis, huic vero causa exponitur; quia dum interrogaret, de promissione non dubitauit.* Sed & AMBROS. Domini matrem defendit, ac fidei imbecillitatem in solo Zacharia ponit: *Maria* (inquit) *iam de negotio tractat; Zacharias adhuc de nuncio dubitat; negat ille se credere, qui negat se scire, & quasi fidei adhuc quærit alium auctorem. Ista se facere profitetur, nec dubitat esse faciendum, quod quomodo fieri possit, inquirit.* & in eodem etiam loco de Maria inquit: *Non fidẽ tenuit,*

D. Amb. in exp. c.1. Lu

Ibid.

non

non officiũ refutauit, sed accommodauit affectum, spopõdit obsequium. Etenim cum dixit: *quomodo fiet istud?* non de effectu dubitauit, sed qualitatem ipsius quasi uit effectus. Ac tandem celeberrimus ille PETRVS RAVENNAS (P. Raue. ser.1.Luca) rationem reddens, quare interrogans Zacharias ab Angelo Gabriele puniatur, interrogãs vero Maria gratũ ab eodem Angelo accepit respõsum, hæc præclara scribit: *Ille pectorum cognitor, non verba, sed corda præuidit, non quid quisq; dixerit, sed quid senserit, iudicauit; erat enim interrogantium dissimilis causa, species perdiuersa. Hæc contra naturam credidit, ille pro natura dubitauit, hæc integre ordinem rei requirit, ille quod Deus fieri iubet, fieri nõ posse præscribit; ille impellentibus exemplis ad fidem nõ accedit, hæc ad fidem sine exẽplo præcurrit; hæc miratur de partu virginali, hic disputat de conceptu coniugali.* hactenus ille. Quæ omnia Patrum testimonia ex verbis Elisabeth Virginem alloquentis apertissime confirmantur: (Luc.1.) *Beata es, quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino.* ecce fatetur Elisabeth diuino spiritu afflata excellentem adeo fuisse Virginis credulitatem erga arcana ab Angelo sibi reuelata, vt in præmium illius impleta forent in ea omnia, quæ Angelus ei pollicitus fuerat.

VII. SCIO quidem perfidos Hebræos abusos fuisse hoc aduerbio (*quomodo*) suæ incredulitatis indubitata indicia ostendentes, apud IOANNEM (Ioan.6.) enim dixerunt: *Nonne hic est filius Ioseph, cuius nouimus patrem, & matrem quomodo ergo dicit hic, quia de cœlo descendit?* & rursus, cum Christus Dominus (Ibid.) diceret illis: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita:* ipsi vero *litigabant dicentes: quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* ac tandem quando Christus ascendit in templum, ibique docebat adstantes mirabantur, dicentes: (Ioan.7.) *quomodo hic literas scit, cũ non didicerit?* quib. verbis aperte negabãt de cœlo eũ descendisse, carnẽ suam manducandam porrigere posse, aut literatum esse, cum numquam didicisset; at longe diuersa est vsurpatio huius aduerbii (*quomodo*) apud Mariam, nam (vt auctor est D. AMBROSIVS) (D. Amb. l. 2. de Abraham, c.8.) sicut cum Abraham, pater credentium, audiuit terram Chanaan sibi suisq; posteris esse donandam, diuino credidit oraculo; interrogauit tamen modum quo id esset executioni mandandum, dicens: (Gen.15.) *Domine Deus vnde scire possum, quod eam terram sim possessurus?* ita B. Virgo mysterium sibi reuelatum constantissime credens, de modo solum quæsiuit: vnde (inquit) Mariam hoc voluisse dicere: *Cum id, quod natura est, non suppetat, quia non solum parere Virgo, quæ viro non fuerit copulata; quæro, quomodo præter instituta naturæ possim generare?* Deinde cum Euangelicus ille Nicodemus, Christo ei dicente: (Ioan.3.) *nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei*, continuo interrogauit: *& quomodo potest homo nasci, cum sit senex?* quæ quidem interrogatio (vt CORNELIVS (Cornel.Ian. in sua conc.) adnotauit) non fuit ex diffidentia orta, cum vere paratus ad credendum, quæ à Christo audierat, illam fecisset: propterea .n. meruit à Christo (Ibid.) edoceri modum, quo id fieri deberet, nempe per sacri baptismatis regenerationem; eodem ergo modo, immo magis ab omni incredulitatis suspicione alieno beatissima Virgo Angelum interrogauit: *Quomodo* (Luc.1.) *fiet istud?* mysterii quidem conscia, modi tamen ignara, de quo sciscitatur, vt discat. Ac tandem, sicut olim castus Ioseph ob castitatis amorem à lasciua fœmina prouocatus, dixit: *quomodo possum hoc* (Gen.39.) *malum facere?* ita B. Virgo, zelo virginitatis, quam ardentissime amabat, audiens se concepturam, & parituram: *Ecce concipies & paries*: (Luc.1.) licet alioquin nihil mali suspicaretur, quæ certo agnoscebat, sanctum Angelum Dei secum loqui, interrogauit tamen modum, quo illa extrema adeo distantia, Mater, & Virgo, inter se copulanda forent. Quare tantum abest, vt verba hæc: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* (Ibid.) minimam aliquam incredulitatis notam præseferant, vt inter arcana, quæ in eis delitescũt, & nos reserare polliciti sumus, primum omnium insignis ac irrefragabilis Mariæ fides annumeranda veniat; vt enim dixit D. IREN. (D. Iren. lib 3. c.33.) *Quod Eua ligauit per credulitatem, hoc Maria soluit per fidem, qua & altissima mysteria statim credidit, & sine mora obediendo consensit.*

VIII. QVAMPLVRES insignis fidei viros sacra cõmemorat eloquia, quorum meminit D. PAVLVS ad (ad Hebr.11) HEB. *Fide Enoch placuit Deo, & translatus est;* (Gen.5.) *fide Noe aptauit Arcam in salutem domus suæ*, (Gen.9.) fide Iacob singulos filiorum Ioseph benedixit, (Gen.27.) fide Ioseph moriens de profectione filiorum Israel in terram promissionis, & de ossibus suis illuc asportandis mandauit; (Gen.50.) fide Moyses natus occultatus est; (Exod.2.) fide se filium filiæ Pharaonis negauit; fide Pascha celebrauit; (Exod 12.) fide Israel filii mare rubrum transierunt, (Exod.14.) fide muri Iericho corruerunt, (Iosue 6.) & quid amplius dicam? deficiet enim me tempus de sanctis antiquis narrantem, qui (teste D. PAVLO) (Hebr.11.) *per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones;* quorum alii fide obturauerunt ora leonum, sicut Daniel; (Dan.6.) alii fide exstinxerunt impetum ignis, sicut tres pueri; (Dan.3.) alii fide conualuerunt de infirmitate; sicut filii Israel, & Ezechias; (Iosue 17.) (Isai.38.) fide alii fortes facti sũt in bello, sicut Iosue, & Iudas Machabæus; (Exod 17.) (1. Macha 3) fide etiam receperunt mulieres mortuos suos, sicut per Eliam, & Elisæum; (3. Reg.17.) (4. Reg.4.) alii propter fidem lapidati sunt, vt Ieremias in Ægypto, & Ezechiel in Babylone: *alii secti sunt*, vt Isaias teste HIERON. *in occisione gladii alij mortui sũt*, vt Vrias, & Iosias; (Heb.11.) (2. Reg.11.) (2. Paral.35) fide alii circumierunt in melotis, vt Elias; (4. Reg.2.) *& isti omnes &* multi alii pericula præsentis sæculi transierunt; *& fidei testimonio probati inuenti sunt.* sed horum omnium fidem valde præcelluit fides magni Patriarchæ Abrahæ, (Hieron. in prolog. sup. Ierem.) quem adeo accurate D. PAVLVS commendauit, vt de eius fide loquens diceret; *Contra spem in spem credidit, vt fieret pater multarum gentium; secundum quod dictum est ei: sic erit semen tuũ,* (Isa. & Ezec.) *sicut stella cœli, & arena maris; & non infirmatus est in fide, nec considerauit corpus suum emortuũ: cum iam ferè centum esset annorum, & emortuam vuluã Saræ;* in (Rom.4.) (Gen.15.) (Rom.4.)

 repro-

repromissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia , sed confortatus est fide , dans gloriam Deo : plenissime sciens , quia quæcunq; promisit Deus , potens est & facere.

IX. Talibvs his grauissimis verbis Doctor gentium Patriarchæ Abrahæ fidem commendat: Licet tamen celebris, ac æterna memoria digna fuerit Abrahæ fides, illam tamen fides Mariæ longo interuallo superauit: ille enim credidit, sterilem nonagenariam parituram, Maria autem virginem futurã esse matrẽ: *Gen.18.* Abrahę non defuit exẽplũ partus suæ vxoris (Adam enim, & Eua post centum, & triginta *Gen.5.* annos genuerant filium suum Seth , immo Noe, dum quingentorum esset annorum , genuit Sem, *Ibid.* Cham , & Iaphet) Virgo autem beata nec primã similẽ viderat, nec futurã sequẽtem sciebat: Abrahæ promissa est proles, sed ex fœmina & viro , Vir- *Gen.18.* gini autem ex fœmina sine viro ; Abraham credidit, purum hominem à se fore generandum, Maria vero Deum hominem à se esse concipiendum ; Abraham, vt facta sibi promissio impleretur, Deum etiam posse mortuum Isaac suscitare, non dubita- *Hebr.14.* uit (vt obseruauit D. Pavlvs) *æstimans, quod potens est Deus eum à mortuis suscitare.* Virgo autem beata Deum nasci, & mori posse firmissime credidit. Crediderat olim Gedeon Domino, quod saluare debe- *Iud.6.* bat populum Israel per manus suas à Madianitis, sed non absque signo miraculoso sibi exhibito: *Ponam hoc vellus lanæ in area, si ros in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas , sciam , quod per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel.* Maria autem Angelo ei prænuncianti, vniuersum mundum per *Matth.1.* filium eius à Diaboli seruitute redimendum: *Ipse enim saluum faciet populum suum* , firmissime assensit. Crediderant olim Moyses, & Aaron, non tamen absq; hæsitatione, & diffidentia , dum dixerunt: *Num.20.* *Num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere?* B. autem Virgo ex petra intacti sui vteri futurum fore, vt fons viuus scaturiret, indubitanter credidit.

X. Hinc est quod sancti Patres variis encomiis Mariæ fidem commendant , vt enim tradit Abvlensis, propter eximiam fidei illius perfectionem *Abulẽ. parad.1.c.31.* Avgvstinvs vocauit illam : *Matrem credentium:* Athanasivs ser. de sanctiss. Deipara, *hæresũ interemptricem*: Ignat. epist. 1. *Christianæ religionis magistram*, D. Cyrillvs contra Nestorium; *Sceptrum fidei*; cui cognomini si adiungamus Antiquos ad significandã Cõcordiam depinxisse cornices duas in medio cuiusdam sceptri erecti, vt significarent, sceptra, & regna tamdiu, quamdiu concordia duratura; apte inde colligemus, quod cũ B. Virgo pariter sit sceptrũ fidei , & reconciliatrix Dei, & hominum, Deum quidem in Maria ad amussim expressisse egregiam quandam imaginem fidei , & Ecclesiæ Catholicæ perpetuitatis, ita vt solo eius fauore suffulta portæ inferi aduersus eã præualere nulla ratione queant. Quid plura in Marianæ fidei laudẽ in mediũ producam? in eo quidẽ valde effulget Mariæ fides, ꝙ cũ alioquin Pavlvs ad Romanos dicat: *fides ex auditu*, *Rom.1.* Virginem autem concipere , & Dei genitricem fieri prodigium sit à sæculo non auditum, vt ait Isai. *Quis audiuit vnquam tale?* *Isa.66.* Virgo tamen hoc inauditum firmissime credidit; deinde , quorum exempla videntur , facilius creduntur (nec enim est incredibile, quod exẽplo mõstratur) Deum autem fieri hominem, nullo exemplo visibile erat, Isaia dicente: *Quis vidit huic simile?* *Isai.53.* Mariæ autem fides adeo creuit, vt non dubitaret se Deum hominem concepturam; vnde potiori iure de illa quã de Centurione dicere potuisset Christus Dominus: *non inueni tantam fidem in Israel.* *Matth.1[?]* Adhæc reuocate, quæso, in memoriam Christum Dominum expresse docuisse, ad transferendum ingẽtẽ montem ex vno loco ad alium exiguam fidẽ sufficere: *si habueritis fidem, sicut granum synapis , dicetis mõti huic, trãsi hinc illuc, & trãsibit, & nihil impossibile erit vobis*: verum ad hoc, vt sublimis ille mõs Verbi diuini de sinu Patris ad vterum Virginis transferretur, multo quidem maior fides necessaria erat, fides quidem tam audax, vt eo perueniret, quo nulla vnquam attingere tentauit intelligentia ; fides tam velox, vt ascenderet super Cherubin , & volaret super Seraphin; fides deniq; tã potens , vt accederet ad inaccessibilem, & comprehenderet incõprehensibilem, arctaret immensum, & caperet, quẽ cœli cœlorum capere non possunt. Talis fuit integerrimæ Virginis nostræ fides, quæ super cœlorum cacumina scandens immensam illam diuinitatis abyssum in arctissimi virginei vteri sui sinu cõclusit, & circumferentia ipsius illum circumscripsit, vt sic impleretur illud Ieremiæ: *Mulier circumdabit virum.* *Ier.31.*

XI. Ex his omnibus in eam ducor sententiam, *S. Bern. [?] 15. de fest. Virg.* vt putem, nostrum S. Bernardinvm Senensem verissime asseruisse, plus meruisse Mariam eo actu fidei, & obedientiæ , quo Angelo annuncianti filii conceptionem assensit , quam meruerint omnes Sancti omnibus actibus ac meritis suis; quia videlicet eo actu meruit saltem de congruo eam dignitatem, cui excellentior gratia, & gloria quam reliquis debetur; & ad hoc accommodat verba illa Sa- *Prou.31.* pientis: *multæ filiæ congregauerunt diuitias , tu vero supergressa es vniuersas.*

XII Porro iam ad secundum arcanum in verbis Mariæ latens: *Quomodo fiet istud , quoniam virũ non cognosco?* *Luc.1.* accedamus. Hæc verba apte explicari posse arbitror per illa Cantic. *exspoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* *Cant.5.* cũ enim ait : *exspoliaui me tunica mea*; significat abdicasse à se omnẽ filiorũ sobolem & eorũ procreationẽ, qua tũc, velut tunica , sterilitatis ignominia tegebatur; cum vero subdit: *quomodo induar illa?* *Ibid.* perinde est, ac si diceret; quomodo propositũ virginitatis voto obsignatum violabo; iterũque assumã libertatem nubendi? ac tandem subiũ- *Ibid.* git: *laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* aperte si- *Luc.1.* gnificat se per perpetuę virginitatis votum ab om- *Ibid.* ni viri affectu & desiderio prorsus alienã esse, & ideo

quæ-

quæsiuit; *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.*

XIII. Sed ex Patrum doctrina eadem verba aperiamus. illi vnanimi consensu docent, his verbis indic-sse B. Virginem votum emisisse perpetuæ virginitatis, atque adeo ligatam, & impeditam esse ad licite cognoscendum virũ. Si enim ex voto nõ esset impedita, non erat, cur interrogaret: *Quomodo fiet istud, quoniam virũ non cognosco?* quia facile posset illi responderi, liberã habere facultatem cognoscendi virum, vt filiũ conciperet; vnde sensus illorum verborũ est: quomodo fiet istud de concipiendo filiũ, cum propter votũ virginitatis à me emissum mihi non liceat virum agnoscere? & licet B. Virgo locuta fuerit de præsenti, dicens: *non cognosco*, idẽ fuit, ac si diceret; *non cognoscam*; quia apud Hebræos vna eademque vox præsens, & futurum tempus sæpe designat, vt adnotauit Galatin. nec abhorret ab hoc vulgaris noster modus loquendi; nam cum quis die sibi prohibito inuitatur ad vescẽdum carnibus, respondere solet; hodie non vescor carnibus, quod perinde est, ac si diceret non vescar: hanc expositionem acceptant Avg. Bern Anselm Ambr. Beda, & Ansbertvs.

XIV. Et quidem B. Virginem ante Angelicã annunciationem virginitatis votum emisisse, præter Scholasticos Doctores id asserentes cum Magistro Sententiarum in 4. dist. 30. & præter Patres nuper citatos, id docuerunt Albertvs Magnvs Hvgo de S. Victore nec non Greg. Nyssen. ora. de Christi Natiu cuius aurea verba non sunt silentio prætermittẽda, sic enim ait: *Audi pura Virginis vocem; Angelus partum denunciat, & illa virginitatem amplectitur, interdicta mihi (inquit) est viri consuetudo: vt virum cognoscam, fieri non potest, quo pacto hoc mihi continget? si nuptiarum causa sumpta erat à Ioseph, quomodo Angelum de partu prædicentem, quasi re noua, & insolita obstupefacta, auersata esset, cũ prorsus speraret, se quoq; aliquando matrẽ esse futuram, sed quoniã Deo dicatam, & consecratam carnem, veluti sanctũ quoddã donarium, intacta seruari oportebat; propterea, etiamsi Angelus sis (inquit) ac de cœlo veneris etiamsi supra hominẽ sit id, quod apparet; attamẽ vt virum cognoscam, fieri non potest. Quomodo mater ero, absque viro? Iosephum enim sponsum quidem noui, virum autem nõ cognosco.* hactenus Nyssenus Addit etiam Episcopus Christopolitanus in Cant. *Magnificat*, ad illa verba: *fecit mihi magna*: à tempore conceptionis illud votum emisisse Virginem: *Dicunt* (inquit) *viri quidam contemplatiui, quod Virgo illico post sanctificationem fecit votum perpetuæ virginitatis in vtero Matris; quod sane mihi creditu difficile non est; nam cum B. Virgo semper, quod melius & Deo gratius agnoscebat, eligeret, ipsaq; non ignorasset virginitatem voto illustratam Deo gratiorem, & sibi vtiliorẽ esse, non dubito, quin à tempore suæ conceptionis illam Deo voto consecrauerit.* Vnde D. Ansel. li. de excel. Virginis c. 4. hanc rationem insinuans, dixit: *Virgo tenera, & delicata, regali stirpe progenita, & speciosissima totam intentionem suam, totum amorem suum, totum studium suum ad hoc intendit, vt corpus & animam suam Deo virginitate perpetua consecraret. sciebat enim, quod quanto sanctius eam seruaret, tanto sublimius ei, qui omnium castissimus, immo ipsa castitas est, appropinquaret.*

Galat. l. 7. de arcan. Cathol. verit. c. 14. Aug. l. de Virgin. c. .. & ser. 14 de natiuit. Bern. ser. 4 de Assum. & homil. 4 in Missus. Ansel. li. de excell. Virg. c. 4. Ambros. l. 2. in Luc. Beda l. 1. in Luc c. 1. Ansber. hõ super illud: Intrauit Iesus in quoddam Castellũ. Albe Mag super Miss. Hugo de S. Victore lib. de perp. virg. Mar. D. Bona. in 4. d. 30. art. 1. q. 2. Scot. q. 2. ar. 2. Rica. ar. 2. q. 1. Maior. q. 4 Durãd q. 2 Supplemẽ-tũ Gabriel. a. 2. q. 2. Sot. q. 2. a. 2 Magist. in 4. d. 30. Epis. Christopol. in Cant. Magnificat.

XV. Hinc oportet discant Virgines à Maria earum Duce & magistra virginitatis Deo oblatæ tenaces esse valde, & in eius custodia constantissimas, & inuincibiles persistere: hac enim ratione arbitror Antiquos olim armatas depinxisse Virgines, scutum in sinistra, & lanceam in dextera tenentes, vt intelligerent pro tuenda pudicitia semper paratas esse debere ad inferendum bellũ his, qui tã preciosum thesaurum subripere voluerint: vnde quẽadmodum hortus Hesperidum, auriferum ferens fructum, custodem habebat Draconem peruigilem mala aurea vigilanter obseruantem, ad eundẽ modum fructus virginitatis preciosissimus est, & mala germinans auro ipso Arabiæ multo æstimabiliora; quamobrem nõ secus, atque alter Draco, Angelus, cui maxime cognata est virginitas, Marianæ integritatis custos fuit, tantum abest, quod ad eam violandam aliquid nunciauerit. Præter hãc autem angelicam custodiam ipsa Virgo, instar pastoris Argos centum oculos habentis, adeo vigilantem super suam virginitatem custodem se exhibuit, vt etiam Angelo annunciante conceptum, continuo sui pudoris solicita occurrerit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*

Luc. 1.

XVI. S. Hieron. probe agnoscens, quantũ oporteret Virginem (& maxime Deo sacratam) vigilantem, armatam, & vndique munitam aduersus castitatis hostem incedere, in hunc modum loquitur: *Arbitror te accinctam Christi gladio militare; vt autẽ scias super virginitatem gladium habere pudicitiæ, per quam trunces opera carnis, & superes voluptates, gentilis quoque error Deas virgines finxit armatas.* Quem locum inter cœlestia Zodiaci signa Virgo tenet, eundem inter homines viuens castus homo, castaque teneat fœmina: illa inter Leonem est & Librã, castus homo inter Leonem viuat, id est, fortitudinem, & Libram, hoc est, temperantiam: exigit enim castitas, vt sit perpetua, leonem, à quo custodiatur, & libram, in qua cibum, & potum, maxime vini, *in quo* (vt Pavlvs ait) *est luxuria*, vestes, amicitias, colloquia, affectusque ponderet atque mensuret. Vetus prouerbium fuit: *Magis timendum esse ceruorum exercitum duce leone, quam leonum duce ceruo.* certe humanorum affectuum dux voluntas est, vnde si in virgine, instar leonis, illa sit fortis, atque generosa, formidabilis erit exercitus hosti tartareo; si tamen instar ceruæ fuerit imbellis, atque timida, facile superabitur: oportet igitur Virginem constantem, & bellicosam esse.

D. Hier. ep. 140. ad Princ. Ad Eph. 5.

XVII. Tertivm tandem arcanum in verbis Mariæ: *Quomodo fiet istud?* delitescens, rara ac singularis Prudentia est, quam in eis mirifice adeo ostentauit, vt non immerito sponsus ei dixerit: *sicut vitta coccinea labia tua*: per Virginis enim la-

Luc. 1.

bia

bia eius prudentem loquelam exprimit, *vittæ coccineæ* apte illam comparans; quoniam ſicut fœminæ ſolent vitta coccinea crines, ne huc vel illuc inordinate effluant, conſtringere, ita B. Virgo prudentiæ examine conſtringebat ſermones ſuos, ne temere effluerent; dicit autem, illam vittam fuiſſe *coccineam*, quia Virginis in loquendo prudentia charitate rubebat.

XVIII. Sed illa alia ſponſi verba, quæ paulo inferius ſubdit: *Ibid.* *Fauus diſtillans labia tua, ſponſa, mel, & lac ſub lingua tua*; præſtantiam virginei ſermonis mirum in modum commendant; comparat illum *fauo*, propter eximiam eius dulcedinem, *diſtillans*, ait, vt ſignificet eius affabilitatem. nec vacat myſterio, quod vocet illum, *diſtillantem*; & non *effluentem*, quia prudenter loquens non effundit, quidquid nouit, nec multa verba ex ore eius fluunt, ſed pauca quaſi guttatim diſtillata paulatim decidunt,
Eccl. 28. & cum pondere & menſura, iuxta illud Eccleſ. *verbis tuis facito ſtateram*: quem locum D. Ambros.
D. Ambr. lib. offic. c. 3. dixit: *profer ſermones ad menſuram, libra examinatos iuſtitiæ, vt ſit grauitas in ſenſu; in ſermone pondus, in verbis modus*: hucuſque rationem reddit D. Chrysos.
D. Chryſ. Pſal 140. acute ſatis his verbis: *Si enim hoc facimus in auro, multo magis faciendum eſt in verbis, vt nihil deſit, nihil redundet*: hæc prudentia maxime viguit in Virgine, quę cum tam multa, ac ſublimia arcana penetraret, pauciſſima tamen locutam legimus, ne in
Num. 19. maledictionem illam incurreret, de qua Nvm. *Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam deſuper, immundum erit*: in quæ verba D. Gregorivs
D Greg. li. 23. moral. c. 4. ait: *quaſi vas ſine operculo, vel ligatura polluitur, qui per ſtudium oſtenſionis patens nullo velamine taciturnitatis operitur.*

Luc. 1. XIX. In his tamen verbis: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* illud ſingulare ſuæ prudentiæ ſpecimen Maria virgo exhibuit, quod cum filii conceptio, & partus: *Ibid.* *Ecce concipies, & paries*: viderentur virginitati eius, quam tantopere amabat, & Deo dicauerat, contrariari, prudenter ad ſe pertinere putauit, quis eſſet futurus modus talis conceptionis, interrogare, & diſcere, quidve officii in eo negotio ipſa præſtitura eſſet: quo exemplo vtile valde documentum nobis omnibus & præcipue virginibus exhibuit; ne videl. facile pollicitationibus, & muneribus ſibi oblatis decipiatur, ſed quomodo res licite fieri poſſit, diligenter exquirant; in hoc enim valde inter ſe diſcriminantur filiæ Euæ à filiabus Mariæ, quod illæ, ſicut Eua promiſſioni
Gen. 3. ſerpentis, *eritis ſicut Dij*, acquieſcens, virorum pollicitationibus facile annuunt, & inſtar Euæ non quærentis modum, quo Dii fieri poſſent, ipſæ non
Luc. 1. interrogant: *Quomodo fiet iſtud?* illæ vero, quæ Mariæ veſtigia ſequuntur, vanis, ac ementitis virorum promiſſis aurem non accommodant, ſed pru-
Ibid. denter inquirunt: *Quomodo fiet iſtud?* quomodo parentes tui ex claro genere orti patientur te humili ancillæ nubere? quomodo tot mihi diuitias polliceris, cum multa nec tibi, nec tuis ſuppetant bona? ſane huiuſmodi interrogationes prudentiam redolent; maxime cum Sapiens dicat; *Qui cito credit,* *Eccl. 19.*
leuis eſt corde, & minorabitur: quæ verba non ſolum veram doctrinam, ſed & prophetiam apertiſſime continent, cum tot fatuas, & imprudentes virgines mendacibus virorum pollicitationibus leuiter credentes (proh dolor) virginitatis ſuæ pudore minoratas non ſemel videamus.

XX. Magna quidem, & inaudita pollicitatio facta fuit Mariæ, dum ei prædicitur, futuram eſſe Dei matrem; nihilominus tamen rem accurate perpendens, & modum conſiderans, inquirit, qua ratione id exequutioni mandandũ eſſet: *Quomodo fiet iſtud,* *Luc 1.*
quoniam virum nõ cognoſco? Obſeruauit ad vnguem multis retro annis (vt ſupra dixi) hoc documentum magnus Patriarcha Ioſeph, qui fœminæ ad venerem eum allicienti, ne operi nefario acquieſceret, dixit: *Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis, i-* *Gen. 39.*
gnorat, quid habeat in domo ſua, neque quidquam eſt, quod non ſit in poteſtate mea, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo poſſum hoc malum facere? Dulcis quidem apparet homini venerea voluptas, cæterum amara eſt, ſi ea homo fruatur extra matrimonii thorum immaculatum. *Inueni* (inquit Salomon) *amariorem morte mulie-* *Eccl. 7.*
rem: ſic Ioſeph amaritudinem inueniens in peccato adulterii, minime conſenſit. Olim miſit Iſaac fi- *Gen. 27.*
lium ſuum Eſau ad venandũ, vt de fera capta comederet, & illi benediceret, & cum citius illo veniret Iacob, cibum ſe ſimulans ei porrigere ex venatione, ait illi Iſaac: *Quomodo tam cito inuenire potuiſti fili mi?* qui reſpondit: *Voluntas Dei fuit, vt cito occurreret mihi, quod volebam*: ecce commendabilem patris ſui Iſaac ſollicitam interrogationem, quomodo nempe tam cito occurriſſet ei, quod venatus eſſet: non ſecus, ſi nos cupimus aliquid venari, modum prius diſcutiamus oportet, vt ſic dicere poſſimus cum Iacob: *Voluntas Dei fuit, vt cito occurreret mihi.* Idem etiam documentum (licet in diuerſa longe materia) cuſtodiuit prudentiſſimus Rex Dauid: nam videns Ozam miſere interiiſſe, quia manum ad arcam Dei extenderat, vt teneret eam, ingenti terrore perculſus, dixit: *Quomodo ingredietur* *2. Reg. 6.*
ad me arca Domini? poſtea vero obſeruans, quod propter ingreſſum arcæ in domũ Obededom Deus benedixerat domui illius, confeſtim ſententiam mutauit dicens: *Reducam arcam cum benedictione in* *Ibid.*
domum meam: ita ſane negotia ſunt mature perpendenda, non temere præcipitanda, vt felicem exitũ habeant. Vt enim nautæ, cum magnam aliquam nauigationẽ inchoare ſatagunt, non ſtatim è portu proficiſcuntur, ſed tempus prius obſeruant, & ſemel, atque iterum in eminentem locum conſcendunt, vt ventorum flatus ſpeculentur, quos cũ ſuæ nauigationi proſperos agnoſcunt, continuo vela expandunt, ſeq; nauigationi committunt: ita cum aliquod negotium occurrit peragendum, non confeſtim res executioni mandanda, ſed prius maturo conſilio perpendenda, & ruminanda, poſtea velo-
citer

citer exequenda est: quod & Antiqui significare voluerunt, *testudinem cum alis* depingentes; per testudinem quidem in progrediendo quādam morositatem, & tarditatem in negotiis perpendendis; per alas vero velocitatem postea in illis exequendis (ni fallor) significare intendebant.

XXI. QVOD si ad dignitates & honores sermonem conuertamus, Virgo ipsa aperte nos docuit, quanta discussione opus sit in earum acceptatione, cum sub illis lateant grauissima onera, angelicis quoq; hum[illegible]s formidanda, honorem enim onus esse aperti[illegible]e significarunt verba Centurionis,
atth. 8. dum dixit: *[illegible]am & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites*; ecce non *in potestate*, sed *sub potestate* se esse affirmat, ad significandum, quod sua illa potestas nihil aliud erat, quam graue quoddam onus magnam ei molestiam inferens. Sed quid dico potestatem, & honorem esse onus? vere
aia 9. est acerba Crux, vt ISAIAS de Christi loquens regio honore dixit: *& factus est principatus super humerū eius*: quæ verba exponens Glossa interlinearis, pro principatu *Crucem* interpretatur; ecce quod Propheta vocat *Principatum*, Glossa *Crucem* appellat, quasi hæc synonyma sint.

XXII. TANDEM ex verbis Deiparæ aliud valde vtile documentum eruere possumus; nimirum vt in rebus arduis non innitamur prudentia nostra, sed sapientum consilia quæramus: sapientissima erat Virgo, & tamen in arduo illo negotio de virginitate cum maternitate coniungenda non erubuit ab Angelo consilium quærere, sciscitans ab eo modum,
Luc 1. quo id faciēdum erat: *Quomodo fiet istud, quo-*
Ecclés. 23. *niam virum non cognosco?* Certe SALOMOM dixit: *fili,*
Eccles. 6. *sine consilio nihil facias*; quia (vt idem tradit) *ibi salus,*
2. Reg. 17. *vbi multa consilia.* Aduertit tamen alibi SAPIENS: *Multi pacifici sint tibi, & Consiliarius sit tibi vnus de mille*: praua enim electio Achitophelis in consiliarium decepit & perdidit Absalonem; vnde audeo dicere, non fore tot Absalones improbos, nisi tot essent Achitopheles perfidi consiliarii. Imitemur ergo B. Virginem, quæ non quempiam in consiliarium sibi adhibuit, sed sanctitate conspicuum, & sapientia præditum Archangelum Dei; cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA XII.

Expositionibus variis, partim ex priscorum Patrum doctrina, partim à nobis excogitatis enu-
Luc. 1. *cleamus Angelica illa verba*: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.

I. EATVS PETRVS DAMIANVS difficultatem propositi argumenti probe agnoscens, ait: *Cum beatissimæ Genetricis Dei laudes scribere volumus, quia noua & inaudita sūt, quæ tractāda suscipimus, nulla inuenimus verba, quibus ad hæc digne exprimenda sufficere valeamus. Tollit enim facultatem sermonis materia singularis: quæ enim lingua explicare sufficiat, vel quæ ratio humana non obstupescat, cum cogitare cœperit, quia creator oritur ex creatura, factor fit ex factura; quod in virginea puellæ vulua concipitur, qui vastissima totius mundi amplitudine non tenetur. Iacet intra materna viscera paruulus, qui cum coæterno Patre rerum omnium iura gubernat immensus. O beata vbera, quæ dum tenue lac puerilibus labiis infundunt, Angelorum cibum, & hominum pascunt; exiguū exprimunt liquorem, & mundi reficiunt creatorem. Qui suæ virtutis imperio mariū procellas mitigat, qui fluminibus indeficientem aquarum impetum subministrat; qui aridam terram innumeris vbique fontibus irrigat, raras de virgineo pectore guttas lactis expectat: Manat liquor ex vberibus Virginis, & in carnem vertitur Saluatoris* hæc ille. quibus grandia adeo commemorat, vt illa miretur natura, vereatur homo, stupeat Angelus, tremat cœlū, paueat terra, exhorrescat infernus; sed nunquid propterea fensim taciturnus obdormiam, vt vbi omnē oporteret creaturam loqui, ibi inutili silentio mutus inueniar? absit: D. Pet. Dā ser. 2. de Nati Vir.
Non tacebo, & non quiescam, donec, ex thalamo vir- Isa. 62.
gineo egrediatur vt splendor, qui splendor est Patris, & figura substantiæ eius; ac sermo de stupenda
eius conceptione à me conceptus, si non vt lampas, Heb. 1.
saltem vt scintilla accendatur. Isaia 62.

II. VIRGILIVS Poetarū Princeps agens de aduē- Virg. 7. Ænead.
tu Æneadis in Italiam, commemorat, quod dū Rex Latinus vnicam haberet filiam, regni hæredem, appropinquante iam tempore, quo illa nubenda erat, vidit apū examen ex regione vltramarina veniens, quod in lauri arbore insedit, in qua dulces mellis fauos elaborarunt. Rex tanti portenti admirabundus, Deos cōsuluit, vt illud sibi aperirent: dum aūt ad id impetrandum sacrificia offerrentur, visa est virgo Lauinia, quasi igne accensa, ardentes flāmas spirare. oraculum ergo respondit, vltramarinum illud apum examen significare, nullum esse dignum ex illo regno sponsū, vt ex eo Lauinia proles aliqua gigneretur, atq; adeo ex alio valde longinquo loco venturum, qui Lauiniam fœcundaret, eiusq; prole Latinorum genus summum honoris incrementum susciperet. hæc prophana in sacra commutans, Lauinia eius filia *Mariā* dilectam æterni Patris filiam egregie adūbrat, quę cum Iosepho non fuisset data in coniugem, vt temporalem Christi generationem coefficeret, adhuc sponso egebat, qui ad id præstandum cū ea cooperaretur. certe terrenus non sufficiebat, & ideo Virgini diuini amoris flammis exustæ
cœleste oraculū consulenti: *Quomodo fiet istud, quo-* Luc. 1.
niam virū non cognosco? Angelus respondit: diuinum

ſponſum, qui amor eſt Patris, & Filii, in eam cœlitus venturum: *Spiritus S. ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* [Ibid.]

III. SED aduerte quæſo id, quod propoſiti argumenti miram arduitatem valde oſtentat, quod interroganti Virgini modum conceptionis Chriſti: *Quomodo fiet iſtud?* [Ibid.] Angelus non videtur ſatisfeciſſe, dum opus illud virtute Spiritus S. faciendum, non vero modum, quo id præſtari deberet, propalauit. Sane, ſi cuipiam interroganti: quomodo Margarita in conchilio producatur, alius reſponderet, ex rore cœli, & virtute caloris ſolaris gigni, opus ipſum naturæ, nō vero modū, quo fit, aperiret; ita certe accidit Angelo, qui interrogatus à Virgine de modo conceptionis Chriſti: *Quomodo fiet iſtud?* [Ibid.] adeo ineffabile, & intellectui creato incognitū iudicauit, vt opus patrandū in ea, non modū ei reuelans, ad Spiritum S. diuinorum arcanorum reſeratorem, vt illū ei explicaret, B. Virginem remitteret: *Spiritus S. ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi:* quod ſane diſertis verbis docuiſſe mihi videtur D. BERN. dum dixit: *Obumbrabit tibi, hoc eſt, ſicut obumbrando teget modum, quo de Spiritu S. concipies, & occultabit, quatenus ſibi tantum notus habeatur, & tibi;* & ibidem ſubiungit: *Sola per ſe Trinitas in ſola, & cum ſola virgine voluit operari; & ei datum eſt noſſe, cui ſolum datum eſt experiri;* [D. Bern. hom 4 ſup. Miſſus.] ſicut enim Deus olim totum montem Sinai obumbrante nube cooperuit, ita vt ſecreta, quæ ibi reuelabat, ſoli ipſi & Moyſi innoteſcerent, [Exod. 29.] ita nunc modum virginei conceptus diuini ſpiritus obumbratione adeo contexit, vt ſoli Deo, & Virgini maneret perſpectus. vnde CHRYS. explicans verba illa: *Quomodo fiet iſtud, ait: Scio quod verbum caro factum eſt, ſed quomodo factum eſt, neſcio: ne mireris, quod ego neſcio, omnis creatura id ignorat.* [D. Chryſ. Luc. 1.] & D. ANSELMVS: *Spiritus ſanctus, & virtus Altiſſimi de Virgine muliere virum mirabiliter propagauit; ſed adeo mirabilis, quod à nobis incognoſcibilis.* [D. Anſel. l. de concep. Virg.] vnde & D. AMBR. dicit, quod nec ISAIÆ fuit reuelatus modus, quo Virgo erat conceptura, licet alioquin diceret; *Ecce Virgo concipiet.* [D. Ambr. in c. 1. Luc. Iſai. 7.] Nihilo ſecius tamen SS. Patres propoſita verba interpretantes, hunc modum religioſe conati ſunt elucidare: [Luc. 1.] nam Diu. GREGORIVS exponit idem eſſe: *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi,* ac ſi dixiſſet: ſplendor ille Patris, ac lux increata corpus ex te aſſumet, & quemadmodum lux corpori opaco coniūcta obumbrat, ſic æterna illa lux corpori tuo coniuncta te obumbrabit, mirumque refrigeriū vmbra ſua tibi præſtabit, verba eius ſunt: [Greg. 18. moral. c. 12 & l. 33. c. 3.] *Vmbra à lumine formatur, & corpore; Dominus autem per diuinitatem lumen eſt, qui mediante anima in vtero Virginis erat corporandus ei, quæ incorporeum concepit: ad corpus dicitur: Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, corpus in te humanitatis accipiet incorporeum lumen diuinitatis.* D. THOMAS hanc approbat expoſitionem, & addit, in illis verbis non ſolum Spiritum ſanctum, ſed omnes tres ſanctiſſimæ Triadis perſonas nominari; [D. Th. 3. p. q. 32. a. 1. ad 1.] nomine enim Spiritus S. tertia perſona ſignatur, per virtutem autem æterni Patris Filius, per quem facta ſunt omnia, intelligitur, verbum autem *Altiſſimi* Patrem ſignificat, cuius filius dicitur eſſe *virtus.*

IV. SECVNDO loco exponit D. BERNAR. aſſerens, Spiritum S. vmbrā feciſſe Virgini, vt ſuſtinere poſſet ardentem æterni Patris radium in vterum eius miſſum; [D. Ber. hō 4. ſup. miſſ.] maxime quod cum Deus ignis conſumens ſit, & omnis caro fœnum, opus erat vmbra, ne exceſſiuus ille calor fœnum exureret, [Deut. 4. Iſaia 40.] verba eius ſunt hæc: *Quis poſſit intellectu capere, qualiter ſplendor ille inacceſſibilis virgineis ſe viſceribus inf[...], & vt Virgo inacceſſibilem ad ſe accedere ferre pot[...] de portiuncula eiuſdem corporis, cui ſe animat[...] contemperauit reliquæ maſſæ, vmbraculumue fecerit.* Eandem expoſitionem tradidit Venerab. BEDA, dum inquit: *Sol, id eſt, diuinitas Chriſti, tegmine ſe humanæ naturæ quaſi vmbraculo quodam obtexit, quo mediante Virginis eum viſcera ferre ſufficerent; ſicque virtus Altiſſimi obumbrauit ei, dum diuina Chriſti potentia & eam præſentialiter impleuit, & vt capi poſſet ab ea, ſubſtantia ſe noſtræ mortalitatis obnubilauit.* [Beda in h[om.] de Annun[t.]]

V. TERTIA expoſitio eſt Diui ATHANASII, qui cenſet per illa verba ſignificatum fuiſſe Virgini, [D. Ath. ſ[er.] de ſanct. Deip. tō. 3] quod ſicut corporis figura ſolet per vmbram eius, tamquam per effectum cognoſci, ita B. Virgo per effectus mirabiles in ea à Spiritu ſancto producendos cognoſcitura erat Incarnationis arcanum, & modum illius; ſic enim ait: *Obumbrantē virtutem Altiſſimi, & quaſi vmbras, & lineamenta facientem, vt videret quatenus fieri poterat, Deum in ſe habitantem habere.*

VI. QVARTA expoſitio eſt D. AVGVST. variis in locis, præſertim in PSAL. 67. & epiſt. 57 ad Dardanum, [D. Auguſ[t.] ho. 41. & l. 50. hom] qui aliam viam ingreſſus ait: *Vmbra quippe iſta defenſaculum intelligitur ab æſtu concupiſcentiarum carnis; vnde illa Virgo, Chriſtum non carnaliter concupiſcendo: ſed ſpiritualiter credendo concepit.* Similia dicit HVGO de VICTORE: *Spiritus ſanctus Virgini ſuperuenit, vt per eius operationem caro Chriſti de carne Virginis formaretur; & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, ne ſubſtantiam carnis miniſtrans, carnali concupiſcentia vteretur.* [Hugo de S. Victore l. 2. de Incarn cap. 8.] eſt etiam hæc expoſitio BEDÆ, & D. AMBROSII. [Beda ſuper Luc.]

VII. QVINTA expoſitio eſt D. CHRYS in hunc modum loquentis: [Ambr. l. de iis, qui myſter. initiantur.] *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? ſane propter hoc erit, quoniam virū non cognoſcis. Nam ſi cognoſceres virum, non fuiſſes habita digna, vt huic miniſterio ſeruires. Itaque quamobrem dubites* (ſcil. de modo,) *eam ob rē crede; nō quia malum nuptiæ, ſed quia melior virginitas Spiritus ſanctus veniet ſuper te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi; ſic poteris parere: totum operatione ſpiritus erit. Ne igitur ſpectes ad terram, è cœlis operatio venit, ſpiritus gratia eſt, quod fit, ne quæras naturæ modum, ne iuxta nuptiarum leges intelligas.*

VIII. SEXTA expoſitio eſt Card. TOLETI, veritati valde conſentanea, [Card. Tol.] pro qua ſupponēdum eſt, quod *obumbrare* in S. Scriptura frequenter ſignificat idē, quod *defendere,* aut *protegere,* iuxta illud PSALMI: [Pſ. 139.]

Obum-

Obumbrasti super caput meū in die belli: & illud: *Scapulis suis obūbrabit tibi*; & Eccles. vbi vulgata nostra legit; *Sicut enim protegit sapiētia, sic protegit pecunia*; Hebræum originale habet: *In vmbra sapientiæ*: cui consonat illud Isaiæ: *In vmbra sapientiæ, & in vmbra argenti protexit me*. hoc supposito, ait sensum verborum illorum esse: Concipies Virgo, non ex viro, sed ex Spiritu sancto, cuius virtus, & potentia obumbrabit tibi, hoc est, defendet te, & virginitatem tuam, quam tantopere diligis, proteget, vt sine vlla illius iniuria, immo cum suo decore concipias. censet ergo Card. Toletus, totum illum sermonem esse de Spiritu sancto, posterioremque particulam nihil aliud, quā prioris expositionē continere; ac si clarius diceret Angelus: *Spiritus sanctus superueniet in te*, suaque omnipotenti virtute proteget, & confortabit, vimque tribuet, vt sine virginitatis tuæ detrimento possis concipere; quē etiam sensum amplectitur Evthym.

Psalm. 9. Eccles. 7. Isaia 49. Euthy. in com huius loci.

IX. Septima expositio est Cornelii Iansenii docentis, quod in admiranda hac Christi conceptione Deus Pater locū obtinuit generātis, Spiritus sanctus vero vicē gessit virtutis effectiuæ in semine residentis, supplēdo eius efficientiā; virtus autē Altissimi, id est, Patris potentia Mariam obumbrauit, illam velut maritus amplexans: hæc expositio licet quibusdam videatur castas obradere aures, est tamen Patribus satis consentanea, nam Chrysostomvs ait: *Vnigenito Dei in Virginem ingressuro, præcessit Spiritus sanctus, vt in sanctificationem nascatur Christus secundum corpus, diuinitate ingrediente pro semine*: & Damascenvs inquit: *Obumbrauit super ipsam Dei sapientia, & virtus velut diuinum semen*. Ac tandem ab ea expositione non longe recedit Angelicus Doctor, dum versans eundem locum inquit: *Sicut virtus animæ, quæ est in semine, per spiritū, qui in semine includitur, format corpus in generatione aliorum hominum, ita virtus Dei, secundum 1. ad Corinth. 1. quæ est ipse filius, per Spiritum sanctum corpus formauit, quod assumpsit*.

Chrys. hō. 1 op imperf. D. Damas. lib. 3. orth. fid. c. 2. Angel. doct 3. p. q. 32. art. 3. ad 1.

X. His antiquis Sanctorum Patrum grauissimorumque Doctorum expositionibus nostrum erit recentes, quas excogitauimus, adnectere; sit ergo Octaua expositio, quod *obumbrare* propriissime dicitur de viro vxorato; tum quia, vt Cornelivs Iansen adnotauit in Comment huius loci, vir amplexans vxorē obumbrat illā; tum etiam, quia vir spōsam velo cooperit, vnde nupta dicitur à nubendo, quia velamine à marito tegitur, vt in solemnitatib. nuptiarum Ecclesia Romana facere consueuit; tum tandem, quia pallio cooperire fœminam erat olim signum futuræ sponsationis, vt constat ex illo: *Extende pallium super famulam tuam, quia propinquus es*, quod perinde erat, ac si diceret; Iure propinquitatis à te postulo, vt me in sponsam accipias; vnde Paraphrastes Chaldævs vertit: *me vxorē ducas, quoniam redemptor tu*. videns ergo Angelus Mariam respuere vmbram viri, à quo esset maritali affectu cognoscēda; dixerat .n.: *quia virū nō cognosco*; occurrit ei affirmans, non à viri, sed à Spiritus S. vmbra cooperiendam fore, cuius cooperatrice virtute Dominum conceptura, & paritura erat; atq; adeo salua & incolumi semper permanēte eius integerrima virginitate; qua responsione pacatum reddidit Marianum animum, omnē ab eo expellens turbationem. Atq; huc facit locus ille Canticorvm: nam vbi nostra vulgata legit: *lectulus noster floridus*; Septuaginta Interpretes verterūt: *lectulus noster vmbrosus*: quibus verbis *floridi & vmbrosi* non obscure significatur, in lectulo vteri virginalis Christum Dominū concipiendū fore Spiritus S. virtute, ab omni libidinis calore, velut vmbra Mariā præseruante, ac salua eius integritate manēte, instar plantæ florem germinantis. Huc etiam faciunt verba illa difficilia Habacvc: *Deus ab austro veniet, & sanctus de mōte Pharan*; qui enim fieri potest, vt eadem persona veniat ab austro, loco splendidissimo, & simul etiam veniat de monte vmbroso, cuiusmodi est Pharan? loquitur hic Propheta de Christo, qui secūdū naturam diuinā ab austro venit, hoc est, *à Patre luminum, apud quem non est trāsmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*: instar austri, qui propterea Meridies vocatur, qui *merus dies* interpretatur, quia omni prorsus obscuritate caret: secūdū vero naturā humanā originē ducit ex Maria mōte vmbroso; mōte quidē ꝓpter celsitudinē sanctitatis, & matris Dei sublimem dignitatem; vmbroso vero, quia Spiritus S. virilem operam supplēs, illam instar mariti, obumbrauit; & ad Christi conceptionem salua eius virginitate, omnipotenti sua virtute illam fœcundauit.

Ruth 3. Luc. 1. Cant. 7. LXX. Int. Habac. 3.

XI. Nonam iam accipe expositionem; cum zelus virginitatis perpetuo seruandæ sollicitam, & pauidam redderet Virginem, conceptum, & partum audientem: *Ecce concipies, & paries*, certe Angelus, vt illam certam ac securam omnino faceret, absq; vllo integritatis suæ detrimento concepturam fore respondit: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*: quasi diceret, id, quod Hispano idiomate elegāter dicitur: *confiad Sennora, que quien à buen arbol, se arrima buena sombra le cobiza*. vnde cum Spiritus sanctus arbor sit omnium optima, ex qua omnes bonorum operū fructus prodierunt, certissima esto, vmbram huius cœlestis arboris haud nociuā esse instar humanæ, quæ dum sponsam adumbrat, virginitatem fugat; hæc enim mirabilis diuini spiritus vmbra virginitatem tuam non labefactabit, sed conseruabit, experimento certe id didicit B. Virgo verissimum esse, cum dixit; *sub vmbra illius, quem desiderabat anima mea, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo*.

Luc. 1. Ibid. Cant. 2.

XII. Decima expositio potest fundari in eo, ꝙ *vmbra* est imago rei, cuius est vmbra: vnde vbi nostra vulgata legit: *Faciamus hominem ad imaginem nostram*; alia versio habet: *Faciamus hominem ad vmbrā nostram*: ecce homo vocatur, *vmbra Dei*; quia creatus est ad imaginē eius: accidit autem, vt vmbra hęc peccati litura deturparetur, & deformaretur, ad ei⁹ tamen restaurationem & reparationem pla-

Gen. 1.

placuit diuinæ omnipotentiæ aliam pulchriorem, & ſtabiliorem vmbram facere, humanitatem ſcilicet Chriſti Domini, quæ inſtar perfectiſſimę imaginis Deum ipſum, ac varias eius perfectiones ad viuū exprimeret, prout reuera expreſſit pro inimicis etenim orare, immenſam Dei bonitatem; pro peccatis ſatisfaciendis ſanguinem effundere, diuinam iuſtitiam; permulta peccata liberaliter condonare, eximiam Dei miſericordiam; tenebrarum Principem deuincere, mirabilem fortitudinem; abdita cœleſtium rerum arcana pandere, ſummam Dei ſapientiam; inferni ſeras reſerare, ſpolia eius detrahere; propria virtute reſurgere, & in cœlum ſcandere, diuinam omnipotentiam, non ſecus, ac vmbra corporis figuram refert, ad amuſſim exprimebant. Angelus igitur volens certiorem facere B. Virginem, primam illā vmbram, per hanc ſecundā in eius vtero formandam, & per vmbram horologii Achaz decem lineis retrocedentem, reparandam fore, idque abſque vlla ſuæ integritatis iactura, idcirco dixit: *virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*; innuēs in hoc, quod ſicut materialis vmbra nullū ſciſſuræ detrimentum ſubiecto, cui ineſt, infert, ſed potius inſtar vmbræ lauri ei ſalutifera eſſe ſolet, ſic ſacra humanitas Chriſti, vmbra diuini radii in opaco virginei vteri corpore formāda, nihil detrimenti Marianæ integritati illatura eſſet.

Iſai. 38. *Luc. 1.*

XIII. VLTIMAM tandem expoſitionem addo, propoſitis verbis ſatis congruam, habetque fundamentum in verbis THEOPHYLACTI ſuper Lucam vbi ait: *Sicut auis obumbrat pullos, ita & diuina virtus totam Virginem apprehendit. Obumbrare* quidem certū protectionis genus denotat, perſimile valde ei, quod auis ſuis pullis impendit; bifariam autem auis pullos ſuos protegere noſcitur: primo modo, cum intra vitellum ſunt, & tunc non aliter protegit, quam ſub vmbraculo alarum, natiuo ſuo calore illos confouens, vt virtute eius in lucem prodeant; ſecundo modo, quando iam foras productos nutrit, ac debitum cibum ad eorum incremētum eis exhibet; vt ergo hæc duo officia ſacra Virgo præſtare poſſet erga Chriſtum, Spiritus ſanctus, inſtar auis incubantis, in eam ſuperuenit virtutem ei conferens; tum vt virgo manens fœcunda eſſet, & filium conciperet, tum vt, poſtquam illum peperiſſet, eundem vbere de cœlo pleno poſſet lactare, & nutrire; vnde Spiritus ſanctus inſtar diuini ſponſi virginem obumbrauit, fœcunditatem ei conferens, & virginitatem conſeruans, vt ipſa tanquam vera mater Verbum diuinum humanæ carnis velamine cooperiens in vitello vteri ſui obumbraret; ac deinde temporaliter natum, & in lucem editū cœleſti lactis ſui nectare, ac dulciſſima ambroſia reficeret, aleret, atque nutriret.

Theoph. in 1. cap. Luc.

XIV. DVO tamen ad propoſita verba hucuſque expoſita melius intelligenda explicare oportet, primum eſt, quare opus hoc Conceptionis Chriſti in vtero Virgineo adſcribatur Spiritui ſancto: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te*: vnde & CONCILIVM NICENVM ait: *Chriſtum conceptum de Spiritu ſancto*: cum tamen AVGVSTIN dicat, indiuiſa eſſe opera Trinitatis ad extra? Reſpondeo, certum eſſe, totam Trinitatem conceptionem Chriſti operatam eſſe, ſecundum tamē ſingularem aliquem modum ſingulis perſonis tribuitur, Patri, vt mittenti filium, vt temporaliter conciperetur; Filio, vt aſſumenti naturam humanam, Spiritui ſancto, vt formanti in conſortio Virginis corpus Chriſti ex puriſſimo eius ſanguine. Quare autem Spiritui ſancto tribuatur magis huiuſmodi formatio, quam Patri, aut Filio; D. AVGVSTIN in Enchir. hanc reddit rationem: *Iſte modus, quo eſt natus Chriſtus de Spiritu ſancto, inſinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis præcedentibus meritis, in ipſo primo exordio naturæ ſuæ, quo eſſe cœpit, verbo Dei copularetur in tantam perſonæ vnitatem, vt idem ipſe eſſet filius Dei, qui filius hominis, & filius hominis, qui filius Dei.* hactenus D. Auguſtinus D. autem THOM. ait, formationem, & conceptionem Chriſti propterea ſpeciali ratione Spiritui ſancto tribui, quia ille eſt amor Patris, & filii; Deum autem aſſumere carnem humanam ortū habuit ex ſummo Dei amore, iuxta illud D. IOANNIS: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Tertiam nos congruentiæ rationem addimus, quia cum Spiritus S. non habeat aliquam productionem actiuam æternam, & ad intra (vt Scholaſtici Theologi loquuntur,) in qua ſuam manifeſtaret potentiam, ideo conuenienter, vt illa magis mundo innoteſcat, ei tribuuntur opera omnia ad extra tam in ordine naturali, quam ſupernaturali: vnde ſicut in creatione mundi ait Myſes, quod *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*: ita in reparatione eiuſdem idem ſpiritus ferebatur ſuper Virginem, Angelo dicente: *Spiritus S. ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi.*

D. Aug. 1. de Trin. *D. Aug. in Enchir. c. 40. to. 3.* *Ioan. 3.* *Geneſ. 1.* *Luc. 1.*

XV. VERVM reſtat dubiolū aliud explicandum, quod ex hac doctrina oriri videtur: nam ſi ſpeciali ratione Spiritui S. tribuitur, quod formauerit corpus Chriſti; etiam deberet ei attribui & aſcribi, eſſe patrem illius; maxime quia Spiritus ſanctus suppleuit in generatione Chriſti virilem operam, atq; adeo ſubſtitutus fuit loco Patris. vnde ſicut B. Virgo dicitur mater Chriſti, quia ſubminiſtrauit materiam puriſſimi ſanguinis ſui ad formandum corpus illius, ita Spiritus ſanctus, quia tanquam actiuum principiū effectiue produxit illud corpus, erit pater illius, & genitor. Reſpondeo ex vnanimi ſententia omnium Theologorum, neque Spiritum ſanctum, neque totam Trinitatē, licet alioquin actiue concurrerit ad temporalē Chriſti generationem, patrē eius dici poſſe; quia pater per generationem communicat aliquid filio, de ſua propria ſubſtantia, ratione cuius euadit filius ſimilis in natura ſuo Patri; Spiritus ſanctus autem, nec tota Trinitas nihil de ſua ſubſtātia per generationē corporis Chriſti ei contulerunt, nec ipſe ex vi illius prodiit ſimilis Spiritui ſancto, aut toti Trinitati, & deo neutri conuenire poteſt eſſe patrem Chriſti. docuit

hanc

hanc doctrinam Angelicus Doctor in hæc verba: *Tho.3.p. 32.art.3.*
Dicendum quod Christus conceptus est de Maria Virgi-
ne materiam ministrante in similitudinem speciei, &
ideo dicitur filius eius: Christus autem secundum quod
homo conceptus est de Spiritu S. sicut de actiuo principio,
non tamen secundum similitudinem speciei, sicut homo
nascitur de patre suo, & ideo Christus non dicitur filius
Spiritus sancti: idque satis explicauit Angelus, cum
prolatis illis verbis: *Spiritus S superueniet in te, &* *uc.1.*
virtus Altissimi obumbrabit tibi; continuo subiun
xit; *ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur*
filius Dei: non dixit: filius Spiritus S. nec filius Tri-
nitatis, sed *Dei*: sc. Patris: Cui cum Filio, & Spi-
ritu S. sit honor, & gloria in sæcula sæculorum.
Amen.

HOMILIA XIII.

Ingenti animi conceptionum copia, multiplicique sa-
cræ scripturæ eruditione elucidantur verba illa:
Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum
verbum tuum; *vbi de obedientia, humilitate,*
& fortitudine Virginis permulta traduntur.

I  VM satis exploratum ac manife-
stum sit, potuisse Spiritum san-
ctum Christi conceptionem in
virgineo Mariæ vtero perficere
abique Mariano assensu, nō po
test mysterio vacare, quod non
aliter eam perfecerit, quam Virginis interueniente
consensu. S AVGVSTINVS serm. de Natiuitate Do
mini, necnon Diuus THOMAS, 3 parte, q. 30. aiunt,
quod quia in omni matrimonio requiritur nō so-
lum consensus viri, sed & fœminæ, ideo in celebra
tione matrimonii Verbi diuini cum human tate,
& Christi cum Ecclesia, quorum meminit sponsa
Cant.3. dicens: *In die desposationis illius, & in die lætitiæ cordis*
eius; oportebat, vt non solum ex parte Verbi diuini,
sed & naturæ humanæ, cuius vicem gerebat Virgo,
consensus adesset. Id etiam eleganter, vt assolet D.
CHRYSOLOGVS his verbis dixit: *Ad Virginem Deus*
D. Chrys. ser.140. *aligerum portitorem mittit; nam dat arrham, dotem*
suscipit, qui fert gratiam, fidem refert, & tradit munere
virtutis, qui mox virginei consensus resoluit sponsionē.

II SED præter hanc rationem, tres ad idem præ-
cipue occurrunt; prima, quia sicut Deus per gra
tiam suam, tametsi efficacissimam, nullam perso
nam ratione vtentem ad amicitiam suam sine con-
sensu illius pertrahit, ita cum per hoc mysterium
B. Virgo ad singularissimam cum Spiritu sancto
amicitiam & coniunctionem ineundam eleuaretur,
vt pote quæ speciali ratione futura erat eius spon-
sa, & consors ad Christi generationem efficiendā,
certe ad suauem Dei prouidentiam pertinebat, vt
liberum Mariæ expectaret consensum: vnde
RVPERT. lib. 1. in Cantica, & eruditissimus GVLIEL-
MVS interpretantes verba illa: *Osculetur me osculo o-*
ris sui: aiunt, per illa significasse B. Virginem con-
sensum, quem adhibuit ad Verbi Incarnationem in
proprio vtero perficiendam: verba GVLIELMI hæc
sunt: *Incarnandus Dei filius præmisit ad eam vnum*
ex familiaribus suis, vt consensum & cooperationem
eius flagitaret; quippe nolebat omnipotens suæ Incarna-
tionis miraculum operari in ipsa non cooperante ipsa,
nec carnem volebat assumere ex ipsa non dante ipsa;
non sic olim, non sic, quando immisit soporem in Adam,
vt de corpore nescientis tolleret, vnde illi mulierem for-
maret hæc ille.

III. SECVNDA ratio, quia cum Incarnationis ar-
canum fuerit Deo omnium opus gratissimum, o-
portebat, vt cooperatio Virginis ad Christi conce-
ptionem esset spontanea, & libera, vt sic Deo gra-
tior existeret: *Hilarem enim datorem diligit Deus*, co-
acta autem obsequia, & per vim extorta parum, vel
nihil ei arrident. vnde D. AMBROSIVS super cap. 1.
Lucę eleganter dixit: *Nec sane ita operatur Deus in e-*
lectis suis, vt artifex in Materia inanimata, & insensi-
bili: requirit enim ille assensum nostrum, quem etiam
Angelus ex virgine assecutus est, cū illa dixit: ecce an-
cilla Domini. Accedit ad hæc, quod beneficium non
confertur inuito, vt docuerunt Iurisconsulti *in l.*
inuito ff. de reg iur. oportebat igitur, vt beata Vir-
go consentiens, dignitatem Matris Dei acceptaret.

IV. TERTIA ratio sit: quia cōueniens erat, vt sic-
ut humani generis ruina non sine assensu fœminę
accidit, ita nec eiusdem restauratio absque fœminæ
cōsēsu perficeretur: ita adnotauit S. PETRVS CHRY- *S. Petrus*
SOLOG. dicens: *Audistis agi, vt homo cursibus iisdem,* *Chrysol.*
quibus delapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitā; a- *ser.142.*
git cum Maria Angelus, quia cum Eua Angelus egerat
de ruina, vt nostræ perditionis conueniens nostræ repa-
rationis principium responderet: immo B. PETRVS DA-
MIANVS his adiunxit: *Per ipsam, & in ipsa, & de ipsa*
totum hoc faciendum decernitur, vt sicut sine illo nihil
factum, ita sine illa nihil refectum sit.

V. QVARTA tandem ratio sit. ideo voluisse Deum
non aliter, quam dependenter ex Virginis consen-
su incarnari, vt sic tantæ Virgini obligatiores debi-
tores nos omnes constitueret, videntes, ex ipsius
voluntate nostram omnium salutem dependisse:
hanc certe rationem perpendebat D. BERNARDVS,
cum dixit: *Expectamus & nos ò Domina, verbum mi-*
serationis; ecce offertur tibi pretium salutis nostræ: sta-
tim liberabimur, si consentis, hoc totus mundus tuis ge-
nibus prouolutus expectat, ex ore tuo dependet redem-
ptio captiuorum; responde ergo verbū, quod terra, quod
inferi, quod expectāt superi. & ibidē ēt alia subdit BER-
NARDVS mellifluo eius calamo digna: *Expectat An-*
gelus responsum, expectamus & nos, ò Domina, verbum
miserationis, quos miserabiliter premit sententia dam-
nationis. In sempiterno Dei verbo facti sumus oēs, & ec-
ce morimur; in tuo breui responso sumus reficiendi, vt
ad vitam reuocemur. Hoc supplicat à te (ò pia Virgo)
flebilis Adam cum misera sobole sua exul de paradiso,

hoc Abrahã, hoc Dauid, hoc cæteri flagitant Patres sancti, hoc totus mundus tuis genibus prouolutus expectat; ô Domina, responde verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant & superi: ipse quoque omnium Rex, & Dominus quantum concupiuit decorem tuum, tantum desiderat & responsionis assensum. hactenus D. Bernardus; quibus non dissimilia habet AVGVSTINVS serm. de Natiu. vbi inquit: *Responde iam virgo sacra, assensum tuum Angelus præstolatur, Deus in porta est, Angelum quem moraris, expecta, ô beata Maria, sæculum omne captiuum tuum deprecatur assensum, te Deo mundus sua fidei obsidem facit, per te parentem suorum iniurias abstergi deprecatur.* hæc Augustinus. Videor mihi nunc videre Deum tunc temporis scalæ cœlesti iam innitentem, & descensum in terras parantem, quemadmodum Iacob olim illum vidit, vt legimus in lib. GENES. *Gen. 28.*

VI. CÆTERVM iam explicare exordiamur sacratissima illa verba, quibus B. Virgo consensum suum expressit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* *Luc. 1.* Inter alias Virginis virtutes duę præsertim in propositis verbis mirum in modum effulgent; Obedientia nempe, & Humilitas; & quidem Obedientiam satis indicat verbum illud: *Ecce:* quod magnam animi promptitudinem ad superioris mandatum exequendum præsefert, vt non obscure commonstrat illud Balaam, qui ad Regem Balac respondit: *Ecce adsum:* *Num. 22.* & illud Samuelis, qui ter à Domino vocatus, & totidem ab Heli sacerdote accersitus, occurrit dicens: *Ecce ego Domine:* *1 Reg. 3.* nec non illud ISAIÆ in persona Christi dicentis: *Tunc dixit: ecce venio.* *Isai. 6.* Quare, sicut olim, vt 1. Regum legimus, *1. Reg. 15.* quando nuntiis Dauid ad Abigailem missis, vt certiorem illam facerent, electam esse in vxorem Regis, ipsa respondit; *Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum Domini mei,* *Ibid.* ita B. Virgo Angelo annuncianti sibi in matrem Dei electam esse, subito animi promptitudine respondit: *Ecce Ancilla Domini.* *Luc. 1.* Quam Virginis obedientiam præfigurarunt inaures, quas Eleazar dedit Rebeccæ futuræ Isaac sponsæ, quam cõstat Mariæ typum gessisse, *Gen. 24.* sicut & Isaac Christi figurã prætulit. THEOPHYLACTVS *Theophyl. 1. Luca.* ingeniose hæc verba elucidans: *Ecce Ancilla Domini:* vt promptissimam Virginis obedientiam commendaret, in persona eius ait: *Ecce tabula sum pictoria, pingat pictor, quod voluerit:* quasi diceret: instar tabulæ parata sum ad recipiendam quamcunque imaginem, quam cœlestis pictor in me delineare, aut effingere voluerit: quod sane reipsa ita contigit: nam cum æternus Pater diuinam imaginem, hoc est, filium suum, qui *imago est bonitatis, & figura substantiæ illius,* in vtero Mariæ impressit, eam ipsa libentissime suscepit, & purpureum carnis calorem ei communicauit, humana carne illam induens.

VII. AD hæc, inter omnes insignes diuinæ voluntati obtemperantes, quasi miraculum, & portentum obedientiæ sacra volumina referunt Abrahamum, cui cum Dominus diceret: *Exi de cognatio-* *Gen. 12.* *ne tua, & de domo patris tui;* ille sine vlla hæsitatione discessit, & ante Euangelii tempus Euangelica iam mandata seruauit, cum, vt placeret Deo, nec parentes, nec domum, nec patriam relinquere dubitauit. Postea præcipitur illi, vt corpori suo, & suorum Circumcisionis vulnus infligat, libens ille acquiescit; iubetur vt filium ex ancilla susceptum cum matre eiiciat, non contradicit; postremo imperatur, vt Isaac quem iuxta scripturæ testimonium *Gen. 21.* valde diligebat, immolandum & occidẽdum Deo offerat: *Tolle (inquit) filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum super vnum montium, quem monstrauero tibi:* hoc vero iuxta expositionem D. CHRYSOSTOMI dictum fuit, *D. Chrys. hom. 42. Gen.* vt ex charitatis, & dilectionis admonitione, & nominis recordatione tentationis pondus accumularetur, & paternus affectus torqueretur ex memoria promissionis, cum antea Deus dixisset ad eum: *In Isaac vocabitur tibi semen.* *Gen. 21.* vnde HVGO VICTORINVS egregie inquit: *Hoc Deus intendebat, vt magis ac magis accenderet carnalem amorem patris erga filium: vt postea præponat amorem Dei suo carnali amori, & eum vincet, gloriosior esset victoria.* *Hugo Vict. in suis an sup. Genes cap. 22.* Quod si vera esset sententia quorundam Hebræorum (referente NICOLAO de LYRA) asserentium, nõ vnum præceptum, sed plura Abrahæ fuisse imposita à Deo, *Nicol. de Lyr. super c. 12. Gen.* inde etiam commendabilior redditur eius obedientia; autumant illi, quod Dominus primo dixit Abrahæ: *Tolle filium tuum:* *Gen 22.* & quod ipso Abrahamo respondente: paratus sum obedire, sed cum duos filios habeam, de quonam præceptum intelligis? Dominus secundo dixit: *de vnigenito.* Ipso autem adhuc respondente; quilibet est vnigenitus matris suæ; Dominus tertio dixit: *quẽ diligis;* & ipso adhuc respondente; vtrumque diligo: Dominus iterum dixit: *Tolle Isaac,* & hoc totum ideo factum esse contendunt Hebræi, vt ex pluribus responsionibus ad obediendum maiorem Abraham suæ obedientiæ mercedem reciperet.

VIII. Cæterum quomodocunque res se habeat, licet celebris, & æterna memoria digna fuerit Abrahæ obedientia, cum ea tamen, quam B. Virgo præstitit, minime venit comparanda: tum, quia quemadmodum maior, & dignior censetur obedientia, quæ Regi à Regina exhibetur, quam illa, quæ à famulis eidem præstatur, ita Mariæ obedientia, quæ genitrix Dei, & Regina cœli electa erat, mirum in modum excedit eam, quam famulus Dei Abraham ei exhibuit: tum, quia si in eo valde effulsit Abrahami obedientia, vt filiũ, quem diligebat, Isaac Deo in sacrificium offerret Maria filium, quẽ incomparabiliter ardẽtiori amore prosequebatur, quam Abraham natum suum Isaac, in mortem tradere non dubitauit: tum, quia si Abraham obtulit morti filium suum, ipsius tamen mortis debitor erat, quia per peccatum introiuit mors in orbem, & nos omnes constituit eius debitores; vnde PAVLVS dixit: *Statutũ est hominibus semel mori:* at beata Virgo obtulit filium minime mortis debitorẽ, sed

inter

Psal. 87.

inter mortuos liberum, vt dixit DAVID. Cum igitur beatissima Virgo, quando angelicæ legationi assensum præbuit, in præparatione animi esset ad offerendum morti filium suum mox concipiendum; ex dono namque prophetiæ & ex assidua sacrarum literarum lectione aperte cognouerat, Christum Dominum crudeli mortis genere interficiendum fore; certe ex quo protulit illa verba: *Ecce ancilla Domini*; quibus consensum suum expressit, exinde diuinæ voluntati ob secundas diræ Crucis morti libentissimo animo filium obtulit.

Luc. 1.

Sup. Abb. lib. 1. in Cant.

IX Sed iam profundam humilitatem, quam B. Virgo his verbis ostentauit, latius contemplemur: Magnitudinem huius humilitatis perpendens RVPERTVS ABBAS, in persona B. Virginis ait: *Nolite incumbere mihi, vt explicem, quantam in me humilitatem mitis, & humilis corde inuenerit, non possum eloqui, non possum verbis consequi, res ita non est effabilis*: si ergo tanta est huius humilitatis profunditas, vt nec Marianæ menti sit plene, & vndequaque perspecta, mirandum certe non erit, si de ea pro dignitate non disseruerimus; at si non pro meritis & dignitate, pro modulo tamen nostro ab eius laudibus, & præconiis abstinendũ non est (humili enim Mariæ humili sermone de iis humiliter pertractasse non displicebit) Beata Virgo cum alioquin multis diuinis charismatibus locupletissima esset, hac industria, cœlitus edocta, vt se humiliaret, vtebatur: considerabat se ex parte sui, non ex parte donorum Dei, & sic agnoscebat ex seipsa nihil esse, & quod quidquid præclari habebat, ex diuino munere acceperat. vnde recte VATABLVS vbi nostra Vulgata legit: *Respexit humilitatem ancillæ suæ*, ipse perdocte vertit: *Respexit nihilitatem ancillæ suæ*, cũ enim ipsa recipere deberet in vtero suo illum, de quo Diuus PAVLVS dixit: *Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens*: ipsa certe, vt ei se coaptaret, & contemperaret, se etiam exinaniuit. & quantum est ex se, quasi nihilum se reputauit, cum humili DAVIDE dicens: *Substantia mea quasi nihilum ante te.*

Vatab. sup. cap. 1. Euc.

Philip. 2.

Psal. 38.

Aristot. 2. physic.

X Satis tritum est illud ARISTOTELIS asserentis locum debere proportionari locato; vt ergo esset beata Virgo aptus, condignus, & proportionatus locus ad recipiendum in se eum, qui habet esse per essentiam, opus fuit, vt ipsa se reputaret tanquam nihilum. ad cuius maiorem intelligentiam aduertere oportet, Philosophos duo infinita reperiisse, vnum positiuum, quod est Deus, aliud priuatiuum, quod est ipsum nihil, seu non ens, hoc enim infinitatem priuatiuam importat, quatenus dicit negationem omnis entitatis, tam finitæ, quam infinitæ: ad hoc ergo, vt beata Virgo, quoad fieri posset, diuino spiritu afflante se aptum, atque proportionatum locum ad recipiendam infinitam Dei maiestatem redderet, priuatiua illa infinitate se induit, quasi nihilum se esse agnoscens, & ideo hac humili cogitatione vilescens, in illa verba prorupit: *Ecce ancilla Domini.* Atque huc etiam facit, quod Deus olim in singulis huius in lib. Exod. iusserat Altare sibi præparari, quod inane esset, & concauum, sic enim ait sacer textus: *Non solidum, sed inane & cauum intrinsecus facies illud, sicut tibi in monte monstratum est*; non secus, cum beata Virgo sacrum futurum esset altare, & ara Spiritus sancti oleo vncta, oportebat quidem, per humilitatem, qua tanquam nihilum se reputaret, inanem, & cauam esse, vt in ea immaculati Agni Christi Domini sacerrima victima pro nobis immolanda collocaretur, ad id ergo præstandum seruam se appellat, quæ mox mater Dei futura erat.

Exod. 27.

XI. CELIVS RODIGINVS refert, sententiam fuisse omnium sapientum, seruitutem inter temporalia mala esse omnium pessimum, & abiectissimum, eo quod mancipia non sui iuris sunt, sed alterius iuri ac dominio subsunt, libertate non vtantur, cum tamen Poeta dixerit:

Celius Rodiginus lib. 7. lect. antiq.

Non bene pro toto libertas venditur auro: actiones vtiles eorum non sibi, sed dominis proficuæ sunt, cum iuxta Iurisconsulti sententiam; *Quidquid acquirit seruus, acquirat Domino*: nihilominus tamen vt beata Virgo magis, ac magis se dimitteret, ancillæ, & seruæ conditionem omnium abiectissimam sibi ascribit dicens; *Ecce ancilla Domini*; verum si ARISTOTELEM consulamus, quam recte congruat beatæ Virgini, ancillam, & seruam Dei appellari, facile deprehendemus; etenim ille seruum vocat; *instrumentum animatum*. vnde cum proprium sit instrumenti non aliter operari, quam secundum quod mouetur à principali agente, idque specialissime præ omnibus sanctis habuerit Virgo, vt omnia sua opera non aliter operaretur, quam efficaci auxilio à Spiritu sancto mota, sacro CONCILIO TRIDENTINO attestante, nullam eius actionem Deo fuisse ingratam, aperte inde liquet, proprie & verissime ipsam Dei fuisse ancillam, & seruam; illud tamen obseruant Patres in Commentario huius loci, & præsertim BERNARDVS (idque Marianam humilitatem non parum effert) quod quanto Angelus eam exaltauit, tanto magis ipsa se depressit, atque demisit, respondens, *Ecce ancilla Domini*: non dixit certe: ecce plena gratia, ecce quę gratiam inuenit apud Deum, ecce super omnes fœminas benedicta, licet alioquin his omnibus titulis iam Angelus eam cohonestauerat: non dixit; ecce Reginam Angelorum & Dominam mundi; ecce futuram matrem Dei; ecce mulierem fortem, quæ Luciferi caput conteret: non dixit: ecce quæ figuris terminum ponit, quæ antiquas vmbras fugabit, quæ Mosaicam legem abrogabit, quæ diuina oracula implebit, & vltimam perfectionis manum vniuerso dabit orbi, sed è contra humillimo affectu respondit: *Ecce ancilla Domini*? O inauditam, ac stupendam humilitatem! cum Pater æternus antiquissimæ suæ electionis angelicum nuntium ei mittit: cum cœlestis Paranymphus eam salutat; cum Spiritus sanctus

Luc. 1. Arist. 8. Eth. & 10. Polit. c. 5.

D. Bern. ser. sup. missus. Luc. 1.

Ibid.

in

in eam superuenit ; cum Verbum diuinum de ea carnem mox assumeret, & ad dignitatem matris suæ illam euehere satagit, ipsa nihilo secius humilem ancillam se profitetur. Mellifluus Bernardus hanc Virginis humilitatem admirans ait : *Quæ est ista sublimis humilitas, quæ honori cedere nescit, insolescere gloria non nouit? Dei mater eligitur, & ancillam se nominat; non magnum est humilem esse in abiectione, magna vero prorsus, & rara virtus humilitas honorata.*

D.Ber. homil.4. super missus.

XII. Triplicem ergo contemplor humilitatem; primo coactam, quæ licet ex se non sit meritoria, quando tamen libere acceptatur, & necessitas vertitur in virtutem, habet meritum apud Deū: huiusmodi fuit humilitas Ioseph, de quo cecinit David: *Humiliauerunt in compedibus pedes eius.* Alia est humilitas spontanea, quam consideratio propriæ vilitatis parit; de qua Michæas: *Humiliatio tua in medio tui.* Tertia humilitas est honorata (vt D. Bernardi verbis loquar) quæ, sicut arbor, quæ tanto magis ramos suos versus terram inclinat, & dimittit, quanto pluribus pomis onustior est; ita ipsa tanto quidem se magis despicit, quanto cœlestibus donis, ac diuinis muneribus cumulatior existit; vnde eleganter sapientissimus Petrus Raven. dixit : *Ecce quam vocauit Angelus Dominam, ipsa se recognoscit & vocat se ancillam, quia deuotus animus infusis beneficiis ad obsequium crescit, augetur ad gratiam, non ad superbiam pertumescit, nec ad arrogantiam prosilit.* legimus in Exod. quod cum Deus vellet Pharaonem plectere, eo quod populum suum ad sibi sacrificandum dimittere renueret, dixit ad Moysen, & Aaron: *Tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses coram Pharaone:* quo facto continuo subdit sacer textus : *facta sunt vlcera vesicarum turgentium in hominibus.* puluis in altum subleuatus hominem in sublimem dignitatis locum exaltatum significat, qui cum primum supremum illum honorem attigit, continuo superbiæ tumore, instar turgentium vesicarum, laborare incipit. Exemplum huius habemus præsenti huic nostro instituto valde accommodatum in superba illa ancilla Agar, quæ (vt sacra refert Genesis) cum agnouisset se ex magno illo Patriarcha Abraham concepisse filium, cœpit intumescere, & Saram dominam suam despicere; at longe diuersum est ingenium, longe alia conditio humilis ancillæ Mariæ, quæ videns se non ab Abraham, sed à Spiritu sancto grauidam; non Ismahelem, vt illa, sed Deum hominem mox concepturam, non solum non intumescere, non altum sapere, sed tunc magis se humiliare, ac deiicere cœpit dicens : *Ecce ancilla Domini.*

Psal.104. Mich.6. Petrus Rau. ser. de laud. Virg. Exod.9. Gen.21. Luc.1.

XIII. Salomon tanquam stupendum naturæ miraculum commemorat, quod *omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat ex eis*, continuo tamen subdit causam huius, quæ omnem tollit admirationem : *quia ad loca, vnde exeunt, flumina reuertuntur, vt iterum fluant.* Quare illud proculdubio mirabilius esset, si cum in mare copiosissima illa flumina ingrederentur; ipsum tamen mare nec intumesceret, nec redundaret, sed potius ad breuiorem locum se comprimeret. hoc igitur mirabile, quod natura non nouit, Gratia in Maria ostentauit, in quantum, velut in mare, gratiarum ac cœlestium donorum flumina ingrederentur, ibique perpetuo manerent: antequam enim mater Dei efficeretur, plena gratia ab Angelo salutatur, & deinde Spiritu sancto in eam superueniente, ac virtute Altissimi eam obumbrante, nouis cœlestium charismatum muneribus diuina largitas eam cumulauit; nihilominus tamen tot gratiarum fluentis in ea quiescentibus non inflatur, non intumescit non redundat, non in altum erigitur, quin potius magis, ac magis se deprimens, ait: *Ecce ancilla Domini.* Profecto Humilitas optat nasci in solio felicis fortunæ, in cacumine perfectæ sanctitatis, in vertice doctrinæ, & fastigio dignitatum, vox enim humilis est, cui nihil est, quo efferatur. quid enim quæso mirum, vel magnum, si qui tacet, non alios despiciat. illud grande atque præclarum, in altis non altum sapere; cum extolleris, te deprimere; & quod proprium est virtutis istius, meritis polum attingere, & opinione tua circa solum repere.

Eccl.1. Ibid. Luc.1. Ibid.

XIV. Illud ergo super omnia humilitatem Virginis commendat, quod supra verticem sanctorum omnium constituta, & in Dei matrem electa, quod omnem puræ creaturæ dignitatem transcendit, inter ancillas circa terram repentes se connumeret, dicens: *Ecce ancilla Domini:* hanc Marianam humilitatem contemplanti mihi Dauidica illa humilitas, cuius meminit sacra Regum historia, in mentem venit. Dauid quidem, cum in domum suam sacram illam Dei Arcam reducere apud se statuisset, non solum in organis armigatis percutiebat, & *totis viribus ante Dominum saltabat:* sed etiam *Ephod lineo accinctus* : deposuerat enim, sicut plerique Patres exponunt, omnia regalia insignia, & accepit lineam vestem, sicque deducebat Arcam testamenti Domini in iubilo, & clangore buccinæ: cumque eius vxor Michol per fenestram Dauid sic coram Domino saltantem prospiceret, eum in corde despexit suo: nec hoc contenta est, sed ipsum Dauid, cum iam domum esset reuersus, talibus verbis est allocuta: *Quam gloriosus fuit hodie Rex Israel discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur vnus de scurris:* id est, vnus de inanibus, vel fatuis, sicut habet Hebræum originale; ita etiam antequam Maria, quæ tanquam vera Dauidis filia Dei filium in sacram ventris sui domum exceptura erat, illum conciperet, opus fuit, vt ipsa à tanto Patre non degenerans, se humiliaret, demitteret, ac vili penderet, dicens : *Ecce ancilla Domini.*

Ibid. 2.Reg.6. Luc.1.

XV. Porro quam hæc profunda Mariæ humilitas Deo pergrata fuerit, explicare properemus: In eius figuram legimus fœcundam pariter & humilem Liam dixisse: *Vidit Dominus humilitatem meam,* Gen.29.

nunc

nunc amabit me vir meus. vidit ſane Deus humilita-
tem Mariæ, adeoque ſibi complacuit in ea, vt va-
riis metaphoris, ac tropis, inſtar veri amantis, a-
morem ſuum erga Marianam humilitatem indica-
ant.1. uerit. In primis enim ait illi: *Collum tuum ſicut mo-*
nilia: ac ſi diceret (vt egregie explicat GVLIELMVS
ſuper cap. 1. Cantic.) non riget collum tuum per
b 15. ſuperbiam, ſicut collum illius, de quo dixit IOB:
Concurrit aduerſus eum (ſcil. Dominum) *erecto collo*:
ſed eſt pia humilitate flexile, ac proinde non eget
aliis monilibus illud exornantibus, quia vere in ſe
ipſo non minus pulchrum eſt, quam ipſa monilia.
Accidit non ſemel, vt cum quis intuetur pulchram
aliquam imaginẽ, dicat; tota ſane mihi placet, ſed
inter omnia flexio illa colli, & inclinatio capitis
ſupra modum mihi arridet; nõ diſſimiliter intuens
Deus pulcherrimam hanc, quam extruxerat, Vir-
ant.4. ginem, licet tota ſibi placeret, iuxta illud: *Tota pul-*
chra es amica mea: illa tamen flexio colli & inclina-
c.1. tio capitis dum eximia humilitate dixit: *Ecce An*
cilla Domini: adeo ei placuit, vt vno crine colli il-
lius captus maneret, vt ipſe fatetur ad Virginem di-
ant.4. cens: *Vulneraſti cor meum in vno crine colli tui*: per
crinem intelligit RVPERTVS humilitatem, elegan-
upert. lib. ter dicens: *Quid vno crine gracilius, & quid humili-*
in Cant. *tate ſubtilius, quid crine flexibilius, & quid humilita-*
ulo ante *te contractius? crinis vnus vix comparet, humilitas vix*
nem. *conſentit quod computari poſſit inter homines.* de hoc
ant.4. ergo humilitatis Marianæ crine ait Dominus. *Vul-*
neraſti cor meũ in vno crine colli tui: vel, vt habet alia
verſio: *excordaſti me*: alii vertunt: *percuſſiſti nos corde*;
vel, vt LXX Interpretes tranſtulerunt: *abſtuliſti cor*
meum, hoc eſt, *filium cordis mei*: quibus verbis non
obſcure indicauit beatam Virginem armis ſuæ hu-
militatis fortiſſimum Deum deuiciſſe, & à ſinu e-
ius vnigenitum extrahendo, in vterum ſuum addu-
xiſſe. In quo ſane conflictu, atque certamine im-
Ierem. 48. pletum mihi videtur illud IEREMIÆ: *Fortis impegit*
in fortem, & ambo pariter conciderunt. hic duos for-
tiſſimos intueor pugnatores: pugnat Deus, de quo
Pſal.23. DAVID: *Dominus fortis, & potens, Dominus potens in*
Prou.31. *prælio*: pugnat beata Virgo, de qua SAPIENS: *Mulie-*
rem fortem quis inueniet? Hi duo ſtrenuiſſimi bella-
tores ſe inuicem reſpicientes, inter ſe dimicantes,
pariter ceciderunt. Cecidit Maria ſe dimittens, at-
Luc.1. que humilians: *Ecce ancilla Domini*: Cecidit & Deus
ex vtero Patris in vterum matris veniens, ecce er-
Ierem. 46. go: *Fortis impegit in fortem, & ambo pariter cecide-*
runt.

XVI. QVOD ſi ſollicitius ſciſciteris, quo armo-
rum genere beata Virgo omnipotentem deuicit?
iam dixi, non alio, quam *in vno crine colli ſui.* In
Iudith 8. cuius figuram legimus de IVDITH, quod licet alio-
quin eſſet eleganti aſpectu nimis, & incomparabi-
li decore omnium oculis perpulchra appareret: ni-
hilominus tamen non ſplendentis oculi, non ge-
næ, non manus, non totius corporis venuſtas, ſed
ſola calceamenta Holofernem deuicerunt, ſacro
Ibid. textu dicente: *Sandalia rapuerunt animam eius.*
hoc quid aliud nobis clarius ob oculos ponit,
quam quod, licet pulcherrima eſſet B. Virgo à plan-
ta pedis vſque ad verticem capitis, eius tamen hu-
militas, qua Mariani pedes, hoc eſt, eius affectus
calceati erant, adeo ardentem in diuino pectore
ſui amorem excitauit, vt illo captus æterni Patris
filius, ad viſcera Mariæ, humanam carnem ex ea
ſumpturus, confeſtim deſcenderet? Quod ſi quiſ-
piam forte mirabitur, rebus adeo inter ſe diſſimili-
bus, cuiuſmodi ſunt, *crinis*, & *calceamentum*: humi-
litatem comparari, aduertat, quæſo, quod cum hu-
milis ex vna parte inſtar calcei ſeipſum calcat, &
omnium pedibus ſe ſubmittit; & ex alia Deus eun-
dem, velut crinem capitis ſui exaltet, iuxta illud:
qui ſe humiliat, exaltabitur: merito ob hanc ratio- Matth 25.
nem humilitas & calceamento, & crini compa-
ratur.

XVII. NE tamen à potentiſſimis humilitatis ar-
mis, quibus B. Virgo inuincibilem deuicit, quic-
quam recedamus, in memoriam quæſo reuoce-
mus, non abſque myſterio diuinam fortitudinem
comparari à Spiritu ſancto fortitudini Rhinoce- Num.24.
rotis. Refert Diuus ISIDORVS, quem ſequuntur D. D Iſid. lib.
GREGORIVS, INCOGNITVS, BARTHOLOMÆVS AN- 12. etym.
GLICVS, & BERCORIVS, quod Rhinoceros, ſeu Vni- D. Greg. l.
cornis, fortiſſimum & indomitum animal, nulli 31. moral.
cedere ſolitus eſt, à nulloque ſe capi permittit: cũ c.13. Incog.
tamen ei occurrit Virgo perpulchra, eius amore ſup. Pſ. 77.
captus, inſtar Melitenſis canis, ad eam declinat, ac Bart. Ang.
omnem ferocitatem deponens, in gremio eius mã- lib.18. de
ſueſcit, & ſic facile capitur, & ligatur; non diſſimi- anim. c.85.
liter filius Dei, de quo DAVID: *Dilectus, quemadmo-* Bercor. in
dum filius vnicornium, quamuis tanta fortitudine reduct. lib.
polleret, vt nemo eius potentiæ reſiſtere valeret, 10. cap. 85.
Mariam intuens, & humilitatis ac pulchritudinis Pſalm. 28.
eius amore captus, ad virginei vteri gremium de-
clinauit, in eoque victus requieſcens, adeo man-
ſueuit, vt recens natum videres illum vbera matris
ſugentem, pannis inuolui, & ligari, iuxta illud,
quod canit ECCLESIA: *Membra pannis inuoluta Vir-* Eccl. offic.
go mater alligat, & manus, pedeſque & crura ſtricta B. Virg.
cingit faſcia; ecce tunc impletum, quod in figura e-
ius legimus, fortiſſimum Samſonem non alibi li- Iudic 16.
gatum, & deuictum, quam in gremio pulchræ Da-
lilæ iacentem. Arbitror etiam ad id delineandum
voluiſſe naturæ auctorem, vt ſignum *Virginis* in
cœleſti Zodiaca inter *Leonem & Libram* collocare-
tur, quaſi leonis iram, & iuſtitiæ ſeueritatem tem-
perans. ſane ſi cum iracundia Dei diuina iuſtitia
coniungeretur, vniuerſum genus humanum per-
deret; cuius non obſcurum argumẽtum habemus
in horrendo illo ſupplicio Regi Balthaſſari diuini-
tus illato. Apparuit in aula regia deſcriptum epita-
phium illud: *Mane, Techel, Phares*: appenſus es in Dan.5.
ſtatera, & inuentus es minus habens: ecce quia ſta- Iſaia 4.
tera, ſeu libra coniuncta erat leoni, Deus quidem
vltionis, qui tribus digitis appendit molem terræ,
eiſdem ſententiam illam horrendam ſcripſit: *Diui-* Dan.3.
ſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis, & Perſis;

è contra vero hac noſtra felici legis gratiæ ætate ſi-
Apoc.12. gnum Virginis, cuius meminit IOANNES; *ſignum*
magnum apparuit in cœlo; non ſinit libr m cum leo-
ne coniungi, qu n potius Deum adeo mitigat, vt &
illum nobis benedictionem, & peccatorum remiſ-
ſionem imper iri faciat, DAVID dicente: *Benedixiſti*
Domine terram, &c. *operuiſti omnia peccata eorum,*
mitigaſti omnem iram tuam; vel, vt legit D HIERO-
NYMVS: *Continuiſti iram tuam*; vel, vt habet origi-
nale Hebræum: *Retraxiſti*, aut *collegiſti iram tuam.*
quando in bilance aliquid ponderatur, quanto
maius eſt pondus vnius ſtateræ, tanto magis alia
ſuperius exurgit. olim certe adeo ponderabat iuſti-
tiæ ſtatera, vt illa, quæ miſeric rdiæ er t, ita in al-
tum exurrexerit, vt cœli cacumen attingeret id at-
Pſal.35. teſtante DAVIDE; *Domine in cœlo miſericordia tua*: ex
interpoſi ione attamen Virginei ſigni iam miſeri-
cordiæ ſtatera terram tangit, eodem propheta di-
cente: *Miſericordia Domini plena eſt terra*, iuſtitiæ
Pſal.30. vero ſtatera altius eleuata eſt, vt idem DAVID dixit:
Pſal.84. *Iuſtitia de cœlo proſpexit.*

XVIII. TANDEM iam ad ſequentia verba expla-
Luca 1. nanda, ſi placet, accedamus; *Fiat mihi ſecundum*
verbum tuum: in quibus ſane illud primum obſer-
uandum duxi, ex illis magis confirmari & ſtabiliri
Marianam humilitatem, de qua hucuſque ſermo-
nem inſtituimus; certe cum Angelus prædixiſſet
Ibid. Virgini; *Ecce concipies*, ipſa non reſpondit: *faciam*,
ſed, *fiat*, quia vere humilis omnia bona à ſe facta,
aut facienda Deo aſcribit, magiſque ab illo, quam
à ſe facta putat. Et quidem ſi vera eſt ſententia D.
D.Th.3.p. THOMÆ aſſerentis ſolum Spiritum ſanctum effe-
q.32.art.4. ctiue concurriſſe ad conceptionem Chriſti, B. vero
Virginem paſſiue tantum, ſubminiſtrando puriſſi-
mi ſui ſanguinis materiam, ſatis congrue ad id ex-
plicandum non reſpondit Virgo, *faciam*, quia ipſa
non erat effectura, ſed *fiat*, quia efficientia tota cō-
ceptionis à ſolo Spiritu ſancto futura erat.

XIX. DEINDE vt mens noſtra excellentiam ho-
rum verborum magis percalleat, conferamus, ob-
ſecro *fiat* hoc Marianum tam cum humano, quam
cum diuino *fiat*. Sane ſi de humano loquamur, ne-
mo negabit ſummorum Pontificum *fiat* celeberri-
mum eſſe: at longe quidem inferius eſt hoc Virgi-
nis *fiat*, cum per illud caducæ dignitates, fugaceſq;
honores, ac beneficia parum ſtabilia conferantur,
per illud vero *fiat* celſiſſima illa atque in æternum
duratura Dei matris dignitas Mariæ collata fuerit.
Si autem eadem comparatione antiquum illud
Gen. 1. Dei *fiat*, per quod facta ſunt omnia: *fiat lux, & facta*
eſt lux: fiat firmamentum, & factum eſt ita, in medium
producamus, illud certe liquido conſtabit, gran-
diora quidem prodigia, & mirabiliora portenta ad
hoc Marianum, quam ad illud diuinum, *fiat*, patra-
ta fuiſſe, ad illud facta eſt lux aeris tenebras depel-
Ioan.3. lens, ad iſtud factus eſt fons *lucis, quæ illuminat om-*
nem hominem venientem in hunc mundum, & ſpiri-
tuales mentis tenebras fugat: ad illud factum eſt
cœleſte firmamentum; ſed ad hoc (quod longe id
ſuperat) *Verbum caro factum eſt*: ad illud tandem fa- *Ibid.*
cta eſt mundi creatio, ſed ad hoc fieri incœpit
mundi redemptio, & reſtauratio.

XX. AD hæc Patres illi antiqui, quaſi ſtrenui ac
ſapientes piſcatores, filium Dei piſcari ardentiſſi-
me concupientes, varia petitionum retia, vt illum
caperent, expanderunt, ſed numquam id conſequi
potuerunt: vnde merito vſurpare ſibi potuiſſent il-
lud Petri: *per totam noctem laborantes nihil cepimus*: *Luc. 5.*
at Virgine in lucem prodeunte, adfuit tunc virga
ad illam piſcationem apta, de qua ISAIAS: *Egredie-* *Iſaia 7.*
tur virga de radice Ieſſe: hamus huius virgæ fuit hu-
militas, eſca virginitas, quia Filius Dei *paſcitur inter*
lilia: his inſtrumentis beata Virgo vtens cum pri-
mum protulit verba illa: *fiat mihi ſecundum verbum* *Cantic.6*
tuum, filium Dei cepit, & in vterum ſuum clau-
ſit, tanta fuit illius *fiat* potentia, atque effica-
citas.

XXI. VERVM inopiam noſtram ſuppleat copia
BERNARDI, ac facundia illius melliflui oris hæc *D. Bern.*
dulciſſima verba in perſona Virginis proferentis: *homil. 4.*
Fiat mihi de verbo ſecundum verbum tuum: Verbum, *ſup.* miſſ
quod erat in principio apud Deum. fiat caro de carne mea
ſecundum verbum tuum, fiat, obſecro, mihi verbum nō
prolatum, quod tranſeat, ſed cōceptum, vt maneat, car-
ne videlicet indutum, non aere: fiat mihi non tantū au-
dibile auribus, ſed & viſibile oculis, palpabile manibus,
geſtabile humeris: nec fiat mihi verbum ſcriptū, & mu-
tum, ſed incarnatum, & viuum, hoc eſt, non mutis figu-
ris mortuis in pellibus exaratum, ſed in forma humana
meis caſtis viſceribus viuaciter impreſſum, & hoc non
mortui calami depictione, ſed ſancti Spiritus operatione,
eo videlicet modo fiat mihi, quo nemini ante me factum
eſt, neminique poſt me faciendum. Et rurſus: *Porro mul-* *Hebr.1.*
tifariam, multiſque modis olim Deus locutus eſt patri-
bus in Prophetis, & aliis quidem in aure, aliis in ore, a-
liis etiam in manu factum eſſe verbum Domini memo-
ratur, mihi autem, oro, vt in vtero fiat iuxta verbum
tuum. Nolo autem, vt fiat mihi, aut declamatorie præ-
dicatum, aut figuraliter ſignificatum, aut imaginato-
rie ſomniatum, ſed ſilenter inſpiratum, perſonaliter in-
carnatum, corporaliter inuiſceratum. hæc tam pie,
quam ſapienter Bernardinus. Nec tamen à doctri-
na tanti Patris diſcedamus, illud addere licet (quod
Marianam humilitatem ad cœlum vſque extollit)
per illam matrem Dei fieri meruiſſe: verba BER-
NARDI hæc ſunt: *etiamſi placuit ex virginitate, ta-*
men ex humilitate concepit.

XXII. NEC ſolum hæc eſt Bernardi doctrina, ſed
& aliorum Patrum, & præſertim Diui AVGVSTINI,
cuius aurea verba, tametſi non pauca, gratanter
recitabo. In hunc modum Virginem affatur: *Dic* *D. Auguſt.*
mihi, quæſo, tam ſancti ſanctorum mater, quemadmo- *ſer. 2. de*
dum myrtini odoris, & niuei coloris lilium conuallium *Nat. Virg.*
ſine ſucco humanæ propaginis, & ſine imbre carnalis ſe-
minis in ſinu Eccleſiæ germinaſti? Dic mihi, quæſo, vni-
ca mater, quibus manibus, vel quo deitatis articulo in
vtero tuo formatus eſt Dei filius, cuius Deus ſolus eſt
Pater? Dic, obſecro, te per eum, qui te fecit, vt ipſe fieret

in te,

in te, dic(inquam) mihi, quid boni egisti, aut quantum
præmium obtulisti, per quas potestates ambisti, quos pa-
tronos adhibuisti, quæ suffragia præmisisti, quo spiritu,
vel qua cogitatione ad hoc, vt acciperes, præuenisti, vt
virtus, & sapientia Patris quæ attingit à fine vsque ad
b.8. finem fortiter, & disponit omnia suauiter, totus vbique
manens, & sine vlla sui mutatione in vterum tuum
veniens, ita castellum castum tui ventris incoleret, vt
ingrediens non læderet, exiens incolume custodiret? Dic
mihi, quæso, quemadmodum ad hoc peruenisti? & illa:
Quæris à me, quod obtulerim munus, & vnde mater
effecta sim Creatoris? oblatio mea fuit humilitas mea, &
ideo magnificat anima mea Dominum, quia respexit
non auro eleuatam tunicam meam, non pomposo cultu
radiantis auri ornamentum ceruicis meæ, aut pretioso-
rum lapidum, vel margaritarum dependentium in au-
ribus meis decorem, aut gemmarum ruborem attendit;
nec fuco mendaci colorem, sed respexit humilitatem an-
cillæ suæ; venit enim ad me mansuetus, requiescens su-
Luc.1. per maternum spiritum humilem, & mansuetum, ac
trementem verba sua. hæc ille. HVGO VICTORINVS
in suis annotationibus super *Magnificat* inquit:
*Respexit Deus humilitatem Mariæ, cui per humilita-
tis meritum dedit, vt filium suum in carne conciperet,
& de sua carne verum Deum, & hominem, omnium
hominum Saluatorem generaret.* accedit AMBROSIVS
Amb. Ans- ANSBERTVS, qui in Comment. super Apocalyp. bea-
bert. lib.2. tam Virginem alloquitur: *O quantum meruisti! ô
super Apoc. quantum beata humilitas in sacra Virgine valuisti!
quid enim in sacra Virgine meruisti, nisi vt Deum ho-
mini coniungeres, vt verbum carni vnires?* Confir-
mant idem egregia RVPERTI ABBATIS verba lib. 3.
in Cantica dicentis: *Cum te reputares indignam vi-
ro, facta es digna Deo: cum te indignam iudicares facere
semen in Israel, facta es digna facere salutem ibidem:
cum indignam te reputares, lactare filium hominem, di-
gna habita es vberibus pulcherrimis, mammis virgineis
lactare filium, Deum, & hominem.* Ac tandem idi-
psum non obscure mihi significasse videtur sponsa,
Cant.1. cum in persona beatæ Virginis dixit: *Dum esset rex
in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suauitatis:* ad
cuius loci intelligentiam duo prius obseruare o-
portet: primum est, quod *accubitus*, in quo ab æter-
no filius Dei recubuit, fuit sinus Patris; secundum
D. Isidor. est, quod *nardus* (vt tradit Diuus ISIDORVS) est her-
lib.17. ba parua, nunquam in altum se erigens, iuuatque
ad sanandos tumores, & vtilis est fœminæ ad con-
Bercor. lib. ceptionem, vt & BERCORIVS adnotauit in suo mo-
12.c.106. rali reductorio: hoc supposito, sensus est, cum filius
Dei recumberet in sinu Patris, nardus virgineæ hu-
militatis meæ fragrantem adeo odorem emisit, vt
eo ipse allectus ad sinum vteri mei descenderit, vt
in eo illum conciperem, & carne induerem. hunc
suauem odorem Virgo præcipue dedit, quando ex
aureo cordis sui thuribulo verba illa prodierunt:
Luc.1. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum
tuum.* meruit ergo beata Virgo de congruo Chri-
stum sua humilitate concipere per *nardum* apte si-
gnificata, cum propter paruitatem suam, tum pro-
pter vim tumores sanandi, quod proprium est hu-
militatis, quæ omnem vanitatis, & inflationis tu-
morem dissoluit. Quibus si addas ex D. ISIDORO Isidor. ubi
præcitato loco virtutem, quam confert ad conci- supra.
piendum, facile videbis, quam his verbis Cantico-
rum consonant allata D. BERNARDI verba: *Etiamsi
ex virginitate placuit, ex humilitate tamen concepit*
Saluatorem mundi: Cui sit honor, & gloria in sæ-
cula sæculorum, Amen.

HOMILIA XIV.

*Agitur de Christi Domini conceptione, cuius purissi-
mum Mariæ sanguinem in eius vtero materiam
extitisse ostendimus; variaque huius sacerrimæ
conceptionis sacramenta aperimus in illa verba:*
Ecce concipies, & paries; *quæ ad mores et-
iam informandos conuertimus.*

I.  ACRA commemorant eloquia, 3.Reg.19.
quod cum Elias infestissima Ie-
zabelis persecutione oppressus
in spelunca quadam iaceret, Do-
minus ad eum loquutus est di-
cens: *Egredere, & sta in monte co-
ram Domino*: vt autem Elias melius agnosceret,
quando Dominus transiret, dixit ei: *Spiritus gran-
dis, & fortis subuertens montes, & conterens petras an-
te Dominum: non in spiritu Dominus, & post spiritum
commotio: non in commotione Dominus, & post commo-
tionem ignis: non in igne Dominus, & post ignem sibilus
auræ tenuis*: & tunc aduenit Dominus. ecce tibi
Verbi Incarnationem, nec non Christi conceptio-
nem adamussim delineatam: nam inprimis missus
fuit à Deo Angelus Gabriel, qui iure vocari mere-
tur: *Spiritus grandis, & fortis, subuertens montes, &* Ibid.
conterens petras: cum ipse esset, qui Sodomam & re-
liquas ciuitates (quæ regio erat in Palæsthina, &
Arabia) penitus subuerterat, atque in cineres & fa- Ibid.
uillas copiosissimas illas ciuitates redegerat: *at non
in spiritu Dominus*: hoc est, non statim atque spiri-
tus Angelicus Mariam salutauit, Dominus in Vir-
ginem per carnis assumptionem venit; subdit sacer
textus: *& post spiritum commotio*; ecce commotio Luc.1.
nem turbationem Mariæ: *turbata est in sermone eius*,
sed *non in commotione Dominus*: cum in hac turba-
tione Verbi diuini Incarnatio celebrata non fuerit:
subiungit deinde: *& post commotionem ignis*. ecce di-
uini spiritus (qui ab AMBROSIO dicitur; *fons viuus*, D. Ambr.
ignis, charitas, & spiritalis vnctio) ardentē amorē, ac in Hymno
cœlestem virtutem, Mariam fœcundantē ad Christi Veni Crea-
generationē: *Spiritus sanctus superueniet in te, & vir-* tor.
tus Altissimi obumbrabit tibi: sed nō in igne Dominus, Luc.1.
nec enim tunc Virgo filiū concepit, sed diuina vir-

cure operante virgineus eius thalamus ad Christi conceptionem dispositus ac præparatus magis fuit iuxta illud; *Spiritu sancto cooperante præparasti.* tandem ait; *& post ignem sibilus auræ tenuis*: sane in hoc sibilo Dominus aduenit; quis enim quæso suauior zephyrus, qui mitior sibilus aurę tenuis, quis respirationis flatus fragrantior, quam ille, quo Maria sacra verba illa formauit: *Ecce ancilla Domini*: in hoc Mariano sibilo descendit Dominus de sinu Patris ad vterum Matris, & in momento: *Verbũ caro factum est.*

Eccle. Rom in quadam orat.

Ioan. 1.

II. Nec enim existimare fas est formationem corporis Christi per multos dies, vt in nobis, durasse: vt enim docuit D. Avgvst. quadraginta dies natura spectat ad introductionẽ animæ in corpus; in primis sex materia similitudinem lactis habet, in nouem sequentibus saaguinis formam inducit, in duodecim postmodum coagulatur, & consolidatur, dicẽte Iob. *Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti?* tandem in decem & octo diebus postremis corpus illud origanizatur, & cũ plene dispositum est, anima ei à suo Creatore infunditur, vt idem testatur Iob dicẽs, *pelle & carne vestisti me, ossibus, & neruis compegisti me, vitam, & misericordiam tribuisti mihi.* non ita per temporis interualla, prout in reliquis infantibus contingit, sed in momẽto sacratissimũ Christi corpus in vtero matris formatum fuit, vt his verbis egregie docuit D. Damascenvs; *Nõ ita, vt paulatim tacitúq; incremẽtis figura corporũ absolueretur, sed vno eodemq; momento perficeretur.* Non dissimilia sunt verba D. Basilii; *Hinc deprehẽdere licet, quod non secundum modum carnis constitutio Domini fuit: conceptum namq; illico perfectũ, non per interualla paulatim formatum, vt plane verba declarãt; non enim dicit, quod in ea conceptum est, sed quod in ea natum est.* Ac tandem Sanctus Thomas instantaneam Christi ait fuisse conceptionem propter virtutem agentis infinitam, scilicet Spiritus sancti, per quem Christi corpus fuit formatum: tanto enim aliquod agens citius materiam disponit ad debitam formam, quanto maioris virtutis est, vnde agens infinitæ virtutis in instanti, cum vult, materiam disponit. neq; huic veritati refragatur D. Avgvst. vt quidam perperã putarũt, ansam sumẽtes ex illis verbis, quę habẽtur libr. 83. quæstionũ: *Non absurde quadraginta sex annis dicitur fabricatũ tẽplum, quod corpus Christi significabat; vt quot anni fuerunt in fabricatione Tẽpli, tot dies fuerint in corporis Dominici perfectione*: igitur quadraginta sex dierũ spatio (iuxta Avgvstini sentẽtiam) Christi corpus formatum fuit. at S. Doctor se ipsum explicuit libr. 4. de Trinitate his verbis: *Dixerunt Iudæi: quadraginta sex annis ædificatũ est templũ, & quadragies sexies seni fiunt ducẽti septuaginta sex, qui numerus dierum complet nouem menses, & sex dies, qui tãquam decẽ menses parientibus fœminis imputantur; non quia omnes ad sextum diem post nouem menses perueniunt, sed quia ipsa perfectio corporis Dominici tot diebus ad partum perducta cõperitur, sicut à maioribus traditum suscipiens Ecclesia custodit auctoritas.* Vult ergo D. Augustinus corpus Domini vsque ad partum perfectum esse, non 46. diebus solum, sed multiplicatis per senarium numerum: sic autem multiplicati dies sunt 276. id est, nouẽ menses, & sex dies, qui à vigesimo quinto Martii die, quo Christus est conceptus, vsque ad vigesimum quintum diem Decẽbris, quo est ortus, computantur. verborum itaq; Augustini sensus est: quot anni fuerũt in fabricatione templi, scilicet quadraginta sex; tot dies, scilicet quadraginta sex multiplicati per senarium, fuerunt in perfectione corporis Domini vsque ad partum: non igitur loquitur de perfectione corporis in ipsa conceptione, de qua nos agimus, sed de perfectione vsque ad Virginis partum.

D. Aug. li. 83. q. 56.

Iob. 10.

Ibid.

D. Basil. hom. 25. de humana Christi generat.

III. Hinc inferre licet, adeo Christo infanti placuisse in vtero Virginis delitescere, vt cum aliorum infantium corpora à materno vtero egrediantur ante octauum mensem post perfectam eorum conceptionem, Christus tamen Dominus ex virgineo thalamo egressus fuerit post nouem menses, & sex dies ab instanti suæ conceptionis; natus enim fuit post animationem decimo mense, iuxta illud Sapientiæ: *Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine.* itaque magna celeritas in cõceptione, & formatione corporis Christi causa extitit, vt maioris temporis spatio, quam reliquorum infantium, corpus eius animatum in vtero Virginis latuerit. Concepit autem B. Virgo Christum Dominum in minima quantitate, vt sub metaphora vngulæ expressit illam dicens: *Quasi vngula vaporaui habitationem meam.* Dioscorides prætérquã tradit vngulam non comparare, nec ad manus hominum venire, donec aquarum stagna, in quibus moratur, deficiant, quod egregie præfigurat B. Virginem in mundo non comparuisse, donec ex regali eius prosapia defecerunt Reges, & Patriarchæ, adeo vt ad humilem fabrum lignarium eius prosapia descendisset, pręter hoc (inquam) refert ẽt vngulam esse conchilium paruum, quod quia instar vnguis est, *vngula* vocitatur, in cuius concauitate paruus pisciculus delitescit; quare beata Virgo tum propter clausuram virginitatis, tum etiam quia Christum Dominum adeo in parua quantitate concepit, vt vix humanus intuitus illum videre posset, vt testatur Magister sententiarum, merito se vngulæ comparauit: *Quasi vngula vaporaui habitationem meam*: maxime, quia sicut ex vapore conchilii, & cœlesti influxu intra clausuram eius paruulus ille gignitur pisciculus; ita ex sanguineo humore Virginis, Spiritu sancto cœlitus cooperante, conceptus fuit Christus intra virginei vteri conchilium.

Sapien 7.

Eccles. 24.

Dioscorid. l. 2. c. 8.

Eccles. 24

IV. Licet autem paruulus esset corpore, magnus tamen erat virtute, iuxta illud Angeli ad Virginem: *Hic erit magnus*; quæ verba etsi idem Gabriel de Baptista dixisset, longe tamen aliter, quam de Christo: de illo enim inquit: *Erit magnus coram*

Luc. 1.

Psal. 144.

Domino:

Psalm. 47. *Domino*: de Christo autem: *Erit magnus*, scilicet Dominus, iuxta illud DAVIDIS: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis*: longe autem maius est magnum esse Dominum, quam magnum esse coram Domino: vnde D. BERNARDVS verba illa expendens ait: D. Ber. homil. 4. super missus. *Bene magnus, quia filius Altissimi merebitur appellari: annon magnus, cuius magnitudinis non est finis? & quis magnus, ait Dauid, sicut Deus noster? Plane magnus, quia tam magnus, quam altissimus*: & quidem Ad Phil. 2. cum æqualis esset Patri, Apostolo dicente: *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*: non poterat non esse magnus, vt his verbis eleganter dixit idem BERNARDVS: D. Bern. ibi supra. *Altissimus Deus Pater quamuis omnipotens sit, non potuit tamen vel æqualem sibi condere creaturam, vel in æqualem sibi gignere Filium*: ne autem quispiam magnitudinem illam falso iudicaret eximia infantilis corpusculi breuitate quidpiam minui, S. Pater AVGVST. dixit: D. Aug. serm. 27. de temp. *Cuncta sæcula ordinans, de sinu Patris hodiernum diem consecrans in vtero matris, ita magnus in forma Dei, breuis in forma serui, vt nec ista breuitate magnitudo illa minueretur, nec illa magnitudine breuitas ista premeretur.*

V. VERVM, quia non solum erat *magnus*, in quantum Deus, sed in quantum homo, vt verba Angeli satis indicarunt loquentis de futuro: *hic erit magnus*: idem sanctus Doctor subiungit: D. Ber. homil. 4. sup. miss. *Bene ergo hic erit magnus, quia magnus homo, magnus Doctor, magnus Propheta, magnus sacerdos, magnus redemptor*. Ibid. Deinde ad Virginē se cōuertens hæc millif lua ab eius ore verba prodierunt: *Et tu quidem, ô Virgo, paruulū paries, paruulū nutries, paruulum lactabis, sed videns paruum, cogita magnum, quia magnificabit eum Dominus in conspectu Regum, ita vt adorent eum omnes Reges, omnes gentes seruiant ei*: ac tandem ad nos omnes sermonem dirigens, in hunc modum nos alloquitur: Ibid. *Magnificetur à nobis paruulus magnus Deus; quæso vt faceret magnos, factus est paruulus, & studeamus effici sicut paruulus iste.*

VI. VT magnitudinem hanc nonnihil illustremus, placet in medium producere illud, quod PLVTARCH. de fortuna Alexādri commemorat: Plut. lib. 2. de Alex. ait enim, quod cum Stasicrates obseruans insignes quosque pictores, & sculptores mirum in modum in exprimenda ad viuum Alexandri effigie elaborasse, in hunc modum Regem alloquutus est: Mecum ipse, ô Alexander, insignem statuam in nominis tui gloriam & honorem affabre facere cogitaui, quæ ob materiæ incorruptibilitatem æterna, ob fundamentorum profunditatem immobilis, ob magnitudinem molis immensa, ob singularis formę pulchritudinem oculis intuētium sit pergrata: vt autem tantum opus perficiam, non aliam elegi materiā quam montem athon, cuius pedes & caputita quidem aptabo, vt hoc cœlum, illi mare cō tingant: in manu eius dextra ingentem concham apponam, in quam magna aquarum copia confluat; in sinistra vastissimam ciuitatem ad multorum ciuium protectionem locabo. Nouerat quidem Alexander opus illud naturæ, & artis facultatem longe superare, & ideo tanquam futilem pollicitationem illam spreuit: verum quod & naturæ, & artis vires superat in mysterio Incarnationis, gratia nouit attingere; mons enim excelsus est beata Virgo, DAVIDE dicente: *Fundatur exultatione vniuersa terræ mons Sion*: & ISAIA: *Erit præparatus mons domus Domini in vertice montium*; est etiam apte significata per montem *Athon*, quia *mons sanctus* interpretatur; & quia mons est in Macedonia altior, quam locus, vnde imbres cadunt, vt auctor est SOLINVS, id referente BERCORIO in suo reductorio morali, qui & addit vmbram huius montis vsque ad Insulam *Lemnon* in forum oppidi *Myrinæ* nomine porrigi, quod per sex & octoginta millia passuum ab eo distat: quæ omnia quam bene in Virginem conueniant, cum & ipsa sit altior cœlo, & protectionis eius vmbra ad longissimas regiones se extendat, facile cernimus. Psalm. 47. Isaia 2. Solin. apud Bercorium lib. 12. reduct. mor. cap. 55.

VII. Ex materia ergo huius montis, ex purissimo sanguine Mariæ, animata illa statua, omni adoraratione digna, IESVS redemptor noster prodiit: materia quidem ex vnione ad Verbum incorruptibilis: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*: duratione æternus: *Christus autem manet in æternum*: diuinitate immobilis: *Ego Deus, & non mutor*: magnitudine immēsus; *Cœlum, & terram ego impleo*; forma omnium pulcherrimus; *Speciosus forma præ filiis hominū*, Deus quidem eius caput, quia vt dicit D. PAVLVS, *caput Christi Deus*, cœli cacumina tangit; illius tamē pedes, hoc est, humanitas, qua velut calceata erat diuinitas, fluctus maris huius sæculi tāgit; at in manu eius dextera concha erat illa magna sacri baptismatis, in quam cęlestium charismatum copiosissimæ aquæ confluxere; in sinistra ciuitas aderat Ecclesiæ militantis, in qua fideles, velut olim animalia in arca Noe proteguntur. Psalm. 15. Tob 12. Malach. 3. Ierem. 23. Psalm. 44. 1. Cor. 11.

VIII. CÆTERVM, vt ad Christi recens concepti paruitatem redeam, illud tanquam Catholicæ fidei dogma suppono, materiam, quam beata Virgo ad Christi conceptionem subministrauit, purissimum eius sanguinem fuisse, vt expresse habetur in SEXTA SYNODO actione 11. in epistola SOPHRONII, & D. DAMASCENO dicente: *Filius Dei contraxit sibi ipsi ex castissimis, & purissimis sanguinibus Virginis carnem animatam animal rationale*. Hoc supposito, reperio quosdam non infimi nominis Doctores, asserentes sanguinem illum, quem exhibuit Virgo, cordialem fuisse, qui ad vterum seu matricem eius descendēs, sufficiens materia concipiendæ prolis exstitit; ita ALBERTVS MAGNVS, & HENRICVS Ordinis Prædicatorum auctorq; grauissimus, qui sermone de Annunciatione docet, quod exsanguinis cordialis fonte profluunt quatuor riuuli sanguinis, circumstantes ad modū crucis, nam secundum naturales, cor ipsum inferius duas habet concauitates, vnam ad partem dexteram, & aliam ad sinistram, quarum vnaquæque duplex habet foramē, ad quod ex corde sanguis emittitur ad corporis D. Damasc. lib. 3. fid. cap. 2. Albertus Magnus sup. miss.

membra, cum igitur salutationem ingereret Gabriel Archangelus, certe superueniente Spiritu sancto cor illud virgineum tanto gaudio, & amoris dulcedine statim exultauit, vt instar rosæ vernantis se mirabiliter dilataret; atque in eius dilatatione fluxerunt hi fontes sanguinis purissimi, instar auri in fornace, quod conflatum defluxit in virgas aureas, stillauitque sanguis ille sacratissimus in locum naturalem conceptionis, qui dicitur matrix: de quo operante Spiritu sancto, formatum fuit humanum Christi corpus. Eandem doctrinam docuit POMERIVS, qui & illam cœlitus fuisse reuelatam ex Alberto Magno commemorat.

Pomerius lib.1.p.7.

IX. VERVM quia Angelicus Doctor loquens de materia, ex qua Christi corpus fuit generatum, ait: *Ad naturalem modum generationis eius pertinet, quod eius materia, de qua corpus eius conceptum est, sit conformis materiæ quam aliæ fœminæ subministrãt:* ideo doctrinam horum Doctorum cum grano salis intelligendam arbitror, vt non intendant totalem materiam, quam subministrauit Virgo ad corporis Christi formationem in eius vtero factam, sanguinem cordis fuisse; sed partialem tantum; ita vt cor aliquid purissimi sui sanguinis ad Christi conceptionem contribuerit. Ad quod magis illustrandum obseruare oportet, quod cum B. Virginem angelicus sermo conturbauit, dicente LVCA, *Turbata est in sermone eius*; timorem quẽdam cõcepit, vt verba ipsius Angeli satis indicant: *Ne Timeas Maria*; vigente autem timore natura ipsa, vt assolet, sanguinem misit ad fouendum cor Mariæ; deinde vero cum auditis illis angelic s verbis timorem ab ea depellentibus præ eximio gaudio exhilaresceret, continuo cor eius dilatari cœpit, & sanguis, qui ad illud confouendũ ascenderat, ad inferiora loca descendit; ex quo aliqua pars in matricẽ decidit, quæ cum reliquo sanguine, qui alioquin ad eundem locum confluxerat, materia extitit, ex qua sacrum Christi corpus efformatum fuit, vt volunt Albertus Magnus, ac reliqui præcitati Doctores: Est enim certum, ad conceptionem prolis sanguinem ex vno loco in alium moueri; vnde D. THOM. dixit, in conceptione corporis Christi tria esse consideranda, motum localem sanguinis ad locum generationis: secundo, formationem corporis ex tali materia; tertio, augmentum, quo perducitur ad quantitatem perfectam, potuit ergo moueri sanguis ex corde ad matricem.

Luc.1.

D.Tho.3. p.q.33.art. 1.

X. NE autem in natura ineffabilis huius formationis vestigium aliquod deesset, creauit auctor naturæ (id referente ARISTOTELE) celebrem quãdã auem in Arabia, cui nomen est ORMOMEGIA, vel vt ab aliis appellatur], *auis regia*, quæ non aliter prolem concipit, quam emittens partem aliquã sanguinis cordis sui ad matricem, vbi absque vlla præcedente commixtione maris, & fœminæ solo vitali calore ac cœlesti influxu fœtus eius concipitur & generatur. Ad amussim sane mihi videtur generosa hęc auis B. Virginẽ delineasse; illa qdẽ auis *regia* dicitur, Maria ex regia prosapia oritur, ECCLESIA canẽte, *Regali ex progenie Maria exorta refulget:* illa masculum nesciẽs cõcipit, Maria virum non agnoscẽs sacram producit prolem, iuxta illud ISAIÆ: *Ecce Virgo concipiet*: illa sanguinẽ cordis emittit ad matricem, vt materiam fœtui subministret, Maria partem sanguinis cordis sui ad vterum emisit, vt ex eo tamquam ex materia sacrum Christi corpus formaretur: fuisse autẽ conueniẽs & rationi congruum, vt Marianum cor aliquid ex purissimo suo sanguine ad id impertiret, illa congruitatis ratio haud difficile suadet, quod cum Christus Dominus fuerit nobis datus, non ex meritis nostris, sed ex mera gratia, & ex ardentissimo Dei amore, iuxta illud Ioannis: *Sic Deus dilexit mundum, vt filiũ suum vnigenitum daret*: oportebat, vt sicut illius cõceptionis actiuum principiũ erat Spiritus sanctus, qui inter diuinas personas solus personaliter est *amor*, ita & materiale principiũ partim esset sanguis à corde amoris officina descendẽs, & vbi præcipue residet & dominatur amor: vnde vbi vulgata nostra legit: *Flos de radice eius ascẽdet*; Chaldæus transfert: *Christus de filiis filiorum crescet*: alii ex Diui HIERONYMI doctrina dicentis, *Iesse* significare *incendium*, vertunt: *flos de trunco incendij ascendet*: quo non obscure significatur, principia, ex quibus prodiit sacrum Christi corpus, amoris incendio flagrare; atq; hinc est B. Virginẽ veracius, quã reliquæ matres, Christo Domino dicere potuisse: filius vteri mei, & cordis mei; vteri quidem, quia in vtero meo ex materia, quam reliquæ matres subministrare solent, te concepi; cordis vero mei, quia partim ex sanguine purissimo ab eo defluente corpus tuum efformaui.

Arist. lib.5. de hist. anim.

Ecclesia in nati. Mar.

Ioan 3.

Isai.11.

D.Hier. ibid.

XI. HINC etiam duplex venit abiiciendus error circa Christi conceptionem: primus est, cuius meminit D. THOMAS, & quem miror Galatinum defendisse, qui vt carnem Christi tã in se, quam in suis parentibus omnino faciat à peccato, eiusq; debito liberam, asserit, Deum in Adamo particulam quãdam substantiæ eius designasse, & quasi separasse, vt omnino esset à lege peccati præseruata, eamq; vsque ad B. Virginem per omnes sibi succedentes progenitores eius integram fuisse transfusam, vt ex illa purissima Christi caro formaretur. hanc falsam opinionem ex eo refellit D. THOMAS, quod caro Christi non fuit formata ex aliqua materia, quę esset actu pars corporis virginei sed ex ea, quæ erat pars in potentia, hoc est, de sanguine, quia sanguis est potentia caro.

D.Thom.3 p.q art. 6.

Galat.li.7. cap.4.de arcan. Cathol. verit.

D.Tho. vbi sup.

XII. SECVNDVS, & magis perniciosus error fuit illorum, quorũ meminit CAIETANVS, qui asserebãt Christum Dominum conceptum fuisse in corde Virginis: quem errorem apertissime expugnãt verba Gabrielis ad Mariam dicentis: *Ecce concipies in vtero & paries filium*: notanter quidem dixit *in vtero*, tum vt ostenderet hanc Christi conceptionem non fuisse spiritualem aut metaphoricam, instar illorum qui dicebant; *A facie tua Domine cõcepimus*

Caiet. 3. p. q.31.art. 5.

Luc.1.

Isai.26.

mus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritũ salutis, sed veram & corporalem: tum vt indicaret, nõ fuisse apparentem, aut fantasticam, prout obseruauit D. PETRVS CHRYSOLOG. dicens: [D. Petr. Chrys. ser. Annũc.] *In vtero, dixit Angelus, vt conceptus esset veritas, non figura, vt partus esset proprietas, non imago: vt sicut Deus verus de Deo vero natus est, sic de vero conceptu veritas humani corporis nasceretur*; tũ vt expresse doceret hanc Christi conceptionem in loco naturali Virginis fuisse, in quo humana proles ab aliis matribus concipi solet; tum tãdem, vt alluderet partim ad promissionem illam factam DAVID: [Psal. 131.] *De fructu ventris tui ponã super sedem tuam*; in qua, vt adnotauit S. IRENÆVS, [S. Iren. l. 3. c. 27.] sermo non est de ventre ipsius Dauid, cum vir non dicatur de ventre suo generare, sed de *ventre* B. Virginis ex Dauidica progenie oriundi; partim vt alluderet ad verba ipsius DAVIDIS in persona Dei patris dicentis; [Psal. 109.] *ex vtero ante luciferũ genui te*. Est enim singularis sympathia, ac mira proportio inter æternam à Patre, & temporalem à matre Christi regenerationem; nam præterquam quemadmodum illa in vtero Patris; ita hæc in vtero Virginis fuit; sane sicut illa exstitit absque matre, ita & ista absq; humano patre; & sicut illa fuit cum integritate genitoris, ita & hæc salua semper manente integritate Genitricis; & sicut per illam genitus est Dei filius consubstantialis Patri, ita etiam per hãc prodiit idẽ consubstantialis matri, hoc est, ex substantia eius, humana carne indutus: & sicut Deus pater genuit filium suum, volens & cõplacens, ita B. Virgo volẽs & salutationi Angelicæ consentiens, Christũ Dominũ concepit, dicens: [Luc. 1.] *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*: & sicut ibi à Patre procedens pulcher adeo euasit, vt à PAVLO appelletur; [Hebr. 1.] *Splendor gloriæ, & figura substantiæ eius*, ita hic tanta pulchritudine decoratus ex materno vtero ꝓdiit, vt à DAVIDE vocetur: [Ps. 44.] *Speciosus forma præ filiis hominũ*; & sicut ibi per æternã generationem filius Dei Rex processit diuinitatis diademate coronatus, ita per temporalem conceptionem ex thalamo virgineo egressus est regia illa corona redimitus, de qua SALOMON; [Cant. 3.] *Videte filiæ Sion regem Salomonẽ in diademate, quo coronauit illũ mater sua*; & quemadmodũ celebrata æterna filii Dei generatione cõtinuo productus est Spiritus sanctus, sic facta tẽporali Christi generatione mox per specialia dona productus fuit Spiritus Sanctus in animis Elisabeth, & Ioannis Baptistæ sacro Euangelista dicente; [Luc. 1.] *Et exultauit infans in vtero eius, & repleta est Spiritu sancto Elisabeth*; ac tandem sicut conceptio illa Christi æterna, sancta fuit & immaculata, ita & hęc temporalis omnis maculæ expers miram sanctitatem redoluit, vt non obscure significasse mihi videtur ISAIAS, [Isai. 8.] cũ dixit: *Accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium*. Prophetæ quidem non à se ipsis, sed à Spiritu sancto afflati, futura vaticinãtur, D. PETRO dicẽte; [2. Petr. 1.] *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*; cum ergo Maria fuerit hæc Prophetissa, quæ concepit, D. BASILIO dicente: [D. Bas. in 8. Isai.] *Quod Maria prophetissa fuerit, ad quam proxime accessit Isaias per prænotionem spiritus, nemo contradixerit, qui sit memor verborum Mariæ, quæ prophetico afflata spiritu locuta est: Magnificat anima mea Dominũ*: cõsequens est diuino spiritu afflatam Christum Dominum concepisse, vt & Angeli verba satis contestantur; *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, sancta ergo & immaculata fuit eius prolis conceptio.

XIII. CÆTERVM mirabilia, quæ in illa effulgent, commemorare incipiamus. Illud primo loco & numero obseruatione dignissimum, nimirũ Christum Dominum per temporalem generationẽ vtiliorem multo ex materno vtero nobis prodiisse, quam per æternam à Patre processerit: per hanc enim purus Deus euasit consubstantialis Patri, per illam vero carne indutus, ex vtero matris exiuit; est autem manifestum, vtilius humano generi exstitisse: *Verbum caro factum*, quam carnis humanæ expers, prout à Patre prodiuit.

XIV. VT tamen reliqua mirabilia, quæ in sacerrima hac Christi conceptione effulserunt, breui sermonis eloquio detegamus, placet pulchram antithesim, seu contrapositionem inter Christi, & Antichristi generationẽ in medium producere. In primis ab Angelo *benedicta* nominatur mater Christi: *Benedicta tu in mulieribus*: mater autem Antichristi diuino oraculo *maledicta* appellatur, vt refert S. Brigitta li. suarum reuelationum dicens: [S. Brig. l. 6. reuel c. 67.] *Antichristus nascetur ex maledicta fœmina, simulante se sapere spiritualia*. IOAN. DAMASC. de B. Virgine ait, [D. Damasc. l. 4. orthod. fidei c. 5.] in tẽplo præsentatam & educatam in consortio aliarum Virginũ, ac sacris orationis, & lectionis exercitiis vacantem: de matre aũt Antichristi refert ALBERT. STADENSIS [Alber. Stadensis de Antichris.] ex reuelatione facta S. Hidegardi, in deserto inter nefandissimos homines enutriendã, ac diabolicis artibus imbuendam: Christum Dominum ex nobilissima Dauidis familia ortum, satis vtiq; comprobant angelica illa verba: [Luc. 1.] *Dabit ei Dominus Deus sedẽ Dauid patris eius* Antichristus autẽ [Dan. 7.] ex vilissimis parẽtibus oriundus colligitur ex Daniele, qui Antichristum vocat *cornu paruulum*, hoc est, ex sordidis, & obscuris initiis ortum, vt obseruauit Magister MALVENDA: [Maluenda l. 2. de Antichrist.] Christus conceptus ex matre virgine: iuxta vaticinium ISAIÆ: [Isai. 7.] *Ecce Virgo concipiet*: Antichristus vero concipiendus ex matre fornicaria, vt tradit D. DAMASC. in hæc verba: *Verũ homo ex fornicatione parietur, atque oẽm sathanæ afflatum suscipiet*: quod idem docuerũt EPHRÆM SYRVS [S. Ephram Syrus ser. de annunc.] & HYPPOLITVS MARTYR de cõsummatione mũdi; Christus Dñs cõceptus à Spiritu sancto, Antichristum vero concipiendum ab incubo Dæmone, auctor est Card. BELLARMINVS li. de Rom. Pontif. [Card. Bell. l. 3. de Rõ. Ponti. c. 12] ad Christi conceptionem virtus Spiritus sancti in Mariã copiosissime se infudit, angelo dicente: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obũbrabit tibi*; in conceptione vero Antichristi nequitia Diaboli in matrem eius superueniet: vt enim tradit sa-

piens

Rab. opere de Antich. pientissimus RABANVS: *in ipso conceptionis initio Diabolus simul introibit in vterum matris eius, & ex virtute Diaboli confouebitur, cōcumbetur, & virtus Diaboli super eum erit*: tandem concepto Christo Domino conceptus fuit Saluator Noster; concepto autem Antichristo, *reuelabitur homo peccati, & filius perditionis*; vt loquitur Apostolus. 2. Thess. 2.

XV. QVANTO autem Christi conceptionem Antichristi generationi dissimiliorem intueor, tanto Alexandri Magni conceptionem, quo ad nonnullas eius circumstantias, Christi conceptioni similē magis reperio. PLVTARCHVS loquens de Olympiade, magni Alexandri matre, ait: *Visus est, Ioue tonante, venter suus de cœlo tangi, itaque ex ictu largum succensum ignem, mox erumpens in flammas passim dispersas dissiparetur*: deinde scribit, Philippum Alexandri Patrem vidisse insomnis vxoris vterum sigillo consignatum, cuius sculptura imaginem leonis referebat, necnon etiam iuxta Olympiadis lectum draconem expectantem, ac tandem Alexandrum Iouis filium vocatum & habitum tradit Q. Curtius de rebus gestis. Plutarch. in Alexan. Q. Curt. de reb. gest. Hæc omnia ad Christi Domini conceptionem haud difficile erit conuertere; nam si Olympiadis Alexādri matris visus est venter de cœlo tangi, certe virtus altissimi vterum Virginis tangens, mirifice illum fœcundauit, vt verba sponsæ non obscure indicāt: *Et ad tactū eius intremuit venter meus*: quod si ex tactu illo prodiit copiosissimus ignis in flammas erumpens; non secus ex virgineo thalamo egressus est Deus noster, qui *ignis consumēs est*; & qui dixit; *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur*? deinde si Olympiadis venter sigillo visus est consignatus, Mariæ ventrem excellentiori illo integerrimæ virginitatis sigillo obsignauit Spiritus sanctus. Rursus, si visa est in ventre Olympiadis imago leonis, adfuit quidem in vtero Mariæ non figura leonis, sed qui *vicit leo de Tribu Iuda*, Christus Saluator noster: & si ibi Philippus vidit iuxta lectum Olympiadis horribilem draconē assistentem, & quasi partui illius inuidentem, ad eundem modum IOANNES lib. suarum reuelationū sibi ostensam commemorat B. Virginem, cuius partui deterrimus draco insidiari cupiebat: *postquā vidit draco, quod proiectus esset in terram, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum*: ac tandem si Alexander Iouis filius (qui *iuuans pater* interpretatur) falso nuncupatur, Christus Dominus filius Dei Patris naturalis omni modo veraciter nominatur, iuxta verba Angeli, *& filius Altissimi vocabitur*. Cant. 5. Deuter. 4. Luca 12. Apoc. 5. Apoc. 12. Luc. 1.

XVI. ADHÆC memini IVSTINVM MARTYREM in dialogo cum Triphone dixisse, Deum esse centrū quod vbique est, eius tamen circumferentiam nullibi esse, est enim tanta eius immensitas, vt in omnibus rebus sit, & à nulla comprehendi, aut inter certos limites coarctari possit: nihilominus tamen illud mirabile videre est in hac sacra Christi conceptione, quod quem cœli cœlorum capere non poterant, ipsa Virgo suo gremio contulerit, immēsoque illi centro circumferentiam apposuerit, IEREM. dicente: *Fœmina circumdabit virum*, dum intra septa virginei vteri sui Dei immēsitatem ac maiestatem conclusit; quod valde mirabile esse nemo sanæ mentis inficiabitur: maxime si & aliud stupendum opus, quod inde ortum habuit, attenta mente perpendat. Iust. Martyr. dial. cum Triphon. Ierem. 31. Olim quidem immensum mare sempiternæ Deitatis absque limite & termino tumentib. suæ iræ fluctibus peccatores inundabat: in Marianum tamen vterum ingrediens, inundantes illos suæ iracundiæ fluctus coercens, iam peccatores nō absorbet, nec eos exundat, quin potius præfixum habet terminum, ne vlterius progrediatur, naturā scilicet humanam, quæ ad misericordiam illum alliciens ac mouens ait: *Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos*: hoc erit littus tuum, nempe humanitas tua, cuius minime obliuisci potes, nec ab ea oculos remouere, cum indissolubili hypostaticæ vnionis vinculo intime illam tibi copulaueris. Iob. 38.

XVII. His mirabilibus aliud insigne D. BERNAR. subiiciam, quod in sermone super *signum magnum* his verbis scripsit: *Iure istud molestissimum tædium, quo reliquæ omnes grauidæ mulieres laborare noscuntur, sola non sensit, quæ sola sine libidinosa voluptate consensit; vnde & in ipsō sua conceptionis initio, quando potissimum cætera mulieres miserabiliter affliguntur, Maria tota alacritate ad montana contendit, vt Elisabeth ministraret*. D. Bern. in ser. signum magnum. Ac tandem (vt paucis multa sacræ huius conceptionis mirabilia complectar) Diu. CHRYSOL. elegantissima verba in medium producam: *Ecce concipies in vtero: bene concipies, quod caro nescit, quod conditio non habet, non admittit natura: Quis ante ad factum peruenit, quam terra laborem sentiat, & sudorem? Quis ante poma carpit, quam planta suam tribuat, & impendat industriam? Quis præter viam ad vllam peruenit mansionem? Quis præter naturam naturæ suscipit incrementum?* B. Virgo: *& bene B. Maria: quæ præter generandi curas, præter materni doloris fastidia, tandem germinis peruenit ad gloriam*. D. Pet. Chrysol. ser. 2. de Annunc.

XVIII. AD extremum, vt iam finem dicendi faciam, sequentia verba: *Et paries filium*, nonnihil illustrare oportebit. Equidem quia conceptio B. Virginis futura non erat instar illarum, quarum meminit ISAIAS, inquiens: *Venerunt filii vsque ad partum, & virtus non est pariendi*: ideo apposite satis Angelus subiunxit ad verbum *concipies* illud aliud: *& paries*; vt significaret partum eius non abortiuū, sed incolumem in lucem feliciter edendum fore. Isai. 37. Quorsum autem loquendi & stylum, & ordinem mutauerit Gabriel Angelus, vt cum dixisset Zachariæ: *vxor tua pariet tibi*: B. vero Virgini non addiderit verbum *tibi*, sed absolute dixerit *paries*, arbitror, ni fallor, rationem fuisse, quod probe agnouit Virginem parituram filium non solum sibi, sed cōmuni totius orbis saluti. Ea quidem pii ac generosi animi commendanda conditio, vt commune bonum præferat peculiari emolumento. Inuenies quan-

quandoque homines quoſdam ſibi ſoli tantũ natos, aliorum commodum prorſus deſpicientes; ſecus autem B. Virgo peperit filium, non ſibi ſoli, ſed omnibus nobis, nam quemadmodũ in plateis, & quandoque in plateis ciuitatis fontes ſcaturire ſolent, ex quibus quiſque pro libitu haurit aquam ad bibendum, ad abſtergendum ſordes, & alios ſimiles vſus, in qualibetque hora porrigit tibi fons aquas, quoniam ſemper per fiſtulas manat; ad eundem modum B. Virgo fons eſt vberrimus veluti per aureos canales aquã benedicti ventris ſui, hoc eſt, filium diffundens, cunctis bibere, vel ſuas ſordes mundare volentibus. Et quemadmodum vrbs Roma *Patria* vocatur *communis* omnium hominum, quoniam recurrentes ad Pontificem, ſummum Eccleſiæ paſtorem, benigniſſime recipiũtur Æthiops, Græcus, Barbarus, Indus denique omnes nationes in Chriſti Vicario confugium habent, & protectionem reperiunt, ingreſſusque ad eum nemini interdicitur; non ſecus B. Virgo inſtar *patriæ communis* cunctos ſuſcipit, pro omnibus exorat, omnibus filium ſuum exhibet, quoniam peperit filium non ſibi ſoli, ſed omnibus.

XIX. Regivs Pſaltes tantam B. Virginis miratus erga omnes charitatis magnitudinem, in eius cõmendationem cecinit: *Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei.* (Pſ. 86. Ibid.) quænam autem ſunt illa, mox commemorans in perſona Virginis ait: *Rahab & Babylonis ſcientium me, alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopũ, hi fuerunt illic*, hoc eſt, omnes peccatores, quantũuis à Deo ſint alienati, quantumuis Tyri, & Æthiopum inſtar vixerint, quantumuis denigratæ fuerint facies eorum ſuper carbones, quantumuis innumeri accedant in ſuis tribulationibus opem imploratum, fores inuenient patentes, hoc eſt, B. Virginem paratiſſimam ad eorum ſubuentionem; vnde David inquit: *Nunquid Sion dicet*, hoc eſt, B. Virgo, *homo, & homo natus eſt in ea?* minime quidem; neutiquam erit apud eam acceptio perſonarũ, ſed quantumuis plurimi concurrant ad hanc ciuitatẽ, nullum non recipiet, neminem abiicit; quoniam *Deus Altiſſimus eam fundauit*, vt omnibus vnicum eſſet refugium; in impetrandis etiam beneficiis nõ erit moroſior, aut cum ſupercilio aget, ſed cum maximo gaudio, eodem regio Vate dicente: (Ibid.) *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te*; aut ſicut Hebraice legimus: *omnes ſcaturigines meæ in te*: hoc eſt, fontes mei per te, ô mater mea, cunctis hominibus ſalutares aquas propinabunt quam vberrimas ad bibendum, & ad eorum abluendas ſcelerum ſordes.

XX. Præterea obſerua, quo pacto vtrumque coniunxerit Angelus: *Concipies, & paries*: quaſi duo per ſe diſtincta beneficia, nempe conceptum, & partum: & merito, quoniam dare prolem in ventre ſiue fœtum, ingens Dei beneficium eſt, cæterum concedere prolis partum, multo cumulatius. Hoc aduertant fœminæ grauidæ, & earum viri, caueantq; ne ob eorum peccata infantes de vtero transferantur ad tumulum, iuxta illud: (Iob. 10.) *Fuiſſem quaſi non eſſem de vtero translatus ad tumulum.* Vellem quærere à parentibus, quorſum crebro fœminæ patiũtur abortum? ego procul dubio cauſas mecum ſæpius exquirens, id genus calamitatis peccatis parentum tribuendum eſſe cenſui, & quidem quemadmodũ triſte eſt ſpectaculum, videre ex arbore floribus onuſta mox flante Aquilone flores decidere, & optato fructu fraudari, ad eundem modum mœſtum & commiſeratione dignum ſpectaculum eſt, fœminam grauidam ante fructus perfectionem in ventre, & cum vix in flore eſt, fœtum intra ventris clauſtra interire. Si autem quæras; quis florem in terram deiecit, aut eum ante tempus immature demeſſuit? reſpondebo, flauiſſe Aquilonem, hoc eſt, peccata parentum fuiſſe cauſam abortus, vt apud Iobvm teſtatur Eliphaz Themanites, (Iob 15.) dicens de peccatore: *Lætetur quaſi vinea in primo flore botrus eius, & quaſi oliua proiicient florem ſuum*: certum eſt, per *botros*, & per *flores* intelligi filios hominum peccatorum, quos immaturos aufert Deus ob peccata parentum: & quemadmodum apud Isaiam Dominus ait: Triſte & miſerandum eſſe, videre frumentum in agro natum, viride, & cum aliquantulum creuerit in herbam, ante meſſem totum effloreſcere, ac immaturam perfectionem germinare ramuſculosq; falcibus præcidi; ad eundem modum lugubrem ac miſerabilem euentum putauerim, cum fœmina vterum prægnantem gerente & immaturum fructum intra viſcera ſua continente, immatura mors ſuperuenit, falce ſua illum metens, antequam matureſcat, & in lucem prodeat. Igitur pro viribus parentes operam nauent, ne eorum proles anima ſimul & corpore pereat, vt tempore quo fœmina grauida exiſtit, piis actionibus vacent, & ad Dominum ex toto corde cõuertantur. Tradit Plinivs, (Plinius.) *Luſciniam* auem ſolum tempore, quo fœmina ſuper oua incumbit, edere ſuauiſſimum cantum, cum tamen reliquo totius anni tempore ab omni cantu ſe abſtinens ſileat, ad canendum tamen non aliud, quam prolis amor cogit; non ſecus, cum fœmina grauidatur, ad præcauendum infelicem fœtus abortum diuinæ laudis cantibus vacare debet, crebro repetens Angelicam illam cantilenam, quam Gabriel ei cecinit: *Aue Maria*, vt Filium Dei conciperet: cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

HOMILIA XV.

Poſt prolata illa verba: Ecce ancilla Domini, *celebratas fuiſſe nuptias in virgineo Mariæ thalamo inter Verbum diuinum, & naturam humanam oſtendimus; variiſque modis hanc nuptiarum metaphoram illuſtramus.*

1. ERBI diuini Incarnationem, seu illius cum natura humana hypostaticam vnionem frequenter sancti Patres nuptiis comparasse reperio: D. enim AVGVST. in illa verba PSALMI: *Tanquam sponsus procedens de thalamo suo*; de Christo Domino ex virginei vteri thalamo egrediente illa interpretans ait: *Ipse procedens de vtero virginali, vbi Deus naturæ humanæ tanquam sponsus sponsæ copulatus est.* & B. LAVRENTIVS IVSTIN. lib. de casto connubio ait: *Verbum sponsus, caro sponsa, virginitatis vterus thalamus est.* & latius D. GREG. hæc præclara scripsit: *Deus Pater Deo filio suo nuptias fecit, quando hunc in vtero Virginis humanæ naturæ coniunxit, cum Deum ante secula fieri voluit hominem in fine seculorum: sed quia ex duabus personis fieri solet nuptialis ista coniunctio, absit hoc ab intellectibus nostris, vt personam Dei & hominis redemptoris nostri Iesu Christi ex duabus personis credamus vnitam.* hactenus magnus Gregorius.

D. August. sup. Ps. 18.
B. Lauren. Iustin. l. de casto connubio, c. 9.
D. Greg. hom. 38. in Euang.

II. MERITO hi Patres mirabilem hanc Verbi diuini cum natura humana & ineffabilem vnionem cum nuptiis, seu sponsalitiis componunt. Nam si rem altius perpendamus, nihil certe eorum, quæ in Principum felicissimis connubiis, & sponsalitiis concurrere solent, in hoc sacro Verbi diuini cum natura humana coniugio desideratur; sicut enim matrimonium Principum antecedere solet sponsalitia, seu, quod idem est, de ineundo connubio promissio, ita quondam de Verbi diuini cum natura humana coniugio facta fuit firma, ac stabilis antiquis Patribus pollicitatio: Abrahæ enim dixit: *Quia fecisti hanc rem, & nō pepercisti filio tuo, per memetipsum iuraui, dicit Dominus, in semine tuo benedicentur omnes gentes*: similiter DAVIDI sub iuramento pollicitus fuit: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Sicut et in matrimoniis consensus spōsæ ad illum ineundum interuenit; ita in hoc sacro Verbi diuini coniugio B. Virgo humanæ naturæ vicem gerens assensum exhibuit cum dixit: *Ecce ancilla Domini*: vt his verbis ingeniose docuit Angelicus Doctor D. THOM. *Congruum fuit B. Virgini annuntiari, quod esset Christum conceptura, vt ostenderetur, esse quoddam spirituale matrimonium inter filium Dei, & humanam naturam; & ideo per annuntiationē expectabatur consensus Virginis loco totius humanæ naturæ* hæc ille: vnde sicut in magnorum Principū nuptiis nobilissimus orator, aut paranymphus præmitti solet, vt rem mature pertractet, & ad finem vsque perducat; sic ad celebrandas nuptias Verbi diuini cum natura humana; *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem*, qui ad consentiendum prudens suasor, & ipsius consensus non minus fidelis testis extitit, quam olim famulus Abrahæ, qui tamquam pronubus missus fuit ab eo ad quærendum sponsam filio suo, & inueniens Rebeccam, in sponsam eam adduxit.

Gen 28.
Psal. 31.
Luc. 1.
D. Tho 3. p. q. 30. ar. 1.
Luc. 1.
Gen. 24.

III. QVOD si item in nuptiis, & maxime regalibus, vir magnæ auctoritatis in Patrinum eligi solet, ad maiorem ipsarum nuptiarum splendorem, is certe in hoc Verbi diuini cum natura humana connubio minime desideratur; patrini enim munus gessit Spiritus sanctus, iuxta verba Angeli: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obūbrabit tibi.* Solent præterea Principum nuptię in ornatissimo & splendidissimo thalamo celebrari; at cum thalamo virgineo, in quo sacræ istæ nuptiæ celebratæ fuerunt, nullus quantumcumque splendidus valet comparari, vt D. AVGVST. de miro eius apparatu loquens, his verbis edocuit: *Expandat nūc fides splendentis vteri pulchra tentoria, virtus obumbret, spiritus sibilet, naturali calore depulso tenuis Virginem aura rofoueat, & fluente refrigerio spiramentis cœlestibus ventiletur, alueus Virginis sertis verecundiæ coronetur, flammeus ibi rosæ fulgor anhelet, albens liliū candicet, mollis viola rutilet, purpurei spargātur flores, & vario nitore depictus Christi thalamus exornetur.* hactenus D. Aug. hunc eundem virginei thalami splendidissimū apparatum perpendens B. LAVREN. IVSTIN. dixit: *Erat quidem B. Virgo thalamus puritate nitidus, moribus ornatus, & omni praditus sanctitate, casto floribus aspersus, virtutibus decoratus, fragrans castitatis odore, charitate feruens, virginitate redolens, pollens humilitate.* Huc etiā faciunt, quæ in hæc verba scripsit HONOR. su. Cant. *Christus verus Rex pacificus fecit sibi (ferculum) lectum conuiualem (de lignis Libani) de Patriarchis, & Regibus, nempe Ierosolymitanis; nā, teste Theodoreto, Libanus sæpe significat hanc vrbem. Virginē elegit, in qua, vt in lecto, recubuit ipse positus ad conuiuium, quia fideles de carne eius epulantur, quā de Virgine sumpsit. Columnæ, quibus fulcitur Virginis vita, sunt quatuor Euangelia de ea scripta, quæ sunt (argentea) veritate nitida, & prædicatione sonora (Reclinatorium aureum) fuit corpus Dominicum de ea sumptum, in quo diuinitus se reclinauit, (aureum) sapiētia & charitate ornatum. Ipsa etiam Virgo fuit reclinatorium, in quo Christus se reclinauit, splendore charitatis fulgidum. (Ascēsus purpureus) sancta crux fuit, in qua nobis filius in sua passione ascensum ad cœlos fecit (Media charitate constrauit) id est, communem vitam eius dulcedine charitatis repleuit (propter filias Ierusalem) hoc est, ad fidelium imitationem.*

Luc. 1.
D. Aug. ser. de Nat
B. Lauren Iustin. l. de casto connubio, c. 9.
Honor. in sigillo relatus à Martino del Rio sup. Can. 3 ses. 4. in interpr. de Deip.

IV. AD hæc, sicut in nuptiis mos inoleuit, spōsam Principis pretiosis monilibus exornari, variisque muneribus donari: ita quidem humanitas Christi, quæ erat sponsa verbo diuino copulanda, prius natura fuit a diuino sponso spiritualibus monilibus, cœlestibusq; charismatibus cumulata, vt in figura eius apud Genesim factum legimus cum Rebecca, antequam cū Isaac nuberet. Abrahamus enim misit per famulum suum Rebeccæ futuræ filii sui sponsæ *inaures aureas, & armillas*, præter splendidas vestes, & pretiosa vasa: *prolatisque vasis argenteis, & aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccæ pro munere.* additq; sacer textus: *& matri dona obtulit*: quod non obscure etiam præfigurabat dona, quæ futuræ Matri Dei tempore sponsationis Verbi diuini cum natura hu-

Gen. 24.
Ibid.

Esth.2.

humana erant conferenda. Et quidem si tanta fuit Regis Assueri liberalitas erga sponsam suam, vt sacra Scriptura dicat; *Quacunque voluit, Egeus eunuchus, custos virginum hæc ei ad ornatū dedit*: quanto, quæso, maior credenda erit magnificentia diuini sponsi in exornanda sponsa; quam absq; vllis expēsis, solo verbo, innumeris animi dotibus, variisq; virtutum ornamētis facile cohonestare poterat.

Ioan.1. D. August. serm.17. de Nat.

V. Sponsa igitur, & virgineo thalamo a sponso sic iam præparatis, & consensu ipsius sponsæ iam exhibito, mox celebratæ fuerunt nuptiæ, quando *Verbum caro factum est*: vt enim dixit D. Avgvst. *Nec mora, reuertitur nuntius, & nuptialem thronum ingreditur Christus: accepit stolam carnis in thalamo Virginis, diuinitati sponsatur homo*: tunc certe facta est arctissima illa vnio hypostatica Verbi diuini cum humanitate, quę omnem, quantumcūque perfectam ac indissolubilem vnionem longo interuallo superat. Stricta valde est vnio animæ & corporis; arcta satis vnio matrimonialis inter virū, & vxorem, sed vtraque tandem morte dissoluitur; at vnio Verbi diuini cum natura humana indissolubilis à Deo esse perhibetur, vt acutissimus etiam mortis gladius nodum eius resecare nequiuerit, Theologorum axiomate, & D. Anselmo dicēte: *Quod semel assumpsit, nunquam dimisit*. Legimus in Genes. de illo primo matrimonio Adæ, & Euæ: *Erant duo in carne vna*: de hoc tamen sponso, & spōsa, Verbo scilicet diuino, & natura humana, fide Catholica confitemur, esse duo in persona vna, hoc est, naturas duas, diuinam, & humanam, in vnam eandemque copulari personam. Atque hinc fit, quod sicut in reliquis connubiis, ac nuptiis solet esse mutua inter sponsos bonorum communicatio, ita in hoc sacro Verbi diuini cum natura humana coniugio fuit illa inter Theologos nunquā satis celebrata mutua, ac reciproca idiomatum communicatio, cuius meminit D. Ioannes Damascenvs, dicēs: *Cū de persona verba facim⁹, siue ab vtraque parte simul, siue ab altera duntaxat eam appellemus, vtriusque naturæ proprietates ipsi imponimus; etenim Christus, & Deus, & homo dicitur, & creatus & increatus, & passibilis & impassibilis; Deus passibilis nominatur, & Dominus gloriæ in crucem actus, non qua Deus est, sed qua idem etiam homo est; eodemque modo cum homo, & filius hominis appellatur, diuinæ essentiæ proprietates, atque ornamenta suscipit: puer enim æuo omni antiquior dicitur, & homo principij expers, non idquidem qua ratione puer, & homo est, sed qua Deus omni æuo prior, ab extremo puer factus est.* hactenus D. Damascenus.

Gen.2. — D. Damas. lib.3. fidei, c.4.

VI. Ex his facile collige excellentiam harum nuptiarum super celebratissimas illas, & à sanctis Patribus variis encomiis decantatas Galilææ nuptias; nam in his vnum duntaxat, quod sciamus, miraculum ad Virginis preces patratum fuit, in istis vero pene infinita miracula confluxere: in illis post verba Mariæ dicentis: *Fili, vinum non habent*; aqua in vinum conuersa est, in his vero Maria proferente: *Ecce ancilla Domini*, continuo *Verbum caro factum est*: quod singulare opus Diuus Damascenvs miraculorum omnium caput merito appellauit: in illis nuptiis natura deterior mutata est in meliorem, aqua scilicet in vinum: in his vero persona infinita dignitate præexcellentior naturam assumpsit immensa intercapedine inferiorē: in illis fuit conuersio naturæ vnius in alteram, in his nullius fuit naturæ transmutatio, sed duæ naturæ, diuina & humana in vnam eandemq; Verbi personam copulata permanserunt. hæc sane adeo portentosa miracula esse noscuntur, vt nulla vnquam maiora orbem vidisse merito putem. Vidit quidem olim tempore Iosue solem stantem, & tempore Ezechiæ retrogradientem; at nunc vidit Deum seipsum exinanientem, vt verbis Pavli vtar; vidit in igne conseruatam rubi viriditatē, nūc videt in cōceptione Mariæ cōseruatā matris virginitatem; vidit Aaronis virgā absq; humano cultu florentem, nunc vidit Iesse virgam absq; humana opera optatum mundo fructū parturientē; vidit virgā Moysis in serpentem commutatam, hic vidit humanam naturam cum Verbi supposito copulatā; vidit mare apertū, hic videt (quod mirabilius est) Virginis matris vterū clausū; vidit ventum mare rubrum exsiccantem, hic videt Spiritum sanctum Mariam afflantem, & in conchilio viscerum eius pretiosam margaritam procreātem. hæc considerans Ecclesia Catholica Virginem alloquens ait: *Tu quæ genuisti, natura mirante, tuum sanctum genitorem.*

Ioan.1. — Ioan.1. D. Damas. or.1. de annunt. — Iosu.10. Isa.38. 4.Reg.2. Ad Phil.2. Exod.3. Num.17. Exod.4. Exod.14. Exod 16.

VII. Rvrsvs, si ad nuptias alacrius celebrandas solent varii ludi intermisceri, certe in his sacris nuptiis ludus ille nobis satis vtilis minime defuit, in quo per vnionem hypostaticā natura humana lucrata est personam Diuinam, quo lucro nullū maius non solum Angelica intelligentia fingi, sed nec mente diuina concipi potest. Verū vt miraculosum hunc ludum elucidemus, in memoriā reuocare oportet celebrē Platonis sententiam; quam etiam refert Marsilivs Ficinvs in Gratillo, vbi ait: *Homo iocus est ludusq́; Deorum*: quæ sententia tanto mihi magis arridet, quanto similiorē illā esse obseruaui Salomonis sentētiæ in persona æternæ sapiētiæ dicētis: *Delectabar per singulos dies ludens corā eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & delitiæ meæ esse cum filiis hominum*: q̄b⁹ verbis præterquā q̄ ęterna sapiētia sub metaphora ludi ostendit tanta facilitate, & iucunditate vniuersam mundi machinam se formasse, eamque perpetuo regere, vt instar ludi eius creatio, & gubernatio sibi esse videatur; vndé Boetivs in persona æternæ sapientiæ loquens dixit: *Hæc nostra vis est, hunc continuum ludum ludimus, rotā volubili orbe versamus, infima summis, summa infimis mutare gaudemus*: præter hoc, inquam, ostendit instar iucundi ludi sibi fuisse vnionem hypostaticam cum natura humana: *& delitiæ meæ esse cum filiis hominum*: cui sane intelligentiæ non parum mihi opitulari videntur verba illa: Lu-

Plat. lib.7. de legib. Marsf. Ficin. in Cratill. Prou.8. Boet. de cōsol. Philos. l.2. pros. 2.

Ludens coram eo omni tempore: nam cum Spiritus sanctus moneat non omni tempore ludendum, & ridendum esse; *Tempus* (inquit) *flendi & tempus ridendi: tempus plangendi, & tempus saltãdi; tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus*: certe dum *Prou. 8.* ait: *Ludens coram eo omni tempore*: facile mihi persuadeo ludum illum, & amplexum fuisse vnionem Verbi cum humana natura perpetuo, & incessanter, in æternum, & vltra duraturam. Huius ludi egregiam figuram illum ad amussim delineantem reperio in ludo Isaac cũ Rebecca, cuius mẽtio fit li. *Gen. 26.* GENESEOS in hæc verba: *Prospiciens Abimelech per fenestrã vidit Isaac iocantem cum Rebecca vxore sua*: quem iocum explicans D. AVG. contra Faustum ait: *D. August. cont. Faust. tom. 1. l. 22. c. 64.* *Quid autẽ velit, quod sanctus Patriarcha cum coniuge sua luserit? vidit profecto quisquis, & inuenit eum maiestatem suam, qua in forma Dei æqualis est Patri, paulisper abscõdisse in forma serui, vt eius capax esse humana infirmitas posset, eoq; modo se coniungi congruenter optaret*. Quod si quispiã interroget, quodnã genus ludi fuerit illud Isaac cum Rebecca, respondet *Gloss. sup. c. 20. Gen.* GLOSSA: *Vidit eũ amplexantem vel osculantem Rebeccam*. similem iocum desiderabat sponsa, cum dicebat: *Osculetur me osculo oris sui*: hodieque impletum est eius desiderium, Verbo diuino humanam naturam osculante, & indissolubili hypostaticæ vnionis vinculo illam amplexante.

VIII. QVIA tamen in nuptiis non solum sponsi, sed & inuitati ad nuptias iubilant, ludunt, & præ nimia alacritate tripudiant, oportet etiam, vt nos pariter spiritu laudemus, & diuinas laudes cantãtes iubilemus, Dauidem imitantes, qui olim lusit coram arca humanitatem Christi præfigurante; *Ruper. sup. li. 2. Reg. c. 26. 27.* vnde RVPERTVS præclare dixit: *Arca mirabilis totos in se cõtinẽs thesauros vniuersæ diuinitatis, fabrica est humani corporis, quod Dei Filio Spiritus sanctus de virginali vtero compegit, & huius arca illa typus extitit*. Prædixerat olim Ieremias hunc laudis, & exultationis ludum, quem ante hanc sacram humanitatis Christi arcam Catholica Ecclesia exercere de- *Ierem. 30.* bebat, sicque vaticinatus fuit IEREMIAS; *Templum iuxta ordinem suum fundabitur, & egredietur de eis laus, voxque ludentium*: præcipuam huius ludi magistram B. Virginem extitisse non obscure mihi vi- *Ierem. 31.* detur idẽ IEREM. prædixisse: *Ædificaberis Virgo Israel; adhuc ornaberis tympanis tuis, & egredieris in choro ludentium*.

IX SED proh dolor! quam pauci hanc diuinam choriseam, ac sacram tympanistriam sequentes, diuinæ laudis alioquin iucundo ludo vacare student, cum tamen à profanis & obscœnis ludis nunquam se abstineant, quorum vsus adeo perniciosus esse perhibetur, vt non solum diuina eloquia, sed humana iura, & principum statuta varia suppliciorum genera lusoribus præfigant, IOB ait; *Infantes* *Iob. 21.* *eorũ exultant lusibus*; & statim s[u]bdit: *ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*. & Moyses scelera populi Israelitici à Deo vindicanda narrãs, *Exod. 32.* inquit: *Sedit populus manducare & bibere & surrexerunt ludere*: vbi obseruandum est, ibidem etiã narrare Israelitas simul coniunxisse ludum cum adoratione vituli, quo non obscure mihi significatur, alearum lusores magis earũ adorationi, quam Dei vacare solitos: sicut enim D. PAVL. de opipare cõedentibus dixit: *Quorum Deus venter est*; non dis- *Philip. 3.* similiter de lusoribus veracissime dicemus, quorũ Deus alearum ludus est, cum alacrius alearum figuras quam sacras imagines intueantur.

X. IVRA deinde ciuilia adeo ludos execrantur, vt à Republica illos arcendi gratia Reges Catholici Hispaniarum FERDINANDVS, & ELISABETHA *lib. 8. nouæ recompilationis* hanc legẽ condiderint, ne quis vltra duorum argenteorum quantitatem posset ludo exponere, & violatores huius legis pro prima vice viginti quatuor argenteis mulctari præcipit, pro secunda, triginta sex; pro tertia, quinquaginta quatuor: & in *lege octaua eiusdem tituli*, Rex Catholicus IOANNES statuit, vt qui domum suam ad huiusmodi alearũ ludos pararet; pro prima vice soluere t centum & quinquaginta argenteos; quod si nõ esset soluendo, pœnas per dies centum in carcere lueret; & rursus *in legibus partitarum titulo 16. lib. 8.* stabilitum est, v[t] frequentes hi alearum lusores, quos Hispanus sermo *Thaures* vocat, non possent in iudicium tanquam testes adduci in causa criminali; quod genus supplicii infamium hominum esse solet, imo, quod mirabilius est, Iurisconsultus VLPIANVS *in l. [.]. ff de alearum lusu, & aleatoribus*, statuit, q[uod] q[u]amuis qui[sp]iam probaretur, & conuinceretur furto aliquid surripuisse tempore ludi in domo eius, qui lusoriam mensam omnibus ad ludendum exponi, impunis omnino relinqueret [u]r: sicut enim iura ciuilia in adulterii odium permittunt viro homicidium; ita in ludi detestationem permitti voluit Vlpianus furtum, quod si seculares homines huiusmodi ludis arcentur, quis non videat multo magis Ecclesiasticis personis dedecori esse? vnde presbyteros aleatores non solum ludere, sed ludẽtium inspectores esse, frequẽter sacri Canones prohibuere *Authentica enim de sanctis Episcopis, collat. 9.* dicitur: *Nec participes erunt ludentibus, nec inspectores*. & *c. Clerici, de vita, & honest. Clericor.* hæc verba habentur: *Ad aleas & taxillos non ludant, nec ludentibus intersint &c. inter dilectos, de excess. Prælatorum*. BONIFACIVS PAPA ait: *N[o]s autem, qui ex officii nostri debito pestem huiusmodi extirpare proponimus, ludos voluptuosos, quibus sub quadam curialitatis imagine ad dissolutionis materiã deuenitur, improbamus*: ac tãdẽ *in c. Episc. 35. d. 4.* pre[s]byter ludo deseruiens cõmunione priuatur. Obseruarunt non semel nautæ, q[uod] cum maris Delphini inter se ludunt, imminentis tẽpestatis præsagium id sit certissimum: non secus ego magnum Reipublicæ imminere detrimentum arbitror, cũ Ecclesiastici Catholicæ Ecclesiæ D[e]lphini, qui alioquin [d]iuinis laudibus ac piis exercitiis incumbere deberent, alearum ludis vacãt: maxime cum experientia ipsa doceat, ludorum indiuiduos comites (vt plurimum) esse alienæ pecuniæ

cupi-

cupiditatem, periurium, blaſphemiam, contumeliam, fraudem, temporis amiſſionem, rixas, & contentiones non paucas: in cuius figuram legimus 2. REG. quod poſt ludū puerorum Dauid, & Isboſeth ſecutum eſt graue atq; cruentum bellum: atque propter hæc vitanda non contemnenda detrimenta. S. TOBIAS adeo à ludis ſe abſtinuit, vt nec eis vnquam intereſſe vellet; *Nūquam cum ludentibus miſcui me, neq; cum his, qui in leuitate ambulant, participem me præbui.*

2.Reg.12.

Tob.3.

XI. PORRO vt ad nuptias Verbi diuini cū natura humana, vnde nonnihil digreſſi ſumus, redeat oratio noſtra, in memoriam reuocanda ſunt tria illa, quæ D. AVG. in matrimonio contemplabatur; ſacramētū, fidē, & prolē, in hoc ſacro connubio mirifice effulgere: nam inprimis cum ſacramentum idem ſit, quod ſacrum myſterium, & inter omnia opera Dei nullum magis reconditum arcanum, quam Verbi Dei incarnationem Catholica fides profiteatur, ſatis ſuperque conſtat, in hoc ſacro matrimonio rationem ſacramenti non defuiſſe, ſed nec fidem, ſeu fidelitatem deſiderari id ſatis probat. ꝙ humanitas Chriſti tū ꝑpter vnionē ad Verbum, a quo regebatur, tum propter arctiſſimum beatifici amoris vinculum, non poterat vllo modo fidelitatis ſponſo debitæ iura violare; ac tandem deſiderata proles huic matrimonio minime defuit, cum iuſti omnes Chriſti partus ſint, & filij legitimi, vt ISAIAS prædixerat: *Omnes iſti cōgregati ſunt, venerunt tibi: filii tui de longe venient & filia tua de latere ſurgent.* & ibidem inquit: *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipſe nō pariam?* vbi obſeruare oportet, conſulto non dixiſſe: ego, qui alios gignere facio, ipſe non gignam? ſed *ego, qui alios parere facio, non pariam?* vt ſignificaret ſe filios ſuos in lecto crucis peperiſſe, inauditos inſtar parturientis ſubiētē cruciatus, iuxta illud eiuſdē ISA. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum.*

D. Aug. li. de nupt. & concupiſ.

Iſa.60.

Iſa.66.

Iſa.53.

XII DE his filiis IOAN. obſcura illa verba dixit: *dedit eis poteſtatē filios Dei fieri*: quæ propter ſuā difficultatem antiquos Patres in varias abire ſententias compulerunt. difficultas autē ex duplici capite oritur, tum quia illi, qui Chriſtum, vt oportet, receperunt, hoc ipſo filii Dei actu fiebant, non ergo poteſtatem tunc accipiebant, vt fierent filii Dei; tum quia etiam, qui Chriſtum nondum receperunt, habent poteſtatem vt filii Dei fieri poſſint, ſicut poteſtatē habent credendi, qui nunquam crediderunt, AVGVST dicente: *Poſſe credere, naturæ hominū eſt, credere autem, gratia Dei eſt.* THEOPHYLACT. vt hāc ſoluat, varias adhibet interpretationes; Prima eſt; ꝙ quamuis recipientes Chriſtum filii Dei ſtatim ſint, tamē neceſſaria eſt cuſtodia, & vigilantia, vt cōſeruentur, ne acceptā adoptionē filiorum amittant: dicuntur ergo habere poteſtatē: *filios Dei fieri*: qui: etiāſi tunc dum recipiunt Chriſtum filii ſint, tamē eorū in poteſtate eſt hāc filiationem habere, & conēſerua e. Secūda eiuſdē THEOPHYLACTI expoſitio eſt, vt per *recipiētes* intelligam⁹ catechumenos, qui

Ioan.1.

Aug. li. de ſpiritu & litera.

fidem habent ante baptiſmū, per quē gratia adoptionis datur; hi ergo per fidem nondum regenerati ſunt, nec filii Dei facti, quouſq; baptizētur: Baptiſmus enim eſt, quo homines naſcūtur in ſpiritu, & fiunt filii Dei: habent tamen credentes poteſtatem, & facultatem ſuſcipiendi baptiſmum, & per eum renaſcendi. Nec obſtat huic], quod aliquā ante baptiſmū gratiam filiorum aliquando accipiunt: id enim fit per baptiſmū in voto ſuſceptum; eius enim tanta eſt efficacia, vt antequam reſuſcipiatur, operetur per votum in credentibus. Tertia eſt ab eodem THEOPHYLACTO, vt per hanc poteſtatē intelligamus adoptionem filiorum perfectam, quę in gloria datur: ſunt quidem in hoc ſeculo filii, ad huc tamen minus perfecte adoptati, & propterea dicti ſunt recepiſſe *poteſtatem filios Dei fieri*: quia id perfectionis nondum conſequuti ſunt. cui expoſitioni conſonare videtur locus PAVLI ad ROM. *Et ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectātes*, & tamen Apoſtolos in hoc ſæculo filios fuiſſe nemo negauerit Quarta eſt Diui CHRYSOST. aſſerētis, dictum eſſe: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, vt ſignificetur motus liberi arbitrii; ſic enim homo adultus fit Dei filius, vt libero arbitrio concurrat ad credendum, vt fiat filius Dei. Quinta eſt Ambroſ. lib. 4. de fide cap. 4. docentis cum AVGVSTINO libro 2. de conſenſu Euangel. cap. 3. & in epiſt. 120 ad Honorat. ca. 3. hanc particulam eſſe poſitā, vt hominum filiatio diſtinguatur ab illa Verbi, qua Verbum filius etiam Dei eſt: noſtra quippe filiatio adoptionis eſt, Verbi vero naturæ; noſtra poteſtatis, illius proprietatis. Deum enim nos filios habere, poteſtatis eſt, quia voluit facere: at habere Verbum filium, eſt proprietatis, & naturæ ipſius Dei; ſenſus ergo erat: *Dedit eis poteſtatem, vt ſint filij Dei*, quia natura non ſunt filii, ſed gratia; Verbum natura filius eſt, ob id non habet poteſtatem filiationis ATHANAS. etiam ſerm. 3. contra Arian. cui conſentit CYRILL. lib. 1. in Ioan. cap. 14. dicit, hanc poteſtatem eſſe gratiam, vt ſint filii ex gratia, non ex natura. Sexta eſt D. GREGORII exponētis, vt per *poteſtatem* dignitas, & excellentia ſignificetur, vt ſit ſenſus; dedit eis hāc dignitatem, & excellentiā; vt filii ſint Dei: verba ipſius ſunt: *Qui eum receperunt, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri; quid hac poteſtate altius? quid hac altitudine ſublimius dici poteſt? in qua creatus quiſque efficitur filius Creatoris?*

Rom.8.

D.Chryſ. homil.9. in Ioan.

D.Greg. homil.6 in Ezech.

XIII. ILLVD tamen merito quiſpiam dubitare poſſet, quomodo Ioañes dicat, Chriſtum Dominū dediſſe ſuo aduentu poteſtatem hominibus, vt filii Dei fierent, cum etiam in veteri lege fuerit ſimilis poteſtas; fuerunt enim multi peccatores iuſtificati, & facti filii Dei; prius igitur habuerunt poteſtatem, vt in adoptionem filiorum reciperentur. Omiſſis aliorum interpretationibus, quæ à ſcopo lōge aberrare mihi videntur, in hunc modum præſentem nodum ſoluendum eſſe reor, quod aliud eſt, filium eſſe, aliud autem, habere ſtatum filii: infantes, & pueri filii ſunt, tamen ſtatum filii nondū ha-

habent; status filiorum est libertas, & quod sui iuris sint, possintque pro arbitrio disponere de suis, quod non habent filii, nisi in ætate legitima. hoc idem reperitur in ista adoptione Dei. In lege veteri iusti filii veri erant, vt nos, tamen paruuli; his enim comparat eos Paulus; statum filiorum nondum habebant, erant sub lege timoris, vt sub pædagogo, & sub actore, & quantum ad statum, serui fuerunt; longe autem differunt hæc duo, esse seruum conditione, & esse seruum statu, & forma viuendi; erant illi conditione filii, statu serui propter legem, sicut infantes; at in Euangelio per Christum remota est lex vetus, recessit pædagogus, peruenit ad ætatem iustus, in Christo libertate donatus est, de qua ad Galat. 4 *Non sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit*; ob id statum filiorum habemus. hoc totum diuine docet Paulus in eo capitulo, iustos illos sub lege comparans filio ancillæ Abraham, nos filio liberæ; vterque tamen filius est, sed illi ancillæ propter statum seruitutis, nos liberæ propter statum libertatis, & potestatis; vnde hoc dicit; *Iam non estis filij ancillæ, sed liberæ*: vtrique tamen filii erunt Abrahæ.

Ad Gal. 4. *Ibid.*

XIV. ADOPTIO igitur est in Euangelio perfecta, quantum ad statum libertatis, ob id in Euangelio datur hæc adoptio; veruntamen non est completa in hoc seculo, quia iustus mente liber est, carne tamen seruit, in gloria autem consummata ab omni peccato & miseria consequetur libertatem, & ob id dicitur iustus *expectare adoptionem filiorum*, non quod non sit filius adoptionis in hoc seculo, sed quia nondum, vt diximus, integram consecutus est libertatem: itaque iustus olim sub lege filius quidem erat, tamen eum adoptionis statum consecutus non erat, qui est in Euangelio. Ipsemet PAVLVS id explicauit, quando dixit: *iustos* etiam nunc *gemere, & expectare adoptionem filiorum*, & ne quis putaret eos non esse nunc filios adoptionis, paulo ante hoc verbum declarauit: *Liberabitur creatura à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*: quasi dicat; filius est nunc iustus in Euangelio, tamen nondum totam libertatem, nempe à corruptione, consecutus est, donec perueniat ad gloriam, & hoc est expectare adoptionem filiorum. quam doctrinam paucis verbis perstrinxit D. CHRYS. dicens, Iudæos nō habuisse *adoptionem filiorum, sed spiritum seruitutis*. Atque hinc colligo rationem, ob quam olim iustis sub lege etiam purgatis non patuerit ianua cœlestis, sicut modo patet: certe illi paruuli erant, & paruulis non datur hæreditas, etiam mortuis parentibus, donec perueniant ad legitimam ætatem; hæc autem legitima ætas fuit plenitudo illa temporis, in qua Deus misit filium suum, vt adoptionem filiorum reciperemus; & ideo ianua ad æternam hæreditatem, quæ nunc nobis aperta, illis tunc obserata erat.

Rom. 8. *D. Chrys. hom. 13. in Ioan.*

XV. AD extremum in eo hæc nobilissima natorum Dei filiatio omnem aliam creatam filiationem transcendit, quod illa non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo procedit. vbi obseruandum est cum D. THOMA, & THEOPHYLACTO, quod D. IOANNES per illa verba: *ex voluntate carnis*, significauit filios illegitimos; per illa autem sequentia: *ex voluntate viri*, prænotauit natos ex legitimo matrimonio: vnde sensus est, quod filii Dei sunt orti non ex sanguinibus damnati, aut concessi thori, quia ex vtraque nascuntur ex carne, sed nati sunt ex spiritu Dei, vnde efficitur, quod quemadmodum filius Dei naturalis Christus est imago Patris, ita filii Dei adoptiui eandem imaginem Patris imitentur, iuxta illud: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*; quod probe agnoscens D. LEO PAPA dixit: *Si ad humanam pertinet laudem, vt patrum decus in prole resplendeat, quanto magis gloriosum est, à Deo natos in auctoris sui imagine refulgere, & illum in se ostendere, qui illos generauit?* Certe hæc tantæ generositatis dignitas, *vt filij Dei nominemur, & simus*, admonet nos generosos esse oportere, ac tanti patris vestigia sequi debere. Filii Regii magna moliuntur bella, triumphos, trophæa meditantur, ad viles sordidasque artes animum minime demittunt, oportet igitur potiori iure, vt Dei filii multo altiora animo voluant, ad cœlestia anhelent, æterna bona concupiscant, aduersus tartareas potestates prælia agitent, victorias, laureasque cœlestes spectent, ad sordidissima vitia generosum cor non conuertant, magni Leonis rugitum audientes: *Agnosce, ô Christiane, dignitatem tuam, & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire.* quibus non dissimilia lego alibi apud eundem: *Genus electum, & regium regenerationis suæ respondeat dignitati; diligat quod diligit Pater, & in nullo ab auctore suo dissentiat.* Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

D. Th. sup c. 1. Ioan. Theoph. sup. c. 1. Ioan. *Matth. 5.* *D. Leo ser. 1. de Nat.* *Ibid.* *Idem ser. 6. de Natiu.*

HOMILIA XVI.

Ad elucidandum Incarnati Verbi mysterium in Mariæ vtero celebratum varia ac multiplici sanctorum Patrum eruditione, vberrimaque animi conceptionum copia explicantur verba illa D. Ioannis: Et signum magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim. *Apoc. 12.*

I. VAMVIS permulti sanctorum Patrum, GREGORIVS, Venerabilis BEDA, ANDREAS CÆSARIENSIS, PRIMASIVS, RICCARDVS VICTORINVS, RVPERTVS, METHODIVS, proposita verba de Ecclesia Catholica intelligenda esse censeant, non pauci tamen

Greg. l. 34. moral. c. 7. Method. in c. 12. Apoc.

Epiph. ser. de laudib. Mariæ. Aug. li. 4. de symb. ad catech. c.1. Bern. serm. sup. signũ magnum. Aym. super c.20. Apoc. Ansber. in c.20. Apoc. Gagn. sup. c.20. Apoc. Dionys. ib. Aug. l.2. de doctrin. Christ. c.1.

men Doctores de beatissima Virgine in sensu mystico illa explicant: hi sunt D. EPIPHANIVS, AVGVSTINVS, BERNARDVS, AYMON, ANSBERTVS, GAGNÆVS, & DIONYSIVS, horum Patrum doctrinæ insistens, huius visionis abdita mysteria reserare aggrediar. *Signum* quidem (vt auctor est D. AVGVSTINVS) est res, quæ præter speciem, quam ingerit sensibus, in alterius rei cognitionem nos facit venire, vnde merito Archipropheta nouæ legis IOANNES B. Virginem *signum* vocauit, cum præter cognitionem sui in notitiam Verbi Incarnati nos faciat venire. Per matrem enim cognoscimus filium, & cum mater pariter sit, & Virgo integerrima, filium Patrem in cœlis habere oportet; & cum id nõ virtute naturæ, sed Spiritu sancto adumbrante factum sit, tandem in sanctissimæ Triadis, Verbi diuini Incarnationis, ac illius B. Virginitatis Deiparæ, & aliorum arcanorum cognitionem perducimur; quæ adeo portentosa esse perhibentur, vt omnium scientiarum genere peritissimi illa perpendentes non solum mirentur, sed stupeant, & expauescant.

II. STVPET linguæ Latinæ peritissimus (si fas est verbis parumper ludere cum insigni Doctore ALANO) videns idem Verbum simul esse actiuum, passiuum, neutrum, & deponens: actiuum quidem, quia *per ipsum omnia facta sunt*: passiuum, passibilem carnem assumens, & in passione sua multa aduersa patiens: neutrum, dum in triduo mortis nec erat putus Deus, cum animam, & corpus sibi copulata retineret: nec erat in rigore homo, dissoluta iam vnione inter animam, & corpus, quæ ad constitutionem hominis necessario requiritur: fuit etiam in resurrectione deponens, cum humanis miseriis exutus, carnis mortalitatem deposuit. vnde ingeniose doctissimus ipse ALANVS cecinit: *Ioan.1.*

Exceptiuam actionem
Verbum Patris excipit;
Dum deludit rationem,
Dum naturam decipit.
Causalem dictionem
Ab vtroque recipit,
Actioque passionem
In hoc verbo concipit.

III. STVPET eloquentissimus Rhetor, capere non valens eundem mortalem, & immortalem, æternum, & temporalem, immensum, & paruum, pauperem, & diuitem, vnde idem ALANVS:

Peregrinat à natura
Hominis positio,
Dum in Dei transit iura
Hominis conditio,
Nouus tropus in figura,
Noua fit translatio,
Nouus color in iunctura,
Noua fit constructio.

IV. STVPET hic solertissimus Dialecticus, audiens ex duobus principiis infinito interuallo distantibus, cuiusmodi sunt Deus, & homo, velut vnicam conclusionem inferri: *Et verbum caro factum est.* *Ioan.1.*

Intra locos locum nescit
Locus à contrariis,
Suum locum exstupescit,
Exceptum ab aliis;
Sic ex linguis obmutescit,
Fallitur in propriis,
Et ex suis erubescit,
Logica fallaciis.

V. STVPESCIT hic Arithmeticus, dum penetrare non valet, quomodo vnum suppositum duplicem habeat naturam: quomodo in suppositalitate vna naturæ duæ impermixtæ subsistant:

Dum ab vno non recedit,
Alteratur vnitas,
Dum in vnum se concedit,
Vnitur alteritas.
Indiuisum idem cedit,
In idem diuersitas,
Suum tamen non excedit
Limitem simplicitas.

VI. STVPET Geometra, dum genus hoc mensuræ non capit; vt infinitum finito, æternum temporali, immensum paruo corpusculo concludatur:

Sua artis in casura
Geometria fallitur,
Dum immensum sub mensura
Terrenorum sistitur,
Indirectum, cui natura
Circuli conuertitur,
Sphæram claudit quadratura,
Et sub ipsa clauditur.

VII. STVPET hic disertissimus Musicus, dum capere non potest, quomodo inter se consentiant vox Dei, & vox hominis, ita vt loquente homine, loquatur Deus, & loquente Deo, loquatur homo; est enim hæc inaudita proportio concentus:

Dum factoris, & factura
Mira fit coniunctio,
Quis sit modus ligaturæ,
Quis ordo, quæ ratio,
Quæ sint vincula, quæ iuncturæ,
Qui gombi, quæ vnio,
Stupet, suo fracto iure,
Musica proportio.

VIII. HIC tandem stupet, & expauescit sapientissimus Astrologus, dum solem eclypsari, & non obscurari, densissima nube operiri, nihilque sui splendoris, ac lucis amittere intuetur:

Solis lumen nube tectum
Se nubis velamine,
Per seclarum fit obiectum,
Nec habet in lumine:
Nostrum vergit in defectum
Sol ortus in Virgine,
Ineffectum dans effectum
Lumen in caligine.

IX. Merito igitur Ioannes vocauit B. Virginem, *signum magnum*, (*Apoc.12.*) cum per illam in earum rerum cognitionem, quam omni scientiarum genere præditi ingenii sui acumine consequi non potuerunt, nos fide prælucente, veniamus. Hoc magnum signum contemplans, & admirans D. Bernardvs (*D. Ber. ser. sup. signũ mag apparuit.*) ait: *Quomodo in tam vehementi feruore tam fragilis natura subsistit?* ferunt Historici, licet creditu difficile videatur, Salamandram sanam, & incolumem in medio ardẽtis ignis persistere: mirabile quidem id est, sed naturæ ordinem non transcendit; sed inter miranda naturæ prodigia connumeratur. At quod tenella Virgo intra medium ardentis solis globum, stellis redimita, & lunam pedibus calcans, rutilanti vultu compareat, totam facultatem naturæ longe superat, & omnipotentiam Dei adeo ostentat, vt Ioannes dicat: (*Apoc. 12.*) *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole.* Quis enim, quæso, magnũ diffitebitur prodigium, eodem genere vestimenti, quo Creator indui creaturam? nonne Deus luce vestiri dicitur? (*Psal. 103.*) *amictus lumine, sicut vestimento*: luce etiam splendentis solis Maria vestitur: *mulier amicta sole.*

X. Hinc sane inferre licet eximiam B. Virginis excellentiam: tum, quod quemadmodum in solem præ nimia eius claritate, & splendore humanus intuitus fixa acie intendere non potest; ita beata Virgo tot ac tantis sanctitatis splendoribus coruscat, vt non solum humanæ, sed neque angelicæ mentis acies, nisi diuino lumine corroborata, in eam intendere possit. tum, quod quemadmodum sol neque per vnicum temporis momentum claritate, & splendore caruit, sed semper tenebras nesciens, fulgentissimus fuit; ita beata Virgo nec per vnicum instans peccati alicuius etiam originalis tenebris obscurata fuit, sed semper gratiæ luce perfusa, quæ semper lucis, & splendoris amictu vestita esse perhibetur, vt ait Ioannes: (*Apoc. 12.*) *mulier amicta sole*: Certe Christus Dominus dixit: (*Ioan. 3.*) *Qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius*: cum ergo beata Virgo à principio suæ conceptionis amicta sole in cœlo Ecclesiæ Catholicæ comparuerit, non timet argui, sed conuinci posse de peccato, imo fidenter vsurpat filii sui verba: (*Ioan. 8.*) *Quis ex vobis arguet me de peccato?* quasi dicat: nullus. Vnde in hoc valde superat B. Virgo reliquos omnes Sanctos: quod si imago vitæ eorum depingatur, oportebit (vt Pictoribus consuetum) sanctitatis eorum claritatem cum peccati obscuritate, variisque imperfectionum vmbris describere; quia (vt ait Ioannes) (*Ibid.*) *si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*: itaque ad depingendam vitæ aliorum Sanctorum imaginem, oportet penicillum non tantum splendentibus virtutum coloribus, sed nigro peccati atramento intingere; at Ioannes, supremus depingendi artifex, beatam Virginem depingere volens, in Solis tantum fulgentissimis radiis penniculum intinxit; & ideo ait: (*Apoc. 12.*) *mulier amicta sole*: vt significaret, in hac imagine minime inueniendas, velut in aliis, caliginosas peccati vmbras, quæ obscuritatem inducunt.

XI. Sed illud adhuc manifestius B. Virginis excellentiam ostentat, quod in conspectu solis iustitiæ, qui propter eius infinitatem & immensitatem adeo creaturas omnes superat, vt Isaias dicat: (*Isa. 40.*) *Quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputata sunt*: ipsa (inquam) in conspectu tantæ magnitudinis magna esse dicatur à Ioanne: (*Apoc. 12.*) *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole.* Scio Ioannem Baptistam *magnum* coram Deo vocatum fuisse à D. Lvca: (*Luc. 1.*) *Erit enim magnus coram Domino*: tamen sicut teste D. Pavlo: (*1. Cor. 15.*) *Alia est claritas solis, alia claritas stellarum*: ita longe diuersa, & inferior est magnitudo Ioannis à magnitudine Mariæ, sicut longo interuallo superat magnitudo dignitatis matris Dei magnitudinem dignitatis Præcursoris Domini: tanta ergo magnitudine magnam esse in conspectu infinitæ, & immensæ Dei magnitudinis inauditam sanctitatis magnitudinem ostẽdit. Certe Sol centum sexaginta vicibus (vt Astrologi demonstrant) magnitudine terram superat, & tamen nobis exiguus apparet; beata autem Virgo in cœlo constituta, à Ioanne in terris degente videri potuit, tanquam signum magnum: quod sane aperte indicat, tantam esse eius magnitudinem, vt nulla quantumcunq; summa distantia oculis eam abripere potuerit: reliqui sancti in cœlo positi prope Virginem à nobis in terra degentibus nequaquam videri possunt, vnde B. Petrvs Damianvs (*B. Pet. Damian. ser. de assumpt.*) ait: *In illa inaccessibili luce perlucens sic vtrorumque spirituum (id est, hominum, & Angelorum) hebetat dignitatem, vt in comparatione Virginis nec possint, nec debeant apparere*: beatæ autem Virginis magnitudo tanta est, vt illam neque Christi Solis iustitiæ eam ambientis splendor, & magnitudo obruat, neque quæcunque summa distantia eam videre obsit.

XII. Illvd tamen examinandum restat, quo Sole dicatur à Ioanne B. Virgo amicta? Crediderim proculdubio, non loqui de solari Planeta, qui in quarto cœlo residet, cum beatam Virginem in supremo omnium cœlorum viderit dilectus Ioannes constitutam; quare dicendum est, solem hunc esse illum, de quo Malachias: (*Malach. 4.*) *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ*: hoc splendidissimo sole induebatur beata Virgo, vt non obscure Isaias in (*Isa. 61.*) persona eius prædixit: *Exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me*: seu (vt LXX. transtulerunt) *Induit me indumentum salutis, & tunicam lætitiæ*: imo alii vertunt, quod nostro argumento accommodatius est: *Induit me vestimentum Iesu*: ad quod videtur Pavlvs respexisse, cum ad Romanos dixit: (*Rom. 13.*) *Induimini Dominum Iesum Christum.* merito quidem Christus Dominus indumentum beatæ Virginis dici potest; tum quia sicut vestis fouet & protegit corpus, ita filius matrem vt vestis fouit, & vt murus protexit, Isaia dicente: (*Isa. 26.*) *Vrbs fortitudinis nostræ*

nostræ Sion, Saluator ponetur in ea murus, & antemurale. & quemadmodum, qui indutus est vestibus, non sentit pondus illud, ac molestiam, quam experitur ille, qui vestes inuolutas, quasi sarcinam, humeris portat; sic B. Virgo, dum grauida erat, nullam in baiulando Christum difficultatem sentiebat, vt testatur D. BERNARDVS.

XIII. SED iam eiusdem BERNARDI varias, ac perpulchras expositiones, quibus amictum solis illustrat, subiiciamus. sicut enim, ait: sol quasi vniuersalis omnium parens, omnia suo splendore perlustrat, & fouet: ita B. Virgo instar solis in omnes suos misericordiæ radios diffudit: *Quemadmodum* (ait BERNARDVS) *ille super bonos, & malos indifferenter oritur; sic ipsa quoque præterita non discutit merita, sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet; omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu.* Deinde docet, amictam sole Deiparam, firmam, ac stabilem eius sanctitatem significare; sicut enim soli splendor nunquam defuit; sic à beata Virgine fulgor sanctitatis nunquã abfuit: *In sole* (inquit) *nimirum & feruor & splendor stabilis, in luna solus splendor, atque is omnino instabilis, & incertus, qui nunquam in eodem statu permaneat. Iure ergo Maria sole perhibetur amicta, quæ profundissimam diuinæ sapientiæ, vltra quam credi valeat, penetrauit abyssum, vt quantum sine personali vnione creaturæ cõditio patitur, videatur immensa; illo nimirum igne Prophetæ labia purgantur, illo igne Seraphini accenduntur; longe vero aliter Maria meruit, non velut summatim tangi, sed operiri magis vndique, & circumfundi, & tanquam ipso igne concludi, sed candidissimus sane, & calidissimus huius mulieris amictus, cuius omnia tam excellenter irradiata noscuntur, vt nihil in ea non dico tenebrosum, sed obscurum saltem, vel minus lucidum, sed ne tepidum quidẽ aliquid, aut non feruentissimum liceat suspicari.* Ac tandẽ amictam sole Virginẽ [Exod.3.] explicat per rubum illud EXODI ardentem, & non combustum, mysterium Incarnationis in Virgine peractum ad amussim adumbrantem, vt communis est Patrum sentẽtia; vnde ipse admirans, quod fragilis naturæ fœmina intra solis ardores subsistat, inquit: *Magna sane visio, rubus ardens sine cõbustione, magnum signum, mulier illæsa manens amicta sole, non ex rubi natura opertum vndique flammis, manere nihilominus incombustum, non est virtutis humanæ, sed nec angelicæ quidem, sublimior quædam necessaria est.* [Luc.1.] *Spiritus sanctus* (inquit) *superueniet in te, & tanquam respondeat illa: quoniam Spiritus sanctus est Deus, & Deus noster ignis consumens est; & virtus* (ait) *non mea, non tua, sed Altissimi obumbrabit tibi.*

XIV. SED merito quispiam percontabitur, quomodo hæc duo inter se cohæreant, mulier amicta sole, & simul ab eo obumbrata; nam sol splendorem inducit, vmbra vero carentiam eius infert. Nodum hunc solui posse arbitror inprimis per hoc, quod quemadmodum de Deo dicuntur hæc duo, [1.Tit.6.] & quod *lucem habitat inaccessibilem*, & quod *posuit* [Psal.17.] *tenebras latibulum suum*: quia videlicet quamuis ob infinitam perfectionem, summamque eius intelligibilitatem lux fulgentissima sit, tamen ob incomprehensibilitatem inaccessibilis est, & tenebrosa caligo mentibus creatis apparet, vt ingeniose interpretatus est D. GREGORIVS NAZIANZENVS, [D. Gr. Nazianz. li. 2. de Theo.] sic proculdubio beatissima Virgo ob illustrissimũ, ac splendidissimum Incarnationis mysterium in virgineo eius thalamo operatum amicta sole visa est, quia tamen mysterium comprehendi non potest, omnino obumbrata dicitur, & quasi caligine, & tenebris circumfusa, atque hac ratione merito B. Virgo à Propheta ABACVC: *Mons vmbrosus* vocata est: [Abac.3.] nam vbi vulgata nostra legit: *Deus ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan*; LXX. verterunt: *Ab austro veniet, & sanctus de monte vmbroso.* idem etiam astruit inscriptio, seu titulus illius cantici, qui in hunc modum habetur: *Oratio pro ignorantiis,* [Abac. in Cant. intitul.] seu *pro ignorationibus*; innuens sane per hæc verba, nisi fides tanti mysterii Angelis, & hominibus præluceret, tam humanis, quam Angelicis mentibus semper ignotum fuisset. Sed ex D. BERNARDO aliter [D. Ber. ser. super sign. Magnum.] propositæ difficultati satisfieri potest, putat enim non solum sole amictam, & pariter obumbratam esse, inter se non pugnare, sed potius vnum velut adminiculum alterius esse; vmbra enim illi profuit, vt feruorem ardentis solis sustinere posset, vnde ait: *Nihil itaque mirum, si sub tali vmbraculo talis etiam à muliere sustineatur amictus*: sicut enim olim [Dan.3.] adminiculo fuit tribus pueris in fornace ardenti ventus roris flantis, vt absque læsione excessiuum calorem ignis sustinere possent: ita vmbraculum, quo Spiritus sanctus operuit beatam Virginem, præsentissimum fuit ei adminiculum, vt solis iustitiæ eam ambientis ardores sustinere posset.

XV. VERVM vt secretiora alia magis recondita mysteria in hac mirabili Ioannis visione detegamus, obseruare oportet, trifariam sacram Scripturam *signum* vsurpare; primo, vt idem polleat, quod miraculum, seu prodigium, in quo sensu DAVID [Psal. 134.] dixit: *Misit signa, & prodigia in medio tui Ægypte.* Et [Actor. 5.] D. LVCAS: *Per manus autem Apostolorum fiebant signa, & prodigia multa in plebe.* Secundo accipit *signum* pro *vexillo*, vt habetur apud ISAIAM: *Eleuabit signũ* [Isa. 5.] *in nationibus*, id est, *vexillum*, vt omnes interpretantur. Tertio tandem sumi signum pro *scopo*, ad quem tendit sagittarius, vt videre est apud IEREMIAM: [Thren. 3.] *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi in signum ad sagittam.* IOB etiam ait: *Confregit me, & posuit me sibi quasi in signum*, [Iob 16.] in quod scilicet omnia tela sua coniiceret. vnde statim subiungit: *Circumdedit me lanceis suis*: & in hoc sensu prædixit Simeon de Christo: *Hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum, & in signum, cui contradicetur.* [Luc. 1.]

XVI. His prælibatis haud difficile erit demonstrare, quam egregie his tribus modis beata Virgo *signum magnum* compelletur: nam inprimis ipsam diuinæ gratiæ prodigium, & miraculum existere, vnanimi consensu fatentur Patres edocti tum

Exod. 3.

a Moyse, qui cum videret rubum arden em, & non combustum (beatam Virginem præsignantem) dixit; *Vadam & videbo visionem hanc grandem*, id est, prodigiosam, & portentosam; tum à magno illo D. Onysio Areopagita, qui cum primum vidit beatam virginem, continuo ob magnitudinem pdigii, quod propriis oculis intuebatur, dixit, nisi fides sibi obstaret, tanquam Deum illam adoraturum. D. Ignatius vocat illam diuinæ gratiæ monstrum: *Hæc & alia excitauerunt viscera nostra, & cogunt valde desiderare aspectum huius, si fas sit fari, sacratissimi monstri, & cœlestis prodigii.* D. Ephr. appellat illam *præstantissimum orbis terræ miraculum*; quo etiam nomine eandem cohonestant Diu. Epiphan. & Chrys. Imo D. Damascenus non contentus (vt alii Patres) vocare illam: *stupendum miraculum*; eam compellat, *Miraculum omnium miraculorum maxime nouum, & miraculorum abyssum*; ita vt in ea tanquam in abysso summæ profunditatis pene innumera confluant miracula, quæ velut in abysso latitantia nequeunt omnino penetrari.

D. Igna. in ep. ad Ioan.
D. Ephr. orat. in lau. Virg.
Epiph. ser. de laud. Deip.
D. Chrys. ser. de B. V.

XVII Qvia tamen inter miracula quædam dicuntur talia, facta comparatione ad opera naturæ, quædam (quod excellentius est) per comparationem ad alia opera gratiæ, certe beata Virgo intra latitudinem operum gratię stupendum miraculum est pro cuius maiori intelligentia obseruare oportet, quod (vt D. Thomas docuit) miraculum dicitur ab admiratione, quæ consurgit, cum effectus est manifestus, & causa occulta; ait tamen, non quidquid, cuius causa latet, miraculum esse; sed illud duntaxat, quod totā facultatem naturæ excedit; nam quæ ab occultis naturalibus causis oriuntur, non miracula, sed mirabilia nuncupātur; requiritur etiam ad rationem miraculi, vt non fiat à Deo secundum legem ordinariam, alioquin omnis iustificatio impii miraculosa esset, cū excedat omnes vires naturæ. Hinc facile colligitur, nomine miraculi inter omnes sanctos solam Virginem cohonestari mereri, vtpote quod non solum totum ordinē naturæ transcendat, sed inter omnia opera gratiæ ita magnum portentum sit, vt angelici etiā spiritus in admirationem rapti dixerint: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitiis affluens?* quē angelicum stuporem delineatum video in Cherubinis illis, qui iuxta Propitiatorium existentes, admirabundi mutuo se conspiciebant. vnde D. Epiphanius exclamat: *O Virgo sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem duxisti? stupendum enim est miraculum in cœlis; mulier amicta sole; stupendum miraculum in cœlis, mulier portans lucem in vlnis; stupendum miraculum in cœlis, alter Thronus Cherubicus.* Quibus non immerito adiungi potest aliud inauditum, quod refert D. Basil. dum ait: *Miraculum vidit creatura, quod antea visum est nusquam, nempe prolem, quæ suæ matris erat parens, & infantem, qui genitricem ætate longe anteibat.*

Cant. 8.
Epiphan. ser de lau. Deip.

Damas.

XVIII. Tandem D. Damasc. acute satis vocauit illam non solum *miraculum*, sed *miraculorum officinam*: quo clarissimo ēt nomine illam vocarunt, Andreas Ierosoly. & Arnoldvs Carnoltensis; vt enim artifices consueuerunt officinas habere, quibus eximia eorum opera asseruantur; ita supremus miraculorum Artifex Deus voluit sibi specialem officinam extruere; beatissimam scilicet Virginem, in qua magis prodigiosa eius miracula reperirentur: ibi vnio adest hypostatica Dei & hominis, qua nihil sublimius dici potest; ibi extremorum infinite distantium arctissima copulatio; ibi præsubsistentis personæ vera generatio; ibi tandē Virginis integerrimæ conceptus & partus, quod tanquam miraculosum ac prodigiosum valde signum prædixerat Isaias: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*: quibus non obscure indicauit, diuini Verbi Incarnationē in thalamo Virgineo comprehendere vniuersa miracula, quæ siue in inferno deorsum, siue in cœlo sursum ab Achaz ad libitum efflagitari potuissent, quod vt verissimum esse ostēdamus, reuocate quæso, in memoriam, quod tempore Ezechiæ Regis contigit; cum in horologio Achaz patris sui sol decem lineis retrocessit, diuinā de Ezechiæ vita proroganda pollicitationem confirmans. Hoc prodigium nemo sane inficiabitur in officina B. Virginis verius patratum esse. Illa enim fuit velut horologium quoddam solare, quod Christi solis iustitiæ & altitudinem, & declinationem monstrauit. In hoc horologio ipse sol iustitiæ decem lineis retrogressus est, quia minutus paulo minus ab Angelis per nouem eorum ordines descendens ad decimam vsque humanæ naturæ lineam se demisit: ecce miracula de cœlo sursum in Virginis officina restaurata.

orat. 2. de nat. Virg.
And. Iero ser. in sal. Deip.
Arn. Carnolt. trac. de laud. Mar.
Isa. 7.
4. Reg. 20.

XIX. Vt tamen videamus, quæ in inferno deorsum patrantur, in ea etiam innouata, obseruandū est, Christum Dominum esse summum ac supremū omnium miraculum, vt ipse de se fatetur: *Tanquam prodigium factus sum multis*: quod alii cum D. Hieronymo ex Hebræo vertunt: *Tanquam portentum factus sum multis*: Caietanvs legit: *miraculum factus sum multis*: quibus verbis (vt colligitur ex his subsequentibus: *sed tu adiutor fortis*) aperte significare voluit Regius Vates, Christum Dominum insigne fuisse exemplum diuinæ iracundiæ aduersus peccatores, cum in eū, qui naturalis filius Dei erat, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, eo quod eorundem peccatorum fideiussor esset, pene innumera tormenta irruerunt, quibus aperte portenditacerbiora futura esse supplicia, quæ apud inferos sustinenda peccatores manent: *Nam si in ligno viridi hæc faciunt, quid fiet in arido?* Atque in hoc sensu Isaiam multa patientem sacra Scriptura vocat portentum; *Ambulauit seruus meus Isaias nudus, & discalceatus, trium annorum signum, & portentum erit super Ægyptum*: ecce in B. Virgine vtraq; signa, & miracula, præcipue siue quæ in cœlo sursum, siue q̄ in inferno deorsū desiderari possent, patrata sūt

Psal. 70
Luc. 23.
Isa. 20.

XX PORRO iā ad secundā *signi* acceptionē veniamus, qua idem significare diximus, quod *vexillum*. Sane si rem altius contemplemur, non incongrue dicemus, beatam Virginem *vexillum*: nā præterquam quod fidei vexillum fuit aduersus hæreticam prauitatem, CATHOLICA ECCLESIA dicente: *Cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mūdo*: vnde S. CYRILLVS ALEXANDRINVS illam ingeniose *Cyrill. Alex. epist. 5. cont. Nest.* appellauit, *sceptrum Orthodoxæ fidei*; & merito quidem, quia duo præcipue capita omnium hæresum sunt, oppugnatio scilicet sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis; quæ tamen duo mysteria ex Virgine magis stabiliuntur; nam eo ipso, quod mater filii asseritur, simul & diuinarum personarum pluralitas, & Verbi diuini Incarnatio (vt supra dicebam) adstruitur, præterquam etiam quod B. Virgo *vexillum* nostræ defensionis dici potest, ad quod omnes præsidii causa in omni genere pressuræ confugiunt; vt ad eam referre liceat illud DAVIDIS: *Psal. 59.* *Dedisti eis significationem*: vel (vt ex Hebræo alii cum Rabbi Dauid vertunt) *Dedisti eis vexillum, vt fugiant à facie arcus*: hoc est, vel vt à diuini furoris, vel hostilis infestationis sagittis protegantur: Præterquam (inquam) quod gemino hoc tituli *vexilli* nomine insigniri meretur B. Virgo, eo tamen præcipue nomine id ei debetur, quod vexillum omnipotentiæ Dei existit; vnde vbi nostra vulgata in persona B. Virginis legit: *Cant. 2.* *ordinauit in me charitatem*: alia vertit lectio: *Luc. 1.* *erexit in me vexillum*: hoc autem fuisse vexillum potentiæ Dei, ipsa indicauit, dicens: *fecit potentiam in brachio suo*: hoc est, brachium diuinum in mysterio Incarnationis, quod in visceribus meis celebratum est, totam potentiam suam ostentauit, *Ierem. 11.* vnde hac ratione crediderim, IEREMIAM operi figuli illud recte comparasse: *Descendi in domum figuli, & ecce ipse faciebat opus super rotam, & dissipatum est vas, quod ipse faciebat è luto manibus suis, conuersusque fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis eius*: in quo typo hominis lapsum, & restaurationē egregie exprimi reor: vere enim homo, quem Deus de limo formauerat, vas erat fictile, quod cito adeo fractum est, vt adhuc voluente rota confractum fuisse dicatur: *Ibid.* id circo enim subiungit: *Faciebat opus suum super rotam, & dissipatum est*: verum eo fracto, figulus diuinus alterum vas longe pulcherrimum, Christum videlicet Dominum efformauit, in quo genus humanum in primo Adam dissipatum in secundo instauraretur. Ad quod sane alludere videtur *Eccl. 38.* ECCLESIASTICVS, cum loquens de figulo ait: *In brachio suo formauit lutum, & ante pedes suos curuabit virtutem suam*: quibus verbis aperte innuit, Deū in opere Incarnationis omnipotentiam suam vsque ad vltimum flexisse, & curuasse, vt tantum opus omnibus numeris absolutissimum prodiret: Cum igitur inter omnia diuina opera præstantius omnibus Incarnationis mysterium, quod in beata Virgine operatum est, Dei omnipotentiam ostendat, merito in ea diuinæ potentiæ vexillum erectum fuisse dicemus: idque non parum congruit præcitatis verbis ISAIÆ; *Isa. 7.* nam vbi nostra vulgata legit: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signū*; in Hebræo est vox quædam, quæ simul significat *vexillum*, vt patet in l. NVM. *Num. 2.* *Singuli per turmas, signa atque vexilla, & domos cognationum castra metabantur.*

XXI. ALITER etiam explicare possumus, B. Virginem *vexilli* nomine insigniri debere; quia quēadmodum in arce aliqua erigi solet vexillum, vt victoria Ducis omnibus innotescat; ita B. Virgo amoris vexillum erexit, *Cant. 2.* vt versio PAGNINI habet, qui in præcitato loco: *Ordinauit in me charitatem*, legit: *Vexillum super me amor*. D. HIERON excellentiam *D. Hieron. ser. de ass. B. Virg.* amoris, quo in dilectum filium Virgo sanctissima ferebatur, contemplans dixit: *Totam incanduerat eā diuinus amor, vt nihil esset in ea, quod mundanus violaret affectus, sed ardor continuus, ebrietas perfusi amoris*. & D. ANSEL. *D. Ansel. l. de excell. B. Virg.* *Excedit* (inquit) *omnes amores parentum in filios, aut filiorum in parentes, amor istius matris in filium suum, & istius filii in matrem suam.* Cuius eam præcipuam rationem existimauerim, quod sicut alii filii partim accipiunt à patre, partim à matre, ita diuisum habent amorē, vt partim patri, partim matri eum exhibeant; at cū Christus Dominus esse hominem acceperit à matre sine patre humano, certe sicut totū hoc esse accepit à matre, ita totum suum amorem illi impendit. Atque eadem ratione conuincitur, maiorem fuisse amorē naturalē Virginis erga Christum, quam cuiuscūque alterius matris erga filium suum, quia ipsa plus substantiæ suæ exhibuit in generatione Christi, quam aliæ matres ex virili semine concipientes, quod in substantiam genitæ prolis cedit.

XXII HIS amoris armis beata Virgo potentissimum Deum ita fortiter deuicit, vt qui in Patris sinu residebat, vsque ad virgineum thalamum suum fecerit demitti. Hanc Virginis victoriam ingenue fatetur filius Dei, dicens: *Cant. 4.* *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, in vno crine colli tui*. LXX. legunt: *Excordasti, & stupefecisti me*: hoc est, cor meum mihi eripuisti; & insigne hoc victoriæ genus stupet me. Atque hinc facile erit interpretari, quare beata Virgo filium suum vocauit cor: *Cant. 5.* *Ego dormio, & cor meum vigilat*: scilicet, ad custodiendum me. Cum enim ipsa cor dilecto eripuisset, suumque per amoris transformationem fecisset, ideo illum vocabat cor suum; & quidem adeo suum, vt si quis deinceps illum à se auferre moliretur, perinde fuisset, ac si ipsi proprium cor abstulisset, vitamque suam eripuisset, sed sequentia verba, nimirum: *Cant. 4.* *In vno oculorum tuorum, in vno crine colli tui*; victoriam hanc amoris beatæ Virginis, quam de dilecto tulit, apertius manifestant, sicut enim in bello prius quis vincitur, postmodum capitur, deinde tanquam captiuus ligatur, ita hoc loco dilectus fatetur, se sponsæ oculo, tanquam telo, vulneratum, ac deiectū, deinde instar captiui crinibus eius, velut funi-

bus ligatum; redditur autem illustrior, & gloriosior hæc victoria, cum B. Virgo non opus habuerit vtroque oculo, velut duplicatis armis, sed vno simplici duntaxat oculo ad potentissimum Regem deuincendum; nec etiam opus fuerit ei omnibus suæ cæsariei crinibus, aut capillis, sed vno solum crine, atque fragilissimo eum ligare. Atque huc tendunt

Cant. 7. verba sponsi B. Virgini dicentis: *Coma capitis tui, sicut purpura Regis, iuncta canalibus*, vel (vt ingeniose verterunt LXX. INTERPRETES: *Cæsaries (coma) capitis tui, sicut purpura Regis, ligatus in canalibus*. Cōparat crines sponsæ canalibus, quia crispantes capilli persimiles videntur vndantibus aquis, per canales quasi crispato motu decurrentibus. In suis ergo crinibus beata Virgo ligauit Regem, & quasi captiuum in carcerem sui ventris deiecit, quod opus tātæ fortitudinis fuit, vt iam Salomon curam illā mulierem fortem inueniendi deponere possit:

Prou. 31. *Mulierem fortem quis inueniet?* hæc enim fortissima

Apoc. 5. fœmina fortissimū Leonem de tribu Iuda deuicit, & quasi triumphans vexillum amoris, quo eum superauit, in sublime erexit.

XXIII. TANDEM ad tertiam *signi* acceptionē accedentes, secundum quam sumitur pro eodem, quod *scopus* sane B. Virgo posita fuit non secus ac filius ei⁹ in scopū, & signū, cui cōtradicetur; q̄d dupliciter

Apoc. 13. præcipue loco præfiguratū reperio; tū in APOCAL. vbi dicitur: *Aperuit os suū in blasphemias ad Deū, blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius*, id est, B. Virginem, sacrosanctum Christi tabernacu-

Psal. 45. lum; de quo Propheta dixerat in Psal. *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus*; sic enim hunc locum interpretantur D. ATHANASIVS in Euangelio de Deipara, & METHODIVS in hypopantia Domini. Tum NVMER. 20. vbi mentio fit petræ illius, ex qua exiuit aqua cōtradictionis: *hæc est* (ait sacer textus) *aqua contradictionis, vbi iurgati sunt filii Israel con-*

Ab. Guar. *tra Dominum*: Doctissimus Abbas GVARICVS serm.

Isa. 16. 2. de Annuntiat. ex ISAIA colligit, nomine *petræ* B. Virginem adumbratam fuisse: *Emitte* (inquit) *agnū, Domine, dominatorem terræ de petra deserti, hoc est, abscinde petram de petra, sanctum, & inuiolabilem sancta & immaculata proferat Virginitas*: ex hac ergo

Ibid. petra, nempe B. Virgine, egressa fuit aqua contradictionis, in qua iurgati sunt fere omnes hæresiarchæ contra Dominum, vt à principio instaurationis mundi prædixerat Deus serpenti; *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius*: heretici autem semen sunt serpentis antiqui; impudentissime enim in beatissimam Virginem varia opprobriorum tela coniecerunt, vt auctor est

Gen. 3.

D. Bern. in ser. sup. signum magnum. D. BERNARDVS; nam explicans verba illa: *Signum magnum*, inquit: *Ipsa est quondam à Deo promissa mulier, serpentis antiqui caput virtutis pede contritura; cuius plane calcaneo in multis versutiis insidiatus est, sed sine causa; sola enim contriuit vniuersam hæreticam prauitatem; alius non de substantia carnis suæ Christū edidisse dogmatizabat; alius paruulum non peperisse, sed reperisse sibilabat; alius vel post partum viro cogni-tam blasphemabat; alius Dei matrem audire non sustinens, magnum illud nomen, Theotocos, impiissime sugillabat*. Cæterum hos omnes, quos D. Bernard. commemorat, non obscure indicat D. IOAN. nihil B. Virgini nocuisse, dum ait, illam in cœlo visam esse:

Apoc. 12. *signum magnum apparuit in cœlo*. Sagittæ enim quātumcunq; potentissimo ictu sursum dirigantur, cœlum pertingere non valent; nec si pertigissent, fœminam intra cœlos inclusam lædere vlla ratione potuissent, cum oporteret prius cœlum ipsum penetrare, quod acutissi[m]e et sagittæ impossibile est; vnde opus est, vt sagittę ab his infestissimis sagittariis in Virginem inuerecunde immissæ in ipsorum capita recidentes retorqueantur: quare BERNARD. præcitato loco subdit: *Contriti sunt insidiatores, conculcati supplantatores, confutati derogatores, & beatam eam dicunt omnes generationes*. Hūc enim infœlicem exitum B. Virginis impugnatores habituros, egregie præfigurauit Thronus Salomonis beatam Virginem Thronum veri Salomonis adumbrans, quē (vt sacra REG. narrat historia) duodecim leones, se-

3. Reg. 1[0]. ni ex vtraque parte per sex gradus ambiebant, vt inter leones sibi incedendum persuaderent, quicunque ad hunc Christi thronum labefactandum accedere satagerent, à quibus mox corripiendi, ac dilaniandi essent.

XXIV. SED iam explicemus, quam egregie signū illud IOANNIS apparuisse in cœlo B. Virgini in die,

Ioan. 1. quo in ea *Verbum caro factum est*, conueniat: sicut enim Virgo ab Astrologis inter duodecim Zodiaci signa connumeratur; ita dilectus Ioannes, quasi ad id alludens, vocat beatam Virginem *signum magnum* cœleste, præ cæteris omnibus admirabile: & merito quidem, quia sicut sol, dum intrat signum leonis, ardentissimus est, & animalibus officit; excessus tamen ardoris illius per ingressum in signum Virginis temperatur; ita Deus ante Incarnationis mysteriū in Virginis thalamo peractū quasi signum leonis lustrans, instar rugientis leonis terribilis erat, & Deus vltionum nominabatur: *Ego ero eis sicut*

Ose. 13. *leæna*: at cum primum ingressus fuit in signū Virginis, ex Virgine carnē assumens, iræ ardorem mitigauit, & iam non leo, sed agnus appellatur: *Ecce A-*

Ioan. 1. *gnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: iam non *Deus vltionum*, sed *Deus misericordiarum, & totius consolationis* à PAVLO vocitatur.

2. Cor. 1.

XXV. ILLVD tamen silentio prætereundum non est (quod ad prædicta confirmanda nō parum proderit) signum cœleste, quod virgo nominatur, inter Leonem & Libram constitui; id enim ob oculos nobis ponit beatissimam Virginem inter Leonē, & librā collocatam illius irā mitigare, & iustitiæ istius rigorem temperare; quid enim supplicii non inferret leo libræ coniunctus, hoc est, Deus iratus, & iustitiam exercens, per libram significatā? & quidem, quod beata Virgo Deum iratum mitigauerit, ex Rhinocerotis pulchra similitudine, qua vsus est MOYSES in benedictione Ioseph Christum præfi-

Deut. 33. gurantis: *Quasi primogenitii* (inquit) *tauri pulchritu-do*

do eius cornua Rhinocerotis, cornua illius in ipsis ventilabit gentes vsque ad terminos terræ, facile de prehenditur. Narrat D. GREGORIVS, Rhinocerotem tanta
D. Greg. li. 33. moral. c.13. fortitudine præditum esse, vt nulla vi capi possit; sed miro hoc artificio opus est, nimirum vt Virgo ei puella ante oculos proponatur, quæ venienti gremium parat, in quo dille, omni deposita ferocitate, velut agnus mansuetus caput reclinat. certe Deus ante incarnationem velut Rhinoceros erat, qui cum Elephante bellum gerens, cornu ventrem eius disrupit; tunc enim insuperabilis erat, & de omnibus vindictam sumebat; ad aspectum tamen beatæ Virginis, eius amore captus, ita mansueuit, vt in gremio thalami virginalis caput reclinans talis postea inde prodierit, vt ab omnibus capi, vinci, immo & vinciri passus fuerit: illud etiam præterire non licet obseruatione dignum, in eo etiam hoc signum Virginis admirabile fuisse, quod licet solaris planeta in signum Virginis intrans, inde exeat (non enim in eo semper moratur) postquam tamen sol iustitiæ semel per incarnationis misericordiam in Virginem fuit ingressus, nunquam amplius inde exierit; quia licet secundum carnem per virginalem partum egressus fuerit, secundum spiritum vero à Virgine nunquam recessit; vnde Virgo leonis iram, hoc est, diuini furoris in homines excandescentis rigorem semper mitigat; immo vsque adeo Deum iram deponere fecit, vt manus sibi omnino teneri, vinciri, imo & in cruce fixas esse voluerit, ne ad euaginandum iustitiæ ensem eas mouere vlla ratione posset. Atq; hinc est, quod olim plena vtraque manu punire solebat; decem enim plagis percussit Ægyptum, quasi vtraque manu in decem digitos extensa in Ægyptum animaduertens: cæterum post incarnationem manus non extendit ad vindictam, sed expansas legimus in cruce pro reconciliandis inimicis Patrem exorans:
Luc. 23. *Pater, ignosce illis.*

XXVI. VERVM ne in propositis verbis Ioannis quidquam explicandum desideretur, duo potissimum nobis exponere incumbit, primum est quod Ioannes beatam Virginem, lunam pedibus calcantem, & caput eius corona duodecim stellarũ redimitum viderit. Lunam enim inconstantiæ & mutabilitatis symbolum fuisse non pauca ostendunt;
Ecclef. 27. nunc pulchra, nũc quasi macula fœdata, nũc clara, nunc obscura redditur; vnde ECCLESIASTICVS dixit: *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol: nam stultus sicut luna mutatur*; alludit ad discrimen, quod inter motum lunæ & solis versatur, nam huius regularis valde est, iter suũ semper faciẽs per lineã eclypticam, illius vero irregularis, & difformis. luna insuper secũdum situs positionem instabilis est; modo enim eleuatur, modo se demittit; in figura etiam vniformitatem non seruat, hodie rotunda, cras cornuta, nunc plena, nunc semiplena comparet, vt
Ouid. 15. Metamor. OVIDIVS in Metamorph. dixerat:

Nec par, aut eadem nocturnæ forma Dianæ
Esse potest vsquam, semperque hodierna sequente,
Si crescit, minor: maior, si contrahit orbem.

Atque hinc est, vt ab ea per hanc instabilitatem, & diuersarum rerum vicissitudinem mundus significetur, quem adeo mutabilem iudicarunt Diuus PAVLVS, & Diuus IOANNES, vt ille dixerit: *Præterit figura huius mundi*: hic vero: *Mundus transit, & concupiscentia eius.* quare MANTVANVS Poeta hanc rerum mutabilitatẽ, quam frequenter in hoc seculo intuemur, contemplans, dixit, nobiscum fortunam ludere, & iocari: 1. Cor. 7. 1. Ioan. 2.

Ludus fortunæ variatur imagine lunæ,
Crescit, decrescit, in eodem sistere nescit.

Deiparam ergo Virginem lunam pedibus conculcare, nihil aliud est, quam ipsammet terrena despicere, ita vt melius quam Diuus PAVLVS dicere possit: *Omnia arbitrata sum vt stercora, vt Christum lucrifaciam*, & veracius quam DAVID: *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?* Habet etiã Deipara Virgo lunam mutabilem sub pedibus suis, ad significandam eius in fide immobilitatem; deficientibus enim in ea multis ex Discipulis, aliis vacillantibus, ipsa tanquam immobilis Ecclesiæ colũna in fide firmissima semper perstitit. Philip. 3. Psal. 72.

XXVII. TANDEM iã exponamus, quid sit B. Virginem coronam ex duodecim syderibus contextã capite gestare. Trifariam hanc coronam explicare possumus. Primo, vt quemadmodum D. PAVLVS discipulos suos coronam, & diadema suum vocabat: *Gaudium meum estis vos, & corona mea.* Secundo 1. Thess. 2.
putauerim per hanc coronam non incongrue significari eos, qui speciali deuotione, & cultu B. Virgini addicti sunt. Pro cuius intelligentia obseruare oportet, quod cũ Dominus prædixit Abrahæ, multiplicaturũ sibi filios sicut stellas cœli, & sicut arenã maris, id proculdubio indicare voluit, quod ex ingenti illa filiorum multitudine quidam, præ graui peccatorum pondere, velut arena deorsum descensuri; alii vero, velut fulgentissimæ stellæ gratiæ fulgoribus coruscantes sursum erant ascensuri: ex his ergo, velut ex splendidissimis syderibus cõtextam vidit Ioannes coronam, qua cingebatur caput B. Virginis; nam si, vt ait SALOMON: *Filius sapiens est gloria Patris*: quidni filii sancti gloria & corona erunt matris? Tertio (quod & in magnam Virginis laudem cedit) apte satis existimo has duodecim stellas, quibus virgineũ diadema texitur, esse duodecim virtutes per duodecim signa Zodiaci egregie adumbratas, quæ in cœlo hoc animato B. Virginis emicuerunt. Prima fuit *Magnanimitas*, quia nunquam in diuersa mutata, siue in prosperis, siue in aduersis, nõ minus in his, quam in illis semper Deo adhærens, iuxta illud; *Non contristabit iustum, quidquid ei acciderit.* hæc per signum Arietis figuratur, quem nouimus vniformiter dormire super latus dexterum & sinistrum; sex mensibus supra hoc, & sex supra illud, vnde Astrologi ansam sumpsere primum illud signum, Arietem vocare: quia cum sol domum eius ingreditur, æqualis est nox diei. Secunda virtus est *Perseuerantia*; quæ inuincibilem, Gen. 22. Prou. 15. Prou. 12.

 ac

ac insuperabilem illam reddebat; hanc adumbrat
signum Tauri, cuius maxima fortitudo omnibus
nota est Tertia ardentissima *Charitas*, quæ non so-
lum ad Deum, sed ad proximos extenditur; quia (vt
Greg. hom. lib 17. inquit GREGORIVS) *minus quam inter duos haberi*
charitas non potest. hanc clare delineat signum *Ge-*
mini dualitatem importans. Quarta *Obediētia*, quę
abnegatione voluntatis eam retro incedere com-
pulit, per Cancrum animal optime figurata, quod
retrorsum incedit, contra reliquorum animalium
consuetudinem, quæ ante faciem suam ambulant.
Quinta assidua *Vigilantia* contra Dæmonem, cal-
caneo eius insidiantem, quam signum Leonis ad a-
Plutar. 4. simpl. mussim refert, cui⁹ (vt obseruauit PLVTARCH.) ocu-
lorum palpebræ sunt adeo breues, & curtæ, vt
pupillam operire non possint, vnde cogitur apertis
oculis obdormire; cuius causa Antiqui tanquam
symbolum vigilantiæ illum vsurparunt. Sexta illi-
bata *Virginitas*, quæ in perpetua, & plus quam
Angelica puritate eam continuit, omnem ardoris
libidinem perfecte adeo supprimens, vt neque vl-
lum eius motum excitari permitteret: hæc quis nō
videat per signum Virginis, quod est vnum ex si-
gnis Zodiaci, congrue significari? Septima *Iustitia*,
cuius proprium est vnicuique, quod suum est, tri-
buere, per signum Libræ optime significatur, quia
statera mensura est, ad mensurandum vnicuique,
quod sibi iure debetur. Octaua *Paupertas* spiritus,
Matth. 5. de qua Christus Domin⁹: *Beati pauperes spiritu*, per
quam ardens mundi amor tepescit, & terrenis cu-
piditatibus morimur. hæc significatur per signū
Scorpionis, cuius hęc est natura, vt veneno suo cor
eius, quem mordet, infrigidet, & mortem inducat;
vnde cum sol incipit hoc signū ingredi, incipit ēt
frigus in nostro hemisphærio vigere. Nona *Oratio*
humilis, quæ ex pharetra cordis diuino amore ac-
censi ardentes sagittas ad diuinum cor emittebat,
ad amussim sane adumbrata per signum Sagittarii.
Decima altissima *Contemplatio* rerum cœlestium,
quæ vsque ad conspectum Dei, & limpidiorem co-
Exod. 34. gnitionem, quam fuerit, MOYSIS, & PAVLI in ra-
2. Cor. 12. ptu, illam euexit; hęc satis superque significatur per
signum capricorni; nam huiusmodi animal visu
perspicacissimum est; indeq; *Capra*, Græce dicitur à
videndo, quia potentia visiua in ea maxime viget.
1. Tim. 4. Vndecima *Pietas*, de qua Diuus PAVLVS; *Corpora-*
lis exercitatio ad modicum vtilis est, pietas autem ad
omnia vtilis est: hęc quidem cum animam ad multi-
plices bonorum operum fœtus in lucem edendos
fœcundet, concinne satis prænotatur in signo
Aquarii, cum aqueum elemētum terram fœcūdet,
& arbores varios fructus producere faciat Duode-
cima tandem stella *Deuotio* fuit cum dulcissima la-
chrymarum effusione, in qua ipsa nutritur, & cre-
scit, quæ per signum Piscis egregie figuratur, cum
Apoc. 12. piscis nonnisi in aqua degere possit. His ergo om-
nibus virtutibus, tanquam fulgentissimis syderib⁹
contexta fuit beatissimæ Virginis corona: Cui sit
honor, & gloria in secula seculorum, Amen.

HOMILIA XVII.

Ostendimus aduersus impium hæresiarcham Ne-
storium, Virginem non solum Matrem Christi,
sed pleno ore, Dei Genitricem esse appellandam,
in illa verba: Quod nascetur ex te sanctum,
vocabitur filius Dei: *pariterque deteguntur*
calumniæ eiusdem Nestorii, quibus Ca-
tholicam hanc veritatem labefactare tenta-
uit.

I. ANTIQVVS ille serpens aduersus
veram Christi carnem tot vene-
natos hæresum halitus per totam
Europam effudit, vt si omnes re-
censendi mihi essent, non pos-
set absque ingenti graueolentia,
superuacaneoque labore, nec non piorum audito-
rum offensione præstari; quare consulto silentio
præteriens detestandos errores, quos aduersus ve-
ram Christi humanitatem, veramque Mariæ erga
illum maternitatem impie, ac petulanter confin-
xere Manichæi, Proclineanitæ, Cerdoniani, Ana- *Canis. refert istorū*
baptistæ, Valentiniani, Ebionitæ, Eutychiani, *errores l. 3.*
nec non Marcion, Marcis, Apollinaris, & A- *de Deipara*
pelles: Catholica duo dogmata istorum omnium *c. 4.*
nefarios errores iugulantia, inconcussa fide am-
plectenda, in medium producam sacrisque elo-
quiis, ac sanctorum Patrum monimentis compro-
babo.

II. PRIMVM est, B. Virginem proprie ac vere Ma-
trem fuisse Christi Domini, vtpote quod ex pro-
pria substantia illum hominē genuerit. hoc palam *Psal. 70.*
confessi sunt antiqui Vates: nam DAVID dixit: *De* *Isa. 9.*
ventre matris meæ, Deus meus es tu: & ISAIAS inquit: *Idem. c. 11*
Ecce Virgo concipiet, & pariet filium: & infra. *Egredie-*
tur virga de radice Iesse, & flos (vel vt alii legunt) *ger-* *Tertull. de*
men de radice eius ascendet: vt enim TERTVLL. *vera Chri-*
explicat, per virgā de radice Iesse Mariam ex Daui- *sti carne.*
de, qui filius fuit Iesse, per florem vero, seu germen
Christum eius vnigenitū intelligit: quare sicut ger-
men de natura eiusdem virgulti prorumpit, similē-
q; naturæ formam ab eo accipit, ita Maria, tanquā
vera Christi mater, veluti virga florem germinans,
è suæ carnis substantia hominem filium sibi similē
procreauit. Sacri deinde Euangelistæ idipsum con- *Luc. 1.*
testantur aperte: nam apud LVCAM Elisabetha di-
uino spiritu afflata dixit: *Vnde hoc mihi, vt veniat*
mater Domini mei ad me? & infra habetur: *Simeon* *Luc. 2.*
dixit ad Mariam matrē eius. & Angelus idem apud *Matt. 1. 2*
MATTHÆVM ait: *Accipe puerum, & matrem eius*: & a- *Ioan 2.*
libi: *quod in ea natū est, de Spiritu sancto est*. Ioan. etiā *Ioan. 19.*
inquit: *& erat mater Iesu ibi*. & alibi: *Stabat autē iux-* *Gal. 4.*
ta crucē Iesu mater eius, & soror matris eius. D. PAVL.

ad

ad Gal. *Misit Deus filiũ suũ, factũ ex muliere, factũ sub lege.* Imo id ipsum nõ obscure mihi probare videntur verba illa Sapien is: *Sum quidem & ego mortalis homo, similis omnibus ex genere terreni illius, qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro.* ac tandem in sacra Scriptura nihil frequentius quam Christum Dominum filium hominis, filium Dauid, filium Abrahæ nominari; quod non ob aliam rationem verificatur, nisi quia per veram generationem ex Virgine matre ab illis originem duxit.

Sap. 7.

III NEQVE vero quidquam eoeruat vim horum testimoniorũm, quod etiam Ioseph f equenter in Euangelica historia pater Christi appel etur, cum tamen non genuerit illum: LVCAS enim ait: *Erant mirantes pater & mater eius super his, quæ dicebantur.* & iter. m inquit, *Cum inducerent puerum Iesum parentes eius.* ac tandem ibidem: *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te:* hoc, inquam, non infirmat Catholicam hanc veritatem, quin potius fortius eam stabilit: nam ad disc imen hoc explicandum inter Iosephum & Mariam expresse dixit sanctus LVCAS: *putabatur filius Ioseph:* quod tamen de Virgine nullus protulit Euangelistarum; deinde quia de Iosepho nunquam dicitur, genuisse Christum, secus vero de Maria, cum Angelus ei diceret: *Ecce cõcipies, & paries filium:* & D MATTH. asserat Ioseph *virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus:* non dixit, *de quibus* sed *de qua*, vt sic ad generationem Christi Mariam admitteret, Iosephũ excluderet.

Luc. 1.
Ibid.
Ibid.
Luc. 3.
Luc. 1.

IV. PATRES etiam eandẽ veritatem vnanimi cõsensu frequentissime docent, quorum nonnulla contentus ero proferre testimonia, cũ omnia impossibile sit referre. EPIPHANIVS ergo ait: *O Virgo sanctissima, quæ exercitus Angelorũ in stuporem deduxisti Stupendum enim est miraculum in cœlis, mulier amicta sole; stupendum miraculum in cœlis, mulier gestans lucem in vlnis; stupendum miraculum in cœlis, alter thronus Cherubicus; stupendum miraculum in cœlis, mulieris filius, qui & ipsius, & seculorum est pater; stupendum miraculum in cœlis thalamus Virginis habens filium Dei, Deum sponsum Christum.* B. vero ANDREAS IEROSOLYM. in hunc modum loquitur: *Est Virgo mater sancta tellus, ex qua nouus Adã ineffabili fictione formatus nascitur: est sacrũ Dei firmamentum, quo tota generis humani massa conspersa, & ex quo Christi corpus tanquam panis conficitur: est noua gloriæ arca, & vrna aurea, quæ dulce manna cõtinet, atq; præstat; est mirificum aurum, ex quo cœlestis agricola suã sine semine spicã educit: est eximiũ tẽplũ, ex quo Deus sacerdos secũ lũ ordinẽ Melchisedech egreditur: atq; vt semel absoluã, est ardẽs, ipsiq; Moysi ad mirabilis rubus, quẽ diuini partus flamma nõ adussit.* Græcus auctor HESYCH. presbyter Ierosolymitan. hæc idẽ in argumẽtum elegãter scripsit: *Peperit,* inquit, *& vterũ nõ aperuit; cõcepit, & vuluã nõ corrupit; eduxit infantẽ, & vterũ signatũ reliquit, hæc suppeditauit vbera, tamẽ intacta cõseruauit; portabat puerum,*

Epiphã. in ser. Latin. verso à Io. Pio Laconico Paris.
And. Ierosl. in explicat Angel sal.
Hesychius presb. Ierosl. ser 2. de S. Deipara.

pueri tamen patrem non agnoscebat; mater effecta est quæ minime sponsa fuit; nutriebatur filius, & nõ inueniebatur pater. deinde has venustas similitudines adducit; *Ager fructũ edebat, & fructus carebat cultore; messes reddebat, quæ semen non acceperat; currebat fluuius, & fons quacũq; ex parte clausus erat, vt perspicuũ fieret, te matrẽ esse factã, & tamẽ nõ esse passam ea, quæ mulieribus accidũt.* D. AMBROS. similiter: *Beatus Mariæ vterus, qui tantũ Dominũ coronauit, quando formauit, coronauit eũ, quia hoc ipso, quod ad omniũ salutẽ eũ cõcepit & peperit, coronã capiti eius æternæ pietatis imposuit, vt per fidẽ credentiũ fieret omnis viri caput Christus.* & l. 10. ep 8 . ait: *Testabatur de cruce Christus, & inter matrẽ & discipulũ diuidebat pietatis officia.* In eũdẽ sensũ CASSIODOR. explicans illa verba: *Videte Salomonem in diademate, quo coronauit eũ mater sua;* hoc scripsit: *Cõsiderate Christũ p nobis carne indutũ, quam carnẽ de carne Virginis matris assumpsit, in qua mortis destruxit imperium; mater vero sua eum coronasse dicitur, quia Virgo Maria illi de sua carne carnis materiam præbuit, in die desponsationis eius, hoc est in tempore incarnationis, quando sibi Ecclesiam coniunxit.* Iam vero superioribus duos inuictos Christi pugiles, eosq; veteres, Iustinũ & Hippolytũ adiungamus, qui doctrinã eãdẽ nõ scriptis modo, sed & profuso sanguine cõprobarunt. Prior in hunc modum docet: *Filium hominis seipsum Christus dicebat, vel quia natus est de Virgine oriunda à Dauide, Iacobo, Isaaco, Abrahamoq;, vel quia ipse Abrahã etiã reliquorũ deinceps pater est, ex quibus Mariæ stirps exinde deducitur Scimus enim patres filiarum, etiam liberorum patres esse, quos illæ pariunt.* Alter vero, scilicet HIPPOL *Dic mihi* (inquit) *ò beata Maria, quid erat, quod in tuo erat vtero cõceptũ, & quid erat, quod à te in virginali matrice gestabatur? sermo erat Dei primogenitus, à cœlis ad te descẽdẽs: & homo primo genitus in vtero formatus, vt primogenitus sermo Dei homini primogenito coniunctus ostenderetur.*

D Ambros li. de instit. Virg. c. 16.
Idem Ambros.
Cassiod. in l. Cant. 2.
Iustinus in dial. cum Triph.
Hippol. in ser. in Heclan & annum.

V. QVOD autem à perfidis Valẽtinianis affertur, Verbum per Mariam quasi per canalem transiuisse, neque tamen ex illa quidquam contraxisse, in hũc modum ORIGENES, vetus & ipse Theologus, cõfutauit: *Sic Verbum per Mariam penetrare turpe nõ duxit, nec ex ea aliquid sumere puduit. & in quem finem transiret, nisi inde aliquid delibaret? si hominem non accepit ex Maria, quomodo consistent verba Apostoli? quomodo mortuorum primogenitus erit? quomodo primitiæ dormientium?* tradit igitur hunc canonẽ ORIGENES: *Non oportet aurẽ inclinare his, qui dicunt per Mariã, & nõ ex Maria Christũ natũ: quod Apostolus præsciens ait: cũ autẽ venit plenitudo temporũ, misit Deus filium suũ factũ ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erãt, redimeret. Vides, quia nõ dixit, factum per mulierem, sed factum ex muliere.* Hinc D. AVG inquit: *Detestandi etiam illi sunt, qui Dominum nostrũ Iesũ Christũ matrem Mariam in terris habuisse negant: cum illa dispensatio vtrumq; sexum, & masculinum & fœmininũ honorauerit, & ad curã Dei pertinere monstrauerit, non solũ quẽ suscepit, sed etiã illũ, per*

Orig. dial. de Christo hom.
1. Cor. 16.
Gal. 4.
D Aug. li. de fide & symb.

quem

Euſeb. Emiſſ. ho. 1. de Nat. Dom.

quem ſuſcepit, virum gignendo, naſcendo de fœmina. Hinc recte EVSEBIVS EMISSENVS & eleganter dixit; *Vbi ſunt hæretici, qui recenti errore decepti, & nouo antiqui ſerpentis dente percuſſi, dicere auſi ſunt, carnem Domini Saluatoris nihil habuiſſe de Maria? hoc dicunt illi Orientales hæretici, nihil illum participaſſe de Matre; hic peſtifer ſenſus Orientales Eccleſias occupauit, nihil Chriſtum de noſtra conſanguinitate traxiſſe, ſed per Virginis tranſiſſe vterum, quaſi per corpus alienum: & quid egit illis nouem menſibus intra illud materni corporis genitale ſecretum? illic vtique de eius medullis ratione operante collectus, illic natura ſtupente compoſitus, illic per legitima naſcendi ſpatia de carne carnis incrementa mutuatus eſt. Quod ſi nihil attracturus erat de propria parentis materia, quid opus erat longa hoſpitij mortalis iniuria?* Tandem, ne in recenſendis Patrũ teſtimoniis multus ſim, capita duntaxat reliquorũ breuiter indicabo: docuerunt enim eandem veritatem NAZIANZ. orat. 51. GREGOR. NISSEN orat. de Natiuit. Domini. D. ILDEPHONSVS de Virgin. Mariæ, ORIGENES homil. 1. ex collectis in vnum B. PETR. DAMIAN. ſerm. de Natiu. B. Virg. RICCARD. VICTORIN lib. 2. de Emmanuele cap. 25. ac reliqui omnes Catholici ſacrorum voluminum Interpretes.

Car. Caie. ibi. & 2. 2. q. 154. a. 4. Capreol. 3. 12. d. 4. Palud. ibi. q. 2. in fin. Marſil. q. 5. art. 2. Riccar. ibi. d. 5. art. 2. q. 2. D. Bona. in 3. d. 4. art. 2. q. 1. Scot. & Gabriel. ibi. q. vnica & Maior. q. 3. D. Damaſ. 3 de fid. orthodox. Eutych. Papa ep. 1. decret. D. Dionyſ. ep. ad Caium. D. Boau. in 3. d. 4. ar. 2.

VI. LICET tamen ad hoc, vt B. Virgo eſſet vera mater Chriſti, opus non eſſet, vt actiue concurreret ad eius generationem, ſed ſolum ſubminiſtraret materiam neceſſariam ad fœtus formationem, vt docet Angelicus Doctor 3. p. q. 32. art. 4. quem ſecuti ſunt grauiſſimi Theologi: Seraphicus tamen D. BONAVENTVRA, & alii graues Auctores tradunt, B. Virginem effectiue cooperatam fuiſſe cum Spiritu ſancto ad Chriſti Domini generationem; quam ſententiam probabilem etiam arbitror, non in eo ſenſu, quo quidam moderni Doctores illam accipiunt, nimirum vt B. Virgo per virtutem actiuam ſeminis actiue produxerit Chriſtum, cum minime ille per ſeminalem rationem, ſed ex puriſſimo Virginis ſanguine fuerit genitus, vt Patres communi conſenſu tradunt; ſed quatenus ſpiritus ſanctus virtutem actiuam ei contulit ad concipiendum, & generandum Chriſtum Dominum, vt expreſſe docuit D. DAMASCEN. exhibuit ergo B. Virgo cõcurſum paſſiuum, & actiuum ad Chriſti Domini conceptionem; vnde licet ratione illius ſupernaturalis actiuitatis, & quia modus concipiendi abſolute fuit ſupernaturalis, vtpote ſine opera viri, & Spiritu ſancto cooperante, & quia momento temporis ſupra totum ordinem naturæ formatio illius corporis facta fuit, vt docuit EVTYCHIANVS PAPA & D. DIONYSIVS, B. Virgo dici poſſit mater ſupernaturalis, & miraculoſa, vt loquitur D. Bonauent. abſolute tamen loquendo, etiam fuit mater naturalis Chriſti, quia naturale fuit, quod ipſa præſtitit ei, communis ſcilicet illa materia ſanguinis, & cõcurſus neceſſarius, quem aliæ matres ſubminiſtrare, & exhibere ſolent ad prolis formationem, quod luculenter ſatis docuiſſe mihi videtur Angelus, dum in vtero concepturam Virginem prædixit: *Concipies in vtero:* ecce conceptionem naturalem, & cum deinde Spiritu ſancto cooperante id faciendum eſſe aperuit: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te;* aperte ſatis conceptionem ſupernaturalem indicauit; vnde D. AMBROS. dixit: *Multa ſecundum naturam veniens ſupra naturam fecit, ſecundum conditionem enim, naturæ in vtero formatum eſt corpus, ſed ſupra naturam Virgo concepit, vt crederes, quia Deus erat, qui innouabat naturam, & homo erat, qui ſecundum naturam naſcebatur ex homine:* atque ex his colligit S. BONAVENT. quod beata Virgo perfectiori modo fuit mater Chriſti, quam aliæ fœminæ ſint matres ſuorum filiorum; tum quia perfectius, quam illæ omnes, concepit, peperit, lactauit, educauit filium ſuum, Spiritu ſancto ad hæc omnia illam obumbrante; tũ quia ſubminiſtrauit filio plus materiæ, quam aliæ matres; exhibuit namque ipſa ſola totam materiã, quam pater & mater filiis cõmunicare ſolent: vnde B. ANSELM. li. de excell. Virg. c. 3. ait: *Amorem, quem pater & mater filiis debent, filio ſuo debet hæc feliciſſima mater; amorem etiam, quem debet quilibet filius ſimul ſuo patri, & matri, ille filius vere Virginis debet ſoli matri.*

Luc. 1.

D. Amb. l. de Incar. Chriſt.

D. Bona. 3. d. 3. p. 2. q. 1. Gabriel ib. Marſ. 3. q. 5. a. 2. concluſ. 2. Riccard. 3. d. 4. art. 2. q. 2.

VII. HÆC omnia cum veriſſima ſint, oportet rationem reddamus, quare Chriſtus Dominus nunquam legatur Virginem Matrem ſuam appellaſſe; IOANNIS enim 2. mulierem illam appellauit: *quid mihi & tibi eſt mulier?* & ca. 19. *Mulier ecce filius tuus:* imo quod magis difficultatem auget, matrem illam negare viſus eſt, dum quibuſdam illi nuntiantibus, quod mater eius adeſſet, foris expectans eum, ipſe confeſtim reſpondit: *Quæ eſt mater mea?* D. AVGVST. reſpondet in illo loco IOAN. 2. non vocaſſe Chriſtũ illam Matrem, vt indicaret illud miraculoſum opus, quod B. Virgo ab eo poſtulabat, eſſe diuinę virtutis, & non humanitatis proprium, quam ſolam à matre ſuſceperat in loco vero IOAN. 19. NICOLAVS LYRANVS tradit, illum appellationem *matris* vitaſſe, ne Virginem lachrymantem amplius, & amplius commoueret. Vel dicamus, quod cum ipſe ſolitus eſſet facere, quæ docebat, iuxta illud; *cœpit facere, & docere,* certe cum nos docuiſſet: *Nolite vocare vobis patrem ſuper terram,* ideo ab appellatione *matris* propter exemplum noſtrum ſe abſtinebat. ad locũ tandem MATTHÆI, *quæ eſt mater mea?* CHRYSOST. in MATT. AVGVST. li. de ſancta Virgine, & TERTVL. occurrunt, dicentes, non negaſſe ibi Chriſtum matrem ſuam, ſed illis verbis eos increpaſſe, qui ſe cõcionantem importune interpellarant: deinde docuiſſe, propter conſanguineos non eſſe opus Dei omittendum, & rurſus quorundam iactantiã compeſcere voluiſſe, qui de Chriſti conſanguinitate gloriabantur, vt ſignificaret, eam ſine ſpirituali coniunctione cum illa nihil prodeſſe, hanc vero per ſe ſolam multum valere.

Matth. 12. D. Aug. tr. 8. in Ioan. & l. de fid. & ſym. c.

Nic. Lyr. ſuper c. 19. Ioan.

Act. 1.

Matth. 12. Chry. hom. 45. in Ma. Aug. l. de S. Virg. c. & l. de fi. de contra Manich. Tertull. l. de carne Chriſti.

VIII. ALTERVM Catholicum dogma eſt, B. Virginem confitendam eſſe Matrem non ſolum huius hominis Chriſti, ſed Matrem, & Genitricem Dei,

vt

vt contra impium Nestoriũ definitũ fuit in Concilio Ephesino, & Calcedonensi, & VI. Synodo, act.4. & 11. & in VII. Synodo, act. etiam 4. & 7. & in Concilio Lateranensi, sub Martino I. canon. 3. Dicebat ergo impius Nestorius (vt ex Codice illius in Concilio Ephesino refertur) *Deum ex Christipara Virgine prodiisse, ex diuina Scriptura sumus edocti; Deum vero ex ipsa genitũ numquã edocti sumus:* ac rursus: *Nusquam diuina Scriptura Deum ex Christi genitrice dicit natum, sed Iesum Christum Dominum.* refert aũt D. Cyrillus in epist. ad Achazium, hunc ignem Nestorianæ hæreseos accendisse magis Dorotheum Episcopum, qui ausus fuit palam effutire; *Si quis dicit, genitricem Dei Mariã, anathema sit.* Verum matris honos ab his nefariis hostibus violatus à fido, ac dilecto filio suo acriter tandem vindicatus fuit, prouidente diuino numine, vt ducenti Episcopi, qui ad Ephesinũ Concilium conuenerant, vnanimi consensu, Spiritu sancto afflante, proclamarent, *Mariam Dei Genitricem* pleno ore vocitandam. & quidẽ licet ipse Nestorius videns se propter hunc errorem non solum à synodali conuentu reiectum, ab omni dignitate Episcopali priuatum, sed etiam à Cæsare proscriptum, quartoque exilio mulctatum. inflictæ pœnæ acerbitate illum acriter discrutiante, fucatæ resipiscentiæ speciem præ se tulit, ac veluti priorem mutasset sententiam, hoc modo fateri cœpit; *Dicatur etiam Dei genitrix Maria, & contentiones tristes facessant.*

IX. Ac licet verbis palinodiam recantare videretur, re tamen ipsa errorem suum tenacissime retinebat, non aliter Dei genitricem Mariam concedens, quam ad eum modum, quo dicimus, fœminã aliquam matrem esse Episcopi, non quia Episcopum concepit, sed quia genuit eum, qui postea factus est Episcopus. concedebat enim Nestorius, Virginem fuisse matrem puri hominis, qui postquã conceptus fuit in vtero eius, postea factus est Deus. Sed absit longe à Catholicis animis detestabilis hic error; in quocumque namque momento Virgo fuit Mater hominis, fuit Mater & Dei; quia cum generatio consistat formaliter in vnitione animæ cum corpore, quæ sunt partes essentiales hominis, & istæ in instanti conceptionis essent prius ordine rationis vnitæ Verbo diuino, vt expresse docuit D. Thomas dicens: *Assumptio partium est prior via operationis intellectu, non tempore: nusquam Virgo genuit hominem, quin simul hominem Deum verum gigneret.* (D.Tho.3.p. q.6.art.5. ad1.) quam doctrinam Angelici Doctoris mihi apprime omnino necessariam esse ad saluandam hanc Catholicam veritatem, quod Virgo sit mater Dei, constanter teneo; quia si prius natura vel intellectu, quam Verbum diuinum esset vnitum carni, & animæ, B. Virgo concepisset, tota actio Virginis præintelligeretur terminata ad humanitatem prius ordine rationis, quam esset assumpta; non ergo posset dici vera mater Dei, quia ad hoc idẽ valeret ordo rationis, vel naturæ, quod temporis: est autem manifestum, quod si Deus post totam illam actionem Virginis distulisset etiam per minimum tempus vnionem Verbi cum humanitate, reuera Virgo non posset dici mater Dei: igitur etiam si prius natura conciperet hunc hominem, licet alioquin in posteriori natura fiat Deus, non diceretur genuisse Deum: oportet igitur ad veritatem hanc tuendam fateri cum D. Thoma præcitato loco, ordine executionis prius ratione carnem, & animam fuisse vnitas Verbo, quam B. Virgo conciperet prolem, sic enim vere filius Dei fuit conceptus, & genitus ab illa, quia sicut agere, ita concipi, & generari proprium est suppositi; vnde insignis ille Vincentius Lyranensis, (Lyra.l. cõt. hæret. c.21.) vt Nestorii doctrinam retunderet, erudite dixit: *Virgo verissime est Theotocos, id est, Dei Genitrix, sed non eo modo, quo impia quædam hæresis suspicatur, quæ asserit eam Dei matrem sola appellatione dicendã, quæ eum scilicet pepererit hominẽ, qui postea factus est Deus: sicut dicimus: Presbyteri, aut Episcopi matrem, non iam Presbyterũ, aut Episcopum pariendo, sed generando hominem, qui postea Presbyter, vel Episcopus factus est; non ita, inquã, sancta Maria Theotocos, id est, Deipara, sed ideo potius, quoniã iam in eius sacrato vtero sacrosanctum illud mysterium perpetratũ est, quod propter singularem quandam atque vnicam personæ vnitatẽ, sicut Verbum in carne caro, ita homo in Deo Deus est.* confirmant hanc doctrinam SS. Patres; nam Damascenus in hunc modum loquitur: (D.Damas. l.3.c.2.) *Carnem anima rationali, atque intellectuali animatã condidit, & eius hypostasis factum est, scilicet, verbum diuinum, ac proinde simul vt caro extitit, simul quoque Dei verbi caro extitit, simul caro animata rationis atque intelligentiæ particeps.* Similia eleganter docuit D. Fulgent. (D.Fulg.l. de Incar. c. 1. in fine.) cuius egregia verba sunt hæc: *Nec caro sine Verbi Dei vnitione potuit aliquatenus nullius viri coitu seminata in intimo vuluæ virginalis innasci, non est igitur aliquod interuallum temporis æstimandum inter concepta carnis initium, & concipiendæ maiestatis aduentum.*

X. Doctrinam autẽ hanc præcitati Patres hauserunt tum ex variis locis sacræ Scripturę, vt ex illo Lucæ: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei;* (Luc. 1.) & ex illo ad Rom. *Factus est ex semine Dauid secundum carnem:* (Ad Rom. 4) & ad Galat. *Factum ex muliere:* (Ad Gal. 4.) & ex verbis Elisabeth ad cap. 1. Lucæ: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me;* illa enim vox, *Domini,* diuinam indicat personam, vt expresse testantur D. Damascen. li.3. de fide c.12. & D. Greg. li.9. registri epist. 61. ex Concilio Ephesino I can. 13. qui sumptus est ex epist. Cyrilli ad Nestorium, vbi hæc verba habentur: *ideo Deum natum esse in virgine, & conceptum; quia in vtero Virginis, & in ipsa cõceptione hominis Deus carni vnitus est animatæ;* & in Concilio Francofordiensi in epi. ad Episcopos Hispaniæ circa finẽ, referuntur hæc verba ex Gre. in epist. ad Quirinum: *Non prius in vtero Virginis caro concepta est, & postmodum diuinitas venit in carnẽ.* ac tandem Concilii Calcedonensis Patres, qui laudem puræ doctrinæ, & religionis maximam meruerunt, vt sensum, & spiritum Ecclesiæ nobis

cõprobarẽt, vno velut ore proclamarunt: *Christus Deus est, sancta Maria Deipara scribatur: qui non sic capit, hæreticus est: Nestorianos mitte foras.*

XI. Atque hinc est, quod passim apud Patres reperimus Mariam Dei genitricem, & Deum vere natum ex Virgine: Ignatius enim ait: *Vere genuit Maria corpus habens in se Deum habitantem, vere natus est Deus Verbum ex Virgine vestitus corpore, vere natus ex vulua, qui corpus sibi fabricauit ex sanguinibus Virginis*: & D. Avg. inquit, *Vnus Christus est, & Dei filius semper natura, & hominis filius, qui ex tempore assumpta non vt prius creatus, post assumeretur, sed vt ipsa assumptione crearetur*; & cap. 28 acute, vt assolet, ad hoc propositum accõmodat illud Psal. *De ventre matris meæ Deus meus es tu*; *de ventre quippe matris eius, in quo hominẽ sumpsit, Deus eius est.* Diuus Fulgentius hanc fidei regulam omnibus amplectendam hoc modo præscribit: *Firmissime teneas, & nullatenus dubites, vnam ex Trinitate personam, id est, Dei filium, qui de natura patris solus natus est, & vnius, eiusdẽque naturæ cũ patre est, ipsum in plenitudine tẽporis secundum susceptionem formæ seruilis voluntarie in Virgine conceptum, & de Virgine natũ, Verbũ carnem factum ipsum quoq; esse, qui essentialiter natus est de Patre, & essentialiter cõceptus est, natusq; de Virgine; ipsumq; vnum esse, & vnius naturæ cum Virgine.* hactenus D. Fulgẽtius: audiamus nũc D. Damascenvm censuram suã his verbis texentem: *Iure optimo, & pro veritate Deiparam incõtaminatam nominamus Mariam; hoc .n. nomen omne dispensationis mysterium commẽdat; Nam si Deipara est, quæ genuit, reuera Deus est, qui ex ipsa genitus est, reuera etiam & homo, quomodo enim ex muliere genitus, natusq; Deus est ante sæcula hypostasin habens, nisi homo factus est? si autem ipse, qui ex muliere natus est, Deus est, vnus est profecto, qui ex Deo Patre natus est secundũ diuinam, & sine initio substantiã, & qui nouissimis temporibus ex Virgine natus secundũ initium habentem, & temporalẽ substantiã, id est, humanã.* accedit D. Bernardvs, qui pie ac erudite dixit: *Quod nascetur ex te sanctũ, vocabitur filius Dei, quoniam nõ est de homine, sed de Spiritu sancto, quod concipies; cõcipies aũt altissimi virtutẽ, hoc est, filium Dei, ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei, id est, nõ solũ quod de sinu Patris in vterum tuum veniens obũbrabit tibi, sed etiam id, quod de tua substantia sociabit, ex hoc iam vocabitur filius Dei, quemadmodum & is, qui à Patre est ante sæcula genitus, tuus quoq; amodo reputabitur filius; sic autem quod natum est ex ipso Patre, erit tuus, & quod nascetur ex te, erit eius, vt tamẽ non sint duo filij, sed vnus; & licet aliud quidẽ ex te, aliud ex illo sit, iã non tamen cuiusq; suus, sed vtriusq; erit filius.* ac tandem D. Epiphanivs, qui Nestorij præcessit ætatem, his verbis cohonestat Mariã: *Sãcta Maria, Virgo Deipara, beata tu inter Mulieres, quæ nunc genuisti eum, qui olim in Paradiso formauit Adã ex luto; tu enim es Deipara quæ Verbum ex te incarnatum peperisti: Deipara existis, quia Deum verbum suscipiens incarnatum peperisti: Deipara existis, quæ sola solius Dei vnigenitum filium genuisti.*

Ignat. epist. ad Trallian.
D. Aug. lib. cont. serm. Arian. c. 8.
Ps. 21.
D. Fulg. li. de fid. ad Petr. Diac. c. 13.
D. Damas. li. 3. fid. orthod. c. 12.
D. Bern. hom. 4. sup. miss.
D. Epiph. in hõ. 2. de lau. Virg. quẽ vertit Picus Canon. Paris.

XII. Idem docuerunt ante Nestorium Athanasivs, Basilivs, Gregorivs Nazianzenvs, Ioannes Chrys. Orig. Evseb. quorũ meminere Cyril. Theodoretvs, & Rvsticvs Diaconvs, qui omnes fatentur B. Virginem genuisse Deum, ac proinde veram Dei matrem esse, ex quo aperte constat, Ephesinam Synodum nomen *Theotocos*, id est, *mater Dei*, non primã excogitasse, sed ab antiquis Patribus velut per manus traditum, & acceptum nouo & peculiari studio (vt ires postulabat) extulisse, & approbasse, omnibusque in posterum fidelibus retinendũ sanxisse; vnde Diuus Cyrillvs dixit: *Hanc fidem diuini discipuli nobis tradiderunt, ad hunc modũ à sanctis Patribus instituti sumus.* Censuit autem D. Damascenvs taciter adeo retinendum non ẽ *matris Dei*, vt nollet Mariam Christiparam, sed *Deiparam* appellari, sic enim loquitur: *Christiparam sanctam Virginem neutiquam dicimus, propterea quod ad tollendum Deiparæ vocabulum execrandus Nestorius hoc nomen excogitauit.* Aduerte tamen, minime Damascenum falsam putare *Christiferæ* nuncupationem, sed solum velle, quod grassante hæresi maiori cautione opus erat, ne sub melle venenũ propinaretur, subq; viridi herba anguis, hoc est, sub vera appellatione mortifera hæresis latitaret; nunc vero Nestoriano errore penitus abolito, licebit etiam Mariam non solum *Deiparam*, sed *Christiparam* appellare cum D. Cyrillo dicente: *Sola inter cæteras matres sacra virgo Christipara simul, ac Deipara appellatur, & esse dignoscitur, quandoquidem vna hæc nõ merum hominem, vt cætera solent, sed Dei Patris verbum incarnatum, & hominem factum peperit.*

Cyril in [...] ad Ach[...]. Theod. [...] 4. hæret. [...] bul. Rus[...] Diac. co[...] Cephalo[...]
D. Cyr. ep. 1.
D. Damas. lib. 3. fid. c. 12.
D. Cyril. epist. 1.

XIII. Cæterum, vt firmius hanc Catholicam veritatem, quam in honorem Virginis adeo cedere constat, magis stabiliam, non possum non triplicẽ hæreticorum obiectionem penitus euertere. Aiunt enim in primis Nestoriani, quod impossibile sit, fœminam aliquem antiquiorem se parere: Deus adeo antiquior est Maria, vt ille ab æterno, hæc vero ex tempore sit. Equidem quod nulli creaturæ conuenit, magno Dei miraculo Mariæ competit; antiquum nempe dierũ, Verbum scilicet, quod erat apud Deum, humana carne induere, non suæ naturę vi, sed singulari, & admirando diuini spiritus opificio, ita tamen, vt secunda in deitate persona id, quod ante Mariam erat, sibi propriũ retineret; & rursus, quod non erat, id ex Maria, secundũ Gabrielis promissum, assumeret; vnde cum in instãti, quo B. Virgo corpus humanũ genuit, Verbũ diuinum ei vniretur, recte potuit concipere, & parere antiquiorem se: vnde Cassian. egregie dixit: *Non solum antiquiorem se Maria peperit, sed & ipsum sui auctorem, omniumque progenitorẽ: facta est parentis parens, quia quam facile Deo fuit, vt hominem nasci faceret, tam facile fuit, vt ipse ex homine nasceretur.*

Cass. lib. [...] de incar. Dom.

XIV. Secvndo obiiciebant Nestoriani, quod si veraciter Virgo posset dici Genitrix Dei, posset ẽt

consequenter causa Dei appellari, cum esse Genitricem sit esse causam rei genitæ. Huic obiectioni occurrimus, dicentes, quod licet Virgo absolute dicatur genitrix, aut mater Dei, non tamen causa, aut effectrix illius; qa nomen genitricis aut matris determinat naturam humanam, secundũ quã De⁹ processit ex Virgine at creari, seu causari, non magis determinat naturam, quam suppositum. quod si Hæreticus adhuc instet: licet ignis producat calorem in homine præexistenti, & ea ratione dicatur produxisse calidum vt sic, tamen non dicitur producere hominem: ergo licet B. Virgo dicatur genuisse Christum quatenus homo est, non tamen dicetur genuisse Deum, nam quo ad hoc ita se habet calor ad hominem, qui præexistebat, sicut humanitas ad Deum præexistentẽ, & sicut hic homo Christus & Deus habent communicationem idiomatũ: ita & hic homo & hoc calidum: at non alia ratione dicitur Virgo genuisse Deum, nisi quia genuit Christum, qui est Deus: ergo id non proprie & absolute dicitur: sicut licet ignis produxerit hoc calidum, & hoc calidum sit homo, non ideo dicitur produxisse hominem. Negãda est hæc consecutio, nam vnio caloris cum homine est accidentalis, vnio autem humanitatis cum Verbo est substantialis; vnde calefactio tendit ad constituendum vnũ per accidens, & ideo non denominatur à termino substantiali, materialiter se habente; generatio autem tendit ad constituendum vnum per se, & terminatur ad ipsum suppositum, quod cum sit Deus, absolute dicitur generatio Dei. Quod si vrgeas vlterius, quod passio Christi dicitur passio Dei, & locutio Christi dicitur locutio Dei, quæ reuera important formas accidentales, & nihilominus denominant terminum, aut principium nõ solum formale, sed etiam materiale: igitur nullius momẽti est differentia signata inter actiones substantiales, & accidentales, maxime quod etiam vnio animæ cum materia est substantialis, & vnio arboris alteri insertæ, & tamen qui facit tales vniones, nec dicitur facere animam, aut causam esse arboris, cui fit insertio, aut ipsius arboris insertæ: igitur quamuis B. Virgo dicatur Genitrix Christi, non tamen Dei, quod est *insitum verbum*, vt loquitur D. IACOBVS. Dicendum est ad hoc, quod ex eo, ꝙ Deus & humanitas cõstituũt vnũ per se, inde esse, vt omnes actiones, quæ à tali vno per se procedunt, vel ad illud terminantur, siue substantiales, siue accidentales sint, vtrumq; extremum denominent: nec est similis ratio de vnione animæ cum materia, quia extrema illa non sunt apta ad denominationem, quæ toti conuenit: nec etiã est simile de arborib⁹ insertis, quia tales actiones supponunt partes, quæ vniuntur, iam substantialiter, & intrinsece completas, & solum terminantur ad aliud completum, quod per earum coniunctionem resultat; generatio autem terminatur ad hoc, vt suppositum vel de nouo sit in se, vel de nouo sit cõplementũ substantiale naturæ sibi vnitæ; vnde cum generatio Christi terminata sit ad suppositum diuinum Verbi, non secundum se præcise, cum illud sit æternum; sed ad ipsum, vt actualiter suppositans naturam humanam, consequens est veracissime dici, Deum esse genitum ex Maria; & illam Dei genitricem esse; vnio vero animæ cum materia non efficit, vt anima sit materia, vel homo sit aliqua pars.

Iacob. I.

XV. TANDEM obiiciebant, vt auctor est Diuus THOMAS, iidem Nestoriani, nunquã in sacra Scriptura legi B. Virginem matrem aut genitricem Dei appellari, sed Matrem Christi, aut matrem pueri, vt habetur apud MATT. sed huic obiectioni nõ aliã censui responsionẽ adhibere, quam à D. THOMA præcitato loco traditam in hæc verba: *Licet nõ inueniatur expresse in scriptura dictum, quod B. Virgo sit Mater Dei, inuenitur tamẽ expresse in scriptura, quod Iesus Christus est verus Deus, vt patet I. Ioannis vltimo, & quod Beata Virgo est mater Iesu Christi, vt patet Matth. I. vnde sequitur ex necessitate ex verbis scripturæ, quod sit mater Dei, dicitur etiam ad Rom. 9. quod ex Iudæis est secundum carnem Christus, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula; non autem est ex Iudæis, nisi mediante B. Virgine, vnde ille, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, est vere natus ex B. Virgine, sicut ex sua Matre*: cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

D. Th. 3. p. q. 35. ar. 44. — Matth. I. — ad Rom. 9.

HOMILIA XVIII.

Quam magna ac præcellens sit dignitas Matris Dei, cum Sanctorum Patrum testimoniis, tum variis animi conceptionibus aperitur.

I. INTER stupenda illa Dei opera, quæ omnipotentiam eius sublimi⁹ efferunt, illud semper in magnã admirationem me rapuit, ꝙ Virginem ad celsissimam vnigeniti filii sui matris dignitatem euexerit: non diffiteor mirabile quidem fuisse olim, centenarium senem ex nonagenaria, ac sterili anu generare, rubum flammis ardentem non comburi, virgam in serpentem commutari, aquas in sanguinem conuerti, manum extra sinum prolatam lepra cãdescere, solẽ apud Aegyptios tenebrescere, & apud Iudæam splendere, mare videre Israelem, & fugere ab eo, Cœlum pluere panem Angelorum, rupes in fontes aquarum scaturire, testacea vasa riuos olei sudare ligno amaras aquas dulces reddi, incultam ac aridam virgam florere & germinare, aquas Iordanis diuidi, vt filii Israel sicco pede transirent, & mox in vnum coire, vt Aegyptios submergerent, solem in medio sui cursus sistere, vt bellanti Iosue longiorem redderet diem, & eundem decẽ gradibus retrocedere tẽpore Eze-

Gen. 18. — Exod. 3. — Exod. 4. — Exod. 7. — Ibidem. — Psal. 113. — Ibid. — Exod. 15. — Num 17. — Iosue. 4. — Iosue 10. — 4. Reg. 20. — Iud. 15.

4 Reg.6. *Dan.3.*

chiæ, maxillam asini velut fontem aquarum effundere, ferrum velut paleā in aqua supernatare, suauem auram in medio flammarum perflare, quæ tres pueros refrigerabat. Verum hæc omnia mirabilia lōge antecellit, quod Maria Virgo sit Mater Dei: ob id .n. adeo stupebat IEREMIAS, vt diceret: *Nouū fecit Dominus super terram: fœmina circumdabit virum.* quid quæso nouum magis, quam quod integerrima Virgo manens pepererit virum, stella protulerit solem, filia conceperit patrem, creatura creatorē; vnde erudite HESYCHIVS IEROSOL. dixit: *Concepit, & vuluā non corrupit; eduxit infantem & vterum signatum reliquit; lac suppeditauit, vbera tamē intacta seruauit; portabat puerum, puer tamen patrem humanum non agnoscebat, ager fructum edebat, & fructus carebat cultore; messem reddebat, quæ semen non acceperat.* Consonant his alia D. EPIPH. in ser. de encomiis B. Virginis: *O fœmina sanctissima, quæ exercitum etiā Angelorū in stuporem deduxisti; stupendum est miraculum in excelsis mulier amicta sole; stupendum miraculum, mulier gestans lucē in vlnis; stupēdum miraculum, alter thronus Cherubicus; stupēdum miraculum, mulieris filius, qui & ipsius, & sæculorum est Pater*: hæc ille.

Ier.31.

Hesyc. Ieros serm.2. de Deip.

II. VERVM & admiratione, ac stupore quis dignum non putet, quod dum B. Virgo mater sui patris efficitur, nuper omnia relata sacræ scripturæ mirabilia excellētiori ac mirabiliori modo in ea simul confluxerint? non certe sterilis anus, sed, quod mirabilius est, integerrima manens Virgo generauit; non virga in serpentem ibi est commutata, sed Verbum Dei caro factum, non aqua est versa in sanguinem, sed fons perennis aquæ viuæ virgineo sanguine purpuratur; non manus Moysis, sed omnipotētis Dei manus, extra sinum paternum prolata, facta est leprosa iuxta illud ISAIÆ: *Vidimus eum quasi leprosum.* Sol in altissimis lucens humanitatis nebula in terris circumdatus obscuratur; cœlū Mariæ pluit non manna, sed panem verum & supersubstātialem, corpus Christi; vas vteri virginei intactum ex se profert illum, cuius nomen *oleum effusum est*; virga Iesse absque humano cultore florem non terrenū, sed cœlestē, non marcessibilem, sed qui manet in æternum, emisit; solem iustitiæ decem lineis retrocedere fecit, humanitate Deum induens, quæ post nouem Angelorum choros decimam lineam attingit; rubum ardentem incombustum excellentius ipsa ostentat, dum virginitatis rubus maternitatis fœcundæ calore non solum non exustus, sed pulchrior prodiit; Oceanus mare diuinitatis non solum ab ea nō aufugit, sed virgineo eius alueo se inclusit; petra mariani vteri semen virile nesciēs fontē illum aquæ viuæ ex se protulit, de quo ZACHARIAS; *Erit fons patens domui Dauid*: amaras aquas diuini furoris dulcissimis illis verbis: *Ecce ancilla Domini*, dulcorauit; diuisiones aquarum virginitatis & maternitatis Dei & hominis in vnū mirifice copulauit, dum manens Virgo Dei & hominis mater est facta; ac tandē nō ferrū, humile metallū, sed aurum omnium pretiosissimum, aurum in quā diuinitatis alueo sui vteri supernatare fecit, quod omnia illa vetera prodigia atque portenta longe superat.

Isai.53.

Cant.1.

Zach.13.

III. HINC Sancti Patres sublimissimam hanc Dei genitricis dignitatem admirantes, mira eius encomia nobis scripta reliquerunt, quæ inutili silentio minime prætermittenda putamus, quin potius quæ nos ad eam magis illustrandam (Deipara adiuuante) excogitauimus, mox adiungemus. In primis D. BERNARD in hunc modum loquitur; *An nō Deum & hominum, & Angelorum Maria suum audacter appellat filium dicens: fili quid fecisti nobis sic? quis hoc audeat Angelorum? sufficit eis, & pro magno habēt, quod cum sint spiritus, & cōditione, & gratia facti sint, & vocati Angeli, testāte Dauid; qui facit Angelos suos spiritus, Maria vero Matrem se agnoscens, maiestatem illam, cui illi cum reuerentia consentiunt, cum fiducia suum nūcupat filiū*: & super *Missus est*, inquit: *Est maius aliquod, quod mireris in Maria, scilicet, cū virginitate fœcunditas, quod si & cuius sit mater, attendas, quo te tua super eius mirabili celsitudine ducet admiratio? nonne ad hoc, vt te videas, nec satis possis mirari? nōne tuo, immo veritatis iudicio illa, quæ Deum habuit filium, super omnes etiam Choros exaltabitur Angelorum?* ac tandē ait: *Ipsa est Virginis nostræ gloria singularis, & excellens prærogatiua Mariæ, quod filium vnū eundemque cum Deo Patre meruit habere communem.* his accedunt alia egregia D. ANSEL. qui l. de excellentia Virg. dixit: *Quamuis hoc solum de sancta virgine prædicare, quod Dei mater sit, excedat omnem altitudinem, quæ post Deum dici, vel cogitari potest.* & eodem lib. hæc scripsit: *Intendat mens humana, & contempletur, videat & admiretur: vnum filium sibi consubstantialem Deus Pater genuit, hunc sibi tam Vnicū, & in omnibus omnino æqualem non passus est remanere solummodo suum, sed eundem ipsum voluit in rei veritate esse beatæ Mariæ vnicum & naturalem filium, nec ita, vt duæ essent, vnus videlicet filius Dei, alius Virginis, sed vnius idem ipse, qui filius Dei, in vna persona esset filius Virginis & qui filius Virginis, vnus & idem ipse esset in vna persona filius Dei, quis hæc audiens non obstupescet, & quod Deus tale quid velle potuerit, non vltra omne, quod dici potest, admirabile ducat?* Breuius tamen D. AVGVST. ait: *Huius dignitatis effectum nec cor concipere, nec lingua valet exprimere* Sed & D. BONAVENTVRA tantam, ac tam sublimem censuit Matris Dei dignitatem, vt dicere non dubitaret: *Virgo est mater, qua maiorem Deus facere non posset; maiorem mundum posset facere Deus, maius cœlum posset facere Deus, maiorem matrem, quam matrem Dei non posset facere Deus.* Atque hinc est; quod D. THO. quandam infinitatem tribuit dignitati matris Dei: prima enim parte quæst. 25. inquit: *Humanitas Christi ex hoc quod est vnita Deo, & beatitudo creata, ex hoc, quod est fruitio Dei, & B. Virgo ex hoc, quod est mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus, & ex hac parte non potest aliquod fieri melius eis, sicut non potest aliquid melius esse Deo.*

D. Ber. h. 1. de B. Vi. id referens Canis. l. 3. Maria Deip. c. 1.

D. Ber. h. 1. super missus.

Ibid.

D. Ansl. l. de excel. Virg c. 2.

Idem l. 2. de excel. Virg. c. 3.

D. Aug. serm. de Assumpt.

D. Bona. in opus. Virg c. 8.

D. Tho. 1. p. q. 25. ar 6 ad 4.

IV. His

Alb. Mag. super missus c. 180.

IV. His consonant verba ALBERTI MAGNI dicẽtis: *Maior gratia non potest intelligi pura creatura cõmunicari, quam esse matrem Dei.* vnde sicut Historiographi regnorum Hispaniæ referunt, Herculem in fine illius regionis duas celebres erexisse columnas, cum hac inscriptione *non plus vltra*: ita Deus mihi fecisse videtur, qui in virginea ac fœcunda terra Maria has duas *virginitatis & maternitatis* columnas erigens, inscriptionem illam apposuisse perhibetur: *non plus vltra.* Certe si Christus Dominus vterinum habuisset fratrem, magnam ille fratris Dei dignitatem obtinuisset; at multo illa excellentiorem esse matris Dei dignitatem, non obscure probat id, quod relatio fraternitatis quãdam æqualitatem, maternitatis vero quandam superioritatem præ se fert, quæ specialem præ illa excellentiam confert. Deinde ANTONINVS huius maternitatis miram dignitatem contemplans, in eam singularem valde & ingeniosam cogitationem incidit, vt B. Virginem *sacram Scripturam viuam* appellaret, quæ tanto excellentius Deum exprimit, quanto quod viuum rem depictam superat, sic enim ait: *verum quanto facta sunt potiora verbis, vel scripturis, tanto sunt ostensa maiora in Maria, quam in scriptura per Deum: nam si scriptura dedit, vt de Deo loquatur, Maria contulit, vt per eam Christus pandatur; ibi eum multiplex tegit figura, hic vestit eum Maria caro pura; ibi pronuntiatur, hic ostenditur; ibi latet in mortua carta, hic patet in carne monstrata; ibi dicta sunt magna, hic facta sunt magna: quia fecit* (inquit) *Dominus magna, qui potens est: hinc est, quod sicut sacra Scriptura cunctas refellit hæreses, non secus B. Virgo omnes illas profligat, Ecclesia Catholica canente: cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo*: vnde D. BERNARDVS de verbis illis Apocalyp. *Signum magnum*, ait; *Sola contriuit vniuersam hæreticam prauitatem; alius enim de substantia carnis suæ Christum non edidisse dogmatizabat; alius non paruulũ peperisse, sed reperisse sibillabat; alius vel post partum viro cognitam blasphemabat; alius Dei matrem audire non sustinens, magnum illud nomen, Theotocos, impiissime suggillabat, sed contriti sunt insidiatores, conculcati supplantatores, confutati derogatores, & beatã eã dicunt omnes generationes.* Denique S. Pater BERNARD. SENENSIS celsitudinem dignitatis Dei Genitricis obstupescens, hæc stupẽda de Virgine matre loquens dicere nõ dubitauit: *Sicut diuina perfectiones omni intellectui incomprehensibiles sunt; sic perfectiones gratiarũ, quas Virgo suscepit in conceptione filij Dei, soli intellectui diuino, & Christo, & sibi comprehẽsibiles extiterunt, & quidem quod Deus generaret Deũ, nulla requirebatur in Deo dispositio, cum ei ex natura conueniret, vt per viam naturæ intellectus produceret Verbũ per omnia sibi æquale, immo impossibile est, quod non generet Deum propter suam fœcunditatẽ, sed quod fœmina conciperet, & pareret Dominum, est & fuit miraculum miraculorũ: oportuit.n. (vt sic dicam) fœminã eleuari ad quandam quasi æqualitatem diuinam, per quandam infinitatem perfectionum & gratiarum quã creatura nunquam experta est. Vnde (vt credo) ad illam abyssum imperscrutabilem omnium charismatum Spiritus sancti, quæ in B. Virginem descenderunt in hora diuinæ conceptionis, intellectus humanus vel Angelicus nunquam potuerunt attingere.* hactenus D. Bernardinus.

D. Anton. 4. p. tit. 18. c. 12. §. 9.

D. Ber. ser. de verb. Apoc. Signũ magnum.

D. Bernar. ser. 61. de B. Vir. c. 12.

V. CÆTERVM ne solum antiquorum Patrum eloquia, sed & profana etiam gentilium monumẽta tantæ matri inseruiant, non pudebit illud, quod (PIERIO VALERIANO referente) de Deorum matre decepta gentilitas commentabatur, in mediũ proferre; sic enim profana in sacra conuertemus, vt illa quoque in Deiparæ Virginis laudem cedant. PIERIVS ergo VALERIANVS in suis Hieroglyphicis refert, quod quamuis decepta gentilitas plures esse Deos falso sibi persuasit, vnam tamẽ Iunonẽ omnium illorum matrem esse asseruit, quam in hunc modum describebat: Fœminam depingebat aureo fune inter cælũ & terram pendentẽ, ex cuius pedibus bina pondera grauitabant; quorum vnum altius eleuabatur, quam aliud, quia significabat aquam super terram in hac Iunone Deorum matre veram Dei matrem descriptam intueor, sicut enim illa pendebat media inter cœlum & terram, ita B. Virgo adest nobis mediatrix inter Deum & homines, & sicut ex pedibus Iunonis duo grauitabant pondera, quorum vnum altius erigebatur quam aliud, ita ex pedibus B. Virginis (per quos affectus eius intelligo) duo amoris pondera pendebãt, primũ quod ferebat illum in Deum, vt illum super omnia diligeret, secundum in homines, vt illis continuo benefaceret; illud tamen altius eleuabatur, vtpote quæ præcepti dilectionis Dei super omnes creaturas omnium obseruantissima esset; quod si Dea illa Iuno super terram & aquam suos pedes locare dicebatur, non incongrue id B. Virgini aptatur, ECCLESIASTICO in persona eius dicente: *In fluctibus maris ambulaui, & in omni terra steti*: cum.n. in maris procellis frequenter opituletur, & in periculis terræ præsto succurrere, ac pio matris affectu suis fauere assuescat, merito in fluctibus maris, & in omni terra domiciliũ habere se profitetur.

Pier. Valer in suis Hie. pag. 576.

Eccles. 24.

VI. VT tamen ea, quæ hanc Dei matris dignitatẽ mirifice commendant, cõmemorare incipiam, illud primum locum tamquam basim & fundamentum huius dignitatis obtinere arbitror, quod sanguinis substantiam, quam aliæ matres filiis suis exhibere solent ad eorũ formationem, ipsa exhibuit Verbo diuino, vt caro fieret, ex quo tantam cum illo cõiunctionẽ mutuauit, vt B. PETRVS DAMIANVS nõ vereretur dicere: *Cũ Deus in aliis rebus sit tribus modis, in Virgine fuit quarto speciali modo, sc. per identitatem, quia idem est quod ipsa. hinc taceat & contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tantæ dignitatis immensitatem.* Et ne cuipiam excessisse videatur beatus Petrus Damianus, audiat D. AVGVSTINVM sermone de Assumptione Virginis dicentem: *Caro Christi caro est Mariæ.* quibus verbis non aliud docere volũt ij Patres, quã substantiã il-

B. Pet. Dã ser. de Annunc.

D. Au. ser. de assum. Virg. c. 5.

lam, quam beata Virgo ſubminiſtrauit in Chriſti conceptione, hypoſtaticæ vnionis vinculo vnitam fuiſſe Verbo diuino: exiſtimo autem, quod licet in aliis filiis plerumque ſubſtantia illa carnis à parentibus ei communicata paulatim ex vi caloris natiui ſoleat deperdi, illa tñ carnis ſubſtantia, q̃ beata Virgo Chriſto exhibuit, numquam fuit dimiſſa, aut continua caloris naturalis actione reſoluta: quod ne mere gratis aſſeruiſſe videar, afferam auctoritatem Diu. AVGVSTINI, qui dixit: *Caro Chriſti, quamuis gloria reſurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen manſit, quæ ſuſcepta eſt de Maria*: probat & ratio ipſa ex veriſimili coniectura: nam cum ſubſtantia illa deſumpta eſſet ex puriſſimis Virginis ſanguinibus, & optime diſpoſita, parum illius per calorem naturalem reſolueretur tempore infantiæ Chriſti, quia tunc alimentum erat facile, & fere ſine reſiſtentia conuertebatur, maxime in Chriſto, qui temperatiſſimo cibo alebatur, ſcilicet *Vbere de cœlo pleno*, vt ECCLESIA canit, de reliquo autem tempore vitæ Chriſti fit ſimilis coniectura, quia totum illud fuit tempus augmenti, aut ſtatus, in quo humidum radicale fere integrum perſeuerat, nulla totali illius reſolutione facta, vt omnes fatentur; igitur ſubſtantiam illam carnis, quam Chriſtus è Virgine aſſumpſit, nullo vnquam tempore dimiſit.

D. Aug. ſer. de Aſſumpt.

VII. SECVNDVM, quod dignitatem matris Dei ad cœlum vſque extollit, illud potiſſimum eſſe arbitror, quod vt illam digne poſſideret, tam exuberãti gratia fuit cumulata, vt inter omnes creaturas beatiſſimæ Trinitatis ſimillimam illam redderet: nam ſi gloria Patris eſt filius ſapiens, manifeſtum eſt maximam eſſe æterni Patris gloriam, talem ac tantum genuiſſe filium; ecce Virginem æterno Patri ſimilem, cum eundem, quem ille ab æterno, & ante ſæcula genuit Filium, ipſa in tempore vtero ſuo concepit; vnde ſicut ille Pater, hæc certe æternę ſapientiæ Mater eſſe perhibetur; ſi Filius itidem candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula, in quo Pater ſeipſum intuetur, non ſecus B. Virgo, tamquam ſplendidiſſimum ac nitidiſſimum ſpeculum diuino Patris intuitui ſe obiecit, in quo propriam ſuam figuram impreſſit, hoc eſt, Filium ſuũ, qui, vt PAVLI verbis loquar: *Splendor eſt gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius*: ac tandẽ ſicut Spiritus ſanctus vinculum eſt Patris & Filii, & medius inter ipſos amor; non diſſimiliter beata Virgo mediatrix ſemper fuit apud Patrem, vt nobis conferret Filium, & apud Filium, vt ad nos mitteret ſpiritum ſuum viuificantem, & apud Spiritum ſanctum, vt nos cœleſtibus diuinæ ſuæ gratiæ chariſmatibus exornaret. hinc acutiſſime ISID. IEROSOLYM. lib. de laudibus Virginis Mariam vocauit, *Trinitatis complementum*: quia prælecta fuit à Deo, vt FILIVM Dei carne induens, ac vera eius mater exiſtens, his quæ à beatiſſima Trinitate circa generis humani redemptionem ab æterno prædefinita fuerant, perfectionem & complementum adhiberet.

Hebr. 1. *Iſid. Ieroſ. l. de laud. Virg.*

VIII. TERTIVM deinde, quod magnopere dignitatem Genitricis Dei extollit, mira eſt excellentia filii: ſi enim verum eſt illud Prophetæ: *Gloria eorum à partu, & ab vtero, & à conceptu*; non poteſt nõ magna eſſe huius matris dignitas & gloria, cuius tam ſanctus, ac tam ſublimis noſcitur eſſe conceptus & partus, maxime Chriſto Domino dicente, à fructu arborem eſſe cognoſcendam: *A fructibus eorum cognoſcetis eos*. Memini PLVTARCHVM in Laconicis referre, quod fœminæ cuidam ſe glorianti, pretioſiſſima habere aurea & argentea vaſa, inſignis quędam matrona *Lacena* nomine quatuor decoros, ac perbellos filios omnibus oſtentans dixit: *Huiuſmodi eſſe oportet honeſta mulieris opera, hiſque ſeſe iactare*: ſi ergo pulchro quatuor filiorum partu Lacena merito ſe gloriari poſſe putabat, quanta quæſo erit gloria Virginis, quæ non ſpecioſum præ filiis hominum, ſed ipſum naturalem filium Dei, perennem omnium bonorum fontem peperit? Enarrans Propheta Nathan ſingularia beneficia de diuina largitate in Regem Dauid diuinitus collata, illud ſupremum omniũ eſſe affirmauit, quod ex genere eius decreuiſſet filium ſuum carnem aſſumere, atque adeo vnigeniti ſui dignum parentem eſſe futurum, primum beneficium, regale ſceptrum commemorat: *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Ego vnxi te in regem ſuper Iſrael*: ſecundum, quod à morte, quam Saul ei inferre machinabatur, illum eripuiſſet: *Erui de te manu Saul*: tertium, quod ei donaſſet domum & vxores, ac gentem tributariam Domini ſui: *Et dedi tibi domum domini tui, & vxores domini tui, dedique tibi domum Iſrael & Iuda*: tandem vero illud tanquam ſupremum omnium beneficiorum ſubiungit: *Et ſi parua ſunt iſta, adiiciam tibi multo maiora*: ſed quænam fuerunt iſthæc maiora! certe non alia, quam quæ ipſe DAVID ex ore Dei refert: *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*: ſi igitur eſſe Chriſti parentem à longe, adeo vt fuit Dauid (cum ab illo vſque ad Chriſti conceptionem copioſa illa generationum ſeries, quam narrat D. MATTH. interceſſerit) tantæ dignitatis fuit, quis celſiſſimam matris Dei dignitatem non mirabitur, quæ tantam cum Chriſto affinitatem habuit, vt ECCLESIA CATHOLICA in hunc modum eam ſalutet: *Salue ſancta parens enixa puerpera regem*: parens quidem non à longe, vt Dauid, ſed è propinquo, adeo vt illum vtero ſuo ex proprio ſanguine conceperit, & ex viſceribus ſuis illum pepererit.

Oſea 9. *Matth. 7.* *Plutarch. in Laconicis.* *2. Reg. 12.* *Pſal. 131.* *Matth. 1.*

IX. QVARTVM præterea, quod Dei Genitricis dignitatem aperte commonſtrat, eſt cumulus prodigiorum, quæ in eius collatione diuina patrauit omnipotentia, necnon plenitudo gratiæ, quam diuina largitas in eam tunc infudit. Equidem ſi de prodigiis ſermo ſit, Virgo integra virginitate concepit, Spiritus ſanctus Virginem obumbrauit, corpus infantis temporis puncto efformauit, & animã ei infudit, vtrumque cum Verbi diuini ſuppoſito copulauit, & Verbum caro factum fuit, infans abſque vllo originali peccato plenus gratia prodiit,

diit, à puncto conceptionis viator & comprehensor extitit, merebatur enim vt viator, & Deum clare videbat vt comprehensor. hæc tam portentosa miracula, in quibus alia pene infinita delitescunt, in collatione dignitatis matris Dei ad maiorem eius commendationem facta esse perhibentur, quibus accessit exuberantior, quam dici possit gratiæ infusio, quam B. Virgo fontem ipsius gratiæ intra viscera sua suscipiens recepit. Ad quam explicandam meminisse oportebit, quod THEODOR. super EXOD. quærens, quare Deus voluit apparere in rubo, non in cedro, cypresso, vel alia nobili arbore? respondet cum Glossa, Deum in rubo, non in alia planta apparuisse, ne quis ex rubo posset Deum effigiare, tantam quidem dignitatem materia illa, in qua Deus apparuit, ex præsentia ipsius Dei accepit, vt illam, velut Deum voluissent homines adorare: non dissimiliter ex reali præsentia Christi per nouem menses in vtero materno delitescentis talem gratiæ splendorem, ac tantam maiestatē B. Virgo mutuauit, vt antiquissimus ille DIONYSIVS AREOPAGITA assereret, quod nisi fides illi obstaret, tanquam Deum B. Virginem veneraretur. Cum etiam ait sacer textus, rubum illum ardere, sed non consumi, singularem quandam B. Virginis excellentiam super omnes sanctos portendit. Alii enim sancti, etsi diuini amoris flāmis æstuabant, peccata tamen venialia charitatis illorum feruorem minuebant; at B. Virginis, dum amoris igne incalescebat, & charitatis flāmis ardebat, nulla peccata venialia, quæ longe ab ea aberant, feruorem eius absumere aut minuere potuerunt. certe Sanctorum nemo dicere audebit: nunquam peccaui, dicente IOANNE: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*; at B. Virgo dicens: nunquam peccaui, non seducitur, sed veritas sincera in ore eius est.

Refertur in vita S. Dion.

Ioan. I.

X. ADHÆC illud miram Virginis sanctitatem apertissime detegit, ac Dei genitricis dignitatem mirum in modum exaltat, quod ipsa heroicis suis operibus eam promeruerit obtinere; est enim laude dignius, quod quisque proprio labore & industria, quam quod ex Principum mera liberalitate sibi comparat: vnde de Rege Siciliæ Agathocle legimus in Apophtegmatibus, quod cū ex figulo ad regię dignitatis culmen ascendisset, iussit in abaco sua fictilia vasa ex luto inter aurea & argentea locari, quia (vt ibidem dicitur) *non puduit pristinæ fortunæ, sed magis æstimauit regnum virtute partum, quam si hæreditate obuenisset: nam regem nasci, nihil magnum est; at regno dignum se præstitisse, maximū est.* quod adeo verum putauit eloquentiæ parens, vt ad rationem dignitatis pertinere arbitretur, habentē dignum esse illa; quapropter dignitatem in hunc modum definiuit: *Dignitas est æstimatio quædam, quæsita claræ gestis, magnificaque opinio*: beata igitur virgo vt honorificentius Dei genitricis dignitate gauderet, illam (diuina gratia sibi opitulante) propriis operibus promeruit: sic enim loquitur ECCLESIA CATHOLICA: *Vt dignum filio tuo habitaculum effici mereretur.* sic etiam locuti sunt antiqui Patres; nam Diu. AVGVSTIN. ait: *Recole in lib. Esaiæ quandam virginem quam legisti, & gaude quia tu esse meruisti.* Idem Diu. AVGVST. serm. de nat. Domini: *Talis eligitur Virgo de toto mundo, quæ tantum haberet meritum, vt filium Dei in semetipsa susciperet.* D. CHRYSOST. serm. de Christi præsentatione: *B. Mater vltra omnē humanæ naturæ modū modestiam, ac temperantiam excoluit, & ob id vniuersorum Dominum in vtero gestare promeruit.* Diu. HIERON. epist. ad Eustochium: *Tantæ puritatis Maria exstitit, vt mereretur effici mater Dei*: Diuus GREGOR. in lib. Reg. *An non sublimis Maria, quæ vt ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros vsque ad solium deitatis erexit?* B. PETR. DAMIAN. ser. de nat. Mariæ: *Ad instar cœliplenitudinis totius diuinitatis meruit esse sacrarium, ac templum.* Doctissimus ALCVINVS, Caroli Magni quondam præceptor lib. de Trinit ait: *B. Maria fuit lana mundissima, & in virginitate clarissima, & incōparabilis vniuersis, qui erant sub cœlo, hominibus, erat que talis, ac tanta, vt sola digna esset, quā nullus alius indueretur, nisi augusta præditus dignitate*, eodemque spectat, quod VENANTIVS FORTVNATVS in hæc carmina cecinit:

Eccl. Cath. in orat.

D. Aug. serm. de nat Dom.

D. Greg. in l. 1. Reg. c. 1.

D. Petr. Dam ser 3. de natiu. Mariæ.

Alcuin. l. de Trin. c. 14.

Venant. Fort. in l. suorum Carminū.

Virginitas fœlix, quæ partu est digna Tonantis,
Quæ meruit Dominum progenerare suum.

In eandem sententiam conspirant reliqui omnes Patres, D. BASILIVS homil. de humana Christi generatione, D. AMBROS. epist. 82. D. BERNARD. serm. 1. de Assumpt D. EPIPH. hæres. 78 HONORIVS lib. de æternis gaudiis, EVSEB. hom. in Euang. feria 5. aduentus. MAGENTIVS in in c. I. decalogi cap. 14. & EVTHY. in exposit. Cant. super *Magnificat*. Quāuis autē non improbabiliter ABVLENSIS, GABRIEL, & MAIOR in ea fuerint sentētia, vt putarent B. Virginem ex suppositione Incarnationis à Deo iam prædefinitæ meruisse de cōdigno, vt potius ex ipsa, quam ex quacunque alia fœmina Verbum diuinum carnem assumeret. Angelici tamen Doctoris S. THOMÆ, ac Seraphici doctoris S. BONAVENT. doctrinæ magis consentiens, B. Virginem assero de congruo meruisse, vt Dei genitricis dignitatem obtineret: quod S. THOMAS his verbis perdocte explicuit: *Ex gratia sibi data meruit illum sanctitatis gradum, vt congrue posset esse mater Dei, ad quod sane nullus vnquā pertingere valuit, nisi sola B. Virgo; quia cum à Deo praelecta esset in vnigeniti sui matre, & vnicuique largiatur Deus gratiam accommodatam statui, & muneri suo, consequens est tot cœlestibus diuinæ gratiæ charismatibus illam locupletasse, quot opus erat ad hoc vt si non de condigno, saltem de congruo matris Dei dignitatem, & per consequens in eleuatissimo illo, ac supremo gratiæ vnionis hypostaticæ ordine immediate post Christum collocari promereret.*

Abulens. Paradox. 1. c. 34 & 85. Gabr. 3. d. 4 art. 3. & Maior. ibid.

XII. QVIDQVID tamen sit de hoc, vel illo genere meriti, illud omnino certum est, bea-

tam

tam Virginem ratione huius maternitatis excellentiſſimum quendam , ac ſupremum dignitatis gradum inter puras creaturas attigiſſe , propter ſingulariſſimam, quam cum Deo habuit, coniunctionẽ: nec non etiam certum eſt, ratione eiuſdem maternitatis ius habuiſſe ad bona omnia filii ſui, ſuperioritatemq; quandam ſupra Chriſtum obtinuiſſe, qualem habere decebat matrem reſpectu ſui naturalis filii: quod gen⁹ ſupremæ auctoritatis, vtpote ſupra Deum adhuc in patria viget in Virgine, quia præterquam quod attinet ad matris dignitatem morali modo conſideratam, certiſſimum eſt eam perſeuerare in Deipara, neque vnquam fuiſſe imminutam, quia licet in triduo mortis Chriſti non eſſet hic homo, quem B. Virgo genuerat, vere tamen erat ille, quem genuit, hoc eſt, filius Dei habens vnitas ſibi partes illius humanitatis, quas ex Virgine accepit; præter hoc (inquam) exiſtimo beatam Virginem actu habere eandem realem relationem maternitatis, quam generando Chriſtum ſibi acquiſiuit; licet enim in morte ſua illam amitteret, in reſurrectione tamen eam recuperauit, vt ſic ex omni parte perfecta eſſet eius reſurrectio, dũ non ſolum reſurgeret ea, quæ fuerat Chriſti mater, ſed etiam formaliter in quantum mater. Ad quod facilius intelligendum ſi fingeremus, quod nec B. Virgo, nec Chriſtus obiiſſent, ſed tranſlati fuiſſent ad gloriam, tunc nullus ſane dubitaret adhuc in Virgine perſeuerare relatione maternitatis, eo ſolum nomine, quia ſemel Virgo genuit Chriſtũ: hoc autem æque verum eſt, etiamſi beata Virgo interierit, & poſtea redierit: igitur & nunc retinet in patria eandem maternitatis relationem, quam habuit in via.

XIII. Ad extremum id dicere non parcam, nonnullos graues Eccleſiæ Patres, nec non ſapientes quoſdam Theologos aſſeruiſſe, beatam Virginem non ſolum ad Chriſti generationẽ, tanquam verã ac naturalem eius matrem concurriſſe: ſed diuinitus etiam eleuatam fuiſſe ad hoc, vt tanquam Dei inſtrumentum humanam Chriſti carnem Verbo diuino vnire ...ita expreſſe docuit D. Bernardvs, dum ad Eugenium Papam ſcribens, Mariam comparauit mulieri illi Euangelicæ, cuius meminit D. Matthævs, quia ſicut hæc tres farinæ menſuras, aut tria ſata commiſcuit, atque contemperauit, ita Maria verbum diuinum, animã & carnem perinde ac tria ſata in vnitate perſonæ Chriſti coniunxit. Conſpirat in idem D. Ambrosivs, qui ait: *Per hominem & mulierem caro eiecta eſt de Paradiſo, per Virginem iuncta eſt Deo.* Ansbertvs etiam, qui ante ſexcentos annos egregios in Apoc. edidit commẽtarios de Mariæ humilitate hæc præclara ſcripſit: *O quantum meruiſti! ò quantum beata humilitas in ſacra Virgine valuiſti! quid in Virgine meruiſti, niſi vt Deum homini coniungeres, vt verbum carni vnires?* ac tandem Hesychivs vocat illam, *Inſtrumentum Incarnationis*: Incarnatio autem Verbi cũ formaliter conſiſtat in vnione hypoſtatica carnis cum illo,

D. Bern. li. 5. ad Eug.
Matth. 13.
D. Ambr. epiſt. 82.
Ansbert. l. 2. de profundiſſ. Mariæ humilitate
Heſych. hõ. 2. de B. Vir.

conſequens eſt, iuxta huius Doctoris ſententiam Virginem fuiſſe inſtrumentum Dei ad attingendam prædictam vnionem: quare cum Concilivm Toletanvm VI. & X. efficientiam huius vnionis ſoli Deo tribuunt, intelligendum eſt per illam excluſiuam non excludere niſi cauſalitatem alterius cauſę principalis, nõ cauſam inſtrumẽtalẽ.

apud bibl SS. tom. 7. Conc. Tol 6. & 10. in cõfeſſ. fidei.

XIV. Porro vt tandem, quæ hucuſque in commendationem maternitatis B. Virginis ediximus, magis ſtabiliantur, oportet verba illa Chriſti Domini elucidemus, quibus eam deprimere videtur: nam fœmina quadam in Chriſti honorem exclamãte: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti*: ille continuo occurrit: *Quinimo beati, qui audiũt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* iuxta explicationem autem D. Avgvst. ſuper Ioannem, perinde fuit, ac ſi diceret: *Mater mea inde fœlix eſt, non quia in illa verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, ſed quia cuſtodit ipſum verbum Dei, per quod facta eſt.* & in li. de ſancta Virg. inquit: *Beatior fuit Maria percipiendo fidem Chriſti, quam concipiendo carnem Chriſti.* Abieciſſe etiam ait idem Pater Avgvst. propinquitatem maternam, cum dixit: *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? & extendens manus in diſcipulos ſuos dixit: Ecce mater mea, & fratres mei; quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater & ſoror & mater eſt*: quibus verbis Diu. Cyprianvs ſerm. de paſſione Domini cenſet ſimiliter Chriſtum prætuliſſe Matri auditores verbi, & pauperes ſpiritu.

Luc. 11.
D. Auguſt. tract. 16. in Ioan.
Idem l. de Ciuit. c. 13.
D. Aug. epiſt. 38. ad Letham.
Matth. 12.

XV. Vervm hæc nihil prorſus dignitati Matris Dei derogant; primo, quia hæc bifariam poteſt cõſiderari, aut per ſe ſolam præciſe, & vt condiſtincta à gratia iuſtificante, vel vt includens illam tanquã diſpoſitionem omnino condecentem ad talem dignitatem ſuſcipiendam: ſi priori modo conſideretur, nemo certe inficiabitur beatius eſſe habere gratiam iuſtificantem, quam eſſe matrem Dei, & in hoc ſenſu accipienda ſunt præcitata verba Chriſti Domini, & in eodem intelligenda teſtimonia D. Auguſtini, & Cypriani; in ſecundo autem ſenſu accipitur dignitas matris Dei, cum aſſeritur omnem creatam dignitatem puræ creaturæ longo interuallo antecellere: ſicut enim ratione vnionis debebatur humanitati Chriſti ſumma gratia, & gloria; ita ratione maternitatis Dei debetur Virgini ſuo modo inſignis quædam, ac ſuperabundans gratiæ plenitudo: vt expoſuit D. Thom. dicens: *in virgine fuiſſe plenitudinem gratiæ tali dignitati proportionatam*: quo etiam modo D. Avgvst. dixit: *Inde nouimus tantam gratiam illi eſſe collatam, quia Deum concipere meruit, & parere*: quibus conſonant illa Sophronii dicentis: *Talibus decebat Virginem oppignorari muneribus, vt eſſet gratia plena, quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum.* Secundo poſſunt eadem Chriſti verba aliter in hunc modum explicari, vt conſideretur Virgo tanquam mater Chriſti, vt homo eſt, præſcindendo ab ea dignitatem perſonæ increatæ; ſecundum quam conſiderationem certum

D. Th. 3. p. q. 7. art. 10.
S. Aug. l. de nat. & grat.
Sophron. in ſerm. de Aſſumpt.

eſt

est non habere Virginem dignitatem aliquam quę cum dignitate filiorum Dei valeat comparari, quia illo modo non consideratur, vt mater Dei: mulier enim, quæ Virginis vterum beatum dixerat, nihil certe de Christi diuinitate cogitabat: vnde antithesis illa: *quin imo beati qui audiunt verbum Dei;* contrapositio fuit præcise ad maternitatem Christi, vt homo erat: Cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen. he. 11.

HOMILIA XIX.

Deipara Virgo vtero suo filium Dei concipiens Speculo pulchrè comparatur; quam metaphoram variis animi conceptionibus locupletamus.

I. EVM quidem Opt. Max. creaturarum esse SPECVLVM, in quo illæ ad viuum repræsentantur; è contra vero creaturas SPECVLVM esse Creatoris, in quibus varia eius attributa effulgent: tum sacra eloquia, tum sancti Patres, ac profani Auctores contestantur. SALOMON quidem verbum diuinum vocat: *Speculum sine macula Dei maiestatis:* in quo (vt ait ibidem NICOLAVS de LYRA) *omnia relucent clarissime.* D. etiam AVG dixit: *Deus est speculum voluntarium; & si vult, videtur; & si non vult non videtur,* imo etiam cum iam videtur, licet alioquin tunc necesse sit Trinitatem personarum videri, quia Deus speculum est velut triangulare tribus hypostasibus constans, adhuc tamen respectu creaturarum in eo relucentium voluntarium speculum existit, celans, vel manifestans eas videri se prout sibi libet. Creaturas deinde specula etiam esse in quibus multiplices Creatoris perfectiones elucent, his verbis edocuit magnus ille Philosophus TRIMEGISTVS: *Tota mundi conspiratio, & rerum pulcherrimus ordo contemplandi Deum suggerit materiam, est enim natura velut liber diuinitate plenus, & speculum diuinorum.* sed melius illo D. PAVLVS dicens: *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur:* quasi diceret, sicut speculum aspicientes, quæcunque illud repræsentat intuentur; non secus creaturas contemplantes Dei perfectiones, quæ in illis velut in speculis repræsentantur, cōspiciunt. hac D. PAVLI doctrina edocti sancti Patres illam variis modis illustrant. Diuus enim AMBROSIVS inquit: *Vt Deus qui natura inuisibilis est, etiam visibilibus posset sciri, opus factum est ab eo, quod opificem visibilitate sua manifestaret.* & THEOPHYLVS ANTIOCHENVS in idem argumentum ait: *Propterea Deus vniuersa, cum non forent, creauit, vt ex operibus suis, quam magnus, quam excelsus sit, hominibus innotesceret.* ac tandē HVGO de S. VICTORE eruditè satis id ipsum in hæc verba edocuit: *Verbum bonum, & vita sapiens, qua mundum fecit, contemplatio mundo consistitur, & Verbum ipsum videri non potuit, & fecit, quod videri*

Sapient. 7. Nicol. de Lyra super cap 7. Sap. D August. epist. 121. Trimegist. lib. 3. Rom. 1. D. Ambr. in epist. ad Rom. Theophyl. lib. 1. ad Authol. Hugo de S. Vict. lib. 7. de B.V.

potuit, & visum est, per id quod fecit: hinc ergo est, quod cum nemine dissentiente Deipara Maria inter puras creaturas omnium excellentissima censeatur, necesse sit inter omnia creata specula perfectissimum omnium esse, atque adeo in illa, velut splendidissimo speculo, inuisibilia Dei clarius cognosci, meliusque penetrari, nam si effectus ducit nos in cognitionem causæ, consequens est, vt perfectissimus omnium effectus in perfectiorem illius supremæ causæ cognitionem nos ducat.

II. CÆTERVM antequam id præstemus, oportet operculum fulgentissimum hoc speculum operiens & celans prius amoueamus, hoc enim ipsa nos facere monuit dicens. *Nigra sum, sed formosa filia Ierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis;* quasi dicat: tametsi ex eo, quod de peccatoribus orta sim parentibus, originalis maculæ nigredinem contraxisse vobis videar, reuera *speculū* sum sine macula, mira formositate, & decore præstans: fauent huic interpretationi sequētia verba: *sicut tabernacula Cedar sicut pelles Salomonis,* in quibus allusio fit ad antiqua illa militum tentoria, & ad ferculum Salomonis, quæ licet extrinsecus, & secundum externam superficiem deformia viderētur, vtpote ex humili tela, & animalium pellib. cooperta, intrinsecus tamen deaurata, variisq; ornamentis decorata erant. Atq; hinc est illud inueniri singulare discrimen inter hoc Marianum speculum & reliqua alia, quod illa non semper luce fuerunt perfusa, nec semper macula caruerunt, cum vt minimum originali labe fuerint deturpata; Mariæ autem speculum semper diuinæ gratiæ candore, & clarissima luce effulsit; nusquam alicuius maculæ næuo fuit obscuratum, imo nec minima peccati venialis nebula (à qua nemo immunem vitam agit, iuxta D. IACOBI sententiā) obscurari potuit, propter insigne impeccabilitatis donum, quod tantus filius tantæ matri negare nō debuit. Nunc iam pro modulo nostro Marianam huius *speculi* raram, ac inauditam perfectionem contemplemur.

Cant. 1.

III. EXPERIENTIA ipsa docet *speculum* ex duplici materia coalescere, plumbo scil. & vitro aut crystallo; horum compositio in hoc sacro speculo singulari ratione reperitur; adest lucidissimus atque clarissimus virginitatis crystallus, iuxta illud SAPIENTIÆ: *O quam pulchra est casta generatio cum claritate:* adest & humilitatis plumbum per colorem cinereum redolentem egregie delineatæ, iuxta illud *Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis, & cinis:* sicut autem crystallus quantumuis splendidissimus absque consortio plumbi non posset speculi munia gerere, sic nec Maria, quantumuis in ea virginitas fulgeret, si humilitas ei defuisset, Dei matris munus minime exercuisset. vnde HVGO de S. VICTORE piè & eruditè dixit: *O Virginitas, & humilitas quomodo in vnum conuenistis? quid fecistis? sic sublimastis humilem, sic fœcundastis Virginem, vt Virgo Dei pariat filium, & humilis habeat sponsum Deum.* Illud quidem discrimen interesse obseruaui inter par-

Sapien. 4. Gen. 18. Hugo de S. Vict. de coniunct. Virg. & humil.

paruum, & magnum ſpeculum, quod paruum figuram refert paruam, magnum magnam: quęlibet creatura (fateor) ſpeculum quoddam Dei eſt; tamē quia paruum curte ſatis, ac diminute magnitudinem Dei refert; B. autem Virgo, quia ſpeculum nō quantitate molis, ſed perfectionis omnium creaturarum maximum erat, magna imo & maxima de Deo referebat; vnde merito ipſa dixit: *Magnificat anima mea Dominum*: cum certe creaturam magnificare creatorem nihil aliud ſit, quam magna eius ad viuum in ſe referre, eaque omnibus propalare.

IV. DEINDE ſicut ſpeculū recipit in ſe imaginē, ſeu figuram eius, qui fecit illud, ita B. Virgo in ſe recepit eum, qui creauit illā, ipſa dicente: *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*: etenim cū beatiſſima Virgo eſſet ſpeculum terſum, politum, ac omnium ſplendidiſſimum, æternus Pater dignatus eſt illud intueri, atq; in eo imprimere figuram, & imaginem ſuam, h. e. filium ſuum, vt Apoſtolus

Heb. 1. loquitur: *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius*: ſicut autem figura in ſpeculo repræſentata ſpeculi colorem induit adeo, vt ſi ſpeculi vitrū rubicundum ſit, rubicundam referat figuram, non ſecus quia Marianum ſpeculum rubicundum erat, vtpote carne & ſanguine conſtans, inde eſt, vt figura, & imago, quam æternus Pater illud aſpiciens in eo impreſſit, rubicundum carnis colorem, imo & ipſam carnis ſubſtantiam ab eo mutuaret, IOANNE

Ioan. 1. dicente: *Et verbum caro factum eſt.* vnde qui apud Patrem ſolum erat candidus, vt loquitur SAPIENS:

Sapien. 7. *Candor eſt lucis æternæ*; iam apud Matrem candidus,

Cant. 5. & rubicundus inuenitur, vt loquitur Sponſa: *Dilectus meus candidus & rubicundus.* Item ſicut fabricator ſpeculi, quantumcunq; magnæ molis ſit, totā tamen ac integram ſuam imaginem in eo cōſpicit: ita licet Deus, huius Mariani ſpeculi fabricator, immenſæ magnitudinis eſſet, totum tamē ſe intra virginei thalami clauſtra recepit: vnde ESAIAS ſpiritu prophetico id vidēs, congratulatus fuit Virgi-

Eſa. 12. ni dicens: *Exulta, & lauda habitatio Sion* (quæ *ſpeculum* ſeu *ſpeculatio* interpretatur) *quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael.*

V. RVRSVS, ſicut ſpeculum, niſi ſit purū, & clarū, non poteſt aſpiciens in illud ſuam in eo imaginē, & figuram imprimere: ita Deus Pater minime ſuā figuram, h. e. filium, qui imago expreſſa eius eſt, in hoc Mariano ſpeculo imprimeret, niſi eſſet omnis ſordis expers, ab omni macula alienum, & pluſquā Angelica puritate conſpicuum. Experientia quidē compertum eſt abſq; igne hac induſtria ignem accendi; ſi enim ſumas ſpeculum purum, & ſplendidū & ſolarib. radiis illud exponas iuxta materiam diſpoſitam, continuo ex reflexione, & reuerberatione radiorum ſolarium in ſpeculo facta, ignis generatur; ad eundem modū Deus *Sol iuſtitiæ* ignitos fœcundantes virtutis ſuæ radios in Marianum ſpeculum mittens, continuo inde virtute ſpeculi, & radiorum ſolarium accenſus fuit ignis, hoc eſt,

Deut. 4. genitus fuit in tēpore Dei filius, *qui ignis conſumens eſt.* vnde ipſe ipſe dixit: *ignē veni mittere in terram,*

Matth. 1[2]. *& quid volo, niſi vt accendatur?*

VI. AD hæc ſicut radius ſolaris ingreditur, & egreditur ſpeculū abſq; vlla integritatis ſpeculi violatione, ita Chriſtus Dominus per conceptionem vterū Virginis ingrediens, & ab eo per partū inſtar radii ſolaris egrediēs virgineæ matris ſuæ integritatē non læſit, non labefactauit, non minuit, ſed ſacrauit, ac rutilantem magis, & ſplendidiorē reddidit. hinc eleganter D. AVG. huius ſpeculi meta-

D. Aug. ſerm de Natiuit. Dom. phoræ non immemor dixit: *Solis radius ſpeculum penetrat, & ſoliditatem eius inſenſibili ſubtilitate pertranſit: & talis videtur intrinſecus, qualis eſt extrinſecus: itaq; nec cū ingreditur, nec cum egreditur, illud diſſipat: quia ingreſſu, & egreſſu eius ſpeculum integrū perſeuerat Speculum ergo nō rumpit radius ſolis, & integritatem Virginis ingreſſus, aut egreſſus vitiare potuit diuinitatis?* illud ēt mirabile contēplari licet in hoc Mariano ſpeculo, quod cum alioquin ſpecula illa imperfecta eſſe cenſeantur, quæ vultus magnos ſibi obiectos paruos referant, magnam tamē huius ſpeculi perfectionem indicat, quod ſiue homines, ſiue angeli in illo ſe intueantur, omnes illos paruos, & exiguos in oculis ſuis reddit, quia Mariæ celſitudinem, & ſanctitatis eius magnitudinē contemplantes, quaſi non ſint. ſic ſunt coram ea, & tāquam nihilum & inane in comparatione tātæ matris ſe reputant. Sed quid mirum, quod Marianum ſpeculū aſpicientes in ſe creaturas exiguas, ac paruulas reddat, cum Deum ipſum tanta magnitudine præditum, vt cœlum & terram ſua immenſitate

Ierem. 2[3]. repleat, ipſo dicente: *Cœlum & terram ego impleo;* ita ipſa abbreuiauerit, & ad paruam quantitatem

Eſa. 9. reduxerit, vt ESAIAS diceret: *paruulus natus eſt nobis;* & quod mirabilius adhuc eſt, ipſe minimo ver-

2. Reg. 2[3]. miculo ſe compararet: *Tanquā tenerrimus ligni ver-*

Pſal. 21. *miculus:* & alibi: *Vermis ſum & non homo.*

VII. QVID plura? niſi vt pulchram hanc ſpeculi ſimilitudinem ad mores iam conuertamus: Maria certe inſtar fulgentiſſimi ſpeculi nobis eſſe debet, quia ſicut ſpeculū maculas, ac deformitates eorū, qui in illo ſe intuētur, manifeſte detegit, & vt illas abſtergant, tacite ſuadet; ita ſuperbi reſpicientes ſe in hoc humilitatis ſpeculo, elationis ſuæ maculas abiicient; auari ſingulare hoc paupertatis ſpeculū contemplantes, cupiditatem (quæ radix eſt omniū malorum) exſtinguent; libidinis æſtu ardentes puriſſimum hoc caſtitatis ſpeculum ante oculos ſibi proponentes, miros caſtimonię amores concipiēt.

D. Ambr. lib. 2. de Virg. vnde D. AMBR. eleganter dixit: *Sit vobis tanquam in imagine deſcripta virginitas, vitaq; Mariæ, in qua velut in ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis & forma virtutū.* certe ſicut olim ſapientiæ præſes Minerua fœdū buccarum tumorem nūquam depoſuiſſet, niſi deformitatem vultus in liquidis vmbris Meandri, tāquam in ſpeculo, animaduertiſſet, vidit n. tibias, abiecit, & tumor receſſit; ſic ſane niſi permulti fidelium ſpeculū hoc Marianum aſpexiſſent, nunquā irregularem vitæ ſuæ rationem, & ſuos mores cō-

poſuiſ-

posuissent. ad amussim hoc figuratum reperio in Exod. vbi lego Moysem fecisse concham quandã super basim positam variis mulierum speculis circumornatã. vt sacerdotes in illis se aspicientes maculas ablueretent. Verba Moysis sunt hæc: *Missa aqua lauabunt in ea Aaron, & filij eius manus suas, ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij, & quãdo accessuri sunt ad altare*: vbi obiter obseruo, quod Theodoretus scribit, inter cæteras Ægyptiacas superstitiones hanc vnam fuisse, quod mulieres precaturæ, & sacra operaturæ, stolis lineis amictæ, dextra sinistrum, sinistra speculum tenerẽt: hæc specula mutuo accepta Israelitida, in desertũ asportasse, & partim de illis, partim de propriis Moysi in anathema obtulisse. Placuit idem B. Cyrillo Alexandrino, & Procopio Gazæo, dicentibus ipsas in Ægypto Hebræas hac superstitione imbutas. Nihil dubito propria his mulierculis specula fuisse, non superstitionis tantum, sed ornatus quoq; gratia: vel cedo gentem, vbi non huic sexui delitiæ speculares? mulieres se non putarent, si specilis carerent. Nonne & Esaias in mundo muliebri illa recenset?

Exod. 37. *Exod. 30.* *Theod. in catena Zeuiri.* *Esa. 3.*

VIII. Quemadmodum ergo in Euangelica historia legimus de pœnitente peccatrice, quib. Deum offenderat, vnguẽtis, manibus, labris, coma, nihil non eorum Saluatori nostro impendisse; sicut etiã à Gentilium pugilibus cestuum põdera, à venatoribus plagarum, & cassidum inuolucra, à gladiatorib. sanguine, ac tabe maculosa tela, à prostibulariis crotala, tympana, & vt de Laide legitur, speculũ Veneri, Herculi, Dianæ, Polluci, Pseudotheis, ad fanorum postes affigebantur: si Hebrææ mulieres, quæ dissolute viuere desiderabant, in deserto cũ essent pristinæ vanitatis, & in comendo moliendoq; curiositatis pertęsæ, ipsa solitudine, peregrinatione, labore, tribulatione, vt fit, pietatem edoctæ, in testimonium pœnitentiæ, quæ fuerant mundi, & carnis arma relictæ militiæ, seu malitiæ instrumenta pro tabernaculi ornamẽtis Deo Opt. Max. dedicarunt (nam non omnes hoc promiscue mulieres factitarunt, sed quæ ad tabernaculi ostia excubabant, nimirum selectę, & addictæ si non voto, sponte saltem & voluntatis ardore) B. Virgo nobis tanquã splendidissimũ speculum proposita est, vt maculas nostras agnoscentes nos ipsos vere cognoscamus; & per hanc nostri cognitionem ad Dei notitiam ascendimus; qui enim se nouit creaturã, nescire nequit aliquem esse Creatorem; qui se scit seruum, ignorare non potest habere se Dominum; qui nouit se aliquando non fuisse, hunc non latet esse alium, per quem factum, vt qui nõ erat, existeret; qui callet se propriis virib. subsistere non posse, non potest non suspicere aliũ, à quo cõseruatur; hinc timor, hinc amor, hinc fides, hinc spes, cæteræq; virtutes pullulant; ecce quot bona pariat vnica notitia sui. Ideo Seraphicus noster sanctus Pater Franciscus, quam contemptor mundanæ & breuis voluptatis, tam studiosus diuinæ & æternæ sapientiæ, hoc vnũ per totam noctẽ orabat: *Norim me, norim te Domine*: ideo etiam magnus Anton. monachorum Pater scripsit *Quicunq; cognouerit semetipsum, cognoscet dispensationem proprij conditoris, vel quacunq; facit in propriis creaturis*; ideo etiam & Greg. Theologus monuit:

Greg. Nazian insuis Carmin.

> *Te noscas, & qua tibi sit cœlestis origo,*
> *Sic facilis venies ad decus architypum.*

ideo & nationes quoq; in cœco gentilitatis nubilo caligantes, vt sui notitiã adipiscerentur, illud Chilonis Sparthani siue Solonis Attici, vt auctor est Ausonius in ludo septem sapientum: *Nosce te ipsũ*, non tantum delphicæ columnæ inscripserunt, sed vt cœlitus delapsam vocẽ summa veneratione coluerunt. Et quia speculi vsus ad sui notitiam singularis est, idcirco Socrates (teste Apuleio) discipulis consulebat se quotidie ad speculum ornare, vt si formosi apparerent, formam faciei pulchritudine morum vincerent; sin deformes, labem hãc vultus noxamq; animę formositate abolerent: nec minus acute Avicenna, quib. os distortum erat, iubebat frequentius in speculum inspicere, vt oris ignominiam verborum honestate tegere niterentur.

Apul. li. de Deo.

IX. Ad extremum quemadmodũ speculum imagines omnium in illo se aspicientium, siue parui, siue magni, siue nobiles, siue ignobiles, siue iusti, siue peccatores, facile recipit, sic B. Virgo omnes ad se confugientes intra viscera sua materno affectu suscipit; nã si D. Paulus charitate flagrans dicebat: *Græcis, & Barbaris, sapientibus, & insipientibus debitor sum*; & alibi: *Omnibus omnia factus sum*: manifestum est beatam Virginem ob excellentissimam suã charitatem omnes, eius auxilium implorãtes, beneuole suscepturam, vt in hoc sæculo, & in futuro Iesum benedictum fructum ventris sui illis ostendat: Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Ad Rom. 1. *1. Cor. 9.*

HOMILIA XX.

Quæ latent arcana in discessu Angeli à Virgine, panduntur in illa verba: & discessit ab illa Angelus.

I. Æternum Patrem missurum ad B. Virginem Angelicũ paranymphum ad Verbi diuini cum natura humana celebrãda connubia, contẽplor dixisse verba illa Canticorum. *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortũ meũ, & fluant aromata illius*; quæ vt melius intelligãtur, obseruandum est, sub metaphora duorum ventorum Aquilonis, & Austri duos significari Angelos, Luciferum, & Gabrielem, hunc interuentorem salutis, illum mediatorem perditionis. apte autem nomine ventorum significantur hi Angeli propter mirã eorũ velocitatẽ. vnde David ait: *Qui facit Angelos suos spiritus*, id est, veloces nũcios. Lucifer quidẽ Aquilonis nomine nuncupatur, quia in lateribus Aquilonis apud Isaiam se sessurum

Cant. 4. *Psal. 103.* *Esaia 14.*

gloriabatur: certe quando perflat, ventum emittit Aquilonem, hoc est, infectum, & pestilentem, quia dictum est, quod *ab Aquilone pādetur omne malum:* (Ierem. 1.) Gabriel vero è contra, cum ante Deum adstet, & ab eo mittatur, de quo ABACVCH Propheta dixit: *Deus ab austro venie*, austerino spirauit flatu, vnde dicens Deus: *Surge Aquilo*, surgere compulit Luciferum è mundo: (Ioan. 12.) *Nunc princeps huius mūdi eiicietur foras*: Gabrieli vero dicit: *veni Auster*, & verbis salutationis perfla hortum Marianum, sufflauit quidem ille adeo beneuole, vt adhunc flatum, Spiritu sancto in eam superueniente, cœperint varia illius conclusi horti fluere, aromata, in quā, eximiæ prudentiæ: (Luca 1.) *Quomodo fiet istud?* aromata insignis pudicitiæ, & sanctimoniæ: (Ibid.) *Quoniam virum non cognosco*; aromata tandem profundæ humilitatis, & promptissimæ obedientiæ: (Ibid.) *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*: quibus Deo odoriferā ad eo se præbuit, vt filius Dei tanti odoris suaueolētia allectus, de sinu patris in vterum eius descendere non dubitauerit.

II. REFERT historia Scholastica, ex antiquissimis Doct. Israelitis sub tyrannica Pharaonis seruitute misere degentib. filios eorum, cum primum nascebantur, crudeliter ab Ægyptiis interfici; quare quidam eorum ab vxoribus se abstinebant ne filios progignerent, qui sua nece grauem eis dolorē inferrent: vxores autem eorum, in fide quidem firmiores, credentes verum Messiam ex Hebræa fœmina nasciturum, varia specula acceperunt (quæ postea in templo dicata fuere) vt se ad intuitum illorum componentes, & muliebri mundo ornātes, maritos ad habendam ex eis prolem vehementius allicerent; placuit id mirum in modū Deo propter pium finem, & scopum, quem in eo ornatu sibi præfixerant: non dissimiliter cum B. Virgo naturā humanam obseruasset execrabilem factam Deo, omnesq; Adæ filios à dæmone in conceptu enecari, & paucis labentibus annis multis postea sordib. cōmaculari, adeo vt ipse Dominus diceret: (Gen. 6.) *Non permanebit spiritus meus in homine in æternū, quia caro est*: quib. verbis videbatur sane se separare, longeque se sequestrare à natura humana: at beata Virgo diuino zelo accensa, vt huic tanto malo mederetur, tot spiritualibus monilibus, & ornamentis, diuina gratia adiuuāte, se cōdecorauit, vt Spiritus sanctus eius amore captus non solum eam in dilectissimam sponsam sibi assumeret, sed mirifice adeo fœcundaret, vt diuino eius spiramine afflata, quem Deus ab æterno filium genuit, eundem & ipsa in vtero suo conciperet.

III. TRADIT autem sacer Euangelista, cōcepto iam Christo continuo Angelum discessisse, (Luca 1.) ex quo colligo discrimen obseruatione dignum inter rubum illū Moysis ardentem, Deiparā adumbrantē, & ipsam B. Virginem filium Dei vtero suo continentem: in rubo enim ardenti Angelus aderat, & ab eo, dum ardebat, non discedebat: ab hoc vero Mariano rubo, diuinitatis præsentia ardente ob temporalem filii Dei cōceptionem, continuo Angelus aufugit, Euangelista dicente: *Et discessit ab illa Angelus*: in quorum verborū commentario, quæ Seraphicus noster sanctus Doctor BONAVENTVRA sapienter scripsit, nō grauabor hic annectere: *Discessit ab illa Angelus, sic enim ostendebat facto, quod Raphael Tobiæ dicebat verbo: tempus est, Virgo, vt reuertar ad eum, qui me misit, & de Petro dicitur, quod ipso educto de carcere cōtinuo discessit angelus ab eo. Ab ea angelus discessit, sed in ea remansit Dei filius, discessit quantum ad apparentiam, sed remanserunt multi quātum ad custodiā. En lectū Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel. Isti sunt angeli beatissimi, qui custodiebāt eā tanquā locū diuinæ habitationis electissimum; vnde etsi beneficiū custodiæ sibi impenderent propter infirmitatē carnis, cultus tamen reuerentiam exhibebant propter dignitatē matris, & sic quodammodo per ipsam ascendebant, & descendebant. Vnde designata fuit per illam scalam, cui Dominus erat innixus, & Angeli per illam ascendebant, & descendebant, quam vidit Iacob, & postea sequitur: Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli, quia nullus potest iam cœlum intrare nisi per Mariam transeat, tanquam per portam: sicut enim Deus ad nos venit per ipsam, ita per ipsam nos oportet redire ad Deum. Et ideo dicitur, domus, porta, & scala domus propter Christi conceptionem, porta propter Christi partum, & scala propter ascensum ad Deum. Non ergo discedamus ab ea, sed eius pedib. prouoluti semper etiam salutemus.* hactenus D. Bonauentura. (D. Bona. sup. c. 1. Lu.)

IV. SED nunc causas Angelici discessus, & sacramenta, quæ in eo latent, aperiamus: sane sicut ille cum missum sibi ministerium sedulo peregisset, ita suo discessu rem, ob quam aduenerat peractam esse ostēdit. Verum aliam magis absconditam huius discessionis causam tradit D. ATHANASIVS, nimirū (D. Athan. serm. de Deip.) Angelum discessisse, ne quis hæreticus putaret ipsum Angelum carnē illā assumpsisse, & nō verbū Dei, contra id, quod dicitur apud ISAIAM, secundum editionem LXX. Interp. (Isa. 53.) *Non legatus, neq; angelus, sed ipse Dominus saluabit eos*: quasi dicat, quod non angelus, qui nunciauit Mariæ, in incarnatione filii Dei carnem assumpsit in vtero Virginis, sed ipse Dei filius, qui solus poterat saluare nos, quē admodum cōmuniter explicant SS. Patres, & inter eos D. AVG tr. 24. super Ioannem. Sed & aliam causam discessus angeli meditari possumus, quæ maxime commendat singularem dignitatem Mariæ Virginis post conceptionem Christi. Est autem huiusmodi: Archangelus Gabriel, vt opinor, ille est, cui commissa est specialis cura seruiēdi beatissimæ Virgini, non solū post ascensionē Christi, vt docet D. ILDEPHONS. ser. 5. de assumptione Mariæ, sed ēt ab initio suæ natiuitatis, vt credit D. BERNARD. epist. 77. ad Hugonem; cuius rei hæc potest esse ratio: quia vt D. THOM. docet, est satis probabile, (D. Thom. 1. p. q. 113. a. 2. & 3. ad 1.) quod maiores angeli deputentur ad custodiam illorum, qui sunt ad maiorem gradum gloriæ à Deo electi: cumq; beatissima Virgo electa sit a Deo

inter omnes puras creaturas ad summum gradum gratiæ, & gloriæ, & vt esset mater filii Dei, consequens profecto est, vt eius custodia summo Archangelo, qualis est Gabriel, commissa à Deo fuerit, atque in huius veritatis confirmationem veniunt explicanda verba illa angeli Gabrielis ad IOAN. Euang. volentem illum adorare: *Ne feceris, conseruus tuus sum.* Scio quidem quosdam Doctores dicere *conseruum* ab Angelo Ioannem appellatum propter insigne virginitatis, & angelicæ puritatis, quo ille mirifice fulgebat; nec etiam me latet Doctores alios putasse, id dixisse Angelum ad dignitatem sacerdotalem attendens, qua Ioannes erat insignitus: ac tandem lego etiam Doctores alios asserentes, ea propter Angelum non permisisse à Ioanne se adorari, quia cum Deus homo factus esset, non Angelus, quandam inde mutuare cœperat dignitatem super Angelum, licet alioquin ante incarnationem frequenter angeli ab hominibus se adorari sinerent: mihi autem haud difficulter persuadeo, Angelum conseruum Ioannis se vocasse: *ne feceris; conseruus tuus sum*; quia in ministerium custodiendi Virginem, & ei inseruiendi ambo à Deo erant deputati. Apoc. 19.

V. POST conceptionem ergo filii Dei in virgineo vtero discessit à Virgine angelus Gabriel; non tantum vt erat nuntius Dei, sed etiam (quod satis probabile arbitror) vt erat custos ipsius Virginis. Vidit enim eam in tantam altitudinem dignitatis deuenisse, vt iam inciperet esse mater Dei, & habere in vtero virginali filium summi patris, indutum carne humana; atque adeo plane intellexit, nullo modo indigere custodia Angeli, quæ mater erat regis Angelorum: ait enim D. THOM. quod quamdiu pueri sunt in vteris maternis, non indigent custodia proprii Angeli, sed Angelus, qui est custos matris, custodit etiam prolem in eius vtero existentem; eo quod non est totaliter ab ea separata, sed quodammodo adhuc est aliquid ipsius: quemadmodum idem custos est, qui arborem custodit, & fructum, qui ab ea pendet. In hac autem mirabili conceptione Christi in vtero Virginis è conuerso se res habere debuit: quod mater sequitur conditionem, & proprium statum filii, quem habet in vtero: Filius autem Virginis non poterat habere Angelum custodem, vt D. THOMAS docet eadem quæst. Primo, quia secundum quod homo, regulabatur immediate & custodiebatur à Verbo diuino: secundo, quia quantum ad animam erat beatus, & comprehensor, & consequenter non habebat angelum tanquam custodem, sed tanquam ministrum inferiorem, qui ei inseruiret. Idem ergo Verbum diuinum quod custodiebat, & dirigebat Christum filium Mariæ Virginis, erat etiam custos suæ integerrimæ matris, iuxta illud ISAIÆ: *Ego Dominus, qui nocte & die seruo eam.* D. Thom. ubi supr. Ibid. art. 4. Isaia 27.

VI. CÆTERUM quæ verba Angelus Mariam iterum in discessu salutans vsurpauerit, reticent Euangelistæ, potuisset tamen iure optimo verba illa DAVIDIS sibi vsurpasse: *Dominus custodit te, Dominus protectio tua, Dominus custodiat te ab omni malo, custodiat animam tuam Dominus: Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum.* Illud tamen tanquam omnino certum puto, Angelum discedentem à Virgine maiorem ei reuerentiam exhibuisse, quam cum ad eam salutandam eius domunculam ingressus est; quia tunc tantum ad futuræ Dei matris dignitaté electa, nunc vero iam post Christi conceptionem in eius possessione constituta erat, & ideo excellentiori hyperduliæ adoratione tanquam veram Dei Genitricem coluit. Psal. 120.

VII. AD extremum silentio non præteribo eorum interrogationi facere satis, qui quærunt, quare cum mysterium incarnationis celebratum fuerit post prolata Virginis verba: *Ecce ancilla Domini*; atque adeo ante discessum angeli ab ea, vt docent IRENÆUS, TERTULLIANUS, S. ATHANASIUS, & D. DAMASCENUS; quare inquam, Euangelista Christum Dominum fuisse iam conceptum in vtero Virginis taciturnus præteriit? Respondeo, mihi videri non præteriisse, nam cum angelus dixisset: *Ecce concipies & paries*: certe dum B. Virgo ei consentiens respondit: *Fiat mihi secundum Verbum tuum*, satis vtiq; Euangelista id recensens, factam fuisse iam Christi conceptionem edixit: Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen. Luca 1. Iren. lib. 1. c. 2. & li 15. Tertul. lib. de carne Christi. S. Athan. serm. de Deip. S. Damasc. lib de Sp S. Luca 1.

* * *

FINIS LIBRI QUINTI.



DE SACRIS ARCANIS VISITATIONIS B. VIRGINIS, AC DE CELEBERRIMO, quod in illa cecinit, Cantico,

LIBER SEXTVS.

Homilia I.

VETERIS TESTAMENTI ARCÆ DOMVM OBEDEDOM VISITANTIS egregiam figuram, Marianam visitationem adumbrantem, adducimus; prius tamen difficultates, quæ circa eius historiam occurrunt, enodamus in illa verba: Exurgens Maria abiit in montana, *cum reliquis Mariæ visitationem enarrantibus.*

I. *D. Greg. in 6. par. hom. in ep. vig. Visit.*

MAGNVS GREGORIVS homilia in vigilia Visitationis, excellentiam diuinorum arcanorum, quæ in Marianam visitationem simul confluunt, admirans in hæc verba prorupit: *Quod illæ honestissimæ Matronæ plenæ fide, & Spiritu sancto conueniunt, & mutuis testimoniis datis, & acceptis adinuicem declarant Messiam præsentem, & exhibitum, & esse hunc Iesum filium Virginis recens iam conceptum, cui infans in vtero Elisabeth exilit gaudio inusitato, & præternaturali, illa tanta sunt, & tantorum bonorum testificatio, ac confirmatio, vt in tota æternitate celebrari satis, & exhauriri cogitatione, & sapientia omnium creaturarum nequeant.* Nos tamen his non dissentientes, si non pro dignitate, pro viribus tamen (diuina gratia nobis opitulante) multifariam multisque modis Mariæ visitationem illustrare, eiusque arcana aperire conabimur; prius tamen dubia nonnulla, quæ eius historiam concernunt, breuiter dissoluemus.

II. OMNES quidem Doctores vnanimi consensu fatentur, B. Virginem profectam fuisse ex oppido Nazareth, prouinciæ Galilææ, vt clare colligitur ex S. LVCA; Doctores tamen opinionum diuersitate agitantur circa tempus, quo cœpit iter facere, & an Ioseph eius sponso associata perrexerit; & an pedestris, an equestris iuerit, & quænam ciuitas illa fuerit, vbi erat domus Zachariæ, ad quam B. Virgo diuertit; ac tandem an recesserit ab illa ante partum Elisabeth, an post illum? hæc omnia oportet prius elucidemus, antequam sacerrimæ huius visitationis recondita sacramenta reserare aggrediamur. *Lucæ 1.*

III. AD primum ergo accedentes, D. AMBROSIVS, BEDA, ORIGENES, & THEOPHYLACTVS super Lucam docent, B. Virginem eodem die paulo post Angelicam salutationem iter arripuisse in domum Zachariæ; ego tamen ex Euangelica lectione verosimilius esse colligo, B. Virginem non fuisse profectam in ipso die Angelicæ salutationis, sed transactis paucis aliquot diebus; sacer enim Euangelista ait: *Exurgens autem Maria in diebus illis*; non dixit, *in illa die*, quod alioquin diceret, si in eadem die discessisset. Ratio etiam eidem opitulatur; quia cum iter illud longum adeo esset, vt BROCHARDVS, & auctor historiæ Ecclesiasticæ, septuaginta milliarium longitudinem ei assignent, consequens est B. Virginem præparatione aliquorum dierum indiguisse ad necessaria pro longo itinere procuranda, & vt domus suæ curam alteri commendaret.

D. Ambr. sup. cap. 1. Lucæ. Beda in c. 1. Lucæ. Orig. sup. c. 1. Luc. Theophyl. ibid. Luc. 1. Brochar. in descr. terræ sanctæ. Auct. lib. hist. Eccl.

IV. AN autem pedestris se contulerit, Doctores silentio prætereunt; forsan tanquam rem exploratam relinquentes, teneram alioquin Virginem itineribus minime assuetam non pedestrem, sed alicui humili equo insidentem, instar Christi Domini, qui super pullum asinæ insidens in die palmarum ingressus est Ierusalem.

V. AN autem B. Virginem in hoc itinere comitatus fuerit sponsus eius Ioseph, licet multi refragentur,

Bonau. lib. de vita Christi.

gentur, S. tamen BONAVENTVRA comitem illius fuisse his verbis clare edocuit: *O qualis domus, qualis camera, qualis lectus, in qua, & in quo commorantur, & requiescunt tales matres, talibus filiis fœcundatæ! Maria, & Elisabeth, Iesus & Ioannes: sunt autem ibi magnifici senes, Ioseph, & Zacharias. Quid quaso iucunditatis defuit S. Ioseph, siue dum nouam coniugem in itinere comitatur, siue dum in obsequio Elisabeth demoratur.* hæc ille. Eidem opinioni adhæsit firmissime ISIDORVS de ISVLANIS, antiquus auctor Mediolanensis, Ordinis Prædicatorum, qui egregiam ad id rationem adducit; verba eius sunt hæc:

Isid. de Isul. lib. de vita S. Iosephi.

Quamuis neminem affuisse visitationi B. Virginis, & Elisabeth diuinæ referant litteræ, nullus tamen est sanæ mentis, catholicique ingenii, qui Mariam Virginem, tenera ætatis, solam domo recessisse asseueraret. Creduntur enim à Nazareth vsque ad oppidum Zacharia esse fere quadraginta milliaria. Ratio itaque officiumque S. Ioseph, atque auctoritas nos credere cogunt, visitationi S. Mariæ, & Elisabeth eundem interfuisse. Non enim ratio recta consentit, Ioseph quauis occasione sponsam diuinitus acceptam dereliquisse, ac passum fuisse Virginem tantam sine se longum iter subire. hactenus ille: subscribit etiam eidem LAVRENTIVS MASELLI de vita B. Virginis lib. 2. & lib. 4. c. 1. & SALMERON tom. 3. tractat. 10. & OROSCVS declam. 5. Fateor id difficile reddere hanc sententiam, quod si Ioseph visitationi interfuisset, & audisset verba Elisabeth matrem Domini sui Mariam vocantem, minime postea dubitasset de suæ sponsæ fidelitate; sed huic obiectioni iam responsum dedimus supra lib. 4. de Desponsatione Virginis cum Iosepho.

VI. CÆTERVM de ciuitate, in qua Zachariæ domus sita esset, varia Doctorum placita reperio: nam EVTHYMIVS censuit nescio quo solido fundamento illam ciuitatem, quæ in tribu Iuda erat, montana appellari. & ideo Euangelista: *Abiit in montana.* vnde NICOLAVS de LYRA in commentar. huius loci ait: *Montana proprium est nomen loci secundum quosdam, qui locus, in quo manebat Zacharias, erat altior Galilæa, à qua recessit Maria.* Verum hæc opinio ex verbis ipsius Euangelistæ falsa conuincitur, quia infra dicit, quod *super omnia montana Iudaa diuulgabantur omnia verba hac;* non ergo montana erat proprium nomen ciuitatis. Cardinalis TOLETVS ait: *Quidam alij affirmant esse Bethlehem, eo quod in quodam exemplari Graco se legisse testantur, in ciuitate Dauid, qua lectio si vera esset, dubitationi non daretur locus, cum eo nomine Bethlehem dicta legamus Iohann. 7. nonne scriptura dicit, quia de semine Dauid, & de castello, vbi erat Dauid? cum vero exemplaria fere omnia & Graca, & Latina habeant, ciuitatem Iuda, sicque antiqui Doctores interpretentur, minime censendum est, ibi significari Bethlehem.* D. vero BONAVENTVRA, venerabilis BEDA, HVGO Cardinalis, & ALBERTVS MAGNVS opinantur Vrbem illam fuisse Ierusalem, quam per Anthonomasiam Euangelista vocauit *Ciuitatem*, quia omnium ciuitatum optima erat. Sed difficulter id persuadere poterunt, tum quia Ierusalem ad Tribum Beniamin potius, quam ad Tribum Iuda pertinebat, vt constat ex libr. IOSVÆ, vbi perspicue Ierusalem inter vrbes Tribus Beniamin annumeratur; ciuitas autem, vbi habitabat Zacharias, ciuitas Iuda vocatur à D. LVCA, id est, in sorte tribus Iuda sita: tum quia Zacharias in ciuitate sacerdotali habitabat; Ierusalem autem ciuitas erat regia, non sacerdotalis; tum tandem quia in sacris eloquiis nunquam reperitur, quod Ierusalem sub nomine *Montana* appelletur, quin potius semper Euangelistæ nomine *Ierusalem* illam vocitant.

Luc. 1.

Card. Tol. sup. cap. 1. Luc. annot. 116.

D. Bonau. ad c. 1. Luc. Beda, & Hugo c. 1. Luca. Alb. Mag. super missus.

Iosue 1[illegible].

VII. AT Cardinalis BARONIVS verosimilius multo putat ciuitatem hanc, ad quam Deipara se contulit, esse Hebron; erat enim ciuitas Hebron in montanis Iudææ sita, & ad sacerdotes pertinebat, vt constat ex libr. Iosue: cum ergo Zacharias sacerdos esset, prudenter ibi commorari creditur. vnde doctissimus BEVXAMIS hanc opinionem referens, & approbans in sua Euangel. Harmon. ait: *Sunt tamen alij, qui ciuitatem hanc vnum ex his oppidis esse existimant, qua de tribu Iuda, & Simeon Leuitis data sunt, vt scribitur Iosue 21. inter qua Cariatharbe, qua & Ebron in monte Iuda est, Iosue 14. Brochardus vero in descriptione terra sancta, Zacharia domum sitam fuisse scribit ad vallem Rephaim, non longe à Ierosolyma finibus, sed tamen in montanis: idem satis ostendit, & Nazareth ciuitati, & Ierosolymis montes vicinos fuisse, cum & ipsam Ierosolymam, & iter ab Acone versus Eurum describit.* Confirmat idem singularis coniectura & congruentia, quia ciuitas hæc Cariatharbe, vrbem *Arbee*, quæ *accubitum*, vel *quatuor* significat, vt periti Hebraici idiomatis tradunt: dicunt autem nonnulli, ciuitatem illam ea ratione *quatuor* appellari, quia quatuor insignes viri Adamus, Abrahamus, Isaac, & Iacob in ea sepulti iacebant, qui & addunt, forsan vrbem illam de tribu Iuda dictam, cum alioquin ad tribum Beniamin pertineret, quia Dauid à tribu Iuda oriundus è Philistheorum possessione in brachio forti illam tulerat, vt legitur ad caput 5. 2. Reg. vnde recte MARTINVS DEL RIO auctor eruditissimus in sua florida Mariana: *Nonne igitur in Cariatharbe Rex, quando Christus in accubitu suo? Nonne Christus in accubitu suo, quando Maria in Cariatharbe dedit odorem suum? Nonne regi nostro felici hodie in Cariatharbe ingressu, regni sui possessionem auspicanti, nomen quadriliterum, nomen illud tremendum, & ineffabile? Nonne, qua ciuitas huius regis, vere ciuitas quatuor litterarum? ciuitas Dei, cuius nomen in omni ferme sermone & idiomate totidem litterarum quatuor? nonne Cariatharbe ciuitas vere quatuor incomparabilium, cum in ea simul Elisabeth, & Ioannes, Maria, & Iesus? nonne hic Cariatharbe nardum spirat quatuor ex locis, vt humilitatem diffundat in quatuor cardines*

Card. Bar. in suis Annot.

Iosue 21.

Beuxamis in Harm. Euang. sup. c. 1. Luca.

Aug. Cœlest. super missus. disc. 30.

vniuer-

vniuersi? spirat humilitatem Elisabeth, spirat Ioannes spirat Maria, spirat & Iesus. O felix Cariatharbe, nequaquã tu minima in vrbibus Iuda; tolle Bethlehem, tolle Ierosolymam, supra cæteras altius caput attollis. Hæc a Chamo (si Hebræis scripto ib. credimus) condita ante cunctas vrbes Palæsthinã, & Memphim Ægyptiam, multis ante Christum natum annis bis mille ducentis stetit. Hic gigantes stirps Enachim habitauere; hic Chalebus fortissimus, & fiduciæ in Deum plenissimus imperauit, hic Iacob & Lia, Isaac & Rebecca, Abraham & Sara, imo & Adam, vt multi opinantur, sepulti iacebant.

Abul. q. 22 in c. 2 Gen.
Arand. de scr. terræ S. cap. 37.
Brochard. 1. p. hist. suæ c. 7. §. 68.
Clicthou. lib. de visit. virg. c. 2.

VIII De distantia autem huius ciuitatis Cariatharbe siue Ebron ab Ierosolymis multiplex est auctorum sententia, nam ABVLENSIS ait, distare octo leucis: GAGNÆVS milliarib. quatuor: ARANDA terræ sanctæ diligẽs explorator inquit: *A ciuitate sancta milliario vno distat S. Crucis templum, ab hoc templo milliaribus quatuor distat templum alterum, in eo domus est illa, in qua Baptista in lucem est editus; ad arcus iactum tertium est templum in domo Zachariæ extructum.* BROCHARDVS tandem hæc scribit: *Ex Ebron tribus Leucis contra Aquilonem parum tamẽ declinando ad occidẽtem est Nachal-Escol, id est, Torrens botri, vnde exploratores missi à Moyse tulerunt botrũ, à Nachal-Escol sex Leucis contra Ierusalẽ est domus Zachariæ.* putat autem credibile CLICTHOVEVS (quod & de Virginis mira pietate facile mihi persuadeo) Mariam, antequã Elisabeth inuiseret, Ierosolymitanum templum visitasse, vt pro tanto incarnationis in vtero suo celebrato mysterio in domo Dei debitas suo Creatori referret gratias.

Luc. 1.
Theoph. in 1. c. Lucæ.
Rupert. lib. 1. in Cant.
Luc. 1.

IX. AD extremum restat iam explicemus, num B. Virgo, Euangelista dicente, quod quasi per tres menses in domo Zachariæ remanserit: *Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, & reuersa est in domum suam,* præsens fuerit partui Elisabeth; THEOPHYLACT. quidem minime affuisse putat & rationem adhibens ait: *Abscedit Virgo propter eorum multitudinem, qui ad partum conuenturi erant; indecens autem erat Virgini in talibus versari.* subscribit RVPERTVS Abbas dicens: *Singulari consilio factum est, vt illa tanti gaudii, tantaque exultationis tempus, quod Ioannis natalis attulit, non expectaret, sed sepotius mature subduceret, antequam cognati, vicini & amici concurrerent, nouaq; puerperæ post natum filium ex more gratularentur:* placetq; hæc sententia Card. TOLETO ad cap. 11 Luc. videturque fundamentum habere in contextu ipso historiæ Euangelicæ tum quia postquam Euangelista dixerat, reuersam fuisse Virginem in domum suam, mox subdit: *Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium:* tum quia Deipara ad Elisabetham profecta est sexto mense à concepto Ioanne, & apud illam mansit quasi mensibus tribus, vt ait Euangelista, quod aperte indicat non fuisse ibi per tres integros menses; igitur tempore, quo rediit in domum, nondum nouem menses erant expleti; qui effluere solent inter conceptum & partum, & consequenter Elisabethæ partui non adfuit.

D. Ambr. in c. 1. Luc.
D. Ant. 1. p. hist. ti. 5. c. 1.
Beda sup. c. 1. Lucæ.
Glos. inter. & ord. ibid.
Lyran. in comment. huius loci.
Sim. Cas. & Orige. sup. c. 1. L.
Hugo Cardin.
B. Pet. Dam. ser. de Io. Bap.
D. Bona. ad c. 5. vitæ Christ.
D. Bern. serm. de p. Ioan. Bap.
Beda in c. 1 Lucæ.
Ruth 4.
Luc. 1.

X. CÆTERVM communiorem sanctorũ Patrum sententiam sequens, opinor B. Virginem mansisse in domo Zachariæ vsque ad partum Elisabethæ; ita docuere D. AMBROSIVS, D. ANTONIN. venerabilis BEDA, GLOSSA interlinearis, & ordinaria, LYRANVS, SIMON CASSIANVS, ORIGENES, HVGO Card. necnon B. PETRVS DAMIANVS, vbi ait: *Qui librum iustorum diligentioribus oculis inspexerunt, ibi se vidisse testantur, quod ipsa Dei genitrix felicem puerum primum de terra leuarit, & cognatæ partum omni prosequuta sit seruitute,* imo D. BONAVENTVRA censet, Virginem non solum infantem propriis manibus suscepisse, & pannis inuoluisse, sed & ibidem vsque ad Ioannis circumcisionem commoratam fuisse; ac tandem D. BERNARDVS in eandem sententiam propendens inquit: *Mansit Maria cum Elisabeth vsq; ad diem natiuitatis Ioannis, donec puerum natum sinu beatissimo confoueret, & vno pariete remoto, propinquiorem redderet præsentia Saluatoris.* Ratio itidem huic sententiæ suffragatur, nam cum B. Virgo inter alias causas, ob quas Elisabetham visitauit, non infimum locum teneat, vt Ioannem præcursorẽ Domini videret, vt ait BEDA, necnon vt antiquiori cognatæ, quoad posset, inseruiret, certe ad Mariæ pietatem, & vrbanitatem pertinebat, vt tempore partus, quo magis eius ope, præsentia, & ministerio indigebat, minime discederet, sed potius ad partus leuamen Elisabethæ adesset; imo & prolem ita foueret, vt velut de altera Noemi dici posset: *Susceptum puerum posuit in sinu suo, & nutricis, ac gerulæ fungebatur officio.* Ac tandem (quod & fundamẽta oppositæ sententiæ penitus euertit) cum constet ex Euangelica LVCÆ historia, sexto mense post conceptionem Elisabeth in eius domũ abiisse B. Virginem & in eadẽ etiam quasi tribus mensibus permansisse, certe cum præter omnes hos dies quidam alii fuerint intermedii, quibus B. Virgo & ad iter se præparauit, & illud confecit, facile omnibus bene computatis, potuerunt nouem integri menses compleri, antequam Virgo à Zachariæ domo discederet.

XI. AD illud tandem, quod nonnulli quærunt, quid sit, quod cum Mariæ visitatio contigerit prope finem mensis Martii, aut in principio Aprilis, Catholica tamen Ecclesia mense Iulio illam celebret, dicendum est, propterea id fieri, quia cum eo tempore graui quadam Ecclesiæ necessitate ingruente Vrbanus Papa propter ortum schisma, vt Beatæ Virginis animum ad illud de medio tollendum magis suis precibus alliceret, Visitationis festum instituit, quod postea Bonifacius IX confirmauit, eiusque specialem mentionem fecerunt grauissimi Patres, qui ad Concilium Basil. conuenerunt, vt constat ex sessione quadragesima illius.

XII. HIS, quæ ad Marianæ visitationis historiam, eiusque celebritatem attinent, sic prælibatis,

tis, ad celebrem illam figuram Arcæ Veteris Testamenti domum Obededom visitantis, quæ ad amussim illam delineat, sermonem conuertamus. *Reg.6.* Narrat S. Scriptura celebrem fuisse diem illum, in quo Rex Dauid iussit sacram testamenti Arcam ad locum multo retro tempore præparatum deferri: illa portabat legis tabulas, virgam Moysis, & manna, quod de cœlo descenderat, comitabantur illam triginta millia peditum, totque ad eius laudem confluxere cantores, vt in septem copiosos choros diuiderentur, idolum Dagon contriuit, Rex Dauid coram illa tripudians religiose saltauit in eo itinere, domum Obededom visitauit, totaque eius familia ob felicem in eam ingressum diuinis muneribus fuit cumulata, per tres denique menses remansit arca in domo Obededom: hæc quam apte, quæ in Mariana visitatione contigerunt, apertissime velut in perfectissimo quodam exemplari nobis ob oculos ponunt: si enim arca illa incorruptibilibus lignis compacta erat, ecce Mariam virginitatis incorruptione donatam, & cuius corpus communem pulueris corruptionem nunquam agnouit. Arca illa tabulas legis intus portabat, prodigiosam Mosis virgam, & manna è cœlo delapsum; ecce Mariam ferentem non legis tabulas, sed legislatorem ipsum, non portentosam Moysis virgam, sed potentissimum Dei brachium, per quod facta sunt omnia, nō manna de cœlo delapsum, sed filiū Dei, qui de regalibus sedibus venit: si arca illa magnâ virorū cateruâ eam comitante, eiusq; laudes decantante incedebat; ecce Mariam in hoc itinere *Cant.3.* Angelorum cœtibus stipatam, iuxta illud: *En lectulum Salomonis, sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis* *Psal.90.* *Israel*: si enim DAVID ait: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis*; quanto magis credendum est mandatum accepisse de custodienda B. Virgine; nam si Tobiam iuniorem abeuntem, & redeuntē in profectione à patre suo imperata Raphael Angelus diligenter est comitatus, quanto æquius erat, tenerioris sexus puellam & alioquin matrem Dei angelos illam associare indiuiduosque illius comites fieri? & si Regina *3.Reg.10.* Saba, vt legimus 3. REG. magno comitatu ingressa est Ierosolymam, quid de Regina cœli, & totius orbis domina nos cogitare oportet? ac tandem si Iacob olim iter agens Angelorum cuneos *Gen.32.* illum comitantes intuitus est, ita vt clamaret: *Castra Dei sunt hæc*, quomodo Christus, cuius imaginem ille ferebat, Angelorum satellitio nō circumuallatus per montana Iudææ pergeret Mariæ vtero inclusus? Arca illa idolum Dagon longe à se depulit, & in humum prostrauit, iuxta illud: *Da-* *1.Reg.5.* *gon iacebat pronus in terra ante arcam Domini*: Ecce ad ingressum Mariæ in domum Zachariæ impius Dagon peccati originalis corruit: si deinde Dauid coram Arca vilioribus indutus vestibus, & regio splendore deposito saltauit; ecce coram mystica arca Maria Ioannes intra matris claustra tripudiat, *Luc.1.* LVCA dicente: *Exultauit infans in vtero meo*: si rursus arca domum Obededom multis beneficiis prosecuta est, iuxta illud: *Benedixit Dominus Obededom, & omnem domum eius*; Ecce Maria cognatæ domum ingrediente, tot illam muneribus locupletat, vt Ioannes sanctificatus, Elisabeth Spiritu sancto repleta, ac mutus Zacharias ad pristinam loquelam restitutus fuerit: quod si de arca illa sacer textus ait: *Mansit arca Domini in domo* *Ibid.* *Obededom tribus mensibus*; ecce de hac mystica arca Maria S. LVCAS inquit: *Mansit autem Maria quasi tribus mensibus.*

XIII. ACCEDIT ad hæc duplex alia simpathia: Prima, quia sicut arca testamenti (id referente LYRANO ex Hebraica traditione super cap.15. PARALIP.) quamuis tam propter aureas laminas, quam propter Cherubinos ex vtroque latere ei adhærentes grauissimi ponderis esset, Sacerdotes tamen & Leuitæ, quasi onus leue absque vllo grauamine illam gestabant, ita B. Virgo vtero suo portans eum, qui portat omnia verbo suo, nullum prorsus grauamen sentiebat, vt his verbis obseruauit D. BERNARDVS in sermon. qui incipit (*signum magnum*) *Iure illud molestissimum tædium, quo reliquæ omnes grauidæ mulieres laborare noscuntur, sola non sensit, quæ sola sine libidinosa voluptate concepit: unde & in ipso conceptionis initio, quando potissimum cæteræ mulieres miserabilius affliguntur, Maria tota alacritate montana conscendit, vt Elisabeth ministraret; sed & ascendit Bethlehem, imminente iam partu, portans pretiosissimum illud depositum, portans onus leue, portans à quo portabatur.* idipsum etiam ante Bernardum docuerant D. HIERON. epist. ad Marcellam, & D. AVGVST. serm.11. de Nat. Dom.

XIV. SECVNDA, quia sicut discedente arca à domo Obededom doluit ille, & tota eius familia de eius recessu; ita quando Maria ab Elisabeth recessit, vehementer illa ac tota eius domus doluit, vt his verbis edixit EVSEBIVS EMISS. *Euseb. Emiss. serm. 6. Adu. in hist. de B. M. visit. Elis. c.6.* *Libet nunc intueri, quantas tunc Zacharias, & quantas Elisabeth lacrymas fuderint, quando virgo Maria recessit inde, quando gaudium & stella maris in domum suam re[illegible]sa est; Ioannes quoque quamuis adhuc in matris vtero clausus, in eius discessu non parū doluit, qui in illius aduentu tanto gaudio exultauit.*

XV. CVM ergo, fratres, ex dictis innumera bona, quæ arcam Dei religiose recipientibus illa contulit perspicue vobis innotuerint, adducite, quæso, in domum animæ vestræ mysticam hanc Mariæ arcam cum filio suo, vt benedicat vobis, & cœlestibus charismatibus repleat: audite quæ fecerit Dauid; quamprimum ille agnouit Dominum propter arcam Obededom domum benedixisse, abiit continuo, & adduxit arcam Dei de domo Obededom in ciuitatem Dauid cum gaudio: *2.Reg.6.* cum igitur vobis etiam nuntietur, quod benedixerit Dominus Elisabetham propter Virginis visitationem, abeamus & nos, & adducamus arcam hanc Dei cum gaudio in animam nostram, vt peccata

cata pellat, gratiam conferat, Spiritu sancto repleat, qui cum Patre, & Filio viuit, & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA II.

Recensentur causæ, quæ B. Virginem ad visitandam cognatam suam Elisabeth impulerunt, in eadem verba: Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana.

I. *D. Anton. 4. p. summæ tit. 15. c. 29.* DIVVS ANTONINVS Archiepiscopus Florentinus aduertens omnes admirari, quod abscondita Virgo alioquin clausuræ, & solitudinis obseruantissima, in publicum prodiret, iter multorum milliarium conficiens, in hunc modum locutus est: *Miraris fortassis, quod Virgo pudica, solitudinis amica, in penetralibus templi nutrita, tanta honestate prædita, vt neminem virorum cognoscat, cuius intuitus ad videndam paternam faciem nunquam fuerunt eleuati, quaque soli Deo in abscondito consueuit ministrare, facta sit peregrina, siue viatrix, & ad domum pergit Zachariæ, vbi mansit mensibus tribus, non tanquam eam delectaret ædes aliena, aut pudicitiæ freno soluto in publicum amet exire.* *Luc. 1.* hæc ille, quæ aperte nos excitant, imo & compellunt, vt causas diligenter inuestigemus, ob quas B. Virgo ad visitandam Elisabetham permota fuerit.

II. *Theoph. in c. 1. Luc.* ANTEQVAM tamen id præstemus, explodenda omnino est THEOPHYLACTI sententia asserentis, propterea B. Virginem ad Elisabetham profectam fuisse, vt experiens verum esse, quod Angelus de sterili Elisabetha iam grauida sibi annunciarat, fidem suam corroboraret: *Abiit* (inquit) *Virgo ad Elisabeth, & gaudens de bono cognatæ, & volens vt prudentissima maiori certitudine certior reddi, num vera dixisset, qui apparuerat ei, vt ex hoc nec de suo dubitaret, prudens enim cum esset, timebat, ne forte deciperetur, & non vt incredula, sed vt diligens rem explorare volebat:* hæc enim Theophylacti sententia præterquam quòd Catholici eam execrari debent, eo quòd duo illi hæresiarchæ CALVINVS & BRENTIVS illam docuere, *Caluin. & Bren. apud Canis. li. 4. De p. c. 4.* à veritatis scopo longe aberrat, tum quia cum Elisabeth miram Mariæ fidem commendauerit dicens: *Luc. 1.* *Beata quæ credidisti*, euidens est, non adeo tepidam & languidam fuisse eius credulitatem, vt experimento voluisset illam comprobare, cum ex sententia *D. Gregor. hom. 26. in Euang.* D. GREGORII fidei meritum ibi euacuetur, vbi humana ratio præbet experimentum: tum etiam, quia non potuit timere, ne forte deciperetur, cum post illa verba, quibus Angelus ei prædixit se concepturam & parituram filium Dei, certissime agnosceret illum esse verum angelum, & à Deo sibi missum; *D. Ambr.* vnde Diuus AMBROSIVS hanc luculenter his verbis refellit sententiam: *Non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuncio, nec quasi dubitans de exemplo; sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina præ gaudio ad montana perrexit.* *super cap. 1 Luc.* hæc Ambros. eandem & retundit D. BERNARDVS dicens: *D. Bernar hom. 4. super missus* *Quid fuit necesse etiam huius sterilis Virgini nunciare conceptum? nunquid forte dubiam adhuc, & incredulam oraculo, recentiore voluit confirmare miraculo? absit, sed ideo sterilis cognatæ conceptus Virgini nunciatur, vt dum miraculum miraculo additur, gaudium gaudio cumuletur.*

III. HAC igitur falsa explosa sententia, veras causas, quæ Virginem ad visitationem hanc perduxerunt, recensere aggredior. Illam omnium potissimam arbitror, quod cum Beata Virgo ex superuentione Spiritus sancti, & filii Dei conceptione, denuo diuini amoris igne succensa magis, ac magis i[n]desceret, charitatis opera continuo exercere diligenter curauit; vnde Vener. BEDA dixit: *Beda in c. 1. Luc. lib. 5. cap. 3.* *Typicum exemplum Virgo tribuit, quod omnis anima, quæ verbum Dei mente concipit, virtutum statim celsa cacumina gressu contendat amoris.* quia tamen amoris, & charitatis opera erga proximum non solum bona corporis, sed præcipue animæ respiciunt (quædam enim illorum sunt corporalia, quædam spiritualia:) ad vtraque B. Virgo in domo Zachariæ exercenda animum appulit.

IV. INPRIMIS ergo, vt egregie adnotauit idem Vener. BEDA: *Intrauit Virgo domum Zachariæ, non vt verbum Angeli mulieris attestatione probaret, sed vt mulieri prouectæ ætatis Virgo iuuencula ministerium sedula impenderet.* *Beda hom. de Visit.* Narrat Sacra Scriptura libro IVDICVM, quod quando arbores decreuerunt regem eligere, prima, cui regiam dignitatem, ac regale sceptrum obtulerunt, fuit oliua, *Iud. 9.* quia primum, & principalius, quod in rege à subditis desideratur, pietas est, & misericordia, cuius typum gerit oliua. B. Virginem oliuæ comparatam nemo ambigit, cum apud ECCLESIAST. dicatur: *quasi oliua speciosa in campis;* *Eccles. 24.* quia ergo B. Virgini velut mysticæ oliuæ parum ante visitationē fuerat suprema illa ac plusquā regia Dei matris dignitas collata, ideo primum, quod post acceptam hanc imperialem dignitatem diligentius ostentat, charitas est, & misericordia, vt reginam decebat: quare HVGO Cardinalis super Ecclesiastic. explicans præcitata verba: *Hugo Cardin. in cap. 14. Eccles.* *Quasi oliua speciosa in campis;* de visitatione Virginis illa intelligens dixit: *Pietas trahebat eam, quando concepto Saluatore abiit in montana cum festinatione, vt seruiret Elisabeth in partu eius.* bene etiam se comparauit *oliuæ speciosæ* in hac visitatione, quia si, vt ECCLESIAST. ait: *Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis;* *Eccles. 35.* non potuit non speciosa esse misericordia Virginis erga Elisabetham tempore partus, quo prægnantes grauius tribulantur: apte etiam dixit, *in campis*, tum quia in campestria montana abiit ad charitatis opera erga cognatam præstanda, tum vt significaret misericordiæ suæ fi-

nus instar camporum omnibus esse patentes: ad oliuas quidem hortorum non cunctis patet ingressus, ad oliuas vero camporum nemini interdicitur accessus.

V. OBSERVATIONE deinde dignum est ad hanc rem, quod in eodem capite, vbi B. Virgo oliuæ se comparauit, Galbano etiam se similē dixit: tradit autem PLIN. in sua hist. naturali, Galbanū præsentissimum remedium esse ad iuuandam fœminā in difficili partu; quia igitur B. Virgo inter alia charitatis opera, quæ in domo Elisabeth exercuit, illud singulare fuit (vt tradunt non infimi nominis Doctores) vt præter alia obsequia, quę sedula diligentia ei exhibebat, non solum sua præsentia faciliorē redderet Elisabeth partum, sed etiam ab omni dolore eam immunem faceret (postulauerat enim à filio suo, vt ab antiqua illa maledictione: *In dolore paries filios tuos*: cognatam suam liberaret:) apte ergo B. Virgo *Galbano* se comparauit, contra difficilem partum miram virtutem habenti; & quidem cum prædictū fuisset ab angelo de Elisabeth partu loquente: *Multi in natiuitate eius gaudebunt*, decebat quidem, vt cum ob eius partum alii gauderent, ipsa etiam omnis doloris expers esset, quæ propria eius mater erat. id certe fecisse B. Virgo mihi videtur, quod pie nunc fieri solet: mos enim inoleuit, ad parturientes sanctorū reliquias deferri, vt melius se habeant, facileq; ac feliciter prolem in lucem edant; ad eundem quidem modum B. Virgo cognatæ suæ felicem partum cupiens, detulit ei pretiosissimas omnium corporis Christi reliquias, vt mirabilis præsentiæ eius virtus omnes parturientis dolores abigeret.

Eccles. 24. Plin. li. 24. c. 50. hist. nat. Gen. 3. Luc. 1.

VI. CÆTERUM si altius naturam Galbani contemplemur, viam quidem nobis aperit, vt de præcipuis operibus charitatis, quæ ad spirituale Ioannis, & Elisabeth bonum promouendū B. Virgo in domo Zachariæ præstitit, latius edisseramus. Cum enim filio Dei grauida esset Maria, ac plena eius Deitate, cupiebat de plenitudine hac aliis impertiri; & ideo cum primum mater Iesu facta est, cœpit quærere non quæ sua sunt, sed nostram salutem; communis namque persona effecta commu nem causam agere cœpit, primitias maternæ affectionis in Præcursore sanctificando ostendens. Asserit igitur PLINIUS præcitato loco Galbanum hac singulari præditam esse virtute, vt contra venenosum scorpionis morsum efficacissimum antidotum sit. Ioannes quidem Baptista in vtero matris delitescens à mortifero serpente, ac venefico peccati originalis scorpione grauiter erat sauciatus. B. autem Virgo velut mystica ac salutifera Galbanus à venenosa illa infectione visitationis suæ miraculosa salutatione illū liberauit, Euangelista dicente: *Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo*: constat autem præcipuam huius exultationis causam fuisse proprii peccati originalis expulsionem. Regius Propheta communem tangens originalis peccati labem dixit: *Posuerunt signa sua, signa sicut in exitu super summum*: h. e. vt THEODORETUS exponit: *Trophæa, quæ signa & indicia victoriæ sunt, locarunt supra portas nostras*: quæ expositio conformis est menti D. HIERONYM. in hunc modum locum vertentis: *Posuerunt signa sua in trophæum manifesta in introitu desuper*: vere quidem humani generis hostes super portas nostræ conceptionis, per quas in hanc vitam ingredimur, peccati originalis vexilla fixerunt. Illud tamen singulare priuilegium eximia Christi liberalitas, & munificentia Præcursori suo contulit, vt peccati originalis hostile vexillum in eo erectum non diu, vt in aliis infantibus per nouem aut decem, vel plures menses permaneret, sed illud paulo post sextum tulit mensem, ad arcemque captam festinans hostem ab ea expulit, illamque sibi recuperauit, ac denuo possidere incepit. Memini (quod huic materiæ inseruire potest) Iure Ciuili statutum esse, vt constat *ex l. naturalem, ff de acquirendo rerum dominio*, arboris dominum, in qua volucres nidificant, dominio earum non gaudere, donec manum ad nidum extendens possessionem illarum capiat. arbor quidem erat à Domino plantata Elizabeth, & ob copiosam gratiarum imbrem, qua illam irrigauerat, speciali ratione sub dominio eius iacebat; volucris tamen Ioannis in ea, velut in nidulo nati, humani generis hostis tyrannicè possessionem, ac dominium acceperat, leprosam peccati originalis manum in illum mittens: vt ergo Christus Dominus hostem ab hac possessione deturbaret, virginei vteri Mariæ ferculo in domum Zachariæ delatus, continuo Ioannem in nido fructiferæ illius arboris (Elisabetham intelligo) latitantem aucupatus est, Spiritus sancti manum ad eum extendens, iuxta angelicum vaticinium: *Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ*.

Eccles. 24. Luc. 1. Psal. 73. Theodor. super Ps. 83. D. Hieron. ibid. Luc. 1.

VII. TRADIT præterea PLINIUS eodem loco aliam præsenti argumento satis congruam *Galbani* proprietatem, quod iuuat ad tussim sanandam ac bene formandam vocem. Vox quidem erat Ioannes Baptista: *Ego vox clamantis in deserto*; laborabat tamen infestissima peccati originalis tussi illum impedientis, ne debitam vocem in laudem creatoris sui formare posset; Beata autem Virgo instar cœlestis Galbani visitatione sua saluberrimum antidotum Ioannis tussi exhibuit, pectus eius efficaciter adeo emundans, vt mox fieret *Vox clamantis in deserto: parate viam Domini.* Ac tandem si verum est, quod non pauci Doctores cum GALATINO & CATHARINO docent, Ioannem Baptistam ex speciali priuilegio peccata venialia nunquam commisisse, quod innuere verba illa ECCLESIÆ videntur:

Antra deserti teneris sub annis
Ciuium turmas fugiens petisti,
Ne leui saltem maculare vitam
Famine posses,

& rursus:

Plin. loco præcitato. Marc. 1. Galat. li. 7. de arc. c. 9. Cath. opusc. 2. de Christi prædest. Eccles. in festo S. Ioh. Baptistæ.

O nimis fœlix, meritiq; celsi
Nesciens labem niuei pudoris.

Id quoque hanc B. Virginis visitationem ei præstitisse, *Galbanus* non obscure adumbrat, cui hæc mirabilis virtus inesse perhibetur, vt tradit PLINIVS, vt accensa culices fugere compellat: certe peccata venialia, licet serpentes venefici ac mortiferi non sint, culices tamen sunt animam pungentes, quos tamen B. Virgo, velut mystica Galbanus, visitationis suæ mira virtute potenter à Ioanne fugauit, & ideo merito in illa cum Galbano se composuit: *& quasi Galbanus euaporaui.*

Plin. lib. 19. c. 11. in fine.

Eccles. 24.

VIII. ADHÆC consideranti mihi progressum Virginis ad visitandam Elisabeth, vt media eius salutatione sol iustitiæ Christus Dominus peccati originalis tenebras à Ioanne eius filio depelleret, verba illa CANT. occurrerunt: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens?* merito in hac visitatione Deipara Maria *auroræ* comparatur, quia sicut aurora quasi vehiculum est solis, & illum in nostrum hemisphærium inducit, vt ab eo tenebrarum caliginem depellat; ita illa tanquam mystica aurora solem iustitiæ cœlesti sui vteri orbe deferens in Zachariæ domum illum induxit, vt peccati originalis tenebras Ioannem occupantes penitus exterminaret. Solem dixit ECCLESIASTICVS exurere montes, & radiis eos exsufflare: *Sol exurens montes, radios igneos exsufflans*; quod propterea dictum arbitror, quia cum primum sol oritur, nihil prius, quam altissimorum montium cacumina illuminat; non secus statim atque sol iustitiæ per internam natiuitatem intra Mariana viscera ortus fuit, continuo verticem altissimi illius montis, hoc est, superiorem partem animæ Ioannis Baptistæ fulgentissimis suæ gratiæ radiis illuminare cœpit, adeo quidem, vt emortuam lucernam sub modio vteri materni latentem accenderit; vnde de Baptista dixit IOANNES: *Ille erat lucerna ardens, & lucens.* Contemplor etiam Ioannem hic velut cœlestem arcum, de quo apud ECCLES. *Vide arcum & benedic eum, qui fecit illum: valde speciosus est in splendore suo*: cœlestis arcus est Ioannes, speciosus valde in decore suo: non Iunonis, sed Dei nuncius; nam quemadmodum arcus ex se nubes est obscura, omnique decore carens, sole autem illum illustrante multorum colorum varietate decoratur; ita Ioannes intra viscera matris latens, velut nubes erat, gratiæ luce carens; at sol iustitiæ Christus in sacra visitatione Mariæ pulsis peccati tenebris gratiæ suæ splendore illuminauit, variisque virtutum coloribus exornauit, quas quidem SS. Patres admirati præclarissima Ioannis encomia adhuc intra matris viscera inclusi eleganti stylo nobis contestata reliquere: nam D. PETRVS CHRYSOLOG. dixit: *Feruens nuntius, qui ante gestiuit nuntiare, quam viuere: impatiens dux, qui antequam perueniret ad corpus, peruenit ad regem: ante rapuit arma, quam membra: ante aciem petiit, quam lucem: & vt vinceret mundum, vicit ante naturam; ipse sine visceribus viscera matris exsuscitat, & quia tardabat corpus, solo spiritu implet euangelizantis officium.* Idem etiam serm. alio hæc præclara scripsit: *Beatus*, inquit, *Ioannes, qui ante Dei spiritu meruit intonare, quam hominis vagiret in fletu; Beatus, qui ante diuina possidere meruit, quam sortiretur mala; Beatus, qui ante meruit cœlum scire, quam terram; Beatus, qui antequam videret præsentia, futura meruit nuntiare; Beatus, qui ante Deum capere potuit, quam suo ipse caperetur à corpore; Beatus, & singulariter beatus, qui antequam saperet quærere, meritum conquisiuit; Beatus, qui non peruenit ad gloriam per laborem, sed ad labores ipsius gratia dignatione descendit.* & similia habet serm. 91. *Videtis quemadmodum Ioannes ante peruenit ad cœlum, quam tangeret terram; ante accepit diuinum spiritum, quam haberet humanum; ante suscepit diuina munera, quam corporis membra; ante cœpit viuere Deo, quam sibi; ante rapuit arma, quam membra; & vt vinceret mundum, vicit ante naturam; antequam Christum præcederet, se præcessit.* Accedit D. AMBROSIVS hæc venuste, & eloquenter dicens: *Si pater Zacharias, cum eum nominauit, vocem recepit, quanto magis nos, cum laudamus illum, eloquium promeremur? Videte S. Ioannis meritum: Vocem Patri reddidit, sacerdoti eloquentiam reparauit. Os, quod Angelus alligauerat, Ioannes absoluit. Respicite, quanta vis sit eius vocabuli, cuius nuncupatio reddidit muto vocem, patri pietatem, populo sacerdotem. Ioannes, ait, est nomen eius. Et mirati sunt vniuersi. Apertum est autem illico os eius & lingua eius.* Deinde D. AVGVSTINVS in laudem Ioannis sapienter dixit: *Quod enim nondum natus de secreto materni vteri prophetauit, & expers lucis iam de velamine & carne littera & Redemptorem mundi spiritu prædicauit, & nobis Dominum nostrum de quodam legis vtero proclamauit.* Ac tandem D. BERNARD. hæc de Ioanne præconia cecinit: *Ioannes de spiritu tanquam Angelus eruditur, nimirum tanto propinquior verbo, quanto vox verbo vicina, cui nulla voce alia media, quod foris sonet, oportet intimari. Neque enim Ioannem prædicatio, sed inspiratio docuit, quem repleuit spiritus in vtero matris suæ, vere ardens, & vehementer accensus, quem sic præoccupauit flamma cœlestis.*

Cant. 6.

Eccles. 43.

Ioan. 5.

Eccles. 43.

Pet. Chrys. ser. 91. qui est 6. de annunc. & concep. Baptista.

Idem serm. 88.

D. Ambr. serm. 64.

D. August. serm. 20. de Sanctis.

D. Bernar. ser. de nat. Ioan. Bapt.

IX. AD extremum illud in hac sacra Virginis visitatione obseruandum maxime censui, quod non iuit ad virginem Elisabeth, nec Ioannes ad Christum, sed Deipara ad Elisabetham, & Christus ad Ioannem, quod non obscure indicat iustificationis nostræ initium esse à Christo, non à nobis, vt expressis verbis definiuit CONCILIVM ARAVSICANVM dicens: *Hoc etiam salubriter profitemur, & credimus, quod in omni opere bono nos non incipimus, & postea per Dei misericordiam adiuuamur; sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui prius inspirat.* Etenim cum omnis peccator cum DAVIDE clamare posset: *Erraui sicut ouis,*

Concil. Arauf. 2. can. 25.

Psal. 118.

ouis qua perijt: certe sicut pastore errantem ouem non quærente facile illa in luporum fauces venit, ita Christo non quęrente peccatorem, facile ab immani illo lupo, sæuissimoque leone deuoratur, PETRO dicēte: *Circuit quarens quem deuoret.* Idipsum etiā ostendit metaphora illa pulsationis, qua Deus vtitur lib. APOCAL. *Sto ad ostium, & pulso:* qua aperte docemur, ipsum prius per gratiam excitantem cor hominis pulsare; deinde efficaci eius gratia adiuuante nos illi ostium aperire, pulsantemque excipere: Cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Apoc. 5.

HOMILIA III.

Prosequimur idem argumentum causas alias assignantes, ob quas tam B. Virgo, quam eius Filius ad visitandam Elisabeth iter arripuerint, in eadem verba: Exurgens Maria abiit in Montana.

I  MARIANÆ visitationis dulcissimam tractationem prosequentes, præsentē homiliam ex quatuor eius causis contexemus, duabus prioribus ex parte Virginis: reliquis vero ex parte Christi se tenentibus. Primam ex parte Virginis, pietatis & congratulationis officiū fuisse his verbis docuit Venerab. BEDA: *Intrat Virgo domum Zacharia, non quasi dubia de oraculo, quod acceperat, sed vt congratulatura de dono, quod conseruam recepisse Elisabetham didicerat.* hanc eandem rationem RVPERTVS ABBAS eleganter in hunc modum illustrauit: *Habent Sancti hoc proprium omnes, qui in veritate sanctum habēt charitatis spiritum, vt ita gratulentur de beneficiis, qua aliis impensa perceperunt, quemadmodum & de illis, qua sibimet collata sunt; tunc properant mutuos sibi prabere conspectus, tunc dulcia miscere colloquia, certatimq; oportuna importuna impendere inuicem deuota charitatis obsequia. Quid est hoc, nisi trahere, & currere in odorem vnguentorum Domini? Pretiosum erat vnguentum, magnum erat beneficium, quod dederat Dominus sterili conceptum tanti viri, qui in virtute, & spiritu Elia deberet praire ante Dominum, & quo maior non surrexit inter natos mulierum; tanti ac talis vnigeniti odorem perceperat, talis, ac tanti beneficij famam, siue nuntium ab ipso angelo acceperat, & de hoc, sicut de cateris, quis finis, qua consummatio futura esset, Spiritu sancto docente magna prophetissa non ignorabat.* hæc Rupertus.

Beda hom. de Visit.

Rupert. Abb. lib. 1. in Cant.

II. ITAQVE ex sententia horum Patrum B. Virgo seniorem cognatam visitat, vt ei de accepta gratia ex pietate congratuletur; sic enim Rachel viso Iacob festinans nunciauit patri suo: sic Iethro Moysen generum suum visitauit in deserto, cum audisset magnalia, quæ per eum operatus fuerat Dominus: sic Ioachim summus sacerdos de Ierusalē venit Bethaniam, vt videret IVDITH insignem viduā, & de victoria ex Holoferne habita congratularetur ei: sic ad IOB ex magna illa calamitate & tentatione ad magnas diuitias & honores restitutū fratres & sorores conuenerunt, vt congauderent ei: sic demum ad TOBIAM seniorem recepto quod amiserat lumine, & reducto filio consobrini se contulerunt, & Dei beneficiis congratulati sunt. Hoc officium nostra in Deum & proximum charitas requirit, vt nedum in rebus prosperis, sed in aduersis fratres visitemus. Quam ardens Paulo desiderium erat, vt fratres inuiseret, quos toties in epistolis suis salutat? Et quidem mundanorū applausus nōnisi prosperitatem sequitur, auersatur calamitatem. hinc vere Poeta:

Gen. 29.
Exod. 18.
Iud. 14.
Iob. 42.
Tob. 11.

Aspicis, vt veniant ad candida tecta columba.

Vera tamen pietas (vt Maria exemplo suo nos docuit) potius congaudet de felicitate aliena, quam studeat iactare suam, & bona ac mala, quæ proximo obueniunt, sibi collata & illata putat. vnde D. PAVLVS amore pximi accēsus dicebat: *Quis infirmatur, & ego nō infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?*

2. Cor. 12.

III. HANC Mariæ pietatem præuidens SALOMON dixit: *Qua est ista qua ascēdit per desertū, sicut Virgula fumi ex aromatib. myrrha, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarii?* Ascendit quidem B. Virgo per desertum, cum ad visitandam cognatam *abiit in montana:* habuit se vt virgula flexibilis ad pietatem, quā circa Elisabeth exercere ardēter desiderabat; incedebat plena aromatib. myrrhæ & thuris, h. e. mortificatione ob itineris difficultatem & cōtēplationis exercitio, à quo nec iter agēs vacabat, myrrhā enim & thus mortificationis & orationis symbolū esse nemo diffitetur: cum tandem ait: *Vniuersi pulueris pigmentarij*, plenitudinem gratiarum significat, quib. B. Virgo delibuta erat, & quæ mirum odorē exhalare nō cessabant. vt n. HORATIVS dixit:

Cant. 3.
Luca 1.
Horat. 1. epist. 2.

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu.

cui consonat prouerbium illud:

Quod noua testa capit, inueterata sapit.

Vnde cum B. Virgo ab exordio suæ immaculatæ cōceptionis plena esset Deo perenni omnium gratiarum fonte, remansit omnium aromatizantium virtutum odoribus respersa.

IV. VERVM illa Virginis pietas non solum ad cōgratulationem Elisabeth, sed ad operū exhibitionem se extendit: prægnanti enim Cognatæ variis modis inseruiuit, vt non obscure docuit D. AMBROSIVS, qui ex hac Virginis pia & obsequia seruitute in hunc modum fœminas ad similem pietatem cohortatur: *Discite & vos sancta mulieres sedulitatem, quam pragnantibus debeatis exhibere; nam cum vniuscuiusque necessitati presto quis esse debeat, quomodo non magis ei, ad quam ex conditione sexus inuitatur.* hinc TERTVLLIAN. non excusat mulierem etiam coniugatam à visitandis infirmis. *Hoc vero* (inquit) *quam conuenientius est, vt sexum sibi similem.*

D. Amb. apud Beaux. in c. 1. Luc.
Tertull. lib. ad Vxorem.

lem, & in ea potissimum necessitate visitet, in qua maledictionem communi omnium matri indictam agnoscunt, vt in dolore pariant filios suos? Quanta quæso laus obstetricum hebræarum, & quod filios seruauerint, & suo in parturientes officio minime de-
Exod. 1. fuerint? *Ædificauit* enim *Dominus eis domos*, & ob hanc causam earum familias nobiles, & splendidas reddidit.

V. SECVNDAM causam visitationis Mariæ, exercendæ humilitatis officium fuisse tradit EVSEBIVS
Emiss hom. lect. de Vis. Virg. EMISSENVS in hæc verba: *sic Maria ad Elisabeth, Christus ad Ioannem, Domina ad ancillam, ad seruum Dominus venire non dedignatur.* Ecce Mariam per-
Matth. 20. Luc. 22. similem Iesu; sicut enim ille non ministrari, sed ministrare se venisse asseruit, vnde pedes discipulorũ humiliter lauit; ita Virgo, licet Dei mater esset, non ministrari à cognata, sed illi ministrare sata-
Bed. hom. in Visit. Mariæ. gebat; hinc eleganter Venerab. BEDA dixit: *Sanctissima Virgo eandem, quam angelo exhibuerat, humilitatem hominibus quoq; curauit exhibere, & quod maioris est virtutis, etiam minoribus: quis enim nesciat Virginem Mariam Deo consecratam muliere Deo dedita gradum habere potiorem? quis dubitet matrem Regis æterni iure matri militis esse præferendam? attamen memor scripturæ præcipientis Eccles. 3. quanto magnus es, tanto te in omnibus humilia, mox vt Angelus, qui loquebatur ei, ad superna rediit, surgit, ac montana cõscendit, & iunior visitat seniorem.* notanter dixit, vt inde discas senioribus humiliari, ac humilia ẽt obsequia libẽti animo eis exhibere, memor illius sen-
Eccl. 3. tentiæ: *Coram cano capite consurge, & honora personam senis.* quam ad amussim adeo obseruabant La-
Beuxamis in armonia sup. c. 1. Lucæ. cedæmones, vt refert BEVXAMIS, vt apud illos nobilib. non liceret ante quoscunq; seniores accumbere, immo tantus honor senectuti quondam delatus fuit, vt illi templum, ac honorabile domici-
Cic. lib. de senect. Ang Cœlest. sup. missus disc. 31. liũ dicatum fuerit, vt auctor est CICERO; & quod amplius est, vt refert COELESTINVS, malefactorib. & homicidis ipsis senes erant velut templa, cũ ad illos recurrentes, non secus ac nunc ad Ecclesias confugientibus contingit, impunes fiebant. O lacrymandam nostrorum temporum miseriam, quã certe præsumptio, & arrogantia iuuenũ ac senilis ætatis cõtemptus reddit non minus timendã, quã cum Roboami tempore reiecto senũ consilio, Re-
3. Reg. 12. gi iuuenes adhærerent. Audiant istorum æmulatores, quantum SALOMON in eos inuehatur, qui di-
Sap. 2. cunt: *Non parcamus veterano; nec reuereamur canos multi temporis.* memorentur IEREMIAM tanquam
Thren. 4. valde execrandum malum deplorasse: *Et facies senũ non erubuerunt, nec miserti sunt.* in memoriam tandem reuocent, quod, vt Propheta BARVCH explicaret prauam cuiusdam gentis indolem, ac corruptissimos mores, non melius id exprimere
Baruch 4. posse putauit, quam si diceret: *Non sunt reueriti senem.*

VI. CÆTERVM ad duas alias causas huius Visitationis ex parte Christi se tenentes, de quibus disserere polliciti sumus, accedentes; Primam eamq; inter præcipuas connumerandam censemus, quod cum Christus Dominus diuina electione prædestinatus esset in humani generis Saluatorem in domum Zachariæ à matre duci voluit, vt Ioannem sanctificans, & à peccato originali liberans, possessionem muneris Saluatoris caperet. est n. Chri-
stus Dominus ille, de quo DAVID dixit: *Dominus* Psal. 67.
saluos faciendi, & Domini Domini exitus mortis: ac si dicat: hoc est propriũ munus Dei incarnati, hoc est officiũ eius, vt homines saluos faciat, & à morte peccati exire efficacissime suadeat & moueat, ni-
si mauis dicere cum Episcopo Christopolitano, vt Iacob. de Val. Epis. Christop.
verba illa: *Et Domini Domini exitus mortis*, causam
præseferant homines saluandi, quod scilicet ipse
per mortem exierit ex hoc mundo ad patrem; cui Psal 67.
expositioni fauet translatio D. HIERONYMI: *&* D. Hieron. sup. eund. Psal.
Domini mortis egressus: Sitientissimus igitur Saluator mundi saluandi animas ad domum Zachariæ perrexit, vt à Ioanne munus illud exercere incipe-
ret. Atque hinc est, quod quemadmodum Rex Esther. 1.
Assuerus maiori prosecutus est amore ciuitatem Susan, quam reliquas Imperio suo subactas, quia initium fuit regni, quod possidebat; & quemadmodum Dauid ardentissime amabat ciuitatem Sion,
per anthonomasiam & excellentiam vocans illam 2. Reg. 5.
Vrbem suam, quia illa prima exstiterat inter omnes, quas expugnauit; ac tandem quemadmodum Dominus Ægidius de Albornoz, Archiepiscopus Toletanus, oppidum, quod Hispaniæ nomine *Alualatæ* singulari beneuolẽtia adamauit, quia ex illo primis Ecclesiasticis redditibus potitus fuerat, ad eundem certe modum, quia Ioannes fuit prima ciuitas, quã Christus Dominus expugnauit, & in qua primitus omnipotentiam suam saluos faciendi virtutem ostentauerat, singularissimo amore illum prosequutus fuit: vnde velut torrens gratiarum inundans cœlestibus charismatib. illum im-
pleuit, iuxta illud: *Replebitur Spiritu sancto adhuc* Lucæ 1.
ex vtero matris suæ. Hoc non obscure indicant ver-
ba illa ECCLESIASTICI: *Ego quasi trames aquæ im-* Eccl. 24.
mensæ defluuium, ego quasi fluuius Diorix; & sicut aquæductus exiui de Paradiso. Dixi: rigabo hortum meum plantationum: & inebriabo prati mei fructum: Incarnatæ sapientiæ verba sunt hæc, quæ de Paradiso, id est, Patris pectore veluti vberrimus immẽsæ aquæductus, trames siue Diorix ad irrigandas plantationes, h. e. hominum aretes animos exiuit in mundum, in B. Virginem primo influens gratiæ admirabilem copiam induxit. Ad arborem deinde, quam in Elisabeth sterili terra plantauerat, festinans, cœlesti donorum optato liquore illam irrigauit spirituque compleuit, de quo eodem cap.
Spiritus, ait, *meus super mel dulcis*: Accelerato enim Isa. 7.
vsu rationis *butyrum, & mel comedit; vt sciret reprobare malum, & eligere bonum.*

VII. SECVNDAM deinde causam eiusdem Visitationis ex parte Christi arbitror esse similitudinem magnam, singularem sympathiam, quam inter ipsum & Ioannem futuram fore præcognouit;

uit; eſt enim ſatis tritum prouerbium illud : *Similis ſimilem quærit*: & experientia ipſa non minus comprobatum. quid enim Achillis animum compulit (vt hiſtoriographi narrant) ad quærendum Hectorem? quid Prothogenem mouit, vt Apellem vidēdi deſiderio arderet? quid (vt refert D. HIERON.)
.Hieron. Platoni, Pythagoræ, & Apollonio efficaciter ſuaſit
iſt.adPa- longiſſima itinera conficere ad conſulendum Ar-
a. chitam, & Hiarcham celebres Philoſophos? nihil aliud certe, quam mira ſympathia & ſimilitudo, Achillis & Hectoris in armis, Prothogenis & Apellis in pingendi peritia, Platonis & Architæ in Philoſophiæ arcanis percallandis; futura igitur ſimilitudo, & ſympathia inter Ioannem & Chriſtum ab illo præcognita cauſa exſtitit, ob quam Dominus Ioannem quæritaret, & viſitaret. Hanc autem ſimilitudinem non vulgarem, ſed eximiam extitiſſe inter hos ſacros infantes multa mihi perſuadēt. Vterque aduentus Prophetarum vaticinio prædi-
ſaia 9. ctus fuit. Chriſti quidem ab ESAIA: *Paruulus natus*
alach. 3. *eſt nobis, & filius datus eſt nobis*: Ioannis vero à MALACHIA: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit*
an.3. *bit viam ante faciem meam.* Si de Chriſto IOAN. ait: *Miſit Deus filium ſuum*; idem etiam ait de Baptiſta: *Fuit homo miſſus à Deo.* ſi Gabriel Angelus Chriſti natiuitatem nunciauit, idem certe de natiuitate Ioannis Zachariam præmonuit, vt tradidit D. LVCAS; ſi Chriſtus verbum eſt expreſſiuum Patris, Ioannes quidem vox eſt expreſſiua Chriſti, illum manifeſtans: *Ecce Agnus Dei ecce qui tollit peccata mundi.* ſi de Chriſto ESAIAS dixit: *Et requieſcet ſuper*
ſaia 11. *eum ſpiritus Domini*, de Ioanne Euangeliſta LVCAS
uca 1. ait: *Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ.* ſi Chriſtus ex matre Virgine natura mirāte cō-
ſaia 9. cipitur: *Ecce Virgo concipiet*; Ioannes etiam ex matre ſterili miraculoſe gignitur: *Hic menſis ſextus illi, quæ vocatur ſterilis, quia non erit impoſſibile apud Deū omne verbum*: ſi Chriſtus filius eſt Virginis naturalis, Ioannes quidem eiuſdem filius eſt ſpiritualis, cum mediante eius ſalutatione, tanquam diuinæ virtutis inſtrumento, in filium Dei adoptiuum regeneratus fuerit: *Vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero*: Si Angelum in Chriſti natiuitate dicentem audimus: *Ecce Euāgelizo vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis Saluator*, Angelus etiam de Ioanne di-
uca 2. xit: *Multi in natiuitate eius gaudebunt*; ſi nomen IE-
latth.1. SVS cœlitus fuit Chriſto impoſitum: *Vocatum eſt nomen eius Ieſus*: Baptiſtæ etiam ex diuinæ reuelatione pater, cum mutus eſſet, cœpit loqui dicens: IO-
uca 1. ANNES *eſt nomen eius*: nato enim Ioanne, qui vox
ſa. 9. erat, vox nata eſt patri eius: ſi ESAIAS *Angeli* cognomen Chriſto Domino dedit: *Vocabitur magni conſilij Angelus*; eandem *Angeli* appellationem MA-
Malach. 3 LACHIAS IOANNI impertiuit: ſi Chriſtus Dominus
ſa. 62. ſplendidæ lampadi comparatur, & ardenti: *Saluator eius vt lampas accendatur*; Ioannes ardenti lu-
uc.13. cernæ confertur: *ille erat lucerna ardens & lucens*: ſi Chriſtus peccatorum pœnitentiam prædicabat:

Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis; Ioan- Matth. 3.
nes idipſum omnibus clamabat: *pœnitentiam agite.*

VIII. Ac tandem adeo perſimilis Ioannes Chriſto extitit, vt multi dubitarent, an ipſe eſſet verus
Chriſtus: *Tu es, qui venturus es, an alium expecta-* Marci 2.
mus? alii vero è contra Chriſtum Ioannem Bapti- Matth. 18.
ſtam eſſe exiſtimabant, illo enim interrogante: *quem dicunt homines eſſe filium hominis?* reſponſum accepit, nonnullos putaſſe eſſe Ioannem Baptiſtam: *alij Ioannem Baptiſtam, alij Ieremiam*; & vt vno verbo multa dicā, eo proceſſit hęc mira inter Chriſtum & Ioannem ſimilitudo, vt oportuerit Euangeliſtam Ioannem, ne mundus deciperetur, Baptiſtam verum reputās eſſe Meſſiam, expreſſis verbis, dum Euangelicam texeret hiſtoriam, hęc verba di-
cere: *Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet* Ioan. 3.
de lumine. Etenim illū deſcripſit, & diſtinxit ab in-
creata luce Verbi incarnati, de quo immediate ſub- Ibid.
iunxit: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Hęc igitur futura ſimilitudo à Chriſto præcognita cauſa exſtitit, vt ipſe Ioannem viſitaret, & quodam ſympathiæ ac ſymbolicæ indolis pondere in eum ille ferretur, & traheretur; qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

HOMILIA IV.

Oſtenditur iterum Chriſtus Dominus in vtero matris feſtinaſſe, vt Ioannem ſanctificaret; cuius occaſione ſanctorum Patrum teſtimoniis palam fit, quam ſit Deus ad miſerendum procliuis & velox: De miſericordia autem in hac viſitatione diuinitus collata gaudent Ioannes, Eliſabeth, Zacharias, Deipara Maria, Chriſti humanitas, imo & beatiſſima Trinitas.

I. N hac ſacra Viſitatione, in qua B. Virgo, velut ferculum veri Salomonis, Chriſtum Dominum ad Ioannem detulit, contemplor ęternum Patrem vnigenitū ſuum humana carne recens indutum
his verbis vrgere: *Fili mi, diſcurre, feſtina, ſuſcita a-* Prou. 6.
micum tuum: ac ſi diceret: Viſita fili futurum tuum amicum Ioannem, idq; feſtinanter, vt cito à peccati originalis morte ad vitam gratiæ illum reuoces. Sane Chriſtus tanquam Patri obedientiſſimus feſtinauit, continuo ſalutaris ſuæ gratiæ medicinam ad mortis infirmitatem ſanandam illi exhibere, de
qua SALOMON dixit: *Medicina omnium in feſti-* Eccl. 41.
natione nebulæ: feſtinante enim Maria per nebulam ſignificata (quia ſicut nebula ſolem tegit, ita ipſa humanæ carnis nebula *iuſtitiæ ſolem*, æterni Patris filium cooperuit:) feſtinante inquam Maria, qua Chriſtus Dominus ferebatur, feſtinauit

ipse, vt Ioannem à diaboli faucibus eriperet. Sed quid quæso non accelerararet, cui propter summam eius velocitatem Pater hoc nomen imposuerat: [Esaia 2.] *Accelera spolia detrahere, festina prædari*: hoc est, à diaboli misera seruitute animas eripere propera. in cuius figuram legimus de Samsone dictum esse: [Iudic 15.] *Erit enim Nazaræus ab infantia sua, & ex matris vtero, & ipse incipiet liberare Israel de manu Philistinorum.* ecce nunc Christum patris fortitudinem per fortissimum Samsonem significatum, qui ab vtero Virgineo matris suæ cœpit liberare Ioannem ab infestissimo hoste peccati originalis. In eo sane illud ESAIÆ portentum impletum intueor: [Esa. 11.] *Delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet*: licet enim frequentius hæc verba intelliguntur de Christo infante ab Idolorum cultu Reges Magos vocante, merito etiam de ipso in vtero matris existẽte intelligi cõmode possunt, cũ inde omnipotẽtis virtutis suæ manum in cauernam animæ Ioannis mittens, in qua peccati originalis aspis, seu regulus iacebat, à veneno huius mortiferi serpentis illum eripuerit; persimilis in hoc fortissimo illi Herculi, de quo narrant historiographi, quod infans à matris vbere pendens dracones mira sua fortitudine suffocabat; quam veraciter tunc posset [Psalm. 39.] Ioannes sibi vsurpare verba illa DAVID: *Dominus* [Iob. 10.] *sollicitus est mei*: nec non & illa IOB. *Vitam & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodiuit spiritum meum.*

II. IN his beneficiis Ioanni collatis videtur mihi Christus Dominus fecisse, quod olim Imperatores, cum Romam victores ingrediebantur, factitabant; [Ant. Aug. tract. de imag.] vt enim commemorant ANTONIVS AVGVSTINVS Archiepiscopus Tarraconensis, & eruditus auctor GVILIELMVS de CHOVL, [Guil. de Choul. lib. de ant. rel. Rom.] consueuerant Cæsares auream quandam monetã ingentis quãtitatis cudere, quæ ex vna parte Cæsaris vultum & nomen, ex alia præcipua eorum gesta sculpta continebat; huiusque generis numismata non pauca in die ingressus illius populo publice effundebãt; ad eundem certè modum Christus Dominus, supremus cœli & terræ imperator, recens mundum per humanæ carnis assumptionem in vtero Virginis ingressus cœpit cœlestia charismata in Ioannẽ, & Elisabeth, ac in totam eius familiam effundere, quæ sane, instar illorum numismatum, Dei faciem sub humana carne latentem referebant, cum diuinæ solum omnipotentiæ sit animas iustificare, & Spiritu sancto illas replere, prout à Christo Domino repleti fuere Ioannes, & Elisabeth, vt testatur D. LVCAS. [Luca 1.] Verum huius insignis operis illa celeritatis circumstantia magna commendatione celebranda venit, dum à sanctificando Ioannem Christus Dominus ortum eius non expectauit, sed ineffabili sua misericordia illum præueniens, ante cultorem cœli quã terræ; ante Spiritus sancti suaui aura perfrui, quam communis aeris spiramine potiri fecit, ex quo stupendo diuinæ clementiæ opere nõ possum nõ ansam sumere ad manifestãdos diuinæ bonitatis thesauros, quos ea in re mirifice ostentat, quod ad miserendum procliuior, ac pronior, quam ad puniendum est, vt sacra volumina frequentissime prædicant.

III. VERVM quia de his longum texuimus sermonem iu Homiliis nostris Catholicis in vniuersa Christianæ Religionis arcana, [Vide hom. Cath. in vniuers. Christ. Relig. lib. 2. hom. 12.] solum hoc loco eorũ, quæ sancti Patres in hoc genere argumẽti sapienter scripsere, pulchrã catenam contexemus. In primis antiquissimus ORIGENES, cogitandi acumine, & dicendi facundia celeberrimus, in commentario IEREMIÆ Prophetæ hæc scripsit: [Orig. hom. sup. c. 1. Ier.] *Deus ad benefaciendũ promptus est, ad puniendum autem eos, qui pœna digni sunt, dissimulat. Cum possit quippe tacens, & sine contestatione venturi punire eos, quos simul dignos supplicio iudicat, nunquam hoc facit, sed etiamsi condemnauerit, dicit, quod sibi semper dicere propositum est, vt liberentur à condemnatione per pœnitentiam, qui condemnati fuerant per delictum. Horum exempla cum de scripturis multa possumus accipere, sufficiunt incidentia. Niniuitæ peccatores condem-* [Iona 3.] *nati erant à Deo, adhuc enim quadraginta dies, est futurum, vt Niniue subuertatur, noluit eos cum silentio Deus punire damnatos, sed dans eis locum pœnitentiæ, & conuersionis, misit Prophetam, vt dicente illo: adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur, qui condemnati erant, non perirent, sed agentes pœnitentiam impetrarent misericordiam Dei, quod in Sodomis, & Gomorris iam erant exitio destinati, vt manifestum est ex sermonibus Dei, quos locutus est ad Abraham; attamen quod erat suum, fecerunt angeli, volentes eos saluari, qui se indignos salute iudicauerunt, hæc, dicentes ad Loth: Est tibi hic aliquis gener aut filij, aut filiæ? ne-* [Gen. 19.] *que vero ignorabant non esse eos secuturos Loth, sed ostenderunt suam pariter, & eius, qui eos miserat, benignitatem in homines & amorem. Horum quidam simile inuenimus in Ieremia scriptum esse, est enim an-* [Ierem. 1.] *notatum tempus prophetiæ eius, quando cœpit prophetare: quisque ergo, qui scripturas legit, sciet, quia cœpit prophetare in dieb. Iosiæ filiæ Amon regis Iuda vsq; ad annum tertium decimum regni eius, deinde prophetauerit in dieb. Ioachim filii Iosiæ regis Iuda vsq; ad consummationem vndecimi anni Sedechiæ regis Iuda; & legens didici, quia per tres reges prophetia eius contexta sit vsque ad captiuitatem Ierusalem in quinto mense. Quid ergo docemur per hæc? Condemnauerat Deus Ierusalem propter peccata, quæ fecerat, & hæc erat extrema sententia, vt captiuitati relinqueretur. Verumtamen cum hominum sit amator, nec quẽquam velit perire antequam depopulationis tempus instaret, misit & hunc prophetam, vt per sermones eius ad pœnitentiam conuerteretur, misit eundem & sub secundo Rege post primum, misit quoq; sub tertio: quid plura? Captiuitas iam imminebat, & adhuc adorabatur Deus, tribuens (vt ita dicam & ante vnã diem locũ pœnitentiæ: vnde scriptum est, vsq; ad captiuitatem Ierusalem, & vsq; ad quintum mensem prophetasse Ieremiam. Iam hostium vincula restrinxerant manus, & nihilominus*

hæc

hæc quodammodo dicebat Deus: ecce captiui facti estis, agite, licet sero, pœnitentiam; rogate me, & parcã vobis. Possũ eruere de captiuitate, qui tradidi. Habemus itaq; quidem necessaria ex superscriptione ista, quæ continet tempora prophetiæ; quia iuxta suam clementiã exhortatur Deus semper homines ad salutẽ, vt cessante delicto ẽt captiuitas conquiescat. Hæc aut[illegible] & de nobis possumus intelligere, si peccauerimus, & nos captiui futuri sumus. Etenim tradi peccatorem Satanæ nihil distat ab eo, quod Iudæi sunt traditi Nabuchodonosor; vtiq; vt illos Deus concessit aduersario propter frequẽtes impietates, sic nos propter peccata, quæ fecimus, tradi-

Tim. 1. mur spirituali Nabuchodonosor: Quos tradidi (ait Pau

Heb. 6. lus) Satanæ, vt discant non blasphemare. Putas, quantũ malum est peccare, vt tradamur Satanæ captiuanti animas eorum, qui relinquuntur à Deo? nõ sine causa, neq; sine iudicio Deus relinquit, quos deserit; cum. n. miserit pluuiam super vineam, & vinea pro vua attulerit spinas, quid faciet, nisi vt mandet nubibus, ne pluãt super eam imbrẽ? quapropter in proximo est propter delicta nostra, quorum nobis conscij sumus, & nos captiuari; futurum est n. vt si non egerimus pœnitentiam, tradamur Babylonijs, qui nos sensibiliter excrucient: istis iam adiacentib. sermones prophetarũ, sermones legis, sermones Apostolorum, sermones etiam Domini hortantur ad pœnitentiã, prouocant ad salutem; si aũt audierimus, credimus ei, qui dixit; & ego pœnitentiam agã de omnib. malis, quæ locutus sum facere. hactenus Orig.

Jerem. 18.

D. Hier. in 11. Oseæ.

IV. AVDIAMVS nunc D. HIER. in comment. Prophetæ Oseæ, qui explicans illa verba: Non faciã furorẽ iræ meæ: nõ conuertar, vt disperdam Ephram; quoniam Deus ego, & non homo: ait: Quantum in me est, quantũ ego cupio, si errorem veritate correxerit, si me magis amauerit, quã mundũ, Deus ego sum, & non homo, lapsis manum porrigã, errantes ad salutem vocabo, & quia sanctus sum, propterea non ingrediar ciuitatẽ: (post Dominum ambulabo) addunt Septuaginta, & est sensus, Quia conuersum est cor tuum in te, & non secundũ peccata nostra fecisti nobis, sed imitaris tuã clementiã, & nostra delicta non punis; & polliceris te sanctũ in nostri medio versaturum, idcirco & ego malorum hominum non ingrediar ciuitatem, neque ero de numero peccatorum, sed ambulabo post Dominum Deum meũ. Hebræi autem ex persona Dei ita edisserunt: non te derelinquam, non ibo ad aliam gentem, neque ingrediar

Oseæ 11. alteram ciuitatem, post Dominum ambulabunt. hæc ille.

D. Chrysost. hom. 18. in Gen. tom 1.

V. SED & D. CHRYSOSTOMI præclara verba minime prætermittã, q in Gen. ait: Post peccatũ exclusit Dominus Adã de paradiso, in quo ostendit simul cũ flagello misericordiam; & vt hoc discamus, oportet verba diuinæ scripturæ considerare: & nunc, inquit, ne quando extendat manum, & accipiat de ligno vitæ, & comedat & viuat in æternum. Nam quia magnæ intemperantiæ (inquit) indicia exhibuit, præuaricandoque mandatum mortalis factus est, ne nunc & lignum, quod vitam præbet continuam, attingere audeat peccaturus perpetuo satius fuerit; hinc ipsum eiicit ita, vt magis prouidentiæ, quam indignationis fuerit illa eiectio. Hic n. mos est Domini nostri, vt puniens non minus, quam benefaciens suam erga nos declaret prouidentiam. Quippe & hanc pœnam admonitionis gratia nobis irrogauit, quia vtiq; si scisset nos non peiores fieri impune peccando, neutiquam vltra punisset, sed vt reprimat nostrum ad deteriora progressum, & tollat malitiam vlterius grassantem, suam seruando misericordiam punit. & infra. Eiecitque Dominus Deus Adam, & habitare fecit eum è regione horti delitiarum. Animaduerte, quod Dominus noster in singulis operibus misericordiæ argumentum ostendit, & singularum pœnarum species bonitate plenæ sunt. Non enim hoc solum misericordiæ & benignitatis argumentum erat, quod eiiciebat, sed & quod contra paradisum illum habitare faciebat, vt iugem dolorem haberet, quotidie cogitans, vnde exciderit, & in quem statum se coniecerit: & quamuis grauissimi doloris spectaculum erat, est tamen magnæ vtilitatis occasio, vt dolens continuo aspectu munitior, & cautior esset in aliis, ne iterum in ea peccata incideret, qui hominis (vt plurimum) mos est. Itaque tanta rerum mutatione docemur, & à quibus excidimus, & quibus nosipsos malis iniecimus. Itaque quod prope, & è regione paradisi nos habitare iussit, nostri curæ signum fuit, vt & spectando memor esset, & inde lucrum faceret, & neque immodica viuendi cupiditate concupisceret, neque foris existens de ligno comedere præsumeret. Idem & D. CHRYSOSTOMVS ait: Imperat iusto, vt fabricet arcam. Volebat enim illos, qui tam grauiter peccauerant, fabricatione arcæ admoneri, vt secum cogitarent, quæ fecissent, resipiscendoque indignationem non experirentur. & infra: Ego autem inducam diluuium super terram: etiam nunc pro sua misericordia indignationem bonitate temperat, talem pœnam infert, quæ sine dolore sit, & non sentiatur, & quia video vlcera eorum incurabilia, sistere volo malitiæ fluenta, vt ne grauioribus pœnis obnoxios se faciant. & infra: Adhuc septem dies sunt, & ego induco pluuiam super terram, & cætera. Attende obsecro etiam ex eis, quæ nunc dicta sunt bonitatis diuinæ excellentiam, quomodo post tantam longanimitatem etiam nunc ante septem dies prædicit, volens metu emendatiores illos reddere, & ad pœnitentiam reducere. & infra. Inducam pluuiam quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: quid? non erat ei possibile, vt vno die totam pluuiam induceret? quid, inquam, vno die? vno momento posset: sed hoc dedita opera facit, volens simul & timorem incutere, & occasionem præstare, qua possent pœnam effugere. Et delebo (inquit) omnem substantiam, quam feci à facie terræ vsque ad pecus. Vide quomodo & semel, & iterum prædicit, & neque sic sibi supplicatur. Hactenus D. Chrysostomus.

VI. HIS alia eiusdem aureo eius ore digna non pigebit apponere, sermone namque de Adam ait: D. Chrys. serm. de Adam Sodom & Achab.
Manifesta est Dei lenitas, & vel ex his saltem initijs, quæ humano generi demonstrata sunt, cum Deus Legem dedit primo homini, & legislator ab illo contemptus est, non fulmine illum vltus est, non induxit.

quam minatus eſt, ſententiã; ſed finxit quaſi indignabundus ſtrepitum, ita vt Adam celeris fugæ tempus haberet, interrogationeque inſtrueretur; itaque cum in media fuga eſſet, Deus adſtans clamabat: Adam vbi es? ſimulat ſe non videre, quem fugerat; vbi es? vbi imago mea primum formata? vbi paradiſi pretioſiſſimus ornatus? vbi manuum mearum artificium? vbi imago regni mei nuper depicta? vbi nunc familiaris meus amicus? comparere non audentem animat, mortuum ad verba adhortatur: palpat voce quaſi febre laborantem, vt dicto morbo, valetudinario ſe committat; nomine vocat occultatum, vt vocationis manſuetudine animetur, & timore mortuus cogitationes refocillabundus aſſumat? adhuc me, vt pater, aduocat, & vt prauaricatorem non perdit inιudicatum? nondum implet ſententiam, quam antea minatus eſt, ſed dat reſponſis locum? propter hoc figura huius interrogationis, qua ſimulat Dominus neſcire, quod geſtum eſt, vtitur Deus, vt cum ſeipſum redarguat ille, diſcat Domini ſuauitatem, à ſeipſo quidem amictus nuditate, à Domino autem tecta eius turpitudine. Et quid diuinam bonitatem, quæ ſe in omnia ſæcula, & populos effundit, in vnum tempus concludo? manſuetus enim eſt, & etiam inimicis miſericors: & alibi: *Prior etiam occurrit, vt conciliet inimicos, & vt ament hi, qui impie egerant, ſtudet artibus quibuſdam efficere. Ex multis autem vnam hanc narrabo. Iſraelitas electos varijs miraculorum operationibus fouebat, & præclaros præ omnibus monſtrabat, omnem (vt ita dicam) creaturam propter illos alterans, & elementorum miniſteria mutans, defluam oſtendens petram, præparans terram in abſorptionem, retrocedere faciens ſolem ad occaſum feſtinantem, regulas naturæ nouas præſcribens, eaque omnia in gloriam ingrati Iſraelis: cum vero Idolis ſeruire cœperunt peſſime retribuentes Deo, habuit quidem ad vltionem fulmina, ſed natura ad mititudinem vergebat: abſtinebat quidem ab vltione omnium, ſed curabat, vt amaretur ab his, qui offenderant. Ieremiam mediatorem facit: vade, inquit, & lege ſermones*
Cap. 3.
iſtos, & dices eis; conuertere ad me peregrinatio Iſrael, & non iraſcar vobis in æternum. Tantum apud illum eſt miſericordiæ pelagus. hactenus D. Chryſoſtomus.

VII. QVIBVS vltimo loco ſubiungam dulciſſima
D. Bernar. ſerm. 5. de Natiu. Do. 2. Cor. 1.
melliflui BERNARDI verba, qui exponens locum illum PAVLI: *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis:* ſic habet: *Benedicitur Pater miſericordiarum, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere; ſed forte quis dicat; Quomodo illi proprium eſt miſereri, cuiuus iudicia abyſſus multa? Neque enim dicitur: omnes viæ eius ſola miſericordia, ſed miſericordia & veritas, non minus iuſtus, quam miſericors eſt, cui miſericordia & iudicium decantatur. Verum is quidem, cuius vult, miſeretur, & quem vult, indurat, ſed quod miſeretur, proprium illi eſt: Ex ſe enim ſumit materiam, & velut quoddam ſeminarium miſerendi; nam quodammodo cogimus; vt longe aliter de corde ipſius miſeratio quam animaduerſio procedere videatur. Ipſum audi dicentem: Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus, & non magis, vt conuertatur, & viuat? Recte igitur non Pater iudiciorum, vel vltionum dicitur, ſed Pater miſericordiarum, non modo, quod, vt pater, videatur miſereri potius, quam indignari, & quemadmodum pater filiorum miſereatur timentibus ſe, ſed eo magis, quod miſerendi cauſam, & originem ſumat ex proprio iudicandi, vel vlciſcendi magis ex noſtro. Vocat autem Paulus Dominum patrem non vnius tantum miſericordiæ, ſed miſericordiarum, & Deum non vnius, ſed totius conſolationis, qui conſolatur nos non modo in hac vel in illa, ſed in omni tribulatione. Miſericordiæ Domini multæ, ait quidem, videlicet quia multæ tribulationes iuſtorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus. Miſeria noſtra multiplex eſt; non modo magnam miſericordiam, ſed & multitudinem quærit miſerationum. Patrem miſericordiarum Ieſum vocamus, quia duplicem venit tollere miſeriam, animæ, condonando peccata, & corporis, ea reſuſcitans & configurans corpori claritatis ſuæ; vnde & bis dixit Propheta: Conſolamini, conſolamini popule meus, dicit Deus veſter, vt videlicet certi ſimus, quod vtrumque ſit ſaluaturus, qui neutrum ſuſcipere eſt dedignatus.*
Pſal. 24.
Pſal. 35.
Ezech. 18.
Pſal. 33.
Thren. 5.
Eſaia 40.

VIII. ECCE præclaris Sanctorum Patrum teſtimonijs diuinam miſericordiam conteſtatam, qua ſemper Deus pronus adeo eſt & procliuis ad miſerendum, & benefaciendum, vt vbi noſtra vulgata legit: *Aſcenſor cœli auxiliator tuus;* verſio SANTIS PAGNINI habeat: *Æquitans cœlos in auxilium tui*, vt ex admiranda cælorum velocitate coniectes, quam celeriter ad miſerendum currat, qui illis, velut equis, inſidet. ad quod idem alludunt verba Prophetæ; *& ſanitas in pennis eius:* non dixit, *in pedibus*, licet alioquin pedibus ſuis graderetur Chriſtus ad permultos ſanandos, quomodo progreſſus fuit in domum Lazari, vt à mortis infirmitate eum eriperet: non dixit, *in manib. eius*, licet alioquin per manus impoſitionẽ nõ ſemel infirmos ad priſtinã ſanitatem reuocaret: *Et impoſuit illi manus & erecta eſt:* ſed conſulto dixit: *Sanitas in pennis eius:* vt quantum alarum motus manuum & pedum motu velocior eſſe perhibetur, tanto magis velocitatem Dei in auxilium inopi ferendum ſignificaret. hinc ESAIAS volens cõmemorare vindictam, quam Deus de quibuſdam diuinæ legis præuaricatorib. ſumpturus erat, prius dixit ſub eleganti metaphora, quaſi moleſte ferret à peccatis hominum compelli ad illos puniendum: *Ecce Dominus egredietur de loco ſuo, vt viſitet iniquitatem habitatoris terræ cõtra eũ:* In quib. verbis ESAIAS præſupponit diuinam clementiam ac benignitatem proprium centrum eſſe Dei, in quo ipſe requieſcit; vnde quemadmodũ quando res naturales ſeparantur à ſuo centro, violentiam ſuſtinent; ita ad ſignificandum Deum, quaſi à noſtris iniquitatibus coactum, vt ſeuere nos puniat, & quandam ſe quodammodo violentiam pati à proprio miſericordiæ cẽtro egrediẽs, ideo dixit: *Ecce Dominus egredietur*
Deut. 33.
Malac. 4.
Luc. 2.
Eſa. 26.

de lo-

Mich. 1. *de loco suo, vt visitet iniquitatem.* similia lego dixisse MICHÆAM: *Ecce Dominus egredietur de loco suo, & descendet, & calcabit super excelsa terræ.* Obseruanda est metaphora illa, quam addit sub verbo illo, *de-* Deut. 4. *scendet*, quod cum *Dominus Deus noster ignis consumens est*; natura autem ignis sit ascendere, & alioquin si descendere compellatur, violentã patitur; ita quodammodo vim peccata hominum inferunt Deo, dum de sublimi loco suo ad ea punienda illũ descendere compellunt. vnde D. HIERON. in com- D. Hier. l. 13 c. 14. sup. Zach. mentario super Zachariam Prophetam eleganter dixit: *Egreditur Deus de loco suo, quando quietem, & mansuetudinem, & clementiam suam pro emendatione peccantium rumpere cogitur; qui cum per naturam dulcis sit, vitio nostro amarus efficitur, non sibi, sed nobis.*

IX. QVARE cum diuina eloquia ex vna parte pedes sponsi lapideis columnis, quę grauissimę sunt, comparãt: *crura illius columnæ marmoreæ*, ex altera vero eosdem componunt cum pedibus capreæ, & Cant. 5. Cant. 2. hinnuli: *Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum*; nullam in his verbis contradictionem reperiri putemus, quia sponsa considerans ad puniendum lento passu, & moroso gressu abire sponsum, ad benefaciendum vero & miserendum veloci cursu properare, propterea marmoreis columnis ad significandum primũ; pedibus vero capreæ, & ceruorum, ad denotandum secundum apte illũ comparauit. Cum igitur in hoc itinere Mariæ pergeret Dominus ad benefaciendum Ioanni, quasi pedes hinnuli ceruorum assumpsit, sponsa dicẽte: Ibid. *Ecce iste venit saliens in montibus transiliens colles.* Beneficium autem, quod ei contulit, illud primũ fuit, quod peccatum originale, quod eius animam detestabilem diuino suo conspectui reddebat, continuo expulit; quod singulare beneficium Ioannes agnoscens, statim lætabundus in vtero materno tripudiare cœpit: *Exultauit infans in gaudio.* Luca 1. Psal. 113. Dauid quidẽ interrogauit: *Quid est tibi mare, quod fugisti, & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum? Montes exultastis sicut arietes, & colles sicut agni ouium*: responsum autem accepit: *à facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob.* Liceat mihi in præsẽtiarũ persimilem interrogationem facere: Quid est tibi pec. originale, quasi procellosũ mare genus humanum inundans, quod fugisti, & tu Satan, quia conuersus es retrorsum? & quid est, quod Ioannes exultauit in vtero? Sane respondere licebit; *à facie Domini mota est terra*, hoc est, terrena infantis Ioannis substantia mota est: *à facie Dei Iacob*, quem infantulus coram se virgineo in thalamo recubantem præsensit. vnde CHRYSOSTOMVS per prosopopœiam Ioannem loquentem introducẽs ait: *Accessit,* D. Chrys. hom. de Ioan. Bapt. *qui soluit vincula, & quid ego sedeo vinctus? venit Verbũ, vt omnia constituat, & ego adhuc maneo detentus? exibo, præcurram, & prædicabo omnibus.* Contẽplor & ego similiter Ioannem ibi mente dicentem: *En* Cant. 4. *ipse stat post parietem nostrum: En dilectus meus loquitur mihi*, per os matris suæ; *anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est*; igne sui amoris flagro, & dulcedine miræ suauitatis eius liquesco, immo cor meum, & caro mea exultauerunt in Iesum Deũ.

X. QVIS hic non miretur, cum à sæculo non sit auditum gaudium, & tripudium antiquius? Ortus olim propheta vocabatur *videns*, quia à longe Domino reuelante, quasi linceis oculis, futura præuidebat, Ioannes autem in vtero matris plusquã Propheta est, cũ antequã natus Christũ vidit, & instat Dauidis ante arcam Domini saltantis illum adorauit, & corporis tripudio aduentũ eius celebrauit. O beatum virũ plusquam Prophetam, qui antequã præcedas Saluatorem, teipsum præcedis, ante ortum iam Pręcursoris ministerio potiris, antequam humum teras, cœlum inhabitas! felix certe nuntius, & omni acceptatione dignus; qui prius gestiuit nuntiare Dominum suum, quam nasci: impatiens, ac celerrimus legatus, qui ante peruenit ad regem, quam ab ergastulo vteri materni exiret: mirandum sane prodigium, vt non deserens terminum *à quo*, peruenerit ad terminum *ad quem*, vt philosophorum more loquar.

XI. CERTABANT olim gemini; Esau, & Iacob in alueo matris suæ Rebeccæ, & inter angustias vteri, velut in loco duelli pugnabant, duorum populorũ typum gerentes; sed longe hoc Ioannis tripudium duello illo mirabilius, & sacratius; ibi pugna mutua, hic amor reciprocus; ibi certamen & rixa, hic gratia, & pax; ibi defensio, & dissidium, hic fœdus & concordia. quid plura? gemelli illi in vtero certabant, hi exultabant; illi rationis nondum expertes præliabantur, hi scientes amicitiã inibant; illi tanquam ignorantes pueri quid facerent, nesciebant, hi tanquã viri cordatissimi, & disertissimi per diuinam voluntatem, tanquam per primam normam, actiones suas regulabãt. Ecce igitur causã propter quam festinanter Christus venit, non longas inducias, non prolixas pertrahens moras, vt Pręcursorẽ suum sanctificet, & ex filio iræ ei filium constituat.

XII. AGE nunc, quam communis hæc fuerit lætitia, breui edisseramus. Gaudet infans Ioannes ante ortũ ob cælestia charismata recepta; *Exultauit in* Luca 1. *fans in gaudio*: gaudet Elisabeth, ꝙ Spiritus sancti fluẽta illã irrigauerat: *Et repleta est de Spiritu S. Elisa* Ibid. *beth*: gaudet Zacharias ob merita filii prophetię donum recipiens, vt ECCLESIA CATHOLICA docet:

Hinc parens nati meritis vterque Offic. Rom in festo S.
Abdita pandit: Ioa. Bapt.

gaudet beatissima Virgo, vt ipsa ingenue fatetur dicens: *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*: Gaudet humanitas Christi, quia iam inceperat humanã salutem in medio terræ, hoc est, in medio v- Orig. hom. 23. Num. teri virginei operari; vt autem ORIG. dixit: *Est festiuitas magna Christi, Dei nostri, humana salus*: Gaudet tandẽ beatissima Trinitas, ꝙ potentia Patris, sapientia Filij, bonitas Spiritus sancti clarius iã innotescere inciperent hominib. & per merita Christi tres diuinæ illæ personæ cœlestia sua munera copiosius & vberius effunderent.

XIII. COMMVNE quidem hoc tam cœlo, quam terræ gaudium ex Mariana visitatione ortum grauissimi illi Patres Concilij Basiliensis (numero, & sapientia multi) his verbis eleganter descripserũt; *Maximam lætitiam fidelium mentibus debet ingerere excellens illud mysterium, quo matres illæ gloriosæ totius salutis nostræ ferentes primordia, tã familiariter inter se exultarunt; Cum Virgo excellentissima de stirpe Dauid Maria, & veneranda inter filias Aaron Elisabeth inuicẽ colloquuntur, quarum altera Creatorẽ omnium, & Saluatorem nostrum, & altera Præcursorem Ioannem gestat in vtero; & sanctæ illæ miraculo matres effectæ, diuina inter se beneficia commemorant. felix quidem illa conuentio, & magis diuinæ gratiæ splendoribus illustrata, qua tales & tantæ in vnum matres pariter affuerunt, quarum altera Virgo ex Spiritu sancto, altera sterilis, & in senectute conceperat, & vtriusque partum cœlestis Angelus prænunciauit; qua Ioannes adhuc maternis reclusus claustris, venientem ad se Dominum in Mariæ vtero veneratur; qua repleta Spiritu sancto Elisabeth conceptui filij Dei, & Saluatoris hominũ gratulatur; qua & ipsa prophetans beatissimã dixit Mariam, quæ credidit, & reuelata sibi mysteria pandit; qua deniq; repleta ineffabili gaudio mater Domini Maria, omnia in corde suo conferens, quæ vel prius ab Angelo, vel tunc ab Elisabeth perceperat, in canticum & laudem Domini prorumpit.* Et paucis interiectis hæc adijciunt: *Quis tanta mysteria condignis laudibus prosequatur? quis hæc gaudia sufficienter exponat, dum Ioannes nondum natus exultat, Elisabeth aduentu Virginis collætatur, Maria in mysterijs gaudet, clausus in vtero Saluator à suo recognoscitur Præcursore, lætantur Angeli, cœlum & terra iucundantur, & tota Trinitas nouis laudibus glorificatur? Hæc igitur gaudiorum magnitudo specialib. est extollenda præconijs; hæc singularibus solennitatibus celebranda, in qua & Dominum, qui gestatur vtero, & Virginem, quæ portat, & sterilem, quæ concepit, & Præcursorem, qui visitatur, condecentibus prosequi debemus honoribus:* Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Patres Cõcil. Basil. seß. 43. Lucæ 1.

HOMILIA V.

Eadem verba: Exurgens Maria, *iterum illustrantur, pariterq; illa alia.* Abiit in montana cũ festinatione: *in quorum expositionem permulta ad componendos mores traduntur, vt de consulendo bono proximi, de non differendo exercitio bonorum operum, de difficultatibus in obseruantia diuinæ legis superandis; ac tandem de consortio virorum præcipue Virginibus fugiendo.*

Luc. 1.

I. ERBA hæc D. LVCÆ: *Exurgens Maria abiit in mõtana*, attentius consideranti DAVIDICA illa occurrerunt: *Surge Domine in requiẽ tuã; tu & arca sanctificationis tuæ: Sacerdotes tui induantur iustitiam, & sancti tui exultent.* Perspicuum satis est, Regium Prophetam secundum literalem sensum sermonem facere hoc in loco de mutatione arcæ in templum Domini, ac sanctitate, & reuerẽti cultu, quo illã sacerdotes suscepturi erant; tamẽ cũ mutatio illa Arcæ figura extiterit & imago mutationẽ Virginis in domum Zachariæ egregie adumbrans, merito in sensu mystico præsenti Marianæ visitationis argumento adaptamus. Postulat ergo Dauid in spiritu à Domino, *vt exurgat*, hoc est, vt iter arripiat ad fruendum requie sua; requies autem Christi benefacere est, & peccatorum purgationi vacare; vnde perinde fuit, ac si diceret; surge Domine in vtero Virginis, & perge ad benefaciendum Ioanni, Zachariæ, & Elisabeth; hæc enim est requies tua, pauperes cœlestibus donis locupletare. Quia tamen præuidebat DAVID Christum sub vteri virginei Arca clausum pedibus suis progredi non posse, idcirco dixit: *Tu & Arca sanctificationis tuæ:* hoc est, mater tua, vt sic in ea velut in ferculo ad domum Zachariæ ducaris; vel certe id dixit, quia spiritu prophetico prænouerat Deum post Incarnationem suam nemini cælestia charismata, nisi mediante Virgine, collaturum, & idcirco petijt, vt exurgeret etiam mystica Arca Maria, vt re vera exurrexit, LVCA dicente: *Exurgens Maria abiit in montana*, mediaq; eius salutatione Ioannes & parentes eius magnifica diuinæ gratię munera suscepere. hinc recte D. BERNARDVS dixit: *Quia indignus eras, cui donaretur Deus, datus est Maria, vt per illam acciperes, quidquid haberes.* & ibidem subiunxit vniuersalem legem his verbis illam promulgans: *Nihil nos Deus habere voluit, quod per manus Mariæ non transiret.* subiungit deinde: *Sacerdotes tui induantur iustitiam, & sancti tui exultent;* vt fructum visitationis Mariæ, Christum secũ ferentis, indicaret; nimirum quod sacerdos Zacharias, & sacerdotissa Elisabeth, ac filius eorum Ioannes iustitia Dei, ac mira sanctitate replendi erant, ac summa lætitia exultabundi, adeo vt & infans in vtero hilaresceret, Euangelista dicente: *Exultauit infans in gaudio.*

Psal. 131. Ibid. D. Bernar. ser. 3. in Vig. Nat. Dom.

II. VERVM ad eadem verba redibo: *Exurgens Maria:* quidam arbitrantur surrexisse ab oratione ad actionem, hoc est, ab exercitijs vitæ contemplatiuæ ad vacandum operibus vitæ actiuæ; Ego a. existimo tantæ fuisse perfectionis B. Virginẽ, totque diuinis auxilijs suffultam, vt in ea contemplatio actionem non excluderet, nec rursus actio contemplationem impediret: sed simul Marthæ, & Mariæ officia eminentissime exerceret; illa quidem Maria sedens dicitur, quod vacabat Domino: *Sedebat secus pedes Domini:* Maria vero Deipara exurgens, & stans inseruiebat Domino, Euangelista dicente: *Exurgens Maria abiit in montana:* in quo certe illud discrimen reperio, ꝙ *exurgere, & stare* perfectionẽ; *sedere* imperfectionẽ, illud corporis robur, istud imbecillitatẽ, & infirmitatẽ denotat; quia ergo Maria Magdalena, quantumuis contemplationi vacaret, imper-

Luc. 10. Iacob. 3.

imperfectionibus tamen non carebat, quia *in multis offendimus omnes:* B. autem Virgo omnis imperfectionis expers erat, idcirco Magdalena *sedens*, Maria autem *exurgens* à Luca describitur. Erat etiã (quod præsenti instituto magis inseruit) aliud discrimen inter Magdalenam, & Deiparam, quod illã, vt contemplationi vacaret, oportuit Martham sororem suam deserere, vt ipsa conquerebatur: *reliquit me solam, dic ergo illi, vt me adiuuet:* Deipara vero simul contẽplationi, & actioni vacabat: quẽadmodum enim beatissimi Angeli incessanter exurgentes ad Dei contemplationẽ, veniunt ad nos, vt ministerio suo ad hæreditatem salutis æternæ obtinendam nos adiuuent: Raphael enim TOBIÆ dixit: *Ego sum Raphael, vnus de septem, qui adstamus ante Dominum:* & tamen abiit cũ filio eius in ciuitatem Medorum, & sanum ac locupletem, reduxit, plurimaque alia ei exhibuit obsequia, nihil vnquã de diuinæ contemplationis suauitate deperdens: persimili modo B. Virgo, vera Dei genitrix, tanto melior Angelis omnibus effecta, quanto differentius p̃ illis Matris nomen accepit, ita abiit in Montana, vitęq; actiuę ministeriis vacauit, vt de altissimæ contemplationis Dei perfectione nihil prorsus amitteret. Verum tamen est, quod licet pro humana fragilitate nemo nostrũ id præstare possit, quia ait SAPIENS: *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem:* oportet nihilominus ad tempus viros etiam perfectos, Mariæ suauitate, & quiete omissa, Marthæ sollicitudine ob proximorum salutẽ grauari: vt enim dicit D. AVG *Otium sanctũ quærit charitas veritatis; negotium iustum suscipit necessitas charitatis:* nec illi putare debent ob id eorũ charitatis feruorem quidquã minuendũ, immo augendũ, ac tenacius firmandũ, vt doc et SALOMON: *Non te pigeat visitare infirmũ, ex hoc n. in charitate firmaberis.*

Iacob.3. — Luc.10. — Tob.12. — Sap.9. — D.Aug. de Ciuit. Dei. — Eccl.7.

III. IMITANTES ergo B. Virginem pium, quæso, animum erga proximos nostra ope indigentes, vt decet veros christicolas, ostendamus, maxime cũ & pietatem etiam inter barbaras nationes non absque magna nostra cõfusione viguisse legamus. Narrat enim D. AVGVST. necnon & LIVIVS, quod Marcus Marcellus, qui Syracusas vrbem ornatissimam cepit, fertur eam prius fleuisse ruituram, & ante eius sanguinem suas illi lacrimas effudisse; prius etiam, quam oppidum victor iussisset inuadi, constituit edicto, ne quis corpus liberum violaret. Euersa est tamen ciuitas rebellium, nec vspiam legitur ab Imperatore tam casto atq; clemente fuisse præceptum, vt qui id violasset, & ad illud, vel illud templum fugisset, abiret illæsus. Si ergo barbari homines ita inuicem compatiebantur, cur non magis pia Virgo compateretur dolori cognatæ suę Elisabeth, in tam confecta ætate grauidæ, partuiq; vicinæ? cur & nos non compatiemur benigne proximis nostris pressuris, & tribulationibus confectis, præceptum PAVLI imitantes: *flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus.*

ad Rom.12.

IV. SVBIVNXIT deinde sacer Euangelista: *abiit*, ecce non dicit abituram Virginem de futuro, sed quod abiit de præsenti, vt inde discas non differre in crastinum diem pœnitentiam, alieni æris restitutionem, iniuriarum remissionẽ, pauperum subuentionem, ac similia charitatis opera, quæ hodie de præsenti exercere potes: sic enim illud SAPIENTIS consilium implebis: *Quodcunque potest facere manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Et quidem si solam naturalem rationem consulamus, ipsa vtique nos docet, opus bonum non esse differendum, ne forte casu aliquo superueniente (vt frequenter accidit) impediatur, iuxta illud LVCANI:

Tolle moras: semper nocuit differre paratis.

vnde CATO in suis documentis dixit:

Rem tibi quam noris aptam, dimittere noli,
Ne rursus quæras, quæ iam neglexeris ante.

similiter & HORATIVS prudenter dixit:

Tu quamcunque Deus tibi fortunauerit horam,
Grata sume manu, dubiam nec differ in horam.

PROSPER item l. Epigrammatum hæc præclara cecinit:

Quid iuuat in longum causas producere morbi?
Cur dubium expectas cras? hodierna salus.

MARTIALIS deinde amentiam vocauit bonorum operum dilationem, sic enim ait:

Viuendi recte fatuus procrastinat horam.

ac tandem OVIDIVS carmina illa, quæ in ore omnium versantur, scripsit:

Sed propera, nec te venturas differ in horas,
Qui non est hodie, cras minus aptus erit.
Vidi ego, quod primo fuerat sanabile vulnus,
Dilatum lenta damna tulisse mora.

Eccl.9.10. — Luc.l.2. — Cato in suis docũ. — Horat. in suis epist. — Prosp.l. Epigr. — Ouid. de remed. Amor.

V. ADDIT præterea Euangelista: *In montana:* potiori quidem iure, quam DAVID poterat nunc B. Virgo intonare illud PSALMI: *Perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & super excelsa statuens me:* statuit enim eam supra montana, quæ sublimia valde & excelsa erant. D. AVGVST. in comm. horum verborum dixit: *Deus perfecit amorem meum ad transcẽdenda spinosa, & vmbrosa implicamenta huius sæculi, & super cœlestem habitationem fixit sedẽ meam.* Hæc quam apte Maria sibi vsurpasse potuisset, nemo est, qui non videat, cum nec longi itineris difficultas, nec tenella eius complexio, nec montium asperitas illam à pia cognatæ visitatione, aliisque charitatis operibus, quæ Spiritu sancto afflante sibi exercenda pręconceperat, quidquã retardare potuerunt, vt olim Loth retardarunt dicentem: *Non possum ascendere in montem, ne forte apprehendat me malum:* quin potius tanquam omnia potẽs in eo, qui illam confortabat, montium cacumina conscendit, & praua in directa, & aspera in vias planas sibi fecit. Proh dolor, quam Virgini dissimiles innumeros inuenies, in vincendis difficultatibus pusillanimes adeo, vt omnia virtutis opera, velut immanissimos leones exhorrescant, illud in ore versan-

Psal.17. — D.Aug. ibi. — Gen.19.

Prov.20. 2j. tes: *Leo est foris in medio platearum: occidendus sum.*
Nullum virtutis genus esse sibi videtur, quod leoninam ferocitatem non præseferat: ieiunia quidẽ finxit grauiter eius saluti nocitura, ob vigilias magnum detrimentum capiti inferendũ, propter pauperum eleemosynas ad egestatem deueniendum, ac tandem propter iniuriarum condonationẽ honorem amittendum; quæ omnia adeo aliena sunt ab illa leonina immanitate, quam illis inesse falso
Iud. 14. sibi suadent, vt sicut olim Sãson in ore leonis mellis fauum inuenit, quotquot illa exercent, velut in cœlestibus apũ aluearijs dulcissimos diuinæ consolationis fauos reperiant; qui vero ab illis exercẽdis se abstinent, illud sibi graue detrimentum inferunt, quod dum confictos à se leones timuerunt, & ab eis imprudenter fugerunt, in immanissimi illius veri leonis manus incidunt, *qui tãquam leo ru-*
2.Pet.5.8. *giens circuit, quærens quem deuoret*, vt D. PETRVS mo-
D.Bernar. net. Fictionem hanc probe agnoscebat D. BERN.
opere illo, cum hæc præclara dixit: *Sub lingua eius mel, & lac*
cuius tit. *qui (iuxta prophetam) laborem fingit in præcepto. Pie*
est, li. sent. *prouidit Deus, vt haberet pietas promissionem vitæ, quæ nunc est, & futuræ, nec laborem verum imponeret, sed magis fingeret in præcepto. Audi quomodo laborem*
Matth. 11. *fingere ipse se probat: Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris: iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Quomodo non fictus labor, vbi non labor, sed requies inuenitur? Ita ergo labor in lingua, mel sub lingua. Quid supra linguam? ineffabilia, quæ non licet homini loqui. Miseri qui solũ, quod in lingua sonuit, attendentes, nec quod sub lingua reconditum, nec quod supra repositum fuit, capere potuerunt. Durus est sermo (inquiunt) tollere Crucem, odisse patrem, & matrem, adhuc autem & animam suam. Quid durius poterat dici? Noli errare, lapis videtur, panis est, durus in cortice, sed suauissimus in medulla.*

VI. QVIA tamen perfectio charitatis postulat, vt non solum diuina præcepta impleantur, sed diligenter, prompte, & cum festinatione id præste-
D. Ambr. mus, sapienter D. AMBR. id nos admonens dixit:
l.1. de *Non satis est recte facere, nisi etiam maturaris, quod fa-*
Cain, c.5. *cias: vberiores fructus habet celerata deuotio.* Hinc est,
Ps. 128. quod DAVID non contentus in via mandatorum Dei deambulare: *Beati qui ambulant in lege tua Do-*
Ibid. *mine*: nec etiam in eadem currere: *viam mandatorũ tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*; columbinas
Ps 37. pennas ad volandum instanter postulabat: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo?* Verum & velociores adhuc omnibus volucribus vidit iustos
Ezech. 1. Propheta EZECHIEL, cum ostensa illi fuere animalia, quæ *ibant & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* fulgure enim nihil velocius in his rebus sublunaribus inueniri potest, quo Spiritus S. apertissime indicauit, diuinorum præceptorum obseruantiam (cæteris paribus) tanto sibi fore gratiorem, quanto diligentiorem & velociorem. Hinc vidimus patrem Abraham diuinorum præceptorũ obseruantissimum custodem celerem valde fuisse in eorum executione. Apparuerunt ei tres viri, & Gen. 18.
hospitio ab eo recipiuntur; quos cum vidisset, cõtinuo absque vlla interposita mora cucurrit ad illos, & non solum cucurrit, sed, vt ait D. CHRYS. D. Chrys.
Currit & volat Abraham, vidit enim prædam, quam sup. c. 18.
venabatur, non vocauit famulos, quasi diceret; magna Gen.
negotiatio est, magnus thesaurus, per memetipsum hãc mercem inferre debeo. Postquam autem Abraham ad illos hospitio excipiendos festinauerat, diligenter adeo se gessit in parãdis cibis ad eorũ pransum, vt sacer textus dicat; *Festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque, accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcineritios panes: ipse vero ad armẽtum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, deditque puero, qui festinauit; & coxit illum.*

VII. HANC miram ac inauditam magni Patris Abrahæ diligentiam admirans ORIGENES ait: Orig hom.
Abrahamus currit, vxor festinat, puer accelerat, nul- 4. in Gen.
lus piger est in domo sapientis. Ipse etiam Abraham
(vt sacra GEN. tradit historia) iussus filium suum in Genes. 22.
holocaustum offerre, nec per viam distulit, sed exurgens nocte strauit asinam suam, & adhibuit secũ duos seruos, & Isaac vnigenitum, & præcidens ligna ad holocaustum abiit, & venit ad locum, quẽ dixerat ei Dominus. quiddam etiam simile in hac celeritate reperio apud TOBIAM: ait enim sacer Tob. 2.
textus: *Vidit vnum ex filiis Israel iugulatum iacere in platea, statimque exiliens de accubitu suo, relinquens prandium ieiunus peruenit ad corpus, tollensque illud portauit ad domum suam.* ecce Tobiæ diligentiã in sepeliendis mortuis, qui non est cunctatus, sed audito nuncio continuo de accubitu suo ad quærendum cadauer, veluti ad inueniendum thesaurum exiliit: sunt enim opera misericordię instar thesauri, quem, qui illa exercent, postquam ex hac vita emigrauerint, certissime reperient, SALOMONE di- Eccles. 11.
cente: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa inuenies illum*: super quę verba magnus pater HIERON. ait: *ad eleemosynam cohortatur Ecclesiastes, quomodo enim, qui super irrigua seminat, fructus sementis expectat, ita qui largitur egẽtibus, non granum seminis, sed ipsum panem serit, fœnore quodã multiplicationem ipsius præstolans, & cũ dies iudicii aduenerit, multo amplius, quam dederat, recepturus.* Hebraice legitur; *mitte panẽ tuum super faciẽ aquarum*, id est, super faciem terræ aquis irrigatã: teracissima terra est miserorum, & calamitosorum hominum facies, aquis, hoc est, lacrymis madefacta; in hac semina panem tuum, & magno cum fœnore semen reddit.

VIII. ADSVNT & alia pleraque in sacris eloquiis, quibus ad hanc celeritatem à Domino inuitamur:
per MICHÆAM ait. *Indicaui tibi, ô homo, quid sit bo-* Mich. 3.
num, & quid Dominus tuus requirat à te, vtique solicitum ambulare coram Deo tuo: habes alibi, vt solis ortum oratione præuenias: *Occurre ad solis ortum:*
habes in Euangelio Iesum dicentem: *Zachæe festi-* Luc. 19.
nans descende, &c. ille festinans descendit, & accepit eum gaudens: eiusque celeritas grata adeo Christo

exti-

extitit, vt in eius remuneratione dixerit: *Quia hodie salus domui huic facta est.* vbi obiter animaduertendum censeo, quod Dominus etiam festinauit ad beneficium illud conferendum, & ideo non expectauit, vt promitteret, & postea impleret, sed ante illud cōtulit, & postea declarauit: dixit enim: *salus facta est*, quod vtique præuenienti seruit, non promittenti. Adhæc antiqui Patres festinantes manducabant Pascha, succincti lumbos, & pedes suos calceorum vinculis exuentes, leue etiam illud onus deponentes, vt essent parati ad transitū: *phase* enim *transitus* interpretatur, transitus sc. à vitiis ad virtutes, à peccatis ad gratiam, à diaboli seruitute ad libertatem filiorum Dei, hæc sunt, quæ sollicito animo cito tibi citanda sunt, si cito audire velis, veluti alter Iacob dilectus: *Quid est hoc, quod tam cito inuenisti fili mi?* tunc enim licebit tibi respondere, quod illi: *Voluntas Dei fuit, vt cito inuenirem.*

Exod. 12.
Gen. 27.
Ibid.

IX. E CONTRA vero quam Deo detestabilis & ingrata sit in diuino famulatu segnities & negligētia, non pauca contestantur, quorum nonnulla breuiter indicabo, IEREMIAS inquit: *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter*; certe Deus (quidquid alii sentiant) propterea oblationem Cain respuit, quia serius eam facere distulit, vt verba ipsius MOYSIS indicant: *Factum est autem post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino.* vnde PHILO in sacra Scriptura versatissimus, li. de sacrificiis Abel & Cain, affirmat Deū placido vultu holocaustum Abel acceptasse. C in vero repulisse, non solum, quia illud præstantius, hoc deterius, sed quia illud Abel citius, hoc vero Cain tardius obtulit. Deniq; vt in diuinis operibus negligentiam, & acediam penitus tibi execrandā reddam, scito inter signa reprobationis illud ex sacris Scripturis non obscure elici, quod reprobi in diuinæ legis custodia segnes, tardi, & oscitantes, in eius vero violatione prompti, accincti, ac veloces dicuntur; SALOMON inquit: *Pedes impiorum ad malum currunt.* Regius vates inquit: *Veloces pedes eorū ad effundendum sanguinem.* vnde IEREMIAS comparat velocitatem eorum ad malum cum velocitate equi strepitu armorum, & tubarum clangore prouocati, & ad bellum euntis: *Omnes conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prœlium.* Hæc autem segnities ac negligentia si in personas religioni addictas irrepat, audi D. BERNARDVM tractat. de passione Domini, quanta mala pariat: *Sunt (inquit) nonnulli, qui bona quidem opera faciunt, vel coactione, vel necessitate, vel consuetudine, sed ad hæc agenda nulla alacritate mouentur. Vitium hoc acediæ est, quo religiosi homines maxime affliguntur, quod quendam torporem incutit animo, vt ipsis omnia exercitia spiritualia quasi insipida videantur, & in graue tædium conuertantur, de quo ait Psalmista, Dormitauit anima mea præ tædio: & alibi, Omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquauerunt vsque ad portas mortis. Tantum quippe aliquando affligitur hoc vitio anima bonorum, vt omnem escam, id est, omne spirituale exercitium abominetur, vt nec orare, nec legere, nec meditari, nec aliud opus bonum libeat exercere. Contra hoc vitium operatur, qui viam mandatorum Dei currit, cum cor hominis dilatatur, id est, spirituali iucunditate aperitur. Dicitur enim naturaliter timore & tristitia cor claudi, securitate vero, & lætitia aperiri.* hactenus diuus Bernardus.

Ierem. 48.
Gen. 4.
Prou. 1.
Is. 13.
Ierem. 8.
D. Bern. tract. de pass. Dom. c. 9.
Psalm. 118.
Psal. 106.

X. SED aliter nunc tam secundum litteralem, quam mysticum sensum hanc Mariæ in domum Zachariæ festinationem edisseramus. Festinabat quidem beata Virgo, sed accelerato suo progressu minime, vt leues fœminæ assolent, modestiæ terminos vnquam transilibat; semper qualis mente, talis incessu fuit, vidistis aliquādo naues armamētis, linteis, & aliis rebus ornatas, secundo vento, celeri volatu maris æquora secantes, nihil illis velocius, stare tamen, nec se loco mouere videntur: talis nunc cœlorū Regina incedebat: talis ingressa in Cariatharbe; sed id mirabile est, quod cum alioquin duobus præcipue temporibus grauidis mulieribus motus quiuis festinus interdicatur à medicis, vt ALBERT. MAGN. obseruauit, primus in cōceptionis initio, cum fœtus molis onere facile dissolui possit, & in fine post sextum aut quintū mensem, ne abortus contingat; nihilo secius tamen B. Virgo paucissimis diebus post Christi conceptionem in vtero eius nō dubitat festino progressu incedere: *Abiit in montana cum festinatione.* quod nō obscure mihi indicat; non virili opera prolem suscepisse, sed Spiritu S. illam obumbrāte; inde enim erat, vt nullum immineret periculum, vt propter festinum motum recens conceptus fœtus quantūuis molis dissolueretur, aut in abortum iret. deinde quamuis alioquin grauida Virgo, properabat tamen iter, quia q mouebat illam, tarda molimina nesciebat. Si enim sacra illa EZECHIELIS animalia ita à diuino Spiritu agebantur, vt sacer textus dicat: *Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur*: quāto magis credendum est, B. Virginem, in qua plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitabat, non ab alio, quam à Spiritu sancto ad festinum illum progressum moueri? Rursus, quod alias prægnātes fœminas ad festinandū impedire solet, pondus est prolis, quam gestant; id tamen beatam Virginem neque in profectione ad Elisabeth, quia tunc proles erat paruissimę quantitatis (ait enim ARISTOTELES fœtum in principio suæ conceptionis esse instar formicæ: MACROBIVS vero instar apis,) nec in reditu in domum suam, nec in itinere ad Bethlehem quidquam retardauit; nam (vt supra dixi ex sententia D. BERNARDI) sicut fuit sine corruptione fœcunda, & sine dolore puerpera, ita & sine grauamine grauida; quod sane mihi non est difficile creditu, tum quia si in statu innocentiæ grauidæ fœminæ nihil molestiæ sentirent, cur id priuilegium putabo negatum Mariæ? tum quia si amor grauia reddit leuia, iuxta illud, quod de Iacob sacra nar-

Alb. Mag. super Luc.
Luca 1.
Ezech. 1.
Arist. 7. Histor. anim.
Macrob. li. 21. c. 3.
D. Bern. sup. sign. mag. ap.

Gen.29. rat historia: *Videbantur ei pauci anni præ amoris magnitudine*: consequens est Mariæ ardentissimũ ob amorem erga Christum pondus corporis eius leuissimum visum fuisse, tum quia si (vt Philosophi docent cum ARISTOT.) elementa in propriis locis non grauitant: certe cum Christus Dominus ita quiesceret tanquam in proprio, ac connaturali loco in vtero Virgineo, iuxta illud: *Qui creauit me, re-*
Eccl.24. *quieuit in tabernaculo meo*: consequẽs erat, vt instar elementi in proprio loco non grauitaret, licet alioquin ponderosum esset, vtpote partim ex ponderosis elementis terra & aqua compactum. quare tantum abest, vt diuina & humana illa proles, quã Virgo conceperat, grauis & molesta illi esset ad eã portandam, vt potius instar alarum aui, rotarum currui, velorum naui, ei ad festinandum prodessent: eo vel maxime, quod cum beata Virgo in vtero portaret eum, qui *portat omnia verbo virtutis suæ*
Heb.1. (vt ait Apostolus) ab illo etiam ipsa portabatur: vnde sicut nauis à nauclero, quem ipsa ducit, ducitur, ita beata Virgo à nauclero Christo, quem ipsa
Isaiæ 19. ducebat, ducebatur. & forsan ISAIAS cum dixit: *Ascendet Dominus super nubem leuem*; propterea vocauit leuem, quia cœlestis pluuia, quam intus ferebat, nihil eam grauabat.

XI. RATIONEM autem, quare in hoc itinere Virgo, quæ alioquin lento passu incedere solebat, festinare voluit, assignat diuus AMBR. ne scilicet extra clausuram, cuius obseruantissima erat, nimium
D. Ambr. l.2. in Luc. moraretur. verba D. AMBROSII hæc sunt: *Discite igitur & vos mulieres non per alienas domos circumcursare, non in plateis morari, non aliquos in publico miscere sermones; Maria in domo sera, festina in publico, mansit apud cognatam mensibus tribus*: quare cum Euangelista ait, beatam Virginem abiisse cum festinatione, prudenter occurrit illorum calumniæ, qui beatam Virginem hoc iter dedecere putarent; si quis enim oblatraret, Virginum esse domi se cõtinere (Dinam enim violatam fuisse, quod ad publica gentium spectacula conuenisset; Bersabeam in publico se lauantem Dauidi adulterii occasionem præbuisse; Paulum quoque mulieres domui suæ non publicis negotiis dominari; & alibi, domus suæ debere esse custodes, sacra veteris & noui Testamenti eloquia commemorant:) idcirco vt huic obiectioni occurrat sacer Euangelista, ait,
Lucæ 1. Virginem festinasse: *Abiit cum festinatione*, ne scilicet diu maneret in publico.

XII. Ex quo beatæ Virginis exemplo non possum non ansam sumere, vt fœminis, & maxime Virginibus, ea hoc loco proponam, quæ sancti Patres edixere, vt docerent, quantum illas oporteat ad virginitatis custodiam à prophanis spectaculis se abstinere, in publicum, vbi videant & videantur, non prodire, & à familiari virorum consortio, etiamsi sanctitate conspicui sint, se penitus abstine-
Orig. c.4. to.2. consti. monast. re. ORIGENES in primis in hunc modum loquitur li. Constitutionum Monasticarum: *Oportet non solum cogitationes turpes moderari, sed etiam à rerum conuersatione, quantum eius fieri potest, discedere, maxime earum, quæ accedentes nos, & ad effectuum recordationẽ ducentes; rationem turbant, ac confundũt, & bella, ac anxietates animæ inducunt. Nam bellum quidem inuitis nobis accidit, sufferre fortassis necessarium fuerit, verum vltroneum sibi ipsis accersere absurdissimum existit. In priore enim etiamsi quis superetur, forte veniam assequetur (absit autem hoc à Christi athletis) in hoc vero si quis capiatur, supra hoc, quod id maxime ridiculum est, etiam veniam difficile cõsequetur. Oportet igitur etiam mulierum conuersationes, & congressus quam maxime fugere, nisi aliqua ineuitabilis necessitas ad congressum cogat, quæ si etiam contingat, velut ab igne cauere conuenit, ita vt celeres, ac repentinos discessus faciamus.* D. HIERON. sic ait: *Quid tibi* D. Hieron.
necesse est in ea versari domo, in qua necesse habes quo- epist.47.
tidie aut perire, aut vincere? Quis vnquam mortaliũ iuxta viperam securos somnos capit? quæ etsi non percutiat, certe sollicitat. Securius est perire non posse, quam iuxta periculum non perisse. In altero tranquillitas est, in altero gubernatio. Ibi gaudemus, hic euadimus. & infra: *Audio te suburbana ru ..., villarum amœnitates cum affinibus atque cognatis, atque istiusmodi generis hominibus circumire, nec dubito quin vel consobrina, vel soror sit, in quarum solatium noui generis ducaris assecla. Absit quippe, vt quamuis proximi sint, & cognati, virorum te suspicer optare consortia. Si sola ieris, vtique inter seruos adolescẽtes, inter maritatas fœminas, inter lasciuas puellas, comatosque iuuenes gradieris. Dabit tibi barbatulus quilibet manum, sustentabit lassam, & pressis digitis aut tentabitur, aut tentabit.* & paulo inferius ait: *Tribus Leui seorsum, & vxores eorũ seorsum, vt vitãda intelligas fœminarum consortia. Nam fœmina masculi corpus contingens, & vice versa, etiamsi animæ ipsorum per cogitationes non processerint ad complexum, tamen inter se mutuo latẽter irritantur. Et sicut stupa, vbi stupam contigit, & splendidus ignis purum ignem non fumum edit; at stupa, vbi ignem olfecit, statim accenditur, & non opus est multa opera, neque aliquo extrinsecus sufflante, vt ignis è stupa eluceat, sed solum admota statim habet apparentes flammas, sic fœmina masculi corpus contingens non opus habet multo labore, neque amore ad coitus mixturam inspirante, sed cum naturalem habeant inter se amorem, simul vt contingit, statim habet latenter incensam voluptatis scintillam. Quapropter (in-* Prou.6.
quit) ligabit quis ignem in sinu, vestimenta autem non comburet? aut ambulabit quis super prunas ignis, & pedes suos non comburet? sic non sine damno discedet omnis qui attingit mulierem. D. BASILIVS lib. de vera virginitate ad Letoium Melitensem Episcopum to. 2. *Oportet virginem aspectus vocisque blanditias, vt pestiferas, ac perditæ voluptatis illecebras à sensibus suis quam longissime arcere, & aurem quidem intus castissima cogitatione, oculos vero cautissima auersione munire. Obstruendus est igitur primus per sensus satelliti carnis ingressus, sensusque ipsi, vt ianuæ, ac fenestræ cordis, seris, ac vectibus vndique firmandi atque muniendi, ne per aliquem illorum versutus ascendẽs, mor-*

tem,

tem, quæ contubernalis eius eſt, ſecum vna introducat. Non itaque conuenit ei, qui peccata concubitus ſuperare proponit, huiuſmodi periculorum implicari lapſibus. & infra: *Quia blandimentum cupidineæ voluptatis eſt fœmina, & maſculo laſciuioribus oculis ad ſe inſpiciendam illecebram naturaliter ſuggerit, ac liquidiore voce ad oblectamentum auris, organi inſtar effecta eſt, membrorumque inſinuata mollitie, ac toto prorſus corporis habitu, & motu, ad ſeductionem formata voluptatis (non modo enim loquens mulier, & intuens, verum ſedens quoque & incedens ob inſitam ſibi naturaliter aduerſus maſculum vim, hunc ad ſe eminus attrahit, non ſecus ac magnes lapis ferrum:) idcirco ſumma ope contendat virgo neceſſe eſt, ne vllis voluptatis laqueis irretiatur. Vnde non paſſim, licenterque procedet, niſi neceſſitate aliqua cogatur, non aliorum ſe domibus ingeret, ſed domi clauſa manebit, & intra annos adoleſcentiæ poſita ad Eccleſiam tantum, ne tunc quidem ſola, & incomitata procedet.*

D. Chryſ. ſer. de cont. Ioſeph.

XIII. D. AVTEM CHRYS tam viris, quam fœminis ad idem ſuadendum illuſtriſſimum Patriarchæ Ioſephi exemplum in hæc verba ob oculos ponit: *Ille erat diligens, & perpetuus continentiæ cuſtos, cum poſſet reginæ ipſi imperare, & in deliciis atque luxu diuitem, & voluptuarium agere: verum voluptatibus timorem Chriſti vt frænum quoddam iniecit, diuitias autem, & delicias, ac promiſſiones dominæ deriſit, miſeriam in carcere dulciorem cenſens præclaris domiciliis. Tametſi his, qui excellenter formoſi ſunt, difficile eſt imperare voluptati, hic autem tantum ſpecimen exhibuit continentiæ, vt pulchritudine animæ pulchritudinem corporis occultaret. Nos autem decet admirari non ſolum adoleſcentis continentiam, ſed & pericula, quæ pro illa ſuſtinuit, qui morte grauius, ac terribilius iudicauit ſeruire voluptatibus, in tantorum talium impiorum corona videns dominam intemperantem iacere, cœleſtium theſaurorum proditor non eſt factus, ſed ſpiritus templum indeprædabile cuſtodiuit; malens emori, quam ſeruire voluptatibus. Non audierat Paulum dicentem, noſtra corpora membra Chriſti eſſe,* [1. Cor. 6.] *& priuſquam audiret vocem diuinam, nō minor apparuit his, qui cœleſtibus promiſſionibus honorati ſunt. Quantum vos conuenit cum timore, & tremore viuere in cōtinentia, vt non appareatis indigni honore, & ne membra Chriſti fiant membra ſcorti? Hoc verbū poteſt omnem animam continentia munire; hoc verbum ardentes concupiſcentias facile reſtinguit; neq; imber in ignē cadens, ita facile flammam deprimit, vt malas concupiſcentias marceſcere facit ſermo ille in animam admiſſus. Eoſdem ſermones nobis loqui & magnus Iob poteſt, qui non ſolum diligens continentiæ fuit exercitator, ſed & legem oculis ſuis poſuit, ne in Virginis viderēt faciem, ne forte mentē illius irradians raperet pulchritudo. Quamuis quis non admiraretur, & obſtupeſceret videns virum hunc cum diabolo quidem viriliter certare, & omnes maligni machinas vincere, virginis aūt faciem fugere, & à formoſæ puellæ aſpectu oculos ſubducere? Diabolum quidem videns accedentem non fugit, ſed manſit, ſicut leo viribus fidens, virgine autem viſa non ſtetit, neque moratus in contuenda pulchritudine, ſed ſtatim ſeceſſit. Cenſebat nimirum in prælio contra dæmones virili, & audaci animo opus, in continentiæ autem præparatione victoriam concedi, non ex virginum conſuetudine, ſed ſeceſſu.* hæc ille.

XIV. NON ſolum autem fugiendum eſſe aſpectū pulchri vultus humani, ſed inanimatæ imaginis ad laſciuiam prouocantis, his verbis docuit D. CHRYS. *Audimus autem & hoc noſtro ſæculo, quod nonnulli ferro totum corpus obligantes, & ſacco veſtientes, & ad vertices montium currentes, ac continuis vigiliis ac inedia ſumma viuentes, & omnem diſciplinæ ſeueritatem oſtendentes, ab omnibus mulieribus ſegregati, aſcendere in domunculam, & tugurium, vt hac ratione ſeipſos caſtigantes, concupiſcentiæ furorem comprimant. At tu dicis, quod licet videas cohabitantem Virgini, & alligatum, & delitiantem, & animam potius amittentem, quam cohabitatricem, paratumque omnia & facere, & pati potius, quam ſeparari à dilecta; ne ſuſpiceris aliquid mali, ne putes concupiſcētiæ negotium, ſed pietatis potius. Admirande vir, is affectus eſt his, qui lapidibus cohabitant, non hominibus: & tu quidem forte non credis ob magnam tuam continentiam. Ego autem audiui multos dicentes, quod etiā multi apud lapides, & ſtatuas aliquid paſſi ſunt; quod ſi tantum valuit dura effigies, quantam operabitur inſaniā in effigie pulchra tenerū corpus? Quod ſi quid difficultatis habet diuelli à conſuetudine longa, illud nobis perſuadeamus, vel ſi principium ſolum imponamus operi, non vltra viſuros nos difficultatem, ſic aduerſus conſuetudinem præualebis. Nam ſi decem dies te abſtraxeris, facile feres viginti, & iterum bis tantos, deindeque via progrediens neque ſenties difficultatem, quam habuiſti initio, videbiſque facillimum factu, quod tot agones prius expoſcebat, & in aliam te mutabis conſuetudinem, viueſque libere, & iucunde. Quid enim fuerit ſuauius, quam perpetuum concupiſcentiæ bellum dirimere, & multa facilitate bonam continentiæ coronam plectere, & liberis oculis in cœlū reſpicere? Nullus catenis, pondere, & aliis carcerum incommodis exemptus, immo nullus, qui cæcus erat, apertis oculis, & viſa hac dulci luce, ſic exultat, vt cum ab hac ſeruitute liberari contigit.* hactenus ille.

D. Chryſ. ſerm. cont. concubin.

XV. NE tamen prætextu ſanctitatis fœminæ cū viris, aut viri cum fœminis familiaritatem ineant, D. HIERONYM. in regula monacharum ad Paulum, & Euſtochium hæc maxime obſeruanda Virginibus reliquit: *Non nimium ſit ſtricta familiaritas, non ſuſpecta colloquia, & ſi ſpiritualis pater, quāuis Epiſcopus, ſanctus ſit, tamen homo eſt, debile animal; tam cito perditur, niſi fortiter cuſtodiatur, quod carum habetur, & vtile: in ſancto commercio diabolus minime quidquam inueniat, ne vnde regimen, vnde ducatus, inde ſentiatur interitus. Omnes æqualiter pertractentur, nulla carnalis, ſed ſpiritualis dilectio interueniat, nec ſtricta ſit nimium: principiū enim ſpiritualis operis, ſi non ſit matura prouiſio, ſolet ſubſequi quoddam carnale. Vere non taceam (vt in pluribus ſolet contingere) conditionis muliebris infelicē miſeriā, ſub feruore*

D. Hieron. in reg. mon. c. 20.

ſpiritus, ſub charitate nimium ſtricta niſi cuſtodia grauitatis oriponatur, vt nemo delinquat in lingua, ſi vtatur loquendi, videndique copia, ſtatim libido actu turpiſſimum, dictu infeliciſſimum, de ſpiritu & charitate naſcitur. Propterea, chariſſimæ, hoc hortor, hoc mando vobis, vt quæ Chriſto deſponſatæ eſtis coniugio, cui nomen caſtitatis veſtræ fidem vouiſtis, cui nullum præter ipſum amatorem cognoſcere ſub iureiurando eſtis pollicitæ, viri cuiuſcunque, etiamſi eum ſanctitas exornet, etiam ſi Baptiſtæ æquaretur meritis, quæratis fugere faciem, nec liceat ſecum dilectione feruenti aſtringi

D. Hier. ib. per diem. idem D. HIERON. ibid. *Vir cuiuſque conditionis exiſtat, aut numquam appareat, aut viſus viſum terreat veſtrum, velut horridum monſtrum. Propterea volo, chariſſimæ, vt ſi cum viro ex neceſſitate loqui oporteat, velum in feneſterula tractum alterutram faciem tegat, ne liceat videri, quod concupiſci non licet. Excuſationem nullam ſibi arripiat ſanctitas. Sanctus*

Gen. 34. *Dauid in videndo capitur. Dina vt videret egreſſa, viſa corrumpitur Sacræ Scripturæ clamant pene ſyllabæ ſingulæ, pene inſtruimur corporis proprius ſingulis motibus, quod victoria non ſperatur in hoc certamine, niſi ex fuga. Nemo ex fortitudine audeat reſiſtere viribus, quoniam niſi fugiat cito, ſuccumbet. In communi etenim vita nec verbum ſit proprium; ſecreta verbula non carent ſuſpicione, ideoque præcipio, vt nulla ſoror alicui exteriorum ſine plurium ſanctarum ſororum, & Abbatiſſæ, ſeu alterius præpoſitæ domus potiſſime præſentia loqui audeat, his dumtaxat exceptis, quæ ſacerdoti in cōfeſſione dicuntur. Solēt profecto talia verba ſemina multa mala proferre. Inter vos de viro nequaquam, ſi fieri poteſt, habeatur mentio; vltra quam creditur, exultat diabolus, vt in corde Virgineo virorum memoria vigeat. Nullum venenum nociuius fœminæ, quam affectio erga virum, quacunque de cauſa procedat: ſanctior mulier vltra quam dici liceat, ſi viro adhæreat, quantumcunque ſpiritualis, inſtinctu naturali inclinatur tandem ad nefas, ſi in viro virtus deficiat. Etiam argumenta ſunt diaboli, & mortis æternæ indicia; filiationes, & maternitates; quibus vocabulis ſub velamine ſpiritus inter ſe vtuntur mares, & fœminæ Munuſcula omnia, & ſuſpectas litterulas, hæc cuncta luxuriæ nuntia vobis interdico ſub anathemate & æternæ mortis pœna. Adhibeatur ſumma diligentia, vt extra cœnobij limites littera qualiſcumque non exeat, niſi Abbatiſſæ & ſororū acceſſerint vota, & ſi opus eſt, & grauitas ita rei exigat, adſit Epiſcopalis licentia aut ſacerdotis conſilium: grauiſſimæ pœnæ ſubiaceat, quæcunque huius reperta fuerit rea.*

D. Hieron. in epiſt. ad Aſll. XVI. IDEM etiam cum veniſſet in ſuſpicionem Romanis, quod Paulam adamaret, & huiuſmodi obtrectatoribus reſponderet, inquit: *Multa me virginum crebro turba circumdedit: Diuinos libros, vt potui, nonnullis ſæpe diſſerui, lectio aſſiduitatem, aſſiduitas familiaritatem, familiaritas fiduciam fecerat. Dicant, quid vnquam in me aliter ſenſerint, quam Chriſtianum decebat? Pecuniam cuiuſque accepi? Munera vel parua; vel magna non ſpreui? obliquus ſermo, oculus petulans fuit? Nihil mihi aliud obiiciunt, niſi ſexum meum,* & paulo poſt: *Antequam domum ſanctæ Paulæ noſſem, totius in me vrbis ſtudia conſonabant, omnium pene iudicio dignus ſummo ſacerdotio decernebar. Dicebar ſanctus, humilis, & diſertus Numquid domum alicuius laſciuioris ingreſſus ſum? Nunquid me veſtes ſericæ, nitentes gemmæ, picta facies, auri rapit ambitio? Nulla fuit alia Romæ matronarum, quæ meam poſſet edomare mentem, niſi lugens, atque ieiunans, ſqualens ſordibus, fletibus pene cœcata, quam continuis noctibus miſericordiam Domini deprecantem ſol ſæpe deprehendit. Nulla me potuit delectare, niſi illa, quam manducantem nunquam vidi. Sed poſtquam eam pro ſuæ merito caſtitatis venerari, colere, ſuſpicere cœpi, omnes me illico deſeruere virtutes.* hactenus D. Hieronymus. Ex quibus vltimis verbis apertiſſime conſtat, quam viri & fœminæ conuictus periculoſus ſit, etiamſi magna ſanctitate polleant.

XVII. Ex quibus omnibus non obſcure colligo, quod ſi Patres adeo Virginibus cauendum monent aſpectum, loquelam, & quamlibet aliam cum viris communicationem, aperte relinquitur, diligentius eorum tactum illis eſſe fugiendum, vt his verbis eleganter dixit D. BASIL. de vera Virgin. ad Letoium Militenſem Epiſc. tom. 2. *Sicut cum ignem tangimus, ignis indicia per impreſſas nobis aduſtiones excipimus, impoſſibileque eſt eum, qui ignem tetigerit manu, illæſam illam ab eius incentiua operatione ſeruare; cæterum aut bullæ repente tactum conſecutæ turgeſcunt, ac doloroſa per feruorem & inflammationem vlcera mox rumpenda minantur, aut iam quoque facta in manu acria viſuntur vlcera: ita poſſibile non eſt eū, quem ignis amor attigerit, eiuſmodi tactum innocuum inuiolatūq; præferre, ſed aut ſimili ratione bullæ per tactum manus cordi clam ſubrepunt, atq; intumeſcunt; diraſque amoris perturbationes feruentibus, & æſtuantibus, incontinentiſſimiſque agitationibus pariunt, ac peccati vlcera continuo rumpendo minantur, aut animum totum in intimis iam grauiter exulceratum indicant. Ignis enim ardens eſt in omnibus membris, in quem vero ſuperuenit, eum à radicibus perdidit. Itaq; quoniam in membris omnibus hic ignis ardet, his qui corpus aduſtione liberum ſeruare inſtituunt, membrorum omnium contactus caute vitandus eſt, ne ardentem ignis operationem in toto corpore atque in anima ipſa ſuſcipiant. Sicut lapis in aquam ciſternæ coniectus non ſolum adiacentem aquæ partem, in quam cecidit, agitat, verum orbes alios poſt alios perpetuis vicibus excitans, eos interdum ad vltimos lacunæ margines agitando perducit, ita & laſciuus obtutus, vel ſermo, voluptatis delinitus illecebris, in Virginis animam, velut in vndam puriſſimam, vehementer iniectus alias poſt alias, quaſi in profundo, cogitationes amatorias excitat, ipſamque totam eius, qui fecit imaginem, ſauciam fluctibus agitat.* Nos igitur, qui ad imaginem Creatoris noſtri creati ſumus, eius puritatem imitari conemur; qui cum Patre & Spiritu ſancto, viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

HOMILIA VI.

Vocem Deiparæ Mariæ, Elisabetham salutantis, instrumentum fuisse diuinæ virtutis ad sanctificãdum Ioannem, & donum prophetiæ illi conferendum, nec non Elisabetham, & Zachariam multis bonis replendos, ex Patrum doctrina commonstramus in illa verba: Intrauit in domũ Zachariæ, & salutauit Elisabeth, & factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius, *&c.* (*uca I.*)

(*ul. Gell. .noct. t.*) I.  AVLVS GELLIVS dixit, *Admiratio, quæ maxima est, non parit verba, sed silentium*: sane in hoc Euangelio cum permulta prodigia in vnum coeant, vehementer adeo animum in admirationem rapiunt, vt instar extasis cuiusdam verba promere non sinant. Adest Deus & homo, adest mater & Virgo, adest fides diuina & cor humanum, adest sterilis Elisabeth grauida, adest Ioannes antea sanctus, quam natus, simul infans, & adultus, &(vt ait D AVGVST.) prius tangens cœlum, quam terram. (*.Aug. de t. Ioan. apt.*) Inter hæc tamen mirabilia quatuor præcipue reperio similia illis, quæ sapienti Salomoni ardua valde, ac difficilia visa fuere; primum fuit via aquilæ in cœlum, ecce Mariam, quæ instar regiæ aquilæ velocissime volantis: *Exurgens abiit in montana cũ festinatione*, vt prædam faceret omnium nobilissimam, hoc est, vt Ioannem (de quo Christus dixit: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*) ab vnguibus dæmonis liberaret. (*latth. 12.*) Secundum mirabile fuit: *Via serpentis super terram*: ecce veteranam Elisabeth prudentissimã serpentem, quæ per duram, ac siccam sterilitatis petram pertrãsiens, & quasi antiquam infœcunditatis pellẽ exuens, mira iuuenescit fœcunditate diuinitus ei indita. Tertiũ valde mirandum erat: *Via nauis in medio mari*; ecce infantem Ioannem, velut nauiculam in medio inundantis maris originalis peccati procellosis fluctibus agitatum, à quibus tamen maris stella (sic sonat *Maria*) tanquam instrumentum diuinæ omnipotentiæ illum liberauit. Quartum tandem mirabile adeo perdifficile erat, vt SALOMON diceret: *Et quartum penitus ignoro, viam viri in adolescentia*: ecce iter & viam Christi Domini in adolescentula Maria, velut in velocissimo curru ad Zachariæ domum pergentis, vt velut sol irradians tenebrosam Ioannis mentẽ illustraret, & in sterili illa terra peccati originalis maledictione fœdata pretiosissimũ gratiæ iustificantis aurum, inæstimabilesque virtutum margaritas procrearet.

II. EST namque obseruatione dignum, ꝙ Christus Dominus non aliter diuina charismata Ioanni & matri eius conferre voluit, quam media Virginis salutatione, vt apertis verbis edixit Elisabeth: *Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* (*Luca 1.*) vnde doctissimus PETRVS RAVENNAS serm. de Ioanne Baptista dixit: *Per vocem Virginis facta est sanctificatio Præcursoris*: & D. CYRILL. l. de recta fide inquit: *Salutatio sanctæ Virginis Mariæ Iesum ferentis in vtero Ioannem mouit ad prophetiam.* & D. CHRYSOS. super c. 2. Lucæ idipsum his verbis edocuit: *Ideo Christus fecit Mariam salutare Elisabeth, vt sermo procedẽs de vtero matris, vbi habitabat Dominus, per aures Elisabeth ingressus descenderet ad Ioannem, vt illum vngeret in Prophetam.* Itaque docent hi Patres, verba Virginis non tantum significatiua, sed etiam effectiua fuisse, velut instrumentum quoddam, per quod omnipotens Christi virtus operabatur in Ioannem & Elisabeth quare quemadmodum in exordio creationis mundi ad vocem Dei conditus fuit orbis: ita ad Mariæ vocem cœpit orbis renouatio; & sicut ad hanc vocem: *Ecce ancilla Domini*; sacrum Incarnationis mysterium peractum est, ita ad salutationem Virginis mira tanti, ac tam ineffabilis sacramenti virtus cœpit manifestari. (*Luca 1.*) Vnde egregie EPISCOPVS CRETENSIS dixit: *Ad primam vocẽ in paradiso virginalis vteri arbor vitæ plantata fuit, ad secundam fructus arboris pullulare cœpit; nec solum illi sacramentum absconditum à sæculis in Deo patefit, sed per eam illius effectus aliis manifestantur.* (*Episc. Cre. tom. 3. de Visitatione B. Virg.*) Vox hæc salutatio fuit Virginis, vt ait LVCAS; *Et salutauit Elisabeth*; (*Luc. 1.*) non enim defuit B. Virgini debita illa vrbanitas, vt quamprimum domum vetustioris cognatæ ingrediebatur, illam salutaret; nam & Angelus Gedeonem, & Raphael TOBIAM seniorem salutauit, (*Iudic. 6. Tob. 5.*) sed & Dominus hoc Apostolos facere monuit, vt in quamcunque domum intrarent, primum dicerent: *Pax huic domui*; (*Luc. 10.*) quod idem ipse ad Apostolos ingrediens obseruauit dicens: *pax vobis.* (*Ioan. 20.*) PAVLVS etiã dixit; *Salutate inuicem in osculo sancto.* (*ad Rom. 16.*) nec refert quidquam quondam Elisæum interdixisse Gezi famulo suo, (*4. Reg. 4.*) quem cum baculo suo ad domum Sunamitidis mittebat, ne quenquam occurrentem saluere iuberet, & Christum ipsum prohibuisse discipulis suis, ne quem in via salutarent. (*Luca 10.*) Aliud enim est, obuium aliquem habere, aliud domi etiam suæ reperire. Nolebant illi suos iam ad iter accinctos colloquiis occurrentibus ab officio auocari, ad instar illius Prophetæ, qui à Pseudo ꝓpheta seductus est: (*3. Reg. 13.*) interim non prohibuerunt illã honestatem, qua quantumuis barbari inter se vtuntur, ne forte vt hostes domos alienas adirent.

III. OSTENDIT etiam suam vrbanitatem B. Virgo in eo, quod honore præueniens cognatam suã, prior illam salutauit, vt his verbis docuit D. AMBROS. *Venit propinqua ad proximam, iunior ad seniorem, nec solum venit, sed prior salutauit; decet enim, vt quanto castior Virgo, tanto humilior sit, nouerit deferre senioribus, sit magistra humilitatis, in qua est pro-* (*D. Ambr. in c. 1. Luc.*)

fessio castitatis. Quo autem genere salutationis vsa fuerit B. Virgo, silentio præteriere sacri Euãgelistę; vero simile tamen est (vt ANGELVS COELESTINVS adnotauit) quod cum ipsa vtero suo gestaret illum, de quo PAVLVS: *Ipse est pax nostra, quæ fecit vtraque vnum*: hanc futuram filii sui salutationem vsurpasse: *Pax tibi*, vel: *Pax huic domui* eruditissimus vero SALMERON refert ex aliorum sententia hæc fuisse verba Marianæ salutationis: *Pax tibi, magni Prophetæ, & vocis clamantis in deserto dignissima mater.*

Cœlestin. super missus dis. 31. ad Eph. 3.

Salm. tom. 3. tract. 10.

IV. CVR autem B. Virgo non dicatur salutasse Zachariam, licet quidam opinentur, quod magni momenti negotiis occupatus non primum ei obuius factus est; aut quia decentius erat, verecundam Virginem colloquium primum cum fœmina, non cum viro inire; mihi tamen cum ALBERTO MAGNO videtur, Mariam non salutasse illum, quia erat mutus, & surdus propter incredulitatem, ob quam ei Angelus prædixit: *Eo quod non credidisti verbis meis, eris tacens vsque ad diem natiuitatis eius?* pudorem autem virgineum minime decebat gestibus, & nutibus cum viro occupari.

Beuxamis in harm. tom. 1. sup. c. 1. Luc.

Albert. Mag. sup. c. 1. Luc.

Luca 1.

V. OBITER tamen non possum hoc loco eorum consuetudinem non execrari, qui abiecta, ac penitus ab eorum ore relegata salutatione à Christo Domino in Euangelio indicta: *pax tecum*, non aliã in ore versant, quam illam Ethnicam: *Osculor manus tuas*: quæ sine dubio ortum habuit à quodam Gentilium ritu, qui vt solem & lunam adorarent, ad hos planetas manum extendentes, postea illam osculabantur, vt his verbis tradit LYRANVS: *Gentiles illius temporis manum osculabantur in signum reuerentiæ corpora cœlestia tanquam Deos adorantes*; ad idque plane alludunt verba IOBI: *Si osculatus sum manum meam ore meo, si vidi solem, cum fulgeret, & lunam incedentem clare: quæ est iniquitas maxima, & negatio contra altissimum.* ecce profana vestra salutatio osculandi manus non aliud quam idolatriæ primordium habet.

Lyran. super Iob. 31.

Iob. 31.

V. CÆTERVM ad id, vnde nonnihil digressi sumus, reuertentes, diuina charismata, quæ per Marianam salutationem, tanquam per instrumentum diuinæ virtutis in hac visitatione munificẽtissima Dei largitas in Zachariæ domum contulit, cõmemorare properemus. Etenim si exploratum satis & compertum est, sanctorum aduentum in alienas domos fortunatum eis & salutarem crebro exstitisse, nemo sanæ mentis Virginis ingressum, & habitationem in domo Zachariæ vtilem valde ac proficuam illi fuisse diffitebitur. Venerũt olim tres Angeli ad Abraham, quibus hospitio exceptis, cũ pro peregrinis haberentur, Patriarcha ille diuturni voti compos factus est, vt in extrema propemodum ætate cõtra omnium expectationem ex vxore sterili & valde annosa optatum diu filium ac hæredem acciperet. Venerunt rursus Angeli duo, & ad Loth Sodomis commorantem diuerterunt, qui nõ solum hospitem suum, sed & filias suas duas è summo vitæ periculo liberarunt, vt è communi & horrenda vastatione patriæ incolumes superessent. Venit Iacob ad impium Laban, suoq; aduentu singularem Dei benedictionem illi idolorum cultori obtinuit, vt palam ipse fassus est dicens: *Experimẽto didici, quia benedixerit mihi Deus propter te.* Venit Ioseph in domum Putipharis, principis exercitus Pharaonis, & Deus tot illã bonis cumulauit, vt sacer textus dicat: *Benedixit Dominus domui Ægyptij propter Ioseph.* Venit Eliseus ad Sarephtanã hospitã suam viduam, & omnia vasa vacua oleo impleuit, quo & debita sua soluit. Idem etiam Propheta ingrediens domum Sunamitidis filium eius mortuũ ad vitam reuocauit. Venerunt tandem Apostoli, & pacem domesticis, ad quos diuertebant, nisi indignos illi se præbebant, elargiebantur.

Gen. 18.

Gen. 19.

Gen. 30.

Ibid.

Gen. 39.

4. Reg. 4.

Ibid.

VI. SI igitur ad ingressum seruorum Dei mirabiles hi effectus continuo pullulabant, quis quæso dubitabit, vberiora bona ad ingressum matris Dei in domum Zachariæ in inhabitatores eius fuisse collata? Equidem si, vt Astrologi venditant, quando in die natalis alicuius hæc duo pariter concurrunt, beneuolus planeta, & fauorabilis domus, in quã ingreditur, magnæ alicuius futuræ felicitatis præsagium esse censetur; cum hodierna die planeta regnans sit *Sol iustitiæ*, & domus fauorabilis, quã inhabitat, *Maria*, in cuius vtero delitescit, non poterat non id felicissimos euentus prænuntiare & præsagire? horum primus, & potissimus fuit, peccati originalis maculæ, Ioannis animam deturpãtis, media gratia illam sanctificante, expiatio & emundatio: quemadmodum enim (vt legimus lib. REG.) Dauid cithara sua sonans spiritum malignũ à Saule expellebat, ita verus Dauid Christus Marianæ salutationis cithara sonante, ad sonum certe eius peccatum à Ioanne longe relegauit. vnde sicut olim columba quam misit Noe, reuertens ad arcam ramum oliuæ virentis in ore deferens, symbolum fuit pacis (vnde VIRGILIVS:

Pacificaque manu ramum prætendit oliuæ:

non secus beatissima Virgo, velut purissima colũba, in domum Zachariæ veniens, ac ore suo mysticum illum oliuæ ramum, *Pax tecum*, in ore gestans, signũ fuit Elisabethæ minime ignotum, peccatum originale Ioannis animam inundans iam cessasse; vnde ad id significandum Euangelista dixit: *Vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius.*

1. Reg. 16.

Gen. 6.

Virg. Æneid.

Luc. 1.

VII. Ac tandem sicut olim tempore Cruciatæ Terræ sanctæ bis accidit (id variis testãtibus historiographis) vt colũba sub alis suis litteras deferret adiutrices, & auxiliatrices, ad eundem modum B. Virgo instar columbæ vtero suo portans epistolã, quam misit pater, h. e filium suum ad auxiliandum

Tareagnota p. 2. l. 12 & alii.

&li-

& liberandum genus humanum, cum primum illam in domum Zachariæ induxit, Ioannem ab originalis peccati infestissimo hoste liberauit; ecce miram Matris & filii largitatem, & munificentiam, qua sane non solum liberalius, sed & vrbanius mihi videtur se gessisse cum Ioanne, quam Eliseus
4. Reg. 5. cum Principe Naaman Syro? hic enim Propheta non est egressus ad principem, sed misit illi nuntium, qui indicaret ei medicinam, quam adhibere deberet, vt à lepra liberaretur; vnde princeps ipse iratus dixit: *Putabam, quod egrederetur ad me*; Christus autem Dominus cũ Maria egressus est ex Nazareth ad Ioannem, princeps ad seruum, rex ad famulum, Messias ad Præcursorem, filius Dei ad filium Zachariæ, Creator tandem ad creaturam.

VIII. Adhæc, quemadmodum Dominus olim,
Exod. 3. cum esset in medio rubi, vocauit Moysem, & elegit, vt esset dux populi sui, & educeret eũ de Ægypto; sic & modo Dei filius cũ esset in vtero beatissimæ Virginis matris suæ (quę per illum rubum mirabiliter significata est, vt sancti Patres, & Ecclesia nos docent) vocauit Ioannem, & elegit in seruum, & ducem populi sui, quem educere veniebat de seruitute peccati, & mortis, vt induceret in terram
Isa. 49. promissionis æternæ; vnde per Isaiam nomine S. Ioannis dicitur: *Dominus ab vtero vocauit me: de ventre matris meæ recordatus est nominis mei*; ac si diceret; Dominus ipse, cum esset in vtero matris suę, in rubo illo virgineo & inaccesso, ab illo me vocauit per gratiam suam, & sanctificauit, nomen indidit, ac Præcursorem instituit, qui præpararet ei viam ad salutem totius humani generis.

IX. Vide tamen quanto ampliori gloria præ Moyse (etiam cum grandis esset factus) iste puer magnus futurus corã Domino dignus est habitus. Nam primo Moyses missus est ad populum Israel, vt educeret eum de seruitute Ægypti, in illa visitatione Domini, quam prædixit sanctus Ioseph: *Post*
Genes. 50 *mortẽ meam Deus visitabit vos. & ascendere faciet de terra ista.* Visitatio hęc quasi terrena fuit per quam eduxit populũ suum Deus in manu Moysi de terra Ægypti ad terram, quam promiserat illis, lacte, & melle manãtem; at Ioannes *fuit homo missus à Deo, vt testimonium perhiberet* de Christo, qui visitatione sua spirituali, ac cœlesti educere veniebat populũ suũ de seruitute dæmonis, de tenebris peccati, & inducere in patriam promissionis, & claritatis æternæ; hinc Zacharias plenus Spiritu S. cœpit cantare hanc visitationem, & redẽptionẽ, quę per Christum venire incipiebat, inquiens: *Benedictus Domi-*
Luc. 1. *nus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ*; & postea: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto*, huiusmodi a. visitationis diuinæ Ioannes admirabilis præco, & vox fuit ab ipso vtero; ipse cœpit aperire viam ante faciem Domini, & parare Domino plebem perfectam, quam ipse Dominus suo aduentu visitauit, redemitque de seruitute peccati, & mortis.

X. Secundo, Moyses populum de terra Ægypti eductum per aquas maris traduxit, & in eis quasi 1. Cor. 10.
baptizauit, sicut Apostolus ait: *In Moyse baptizati sunt, & in mari*; cæterum hoc per figuram agebatur, vt his verbis edixit Gregorius Nazianzen. Greg. Naz.
Ioannes baptizauit populum in Iordane, non iam illo orat 39.
Iudaico more, non enim in aqua solum, sed etiam in pœnitentia: ait enim Matthæus: in Iordane cõfitentes pec- Matt. 3.
cata sua; non tamen ita spiritualiter, vt postea Christus Dominus fecit, baptizabantur ab eo. ipse ét Ioannes Dominum suum ac Redemptorem licet stupens, ac tremens baptizare meruit, & Baptistæ nomen, dignitatemque consecutus est. Exod 3.

XI. Tertio Moyses, quando è rubo à Domino Chrysost.
vocatus est, iussus est calceamenta soluere: *Solue*, a- hom 3. op.
it, *calceamenta de pedibus tuis*: at Ioanni (sicut Chry- imperfecti.
sost. meditatur) sua propria Deus spiritualia calceamenta dedit, quibus ipse indignum se fateba- Matt. 3.
tur, cum dicebat: *Cuius non sum dignus calceamenta portare.* Calceamentum hoc, quod Ioanni præconi suo, ac cęteris Euangelij sui prædicatorib. Christus dare solet, virtus diuina est ad calcandos labores, inimicorum persecutiones, atque ipsa dæmonia, Ephes. 6.
si necesse sit, pro iustitia, & Euãgelio: *Calceati pedes (ait Paulus) in præparationem Euangelij pacis*; promptos ac paratos eos esse volẽs (vt Cyril. ait) ad dis- Cyril. lib.
cedendum alacriter à mundo, vt prompte eant, 5. de ador.
quocunque lex diuina, & voluntas iusserit. Ioannes mirabile calceamentum habuit, & omni labore, atque aduersitate multo fortius, dum Christo testimonium reddebat, dum iustitiam, & veritatẽ prædicabat, nullius formidans potentiam, aut minas: de quo possemus recte dicere cum Moyse: *Fer-* Deut. 33.
rum, & æs calceamentum eius.

XII. Quarto, Moyses missus à Domino, vt staret corã Rege Ægypti, & populum educeret de illius seruitute, id fecit in multis signis, ac prodigiis & portentis, quæ Dominus patrauit in Ægypto, & quib. Pharaonem, & seruos eius, totamque terram plagis maximis percussit, ac terruit. At Ioannes Baptista seipso solo absque signis, & prodigijs, suum munus Præcursoris mirabiliter impleuit: *Ioannes* Ioan. 10.
Baptista, ait Euangelista, *signum fecit nullum*: nec aquas conuertit in sanguinem, neq; virgam in serpẽtem, nec mortuos suscitauit, aut id genus signa fecit. Cuius n. tota vita miraculum erat atq; portentum, non opus habuit signis alijs ad sui commendationem, & vt alij verbis eius crederent. Pos-
set dicere Ioannes cum David: *Tanquam prodigium* Psal. 70.
factus sum multis. & Deus ipse, quod apud Eze- Ezech. 12.
chielem: *Portentum dedi te domui Israel.* ipse enim Ioannes toti mundo stupendum, ac portẽtum fuit; eiusque vita, ac mores multo maiora miracula fuere, quam ea, quæ Moyses in Ægypto mirabilia, & magnalia fecit.

XIII. Vultis adhuc hoc ipsum cognoscere? cũ Moyses fecisset quædam signa, quæ magi Pharaonis imitari non potuerunt, sed stupefacti, & admirantes crediderunt ibi esse diuinam, & supra humanam virtutem, sicut ait Scriptura, dixerunt:

Exod. 8.
D. Aug. in Psal. 8.

Digitus Dei est hic. D Avg. docet nomine *digiti* in sacra Scriptura significari nō solū Spiritū sanctū, sed ēt quemlibet virum spirituale̅, qui Spiritu sancto plenus est ad docendam fidem, & miraculis confirmandā, atq; ideo magos illos nomine *digiti Dei* intellexisse ipsum Moysem: *Digitus Dei est hic*: ac si dicerent; vir est plenus Spiritu sancto, & virtute diuina, ideo operatur hæc tam miranda signa, & prodigia. sed quid habet mirabile digitus Moysis, si comparetur cum digito S. Ioannis Baptistæ? cū illo inquam digito, quem extendit ad homines, & quo toti mundo iam præsentem ostendit Dei filium, humani generis Redemptorem, inquiens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi?* Hic est digitus, qui signum fecit omnium miraculorum maximum, quo indicauit, & signauit hominibus Christum. B. Thomas Apostolus digito tetigit Christū, & agnouit Dei filium: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas*: sed fuerat prius incredulus, & à Domino in fide edoctus, & confirmatus est: at digitus Ioannis cæteris indicauit Christum, & ad fidem ipsius eos conuertit, & traxit. Potentior fuit (vt sic dicam) digitus Ioannis humero Moysi, iste enim portare potuit populum Israel de Ægypto ad terram promissionis: *Porta eos in sinu tuo*: at digitus Ioannis attulit mundo scientiam Saluatoris, ac redemptoris eius, quam nec Moyses portare potuit, neque Patriarcharum aut Prophetarum quispiam. Potuisset S. Ioannes sine detrimento humilitatis dicere, quod olim Roboam Rex superbia elatus, & arrogantia dixit populo Israel: *Digitus meus grossior est dorso patris mei.* Pater S. Ioannis fuit ēt Moyses, cum mater eius Elisabeth fuerit de filiabus Aaron, & stirpe Moysi: grossior ergo, & fortior est digitus Ioannis dorso Moysis patris sui: quoniā iste, quāuis portauerit onus totius populi Israel, ac de seruitute Ægypti eduxerit, non potuit mundo afferre Iesum Dei filium in humero suo, & incarnatum ostendere: hoc autem potuit digitus Ioannis demonstrare: fortior igitur fuit humero patris sui, imo & brachio illius.

Ioan. 1.
Ioan. 20.
Num 13
3. Reg. 12.

XIV. Cæterum non solum Ioannes, sed & mater eius fluenta gratiarum, quæ per aquæductum Mariæ perennis gratiæ fōs Christus emittebat, copiose participauit, nā vt sapienter dixit Orig. *Non est dubiū, quin quæ tunc repleta est Spiritu sancto propter filium sit repleta; nec n. mater primum Spiritum sanctū meruit, sed cum Ioannes adhuc clausus in vtero materno Spiritum sanctum recepisset, tunc & illa post sanctificationem filii repleta est Spiritu sancto.* Accepit deinde Elisabeth spiritum prophetiæ: cum enim dixit: *Beata quæ credidisti*; Diuus Gregor. in Ezech. docet verba hæc prophetiam continere de præterito; cum autem dixit: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* manifestam de præsenti præsefert prophetiam, & cum tandem subiunxit: *Perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino*, apertissimum de futuro vaticinium propalauit. hoc autem prophetiæ donum per filium Elisabetham recepisse, Niceph. docuit, ita vt Ioannes & mater eisdem verbis prophetauerint: *Ioannes*, inquit, *ore materno, quasi mutuo sumpto, supra naturæ captū vaticinatus matrem Domini, Virginem vocans, simulque inter mulieres benedictam.* quibus non dissimilia scripsit D. Avg. dicens: *Ioannes spiritali flamine per os matris de nasciturо ex virgine Christo prophetauit, dū enim Moysis spiritus in septuaginta duos cōsiliarios distribuitur, quid mirum, si pueri adhuc in vtero manētis spiritus per matrē loqueretur?* Accepit insuper Elisabeth à Spiritu S. illā docente, vt admirabile incarnationis arcanū tot absconditū sæculis prima post Virginem patefaceret, prima Mariam matrem Dei appellaret, prima tandem, quæ post Verbi Incarnationem Virginis laudes decantaret.

Orig. hom. 7. in Luc. in init.
D. Greg. hom. 1. in Ezech.
Niceph. l. 4. c. 8.
August. de mirab. sac. script. lib. 3. c. 1.

XV. Addvnt etiam Patres, illis tribus mensib. quib. B. Virgo in domo cognatæ remansit, vt tradidit D. Lvcas, Ioannē & Elisabeth magna gratiæ ac virtutum incremēta suscepisse; de profectu quidem Ioannis per illud trimestre tempus D. Ambr. ad illa verba: *Mansit Maria cum illa mensibus tribus*, sic loquitur: *Non sola familiaritatis est causa, quod Virgo diu mansit, sed etiam tanti vatis, id est, Ioannis profectus, nam si primo ingressu tātus profectus exstitit, vt ad salutationem Mariæ exultaret infans in vtero, repleretur Spiritu sancto mater infantis, quantum putamus vsum tanti temporis sanctæ Mariæ addidisse præsentiam? vrgebatur itaque Ioannes, & quasi bonus athleta accingebatur in vtero matris; amplissimo enim virtus eius certamini parabatur.* De Elisabeth autem progressu hæc apud Origenem lego: *Valde quippe indignum est in puncto exultare infantem, repletamque esse Spiritu sancto Elisabeth, per tres vero menses nec Ioannem, nec Elisabeth ex vicina matris Domini, & ipsius Saluatoris præsentia profecisse*; nec solum Ioannes & Elisabeth, sed & Zacharias bonorum Marianæ visitationis particeps esse noscitur, nam præterquam Incarnationis mysterium agnouit, prophetiæ donum (vt tradit Origenes) & cum mutus esset, loquelam precibus Mariæ à Christo infante accepit; cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Luc. 1.
D. Amb. sup. Luc.
Orig. hom. 9. in Luc.
Hom 10. in Luc.

HOMILIA VII.

Singulari eruditione, variisque animi conceptionibus illustrantur iterum verba illa: Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo: *vbi acceleratus vsus rationis in Ioanne ex SS. Patribus, & ratione comprobatur, ad moresque componendos infantis exultatio conuertitur.*

I.  I tam diuina, quam humana monumēta cōsulamus, haud difficile reperiemus ea, quæ infantibus in tenella illa ætate accidūt, prognosticum ac præsagium esse

esse eorum, quæ postea illis euẽtura sunt, & quidẽ, vt ab humanis litteris exordiamur, in natiuitate Seruij Tullij VI. Romanorũ Regis accidit (id referente TITO LIVIO,) vt fulgentissimus quidã splendor, diadematis figuram habens, caput illius rediméret. De Platone MARVLVS & VOLATERR. tradidere, in ei⁹ ore, cũ in incunabulis esset examẽ apũ visum fuisse, velut in alueo existens; ꝗ & de Pyndaro Poeta alij edixere. HERODOTVS itẽ refert die proximo ante natale Cyri Astyagẽ auum eius maternum in somnis vidisse, ex vẽtre matris illius rapidum fluuium egredi, cuius exuberãti fluxu vtraque regio Persarum & Medorum irrigabatur. PLINIVS etiam commemorat, prẹter omnium infantium consuetudinẽ, qui cum primum nascuntur, vagire incipiunt (iuxta illud: *Primam vocem emisi plorans*) Zoroastrum Bactrianorum regẽ ex matris vtero ridentem prodiisse. Sacræ deinde literæ, vt ex 1. GENESEOS constat, Esau & Iacob in vtero matris existentes inter se pugnarunt; quod futurẹ alterius pugnæ non obscurum indiciũ fuit: & vt ad nostratia descendamus, varij historiographi narrant, matrem magni illius Patriarchẹ sancti Dominici paulo ante partum eius in somnis vidisse, se in vtero gestare canem, accẽsam facẽ in ore ferentem Iidẽ etiam de sancto Nicolao, cum à matre lactaretur, ter in hebdomada, feria 2. 4. 6. & 7 à lacte sugendo solitum fuisse abstinere: & de D. Chrysostomo cõtestatum nobis reliquerunt eius vitæ scriptores, cũ infans esset, examen apum in ore eius consedisse.

cel. 34. [beside "gire incipiunt (iuxta illud: Primam vocem emisi plo-"]

II. Hæc omnia quidem rerum magnarum indicia ac certa fuisse argumenta ipsi rerum euentus exitusque probarunt; nam splendor ille instar coronæ, Seruij Tullij caput circumdans, prænotauit regiam coronam, quam apud Romanos postea obtinuit. Examen apum in Platonis & Pyndari ore visum, eorum eloquentiam ac melli fluum sermonem, quo mirifice viguerunt, portendebat. Flumen, quod egrediebatur è matris Cyri vtero, Persarum & Medorum vtramque regionem irrigans, futurum eius in has gentes imperium, quod postea adeptus fuit, significauit. Zoroastris Regis immaturus risus, cum ab vtero matris prodiret, leuitatis animi eius: quam per totum vitæ suæ curriculum prætulit. apertissimum indicium exstitit; licet aliis placuerit, prognosticum extitisse, quod in magica arte insignis futurus erat Lucta illa duorum fratrum Iacob & Esau intra viscera matris, futuros duos populos inter se aduersãtes adũbrauit, vt sacer textus adnotauit, dicens: *Duæ gentes sunt in vtero tuo.* Canis accensam facem in ore deferens, quem vidit mater beati Dominici, quid quẹso aliud prædixit, quam illum futurum Dominici gregis aduersus hæreticorum errores, ac prauos hominum mores latrantem canem, orisque sui, ac suorum fratrum splendenti doctrina vniuersam Ecclesiam instar fulgentissimæ facis illuminaturum? Diuus Nicolaus in infantili ætate à lactis cibo mira abstinentia, signũ fuit singularis parsimoniæ, & ab omnib. huius sæculi voluptatibus sequestrationis, quã toto tẽpore vitæ suæ professus fuit; ac tandem mellificantes apes, Chrysostomi ori insidentes, mirã eius in cõcionando facundiã, adeo vt *aurei oris* cognomẽto decoratus postea fuerit (id n. significat *Chrysostomus*) satis perspicue ostẽdauit.

Genes. 25. [beside "vt sacer textus adnotauit, dicens: Duæ gentes sunt"]

III. CVM igitur sacer Euangelista inauditũ illud prodigiũ commemoret, Ioannẽ sc. materno adhuc vtero delitescentẽ exultasse & tripudiasse; vt diẽ festũ aduẽtus creatoris sui ageret, certe hoc tãtũ portẽtũ magnarũ rerũ certus prænũcius exstitit, vnde Angel⁹ dixit: *erit n. magnus corã Domino:* & Christus Dominus celebre illud de eo testimoniũ perhibuit: *Inter natos mulierũ nõ surrexit maior Ioanne Baptista.* Circa hoc igitur mirabile ꝓdigiũ varijs modis illustrandum tota hæc nostra versabitur oratio.

Luc. 1. [beside "Angel⁹ dixit: erit n. magnus corã Domino: & Christus"]
Matth. 11. [beside "it: Inter natos mulierũ nõ surrexit maior Ioanne Bapti-"]

IV. GRAVISSIMI quidam in ea fuerunt sentẽtia, vt existimarent exultationem hanc Ioannis non fuisse actum potentiæ rationalis, seu opus liberi arbitrij personæ rationis participis, sed fuisse exultationẽ quandã metaphoricam, & cõmotionem seu gesticulationẽ quandã corporis instar exultantis, diuina virtute per Mariæ salutationẽ, tanquam per instrumentũ, factam; in quo sensu S. Scriptura ait res inanimatas exultasse: *Montes exultauerunt vt arietes*, ita docuerũt S. AVG. S. THOM. EVCHERIVS, & IANSENIVS, qui ait vice ilius vocis *gaudij* in Græco esse aliam, quæ proprie significat motũ aliquẽ externum corporis; qui gaudii effectus esse solet. Inquiunt ergo omnes isti Doctores, quod sicut de Iacob & de Esau sacra GENESEOS historia ait; *Collidebãtur in vtero eius paruuli:* & tamen lucta illa erat absq; vllo vsu rationis ita & motus ille Ioãnis in vtero materno, quo illũ exultasse dixit LVCAS, absq; omni prorsus fuit rationis & liberi arbitrij vsu.

Psal. 113. Aug. ep. ad Dardan. S Th. 3 p. q. 27. art. 6. Euch. de q. nou. Test. in Luc. Iansen. in sua concor. Gen. 25.

V. CÆTERVM tã Patres Græcos, quã Latinos video contrariã omnino sententiã vnanimi cõsensu amplecti, ita D. AMBR. D. LEO, D. HIER. D. PETRVS CHRYSOLOGVS, D. IOAN. CHRYSOST. D. CYRIL. IEROSOLYMITAN. nec non ẽt D. AVG. ORIG. THEOPHYL. NICEPH. METAPHRASTES, EVTHYMIVS, RVPERT. Abbas, D. VINCEN. FERRETIVS. His adiungo verba D. BERNARDI dicẽtis: *Illo n. tempore solũ potuit illuminare modiũ suum, soli interim lucere matri, magnũ ei pietatis sacramentũ reuelans ipso motu nouæ exultationis.* sed & alia egregia Venerab. BEDÆ his adnectã, in hũc modũ eleganter loquẽtis: *Aperiẽte os ad salutãdũ B. Maria Elisabeth, repleta est mox Spiritu S. Elisabeth, repletus est & Ioannes, atq; vno eodẽq; spiritu ambo edocti, illa salutantẽ, ꝗ esset, agnouit, & vt matrẽ Domini sui debita cũ benedictione venerata est: ille ipsũ Dominũ esse, qui in vtero Virginis portaretur, intellexit; & quia lingua necdũ valuit, animo exultãte salutauit, officiumque suæ præcursionis, quam deuote iuuenis*

D. Amb. l. 1. in Lu. & de inst. Vir. c. 13. l. 2. de Virg. & l. 4. de fi ad Gra. c. 4. D. Leo ser. 10. de Nat. D. Hier. ep. 7. ad Lat. S. Chrysol. serm. 88. S. Io. Chrysost. hom. 1. in Luc. Cyril. Ierosol. Catec. 3. D. Aug. l. de con. Euang. c. 15. & de quinq; hæres. c. 14. & l 3. de mirab. S. Script. c. 1. Orig. hom. 4. in Luc. Theoph. sup. c. 1. Luc. Niceph. l. 1. hist. c. 8. Metaph. orat de vit. & dormit. Deipar. apud Sur. tom. 5. Euthy. sup c. 1. Luc. Rup. Abb. in Oseam c. 1. D. Ber. ser. de nat. Ioan. Bapt. Bed. hom. sup. exurgens Maria.

Niceph. l. 4. c. 8. [left margin, top]
August. de mirab. sacr. script. lib. 3. c. 1. [left margin]
Luc. 1. [left margin]
D. Amb. sup. Luc. [left margin]
Orig. hom. 9. in Luc. [left margin]
Hom 10. in Luc. [left margin]

iuuenis esset impleturus, etiam antequam nasceretur, adueniente Domino, quibus valebat indiciis, intimauit. Non dissimilia lego apud D. IOANNEM CHRYSOST. qui solita sua eloquentia dixit: *Cum ad nos aduenisset, sicut modo audistis, Redemptor nostri generis; venit protinus ad suum amicum Ioannem, dum adhuc esset in vtero; quem cum ex matrice aspexisset Ioannes, terminos suæ naturæ concutiens exclamat: Video Dominum, qui naturæ impleuit terminos, & expecto tempus nascendi:* ac tandem silentio non præteribo preclara ORIG. verba acute dicentis: *Sancta erat anima Ioannis, & adhuc in matris vtero clausa, quæ ventura erat in mundum, quasi per experientiam sensum sciebat, quæ Israel ignorabat, vnde exiliuit, & non simpliciter exiliuit, sed in gaudio, senserat enim venisse Dominum suum, vt sanctificaret seruum suum, antequam de matris vtero procederet.* Ac tandem S. noster BONAV. inquit: *Ex quo infans sic supra naturam exultauit, certum est, quod naturæ Dominus ei occurrerit, & ex quo infantulus respondet ex vtero, certum est te concepisse illum, qui vocat ab vtero, secundum illud Isaiæ: Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei: ex quo puer tam mirabiliter exultauit, certum est iam vere consummatum esse id, ad quod Isaias conuocabat: Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel:* hactenus hi Patres.

D. Bonau. in c. I. Luc. — *Isaiæ 49.* — *Isaiæ 12.*

VI. QVORVM doctrina de accelerato vsu rationis in Ioanne bifariam potest intelligi: primo quidem, quod corporis mẽbris & organis ad exercendam rationem miraculose dispositis, nam sicut artifex, aut scriptor sine instrumentis accommodatis efficere nihil potest; ita anima, quę tanquam tabula rasa est, in qua nihil est depictum, vt docuit ARIST. nisi corporea sensuum organa ad vsũ rationis habeat accomodata, nihil connaturaliter intelligere valet. Secundo vero modo cõtingere potuit ille vsus rationis specieb. diuinitus infusis in animã, quæ instrumentis corporis minime egeret; ad eundem modum, quo fuerunt infusæ Angelis, & quotidie infunduntur animabus separatis.

Arist. lib. 2. de an.

VII. QVOMODOCVNQVE tamen id fuerit, multis quidẽ nominibus mihi persuadeo, hanc tantorum Patrum sententiam de rationis vsus acceleratione in Ioanne verum esse: Primo quia licet verbũ hoc *exultare* interdum in sacris eloquiis metaphorice accipiatur: *exultare* tamen in gaudio nunquam secundum metaphoram vsurpatur, vt acute obseruauit ORIGENES, igitur cũ LVCAS dicat: *Exultauit infans in gaudio;* manifeste relinquitur, loqui de vera & propria exultatione, quæ est actus liberi arbitrii vsum rationis supponentis.

Luca 1.

VIII. SECVNDO, quia Zacharias locutus est cum Ioanne in die circũcisionis eius: *Et tu puer propheta altissimi vocaberis, præibis n. ante faciẽ Domini parare vias eius.* Patres autem non loquuntur ad infantulos, nisi iocose, minime vero reuelant eis negotia magni momenti; cum ergo Zacharias magna illa arcana Ioanni infantulo affatus fuerit, consequens est locutũ fuisse ad illũ tanquam ad rationis participem; vnde D. AMBR. hanc rationẽ tangens ait: *Si fortasse aliqui quasi irrationabilem mẽtis excessum putent, quod Zacharias octo dierũ alloquitur infantem; verũ si teneamus, intelligemus profecto, quod potuit vocem patris natus audire; qui Mariæ salutationẽ, antequam nasceretur, audiuit; sciebat propheta alias esse aures prophetæ, quæ spiritu Dei, non corporis ætatate referantur; habebat intelligendi sensum, qui exultandi habebat effectum.* hæc Ambros.

Ibid. — D. Ambr. lib. 2. in Luc. c. 1.

IX. TERTIO eidẽ sententiæ tenacius adhæreo, quia ECCLESIA ROMANA in officio S. Ioannis Baptistæ plane illam docuisse mihi videtur, ait enim in hymno:

Ventris obstruso recubans cubili,
Senseras regem thalamo manentem.

Insuper ait:

Hinc parens nati meritis vterque
abdita pandit.

ecce docet Ecclesia, Ioannem parentibus suis meruisse donum prophetiæ, quo abdita pandunt: cõstat autem meritũ nõ posse esse absq; libertate, nec libertatem abſq; vsu rationis. In officio ẽt, quo ex approbatione Sedis Apostolicæ vtitur sacer CISTERCIENSIVM ORDO, in visitatione Virginis dicitur:

Sacri iunguntur vteri,
Milesque sui Domini
Præsentiam dum percipit,
Hunc exultando suscipit.

Hym. Ord. Cister. in off. Virg.

X. Ac tandem quarto, quia (vt grauissimi Patres docent) Ioannes inter alia diuina charismata, quæ per salutationem Virginis, tanquam per diuinæ virtutis instrumentũ accepit in vtero matris latẽs, vnum fuit prophetiæ donum, quod constat nemini dari, nisi ratione vtenti. ORIGENES in sacris literis versatissimus in hunc modũ loquitur: *Dũ adhuc esset in viscerib. matris, prophetico spiritu vidi illũ corã me conceptum in vtero Virginis,* & D. CHRYSOS. sapienter interrogat: *Quis prophetarũ, cum esset propheta, id facere potuit? Elias quidem vnxit Eliseũ in prophetã, non tamen prophetandi gratiã illi donauit; iste autem in vtero matris existens diuini introitus scientiam matri donauit, & os illius in verbo confessionis aperuit, vt cuius non videbat personam, cognosceret dignitatẽ.* & infra explicãs, quomodo prophetauerit in vtero, cũ ibi nil locutus fuerit, inquit: *Statim exultans puer prophetauit, non voce, sed motu.* Accedit D. LEO, qui hæc habet; *Præcursor Christi spiritũ prophetiæ intra viscera matris accepit, & nondum editus genetrici Domini signa exultationis ostẽdit.* consentit Vẽ. BEDA dicẽs: *Vnde tibi hæc exultatio? nondũ natus, & prophetas? Matrem Domini in voce cognoscis, quam quia resalutare non potes, exultando agis, quod potes; quam latus ei occurreres, si iam natus eam videres cuius voce audita exultando obuiam ire conaris.* Atque his innitentes Patres omnes CONCILII BASIL. vnanimes huic veritati subscripsere asserentes, Salua-

Orig. ho. 7. & hom. 2. ex variis. — D. Chrys. lib. 27. im perf. op. — D. Leo ser. 10. de nat. — Beda hom. in Euang. Exurg. Maria. — Consilium Basil. sess. 43. de visit. Virg.

Saluatorem à suo Præcursore tunc fuisse cognitum.

XI. Videtvr sane in hac felici Mariæ visitatione id contigisse, quod tempore æstiuo accidit; nam quemadmodum tunc in locis solari planetæ magis expositis citius fructus maturescunt, quam in vmbrosis, ita sane qui sol iustitiæ Christus Dominus à Mariana au... ductus in domum Zachariæ viciniorem se constituit Ioanni, hinc est, vt vsus rationis fructus celerius ac citius maturesceret, adeo vt in creatorē suum (vt docet D. Thom.) præceptum illud conuersionis in primo instanti vsus rationis perfectissime impleret. Quod si Io- (Ioan. 1.) annes dixit; *& ego nesciebam eum*, quibus verbis videtur fateri, se non agnouisse Christum Dominum, sensus non est, quod ignorasset illum, sed quod Christum de facie non agnouisset, neque cum illo conuersatus fuisset; quod diuina prouidentia factum esse arbitror, vt sic testimonium, quod de Christo apud homines exhibiturus erat, omni prorsus suspicione careret: ita interpretantur Chrysost. Theoph. Rvpert. Evthy. & alii multi expositores in commentario illius loci. Illud autem, quod quidam cum Card. Caiet affirmant, (Caiet 3.p. q.27.art.3.) vsum rationis Ioanni in vtero materno datum, nō deinceps in eo perseuerasse, mihi nulla ratione persuadere valebunt, quia credibile non est Christum Dominum amicissimo sibi infanti, quod liberaliter ei impertiuerat, abstulisse, maxime quod *sine pœnitentia sunt dona Dei*, vt ait D. Pavlvs. (Ad Rom. 11.)

XII. Ex hoc igitur vsu rationis & vera cognitione, qua Christum Dominum præsentem nouit in vtero matris commorantem, & à peccati macula ipsum emundantem, ortum habuit mira illa exultatio, & ingens gaudium, cuius meminit Euangelista: *Exultauit infans in gaudio*. Longe aliter Io- (Luca 1.) anni accidit, quam olim Adamo; hic enim cum vo- (Genes.3.) cem Domini audiuit, terrore concussus est: *Domine audiui vocem tuam, & timui*; eo quod nudus essem: at Ioannes audita voce Virginis miro gaudio exultauit; Adam de publico in absconditum fugit, Ioannes de vteri penetralib. vt se Domino suo offerret, gestiuit erumpere; Adam beneficia à Deo recepta Deo non refert, neque illi grates agit, Ioannes materno vtero clausus beneficiorum confessionem, quam ore promere non valet, corde exhibet cum Davide dicens: *In te confirmatus sum ex vtero* (Psalm. 70.) *de ventre matris meæ, tu es protector meus, in te cantatio mea semper*: Adam contristatur, & renuit ad præsentiam Dei illum vocantis venire; Ioannes vero agnoscit tanquam seruus Dominum, miles Regē, præco Iudicem; & quibus potest, vt alter Dauid co- (2. Reg. 6.) ram Arca, saltibus & gesticulationibus aduentum Christi in vtero matris illum visitantis lętanter celebrat. O inauditam nouitatem! ô stupēdum miraculum! ô pulcherrimum, ac mundi Theatro incognitum spectaculum! paruuli materno alueo clausi inuicem se salutant, inuicem sibi alludunt, non sicut Ismael Isaaco, alter alteri illudit: ecce paruuli in visceribus maternis, sicut olim Iacob & Esau in vtero Rebeccæ contendentes, non tamen instar illorum, vt alter alterum supplantet, sed vt alter alterum mutuo sanctificet, ille sanctitatem conferendo, hic sanctitatis auctorem confitendo. Abrahamo quidem magnum beneficium collatum credimus, cum de illo dicitur: *Abraham exultauit, vt videret diem meum, vidit & gauisus est*: sed accidit in figura, & gauisus est spe rei futuræ; at Ioannes lynceis infusæ sibi cognitionis oculis Christum vidit præsentem, non in vmbra, & in imagine, sed in vera carne existentem. Verbum enim Dei in Maria conceptum, & ore eius locutū à Ioanne materno vtero adhuc incluso, veluti sympathia quadam recognitum fuit, & (ni fallor) quasi Echo loquente verbo, quod in principio erat apud Deum, resonuit etiam vox, hoc est, Ioannes, qui vox erat clamantis in deserto, resonuit (inquam) non vocis sono, sed corporis motu, quem sentiens mater eius dixit: *Exultauit infans in vtero meo.* (Ioan. 8.) (Luca 1.)

XIII. Cætervm explicare oportet, quod à multis desideratur, quodnam genus gesticulationis, & corporalis reuerentiæ Ioannes materno vtero inclusus Christo Domino exhibuerit? ad huius intelligentiam præsupponere oportet, quod (vt Arist. tradit lib. 1. de hist. anim. c. 8. & Hippocrates lib. 1. de nat pueri, nec non Avicen. lib. de gen. Embryonis cap 3.) infans in vtero conglobatus sic se habet, vt nasum inter genua, oculos super genua, aures extra genua, manus ad genua, caputque pedibus proximum habeat, ad eum certe modum, quo Eliā se composuisse ad orandum sacra Regvm narrat historia: *Ascendit in verticem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua*: in quem (3. Reg. 18.) etiam modum mācipia olim aptari compellebantur, cum propter delicta flagellari debebant. habent etiam infantes (vt ij dem naturales scriptores docent) conuersam faciem ad terga matris.

XIV. Cvm primum ergo Ioannes diuina virtute agnouit Christum Dominum media Virginis salutatione illum à peccati originalis labe emundasse, dixerat enim Salomon: *Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo*; continuo faciē (Prou. 20.) conuertit ad Christum, vt debitum ei reuerentiæ cultum exhiberet, & sicut alter Ionas ex ventre cęti Deum orauit, sic ipse ex ventre matris Christi pręsentiam reuereretur, ac instar disertissimi oratoris, qui quod verbis exprimere non valet, artificiosa manus motione indicat; ita sacer hic infans, voce non valens Christi præco esse, corporis motu & tripudio id supplet. Motus ergo corporalis, quem tanquam internæ exultationis & gaudii partum exhibuit Ioannes intra matris claustra latens, fuit conuersio illa, qua vultum conuertit ad Christum, qui in vtero virgineo, velut in throno, iacebat.

XV. His addo, quod nonnulli tradunt (id referente erudito auctore Salmerone) in amplexu (Salmer. tom 3. tract. 10.) Mariæ & Elisabeth, Mariam in spiritu vidisse Ioannem genuflexum coram Christo, & adinuicem hos sacros

ſacros infantes ſe reſpexiſſe, & Chriſtum velut in regio ſolio ſedentem Ioanni benedixiſſe, ſanctificaſſe, nomen illi indidiſſe, Pręcurſorem inſtituiſſe, atque Spiritu ſancto repleuiſſe. Potuit ergo motio illa corporalis fuiſſe genuflexio hæc, qua Chriſtum Dominum non ſolum mente, ſed corpore coluit. Verum tamen eſt, quod ſicut Cometa ſtabilis non mouetur niſi à ſtella firmamenti, vt Aſtrologi tradunt, ita Ioannes (quem merito *felicem cometam* appellauerim, cum aduentum magni Regis prænunciarit) minime intra materna clauſtra latens, exultans moueri potuiſſet, niſi ex influxu, & reſpectu fulgentiſſimæ illius ſtellæ humanitatis Chriſti, quæ in firmamento virginei vteri deliteſcebat.

XVI. Fervnt deinde naturalium rerum hiſtoriographi, Perdicis pullum adhuc ſub putamine clauſum moleſte adeo ferre clauſuram illam, vt roſtro putamen percutiens aditum ſibi faciat, foraſq; erumpat, ipſum tamen ſecum ferens putamen. Quidam hanc Perdicis naturam contemplantes recte illam in celeritatis ſymbolum conuerterunt, hanc ei ingenioſam apponentes ſubſcriptionem: *natura ipſa celerior*. Nam cum reliquis volucribus. hæc natura inſita ſit, vt non prius ab oui clauſura prodeant, quam ex putamine auulſæ ſint, pullus tamen Perdicis, quaſi quietis illius, etiam clauſuræ impatiens, putamen quoq; ſecum trahens foras erumpat, & progrediatur. hæc quam apte in infantem Ioannem conueniant, nemo eſt (vt arbitror) qui non videat: erat quidem ille in vtero materno inſtar pulli perdicis intra oui putamen, Chriſti tamen præſentiam mirabiliter præſentiens, quaſi moleſte ferens impotentiam foras erumpendi, vt creatori inſeruiret, illumque externo etiam cultu coleret, cœpit totam naturæ facultatem tranſcendens Deum ſuum interna latriæ adoratione venerari, & mirabili corporis geſticulatione aduentum eius celebrare, vt non immerito, imo potiori iure, quam perdici, ei aſcribi poſſit inſcriptio illa: *natura ipſa celerior*.

XVII. Qvam autem ingens illud Ioannis gaudium fuerit, quo ante Chriſtum Dominum exultauit, id quod ſub Polo degentibus accidit, apertiſſime nobis indicabit: qui enim regionem illam incolunt, per ſex integros menſes ob ſolis abſentiam in cõtinuis tenebris verſantur, illis vero trãſactis, cum primum ſol eluceſcit, micantibusq; ſuis radiis totum eorum hemiſphęrium colluſtrat & illuminat, omnes incredibili iubilo collætantur, ſoliſque aduentum variis modis celebrant. atq; hinc eſt, quod acute quidam ad deſcribendum ingentem quandam lætitiam, ſolem polarem regionem irradiantem depinxerunt, hanc ei inſcriptionem
Emblema. apponentes: *Semeſtres tenebras pellit*: ad eundem certe modum, cum Ioannes obſcuriſſimis peccati originalis tenebris eſſet inuolutus, & in ergaſtulo vteri materni per ſex integros menſes inſtar habitantium ſub Polo ibi degiſſet, illiſq; iam tranſactis,
Luc. 1. vt Angelus dixit: *hic menſis eſt ſextus illi*; ſoli iuſtitiæ Chriſtus Dominus hemiſphęrium animæ Ioannis gratiæ ſuæ ſplendoribus irradiaſſet, continuo ille ſumma alacritate exultare cœpit, Lvca id atteſtante: *Exultauit infans in gaudio*. quod ſi tantæ lætitiæ cauſam ab eo ſciſciteris, illam tibi reddet: *Semeſtres tenebras pellit*: per ſex namque menſes peccati originalis tenebris obrutus iam in vtero iacuerat, quibus repente pulſis, non potuit non magnum gaudium concipere. Rurſus quemadmodum Philomela cauea incluſa, & maxime ſi maſculus eſt, Philomelę fœminę cantu ad concinendum inuitatur, ſic Ioannes ventris materni incluſus cauea, Deiparæ Mariæ, veluti Philomelæ ſuauiſſima voce Eliſabetham ſalutante excitatus, Verbi diuini præſentiam agnouit, & matri exultans indicauit. Certe nauigatoria acus magnetis lapide tacta Aquilonarem ſtellam indicat, ſic Ioannes diuini ſpiritus gratia tactus fulgentiſſimum illum ſolem (Chriſtum intelligo) cuius radiis incaluerat in vtero, lætabundus corporis geſticulatione demonſtrauit. — Ibid.

XVIII. Adhæc Vincent. Gilibertvs refert hieroglyphicũ *Panthera* huic argumẽto ſatis accõmodatum: depinxit Pantheram, in cuius dorſo propter colores, quorum mira varietate diſtinctum habet, ſi verſus ſplendentem lunam ſe moueat, fulgens in eo ſtella conſpicitur, ſecus vero, ſi ad lucem lunæ non ſe conuertat: hieroglyphici autem huius hæc erat inſcriptio: *Sic mutor ad illam*; ad eundem modum Ioannem contemplor, velut myſticam *Pãtheram*, cuius anima potentiarum varietate velut colorum diuerſitate depicta, ſtella erat, ſed *ſtella in medio nebulæ*, h.e. peccati originalis nebula obſcurata, quia tunc longe à luna aberat; adueniente tamen Maria, quæ *pulchra* eſt *vt luna*, & vt luna plena, quia *gratia plena*, continuo Ioannes ad lunam hanc ſe conuertens, anima eius ſplendida adeo ſtella facta eſt, vt merito dicere poſſet, *ſic mutor ad illam*, h.e. ad præſentiam huius pulchræ lunæ fœlix hæc mihi contingit mutatio, vt ex peccati tenebris in admirabilem gratiæ lucem transferar. Impletum fuit tunc in Ioanne illud Iob: *Cum te conſumptum putaueris, orieris vt lucifer*, vel, vt habet originale Hebræum; *Obſcuratio tua erit vt lucifer matutinus*: quod mirum in modum in Ioannem conuenit, cum ob Præcurſoris munus, tanquam Lucifer fuerit, ſolis iuſtitiæ aduentum prænuncians; cum ergo ad Marianæ lunæ præſentiam, ac fauorabilem aſpectum à caligine illa peccati ad gratiæ lumen mutatus fuerit, merito (vt dixi) ſibi vſurpare poteſt illam Pantheræ inſcriptionem: *ſic mutor ad illam*.

[Margin: *Vinc. Gilibert. ſuper Pſal.* Magnus Dominus lect. 21. — *Eccleſ.* 50. — *Cant.* 6. — *Iob.* 11.]

XIX. Vt tamen mutatio hæc dexteræ excelſi celebrior eſſet, ſpirituales choreæ habitæ fuere in domo Zachariæ. Sane ſi ad eas conuenire ſolent nobiles fœminæ, adſunt hic Maria, & Eliſabeth, nobiliſſimo genere natæ: ſi ad choreas nonnulli veniunt ſimulati & perſonati, adeſt hic Verbi diuini maieſtas, infantilis carnis velamine ſimulata,

adest & Ioannes tanquam adultus, & rationis particeps pueruli paruitate personatus: solent choreas dulces cantus concomitari, ij certe hic non desiderantur, cum Maria & Elisabeth, tanquam diuersi chori, inuicem concinentes sibi respondeant. Elisabeth canit: *Benedicta tu in mulieribus*: canit & [uca 1.] Maria: *Magnificat anima mea Dominum.* Quod si [bid.] in choreis exultatio & gaudium frequens est, ecce Ioannes exultat, & gaudet: *Exultauit in gaudio in-* [bid.] *fans in vtero meo*: ecce Maria exultat, & lætatur: *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*: Exultat tandem Christus sapientia Patris, vt ipse testatur: [rouerb. 8.] *Ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terra-* [hilo in lib] *rum*, vel (vt legit PHILO Hebræus:) *choreas ducens in* [uod De-] *orbe terrarum.*

[s sit im- nut.] XX. Hæ sacræ choreæ non ad vanas & prophanas, sed ad Christianas nos inuitant choreas: in illis quidem prophanis qui saltant, id necesse præstare debent, vt à terra se elongent, & cœlo magis se approximent, & quo magis à terra se eleuant, tanto magis cœlo viciniores fiunt; non secus si sacris choreis vacare desideramus, oportet à terrenis curis nos semoueri, & sursum in cœle- [Coloss. 3.] stia bona ferri, iuxta illud PAVLI; *Quæ sursum sunt,* [Apoc. 8.] *quærite, non quæ super terram.* dictum est enim: *Væ habitantibus in terra.* Qui choreas ducunt, id maxime attendunt, vt corporis motus & saltus sono citharæ obtemperent, & conforment; ad eundem quidem modum, vt gratas in conspectu Dei choreas ducamus, id maxime curandum est, vt opera nostra fidei sono conformentur, alioquin si opera discordent fidei, merito audiemus vetus Prouerbium: *nihil ad fides*, quod de male choreas ducentibus dicitur. Quorum sane quia in his spiritualibus choreis (proh dolor) infinitus est numerus, merito ad illos verba Christi Domini vsurpare po- [Luca 7.] tero: *Cui ergo similes dicã homines generationis huius? & cui similes sunt? similes sunt pueris sedentibus in choro, & loquentibus ad inuicẽ, & dicentibus; cantauimus vobis tibijs, & non saltastis; lamentauimus, & non plorastis.* Certe Verbi diuini præcones, tanquam Dei citharedi, quandoque lugubres vobis canimus [Matth. 25.] conciones: *Ita maledicti in ignem æternum: Agite* [Act 2.] *pœnitentiam: Mortificate membra vestra: Sapite non* [Coloss. 3.] *quæ super terram*: quandoque dulcissimis cantibus aures vestras demulcemus, ad spirituales choreas [Psal. 150.] vos inuitantes: *Laudate eum in sono tubæ, laudate eum in psalterio, & cithara: Laudate eum in tympano, & choro, laudate eum in chordis, & organo.* Vos autem (parcite) tanquam *Asini ad lyram*, & quibus (vt suprà dicebam) *nihil ad fides*, tam lugubrem, quam alacrem prædicationis musicen, ac cœlestem armoniam despicientes nec nobis cantantibus saltastis, nec nobis plangentibus planxistis.

XXI. AD extremum obseruandum est, tunc primum Ioannem exultasse, cum media salutatione Virginis à Christo Domino in vtero materno iustificatus fuit; quo apertè docemur nihil magis alacrem reddere animam, quam eius iustificationem; vnde DAVID cecinit: *Eduxit populum suum* [Psal. 114.] *in exultatione, & electos suos in lætitia*; eduxit namque peccatores ex Ægyptiaca captiuitate in terram promissionis, hoc est, in exultationem & lætitiam. Id expertus fuit D. AVGVSTINVS, cum dicat; [D. August.] *Quam suaue mihi subito factum est carere suauitati-* [lib. 9. Con-] *bus nugarum, quas amittere metus fuerat, iam dimit-* [fess. c. 1.] *tere gaudium erat; eijciebas eas à me, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior.* Accidit quidem peccatoribus iam iustificatis, quod filiis Israel, nam sicut illis, postquam è Pharaonis imperio egressi fuere, Deus pluit in itinere mãna de cœlo, ita illos, qui à tyrannica dæmonis seruitute (diuina gratia adiuuante) se subducunt, dulcissimis cœlestis consolationis manna recreat, cum ipsisq; quasi congratulabundus collætatur, vt ARETAS Cæsareæ Episco- [Aretas in] pus versans illa verba: *Ad ostium sto, & pulso*, his [c. 3. Apoc.] verbis in persona Christi loquens adnotauit: *Vio-* [Apoc. 3.] *lentiam non habet meus aduentus, ostium cordis pulso, & vna cum ijs, qui aperiunt, super ipsorum salute lætor; delicias enim, ac cœnam duco salutem hominum.* hæc Aretas, quibus aperte ostendit, quantum peccatori pœnitenti Christus congaudeat: Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum.

HOMILIA VIII.

Exponuntur verba illa: Exclamauit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui: & vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? *& illa alia*: Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.

I. MVLTOS quidem lego contra deuotum fœmineum sexum (vt verbis Ecclesiæ Catholicæ loquar) stylum acuentes, variisque conuitiis fœminas lacerantes: quidam dixerunt (id referente TIRAQVEL- [Tiraq in l.] LO:) *Mulierem deriuari à mollitie*, vt & nomen ipsum [1. connub.] eximiam eius infirmitatem denotaret. MARTIA- [Martiam.] NVS (vt idem TIRAQVELLVS) de fœminarum im- [apud Ti-] prudentia loquens dicebat, propterea Poetas Mi- [raq. in l.] neruam finxisse absque matre natam, quia pruden- [connub.] tia & scientia, cuius tanquam dea Minerua colebatur, longe à fœminis aberat. Vnde Bartolus ob defectum prudentię *in l. 1. ff de legibus* docet, fœminas prohibendas esse à legibus condendis, vsumque & consuetudinem earum vim non habere ad legem inducendam. IVVENALIS de earum iracundia inquit:

Vindicta nemo magis gaudet quam fœmina. [Iuuen. sat. 13.]

vnde cum Deus iustitiam suam exercens, Adam puniret pœna illa: *In sudore vultus tui vesceris pa-* [Genes. 3.] *ne tuo*: Euam vero: *In dolore paries filios tuos*:

Dæmoni deinde, quem grauius mulctare volebat, hanc pœnam inflixit: *Inimicitiam ponam inter te, & mulierem*: cum enim mulier vindictæ sitientissima sit, debitas te faciet luere pœnas. IOSEPHVS de bello Iudaico refert, Mariam quandam, hoc nomine indignam, quæ filia erat Eleazari, ingruente fame in quodam bello proprii filii carnes comedisse, cuius simile legimus 4. REGVM. vnde sanctus EPHRÆM SYRVS inquit: *Inter quadrupedia nihil leone terribilius, aut inter reptilia dracone crudelius visu, nihil ad malam mulierem.* D. AMBROSIVS de insatiabili earum cupiditate in hunc modum loquitur: *Delectantur compedibus mulieres, dummodo auro ligentur, delectant & vulnera, vt aurum auribus inserant, & margarita dependeant.* IVLIVS in vita Marci Antonii de luxuria Faustinæ Imperatricis commemorat, adeo exarsisse in amorem cuiusdam vilissimi digladiatoris, vt in morbum incideret; morbi vero agnita causa, occisus fuit digladiator; quod cum primum ipsa resciuisset, continuo dixit: *propinate mihi saltem paulum sanguinis eius.* TIRAQVELLVS etiam refert, fœminam quandam, nomine Quartilam, impudenter gloriari, quod nunquam se virginem fuisse meminisset, adeo præmaturam sustinuerat virginitatis iacturam. PONTANVS item refert hoc epitaphium in sepulchro fœminæ insculptum esse.

(*Ioseph. de bello Iud. cap. 8.* — *4. Reg. 6.* — *S. Ephræm. Sy. tom. 1.* — *D. Amb. in lib. de Naboth c. 5.* — *Iulius in vita M. Antonij.* — *Tiraq. in l. connub.*)

Ausa dare, & cunctis ausa rogare prior.

(*Pont. lib. 2. tumul.* — *Ezech. 6.*)

quod impudentiæ genus execrans Deus per EZECHIELEM dixit: *Omnibus meretricibus dantur mercedes, tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis, & dona donabas eis, vt intrarent ad te.* Sed quod prædicta omnia longe superat, illud certe est, quod PIERIVS VALERIANVS refert, fœminam quandam pulchri cuiusdam equi amore fuisse captam. De leuitate etiam animi, qua fœminæ laborant, GLOSSA *in cap. forus de verborum sign.* hæc scripta reliquit:

Quid leuius fumo? flamen: quid flamine? ventus:
Quid vento? mulier: quid muliere? nihil?

II. VNDE CATO Censorinus (vt auctor est PLVTARCHVS) tam parum fœminis propter nimiam earum animi leuitatem fidebat, vt diceret: *Nihil magis in vita pœnituisse, quam cordis arcana vxori suæ credidisse.* Ad idemque facit illud HOMERI asserentis, Iouem dixisse Iunoni eius vxori: noli Iuno putare scituram te omnes sermones meos. huc facit etiam quod vbi nostra vulgata MICHEÆ 7 legit: *Custodi oris tui claustra ab his, qui dormiunt in sinu tuo:* NICOLAVS de LYRA vertit: *à coniuge tua custodito, ne manifestes ei cor tuum.* Adhæc earum consortium, & familiaritatem valde pernitiosam esse, satis inquiunt probari ex eo, quod Adam, dum absque mulieris contubernio in paradiso extitit, originalem iustitiam conseruauit, creata vero Eua, & in vxorem ab eo accepta, continuo eius eloquio subaudiens; cœlestium charismatum, quibus diuinitus donatus erat, miseram fecit iacturã, omnesq; posteros suos huius calamitatis legitimos heredes reliquit. Sane Christus Dominus dixit de Antiquo humani generis hoste: *Ille homicida fuit ab initio.* sed non ipse solus, qui complicem habuit Euam, SALOMONE dicente: *à muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur.* Refert BAPTISTA EGNATIVS, Imperatorem Caligulam solitum dicere, pergratum sibi fuisse, vt populus Romanus vnam duntaxat ceruicem haberet, vt sic vno ensis ictu illam posset præcidere. hoc crudelitatis genus, quod implere non potuit Caligula in populum Romanum, executioni mandauit Eua in totũ genus humanum: nam veneno sui consilii interficiens primum parentem Adam, in quo, tanquam capite, totum genus cõtinebatur humanum, consequenter omnes eius filios vno mortifero ictu interfecit, vt præcitata verba clare indicant: *per illam omnes morimur.* Quantum etiam Samsoni Dalilæ societas, Dauidi Bersabeæ amicitia, Sisaræ Iaelis familiaritas nocuerit, nemo est tam sacrarum literarum ignarus, vt hæc illum prætereant.

(*Cato apud Plut. lib. de viris Illustrib.* — *Nicol. de Lyr. sup. c. 1 Mich.* — *Ioan. 8.* — *Eccles. 25.* — *Baptista Egn. in sui hist.* — *Eccles. 25* — *Iudic. 16.* — *2. Reg. 2.* — *Iud. 4. & 14.*)

III. VNDE ad hoc detrimentum manifestandum Spiritus sanctus dixit: *Melior est enim iniquitas viri, quam benefaciens mulier*: quod perinde est, ac si dixisset, vtilius esse viro ab iniquo hoste multa mala perpeti, quam ab inhonesta fœmina demulceri. Item *S. Augustinus* rem commemorat inauditam, quæ non parum mulieris fallaciam, ac falsum amorem detegit. Refert enim quasdam inhonestas fœminas amasios suos se redamare simulantes, magicis quibusdam incantationibus in apparentia quædam iumenta transformasse, quorũ humeris grauia multa deferenda imponebant, eosq; sub hac belluina imagine sibi inseruire fecisse. Vnde merito (id referente PAVSANIA) Megapolis cives in Arcadia hanc inscriptionem Veneri apposuerunt: *Dea machinatrix.* Cui consonat illud TERENTII: *Omnes mihi videntur doctæ ad malitiam*; quod mutuasse opinor ab EVRIPIDE prius illo dicente: *Ad bona sunt ineptissimæ, malorum vero omnium effectrices sapientissimæ.* vnde ipse per eundem TERENTIVM: *Dicunt, sed nobis facile est verba, & componere fraudes: hoc vnum didicit fœmina semper opus.* quid plura? VALERIVS (id referente D. HIERONYMO) dicebat, fœminam bonam rariorem esse Phœnice, & (vt refert PLVTARCHVS) Lacon vxorem ducturus, statura valde pusillam duxit, dicens, ex rebus malis paruiorem esse minus malam, quod Hispano sermone dicitur: *del mal el menos:* Ac tandem de quodam antiquo Philosopho ferunt dixisse: omnia mala mundi mulierem supergredi, quia hæc erat malum necessarium. Refert PAVLVS MANVTIVS, celebratum fuisse ab antiquis prouerbium illud: *ignis, mare, mulier tria mala*: ignis omnia consumit, & deuorat, quæ sibi admouentur, mare tumentibus suis fluctib. munitissimas naues, ac triremes absorbet; mulieris tamẽ malitia maior esse perhibetur; nã si ignis non tangat, nulli nocet; mare, si non ei te appropies, non te submergit; at mulier etiam non tacta, sed visa, sed audita, sed solum cogitata.

(*Eccles. 42.* — *D. August. lib. 18. de Ciuit. c. 18.* — *Paus. lib. 8.* — *Terent. com. 5.* — *Terent. in Andr.* — *Valerius apud D. Hier. in quadam epist.* — *Paul. Manut. in Adag.*)

rata, frequenter lædit, ac mortifero veneno animum inficit.

IV. Hæc & alia persimilia, quæ consulto silentio prætereo, non miror antiquos Philosophos in contemptum fœminei sexus dixisse, cum eas, quas tulit fœminas felicissima hæc legis gratiæ ætas, prorsus ignorauerint: non nouerunt Agnetem, Catharinam, Agatam, Vrsulam, Ceciliam, Margaritam, & alias persimiles, cum quibus celebres non solum legis naturæ, sed neque scriptæ fœminæ vlla ratione valent comparari: nec etiam agnouerunt celeberrimas has duas fœminas, Mariam & Elisabeth, quibus tanta inerat sanctimonia cum singulari prudentia coniuncta, vt Deus grauiora Christianæ Religionis sacramenta, abditissimaque arcana, ipsis etiam spiritibus Angelicis non satis perspecta, eis reuelare & credere non dubitaret.

V. Verum vt antiquos Philosophos fœminei sexus mordaces detractores confutemus, non opus habemus ad hæc nostratia legis gratiæ calamum admouere, cum tã in lege naturæ quam scriptæ insignes exstiterint fœminæ variis animi ornamentis condecoratæ: vt enim Diodorus Siculus refert, Semiramis, Aspasia, & Liuia tam singulari prudentia præditæ agnoscebantur, vt nullum penitus negotium Rex Ninus absque consilio Semiramis, nec Cyrus absque consensu Aspasiæ, nec Augustus Cæsar non consulta Liuia perficerent. Historia Tripartita tradit, Iustinianum Imperatorem inter Imperialia decreta contestatũ reliquisse, consilium suæ vxoris in reipub. rebus gerendis maximũ sibi emolumentum attulisse; quod idem refert de Theodosio Imperatore, qui ingenue fatebatur, consortis suæ consilium in regni regimine perutile sibi extitisse. Arist. deinde in suis Politicis scribit, solitas quondam fuisse fœminas in publicis consistoriis & comitiis ad ferendam suam sententiam introduci; quam consuetudinem in Germania viguisse, auctor est Cornelius Tacitus; imo Plato testatur publica officia partim inter fœminas diuidi solitum.

Diod. Siculus lib. 3.

Arist. 1. Pol.

Corn. Tac. de morib. Germ. Pla. lib. de Rep.

VI. Sed hæc nihil sunt: audite maiora, & excellentiora D. Hieronymi ore prolata, qui ad Principiam Virginem scribens, his aureis verbis illam alloquitur: *Scio me, Principia in Christo filia, à plerisque reprehendi, quod interdum scribam ad mulieres, & fragiliorem sexum maribus præferam. Si viri de scripturis quærerent, mulieribus non loquerer. Si Barac ad prælium noluisset, Debbora deuictis hostibus non triumphasset. Ieremias carcere clauditur, & quia periturus Israel virum non receperat prophetantem, Olda eius mulier suscitatur. Sacerdotes, & Pharisæi crucifigunt filium Dei; & Maria Magdalena plorat ad crucem, vnguenta parat, quærit in tumulo, hortulanum interrogat, Dominum recognoscit, pergit ad Angelos, repertum nuntiat; illi dubitant, ista confidit. Rebecca pergit ad interrogandum Deum, & sua responsione condigna audit oracula: Duæ gentes in vtero tuo, & duo populi de ventre tuo diuidentur. Maria soror Moysi victorias Domini canit, & Rachel Bethlehem nostram stirpe nominis sui signat in posteros. Ruth & Esther, & Iudith tanta gloria sunt, vt sacris voluminibus nomina indiderint. Quid dicam de regina Saba, quæ venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, quæ testimonio Domini omnes viros condemnatura est Ierusalem? quid memorem Annam, matrem Moysis, mulierem Tecuitem, Annam filiam Phanuel, Elisabeth? sequebantur mulieres Saluatorem, & ministrabant ei de facultatibus suis. Cum Samaritana loquitur ad puteum. Apollo virum Apostolicum, & in lege doctissimum Aquila, & Priscilla erudiunt, & instruunt eum de via Domini. Si doceri à fœmina non fuit turpe Apostolo, mihi quare turpe sit post viros docere & fœminas? Hæc breuiter perstrinxi, vt nec te pœniteret sexus tui, nec viros nomen suum erigeret, in quorum condemnationem fœminarum in scripturis sanctis vita laudatur.*

D. Hieron. epist. ad Princip. Virg. to. 2.

VII. His quibus D. Hieronymus singulari eruditione fœminas ab iniuriis sibi illatis vindicat, adnectere placet insignem D. Ambrosii laudem in fœmineum sexum. hic ingeniose adnotauit, quod licet alioquin Deus singula, quæ creabat, vel dicebat esse bona, vel eis benedicebat: cum autẽ creauit primum hominem, nec dixit esse bonum, nec ei benedixit, quousque creauit Euam, vt constat ex Genes. rationem autem huius sanctus Doctor putat esse, nondum cõpletam habuisse perfectionem suam, quousque fœmina ei aduenit, tanquam complementum virilis perfectionis, creata adhuc muliere, quia iam homo suam completam perfectionem nactus fuerat; benedictionem pariter cum illa à Deo suscepit: *Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram.*

D. Ambr. lib de Paradiso, c. 10.

Genes. 1.

Ibid.

VIII. Cæterum, vt vnde nonnihil digressi sumus, reuertamur, quæ sint stupenda illa arcana, non solum Virgini, sed & cognatæ Elisabeth diuinitus reuelata, & à Deo sibi credita, aperiamus. Sacer Euangelista ea commemorat à verbis illis inchoans: *clamauit voce magna:* clamauit certe, quia vt solent homines prodigia videntes continuo præ admiratione exclamare: ad eundem modum cum Elisabeth inaudita, & insolita in Maria celebrata mysteria contemplaretur, præ admirationis magnitudine exclamauit. sed quid exclamauit? mira sane præconia Virginis, ostendens in hoc Mariæ laudes non mussitanter, sed vociferanter, vt ad omnium aures deueniant, publice decantandas fore, instar illius fœminæ, de qua idem Euangelista refert, alta voce Mariana encomia coram omni populo decantasse: *Exurgens mulier quadam de turba dixit: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.* Sed quomodo quæso poterat Elisabeth non clamare, & vociferari, quæ grauida erat, voce illa sonora, hoc est, Ioanne, qui *vox erat clamantis in deserto?* imo non tam ipsa, quam Ioannes per vocem illam magnam emisit tot vaticinia, & prophetias

Luc. 1.

Luca 11.

Matth 3.

phetias continentem, vt his verbis egregie dixit AVGVSTINVS: *Ioannes adhuc in matris vtero manens, priusquam nasceretur, cum Maria matris Domini introitum in domum præsentit, per os matris Elisabeth de nascituro Christo Domino ex ea prophetauit. Licet enim esset lucerna ardens, & lucens testimonio Saluatoris, erat tamen adhuc sub modio, quia illo tempore solũ potuit illuminare modium suum, & soli lucere matri. Quis enim indicauit ei Mariam esse matrem Domini, nisi puer in vtero existens?* Primum ergo hoc encomium cecinit: *Benedicta tu inter mulieres.* vbi impletum intueor illud ECCLESIASTICI: *In multitudine electorum habet laudem, & inter benedictos benedicetur.* quemadmodũ volucres cœli, quantumuis canoræ sint (vt adnotauit D. BASILIVS homilia de Paradiso) nocte silente; & ipsæ silent; Aurora vero, & sole appropinquante, dulci modulatione Creatoris sui laudes concinunt, iuxta illud: *Benedicite omnes volucres cœli Domino;* ita Ioannes, & Elisabeth, qui antea tacentes, & quasi muti erant in diuinis mysteriis, appropinquante tamen ad domum eorum aurora Maria, iustitiæ solem secum ferente, velut cœlestes ac spirituales cœli volucres laudes Iesu & Mariæ intonare cœperunt: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.*

D. August. lib.3. de mirab. sac. script. c.3. — Luca 1. — Eccl. 24. — Dan. 3. — Luca 1.

IX. QVAM autem congruo, & consentaneo laudationis genere vsa fuerit beata Elisabeth, ex eo non obscure colligitur, quod à salutatione Gabrielis verba illa: *Benedicta tu in mulieribus,* quamuis ea non audierat, diuino tamen afflante spiritu mutuauit, vt sic idem in Angelo, & Elisabetha spiritus proloqui ostenderetur. vnde D. AMBROSIVS in commentario huius loci dixit: *Eadem voce Maria ab Angelo, & ab Elisabeth benedicta dicitur; vt Angelis, & hominibus simul veneranda monstretur, quia sc. vtrisque benedictionem attulit;* sic enim Virginis laudes magis firmabantur, cum *in ore duorum vel trium stet omne verbum.* Et quidem oportuit, vt sicut peccati maledictio à muliere cœpit, ita bona diuinæ benedictionis à muliere inchoarent, à Maria scilicet, & Elisabeth.

D. Ambr. sup. Luc. in comm. huius loci. — Deut. 17.

X. ILLVD deinde obseruatione dignũ est, quod angelus Gabriel, & Elisabeth in hac visitatione, velut peritissimi artis musicæ sibi inuicem consentientes, dulciter cecinerunt: nam Gabriel cœpit in laudem Virginis canere: *Benedicta tu in mulieribus:* Elisabeth autem dulciorem reddens cantus armoniam, eandem vocem repetit: *Benedicta tu in mulieribus.* vnde sicut olim duo Cherubini ante arcam assistentes mutuo se aspiciebant, sibique inuicem respondentes clamabant: *Sanctus, Sanctus,* ita Gabriel & Elisabeth mysticam arcam Mariæ mutuo in laudem illius sibi respondentes cecinerunt: *Benedicta tu in mulieribus.* in eo tamen laus Elisabeth Gabrielis laudem excessit, quod cum illo dicente: *Benedicta tu in mulieribus,* nondum Virginea Mariani vteri terra Christum germinarat, non subiunxit angelus, & *benedictus fructus ventris tui;* Elisabeth autem congruenter verba illa addidit, vt profiteretur iam Verbum carnem factum esse, veramque hominis naturam induisse. Vnde dicens: *Benedictus fructus,* permultos hæreticorũ errores profligauit. retudit enim in primis Valentinianum hæresiarcham asserentem (vt recenset D. AVGVST.) Virginem post partum inuiolatam non permansisse; cũ enim potuisset dicere, vt solet: Benedictus filius ventris tui, notanter dixit: *Benedictus fructus:* quia sicut ex arbore absque eius læsione, imo cum maiori eius decore, fructus erumpit, sic Christus Dominus instar fructus arboris ex Virgine matre absq; vlla virginea claustri violatione prodiit. Refellit etiam eisdem verbis impium Cerdonis, & Marcionis deliramentum, mendacissime effutientium, corpus Christi non fuisse vere humanum, sed apparens, & phantasticum: si enim Christus fructus est vteri virginei, vtiq; cum omnis fructus consubstantialis sit plantæ, oportet Christum consubstantialem esse matri, hoc est, veram naturam hominis, sicut illa, induisse, vt vnanimi consensu hoc genere argumenti vtentes in expositione illorũ verborum: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet,* omnes fere Patres, vt LEO PAPA, D. AMBROSIVS, RVPERTVS, TERTVLLIANVS, & alii permulti Catholicam hanc veritatem confirmant. Ac tandem eisdem verbis hæreticam aliorum amentiam, qui Christi corpus è cœlo fuisse traductum, cœlestique materia compactum confinxere, satis superq; expugnant; nam si Christus fructus est ventris Mariæ, necesse est carnem ab illa sumpsisse, ac sanguinem ab ea subministratum materiam corporis eius extitisse, hæc omnia paucis comprehendit his verbis SEVERVS in commentatio huius loci: *In qua parte emergit Eutitis redargutio, dum fructus ventris Christus asseritur? Omnis enim fructus est eiusdem naturæ cum planta, vnde & virginem relinquitur eiusdem fuisse naturæ cum secundo Adam, qui tollit peccata mundi, sed & qui phantasticam opinionem de carne Christi confingunt, in vtero Dei genitricis partu erubescant, nam ipse fructus ex ipsa substantia procedit arboris. Vbi sunt etiam dicentes, quasi per aquæductum Christum transisse per Virginem; aduertant ex dictis Elisabeth, quam repleuit Spiritus Sanctus, Christum fructum ventris.* hæc ille.

Luca 1. — Ibidem. — Ibidem. — D. August. epist. 140. — D. Iren. lib. 2. c. 3. — Isaiæ 11. — D. Leo Papa serm. 4. de nat. — D. Ambr. lib. de bene. Patriarch. c. 4. & 2. de Spiritu S. c. 5. — Rup. Abb. in Isa. c. 6. & l. 11. de Vict. Verbi Dei c. 28. — Seuerus in comment. huius loci.

XI. AD hæc recte dixit: *Benedictus fructus,* quia sicut quondam Eua fructum mortiferum viro suo porrexit, quo illum, & nos infecit, ita Maria vitalem fructum mundo intulit, quo vescentes venenum illius antiquæ potionis euomere possimus. Vt enim docuit D. THOMAS, Eua quæsiuit fructũ, in illo tamen non inuenit, quæ desiderabat. Tria namque concupiuit; primo id, quod falso antiquus serpens pollicitus fuerat ei, & viro suo: *Eritis sicut dij, scientes bonum, & malũ:* cui illa subaudiens, & de fructu comedens, insipientibus iumentis similis facta est, è contra vero Deo valde dissimilis; B. autem Virgo fructum inuenit Christum Dominum, quo vescentes in eum transformamur, & similes

Luca 1. — D. Thom. opusc. 8. — Genes. 3.

miles

miles ei efficimur, & conſortes diuinæ & humanæ naturæ illius reddimur. Secundo, Eua in fructu ſuo voluptatem quæſiuit, vidit enim bonum eſſe ad veſcendum, ac guſtui ſuauem, ſed non inuenit niſi dolorem, & confuſionem, & nouiſſima eius amara, quaſi abſynthium; ſed in Virginis fructu, tãquam in vero manna cœleſti, omne delectamentũ & omnis ſaporis ſuauitas reperitur. Tertio, Eua pulchritudine fructus fuit allecta, ſed quid quæſo comparabile habet pulchritudo fructus Mariani paradiſi cum pulchritudine illius; cum ille comedentes deturpauerit, & in oculis Dei deformes, ac fœdiſſimos reddiderit, hic vero in via illum manducantes intus decoret, & pulchros faciat, in patria vero eundem videntes beatificet, & incredibili alacritate afficiat? Vnde colligo, iuxta vulgarem etiam noſtrum loquendi modum, qui quoſdã fructus pro pranſi principio, alios in finem eius proficuos deſtinamus, aptiſſime Chriſtum Dominum fructum vocitari, cum principium ſit, & finis noſtræ ſalutis, vt ipſe teſtatur dicens: *Ego ſum Alpha, & Omega*: hoc eſt, principium & finis; principium certe noſtræ iuſtificationis, & finis ac ſcopus noſtræ beatitudinis. vnde ECCLESIA CATHOLICA docet nos B. Virginem deprecari, vt nobis ab hac vita decedentibus dignetur hunc fructum benedictum manifeſtare: *& Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende.*

[Margin: Apoc.22. — Antiph. Salue Reg.]

XII. OBSERVAVI non ſemel (quod huic argumento inſeruire poſſe putaui) duobus præcipue anni temporibus pretioſiores æſtimari arborum fructus, hyeme ſc. in quo quidam illorum tardius matureſcunt, & in vere, in quo intenſioris caloris cauſa citius erumpunt, & maturitatem conſecuti, primæui fructus appellantur, ad quod alludere videntur verba illa: *Præcoquas ficus deſiderauit anima mea*: contemplor ſane Mariam, & Eliſabetham tãquam ex diuina virtute factas fructiferas arbores, ſingulos ſummi pretii fructus produxiſſe: mirabilis quidem fructus Ioannes, quem ſterilis arbor Eliſabeth, iuuenilis ætatis flore, ac fronde expoliata, imo & ex infœcunditate ſicca mirabiliter protulit: mirabilis etiam idem, quia in capite autumni maturus, hoc eſt, maturo iudicio prȩditus foras prodiit, poſt Paleſthinæ meſſem iam factam, quia *Lex, & Propheta vſque ad Ioannem.* Mirabilis deinde, imo admirabilior multo fructus, quem B. Virgo in ipſo florido gratiæ Vere, diuino flante ſpiritu, produxit, filium ſcil. Dei humana carne indutum, qui merito *primæuus fructus* appellari debet non ſolum, quia perfectionis excellentia primus, & quia primogenitus eſt, quatenus Deus æterno Patri, & quatenus homo Virgini matri ſuæ; ſed etiam, quia inter natos mulierum primus eſt, & ſecundum non habet, qui ex matre virgine proceſſerit; vnde egregie noſter S. BERNARDINVS eodem ſpiritu, quo D. AMBROSIVS, & D. GREGORIVS NISSENVS dixit: *Si diligentius volueris intueri, intelliges in omni arborum genere in ortu fructus florem decidere, & perire, in omnibus quoque, & fere cunctis animantibus fructus filiorum florem virginitatus abſcindere: non ſic erat in natiuitate vitæ noſtræ; beatiſſima enim Mater illius fructum protulit benedictum, non amiſſo Virginitatis flore, imo magis per partum mirabilem, & mũdiſſimum eſt decorata, vbi lex, vbi iura naturæ abſciſſa ſunt.*

[Margin: Mich.7. — Matth.11. — D.Bernar. Sen.ſerm. de Paſſ. — D.Amb. lib.2.de Sp. S.cap.2. — D.Greg. Niſſ.orat. de S.Chryſ. nat.]

XIII. SED latius, & copioſius tam Marianæ arboris, quam fructus illius mira præconia decantauit ANDREAS Ieroſolymitanus Epiſc. in hæc præclara verba: *Benedicta tu inter mulieres, quam Zacharias vir diuiniſſimus, aureum ceu candelabrum, ſeptem vidit lychnis ornatum, nimirum ſeptẽ illis ſancti Spiritus donis clarum, & lucidum. Vere tu benedicta, ſenſu intellectuque prædita viridi ſalutis noſtræ ligni Paradiſi, quæ ipſum horti Eden colonum, Chriſtũ, inquam, Dominum intra te habes, figuris in te adumbratum, qui ineffabili quadã potentia, fluminis inſtar, viuiparum vterum tuum egreſſus quatuor veluti initiis per Euangeliũ ſuum orbis faciem irrigauit. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Fructus] quẽ comedens Adã protoplaſtus euomuit veterem illam deuorationem, qua deceptionis eſcam ſumpſerat. Fructus] vnde ceu ex fonte defluit amarulenta ligni deguſtationis quædam conduleoratio, humanam purgans naturam: qui fontes fluminum inſtar erranti in deſerto Iſraeli è petra elicuit, & aquas amaras in Maria dulces reddidit; panem inſuper pluit nouum alimenti genus. Benedictus fructus] qui ſterilis, & amaras aquas per Eliſeũ potabiles, & fœcundas ſalis inſperſione effecit. Benedictus fructus) ille, qui ex incorrupto virginalis vteri ſurculo, veluti perfectus mirabiliter matureſcens botrus enatus eſt. Benedictus fructus) ex quo fontes ſcaturiunt aquæ in vitam ſalientis æternã. Fructus) ex quo vitalis ille panis, corpus, inquam, dominicũ producitur, & immortalitatis calix ſalutaris potio exhibetur. Benedictus fructus) quem ſanctum omnis lingua celebrat cœleſtium, terreſtrium & infernorum.* hactenus Andr. Epiſcopus Ieroſolymitanus.

[Margin: Andreas Ieroſ. Epiſcop. ſerm. de Annunc. — Zach.4. — Geneſ.1. — Exod.15. — 4.Reg.4.]

XIV. SECVNDVM encomium, quod Eliſabeth in Virginis honorem protulit, verba ſequentia continent: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Ecce Mariam prædicat Dei Genitricem eſſe, & quam pauperrimam agnoſcit, reginam cœli, & terræ, vt pote Regis Regum matrem, non diffitetur; nõ enim inter eos apud illam connumeranda veniebat B. Virgo, qui ob paupertatis pondera depreſſi diuitiarum pennis deficientibus ad dignitatum cacumina euolare non poſſunt. Equidem ſapientibus non parum egeſtas obeſſe ſolet ad dignitatis faſtigia conſcendenda: vnde acute ſatis ALCIATVS in Emblemate, cuius inſcriptio eſt: *paupertatem ſummis ingeniis obeſſe*: depinxit puerum manu vna alas, altera vero grauem lapidem tenentem, ſubditque hæc egregia carmina.

[Margin: Luc.1. — Alciat. in Emblem.]

Dextra tenet lapidem, manus altera ſuſtinet alas:
Vt me pluma leuat, ſic graue merſit onus.
Ingenio poteram ſuperas volitare per auras,
Me niſi paupertas inuida deprimeret.

At certe B. Virgini non solum non obfuit paupertas ad nanciscendam Dei Matris dignitatem, quin potius mirum in modum profuit; nam cum Christus Dominus altissimæ paupertatis sectator futurus esset, vt verba illius satis indicant; *Matth.* 8. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet*: matrem sibi ab æterno elegit, non opulentam, sed pauperculam, & indigentem.

XV. Cvm autem Elisabeth Mariam agnouisset dignam Dei matrem, consequenter eius visitatione indignam se esse fatetur, dicens: *vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Simile humilitatis argumentum præbuit *Ruth.* 2. Rvth, quæ *adorans super terrã dixit ad eum (scilicet nobilem virum Booz:) Vnde mihi hoc, vt inuenirem gratiam ante oculos tuos, & nosse me dignareris peregrinam mulierem?* simile etiam aliud exhibuit Areuna Iebusæus, cum Dauid Regem cum seruis suis, iuxta Prophetæ mandatum venientem animaduertit, adorauit illum pro- *2. Reg.* 24. no vultu in terram, dicens: *Quid causæ est, vt veniat Dominus meus Rex ad seruum suum?* ad eundem modum animaduertens Elisabeth Reginam Mariam dignatam fuisse illam visitare, cum alioquin vera Dei Genitrix esset, admirabunda clamauit: *Luc.* 1. *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* quasi diceret, certe cum ego sim Præcursoris, Maria Saluatoris; ego mater militis, Maria ducis; ego mater serui, Maria Domini; ego mater lucernæ, Maria lucis cœlestis; ego mater luciferi, Maria ipsius solis; ego mater paranymphi, Maria ipsius sponsi; ego mater vocis, Maria conceptus, & Verbi diuini, non possum non mirari, quod Domina humilem ancillã visitet, & ad domum meam diuertat. hoc sane non ob merita mea, sed ob diuinam largitatem, & munificentiam mihi accidit. Vnde *D. Ambr. sup. Luc. hom. de visit.* D. Ambr. hæc verba exponens, inquit: *Non quasi ignorans dixit: scit enim esse sancti Spiritus gratiam, & operationem, vt mater Domini matrem Prophetæ ad profectum sui pignoris salutet, sed quasi non humani hoc meriti, sed diuinæ gratiæ munus esse cognoscat, ita dicit: Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* *Luc.* 1. In quæ etiam verba ingeniose Orig. dixit: *Orig. sup. Luc.* *Conuenit autem hoc dicens cum filio, nam & Ioannes indignum se sentiebat aduentu Christi ad ipsum, diuina autem promissio duxerat Mariam ad Elisabeth, vt Ioannis testimoniũ ab vtero perueniret ad Dominum, tunc enim Ioannem Dominus in prophetam constituit.* Perpende hic Elisabeth humilitatem, quæ quanto maioribus fauoribus Iesus, & Maria illam visitantes prosequuntur, tanto magis ipsa se humiliat, ac demittit: non sic, non sic filii huius sæculi, sed sic- *Esth.* 7. ut olim Aman, qui quanto magis à rege Assuero honorabatur & exaltabatur, magis ipse intumescebat, & alios despectui habebat, ita ipsi quanto ma- *Iob.* 11. gis bonis temporalibus sublimantur, tanto magis superbiunt, & alios despicientes eriguntur; de *D. Greg. in mor. l.* 18. *c.* 35. quorum singulis Iob dixit: *Vir vanus in superbiam erigitur.* Tandem obserua cum D. Gregorio, eandem Virginem matrem esse Domini, & eandem simul ancillam eiusdem, eo nimirum modo, quo & idem Christus auctor est operis, & opus auctoris; idem templum & idem factor templi; idem ipse, qui fecit, & idem, qui factus est: si enim Christum in ratione diuinæ naturæ contemplemur, ipsius ancilla Virgo est, ipsius & creatura; si autem humanitatem assumptam spectemus, illa Domini mater est.

XVI. Tertivm encomium, quo Elisabeth Deiparam laudauit, illud singulare fuit, quod vox eius instrumentum fuerit diuinæ virtutis ad sanctificandum Ioannem, & ad donum prophetiæ per illam in se conferendum: id aperte indicant subsequentia verba: *Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in gaudio.* *Luca* 1. Virtus certe Christi Domini per vocem Mariæ ad Ioannem delata non solum illum, verum etiam patrem eius cœlestibus charismatibus repleuit, cum hoc tamen discrimine, vt dixit D. Ambrosivs, quod *vocem prior Elisabeth audiuit, sed Ioannes prior gratiam sensit, exultauit infans, & repleta est mater, non prius mater repleta quam filius, sed cum filius esset repletus Spiritu sancto, repleuit & matrem.* *D. Ambr. l.* 2. *in Luc.* Mirabilis sane fuit processus iste; quis enim non miraretur, radium solis cristallinam phialam ingredientem prius, quod intus est, illuminare, deinde per reflexionem lucis rei intus illuminatæ ipsam illustrari, & illuminari? hoc igitur mirabile cernere est in Elisabetha: radius enim diuinæ lucis per vocem Mariæ à Christo missus viscera matris penetrans prolem intus latentem absque perfusa prius luce aliqua in illam, prius prolem intus latentem illuminauit, deinde vero quasi per quandam reflexionem lux in Ioanne recepta ad matrem illuminandam peruenit: id aperte sibi volunt supra citata verba D. Ambrosii; *vocem prior Elisabeth audiuit, sed Ioannes prior gratiam sensit.* *D. Ambr.* 2. *sup. Luc.*

XVII. Qvartvm tandem Elisabeth enconiũ Marianæ fidei commendationem continet; *Beata quæ credidisti*, *Luca* 1. qua Virginem ab impiissimis hæreticis illam in fide vacillasse, dum dixit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* asserentibus apertissime vindicat. Nam si Elisabeth ait Mariam tunc credidisse, ergo mentiuntur ipsi asserentes non credidisse, aut dubiam extitisse; dubia enim fides non erat digna illa celebri commendatione: *beata quæ credidisti*, *Ibid.* nec etiam vacillans credulitas præmium merebatur non solum in futuro, sed nec in præsenti sæculo: at Elisabeth pollicetur Virgini, quod fides, quam Angelicæ annunciationi adhibuit, illud præmium nancisceretur, omnia sibi reuelata arcana in ea fore implenda: *Quoniam perficientur in te ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.*

XVIII. Octo quidem stupenda mysteria nũciata fuerunt ei ab angelo, quorum tamen vnum dumtaxat fuerat impletum, nimirum: *Ecce concipies in vtero*, quia tunc iam filium Dei vtero suo cõceperat; septem vero impleri desiderabantur, dixerat e-

[e]rat enim Gabriel: *paries filium*, quod in natiuitate erat adimplendū; dixerat: *vocabis nomen eius Iesum*, quod in circumcisionem differebatur; dixerat: *hic erit magnus*: quod sine dubio impletum fuit, Hebræis dicentibus: *Propheta magnus surrexit in nobis*: dixerat: *filius Altissimi vocabitur*, quod adimpletum vidimus, Petro dicente: *Tu es Christus filius Dei viui*: & Centurione exclamante in obitu Christi: *Vere filius Dei erat iste*. dixerat: *Dabit illi Dominus sedē Dauid patris eius*, quod post Christi resurrectionem adimpletum nouimus, ipso tunc dicente: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*. dixerat: *Et regnabit in domo Iacob in æternum*, quod in Christi ascensione manifestum, impletum fuisse, Christo ad dexteram Patris sedente. vt Catholica tradit fides Symboli Niceni: *Sedet ad dexteram Patris*. ac tandem dixerat: *Et regni eius non erit finis*, quod et iam iam impleri cœpit ipso cum patre in cœlo regnante; vt se vidisse testatus est D. Stephanus, cum dixit: *Video cælos apertos, & Iesum stantem à dexteris virtutis Dei*.

[M]atth. 16. [M]atth. 16. [M]atth. 27. [M]atth. 28. [A]ct. 8.

XIX. Tandem Mariæ fides non solum fidem illam Zachariæ ambigentis: *vnde hoc sciam?* non solum fidem Moysis, Aaronis sacerdotis, & Gedeonis fortissimi Principis, qui de diuinis promissis dubitarunt, longe superauit; cum excellentissima quęque sibi munera promissa implenda nunquam hæsitarit; sed & nunquam satis laudatam Abrahæ fidem longa intercapedine excessit; credidit ille sterilem anum parituram, hæc vero Virginem salua integritate matrem esse futuram; credidit ille ex se viro iam senefœtum esse concipiendū, hæc vero filium ex se concipiendum, sine vllo viro; credidit ille diuino oraculo se geniturum purum hominem, hæc Deum & hominem in lucem edituram; credidit ille habiturum filium, sed communi, & vsitato naturæ ordine propagandum, hæc præter omnem naturæ vsum, Spiritu S. cooperante, diuinam humamque prolem esse concepturam; ac tandem credidit Abraham, Deum etiam posse mortuum filium suscitare, vt dixit D. Pavlvs, hæc vero Deum & nasci, & mori posse, vt omnes in eo promissiones legis perficerentur. Ecce quam merito Elisabeth Mariæ dixit: *Beata quæ credidisti*: quam tamen impiissimus hæreticus Brentivs sub prætextu laudandi Virginis fidem, hæresis suæ mortiferum virus, bonorum operum necessitatem excludentis, impudenter euomit, dicens: *Maria beatitudo per eandem rem, per quam & Abrahæ contigit, videlicet, quia credidit, & per fidem beata est, & non per vlla opera, quis ergo deneget fidei deberi omnia?* idcirco silentio non prætetibo, falsum hunc interpretem, & alios eiusdem farinæ ignorare, vel dissimulare scripturæ morem, quæ dum vnum dicit, aliud non excludit; fidem laudat, sed ita, vt pœnitentiæ, charitati, sacramentis, & aliis pietatis operibus vim suam, & laudem relinquat; quare qui illud solum vrgent; *iustus ex fide viuit*; meminisse oportebit eos scriptum esse: *Iustus in iustitia sua, quam operatus est, viuit*: Et illud: *Qui facit iustitiam, iustus est, sicut & ille iustus, & beatus in facto suo erit*, id est, per factum suum: Et illud: *fides sine operibus mortua est*. dicitur autem *beatus credens*, quia fides inchoat iustitiā, & radix est, & basis futuræ beatitudinis nostræ; & Abrahā non tantum fide, sed etiam operibus (Iacobo id attestante) iustitiæ suæ incrementa accepit, & vitam æternam promeruit; quam nobis donare dignetur Iesus filius Mariæ, qui cum Patre, & Spiritu S. viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

[L]uca 1. Ibid. Brent. apud Salm. tom. 3. tract. 10. ref. Galat. 3. Ezech. 18. Iacob. 1. Iacob. 2. Ibid.

HOMILIA IX.

Titulus multiplex celeberrimi Cantici Deiparæ Mariæ aperitur; ac mira eius super omnia cantica dignitas, & excellentia ex multiplici capite demonstratur.

I. Svpremvs eloquentiæ parens Cicero nec non & Plinivs, rerum non solum naturalium, sed historicarum diligētissimus inuestigator, commemorant solitum olim fuisse, vt cum Romani ad templum cōuenirent, victimas & sacrificia diis suis immolaturi, præconem quendā alta voce inducerent, dicentem: *Fauete linguis*: quæ verba non eodem modo explicant Interpretes, nam Seneca putat per illa auditoribus silentium indici, ac si dixisset: Loquaces compescite linguas: at Pavlvs è contra existimat, bona verba facere, non silentium ibi postulari. Ego vero in præsentiarum vtrumque mihi apprime necessarium iudico; silentium quidem, vt magnalia, quæ de cantico Virginis prædicare gestio, attentius audiantur; verba etiam, vt linguis ad Dominum orantibus non solum humanis, sed Angelicis grauissimum hoc argumentum in Deiparæ Virginis gloriam digne prosequi valeam. Excellentiam igitur huius sacri Cantici super reliqua omnia ostensurus, ex multiplici capite illam vos aucupari posse aperiam.

Cic. lib. 1. de diuin. Plin. li. 28. natur. hist. Sen. lib. de vita beata. Paulus in epit. Festi Pomp.

II. Primo (vt nec minimum apicem omittamus) ex præstantia tituli illius singularē eius præeminentiam auspicabimur. Plerique hunc cōmunem titulum ei apponunt: *Canticum Virginis*: alii, *Carmen Triumphale Mariæ*: alii, *Virgineum epithalamium*: alii, *dulcissimum atque eruditissimum Mariæ canticum*: alii, *insignis & memorabilis S. Virginis concentus*: alii, *Diuinum, & excellentissimum Mariæ canticum*: alii, *carmen sanctissimum, & diuinum encomium Mariæ*: alii, *compendium diuinorum sacramentorum*: alii, *Catholica & humilis professio Mariæ*: alii, *Symbolum Marianum*: alii, *Euangelica doctrina Mariæ*: alii, *Catechismus perfectorum*: alii, *suauis armonia Deiparæ*: alii, *Mariana Cithara perfectissime temperata*: Origenes hunc titulum inscripsit: *Vaticinium virginale*: Cancellarivs Parisiensis: Psal-

Orig. hom. 8. in Luc.

Canc.Paris. Gers. tract.2.in Magnificat. Canis.lib. de Deipar. cap.5. D.August. super Psal. 35.

Psalterium decachordum: CANISIVS: *primus noui testamenti Hymnus.* Multiplex certe hic titulus non solum huius Mariani cantici super reliqua excellentiam ostentat, cum nullum aliud his honorificis cognomentis cohonestari possit, sed ad abditissima arcana, quæ in illo latent, detegenda, scrutantibus illa viam parat; nam vt dixit D. AVGVST. *Si quis libri titulum recte nouit, facile totius libri notitiam assequetur.*

III. SECVNDO ex circumstantia loci excellentia huius Cantici commendatur, ab alto namque monte *super montana*, ad quæ conscenderat, posita Deipara, cecinit canticum hoc, vt ostenderet super omnia alia cantica eminere, & quasi ex sublimi illo loco, velutè cathedra, dictaret illud DEVT. *Scribite vobis canticum istud. & docete filios vestros, vt memoria teneant, & ore decantent, & sit mihi carmen istud pro testimonio inter filios Israel.* Deut.31.

IV. TERTIO excellentiam huius cantici deprehendere possumus ex præstantia, & dignitate auctoris illius, quod sane non prætermisit sacer Euangelista LVCAS, cum expressis verbis tradat, Mariam huius cantici fuisse compositricem: Dixit autem Maria: *Magnificat anima mea Dominum.* non diffiteor reliquorum canticorum Auctores sanctitate fuisse conspicuos, vt obseruauit D. CHRYSOSTOMVS, nimirum Moysem, Deboram, Barac, Annam Samuelis matrē, Isaiam Prophetam, Regem Ezechiam, Habacuch, nec non tres pueros Babylonicos: in nouo etiam testamento post Christi aduentum duos alios viros, Zachariam, & Simeonē cantica cecinisse nouimus, quorum tamen, nemine refragante, nota est sanctimonia, & Euangelico eloquio constabilita. Ceterum cum pene in infinitum sanctitas, ac sufficientia Deiparæ tam ex naturali ingenii acumine, quam ex supernaturali ei infuso lumine illos omnes præcellat, reliquum est canticum hoc (quantum est ex præstantia, sufficiētia, & dignitate Auctoris) reliqua cantica longa intercapedine superare.

Luca 1. Chrys. sup. Psalm.112. Exod.15. Deut.32. Iud.5. 1.Reg.2. Isaia 12. Isaia 38. Abac.3. Dan.3. Luc.3.

V. QVARTO, commune quidem est rebus perfectioribus eminenter continere plures sibi inferiores, vt constat in anima rationali, quæ vegetatiuam, & sensitiuam excellentiori modo continet; nec nō etiam in supremo Angelo, qui reliquorum omnium perfectionibus eminentiori quadam ratione præditus est; ac tandem in Deo, qui ob infinitam eius perfectionem necesse est omnia creabilia eminentissime in se continere; excellentia igitur huius Cantici in eo mirifice effulget, quod reliquorum omnium argumenta, tam Veteris, quam Noui Testamenti singulari ac diuino artificio cōprehendit. Ea enim omnia illum scopum respiciunt, vt pertractent de gratiarum actione, aut de amore inter sponsum, & sponsam, aut de liberatione ab aliquo ingruente malo, aut de instruendis ignorantibus, aut de victoria ab inimicis reportata, aut de hostium oppressione, aut de diuinis laudibus, vel de abditis arcanis reseratis, aut tandem de promissionib. diuina liberalitate adimpletis. Gratias olim referebat Deo populus Israeliticus illud concinens canticum: *Ascendat puteus, quem foderunt principes, & parauerunt duces multitudinis in datore legis, & in baculis suis.* Num.21. Salomon de amore sermonem instituens in persona sponsæ canit: *Osculetur me osculo oris sui*: Cant.1. propter liberationem à morte cecinit Ezechias: *Ego dixi in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* Esaia 38. ESAIAS ob singulare aliud liberationis collatum sibi beneficium clamauit: *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, conuersus est furor tuus, & consolatus est me.* Ibid. Anna ob munera accepta canebat: *Exultauit cor meum in Domino, exaltatum est cor meum in Deo meo.* 1.Reg 2. Moyses ad docendos ignorantes cantauit: *Audite cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* Deut.32. Debbora propter partam de hostibus victoriam hoc genere cantici alios ad diuinas laudes inuitabat: *Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino; ego sum, ego sum, quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israel.* Iud.5. propter mirabilem oppressionem, & submersionem hostium in mari rubro extulit vocem Maria soror Moysis, hilari voce diuinas laudes canens: *Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est, equum, & ascensorem proiecit in mare.* Exod.15. Dauid zelo diuini cultus frequenter diuina præconia promebat: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.* Psal.117. Zacharias magni Baptistæ parens, ad diuina sacramenta sibi reuelata reseranda, quibus plenus erat, in canticum illud erupit: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis*: Luca 1. ac tandē S. Simeon propter adimpletam sibi diuinam promissionem non visurum se mortem, nisi videret Christum Dominum, velut Cygnus iam moribundus sonora voce intonuit: *Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.* Luca 2. Omnia isthæc horum canticorū argumenta quam artificiose diuina nostra tympanistria Maria vnico suo cantico concluserit, si nosse placeat & auscultare, etenim vt Deo gratias ageret, cecinit: *Magnificat anima mea Dominum*; Luca 1. vt dilecto sponso congauderet, subiunxit: *& exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* propter præseruationem autem à multiplici humanæ conditionis miseria, quam in se humili affectu respiciens agnoscebat, addidit: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* propter ingentia, & inaudita sibi collata beneficia adiecit: *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius.* ad instructionē vero pusillanimium cantauit sequens carmen: *Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.* propter partas à Christo de hoste victorias verba illa protulit: *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.* propter diuinitus à Deo factam inimicorum oppressionem & confusionem dixit: *deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* propter diuinam liberalitatem & magnifi-

magnificentiam apposuit: *Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.* propter reuelationem, & magnificationem diuinorum arcanorum, & præcipue Incarnationis Verbi diuini sic effata est: *Suscepit Israel puerum suũ, recordatus misericordiæ suæ.* ac tandem propter adimpleta diuina promissa vltimum colophonem cantico suo imponens conclusit dicens: *Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in sæcula.* Ecce ergo quomodo Marianum canticum reliqua omnia eminentiori quadam ratione contineat.

VI. Sed id adhuc magis illud commendabile reddit, quod si tres pueri in fornace Babylonis ab igne accenso non comburebantur, canit etiã Maria, quod rubus ardens esset incombustus, vt virginitatem cum maternitate conferat. cecinit olim *Actor.15.* Moyses antiquã legem, quam (vt dixit D. PETRVS) *Neque patres nostri, neque nos portare potuimus:* Maria vero canit pietatem, ac suauitatem diuinam in omnes progenies. Anna cecinit partum Samuelis, Maria canit virgineum partum Christi; Ezechias cecinit mortalis suæ vitæ prolongationem, Maria de morte victoriam, ac vitæ reparationem modulatur; cecinit Debbora triumphum, quem tulit populus Israel de hostibus suis, canit Maria insignem atque gloriosum Christi triumphum, & victoriam, quam de tyrannis Dæmone, mundo, & carne per mortem reportauit; cecinit Habacuch futurum quem expectabat Messiam, canit Maria Christum præsentem, quem in ventre gestat; cecinit Iudith Holofernis capitis amputationem, ca- *Genes.3.* nit Maria Diabolici capitis contritionem, iuxta illud; *Ipsa conteret caput tuum:* cecinit Esaias humani generis redemptionem, quam propheticis oculis iam agnouerat, canit Maria mundi restaurationem per Christum executioni mandari cœptam; canit Simeon semel in vlnis portans Christum, canit Maria per nouem menses Verbum Dei incarnatum vtero suo gestans; cecinit Zacharias, quia factus est Pater Præcursoris, canit Maria, quia facta est mater Saluatoris.

VII. QVINTAM excellentiam huius cantici deprehẽdo ex mirabilibus prodigiis, ac portentis, quæ diuinam potentiam, sapientiam, & bonitatem mirifice commendant. Pro quo obseruandum est, decem carminibus, seu versiculis constare præsens canticum, vt verbis Regii vatis respondeat dicen- *Psal.143.* tis: *Deus canticum nouum cantabo tibi, in psalterio decachordo psallam tibi*: in hoc ergo Mariano decachordo decem Dei magna mirabilia virgineo ore prædicantur, vt eo solo nomine primum ac principem locum inter omnia cantica merito sibi vindicet. in primo versu supremam Dei potestatem, ac eminentissimum iure creationis dominium canit, vocans illum per anthonomosiam, DOMINVM: *Luca 1.* *Magnificat anima mea Dominum:* In secundo, ineffabile redemptionis beneficium exprimit: *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* in tertio clemẽtiam, qua humanæ conditionis miseriam respicit, & respiciendo subleuat: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* in quarto, magnitudinem diuinorum operum ponit; *Quia fecit mihi magna, qui potens est.* in quinto, tempus diuinæ misericordiæ cum mundo aduenisse ostendit: *Et misericordia eius à progenie in progenies, timentibus eum.* in sexto, rectitudinẽ diuinæ iustitiæ commemorat: *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.* in septimo, brachium diuinæ potentiæ demonstrat: *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* in octauo, misericordiam erga iustos, & iustitiam erga peccatores à Deo exercendam: *Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.* in nono, omnia signa, figuras, oracula, vaticinia, atq; scripturas de susceptione carnis à Verbo, Laconico stylo tãgit: *Suscepit Israel puerum suũ, recordatus misericordiæ suæ.* in decimo, ac postremo, consummationem omnium suorum verborum ponit, ac Dei fidelitatem in adimplendis promissis, pleno ore dicens: *Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in sæcula.* quem versiculum merito Deipara vltimo loco apposuit tanquam complementum, & summam aliorum multorum.

VIII. SI enim prophetarum eloquia consulamus, singulos versus prædixisse reperiemus. Canit primo loco Virgo: *Magnificat anima mea Dominũ:* Achior ad IVDITH dixerat: *In omni gente, quæ audi-* *Iud.13.* *erit nomen tuũ, magnificabitur super te Deus Israel.* Canit Maria: *Exultauit spiritus meus*: cecinerat I- *Isaia 35.* SAIAS: *Germinans germinabit & exultabit latabunda & laudans: gloria libani data est ei.* Canit: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*: at fœcunda Lia in huius figuram dixerat: *Vidit Dominus humilitatem* *Genes. 29.* *meam, nunc amabit me vir meus.* Canit: *Quia fecit mihi magna qui potens est*: id sane prænuntiauerat DAVID; *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus,* *Psal.32.* necnon & SALOMOM: *Sapientia ædificauit sibi do-* *Prou.9.* *mum, excidit columnas septem* Canit: *& misericordia eius à progenie in progenies,* quod & regius vates præcinuerat: *Misericordia tua Domine plena est terra.* *Psal.118.* Canit: *fecit potentiam in brachio suo:* sed ab his nihil abhorrent verba Dauidis: *In manu tua Domine vir-* *2.Reg.11.* *tus, & potentia.* Canit: *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles,* quod & præmonuerat SALOMON dicens: *Sedes diuitum superborum destruxit Deus, &* *Eccl.16.* *sedere fecit mites pro eis.* Canit: *Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes,* quibus persimilia iam tradiderat idem SALOMON, dum dixit; *Iustus come-* *Prou.13.* *dit, & implebit animam suam, venter autem impiorũ insatiabilis.* Canit; *Suscepit Israel puerum suum,* quod *Genes.32.* & Deus Abrahæ dixerat; *In semine tuo benedicentur* *Isaia 52.* *omnes gentes.* Vaticinatusque fuerat ISAIAS; *ecce seruus meus, suscipiam eum, electus meus complacuit sibi in illo anima mea.* Canit postremo; *Sicut locutus est ad patres nostros,* vt omnia, quæ antea commemorauerat, in scripturis præmonstrata indicaret, quod etiam IVDITH prænunciauerat, cum dixit; *Et in me ancilla sua adimpleuit misericordiam suam,* *Iud.13.* *quam promisit domui Israel.*

IX. Sexto colligo excellentiam huius Mariani epithalamii ex eo, quod nouissimum omnium sit. Exod. 15. Solent quidē inter musicos cæteris paribus pluris Luc. 2. æstimari nouæ quam antiquæ cantiones, nouissi- Ibid. mas autem omnium constat eas fuisse, quas cecinerunt Maria, Zacharias, & Simeon; inter has vero Ierem. 31. primas fert cāticum, *Magnificat*, quia cum *nouum fecerat Dominus super terram, mulier circumdabit virum*, plures quidem quā in reliquis inauditæ nouitates in illud simul confluxere. nam quæ concinit, mater est Virgo, Deum & hominem ventre gestans, & quem cœli cœlorum capere non poterant, ipsa suo vtero concluserat. Deinde noua mysteria reserabat, nouo, & inaudito amoris, humilitatis, & religionis affectu, illa manifestat Verbi scil. diuini Incarnationem, eiusdem natiuitatem, gratiæ eius collationem, peccatorum remissionem, inferni deuastationē, ac cœlestis beatitudinis consecutionem. quid ergo mirum, si Dauid tot noua in hoc mariano cantico commemorari præuidens in spi- Psal. 95. ritu dixerit: *Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis terra.*

X. Licet autem canticum hoc nouum sit, antiquæ tamen ac vetustissimæ illius præcesserunt vmbræ, & figuræ; nam olim Maria soror Moysis ob Exod. 15. demersum in mari rubro Pharaonem prima in gratiarum actionem dulce cecinit canticum; Debbo- Iud. 5. ra propter occisum Sisaram, cuius tempora clauo terebrauerat, eo quod populū Dei affligeret, canticum ad diuinas laudes decantandas composuit, 1. Reg. 2. Anna mater Samuelis simile aliud cecinit ob felicem partum cœlitus sibi datum. Hæc omnia cantica quid quæso aptius adumbrabant, quam canticum Mariæ, quæ caput non Holofernis præcidit, aut Sisaram confodit, sed antiqui serpentis contriuit, & quæ futura erat, vt non partum puri hominis, vt Anna, sed Dei pariter & hominis, diuino spiritu afflante, suauissima suæ vocis melodia cantaret? Vt autē aperte innotescat, quā egregie canticum illud Annæ Marianum hoc canticum præcipue adumbrarit, obseruare oportet, quod illa ce- Ibidem. cinit: *Exultauit cor meum in Domino*: Maria: *Exul-* Luca 1. *tauit spiritus meus in Deo salutari meo*: illa cecinit: 1. Reg. 2. *Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt* Luca 1. *robore*: Maria intonat: *deposuit potentes de sede & ex-* 1. Reg. 2. *altauit humiles*: illa cecinit: *Repleti prius pro panibus* Luca 1. *se locauerunt, & famelici saturati sunt*: Maria: *Esurientes impleuit bonis & diuites dimisit inanes.* tandē si Anna dixit: *exaltauit cornu Christi sui*, eundem fere sensum reddunt illa Mariæ verba: *fecit potentiam in brachio suo & exaltauit humiles.*

XI. Septimo, inde non parum excellentia huius cantici mihi detegitur, quod cum alioquin cāticum Salomonis adeo perfectum omnibusq; numeris absolutū esse perhibeatur, vt propterea co- D. Bernar. gnomentum hoc *Canticum canticorum* quasi iure D. Thom. suo sibi vindicauerit, vt auctor est D. Bernard. S. & Rup. suis Tho. Rupert. & alii, nihilo secius tamen canticū in praef. hoc Mariæ tantum illud præcellit, quantum figuratum figuram, & veritas vmbram. certe canticum Cant. O- illud Salomonis causas huius Mariani elogii ad a- rig. hom. 1. mussim præfigurat: ibi postulat sponsa vnionem sup. Cant. Verbi diuini cum natura humana sub metaphora: *Osculetur me osculo oris sui*, hic vnio ipsa executioni Cant. 1. mandata commemoratur: ibi quærit sponsa: *indi-* Ibidem. *ca mihi, vbi pascas; vbi cubes in meridie*, hic ostenditur in thalamo Virginis requiescere, & alimento ab ea subministrato infantem Iesvm intra viscera eius nutriri: ibi dicebat sponsa: *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum*, hic Ioannem trahit Christus ad se, qui per peccatum originale valde ab illo erat elongatus: ibi de sponso ait: *Ecce iste venit saliens in montibus, transi-* Cant. 2. *liens colles*, hic de Maria, vtero suo tanquam in thalamo sponsum deferente, refert Euangelista, quod *abiit in montana cum festinatione*: ibi Luca 1. quærebat sponsa in lectulo sponsum: *In lectulo meo* Cant. 3. *quæsiui eum, & non inueni*, hic virgineo Mariæ ventre clauditur, & à Ioanne, & Elisabeth inuenitur: ibi desiderabat sponsa Christum iam natum videre: *Quis mihi det te fratrem meū sugentem vbera ma-* Cant. 8. *tris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te*: hic adest iam conceptus, & post paucos menses nasciturus, & vbere de cœlo pleno lactandus.

XII. Octavo, si verum est tanto suauiorem esse cantici concentum, quanto & organum musicum perfectius, & temperatius est, & concinens in arte canendi peritior, non erit inde difficile coniectari, quanta sit Mariani huius cantici excellentia. Musica quidem nihil aliud est, quam aggregatio quædam vocum parium & imparium, quarū quædam sunt acutæ, quædam graues, aliæ mediæ; in hoc Mariæ cantico inueniuntur voces acutæ, atq; sublimes adeo, vt attingant ipsum met Deum: *Ma-* Luca 1. *gnificat anima mea Dominum*; adsunt etiam voces graues adeo, vt B. Virginem futuram mox Dei genitricem ad humilitatem ancillæ deprimerent, & ad ima demitterent: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi* Ibid. *secundum verbum tuum*: voces etiam mediæ hic nō desiderantur, quæ vtramque extremorum rationē participent, Maria dicente: *Fecit mihi magna, qui* Ibid. *potens est*; hæc enim magna media quædā fuerunt inter attributa diuina, & perfectiones creaturis communicatas; non æquabant quidem illis diuinis, & increatis, longe tamen superabant omnes creatas; vnde necesse est media quædam fuisse inter illa duo extrema. Hinc Hvgo Victor super *Magnificat* excellentiā huius cantici perpendens, Hug. Vict. eleganter dixit: *Quis dubitet Mariam recens è Spi-* in prologo *ritus sancti in se superuenientis tanta plenitudine, &* super Ma- *gratia repletam, non potuisse paruum aliquid, & quod* gnificat. *supra terrenarum mentium capacitatem non esset, in laudem Saluatoris sui proferre?* quod si consideres animam Virginis, quæ organum fuit diuini citharœdi, cuius cœlesti Spiritu afflata concinebat, inde non parum commendabile redditur eius canticum; erat enim organum temperatissimū, cum nulla in ea non solum dominaretur, sed neq;

pullu-

pullularet rebellio, aut discordia carnis aduersus spiritum. Instrumenta quidem musica sæpe ob subintrantem puluerem raucescunt, aut suauitatem amittunt; in Marianum autem organum nec minimus peccati venialis puluisculus vnquam subintrauit, vt sacrum CONCIL. TRID. diffiniuit, vnde suaui sua melodia non potuit vnquã carere. Quid? quod tympanistria nostra canendi arte primas inter omnes tulit non secus ac philomela inter omnes aues; vnde quæ OVIDIVS de ista egregia carmina cecinit, potiori iure, multoque congruentius in cœlestem hanc conueniunt philomelam:

Ouid. in Philomela.

Dulcis amica veni, noctis solatia præstans.
Tu Philomela potes vocum discrimina mille,
Mille vales varios rite referre modos.
Nam quamuis aliæ volucres modulamina tentent,
Nulla potest modulos æquiualere tuos.
Insuper est auium spatiis garrire diurnis,
Tu cantare simul nocte dieq; potes,
Sancta tamen Domino depromis munera laudis.

XIII. SED quas præclaras quæso ac sublimes non concineret Maria laudes, cum id, quod fabulosi Poetæ de suis musis venditabant, nimirum quod ab illis diuino quodam infuso lumine ad poesim illustrabantur, non solum veraciter nostræ contigerit tympanistriæ, sed multo sublimiori modo, quam illi fingebant, vtpote quam Spiritus sancti dulcis aura afflabat, ac suauem eius vocem reddebat, adeo vt sponsus illam auscultare desiderans diceret: *Sonet vox tua in auribus meis.* Hinc HVGO VICT. quem paulo ante citauimus, hæc sapienter scripsit: *Nemo huius cantici verba putet leuiter æstimanda, quæ nimirum de tam profunda conceptione prolata sunt, & absque profunda inuestigatione digne penetrari non possunt, & omne, quod dictum est, ab illa summæ veritatis intima luce, cui mens Virginis excellenter inhæserat, emanauit, nec aliud quicquam dicere potuit, quæ meditando loquuta non est.*

Cant 2.
Hugo Vict. hom. sup. fer. 6. quat. temp. in aduentu.

XIV. VLTIMO excellentiam huius cantici colligere licet ex magno honore, quem Ecclesia Catholica Romana à Spiritu S. edocta ei defert, qui adeo singularis est, vt nullam diem præterlabi sinat, in quo illud in templis nõ resonet, & ab omnibus Ecclesiasticis in Canonicis, & Vespertinis horis non recitetur: cuius sane non immemor BEDA dixit: *Optimus ac saluberrimus in S. Ecclesia mos inoleuit, vt hymnus B. Mariæ quotidie cum psalmodia vespertinæ laudis ab omnibus canatur, quatenus ex hoc animos fidelium & frequentior Dominicæ incarnationis memoria ad effectum deuotionis, & præcogitata sæpius exempla Genitricis illius in virtutum soliditate confirment.* quod si canticum, *Benedictus*, quotidie in laudibus recitat Ecclesia Catholica, id etiam in laudem Virginis cedit, quæ visitationis suæ mirabili virtute Zachariæ mentem illuminauit, vt propheticum illud vaticinium modularetur.

Beda hom. de Visit.

XV. AD extremum illud forsan quispiam circa hoc canticum nosse desiderabit, an soluta oratione, an vero debita carminis mensuræ habita ratione B. Virgo illud composuerit: quidam Doctores hæsitant, mihi tamen coniunctum magis cum ratione videtur carmine, & metri ratione illud cecinisse: nam si Maria soror Moysis, Debbora, Iudith, Esther, & Anna, quæ Mariæ typum gerebant, carmine cantica sua cantarunt, non est negandum, quod qui non solum has insignes fœminas, sed & pastores carmina ad diuinas laudes canendas conficere docuit, excellentius B. Virginem, dum in Thalamo eius delitesceret, eodem genere canendi erudiuerit; maxime cum id partim ad excellentiam, & venustatem cantici pertineret, vnde D. AVGVST. B. Virginem tympanistriam vocauit: *Audite quomodo tympanistria nostra cãtauerit, ait enim: Magnificat anima mea Dominum:* imo RVTILIVS BENZONIVS Episcopus Lauretanus affirmat, tanta fuisse canticum hoc metri diuersitate cumulatum, vt omnium canticorum, & psalmorum compendium quoddam B. Virgo in lucem ediderit: Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

D. August. serm. de SS. qui est 10. de Ann.
Rut. Benz. lib. 1. super Magnificat cap. 8.

HOMILIA X.

Singula hæc verba: Magnificat anima mea Dominum: *secundum literalem, & mysticum sensum pulchrè explicantur.*

I. CVM beata Elisabeth Spiritus sancti aura afflata, & ex eius imperio (vt præcognouit Deipara) multis præconiis illam cumulasset, beata Virgo pro singulari sua humilitate nihil prorsus de auditis laudibus sibi arrogans, in Deum tanquam in bonorum omnium auctorem bona omnia sibi ab eo collata retulit, suaui modulans concentu: *Magnificat anima mea Dominum.* vbi impletam intueor sententiam illam Sapientis ore prolatam: *Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum: sic probatur homo in ore laudantis.* Familiare quidem est ijs, qui humilitatis virtute præditi sunt, quando laudari se sentiunt, laudum causam subtrahere, aut propriam occultando excellentiam, si possunt, aut in Deum, quæ in se sunt laude digna, referendo, si illud primum facere nequeunt. Magna profecto encomia à B. Elisabeth audierat sacra Virgo, quorum causas occultare nec suum erat, nec debebat. non quidem suum, quia illa Spiritu S. repleta loquebatur; neque etiam debebat, quia quæ ad fidei testimonium, & Dei gloriam confirmandam spectant, quando temporis occasio, & personarum ratio postulat, silentio non sunt inuoluenda, etiamsi ad laudem propriam faciant, dummodo propria gloria non quæratur: vnde sicut cum magnorum principum nuptiæ celebrantur, varia solẽt poetica cãtica seu epithalamia intonari, ita in celebratione nuptiarum Verbi diuini cum natura humana, de quibus apud MATTHÆVM dicitur, quod æternus Pater

Luca 1.
Prou. 27.
Matth. 22.

Pater *fecit nuptias Filio suo*, affuit diuina tympanistria Maria sacrum illud poema: *Magnificat anima mea*, concinens in laudem diuini Sponsi, de quo

[*Psalm. 18.*]

DAVID: *Tanquam sponsus procedens de thalamo suo*: quæ sane melius quam Dauid tunc vsurpare de se

[*Psalm. 49.*]

posset illud PSALMI: *Immisit in os meum canticum nouum, carmen Deo nostro.*

II. SED vt iam expositionem aggrediamur, illud mirabile certe est, quod cum Deus nec augmẽtum aut decrementum recipere possit, Deipara nihilominus asserit se illum magnificare: ECCLESIASTICVS quidem dixit:

[*Eccl. 18.*]

Non est minuere, neq; adijcere, nec est inuenire magnalia Dei: & paulo inferius subiunxit: *Quis magnificauit Deum, sicut est ab initio?* quasi dicat: Nemo: etenim cum Deus sit infinitus, & infinito nihil sit maius, neq; illi possit fieri additio, vt docuit PHILOSOPHVS, consequens videtur

[*Aristot. 3. phys.*]

non posse Deum magnificari. Nodum hunc facile soluemus, si varias significationes variosq; modos Deum magnificandi tradiderimus. D. AVG. versans

[*D. August. serm. 35.*]

hæc Virginis verba inquit: *Sed sciẽdum nobis est duobus modis dici magnificari, id est, aut magnum facere, aut magnum adorare, magnum admirari*; quibus aperte docet: Deum non magnificari, quia aliquod in se magnitudinis incremẽtum suscipiat, sed quia illum magnum esse prædicamus. consentit eidem expositioni EVSEBIVS EMISSENVS dicens: *Dominũ magnificat, quia Domini magnificentiam prædicat.* adstipulatur eidem THEOPHYL. in LVCAM, dum ait:

[*Homil. fer. 6. 4. Temp.*]

[*Theoph. in c. 1. Luc.*]

Virgo certior reddita de fructu concepto, glorificat Deũ, illi miraculum tribuens, non sibi ipsi. CANCELLARIVS etiam PARIS eandem secutus expositionem inquit:

[*Gers. sup. Magnificat.*]

Hæsitas non intelligens scripturas, quemadmodum Dominus à creatura magnificatur: non in augmentum sui in se, sed quia magnus esse prædicatur, canitur, & laudatur. Eandem etiam secuti sunt Venerab. BEDA, THEOPHYLACTVS, & EVTHYMIVS: quare in hoc

[*Bed hom. fer. 6. 4. Temp. Aduent.*]

[*Theophyl. in c. 1. Luc.*]

[*Euthym. 83.*]

sensu perinde fuit dicere: *Magnificat anima mea Dominum*, ac si diceret: Tu ô Elisabeth me laudas, & magnificas, quod benedicta sim inter mulieres, quod beata sim eo, quod crediderim, quæ dicta sunt mihi, ac tandem eo, quod Dei mater effecta sim; verũ ego laudo, benedico, & adoro Dominum meum, horum omnium bonorum munificentissimum largitorem, in quem omnia hæc refero, cum nihil habeam, quod ab eo non acceperim, & quia tot, ac tãtis diuinis muneribus me Dominus sublimauit, vt nulla linguę facundia exprimi queat, interiori animi affectu, & exili hac laude illum prædico.

III. HINC velim discant viri perfecti Mariana vestigia sequẽtes, vt in omnibus maiorem Dei gloriam quærant, omniaq; cœlitus diuina charismata sibi communicata ab illo perenni totius sanctitatis fonte Christo IESV accepisse fateantur, nihil sibi præter peccata ascribentes. Sacra narrat Regum historia, Fortissimum illum Ducem Ioab recusasse in

[*2. Reg. 12.*]

bellum quoddam proficisci absque Regis Dauidis consortio, ne gloria exspectatæ victoriæ Dauid defraudaretur, dum absque eius præsentia parta fuisset: *Ne nomini meo ascribatur victoria.* non dissimiliter viri perfecti, ad quos pertinet bona sua opera in

[*Ibid.*]

publicum prodere, iuxta illud: *Vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est*, sollicitam curam gerere debẽt, ne eis propriæ gloriæ cupido subrepat, sed potius hostium suorũ victoriam ac appetituum carnalium repressionem, & his similia in Christum Dominũ referant, illud Ioab dicentes; *Ne nomini meo ascribatur victoria.* In

[*Matth. 5.*]

lib etiam IVDICVM legimus, quod cũ Gedeon gloriosam illam de Madianitis tulisset victoriam, omnes milites clamabant: *Gladius Domini, & Gedeonis*, vel, vt alii vertunt; *Domino, & Gedeoni*, hi certe partem gloriæ Deo, partem Gedeoni (quasi sacrificium illius facientes, in quo victima diuidebatur inter Deum & sacerdotes) deferebant; at beatissima Virgo quasi holocaustum offerens (quod totum in Dei honorem absq; diuisione absumebatur) nullam gloriæ partem sibi arrogauit, sed totam in Deum contulit, non partem magnificentiæ sibi vsurpauit, sed totam magnificentiam Deo ascripsit, dicens: *Magnificat anima mea Dominum.*

[*Iud. 7.*]

[*Luca 1.*]

IV. CÆTERVM S. BASILIVS præfatam interpretationem illorum Patrum, quos adduximus, non respuens, aliam addit in commentario PSAL. exponens illa verba; *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me*, vbi inquit: *Si Deus in cœlo sursum, & tu in terra deorsum, quonam pacto Deum queas exaltare? quid igitur hisce verbis pollicetur propheta? an quod forte ab his dicitur exaltari, qui magna, & quæ Deum nihil dedeceant, intellectu & cogitatione apprehendunt, & vitam omnem ad vnius gloriam Dei componunt? qui igitur ad beatitudinem cum scientia properat, Deũ exaltat; qui viam ingreditur huic oppositam, nefas est dicere quantum hic Deum in seipso humiliat.* vult sane D. BASIL. quod sicut per prauam conuersionẽ Deus blasphematur, vt diuus PAVLVS dixit: *Nomen enim Dei per vos blasphematur inter Gentes*: & EZECHIEL filiis Israel improperauit, quod polluerant nomen sanctum suum in gentibus; sed per puram, & inculpatam vitam laudatur, & magnificatur Deus, Apostolo ipso dicente: *Nunc magnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem.* Sed quãto magis quæso in corpore Marię magnificatus fuit Dominus, dum in vtero eius humanam carnem assumpsit? ESAIAS dixit: *Magnificatus est Dominus, quoniam habitauit in excelso.* sed multo magis magnificatus fuit, habitãs in humili Virginis thalamo; nã cũ in hac habitatione mortalitatis nostræ excellẽtius, quàm in reliquis operibus potẽtia, sapientia, ac bonitas diuina se ostẽtauerit, cõsequens est lõge magis in illa, quã in reliquis Deũ magnificatũ fuisse. atq; ab hac expositione nõ lõge abest alia D. AMBROSII in LVCAM, eadẽ verba exẽplo imaginis elucidãtis; sic n. ait: *Magnificatur Dominus, sicut & alibi legisti: magnificate Dominũ mecũ: nõ quod Domino aliquid humana voce possit adiungi, sed quia magnificatur in nobis. imago enim Dei Christus est, & ideo si iustũ religiosum fecerit, anima illam imaginẽ Dei,*

[*Basil. in Psal. 29.*]

[*Ad Rom. 2.*]

[*Ezech. 36. 23.*]

[*Ad Phil. 1.*]

[*Isaia 33.*]

[*Ambr. lib. 2. in Luc.*]

[*Psal. 33.*]

ad cu-

ad cuius similitudinem creata est, magnificat, & ideo dum magnificat eam, magnitudinis eius quadam participatione sublimior fit, vt illam imaginem splendido bonorum colore factorum etiam quadam æmulatione virtutis in se videatur exprimere.

V. Hoc ipsum exemplo Specvli apte explicari posse arbitror, si speculum paruum ante ingentem statuam, qualis fuit illa Nabuchodonosor, proponatur, paruam statuæ figuram refert, quia non potest ampliorem aut maiorem illam reddere, quàm sit propria ipsius speculi magnitudo; at si speculum magnum sit, magnam statuæ sibi obiectæ figuram reddet, itaq; speculum iuxta maiorem vel minorē suam capacitatem, maiorem, vel minorem rem sibi obiectam repræsentat. Certe humana natura præclarum quoddam speculum est, in quo Dei imago resplendet, vt non obscure indicant verba illa: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: hoc autem speculum tanto maius, vel minus est, quanto paucioribus, vel pluribus diuinis charismatibus anima ornata est, vnde quæ paucis, certe propter eius paruitatem, parum de Dei excellentia refert, quæ vero maioribus, magnitudinem eius magis ostentat; quia ergo beatissima Virgo inter omnia tam humana, quam Angelica specula, ob maiora cœlestia munera in eam collata, amplioris dignitatis fuisse perhibetur, ideo Dei magnitudinem plus omnibus retulit, & consequenter plus omnibus illum magnificauit.

Genes. 1.

VI. Tria ego speculorum genera non semel obseruaui: quædam enim reperies rotundæ, & prominentis, quædam figuræ planæ, quædam deniq; nec prominentis, nec planæ, sed concauæ figuræ; illud autem discriminis inter hæc inuenitur, quod quæ in speculis quasi tumentis, & prominentis figuræ repræsentantur, licet alioquin in se magna sint, parua tamen apparent, tantoq; minora, quanto specula tumentiora, & prominentiora fuerint: quæ vero repræsentantur in speculis planis imperfectis, nec parua, nec magna, sed mediocria visu se exhibent; quæ tandem in speculis concauæ figuræ repræsentantur, magna apparent: non secus superbi homines instar tumentium, & prominentium speculorum Deum, alioquin magnum, paruum & exiguum referunt, nam vt eleganter & acute dixit Origenes, sicut Deus bonis operibus nostris magnificatur, ita & prauis minoratur; verba eius sunt hæc: *Cum grandem fecero imaginem, id est animam meam, & magnificauero eam opere, cogitatione, sermone, tunc imago Dei grandis efficitur, & ipse Dominus, cuius imago est, in nostra anima magnificatur, & quomodo crescit Dominus in nostra imagine, sic si peccatores fuerimus, minuitur ac decrescit.* Viri autem iusti, & sancti, imperfecti tamen pro humana fragilitate, tanquam imperfecta specula plana, Dei quidem imaginem repræsentant, sed nec paruam, nec magnam sed mediocrem; Viri autem perfecti tanquā specula concaua ac profunda, ob profundam eorum humilitatem Deum referunt magnum, vt potè magnalia in illis operantem, vnde Seraphicus noster D. Bonaventvra explicans eadem verba: *Magnificat anima mea Dominū*, dixit: *Tunc anima nostra vere Deum magnificat, quando sub ipso seipsam captiuat & humiliat, iuxta illud Ecclesiastici: quoniā magna potentia Dei solius, & ab hominibus honoratur.* Hoc modo magnificabat magnus ille Baptista Christum, cum dicebat: *Non sum Christus, non sum Propheta, non sum Elias: Illum oportet crescere, me autem minui*: cum ergo beatissima Virgo præ cæteris omnibus Sanctis tam hominibus quam Angelis, propter profundiorem eius humilitatem, speculū esset magis concauum, consequens est Deum maiorem multo in se repræsentasse, atque adeo multo magis eum magnificasse, quam omnes puræ creaturæ.

Orig. hom. in Luc.

D. Bonau. sup. c. 1. Luc.

Eccles. 3.

Ioan. 3.

Ioan. 1.

VII. Vervm licet velis verbum hoc *magnificare* in rigorosa eius significatione sumere, prout importat, *magnum facere*, quod antea paruum erat, adhuc secundum hanc etiam acceptionem omnimoda veracitate dicemus, B. Virginem Deum magnificasse, quia cum paruulus esset in vtero eius, per quotidianum nutrimentum, quod intra vterum & extra vterum ad vbera sua illum lactans exhibuit, varia corporis incrementa ei tribuit, & ex paruulo infantulo puerum, & ex puero iuuenem, & ex iuuene adolescentem illum reddidit: igitur cum B. Virgo materiam subministrarit ad vitale augmentum Christi, merito dicetur Deum fecisse magnum, & in toto rigore illum magnificasse.

VIII. Sed iam sequentia verba explicemus: *Magnificat anima mea Dominum*: non potest quidem mysterio vacare, quod B. Virgo patris sui Dauidis, in diuinis laudibus decantandis supremi coriphęi, stylum mutauerit; ille namq; inuitabat animā suā ad diuinarum laudum exercitium dicens; *Lauda anima mea Dominum*: *Benedic anima mea Domino*: B. autem Virgo non ait: *magnifica*, sed, *magnificat anima mea.* non diffiteor magnam redolere perfectionem in Dauid, adeo sibi subiectam habere animam, vt cum imperio posset illi præcipere: *Benedic anima mea Dominum*: at longe maioris perfectionis argumentum est, quod Virgo dixerit: *Magnificat anima mea Dominum*; hoc enim loquendi genere aperte manifestauit, non opus fuisse animā eius quę continuo Deum magnificabat, ad illum magnificandum excitari, & stimulari; Dauid quidem per externas occupationes cōpellebatur à diuinis laudibus ad tēpus cessare, & ideo indigebat excitatione ad illas animum eius reuocāte; at B. Virgo, quæ à primo instanti vsus liberi arbitrii ab actibus orādi, & merēdi nec per momētum se abstinuit, vt tradunt D. Antoninvs, & Albertvs M. idq; nō solū vigilans, sed dormiēs, vt auctor est Rvpertvs, necnon & D. Bernardinvs, non indigebat verbis illis excitatoriis ad diuinas laudes animam eius stimulantibus. Sanctos quidem homines tanquā citharas

Luca 1.

Psalm. 145.

Psal. 102.

Luca 1.

D. Anton. 4 p. tit. 15. c. 20. § 6. Albert. Mag. lib. de B. Virg. cap. 17. & 197. Rupert. lib 5. in Cantic. in princ. D. Bernard. serm. 51. art. 1.

ras quaſdam contemplor diuinas laudes concinentes: interdum tamen pro humanæ fragilitatis conditione in peccata quædam venialia prolabentes diſſonabant, ac ſubinde opus erat excitari & temperari, vt ad priſtinam armoniam, & ſuauem concentum reducerentur; B. autem Virgo cithara ſemper fuit bene adeo temperata, vt à diuinæ legis norma, aut à rationis regula ne latum vnguem vnquam diſcederet, vt ſacrum CONCILIVM TRIDENTINVM diffiniuit, [*Conc. Trident.*] nunquam inſuauem concentum reddebat, nec ſonum quempiam emittebat, quem in Dei gloriam actualiter non referret, & ideo non indigebat illo genere excitationis, quod Dauid, & alii Sancti vſurparunt. & quidem ad hoc ſignificandum conſulto voluit Spiritus ſanctus (ni fallor) vt in tota ſacra pagina nullibi verbum hoc *Magnificat* ab alio, quam à B. Virgine vſurpatum inueniretur: legimus quidem: *Magnificate Dominum mecum*: *Magnificatus es vehementer*: [*Pſalm. 32.* *Pſalm. 103.*] magnificat vero in tertia perſona ſolum hic reperitur.

IX. AGE nunc expendamus ſecundum illud verbum *anima*: arbitror ſane id dixiſſe; Primo, vt ſignificaret ſe non vacare diuinis laudibus ore ſolum, & lingua, ſed præcipue anima, cuius contrarium factitabant illi, de quibus conquerebatur Deus per ESAIAM: [*Eſaiæ 29.*] *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me*: cuius generis laudatores perſimiles mihi videntur leoni illi mortuo, in cuius ore fauum mellis inuenit Samſon; [*Iudic. 13.*] illi enim licet alioquin gratiæ vita carentes, diuinæ laudis fauum in ore tantum verſant; non ſic Deipara Maria, quæ adeo creatori ſuo intenta erat, vt nunquã ore pſalleret, quin & mente diuinas laudes meritorie meditaretur. Secundo dixit *anima*, vt omnibus viribus & potentiis illius, per quas ipſa operabatur, Deum ſe magnificare indicaret. D. GREGORIVS NAZIANZENVS, & ORIGENES aiunt, [*Greg. Naz. apud Sixtũ Senenſem lib. 2. Bibl. Orig. hom. 1. in Ezech.*] quatuor animalia in Apocalypſi Ioanni oſtenſa quatuor ſignificare animæ vires, & affectiones; Homo quidem indicabat vim rationis, Leo vim iraſcibilem, Bos concupiſcibilem, Aquila conſcientiam, ſeu ſpiritum; vt ergo Deipara ſignificaret ſe his omnibus animæ potentiis Deum magnificare, dixit: *Magnificat anima mea*, adeo autem perfecte, & exacte id præſtitit, vt paucis huius Cantici verbis in ſingulis eius verſibus diuinam magnificentiam commendarit; & cum decẽ eſſe conſtet, illo velut decachordo, aut Pſalterio decem chordarum cœleſtis noſtra tympaniſtria diuinas laudes cecinerit. [*Lucæ 1.*] Prima, *Magnificat anima mea Dominum*: non certe hunc vel illum, ſed abſolute, ſimpliciter, & per anthonomaſiam, *Dominum*. Secunda, magnificat eius redemptionem, & ſalutem: *Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*. Tertia reſonat magnificentiam Dei in reſpectione humilium, & eorum beatificatione: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Quarta redolet magnificentiam in operatione mirabilium: *Quia fecit mihi magna qui potens eſt*. Quinta reſonat magnificentiã Dei in miſericordia, & miſeratione erga timentes Deum: *Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum*. Sexta indicat magnificentiam in ſuperborũ, & arrogantiũ conculcatione, & diſperſione: *Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui*. Septima magnificentiam in humiliũ exaltatione, potentibus de ſede depulſis: *Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles*. Octaua magnificentiam in eſuriẽtium ſaturitate, in diuitibus vacuis dimiſſis: *& diuites, &c.* Nona magnificentiam in perditorũ reſtauratione, & liberatione miſericorditer ſuſcipiente ingratam plebẽ: *Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ*. Decima tandẽ cõmendat Dei magnificentiam in exhibitione & impletione eorum, quæ ipſe pollicitus fuerat antiquis Patribus: *Sicut locutus eſt ad patres noſtros, Abraham, & ſemini eius in ſæcula*.

X. RVRSVS illud obſeruatione magna dignum eſſe reor, neminem inter puras creaturas veracius, quã Virginem dicere potuiſſe: *Anima mea*: nam vbi peccatum intrauit, continuo ſeruitus dominatur, nullumq; libertati illi ſeruituti oppoſitæ relinquẽs locum, nam vt IOANNES dixit: *qui facit peccatũ, ſeruus eſt peccati*: [*Ioan 8.*] cuius rationem reddens D. PETRVS [*2. Pet. 2.*] inquit, *à quo enim quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt*: vnde conſequens eſt, vt quot in eo dominantur peccata totidem dominorum ipſe ſeruus ſit: cum ergo reliqui omnes peccatũ originale cõtraxerint, neceſſe eſt omnium eorũ animas non eſſe ſuas, ſed eius, cuius ſeruituti ſubiacebãt: & licet per baptiſmum peccati originalis macula penitus deleatur, ſenſus tamẽ hominis, & cuncta cogitatio eius pronã manet ad malũ ab adoleſcẽtia ſua, vt dixit MOYSES; vnde ſemper *caro cõcupiſcit aduerſus ſpiritũ, & ſpiritus aduerſus carnẽ*, [*Geneſ. 8. & cap. omnis ætas 12. q. 1 Gal. 5.*] à quo ſane ſeruitutis genere, pugnæ ſcil. carnis contra ſpiritũ nec per ſacrũ baptiſmatis lauacrum fideles liberantur; B. autem Virgo, quæ in inſtanti conceptionis dæmonis caput contriuit, peccatũ originale non contraxit: & ideo ſemper libera fuit ab eius ſeruitute, & ab ea, quæ captiuã animam duxit ſub lege peccati; quare ipſa ſola inter puras creaturas potuit dicere etiam in primo momento ſuæ cõceptionis, *anima mea*. vnde S. ANTONINVS Archiepiſcopus Florentinus expreſſe docuit [*S. Anton. 4 p. ſummæ tit. 15. c 28. §. 2.*] neminem proprie dicere poſſe, *anima mea*, niſi q totaliter liberã illã habet ab omni peccati ſeruitute: cuius tria genera ipſe aſſignat: primũ eſt ſeruitus peccati originalis, aut mortalis, iuxta præcitata verba IOANNIS: *qui facit peccatum ſeruus eſt peccati*: [*Ioan. 2.*] ſecundum eſt ſanguinis & propinquitatis, quæ non ſemel captiuam tenens animam, ne Deo ſuo ſe tradat, plerũq; prohibet, vt cõtigit adoleſcenti, qui à Chriſto vocatus, nõ ſtatim perrexit, ſed dixit: *Permitte me prius ſepelire patrem meum*: [*Matth. 10*] tertium eſt ſeruitus illa, qua quis pecuniæ obedit, & bonis temporalibus ita tenaciter adhæret, vt ad Deum ire nõ ſinat. hanc expertus fuit ille, qui Domino ſibi dicẽte: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vẽde omnia, quæ poſſides, & da pauperibus, & ſequere me*; [*Ibidem.*] triſtis retroceſſit,

quia

quia multas possessiones habebat, quarum amor tyrannica sub seruitute illum tenebat. cum igitur B. Virgo ab hoc triplici seruitutis genere omnino libera esset, nec enim iacuit sub seruitute peccati:
Ezech. 4. *Anima mea non est polluta ab infantia mea vsq; nunc:* cum etiam carni, & sanguini non acquiescens, sed
Genes. 12. vt vera filia Abrahæ egrediens de cognatione sua, & de domo patris sui, triennis infantula, templo Dei se mancipauerit, & ab omni propinquitatis affectu longe aliena Deo inseruiret, vt tradunt. D. Ioan. Damascenvs, D. Gregorivs Nyssenvs, D. Epiphanivs & B. Evodivs; nec tandem inordinata bonorum temporalium affectio illi dominata est, quæ non coacte, sed libere pauperem vitam gessit; nam si Apostolus Petrvs dixit: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te:* certius multo est, ac manifestius B. Virginem eadem omnia ex animo reliquisse. hinc consequens fit, vt cum sola Deipara ab hoc triplici seruitutis genere penitus libera esset, perfectoque dominio pars superior animę eius in inferiorem, quam semper in officio continebat, absque interruptione potiretur, ipsa sola potuerit dicere, *anima mea.*

D. Damas. lib. 4. de orthod. fid. cap. 13. Greg. Nyss. de nat. Christi. D. Epiph. lib. de vita B. Virg. B. Euod. apud Niceph. lib. 2.

XI. At dicet quispiam, si B. Virgo se Deo totaliter donauerat, iam non sua, sed Dei erat, igitur non poterat dicere, *anima mea:* nam cum per donationem abdicet à se donans dominium rei donatæ, iam non manet illa sua, sed eius, cui illam donauit; ita sane contingit in rebus creaturæ donatis, secus autem in multis, quæ creatori donamus, quorum sane dominium non tam amittitur, quam in aliud perfectius, & excellentius commutatur: ad eum certe modum, quo firmius redditur dominium pecuniæ, quæ in mensa nummularia, aut in tutissimo deposito reponitur. nulla certe cogitari potest secura magis argentaria, aut tutius ærarium, & vt Hispano sermone dicitur: *No ay banco mas seguro, ni mas ageno de quebrar, que el de Dios;* vnde qui animam suam illi donat, & in ærario eius illam reponit, tanta gaudet securitate, vt Christus Dominus
Ioan. 10. dixerit; *Nemo rapiet eas de manu mea:* licet igitur B. Virgo se totam Deo donasset, recte poterat dicere: *anima mea:* nos si cupimus libere dicere posse, *anima mea,* oportet vt illa super passiones, & effrenes appetitus dominetur, & spiritus carnis petulantiam coerceat.

Plato de corp. hum. XII. Magnvs ille Philosophus Plato humanũ corpus describens, apte illud cum quadriga composuit, persimile illud dicens currui quatuor rotarum, quem duo potentes equi ducerent, quorum vnus grauis, tardus, & pigerrimus, alter vero promptus, velox adeo ac celer erat, vt oporteret aurigam vna manu, huius in chamo maxillas constringere ad comprimendam eius viuacitatem, altera vero funeo flagello ad alterius torpedinem, ac segnitiem excutiendam vti. Quadriga hæc quatuor rotarum ad viuum refert corpus humanum quatuor elementis, velut quatuor rotis constans, quia instar quatuor rotarum summa velocitate ad mortis littus illud ducunt. Equi vero inter se discordes, intellectus sunt, & appetitus: iste quidem velox ad voluptatem, legi inobediens, effrenis & petulans; ille autem post originale peccatum extenuatus, debilis, ac infirmus torpedinem quandam ad spiritualia exercitia contraxit, & ideo opus est, vt liberum arbitrium diuina gratia adiutum fræno & flagello vtatur; freno quidem ad insolentiam appetitus cõpescendam; flagello vero ad segnitiem & pigritiam intellectus propulsandam; id si quis præstiterit, licebit ei dicere, *anima mea,* alioquin minime, cum potius fit eius, cui viriose seruit, non sua.

XIII. Ad extremum minime mysterio vacare crediderim, quod B. Virgo non dixerit: *Magnificat anima mea Deum sponsum,* aut *filium,* sed *Dominum;* existimo id consulto fecisse, tum humilitatis studio ducta, vt se ancillam illius fateretur, non sponsam, aut matrem, quæ magnam dignitatem redolet; Dominus autem relatiue dicitur ad seruum; vt veram ergo Dei seruam, & humilem ancillam se esse profiteretur: *Magnificat,* dixit, *anima mea Dominum;* tum etiam dixit *Dominum* absolute, & sine *Luca 1.*
restrictione, vtpote qui non fortuna (vt aiunt) aut industria, sed *natura* Dominus esset; in hoc enim sensu Regina Esther dixit, *Dominus vniuersorum tu es, & in ditione tua cuncta sunt posita;* & in eodem *Esth. 13.*
etiam Regius vates cecinit; *Nomen tibi Dominus, tu solus Altissimus super omnem terram.* imo Ivdith dixit, soli Deo competere nomen Domini; *Dominus nomen est tibi soli, qui solus es Dominus, fortis, & potens.* *Psalm. 82. Iudith. 8.*

XIV. Homines quidem regiam potestatem ab hominibus accipiunt, quatenus humanę reipublicæ sibi vnum præesse statuunt, & ei potestatem supra cæteros omnes conferunt, eius dominio sponte se subdentes. At Christus pluribus, & nobilioribus titulis regiam cõsecutus est potestatem, qui quinque præcipue sunt. Primus est *iure vnionis hypostatica:* ex quo enim ille homo Deus est, & humanitas diuinitatem sibi coniunctam habet, omnium creaturarum spiritualium, & corporalium, cœlestium, & terrestrium dominium, & potestatem habet. Huius tituli meminit Athanasivs & Cyrillvs vbi docent Christum, vti hominem accepisse à patre potestatem super omnia, ex quo nimirum homo ille diuinitatem accepit, quam Filius habet à Patre. De quo titulo illud est Matth. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo:* probat Damascen. orat. de Natiuit. B. Virg. Secundus est *iure redemptionis:* ex quo enim suo sanguine nos redemit Dominus, est absolutus noster multo magis quam Dominus alicuius serui emptitij, quod ius habuit ab instanti incarnationis, quamuis enim tunc nondum sanguinem effudisset, tamen effundere decreuit, & eius efficacem voluntatem Pater acceptauit, & nostram Christus promeruit redemptionem. Hoc dominium vniuersale est omnium creaturarum, non solum terrestrium, sed etiam cœlestium; terrestrium quidem, nam cum ipsæ ad plenum dominium

D. Athan. in serm. de Deip. D. Cyrill. libr. 3. in Ioan. ca. 2. & lib. 2. cap. 15. Matth. 11. Damas. orat. 1. de Natiuit. B. Virg.

minium Christi *iure redemptionis* pertineant, etiam quæ ipsius sunt, pertinebunt; cœlestium vero, quia fructus redemptionis etiam in illorum vtilitatem redundauit: ciuitas enim illa cœlestium spirituum perfecta est hominum redemptione; de quo titulo *Matth. 28.* est illud MATTH. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*: nimirum postquam completa est redemptio, hoc enim dictum est post resurrectionẽ: datam autem sibi dicit potestatem, quantum ad exercitium, & vsum; nam quantum ad facultatem, obtinuit eam ab instanti Incarnationis, vti diximus. Meminit huius pręexcellẽtis tituli *D. Bernar. lib. 3. ad Eug.* BERNARDVS; *Christus* (inquit) *possessionem sibi vindicat iure creationis, & merito redemptionis, & dono Patris*: hęc Bernardus. Ius creationis habet vt Deus, meritum redemptionis, & donum Patris, vt homo; *donum Patris* appellat vnionem diuinitatis: nam vnire diuinitatem humanitati, donum fuit Patris, concessum humanitati illius. Tertius est *iure hæreditatis*, ex quo enim ille homo filius erat Dei, paternam obtinuit hæreditatem, quæ est dominium plenum omnium rerum: *Si enim filius est, & hæres*: *Ad Rom. 8* *vt dixit* D. PAVLVS; de quo titulo est illud PSALM. *Psalm. 2.* *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*. & *Matth. 21.* MATTH. *Hic est hæres*: & ad HEBR. *Locutus est nobis* *Ad Heb. 1.* *in filio, quem constituit hæredem vniuersorum*. Quartus est *iure donationis*; data enim sunt à Deo omnia *Ioan. 18.* Christo homini in dominiũ, de quod apud IOAN. *Ioan. 17.* dictum est: *Sciens, quia tradidit ea omnia Pater in manus*. & alibi: *Dedisti ei potestatem omnis carnis*. Quintus est *iure meriti*, ex quo enim homo ille Patri satisfecit, & honorem peccatis hominum lęsum propria morte reparauit, meruit ab ipso Patre omnem honorem & dignitatem. huius tituli memi- *Ad Phil. 2.* nit PAVLVS: *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine* IESV *omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris*. His igitur modis dominium Christi perfectius est omni potestate, & dominio humano ex parte tituli; & iuris.

XV. SECVNDO perfectius etiam est ex parte *plenitudinis potestatis & dominij*: Domini enim inter homines non habent plenam potestatem in ipsos, nec possunt imperare quæcunque velint, nec subditi regum sunt eorum serui; at Christus plenum dominium, & potestatẽ habet supra homines, potestq; præcipere quęcunq; ei placuerit, & obligare nos ad ea omnia quę velit, vitæq; ac mortis nostræ habet integrũ imperium, vnde potestas eius est tẽporalis, & spiritualis, nimirũ regia & sacerdotalis.

XVI. TERTIO perfectius est ex parte eorum, quibus dominatur; est enim (vt diximus) omnium rerum Dominus, imperat enim Angelis, dæmonibus, ac creaturis insensibilibus, & obediunt ei omnia, etiam quæ sensu carent. Si autem loquimur de dominio, quod habet in homines, regnum eius & potestas super omnes gentes est, nec solum viuos, sed etiam mortuos complectitur; ex his autem non eos solos, qui sunt in cœlo, sed etiam eos, qui in purgatorio & in inferno sunt; dominatur enim etiam in his per iustitiam suam.

XVII. QVARTO ex parte superioris, neminem enim habet supra se, sed illa humanitas soli est diuinitati subdita, sub se habens omnes potestates: inde *Rex est regum, & Dominus dominantium*. *Apoc. 19.*

XVIII. QVINTO ex parte durationis: hominum enim principatus morte complentur, postquam non iam reges aut principes sunt, aut vllam in alios habent potestatem, iuxta illud: *Cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius*. *Psalm. 48.* at Christus morte non amisit potestatem, sed permansit eius imperium, & manebit in æternum, nec vnquam dissoluetur, aut ei alius succedet, vt DANIEL vaticinatus est: *In diebus regnorum* *Daniel. 2.* *illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem, & consumet vniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum*; quod ideo dictum est, quia sæculo hoc consummato cessabũt omnes principatus, & regna hominum: at regnum Christi, eiusq; dominium, & potestas permanebit etiam in futuro sæculo sine fine.

XIX ADVERTENDVM est tertio, habuisse quidem Christum hanc regiam potestatẽ, vti diximus, ab instanti Incarnationis, cum ex vnione Verbi pręcipue emanauerit, vnde & à Magis tanquam rex quæritur, & in incunabilis adoratur, & muneribus afficitur, vt D. MATTHÆVS narrat: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* *Matth. 2.* & ingressus Hierusalem cum põpa regium nomen non refutat, sed acceptat: *Benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel*: *Luca 19.* & Iudæorum principibus id ægre ferentibus respondit: *Si isti tacebunt, lapides clamabunt*. *Ioan. 19.* Et passionis tempore regem se esse non negauit: *Tu dicis, quia rex sum ego*: *Ibidem.* & in titulo crucis nomen regis deleri non permisit: illa enim Pilati vox, *quod scripsi scripsi*, ex diuina dispositione emanauit. *Ibidem.* Fuit igitur verus Rex, ac verus Dominus, etiam dum in hoc mundo visibiliter conuersabatur; tamen non exercuit potestatem hanc, sed repressit, obediens factus etiam hominibus vsq; ad mortem: non enim venerat iudicare, *Matth. 20.* sed saluare, non ministrari, sed ministrare, & animam suam dare in redemptionem pro multis, quod tanto magis eius humilitatem commendat, quod cum Rex regum esset, & Dominus omnium, subditum se fecit etiam pessimis hominibus propter nos.

XX. PRÆCESSERAT figura huius rei in Dauid, qui multo ante fuit vnctus rex à Samuele, quam regnaret, & potestatem exerceret Saule regnante, à quo multa passus est. Non tamen ita se huius potestatis exercitio spoliauit, quin etiam ante mortem (exigentibus causis quibusdã) eã exercuerit, vt exterioribus operibus eius, quæ latebat, significationem aliquã pręberet, nam *Luc. 8.* Legionem dæmo-

niorum

niorum in porcorum multitudinem magnam ire permisit, & occidi fecit, tanquam rex & Dominus omnium: eo enim opere placuit vti ad suæ diuinitatis ostensionem & *Luc.* 22. eadem potestate asinã, & pullum solui, & sibi afferri iussit dicens: *Dicite, quia Dominus his opus habet*: & IOAN. 2. *Omnes eiecit de templo vendentes oues & boues, & nummulariorum effudit æs, & mensas subuertit*, quod insignis fuit potestatis, & dominij. & MARC. 2. Ficum exsiccauit. & IOAN. 8. Adulteram à pœna legis Mosaicæ liberauit, & à Magis adorari voluit, & acclamationes regias (vt diximus) admisit; & passione imminente militibus præcepit, vt discipulos suos liberos abire permitterent. Hæc omnia potestatis sunt regiæ, nõ qualiscunq; sed absolutæ, & perfectę, qualis erat in homine verè Dei filio. Post resurrectionem vero, vt supra dixi, plenum potestatis exercitium assumpsit MATTH. 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*: quod quidem ipso opere significauit, mittens discipulos in vniuersum orbem prędicare Euangelium, & legẽ omnibus impertiri, nulla regum, aut principum facultate requisita, tanquam verus dominus dominantiũ, & rex regum, & modo in cœlis regit, & gubernat inuisibiliter. Vt enim rex in vna Ciuitate residens cæteras regni partes regit; sic Christus residens in cœlis, quæ mundi huius sunt, gubernat per scientiam, & potentiam fortiter, & suauiter omnia attingens; illinc punit delinquentes in hoc sæculo, illinc Ecclesiam suam defendit, dirigit, & protegit. Hæc ex Cardinale TOLETO de Christi dominio mutuaui, quia quæ nos de hoc genere argumenti elaborauimus, lateq; scripsimus, elapsis annis dedimus inter nouem libros, quod S. D. N. Paulo V. gratia Dei adiuti, sacrauimus: Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

[Io]an. 8. — *[T]olet. sup. [ca]p. 1. Luc.*

HOMILIA XI.

In eadem verba: Magnificat anima mea Dominum; *eximia Deiparæ Mariæ gratitudo erga Deum explicatur, pariterque docetur, relatis ex Patrum doctrina variis de gratitudine animalium exemplis, quantum oporteat nos gratos esse Deo, non solum in magnis, sed in minimis, & tàm in aduersis, quàm in prosperis.*



I. APVD antiquos Patres vetustissimus hic mos inoleuit. vt cũ singulare aliquod beneficiũ diuinitus suscepissent, continuo diuinas laudes cõcrepantes, varia cantica cõponerent, quib. grati animi sui significationẽ præberent. hic gratitudinis, ac diuinę laudis spiritus Mariã Moysis sororem impulerat, vt parta de Ægyptiis victoria, & populo Israelitico in deserti securitatem educto, simul cum Hebræis mulieribus tympanum acciperet, & illud canticum vsurparet: *Cantemus Domino; gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorem eius deiecit in mare.* In quo sane sacratissimæ Virginis typum gessit, non modo quia Mariæ nomine erat insignita, sed quia idem fere argumentũ vtriusq; fuit; nisi quod soror Moysis typicam, beata Virgo veram, perfectam, & consummatam de spirituali Pharaone, & exercitu eius per Christum victoriam, nostri generis reparationem, superborũ deiectionem, & humilium exaltationem cecinerit. Eiusdem generis fere & argumenti est id, quod Sisara Chananæorum duce occiso, Debbora & Barac cecinerunt his verbis: *Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino.* Idem quod & IVDITH obtruncato Holoferne principe Regis Assyriorum decantauit: dicens: *Incipite Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis, modulamini illi Psalmũ nouum, exaltate & inuocate nomen eius.* Quid memorem Annam Samuelis, quæ cum iam à probro sterilitatis ad honorem matrisfamilias processisset, tantam animi sui gratitudinem cantico suo declarauit, vt summum aliquod beneficiũ accepisse videretur? Mitto TOBIÆ canticum, vbi pro accepta cæcitatis curatione, Ezechiæ vero regis pro vitę prorogatione, Salomonis in gratiam sponsæ suæ filiæ regis Pharaonis, & in typum spiritualis desponsationis Ecclesiæ cum Christo; Trium puerorum in fornace in gratiarum actionem, quod illos Deus saluos, & incolumes ab igne reddidisset: IONÆ ad flectendam Dei misericordiam, vt à cete emergeret; HABACVC vero, vt aliquando populus Israeliticus è Babylonica captiuitate liber in patriam regrederetur.

Exod. 15. — *Ibid.* — *Iud. 5.* — *Iudith 16.* — *Tob. 3.* — *Esa. 38.* — *Cant. 1. & seq.* — *Dan. 3.* — *Iona 2.* — *Habac. 3.*

II. ISTVD quidem, quod sacratissima Virgo cecinit, omniũ fere argumenta complectitur (si modo res, quæ tunc in figuris illis contingebant, ad veritatem perduci commonstremus.) Cecinerunt quidem pueri inter medias fornacis flammas, quia ignis nõ tetigit illos: cecinit Maria, quia inter medias originalis peccati flammas non solũ voracissimus hic ignis non tetigit, sed neq; fomitis peccati scintilla eam inuasit: cantauit Maria soror Moysis, quod populum Israeliticum à Pharaonis imperio liberauerat, cecinit Maria, quod æternus Pater iam Filium suum misisset, vt à tyrannica diaboli seruitute genus humanum liberaret: cecinit Ezechias propter beneficiũ augmenti quindecim vitæ annorum, cecinit Maria, quia Christus venerat, vt peccatores *vitã habeant, & abundantius habeãt*, vt ipsemet dixit; cecinit Moyses, quia legem à Deo latam promulgabat, cecinit Maria, quia legislatorẽ ipsum vtero suo gerebat, qui nouam legis gratiæ normam promulgaturus erat: cecinit Anna, quia Samuelem Prophetam generauerat, cecinit potiori iure Maria gratulabunda, quia Prophetas illuminantem, & caput ipsum Prophetarum conceperat: cecinit Debbora propter beneficium liberationis populi Israelitici, cecinit Maria propter benefi-

Ioan. 10.

cium redemptionis generi humano collatum: cecinit Habacuc Christum à longe venturum, cecinit Maria pręsentem Christi aduentum: cecinit Simeon, quia semel & ad breue tempus infantem Iesum vlnis suis accepit, cecinit Maria, quia iã Christum per tres menses in ventre gestabat, per sex alios eundem gestatura: cecinit tandem Zacharias, quia cum mutus esset verbum oris ei restitutum erat, cecinit Maria, quia Verbum Patris ei datum fuerat, vt intra viscera sua carne illum indueret. Propter hæc ergo tam sibi, quam humano generi collata beneficia grati animi significationem Deipara præbens, debitas gratias Deo referens, in illa
Luca 1. verba prorupit: *Magnificat anima mea Dominum.*

III. Hoc Mariano exemplo vellem omnes fideles accendi: Primo, vt sicut Maria laudata & cõmendata ab Elisabeth ad diuinas laudes se conuertit, ita & nos ab alijs laudati idem faciamus, in largitorem omnium bonorum Deum, quidquid est in nobis laude, & commendatione dignum, referentes. Nam si in nobis sistamus, bonaque virtutum officia nobis ascribamus, de ipsisque superbe efferamur, fures sumus, & latrones, vsurpantes omnino, quod Dei est: formidandumque est nobis exemplum Herodis Regis, qui cum pro tribunali ad populum concionaretur, illeque acclamaret:
Actor. 12. *Dei voces, & non hominis; confestim percussit eum angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo, & consumptus à vermibus expirauit.* Vt ergo per ingrati animi vitium dona Dei amittuntur, ita ex eo, quod grato animo in Deum donatorem referuntur, conseruantur & perficiuntur: nam *ad locum*
Ecclesia. 1. *vnde exeunt flumina, illuc & reuertuntur, vt iterum fluant.*

IV. Secundo oportet, vt à Virgine discamus sollicitos esse in gratiarum actione: vt & Apostolus monuit, cum dixit: *Orationi instantes, vigilantes*
Rom. 12. *in ea, in gratiarum actione.* quibus verbis non obscurè mihi indicasse videtur magnam huius exercitij vtilitatem, cum tametsi in oratione varij actus exerceantur, vt fidei, spei, charitatis, humilitatis, & similium, solius actionis gratiarum meminerit: existimo (ni fallor) id consultò fecisse Apostolum, quia probè agnoscebat ingratitudinis vitium inexorabilem reddere Deum, vt orantis precibus non annuat. Vt enim tam eleganter, quam vere
D. Ber. ser. 51. in cant. dixit D. Bernardvs: *Ingratitudo inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio; ingratitudo ventus vrens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ; propter hoc denique sponsa mox, vt gratiam de laua sensit, gratias egit, non expectans plenitudinem, quæ in dextera*
D. Ber. ser. 3. in Epiph. Dom. *est.* Idem etiam ser. in Epiph. alia his non dissimilia scripsit, dum ait: *Gratiarum cessat discursus, vbi recursus non fuerit, nec modo nihil augetur ingrato, sed & quod accipit, vertitur ei in perniciem; fidelis autem in modico, censetur dignus munere ampliori.* & alibi idem D. Bernardvs quærens causam, ob
D. Ber. ser. cont. pessi- quam Deus denegat bona spiritualia, quę frequenter ab eo postulamus, cum alioquin ipse dixerit:
Petite, & accipietis: pulsate, & apetietur vobis, non aliam assignat, nisi ingratitudinem nostram, quæ Deum inexorabilem reddit: verba illius hæc sunt:
mum vitium ingratitudinis.
Ioan. 10. *Sed iam omninò mouet, fratres mei, quid sibi velit, quod minus erga nos liberalis nunc diuina clementia videatur, vt quibus tanta contulit non rogantibus, non desiderantibus, imò & fortasse recusantibus, nunc orantibus, obsecrantibus, postulantibus sæpissimè, immo continue videatur multa minora negare? quid enim putamus, charissimi, abbreuiata est manus Domini, an fortè thesauri gratiæ defecerunt? Quid inquam putamus, vtrum voluntas mutata sit, an immutata facultas? Neutrum sane de eo æstimare licet, neutrum fas est credere de omnipotenti, & immutabili maiestate. Quid sibi vult ergo, quod incessanter orantes, obsecrantes, postulantes non exaudit, quibus tantam, & tam gratuitam misericordiam prærogauit?* respondet paulo inferius S. Bernardvs in hæc verba: *Heu, heu, non inuenitur, qui redeat, & agat gratias Deo, nisi hic alienigena. Nonne decem mundati* Luca 17. *sunt, & nouem vbi sunt? Meministis credo verba Saluatoris hæc esse, nouem illorum ingratitudinem arguentis. Bene siquidem orasse, obsecrasse, postulasse leguntur, qui leuauerunt vocem dicentes, Iesu, fili Dauid, miserere nobis: sed defuit eis quarta, quam adiecit Apostolus, gratiarum actio, quando nec redierunt, nec egerunt gratias Deo. Multos quoque videmus vsque hodie satis* Ibid. *importune petentes, quod sibi deesse cognouerint: sed paucos admodum nouimus, qui dignas super acceptis beneficijs gratias agere videantur. Nec reprehensibile, quod instanter petimus, sed plane petitioni negat effectum, quod inuenimur ingrati. Et forte hoc etiam clementia esse videtur, ingratis negare, quod postulant: ne contingat nobis, vt tanto grauius de ingratitudine iudicemur, quanto magis accumulatis beneficijs ingrati probabimur extitisse.*

V. Sane ingratitudo nostra adeo excreuit, vt & ipsa bruta animantia omnis rationis expertia apertissimè illam damnent, cum nobis ingratitudinis morbo laborantibus erga illos, qui varijs beneficijs nos cumularunt, illa suis benefactoribus gratissima se exhibeant. vt enim refert Fvlgosivs, Fulgos. lib. 5. cap. de gratiis. Titi Sabini canis dominum in carcere nunquam deseruit, eoque postea ad scalas Gemonias deducto, in gementium morem, latrando semper domino astitit: & mirantibus hominibus, panem, qui oblatus erat, non manducans ori domini admouebat: qui postquam in Tyberim proiectus fuit, in amnem secutus dominum, vt poterat, ex aqua caput eius eleuabat, quem viuere adhuc arbitrabatur; quibus enim potuit modis, gratias referre enixus est, quod ab eo enutritus esset. D. Ambrosivs D. Ambr. lib. exam. rem mirabilem refert de gratitudine cuiusdam canis, quam etsi paucis perstringere potuissem, verba tamen D. Ambrosii ita omnibus pergrata erũt, vt non moleste ferant illa referre; sic enim ait: *Quis tam tenax potest esse beneficij, & memor gratiæ* (scilicet, vt canis;) *quandoquidem pro domino etiã in latro-*

nes in-

nes insilire nouerunt, & extraneorum accessus prohibere nocturnos, & mori pro dominis, & commori cum dominis sint parati? sæpe etiam necis illatæ euidentia canes ad redarguendum reos indicia prodiderunt, vt muto eorum testimonio plerumque sit creditum. Antiochiæ ferunt in remotiori parte Vrbis crepusculo necatum virum, qui canem sibi adiunctum haberet. Miles quidam prædandi studio minister cædis extiterat, tectis idem tenebroso adhuc diei exordio in alias partes concesserat. Iacebat inhumatum cadauer, frequens spectantium vulgus adstabat, canis questu lacrymabili domini deflebat ærumnam. Forte is, qui necem intulerat (vt se habet versutia humani ingenij) quo conuersandi in medio auctoritate præsumpta fidem asciſceret innocentiæ, ad illam circumspectantis populi accessit coronam, & velut miserans appropinquauit ad funus. Tunc canis sequestrato paulisper questu doloris, arma vltionis assumpsit, atque apprehensum tenuit, & velut epilogo quodam miserabili carmen immurmurans, vniuersos conuertit in lacrymas. Fidemque probatione detulit, quod solum tenuit ex plurimis, nec dimisit. Denique perturbatus ille, quod tam manifestum rei indicem, neque odij, neque inimicitiarum, neque inuidiæ, aut iniuriæ alicuius poterat obiectione vacuare, crimen diutius nequiuit refellere. Itaque quod erat difficilius, vltione persecutus est, quia defensionem præstare non potuit. Quid nos dignum nostro referimus creatori, cuius cibo vescimur, & dissimulamus iniurias? Accedunt adhæc, quæ de aliis canibus eruditi Polyanthearum Auctores referunt, nam de Liuij cane cōmemorant, quod postquam dominum suum mortuum conspexisset, ab omni cibo prorsus se abstinuit, vt domino suo non superuiueret.

Auct. Polyāt. verb. ingratitudo.

VI. TESTOR etiam ego me in Hispania in ciuitate Abulensi canem quendam agnouisse, qui plus quam per integrum annum ab agro quodam non recessit, in quo dominus eius propter quoddam homicidium suspendio interierat; cum tamen agnita huius canis fidelitate à quibusdam religiosis in monasterium duceretur, singulis diebus locum illum, vbi suspensus fuerat dominus, visitabat, vnde propter hanc fidelitatem hoc illi nomen impositum erat, *leal*, quod Hispano sermone tantum valet, quantum Latino *fidelis*. Atque hinc est, quod D. AMBROSIVS miram canum gratitudinem perpendens, illam ante oculos in hæc verba nobis proponit, vt nos gratos reddat: *Ad immemores beneficij, & desides, atque ignauos clamat Scriptura: Canes muti nescientes latrare; disce ergo in ore tuo verbum tenere, ne quasi mutus canis commissam tibi fidei custodiam quodam præuaricationis silentio deseruisse videaris. Talis canis viator & comes Angeli est, quem Raphael non otiose sibi, & Tobiæ filio adiungendum putauit, quando perrexit, vt Asmodæum fugaret, & firmaret copulam coniugalem. Memoris enim affectus gratia pellitur dæmon, stabilitur coniugium. Muta itaque specie bestiæ sanctus Raphael Angelus Tobiæ iuuenis, quem tuendum receperat, ad relationem gratiæ erudiebat effectum. Quis enim non erubescat, gratiam bene de se merentibus non referre, cum videat etiam bestias refugere crimen ingrati?*

D. Ambr. li. 6. exam. c. 4. Isa. 36.

Tobiæ 6.

VII. SED iam quod de gratitudine aliorum animalium varij auctores commemorant, subijciamus. BERCORIVS narrat, quod Elephas cum in foueam cadit, venatorem, qui ipsum ab ea extrahit, beneuolo animo sequitur, & omni ferocitate deposita propter susceptum beneficium edomatur. narrat etiam FVLGOS. & refert POLYANTHEA, quod cum Pyrrhus vrbem Argos irrupisset, Elephas in Vrbis porta magistrum, à quo regebatur, mortuum præsensit, cuius rei dolore percitus, sine discrimine amicos, hostesque vrgendo, inter hostes progressus, prius non destitit, quam magistri corpus adinuenit. AVLVS GELLIVS, & FVLGOS. tradunt de seruo quodam *Andruodus* nomine, qui ad bestias à domino suo damnatus, à quodam leone cui ipse benefecerat, fuit indemnis seruatus. narrat etiam historia Ierosolymitana, quod cum vltra mare esset exercitus Christianus, inuenit miles quidam leonem, quem serpens longa sua cauda taliter alligauerat, vt non fineret illum se mouere; miles miseratione commotus erga leonem, serpentem occidens, illum liberauit, cui leo in significationem gratitudinis ob tantum beneficiū perpetuæ militis seruituti se mancipauit, solebatque prædas, quas per nemora capiebat, ad militem deferre, adeo vt non solum ipse, sed magna pars exercitus cibo illo aleretur, sed adhuc (quod non minus mirabile est) milite illo ad patriam redeunte, mare, & nauem intrante, ac leonem dimittere volente, leo mare ingressus dominum suum vsque ad mortem sequutus est. Historiographi item in vita S. Hieronymi referunt de quodam leone, quem ipse pede infirmantem curauerat, ad onera ferenda obedientem semper sibi extitisse: ijdem etiam cum RVFFINO de leæna S. Macharij referunt, adeo se illi gratam exhibuisse, propterea quod catulos eius liberasset, vt pecudum ac ferarum pelles, vt inde indumenta conficeret, ad Macharium deferret. quid plura? FVLGOSIVS refert, quod in equum Antiochi Regis Contaretrus Galata, cum Regem in prælio occidisset, conscendit. quo facto visus est equus sentire tergo suo domini hostem insidere; vnde dentibus apprehenso fræno, ita vt nulla iam ratione habenis regi posset, ad altissimum saxū celeri cursu contendit, atque ab eo se, insidentemque simul hostem præcipitauit, propria sua nece domini necem vltus. De Aquila deinde idem auctor refert, quod cum Virgo quædam illam educasset, in huius beneficij gratitudinem aues, quas aucupabatur, ei ferebat; posteaque in eodem rogo cum virgine mortua combusta est. Rursus de Tigride lego apud BERCORIVM, quod cum in profundam foueam cecidisset, & quidam miles casu trāsiens, ipsam inde extraxisset, continuo liberatorem suum sequebatur, & cauda blandiendo, qua ratione poterat, gratias referebat. quid de quadam Aspide dicam, de qua (vt ex FVLGOS. tradit

Bercor. verbo gratitudo, & grat act.

Polyanth. vbi supra

Aul. Gell. noct. at. ca. 14. Fulgos. lib. 5. de gratijs.

Hist. Ieros. id referente Bercorio verb. grat. act. & gratitudo.

Historiogr. in vit. Hieron. & habetur in Polyāthea ver. gratitudo.

Ruffin. in vita S. Macharij.

Fulg. l. 5. c. de gratis, & refert Polyāthea ver. gratitudo. ibid.

Bercor. verbo gratitudo.

Fulg. apud Polyanth. verbo gratitudo. Polyanthea) cum in Ægypto in pauperis domo e-nutrita peperisset, & vnius filiorũ morsu interemptum hospitis filium vidisset; serpens hic filios suos omnes occidit, nec deinceps vltra in ea domo cōmorari voluit, quasi præcauens, ne simile damnum postea hospiti inferret. In vniuersum tandem de omnibus auibus, quam gratas suo creatori se exhibeant suauitate suæ melodiæ, his verbis eleganter descripsit D. AMBROSIVS. *D. Ambr. ser. 43. tom. 5.* *Nōne videmus minutissimas aues, dum illucescentem diem auroraproducit, in quibusdam nidorum cubiculis varia dulcedine personare, & id studiose agere, priusquam procedant, vt creatorem suum, quia loquela non possunt, suauitate demulceant? & quemadmodum vnaquaque earum, quoniam cōfessione nequit, modulis prodat obsequium, ita vt videatur sibi deuotius gratias agere, quæ dulcius personauit; hoc etiam peracto diei cursu similiter facit. Quid ergo sibi vult ista certis temporibus disposita cantilena, & iugis intentio, nisi gratiarum quædam sit immoderata confessio? Aues ergo propter viles escas gratias agunt, tu preciosissimis epulis pasceris & ingratus es? Quis igitur non erubescat sensus hominum habens sine psalmorum celebritate diem claudere, cum ipsæ aues ad gratificandum psalterij suauitate persultent, & eius gloriam non versuum dulcedine personare, cuius laudes volucres modulata cantilena pronuntiant? Imitare ergo, frater, minutissimas aues, mane, & vesperi Creatori gratias referendo. Et si es deuotior, imitare lusciniam, cui, quoniam ad dicendas laudes dies sola non sufficit, nocturna spatia peruigili cantilena decurrit. Et tu igitur laudibus tuis diem vincens, operi tuo adde nocturna curricula, & insomnem suscepti laboris industriam Psalterij serie consolare.* hactenus D. Ambrosius.

VIII. VERVM ego non solum volucres cœli, & animantia terræ, sed & insensibilia, immo & inanimata gratitudinis tributum creatori suo incessanter referre obseruaui: Terra enim cœlestis pluuiæ aqua irrigata sursum mittit suauissimam florum fragrantiam, & cultori suo plus frumenti refert, quam ab eo accepit. vnde SENECA dixit: *Seneca lib. de benefic.* *Homines gratos similes esse fœcundæ terræ, quæ cultori suo vberiores fructus, hoc est, plura grana reddit, quam accepit.* Flumina quæ à mari progrediuntur, ad ipsum grataner reuertuntur, & quasi cum vsura, & lucro, quod acceperunt, reddunt; nam amaram, & salsam aquam ab eo mutuatant, dulcem vero, ac suauem ei restituunt. Copiosa Dei beneficia quid quæso sunt, nisi flumina quædam, quæ ex immenso illo maris oceano diuinæ libertatis, & munificentiæ proficiscuntur? quæ proinde oportet, vt per gratiarum actionem, omnia nobis in Deum referentibus, ad ipsum reuertantur, vt his verbis eleganter dixit D. BERNARDVS super Cant. *D. Bern. ser. in Cāt.* *Origo fontium & fluuiorum mare est, virtutum & scientiarum Dominus Iesus. Quis enim Dominus virtutum, nisi ipse Rex gloriæ? sed & iuxta Annæ canticum, idem ipse Deus scientiarum Dominus est, continentia carnis, cordis industria, voluntatis rectitudo ex illo* *Psalm. 23.* *fonte manant. Non solum autem, sed & si quis callet ingenio, si quis nitet eloquio, si quis moribus placet, inde est.* *1. Reg. 3.* *Thesauri etiam sapientiæ & scientiæ ibi omnes absconditi sunt. Quid? Casta consilia, iusta iudicia, sancta desideria, nonne riuuli fontis illius sunt? Quod si copiæ aquarum secretis, subterraneisque recursibus incessanter æquora petunt, vt inde recursus ad visus, vsusque nostros iugi, & infatigabili erumpant obsequio, cur non etiam spirituales riui, vt arua mentium rigare non desinant, proprio fonti sine fraude & sine intermissione reddantur? Ad locum vnde exeunt, reuertantur flumina gratiarum, vt iterum fluant.* consonant his, quæ acute dixit PLVTARCH. *Plutarch. in moral.* *Sicut mensarij non grauatim reddunt deposita pignora, vt quæ in hoc ipsum acceperint, vt restituant; sic nos, quod à diis accepimus.* Ad hæc quid est, quod DAVID dicit: *Psalm. 8.* *Cœli enarrant gloriam Dei*: nisi quod pro beneficio pulchritudinis, & soliditatis sibi collatæ clamoso quodam silentio diuinam liberalitatem commendant? Sol deinde regulari suo motu ab Oriente ad Occidentem plagam incessanter girans, creatorem suum absque vlla interpolatione laudat. Vnde est, quod cum ad præceptum Gedeonis olim illo dicente: *Sol contra Gabaonem ne mouearis.* Sol à motu suo, & consequenter à diuina laude, quam per regularem suum motum creatori suo exhibebat, cessarit continuo. Iosue, quia videbatur sibi cœli motum prohibens, quasi os eius ad diuinas laudes promendas soli obturasse, ipse absque vlla mora os suum aperuit ad illas prosequendas, & vice illius concinendas, vt aduertit PARAPHRASTES CHALDÆVS, qui super citata verba: *Sol contra Gabaonem ne mouearis?* inquit: *Laudabat Iosue coram Domino Iehoua, & ait: Sol contra Gabaonem ne mouearis*, ac tandem orbis terrarum, de quo SALOMON dixit: *Et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis*; pro beneficio suæ creationis continuo laudat suum creatorem, dum omnibus nobis vberem illum laudandi materiam abunde suggerit: hinc TRIMEGISTVS (sic nuncupatus, quasi *ter Maximus* diceretur, quia & summus sacerdos, & sapientissimus Philosophus & Rex potentissimus esset) in libro Pimandri dixit: *Tota mundi conspiratio, & rerum pulcherrimus ordo contemplandi Deum materiam suggerit; est enim natura veluti liber vnus diuinitate plenus.* his persimilia sunt verba magni BASILII dicentis: *Mundus hic vniuersus, velut liber quidam inscriptus est, Dei gloriam denuncians occultam, & inuisibilem Dei maiestatem per se ipsum annuncians tibi, qui mentem habes ad intelligentiam veritatis.*

Iosu. 10.

Paraphr. Chal. super Ios. 10.

Sap. 1.

Trimegist. libr. Pimandri, 5.

Basil. hom. 11. Examer.

IX. HIS ab animantibus, & à rebus inanimatis petitis exemplis vellem vos omnes non solum excitari, sed & inflammari ad gratitudinē erga Deum præstandam; vt tamen perfecta illa sit, & omnibus numeris absoluta, oportet duo apprimè obseruare: Primum, vt non solum pro magnis, sed pro minimis beneficiis assuescat animus Deo gratias reddere, vt his verbis eleganter dixit D. BERNARDVS:

ARDVS: *Diligenter considera, quæ tibi apponuntur, vt nulla videlicet Dei dona debitâ gratiarum actione frustrentur, non grandia, nec mediocria, non pusilla: denique conemur colligere fragmenta, ne pereant, id est, nec minima beneficia obliuisci.* hæc Bernardus:
Ioan. 6. quę mihi sanè didicisse videtur ex verbis illis Chri-
Matth. 25. sti Domini: *Euge serue bone, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.* Immo D. AVGVSTINVS non solum gratias agebat pro magnis & paruis beneficijs, sed & pro malis, quæ non fecerat. sic enim Christum Dominum alloquebatur:
D. August. l. 2. Conf. c. 1. *Gratiæ tuæ deputo, & misericordiæ tuæ, quia peccata mea tamquam glaciem soluisti gratiæ tuæ, & quæcumque non feci mala, quid enim facere non potui?* Secundum est, vt non solum in prosperis, sed & in aduersis gratię Deo referantur. id enim aperte voluit D. PAVLVS. cum dixit: *In omnibus gratias agen-*
Colos. 3. 17. *tes*, hoc est, tam in secundis & felicibus, quam in molestis, & infortunatis successibus. In cuius fi-
Iudic. 3. guram lego fortissimum illum Ducem Aod æque bene sinistra, ac dextera manu ense vsum fuisse ad expugnandos hostes; simileque huic est, quod
Arist. 2. Polit. ARISTOTELES commemorat, dum ait, Platonem hanc legem statuisse, vt ciues omnes ad arma exercenda indifferenter, & indiscriminatim dextera & sinistra vterentur. hac dexteritate præditi esse debent amici Dei, vt tam in secundis, quam prosperis rerum euentibus gratias Deo re-
Colos. 3. 17. ferant: *In omnibus gratias agentes*; quod & Philomela, suauissimi cantus auis nos facere monet; dum ita suaui canit concentu in caliginosæ noctis tenebris, ac in ipso auroræ, aut meridiei tempore.

X. SED audiamus, si placet, quæ Catholicæ Ecclesiæ Patres in hoc eodem genere argumenti
D. Augu. in Psalm. tom. 8. sapienter scripsere. D. AVGVSTINVS explicans illa verba: *Benedicam Dominum in omni tempore*, inquit: *Dicis quando benedicam Dominum? Ait tibi aliquis, tibi benefacit, quando abundant sæcularia, quando multum abundat frumenti, olei, vini, auri, argenti, mancipiorum, pecorum, saluſque ista mortalis incorrupta persistit; ea quæ nascuntur, crescunt omnia, nihil immatura morte subtrahitur, felicitas tota abundat in domo, circumfluunt omnia, tunc benedices Domino? Non, sed in omni tempore. Ergo & tunc, & quando ista secundum tempus, & secundum flagella Domini Dei nostri turbantur, auferuntur, minus nascuntur, iam nata dilabuntur, & inde sequitur penuria, egestas, labor, & tentatio. Sed tu, qui cantas tibi? benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo, & quando ista dat, benedic, & quando ista tollit, benedic. Quia ille dat, ille tollit, sed seipsum à benedicente se non tollit.* Idem etiam Sanctus AVGVSTINVS super PSALM. 91. alia pro eius pariter & ingenioso animo digna, versans illa verba: *Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo Altissime, ad annunciandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem*, in hunc modum scripsit; *Canta ore, psalle operibus. Ad quam rem? Ad annunciandam mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. Quid sibi vult, quia mane annuncianda est misericordia Dei, & per noctes veritas Dei? Mane dicitur, quando nobis bene est; nox dicitur, quando tristitia tribulationis est. Quid ergo dixit breuiter? Quando tibi bene est, gaude Deo, quia misericordia ipsius est. Sed dices: si misericordia Dei est, quando bene mihi est, crudelitas ergo ipsius est, quando male mihi est. Non, sed quando bene est, lauda misericordiam, quando male est, lauda veritatem, quia qui peccata flagellat, non est iniquus. Iam in nocte erat Daniel, erat enim in captiuitate, quando Deum laudabat, in lacu erat, & per noctem confitebatur veritatem Dei; dicebat enim: Peccauimus, iniquè*
Dan. 6. & 14. *egimus, iniquitatem fecimus; Tibi Domine gloria, nobis confusio. Cum misericordiam annuncias mane, & veritatem per noctem, semper laudas Deum, semper confiteris Deo, & psallis nomini eius. In decachordo psalterio cum cantico in cithara, hoc est, verbo, & opere. Cum cantico in verbo, in cithara, in opere.*

XI. HANC eandem doctrinā docuit nos Diuus
D. Ambr. serm. 7. AMBROSIVS, nam exponens verba illa: *Memor fui nocte nominis tui*, ait in hæc verba: *Non magnum est, si tunc Domino gratias agas quando in prosperis, & secundis, sed si tunc adhæreas Christo, quando te persecutio exagitat, quando aliqua procella perturbat, amisisti filium in illo dolore, in illa nocte, in illa destitutione memento Domini Dei tui, ne in tua præuariceris ærumna pulsus in exilium, memento, memento Domini Dei tui, patriæ interdictæ charitatem Deo præferas: alicuius diuitiis oppressus potentia, amisisti proprias facultates, memento Domini Dei tui, ne te nox egestatis abducat à deuotionis affectu: hoc enim mandatum legis, vt in nocte magis quæras, quando magis exaudiaris à Domino, & possis dicere: In tribulatione inuocaui Dominum.*
D. Bern. ser. de Cāt. Ezechiæ Regis, Isai. 38. Ac tandē Diuus BERNARDVS explicans illa verba: *De mane vsque ad vesperam finies me*; sic ait: *Finies me, id est, consummabis me. Non in solo mane visitationis, aut tantum in vespera tentationis, sed in vtroque simul erit perfectio mea. Stultus ego, qui tantum sperabam vsque ad mane, cum Dauid dicat: A custodia matu-*
Psal. 129. *tina vsque ad noctem speret Israel in Domino. Et quoniā pusillus in spe, quasi leo sic contriuit omnia ossa mea, robur omne videlicet, de quo adhuc sub tutela gratiæ futurorum improuidus confidebā. Contriuit autem diabolus, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quē deuoret. Tu ergo Domine hac contritione humiliatū &*
Gen. 1. *probatum, de mane vsque ad vesperam finies me; quoniā factum est vespere, & mane, dies vnus. Quamobrem*
Psalm. 48. *ego, vt didici, Benedicam Dominum in omni tempore,*
Luca 8. *hoc est, mane, & vespere, non sicut ille, qui confitebitur tibi, cum benefeceris ei; non sicut illi, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt, sed*
Iob. 1. *dicam cum sanctis; si bona suscepimus de manu Do-*
Isa. 38. *mini, mala quare non sustineamus? Et in mane quidē, sicut pullus hirundinis, sic clamabo, in vespere autem meditabor, vt columba. quatenus & cum gratia matutinum arriserit, in modū hirundinis exultans, & clamitans gratias agam pro visitatione: & cū vespera in-*

gruerit,

gruerit, non deerit sacrificium vespertinum, cum instar columbæ gemens lachrymas fundam in tribulatione. Sic enim deseruiet vtrumque tempus Deo, cum & ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Placet vtrumque Deo, & peccator compunctus, & iustus deuotus, cui è regione displicet tam ingratus iustus, quam peccator securus. hactenus D. Bernardus. quibus tam in secundis, quam aduersis gratos nos Deo esse debere docet: Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA XII.

In eadem verba: Magnificat anima mea Dominum; *idem gratitudinis argumentum prosequimur, tres illius gradus ex sententia D. Thomæ multiplici tàm humana, quàm sacra eruditione illustrantes, paucisque contra ingratitudinis vitium inuehimur, ac de diuinis laudibus in gratiarum actionem decantandis non pauca tradimus.*

I. T virtutem gratitudinis Deo valde charam, & nobis mirum in modum vtilem ad praxim reducere facilius valeamus, oportebit varios illius exponere gradus, vt quantum cum diuinæ gratiæ adiutorio possibile nobis fuerit, per illos omnes ascendentes, Creatori, ac summo benefactori nostro grati existamus. assignat Angelicus Doctor S. THOMAS hos omnes gradus dicens: *Habet tamen diuersos gradus secundū ordinem eorum, quæ ad gratitudinem requiruntur. In quæ primū est, quod homo acceptum beneficiū recognoscat. Secundū est, quod laudet, & gratias agat. Tertiū est, quod retribuat pro loco, & tempore secundum suam facultatem.* Ecce S. THOMAS primum, & infimum gradum gratitudinis constituit benefic j recognitionem hoc gratitudinis genus, tametsi infimum tanti faciebat S. THEODORVS Ancyræ Episcopus, vt in concione habita in Concilio Ephesino diceret; *Solet vberior illis obuenire, qui grato animo gratiã accipiunt: tantum enim plerumque donorum præstatur, quanta eorum est gratitudo, qui eiusmodi donis potiuntur: quare cum de accepto dono donatoris benignitatem grata recordatione agnouistis, non modo pro acceptis fecistis satis, verum ad maiorem quoq; beneficiorum elargitionem donatorem astrinxistis* Annotat autem Angelicus Doctor S. THOMAS, quod sicut recognitio hæc beneficij est primus, & infimus gratitudinis gradus, ita non recognoscere beneficium est supremus, ac vltimus ingratitudinis gradus, verba illius sunt hæc: *Sed quia quod est vltimum in generatione, est primum in resolutione, ideo primus ingratitudinis gradus est, vt homo beneficium non retribuat. Secundū est, vt dissimulet, quasi non demonstrans se beneficium accepisse. Tertium, & grauissimum est, quod non recognoscat, siue per obliuionem, siue quocumq; alio modo.* Hinc SENECA dixit: *Ingratus est, qui dissimulat, ingratior est, qui non reddit: & ingratissimus omnium, qui oblitus est.* quare beati in cœlesti patria (vt obseruauit D. GREGORIVS in suis Moralibus) *Coronas suas mittebant ante agnum:* quia certaminum suorū victorias non sibi ascribentes, sed Christo, ab eo, quidquid boni habebant, accepisse recognoscebãt.

D. Th. 2. 2. q. 107. art. 2. in corp.

D. Theod. Ancyræ Episc. vt habetur in conc. Eph. car. 10. tom. 6.

S. Thom. vbi sup.

Sen. lib. de benef.

D. Greg. libr. 22. mor. c. 5.

Apoc. 4.

II. SECVNDVS gratitudinis gradus, quem assignat S. THOMAS, est, quod verbis laudemus, & gratias agamus benefactori. Ex defectu huius Rex Ezechias punitus fuit, vt enim tradit IOSEPHVS in lib. de bello Iudaico, postquam Dominus ei miserat Angelum, qui occidit centum octuaginta quinque millia hostium suorum, debebat (vt moris erat) ob hoc singulare protectionis beneficium diuinæ laudis canticum intonare; quod quia omisit, Deus grauiter illum puniuit. Hoc gratitudinis genus erga Deum familiare adeo erat Virgini Deiparæ, vt Seraphicus noster S. BONAVENTVRA tradat, illam primam inuentricem fuisse illorum verborum: *Deo gratias*, à religiosis viris satis vsurpatorum: sic enim ait: *Ne forte in salutatione sua Virgo à Dei laudibus tolleretur, si quis eam salutabat, illi pro salutatione (Deo gratias) referebat.* idipsum tradit etiam Diuus ANTONINVS in sua summa Theol. in hæc verba: *Virgo cum vocabatur, respondere solita erat, Deo gratias, vt illud modicum verbum non esset sine laude Dei.* Huc etiam faciunt verba D. AVGVST. dicentis: *Quid melius animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quam, Deo gratias? hoc enim nec dici breuius, nec audiri latius, nec intelligi grãdius, nec agi fructuosius potest.* Ego vero addo, diuinæ maiestati pergrata adeo esse hæc verba, vt incessanter velit beatos in cœlesti patria ore illa versare: testatur. enim IOANNES lib. suarum reuelationum se audisse venerabiles illos senes ante thronū agni sonora võce sine fine clamantes, *honor, virtus, gloria, & gratiarum actio Deo nostro in sæcula sæculorū.*

Ioseph. de bellico Iudaico.

D. Bona. 3. Medita.

D. Anton. 4. p. sum. The. tit. 6. §. 2.

S. Aug. ep. 77. ad Aurelian.

Apoc. 7.

III. HOC genus gratitudinis diuinas laudes decantandi licet ad omnes spectet, speciali tamen ratione religiosam vitam agentibus conuenit, vt non obscure mihi significare videntur verba illa Regij vatis: *Laudate serui Dominum, qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri:* in quibus duplex seruorum Dei genus distinguit; quorum quidam in beata illa æternæ felicitatis domo commorantur: alij vero, qui in atrijs illius habitant, hoc est, in domibus monasticis sacrarum religionū, vbi nouitij degunt, futuri professi in cœlesti illa patria: tam ergo illos, quam istos inuitat DAVID ad laudandum Dominum: *Laudate serui Dominum, qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri.* S. BASILIVS excellentiam Religionis alta mente perpendens, aptè satis statum RELIGIONIS statui beatorū comparauit, quia quemadmodū in illo nulla est auri, & argenti fames, nulla bonorum temporalium sitis, ita statum religiosum colentes per votum

Psal. 134.

Ibid.

pauper-

paupertatis omne dominium, & proprietatem, ac liberum earum vsum per solemnem professionem à se abdicant; & sicut in illo beatitudinis statu maxime puritas viget, quia, vt ait IOANNES: *Non intrabit in eã aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens*, adeo vt nec licita alioquin matrimonia, & multo minus vsus eorũ ibi permittantur, Christo dicente: *Non nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo*: ita religiosi status cultores per solemne castitatis votũ ad matrimoniũ inhabiles sese reddunt, & carnis lasciuiam compescunt, & à venere per totam vitam se abstinere pollicentur, & sicut in cœlesti illa Ierusalẽ omnes ad nutum suo Creatori obediunt, *& sequuntur agnum, quocumq; ierit*, non secus religiosi viri propter solemne obedientiæ votum prælati voluntatem sequũtur, quocumque illos ducere velit; & veluti inferiores cœli, qui ad motum primi mobilis rapiuntur, ipsi ad motum prælati mouentur; deinde sicut in cœlesti beatitudine summa effulget animorũ vnio, & concordia, adeo vt melius, quam in primitiua Ecclesia cælicolæ omnes sint cor vnum, & anima vna, ita licet in religionem, velut in mysticam arcam Noe, permulti diuersarum nationum, perplures etiã naturali quadam ac congenita antipathia inter se dissidentes supernaturali tamen charitate vniti, mutuo amore sibi consentiunt. vnde hac ratione magnus DIONYSIVS AREOPAGITA putat, religiosũ *monachum* vocari, quia Græco idiomate significat *vnitatem*, quam monachi apprime amplecti tenentur: ac tandem quemadmodum in cœlesti patria diuinarum laudum concentus nec per momẽtũ cessat, DAVIDE dicente: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Et IOANNE asserente: *Quatuor animalia requiẽ non habebant die ac nocte, dicẽtia: Sanctus, Sanctus, Sanctus*, ita in religione, quæ cœlestis illius Ierusalem imago quædã est, diuinæ laudes singulis dieb. statutis horis cum magno iubilo decantantur; sicut enim olim quidam erant in Templo Domini ad diuina cantica recitanda destinati: *Constituit cantatores, & cantatrices*: ad eundem certe modum habet Deus in magno templo Ecclesiæ Catholicæ Monachos cantores, & Moniales cantatrices, ad diuinas laudes concinendas destinatas. Et quidem si rex DAVID, cũ varijs occupationibus tã belli, quã reipublicæ regiminis grauatus & oppressus, septies quotidie diuinis laudib. vacabat: *Septies in die laudẽ dixi tibi.* super quem locum D. AVG. ait: *Septies in die significat, semper solet esse quippe iste numerus vniuersitatis indicium, quia per septem dies currentes, & decurrentes, tempora vniuersa voluuntur*: vnde & idem DAVID hanc continuationem significans inquit; *Semper laus eius in ore meo*; si inquam Dauid tot publicis negotiis distentus à diuinis laudibus non cessabat, quanto magis oportebit religiosos, quos Deus à sæculi curis, a rerum temporaliũ sollicitudinib. liberauit, diuinæ laudis immemores non esse, sed sollicitos, ac fideles in hoc genere vectigalis

Apoc. 21. *Matt. 27.* *Apoc. 14.* *Dion de Eccl. hierar. c. 10.* *Psal. 83.* *Apoc. 4.* *1. Par 15. 16. & 17.* *Psal. 108.* *D. Aug. sup psal. 33.* *Psal. 35.*

de B.V.

& honorifici tributi regi Christo pendendo? Sane regius Propheta DAVID adeo diuinis laudibus affectus erat, vt silentio prætermissis alijs causis, ob quas à Deo postulare potuisset, ne se ob patrata scelera in infernum detruderet, hãc solum assignauit; quia ibi semper adest continua cessatio à diuinis; postquam enim dixerat: *Eripe animam meam, saluum me fac propter misericordiam tuam*, continuo subiunxit: *Quia non est in morte* (scilicet æterna) *qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?*

Psal. 6.

IV. VT tamen diuinæ laudis gratitudo grata & accepta sit Domino, oportet vt conscientia nostra sit pura, vt ait D. PAVLVS: *Leuantes puras manus ad Deum*, vt enim dixit ECCLESIASTICVS; *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Vnde ORIG. eleganter dixit: *Quis putas est ita canoræ vocis, & ita spiritus puræ mentis, qui sincere canat, vt cantilena eius diuinum delectare possit auditum? Ille profecto est, qui nullum raucum habet in se peccati sonum, qui nihil offensionis in lingua, nihil crassitudinis in spiritu gerit, ille potest dicere: Ego Domino canam.* Atque huc facit, quod Israelitæ in captiuitate Babylonis flẽtes clamabãt: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* quasi diceret; defixi in terra hac misera, plenique terrenis affectionibus, & conglutinata in puluere anima nostra, quomodo cantabimus Domino cãticum laudis? ad hoc sane alludens D. CHRYSO. acute dixit: *Si in terra barbara canere Domino fas non erat, quanto minus id fas erit anima barbara? si captiuis hoc non licebat, quanto potius, qui serui sunt peccati, & alienam vitam viuunt, muto, clausoque ore esse debent, & organa, ac vasa cantici suspendere?* Hinc sponsus ad hoc significandum dixit: *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* super quæ verba ORIG. super Cantic. adnotauit, *faciem* sponsæ esse animam diuinæ gratiæ pulchritudine sine macula, & ruga, oculis Dei placentem, cuius propterea vox laudis dulcis ac suauis est eius auribus; vt enim inquit D. BERNARDVS: *Quia non displiceat vox, si displicet facies, necesse est, vt simul conueniant, & pulchritudo faciei, & suauitas vocis.*

1. Tim. 2. *Eccl. 15.* *Orig. ho. 6.* *Iudic. 5.* *Psal. 136.* *D. Chrys. hom. 6. ad ep. ad Ro.* *Cant. 2.* *Orig. hom. 4. in Cant.* *D. Bern. ser. 62 in Cant.*

V. HINC licet ansam sumere ad tertium, & supremum gratitudinis gradum explicandum: hunc dixit D. THOM. præcitato loco consistere in recõpensatione beneficij p opera in obsequiũ benefactoris exhibita: vnde TOB dixit: *Regem sæculorum exaltate in operibus vestris*: humilitas namq; sanctorum, pietas, patientia, castitas, misericordia, ac ceterarum virtutum opera gratificantur Deo, & magnificant Christũ, immo & coronant, vt Dominus ZACHARIÆ dixit: *Ab istis sumes aurũ & argentum, & facies coronas, & pones in capite Iesu sacerdotis magni*: super quem locum sanctus pater HIERONYMVS, nec non doctissimus RVPERTVS docent, quod per singulas virtutes nostras Dominus coronatur. Aurum, & argentum bona opera sanctorum sunt: ex ijs coronas sibi efficit Christus Iesus, quibus glo-

Tob. 13. *Zach. 6.* *Hier. sup. c. 6. Zach.* *Rupert. ib.*

gloriose magnificatur, & honorificatur, & quasi triumphum agens procedit, & regnat. Sic S. IOANNES in APOCALYPSI vidit eum equo albo insidentem, toto cœlesti exercitu comitatum: *& in capite eius*, ait, *diademata multa*. Nostra n. obediētia Christus coronatur, nostra humilitate, nostra patiētia, ceterisque virtutū sanctis operib. coronā illi imponimus ornatā omni lapide pretioso; his vere Deo gratulamur, & excellentius multo, quam voce tenui. vnde AVGVSTINVS inquit: *Cum laudatis Deum, toti laudate, cantet vox, cantet vita, cantent facta, quemadmodum dulcem musicā excitatus strepitus, sic quas ore proferimus laudes, vita perturbat impia. Noli ergo bonæ cantilenæ tuæ obstrepere moribus malis.* sicut n. luscinia dulciter canente molestus est crocitans coruus, ita lingua dulciter Deum laudante molesti sunt istar corui crocitantes atri mores. O quam dulciter nostra luscinia, id est, *Virgo* integerrima, cecinit, nihil in eius musica suauissima obstrepebat, & ore canebat, & vita, immo vita magis, quam ore. Ore enim non semper Deum poterat laudib. extollere, vita semper extollebat. Erat illius vita perpetuum canticum & nouum canticum, quia noua vita erat inaudita, nunquā in orbe hoc conspecta. Hoc habet Dei laus à vitæ profecta integritate, vt obseruauit idem sanctissimus pater AVGVST. in Psal. cessat numquam, numquam silet, cum ea sileat, quæ ex ore emanat: *Non solum* (inquit AVGVSTINVS) *vox tua sonet laudes Dei, sed opera tua concordent cum voce tua. Cum ergo voce cantaueris, silebis aliquando, vita sic canta, vt numquam sileas: lingua tua ad horam laudat, vita tua semper laudet.* & in PSALM. 148. *Tunc*, ait, *desinis laudare Deum, quando à iustitia, & ab eo, quod illi placet, declinas; non cesset quisque bene viuere, & semper laudabit Deum.* Cum ergo sanctissima Virgo sanctissime viuere nunquam cessarit, sane semper Deum perpetuo suauissimæ vitæ cantico laudauit. Nos autem semper vel magna, vel tenuis aliqua peccati raucedo occupat; Virgo sanctissima, semper voce clarissima, semper vita absq; vllius raucedinis, id est, peccati vestigio, Dei laudes celebrauit, quibus Creatori suo omnium creaturarum tam terrestrium, quam cœlestium gratissima exstitit.

Apoc. 10.

Aug. in Psal. 148.

D. Aug. in Psal. 146.

VI SED, proh dolor, nos è contra nostro benefactori Deo, à quo singulis momentis, quæ infinita sunt, totidē beneficijs quotidie cumulamur, ingratissimos nos exhibemus, dū bonis abeo collatis eisdē in eius offensam abutimur, in varia peccata frequenter prolabentes: similes certe in hoc factis illis, de quibus conqueritur Deus per OSEAM: *Argentum multiplicaui ei, & aurum quæ fecerunt Baal*: quemadmodum enim, postquam Deus filios Israel magna auri, & argenti copia locupletauerat, ipsi auro illo, & argento abutentes idolum ex his metallis conflauerunt, quem, tanquam Deum, genuflectentes adorauerunt ita permulti diuitijs, quibus à Deo liberaliter locupletati sunt, perperam vtentes, & in prauos vsus conuertentes, hic ad calumniam, & fraudem, ille ad vincendam iniustam litem; hic ad lasciuiam sectandam, ille ad dignitatem simoniace obtinendam, diuinam maiestatem grauiter offendunt. Explicuit hoc ingeniose ALCIATVS in quodam suorū emblematum, cuius titulus est; *De capra lactante catulum lupi*: describit in eo caprā, cuius vberib. lactabatur catulus lupi, qui postquā iā creuerat, & incrassatus fuerat, capram occidit, & deuorauit. hæc autem emblemati inerat subscriptio: *mea me post vbera pascet.*

Osee c. 2.

Exod. 11.

Alciat. in Emb. de capra lact.

VII. ATTENDITE quæso ô ingrati, fabulosam hanc narrationem, in vobis tamen verissimam historiam, cum ex singulis beneficijs honoris, pulchritudinis, diuitiarum, & similium, quib. diuina largitate ditati estis, arma conficitis ad impugnandum Deum, diuinasq; eius leges dirūpendas; quidam ex vobis ex dignitate, & honore in vos collato intumescendi, & superbiendi, & alios despiciendi licentiam & occasionem sumitis; quidam ex venustate & pulchritudine, & corporis elegantia, quib. Deus vos ornauit, lasciuiendi & libidini vacandi materiā facitis; quidam tandem rerum temporalium vbertatē ad praua vestra desideria explenda in magnam Dei iniuriam conuertitis, imitantes in hoc catulum lupi, qui aduersus capram ad vbera sua illum lactantem acriter insurrexit; vnde non immerito de vobis conqueritur Deus; *Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerūt me.* Ad hoc etiam ipsum videntur mihi veteres quidam Poetæ allusisse depingentes regiam Aquilam transfixam sagittis, cuius pennæ desumptæ fuerant ab ipsa aquila, cui illā apposuerunt subscriptionem: *ab ipsa contra ipsam*; contemplor ego iuxta illud: *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos*, Christum Dominū, sicut Regiam aquilam, super lignum Crucis expansam, clauorum sagittis confossam, quorū ferream materiā ad humanis vsibus inseruiendum ipse creauerat, perfidi Iudæi, & nos omnes peccatores per manus illorum ad manus, pectus, & pedes eius terebrandos transtulimus, & vt vno verbo dicā, summa ingratitudine laborātes, vtimur fruendis, & fruimur vtendis, in magnā creatoris nostri iniuriam, quę summa omnium est peruersio, ac suprema ingratitudo, adeo vt in hoc brutis animātibus deteriores efficiamur, cum pleraque ex illis, quoad possint benefactoribus suis gratiam rependant, vt late supra ostendimus.

Isai. 1.

Deut. 32.

VIII. NON solum humanum, sed & diuinū prouerbium inquit, per os SALOMONIS: *Aquæ furtiuæ dulciores sunt*, illo significās, meo iudicio, eas operatiōes gratiores & dulciores peccatori sibi videri, quas non dicam mutuauit, sed & furatus est brutis animantibus, vindictam à leone, intemperantiā à lupo, fraudem & fallaciam à vulpe; at ingratitudinem à nullo potuit animantium addiscere, cum & ferocissimorū animalium sæuitiā, & crudelitatē beneficia in se collata edomuerint, & gratissima reddiderint IACOB dicente: *Omnium natura bestiarū, & volucrum, & serpentum edomita sunt à natura humana:*

Hom. præced. Prouerb. 9.

Iacob. 3.

mana: reliquum est igitur, vt ingratus non aliũde, quam à Lucifero, omnium ingratorum ingratissimo, ingratitudinẽ mutuauerit. Timete ergo, ô ingrati, ne sicut Luciferũ imitamini, pariter cũ eo puniamini, dũ ad æmulationẽ eius bona cœlitus vobis collata, quæ in Dei gloriam referre debebatis, ad effrenes vestros appetitus explendos trahitis. Notanter dico, *trahitis*, quia creaturas in Dei gloriam ab ipso productas cogitis, & per vim compellitis, vt vestris inseruiant peccatis. hac n. ratione ipse Deus dixit: *Seruire me fecisti in peccatis tuis*. vnde creaturæ tanquã coactæ, & violentiã patientes ingemiscunt, & quasi parturientes præ grauitate doloris conqueũtur, vt expressis verbis docuit Apostolus ad ROM. dicẽs; *Vanitati creatura subiecta est, non volens*: & paulo post: *Scimus n. quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc.*

Alciat. in Emb. de capra lact. — *Isa. 43.* — *Ad Ro. 8.*

IX. CÆTERVM, vt proposito gratitudinis argumento vtcumque satisfaciamus, duplicem difficultatem oportet soluamus Prima est, quia D. THOM. docet, ad rationem gratitudinis pertinere, vt qui beneficium accepit, aliquid maius illo tribuat benefactori, quod subtili quadam ratione conuincit in hæc verba: *Recompensatio gratiæ respicit beneficiũ secundum voluntatem benefacientis, in quo quidẽ præcipue hoc commendabile videtur, quod gratis beneficiũ contulit, ad quod non tenebatur, & ideo, qui beneficiũ accepit, ad hoc obligatur ex debito honestatis, vt similiter aliquid gratis impendat, non a. videtur gratis aliquid impendere, nisi excedat quantitatem accepti beneficij, quia quamdiu recompensat minus, vel æquale, nõ videtur facere gratis. sed reddere quod accepit, & ideo grata recompensatio semper tendit, vt pro suo posse aliquid magis retribuat.* Cum ergo nulla creaturarum, etiam beatissima Virgo, possit aliquid maius Deo reddere pro beneficijs ab eo acceptis, cũ alterum illorum sit beneficium Incarnationis Verbi diuini, alterum beneficium iustificationis, per quod tres diuinæ personæ singulari quadam ratione iusto se communicant, iuxta illud: *Ad eum veni mus, & mansionem apud eum faciemus*, consequens hinc fit, nullam creaturam proprie, & vere Deo gratam esse posse, cum nulla possit aliquid maius, quam ab eo accepit, ei retribuere. sane non latuit hæc difficultas Angelicum Doctorem; respondit tamen sufficere ad rationem veram, & propriam gratitudinis affectum voluntatis, quando adest impossibilitas aliquid maius retribuendi, vnde SENECA dixit: *Si tamen non possit, sufficiet ad gratitudinem recõpensandi voluntas.* hanc igitur qui Deo offert pro beneficijs acceptis, vere & proprie virtutem gratitudinis erga Deum exercet.

D. Thom. 2. 2 q. 106. art. 6. — *Ioan. 14.* — *S. Thom. vbi supra ad 2.* — *Senec. l 3. de benef.*

X. SECVNDA difficultas est, magisne teneatur innocens, quam peccator ad gratias Deo agendas: ex vna enim parte videtur sane magis teneri innocentem; quia quanto quispiam excellentius donum à benefactore accipit, tanto magis ad referendas gratias obligatur; constat autem maius donum esse innocentiam, quam amissæ iustitiæ restitutionem; ex alia autẽ parte legimus, Christum Dominum dixisse apud LVCAM: *Cui minus dimittitur, minus diligit*: igitur eadem ratione plus tenebitur ad gratiarum actionem. hunc nodum non aliter melius soluendum censui; quam si eiusdem Sancti THOMÆ, Theologorum facile Principis, solutionem hic apponerem; ait enim in præcitata quæst art. 2. *Dupliciter potest esse ex parte dantis maior gratia. Vno modo, ex quantitate dati: & hoc modo innocens tenetur ad maiores gratiarum actiones, quia maius donum ei datur à Deo, & magis continuatum ceteris paribus, absolute loquendo. Alio modo potest dici maior gratia, quia magis datur gratis: & secundum hoc magis tenetur ad gratiarum actiones pœnitens: quam innocens, quia magis gratis datur illud, quod ei datur à Deo*; Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Luc. 7. — *D. Th. vbi sup. art. 2. in corpo re.*

HOMILIA XIII.

Multiplici expositione elucidantur verba illa: exultauit spiritus meus in Deo salutari meo: insuper de magnitudine huius exultationis disserere incipimus.

I. MAGNVS Pater S. AMBROSIVS sympathiam, & similitudinem non modicam inueniens inter veterem illam *Mariam* sororem Moysis, & nouam *Mariam* Christi matrem, dixit: *Multas fœminas scriptura diuina in lucem euexit, palmam tamen publicæ salutis solis Virginibus dedit. In veteri testamento terra, ac mari clausum Hebræorum populum Virgo per maria duxit, in Euangelio auctorem mundi, & redemptorem Virgo generauit.* sed non solum in hoc similes fuere, sed & in prophetiæ dono, quia sicut illa fuit prophetissa, etiam & Deipara Maria, iuxta illud ISAIÆ in persona Dei dicentis: *Accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium*; quod si Maria illa soror erat Moysis legislatoris, & Aaronis summi sacerdotis; hæc pariter soror, & mater est Christi supremi legislatoris ac summi sacerdotis. vnde ipse vtramque hanc cognationem sororis, & matris, illam secundum spiritum, hanc secundum carnem recognoscens, in CANTICIS vocat illam: *Soror mea, & sponsa*: in PSAL. vero fatetur se eius esse filiũ: *Ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ*: ac tandem sicut illa post liberationem populi Israelitici à Pharaonis durissima seruitute, & illius, ac reliquorũ Ægyptiorum in mari rubro submersionem cum summo iubilo, & exultatione magnificabat Dominum percelebri illo Cantico: *Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est*,

D. Ambr. in exhor. tat. ad Virgin. — *Isa. 8.* — *Cant. 4.* — *Psal. 115.*

Exod.15.

equum & ascensorem deiecit in mare : non secus B. Virgo aduentu Christi inceptam iam humani generis redemptionē celebrans, velut diuina tympanistria ob tantum beneficium gratias Deo agens, intonuit celeberrimum hoc canticum. *Magnificat anima mea Dominum*, cum autē continuo subiunxerit : *Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*, perquirunt Interpretes, quodnam sit discrimen istud inter *animam & spiritum*.

Luc.1.

D.Tho.super epist. ad Hebr. c.4.

D. Aug. l. 12. de Gen. ad literam c.7.

1 ad 5. Tim.

Greg. Niss. apud Theophil super 1. Thes. c.5

II. SANCTVS THOMAS ait: *Spiritus in nobis dicitur illud, per quod communicamus cum substātiis spiritualibus, anima vero illud, per quod communicamus cum brutis, & sic spiritus est mens humana, intellectus scilicet, & voluntas* didicit hoc Diuus THOMAS à Diuo AVGVSTINO super Genesin dicente : *Dicitur spiritus ipsa mens rationalis , vbi est quiddam tanquam oculus animæ, ad quem pertinet imago, & agnitio Dei.* Vterq; tamen discrimen hoc mutuauit à verbis illis D. PAVLI: *Vt integer spiritus vester, & anima, & corpus conseruetur.* GREGORIVS n. NISSEN. sic illa interpretatur: *Spiritum Apostolus rationalem partem indicauit , animam vero dicens indicauit partem sensitiuam:* itaque anima sumitur pro inferiori portione hominis, quæ illi cum cæteris animantibus communis est, quia vegetabilis, & sensibilis est, sicut illa; spiritus vero pro superiori portione, per quam homines Angelis similantur. Ab hac expositione non abhorret illa alia Cardin. HVGONIS dicentis: *Anima, & spiritus idem sunt, sed anima dicitur, in quantum animat, & viuificat corpus, vnde hic bene viuendo magnificat Deum, qui fecit eam, spiritus autem dicitur, in quantum cœlestia contemplatur, cuius proprie est exultare in Deo.*

Hug Card. super Magnific.

III. ALII (vt idem discrimen magis explicent) dicunt *animam* sumi pro vita ipsa vegetabili, & sensibili, *spiritum* vero accipi pro acumine rationis, pro apice mentis, pro intelligentiæ scintilla, seu synderesi; at CORNEL. IANSENIVS licet probet huiusmodi discrimen, putat Marianis verbis aptari minime posse, cuius satis apparentem reddit rationem in hæc verba: *Hæc tamen differentia hic locum habere non videtur : Neque enim conueniens aliqua ratio assignari potest, quare animam dicat magnificare, spiritum vero exultare , cum æque apte dicere potuisset spiritum suum magnificare, animam vero exultare: nam Psalmista: Anima (inquit) mea exultabit in Domino & delectabitur super salutari suo. Proinde quod prius dixit, animam postea dicit, spiritum, Hebræorum more dixit, quibus solemne est idem (in canticis maxime) sub alijs repetere verbis* Hoc idem prius illo docuit HVGO VICTORINVS in hæc verba; *Idem fortasse alio verbo repetitū est, nam anima & spiritus in homine idem est, quamuis aliud anima, & aliud spiritus notet.* Ego vero salua pace tantorum Doctorum, existimo per *spiritum* hoc loco Deiparam intellexisse solam voluntatem suam, quia inter tres potentias spirituales animæ ad solā ipsam pertineat *exultare*, & gaudere; vnde quia anima per omnes suas potentias, dum ad Dei gloriam, quæcumque agunt, operantur, iuxta illud PAVLI: *Siue manducatis, siue bibitis, omnia in gloriam Dei facite* : vere Deum magnificat, vt annotauit D. CHRYSOST. ideo B. Virgo scite dixit: *Magnificat anima mea Dominū*, quia tamen *exultare* non ad omnes animæ potentias, sed ad solam voluntatem spectat , sapienter subiunxit: *Et exultauit spiritus meus* (i. voluntas mea) *in Deo salutari meo*: & forte hunc sensum, & intelligentiam contendunt qui in cōmentario huius loci docent per *spiritum* intelligi hoc loco partē illam, per quā homo est imago Dei; est autem sentētia D. DAMASCENI hanc esse liberam voluntatem, qua præditi sumus, quippe sicut Deus liberum habet arbitrium , & dominus est suarum actionum, ita homo perfecto adeo super suas operationes dominio præstat , vt nihil sit , quod eius voluntatem cogendo inflectere valeat.

Corn. Iās. in concor. Euang super Magnificat.

Ps.34.

Hugo Vict. sup. Magnificat.

1. Cor. 1

D. Chrys ho. 14. op imperf.

D. Dam. l.2.c.22.

IV ADDIT deinde B. Virgo: *Spiritus meus:* certe spiritus Virginis spiritus erat Christi, iuxta illud D. PAVLI: *Viuo ego, iam non ego , viuit vero in me Christus*: quomodo ergo beata Virgo dicit: *Spiritus meus*? immo propter hanc eandem rationem potuit beata Virgo dicere: *spiritus meus*; quia omnia bona erant filio & matri cōmunia, vnde hoc ipso, quod spiritus matris erat spirit9 Christi, poterat ipsa vocare illū spiritum suū. Dixit etiam: *spiritus meus* :ad differentiam eorum , qui cum propter peccata sua diaboli seruituti se subiugarunt, aut carnis illecebris, aut huius mūdi diuitijs, & vanis honorib. se tradiderunt. spiritus quidē illorū non tam ipsorū, quam diaboli, carnis; & mundi est, iuxta illud: *Qui facit peccatum, seruus est peccati:* cum igitur B. Virgo nullius alterius, quam Christi seruituti subiaceret, *cui seruire regnare est*, iure optimo dixit: *spiritus me9*. Adhæc legimus lib. 2 REGVM, quod Dauid volens altare Domino ædificare, & in eo offerre ei holocausta, noluit ex gratuito oblatis ab Areuna id p̄stare, sed pretio ab illo, quicquid opus erat , emit, vt sic nō aliena, sed quæ sua propria erant, Deo offerret: sic Deipara volens Deo referre gratias, vt significaret se non aliena , sed propria , in gratiarum actionem Deo offerre , notanter dixit : *Exultauit spiritus meus.*

Gal. 2. 2

Ioan. 1.

2. Reg. 24

V. PORRO iam de magnitudine exultationis ac de varijs causis illius, quam Deiparæ Mariæ voluntas persensit, ex professo differere incipiamus. hāc exultationē Virginis altius perpēdens doctiss. RVPERT. exclamauit dicens: *O beata Maria, inundatio gaudij, vis amoris, torrens voluptatis totam te operuit, totāq; obtinuit : & sensisti, quod oculus non vidit, nec auris audiuit nec in cor hominis ascendit.* Equidem si Propheta ZACHA. sub metaphora *filia Sion, & filia Ierusalem* dilectam Dei plebem ad lętitiam magnā inuitat his verbis : *Exulta satis filia Sion , iubila filia Ierusalem, eccce Rex tuus venit tibi iustus, & saluator.* Et si pater Abraham ex sola Prophetica cognitione Verbi incarnati ea singulari alacritate fuit perfusus de qua Christus Dominus : *Abraham*

Rupert. in 1.c. Cant.

Zach. 9.

pater

Ioan. 8. *pater vester exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauisus est:* ac tandem vt pene innumeros antiquos Patres reticeam, quos sola venturi Christi cogitatio singulari gaudio demulcebat. Prophetam Habacuc tantum referam, qui sola redemptoris, quē desiderabat, memoria internā lætitiam intus cōtinere non valens, in externa illa exultationis verba *Habac. 3.* prorupit: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo:* quanto, quæso, maiori lætitia credendū est Virginem exultasse, quæ non tropos, & figuras; nō imagines, & vmbras Incarnati Verbi diuini, sed ipsum Verbum diuinū humana carne indutū in vtero suo ex proprio sanguine conceperat?

VI. PRÆDIXERAT hanc Virginis exultationem *Isai. 41.* ISAIAS: *Exultabis in Domino, & in sancto Israel lataberis:* sed plenius idem Propheta idipsum vaticinans dixit: *Isai. 35.* *Latabitur deserta, & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. Germinans germinabit, exultabit latabunda, & laudans, gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron:* deserta quidem, & *Ezech. 44.* inuia fuit B. Virgo, cum de ea prædictum esset: *& vir non transibit per eam:* partus eius instar floris fuit; quia sicut hic absque hominis cultura in deserto nascitur, ex sola fœcunditate terræ, & cœlesti *Cant. 2.* solis virtute, ita Christus qui de se ipso ait: *Ego sum flos campi*, ex terra fœcunda Mariæ, & cœlesti virtute Spiritus sancti in eā superueniente cōceptus, & natus fuit: *gloria Libani*, qui *cădor*, interpretatur, *data est ei*, ad significandum virginitatis candorem, quo B. Virgo mirifice effulsit. *decor* ēt *Carmeli* non ei denegatus, qui erat maxima fructuū vbertas, cū vere terra virginea, ac semper benedicta Mariani vteri fructum super omnia benedictum, quo fideles in via nutriuntur, & in patria beati vescun- *Lib. 6. in Cant.* tur, intacta manēs produxerit. Refert BEDA, quod Elias in monte Carmelo, vt colligitur ex 3. REG. *3. Reg. 38.* flexis genibus orauit Dominum, & post longam siccitatem pluuiam ab eo impetrauit ad irrigandā sterilem terram; mihi sane videtur nunquam mōtem Carmelum maiorem decorem habuisse, quam cum præsentia Eliæ ad Dominum sic orantis ornabatur; nō dissimiliter ex nullo capite maior vmquam decor infuit Mariæ, quam cum in ventre eius affuit æterni Patris filius humana carne indutus, orans, ac deprecans, vt sterilem terram generis humani, peccatorum spinas, & tribulos germinantem, inundantis diuinæ suæ gratiæ pluuia irrigare dignaretur. Apte sane tūc dici posset Virgini: *Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in me- Isai. 12. dio tui sanctus Israel:* hanc ergo præsentiam diuinitatis corporaliter in ea inhabitantis præsentiens Maria exultabat lætabunda, ac præ exuberantis gaudii copia in exultationis canticū prorupit dicens: *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Po- *Iob. 32.* terat B. Virgo tunc potiori iure, quam IOB verba illius sibi vsurpare: *En venter meus quasi mustum, absq; spiraculo, quod lagunculas nouas disrūpit, loquar, & respirabo paululum; aperiā labia mea, & respondebo:* Respōdebo (inquā) B. Elisabethæ me laudāti, quia lætitia, & exultatione cor meum plenum adeo feruet, vt silentii lagunculas disrumpens, non possit se continere, quin externa voce in diuinas laudes prosiliat. Ad hoc arbitror alludere verbum illud: *exultauit*, quod consulto mihi videtur vsurpasse Virgo, tum quia cum lætitia importet interiorem animi alacritatem, exultatio vero (quæ *extra saltatio* apud Latinos interpretatur) gaudium denotet, externo aliquo indicio corporis manifestatum, vt obseruauit ALBERT. MAGN. in comentario huius *Alb. Mag. sup. Magn.* loci; ideo Deipara, vt significaret lætitiam eius talis conditionis esse; vt melius quam DAVID dicere *Ps. 83.* potuisset: *Cor meū, & caro mea exultauerunt in Deum viuum:* idcirco non vsurpauit verbum lætandi, sed exultandi; tum etiam vt significaret lætitiam eius non se continuisse intra latibulum voluntatis, sed se vltra effudisse in appetitum sensitiuum, qui etiam sub nomine spiritus apte intelligitur, iuxta communem naturalium Philosophorum, ac Medicorum sententiam, quibus trita, & familiaris est diuisio spiritus in vitalem, sensibilem, & motiuum; vitalis residet in corde, velut in vitæ fonte, sensibilis in cerebro, habetque se instar vehiculi virtutē animæ sensibus deferentis ad exercitium suarum operationum; motiuus tandem sedem habet in hepate, vnde omnia membra virtutem ad se localiter *Luc. 1.* mouendum mutuant. dicens ergo B. Virgo: *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*; perinde fuit, ac si dixisset: *exultauit* spiritus meus vitalis in Deo, *exultauit* spiritus meus sensibilis in Deo salutari, *exultauit* spiritus meus motiuus in Deo salutari meo: vel aliter: *Exultauit* spiritus meus vitalis in Deo patre, qui instar cordis est fons vitæ, à quo emanant reliquæ diuinæ personæ: *Exultauit* spiritus meus sensibilis in Filio, quia sicut cerebrū est, in quo specialiter residet intellectus, ratio, & sapi- *Coloss. 2.* entia, ita Filius est, *in quo sunt omnes thesauri sapientia, & scientia Dei* *Exultauit* tandem spiritus meus motiuus in Spiritu sancto, quia Spiritus sanctus instar hepatis huius mystici corporis vim motiuā *Ezech. 1.* ad progressum spiritualem impertitur, iuxta illud EZECHIELIS: *Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* Cum igitur B. Virgo propter copiosæ gratiæ plenitudinem, qua anima eius exuberabat, nō tam sibi, quam Deo viueret, non tam sibi, quā Deo sentiret, non tam sibi, quam Deo moueretur, & vigilans, ac dormiens tota esset in Deo homine absorpta, veracissime canere poterat, exultauit spiritus meus, vitalis, sensitiuus, & motiuus, in Deo salutari meo.

VII. VT tamen magnitudo huius exultationis magis nobis innotescat, obseruandum est, quod solet gaudium & exultatio multis ex causis prouenire, tum ab re diu multumq; desiderata, & præter spem obtenta: tum ex inuentione thesauri, cuius præ gaudio vadit inuentor, & vendit vniuersa, quę habet, vt emat agrum, in quo latet: tum de filio nato in mundum gaudium concipitur, iuxta illud: *Ioan. 16.* *Cum peperit filium, iam non meminit pressura propter*

gaudium : tum de victoria parta in bello, iuxta il-
Isa.9. lud: *Sicut exultant victores capta præda, quando diui-*
dunt spolia: tum de præsentia sponsi, & dignitate
Isa.62. per matrimonium habita: *Gaudebit sponsus super*
sponsa. Tale fuit gaudium, & exultatio Virginis; nã
in primis Incarnationem, quam iusti, & sancti, &
reges ac prophetæ desiderarunt, & propter quam
Matth.13. Abraham exultauit, vt videret diẽ eius, Maria pri-
ma excellenti sua fide, & humilitate obtinuit, cum
tamen nihil minus fortasse, quam de se cogitaret.
Luc.1. Deinde quia ipsa prima inuenit eum: *in quo sunt o-*
Coloss.3. *mnes thesauri sapientiæ, & scientiæ reconditi*, nec pro
se tantum, sed pro omnibus inuenit hominibus;
Luca 1. nam illi dictum ab Angelo est, *inuenisti gratiam a-*
pud Deum, quam gratiam illa libenter in omnes
effundit, vt mater pientissima; neque ob aliam
causam Christum in manibus gestare depingitur,
quam vt ipsam nobis ad donandum filium suum
perfacilem esse, & promptam intelligamus. Ter-
tio, si magna aliqua de ortu filii, quem qualis futu-
rus sit ignoramus, lætitia concipitur, quæ fuit
quæso virginalis lætitia, & exultatio, quæ Dei filiũ
in se incarnandum nouit, nec nisi expresso suo cõ-
sensu, & voluntate, & de se sola sine opera viri? pro-
fecto latissimus gaudiorum campus Virgini pa
Gen.3. tuit, in quo mirifice exultare, & recreari potuit.
Quarto, lætata est de gloriosa contra serpentem
antiquum per humiliationem filii Dei parta victo-
1.Cor.10. ria; siquidem Maria filio Dei arma expugnandi
dæmonem, nempe carnem, & sanguinem contu-
lit. Deinde & ipsa caput illius contriuit, hoc est,
peccatum originale, quod cæterorum criminum
caput, & origo est, vel omnino quamlibet sugge-
stionem maligni spiritus, quam ipsa Virgo corpo-
re, & spiritu sancta aduersus cacodæmonem car-
nalia vel superba suggerentẽ facile superauit. De-
niq; gauisa est B. Virgo de præsentia filii Dei, qua,
salua virginitate sua, eius mater est benedicta, spõ-
saque dilectissima, concipiens in spiritu omnes e
lectos, eorum salutem iuuãdo illamq; precibus as-
siduis à filio impetrando. Cum autem assero Dei-
param gauisam fuisse de præsentia filii sui, non so-
lum loquor de præsentia eius corporali, ratione
humanitatis, sed & diuinitatis, quam tempore In
carnationis præsentissimã sibi habuit, melius quã
Moyses, & Paulus in ratione obiecti beatifici; vn
D.Cypr. de D. CYPRIAN. non dubitauit dicere: *Datam fuisse*
ser. de Chri *Virgini abundãtiorem gloriam, qua Christi præsentia*
sti natiuit. *intus, & foris frueretur:* & D. AVGVST. expressius id
D.Aug. ipsum concedens B. Virgini, inquit: *Vidisti maiesta-*
exposit. su- *tẽ, gustasti suauitatem, ideo quod intus hauseras, foras*
per Magni- *propinasti, & in iustitia eius exultasti*; & paulo in-
ficat. ferius: *Reuerendam vniuersi æterni numinis maiesta-*
tem interna visione contueri se manifeste declarauit:
D. Anton. hoc idem docuerunt etiam D. ANTON. ALBERT.
4.p.summ. & CANCELLARIVS PARISIENSIS. Atque hinc est,
Theol. tit. quod B. Virgo, vt significaret eximiam illam, atq;
15.c 17. indicibilem exultationem, quam tempore incar-
Alb.Mag. nationis Verbi diuini percepit, nõ dixit de præsen-

ti, *exultat spiritus meus*, sicut dixerat: *Magnificat a-* *super mis-*
nima mea, sed de præterito subiunxit: *exultauit spi-* *sus c.96.*
ritus meus, quo (ni fallor) quasi digito indicare vo- *Cancellar.*
luit lætitiam illam, qua Christum concipiens ani- *Gers. Alph.*
ma eius fuerat perfusa. quod si regius Vates refert, *88 tit.9.*
ob redemptam Sionem lætatos, & exhilaratos val-
de Israelitas, cecinisse canticum illud: *In conuertẽ-* *Ps.125.*
do Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut conso-
lati, tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua no-
stra exultatione, tunc dicent inter gentes, magnificauit
Dominus facere cum eis; magnificauit Dominus facere
nobiscum, facti sumus lætantes: Si igitur populus
Israel videns redemptionẽ Sionis adeo exultauit,
quidni B. Virgo clare videns non solum humani
generis redemptionem, sed & illius auctorem
Deum & hominem exultaret? Exultat sane Dei-
para, cum Dominus captiuitatem mundi conuer-
tere iam inciperet, facta est Virgo sicut consolata,
incredibili animi consolatione recreata; tunc re-
pletum est gaudio os eius, & lingua eius exulta-
tione, tunc dictum est inter gentes, magnificauit
Dominus facere cum illa; facta est lætans, & exul-
tauit spiritus eius in Deo salutari suo.

VIII. ILLVD autem in quæstionem vertunt In-
terpretes hoc loco, an beata Virgo prius magni-
ficauerit Dominum, deinde exultauerit in illo; an
vero è contra prius exultauerit, deinde magnifica-
uerit? D. BONAV. hoc secundum verius existimat *D. Bonau.*
dicens: *Quia enim spiritus interius exultauerat, ideo* *super Luc.*
anima in voce magnificabat, & ideo exultationem de
præterito, & magnificationem de præsenti ponit, quia
exultatio est natura prior: vult ergo Seraphicus
Doct. q B. Virgo cœlestium gaudiorum, ac æternæ
dulcedinis miram atque indicibilem suauitatem
ex Christi conceptione præsentiens, in Deo salu-
tari suo in primis exultauerit & deinde Dominum
suum voce laudans magnificauerit, quasi internæ
lætitiæ, tanquam causę, externa indicia ac certa ar-
gumenta veluti effectus præbens: confirmantque
hanc interpretationem verba D. BASILII, dum ex- *D. Basil. in*
plicans verba illa: *Exultauit Spiritus meus*, inquit, *comment.*
Primus fructus spiritus est pax, & gaudium, prius ex- *huius loci.*
ultauit, deinde magnificauit: cum magnificatio nõ
sit primus fructus spiritus. cæterum alii non minus
probabilem putant oppositam CORNELII IANSE- *Cornel. Iã-*
NII in sua concordia expositionem, vbi ait; *Bene* *sen. super*
autem prius dixit, Magnificat, deinde, exultauit, cum *Luc.*
enim magnificare pertineat ad intellectiuam vim, ex-
ultare vero ad voluntatem, & affectum, *istud ex illo*
nascitur.

IX. SED iam tempus est, vt sequentia verba: *in sa-*
lutari meo, exponere aggrediamur: similia his ver-
bis sunt illa DAVIDIS: *Anima mea exultabit in Do-* *Ps.34.*
mino, & delectabitur super salutari eius: nec non illa
alia HABACVC in suo cantico: *Ego vero gaudebo in* *Habac.3.*
Domino, & exultabo in Deo Iesu meo: persimilia et-
iam illa Annæ Samuelis matris: *Exultauit cor me-*
um in Domino, lætata sum in salutari tuo. Nomine
tamen *salutaris* intelligit sine dubio B. Virgo non
Deum

Reg. 2. Deum præcise, sed iam hominem factum, vt sic enim est salus, redemptio, & reconciliatio nostra: vnde exultatio illa, *in salutari suo*, lætitia sane erat spiritualis, & sensibilis, qua Deipara gestiebat in August. prolem suã, quã vtero gestabat. Hinc eleganter D. ...2 de Avg. *Promittitur Virgini filius per visitationẽ sancti* ...nunc. *Spiritus, hæc illa audiens gaudet, cupitq; effici mater:* & rursus: *Exultat Maria, & matrem se læta miratur, & de Spiritu sancto se protulisse gaudet; nec quia peperit innupta, terretur, sed quia genuerit, cum exultatione* ...ngel. *miratur.* Angelvs Coelestinvs aliam viam in- ...elest. su- gressus, per illa verba: *in Deo salutari meo*, omnes ...r Missus, diuinas personas intelligi autumat: *in Deo*, inquit, ...cur. 34. ecce Patrem. *salutari*, ecce Filium, *meo*, ecce Spiri- ...fin. tum sanctum, quia speciali ratione se Virgini donauerat in sponsum. addit etiam, quod cum Deus simul sit creator, saluator, & glorificator, ad hæc tria munera respiciens B. Virgo dixit: *in Deo salutari meo*] *in Deo* propter respectum creationis, iuxta ...n. 1. illud: *In principio creauit Deus cœlum, & terram*] *salutari*, propter respectũ redemptionis, iuxta illud: ...ucæ 1. *Benedictus Dominus Deus Israel quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ*] *meo* tandem propter respectum glorificationis, quia dum filius Dei factus erat filius Virginis, certissimum futuræ gloriæ pignus acceperat. Non inficiamur hæc mystica; sed prima expositio literalis est; immo crediderim cõsulto non dixisse, *exultauit spiritus meus in Deo creatore meo*, sed *salutari meo*, quia non tam de creatione, quam de salute, & iustificatione nostra nos exultare debere docet, nihil enim nobis creari vtile fuisset, nisi per Christum recreari & reparari profuisset; vnde obseruatione digna est mirabilis hæc antithesis, nimirum quod Deus in creatio- ...rou. 8. ne mundi gaudet, & delectatur, *quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies, ludens coram eo*, in repa- ...ebr. 5. ratione vero lacrymatur, iuxta illud Pavli: *cum clamore valido, & lacrymis efferens, exauditus est pro reuerentia sua*, è contra vero homo cum nascitur, ...ap. 7. gemit, & plorat: *primam vocem emisi plorans*: cum vero iustificatur, licet alioquin dolores vt parturientis antea sustineat, vehementer tamen postea ...oan. 16. lætatur, iuxta illud: *Cum autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Voluntas quidem peccatoris, cum ad Deum conuertitur, Spiritus sancti virtute fœcundata parit spiritum salutis, hoc est, actum conuersionis, & de huiusmodi partu gaudet, quia natus est homo in mundum, tunc enim, cum iustificatur, incipit esse homo, quia vere ante iustifica- Psal. 48. tionem ob deformitatem peccati, *comparatus est iumentis, & similis factus est illis*: dolore igitur, & anxietate illa, quam in Cruce sustinuit, lucratus est Christus peccatori lætitiam, & gaudium, quo in iustificatione sua perfunditur. Ex quo etiã constat obligatores nos esse Deo tã propter beneficium redemptionis, quam creationis, tũ quia creauit nos gaudens, redemit dolens, tum quia dolore suo iustificationis nostræ gaudium acquisiuit, & comparauit, tum quia in creatione esse naturale accepimus, in redemptione vero, cuius virtute iustificamur, esse supernaturale & diuinũ participamus, *diuinæ consortes facti naturæ*, vt verbis D. Petri lo- 2. Pet. 1. quar.

X. Sed pergo iam aperire singularia arcana, quæ latent in verbo illo, *meo*. recte quidem ait, *meo*: Primo, quoniam totum corpus Christi, quo mediãte Deus factus est salutare nostrum, ex solius Virginis purissimis sanguinibus formatum fuerat, nullã in eo fœminæ vir partem habens, vtpote, quę sola Spiritus sancti obumbratione concepisset. Secundo propterea appellat Deipara Christum Dominum *Saluatorem salutare suum*, vt vniuersale communis salutis beneficium peculiare & proprium sibi faceret ob magnitudinem suæ charitatis & gratitudinis erga Deum; hanc imitatus D. Pavlvs ad Galat. Galat. 2. loquens de Christo dixit: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*; super quæ verba D. Chrys. D. Chrys. exclamat: *Quid facis Paule, dum communia propria* sup. epist. *tibi vendicas? quæque pro toto terrarũ orbe facta sunt,* ad Gala. 2. *tibi facis peculiaria? cum consideraret Apostolus infirmitatem humanæ naturæ, & ineffabilem Dei sollicitudinẽ, tum quibus ipsum malis liberasset, quæ bona largitus esset inflammatus illius desiderio, hunc in modum loquitur, quandoquidem & prophetæ non raro Deum communem sibi proprium faciunt, hoc modo loquentes:* Psal. 62. *Deus Deus meus ad te de luce vigilo. Præterea vero declarat Paulus, hoc quoque par esse, vt quisque nostrum non minus agat gratias Christo; quã si ob ipsum solum aduenisset. Neq; enim recusaturus erat vel ob vnum tantum exhibere dispensationem.* hactenus D. Chrys. Tertio addidit Deipara consulto particulam illã, *meo*, coniunctam *cum salutari*, seu *Iesu*, qui *Saluator* interpretatur, vt significaret se specialẽ aliquã, ac singularem salutis rationem præ omnibus aliis à Christo obtinuisse, vt cum alios à peccati originalis morbo sanaret, Virginem ab incurrenda huiusmodi infirmitate præseruasset, ac ꝓpterea inter redemptos à Christo ipsa principem locũ teneret.

XI. Qvia tamen de huiusmodi præseruatione permulta dixi libro primo de arcanis prædestinationis, atque immaculatæ conceptionis Deiparæ Mariæ, nunc solum celebrem quandam Papiniani legem ei aptabo: ille quidem *in l. sunt, ff. de relig. & sumptibus funerum*, loquens de inferendo cadauere in alieno fundo docet opus esse non semel iustitiæ rationem religionis rationi postponi; verba eius sunt hæc: *Rationem insuper habemus*, (id est, contemnimus) *quæ nonnunquam in ambiguis religionis quæstionibus omitti solet, nam summa ea est ratio, quæ pro religione facit*: licet igitur iuxta legẽ iustitię diuinæ omnes per naturalem propagationem ex primo præuaricatore Adam oriundi peccatum originale incurrere debeant, merito tamen B. Virgo excipitur ab ea communi lege; quia ex eo, quod futura erat mater Dei, ratio religionis, quæ quandoque iustitiæ rationi anteponẽda est, postulabat,

ne

Papinian. vbi supra.

ne peccatum originale contraheret: *Nam summa ea est ratio, quæ pro religione facit*: si ergo summa est ratio religionis, maior ea non est ratio illa communis diuinæ iustitiæ, vt incurrerent omnes peccatum originale: vt significaret igitur B. Virgo, hac speciali ratione præseruando illam à peccato originali, Christum Dominum fuisse *Saluatorem & salutare suum*, idcirco notanter dixit: *In Deo salutari meo*, licet alioquin non ipsius solius, sed & omnium communis esset Saluator: Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA XIV.

In eadem verba: Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo: *Exultationem Virginis prosequimur, cuius exemplo docemur in Creatore, non in creaturis exultare, & delectari debere, maxime cum creata bona, caduca, breuia, fallacia, & futilia sint.*

D Aug. sup. Ps. 83.

I. IVVS AVGVST. versans illa DAVIDIS verba: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum:* ait: *Vnde exultatio, nisi de spe? in quo exultauerunt? In Deum viuũ. Quid ibi exultauerunt? Cor meum, & caro mea. vnde exultauerunt? Nam & passer, inquit, inuenit sibi domum, & turtur nidum sibi, vbi ponat pullos suos. Quid est hoc? Duo dixerat, & duo reddidit in similitudinem auium. Dixerat exultasse cor suum, & carnem suam, & his duobus reddidit passerẽ, & turturem, cor tanquam passer, caro tanquam turtur: Inuenit sibi domum passer, inuenit sibi domum cor meum.* recte ponderat D. Augustinus hanc exultationem, referens illam ad duo illa animalia passerem & turturem, ita vt cor tanquam passer inueniat sibi domum, vbi quiescat, & caro, tanquam turtur inueniat sibi nidum, vbi ponat pullos suos. Sic spiritus Virginis quieuit in Verbo diuino, tanquam in proprio eius centro, & eius caro in eodem exultauit carnem iam induto, collocando in illo omnes pullos affectionum, & operationum suarũ. Merito ob hanc rationem sponsus vocauit Virginem columbam: *Veni columba mea, amica mea*: fuit enim persimilis columbæ emissæ à Noe tempore diluuii, cuius pes non extra arcam, sed in arca solũ requieuit, vnde neq; minimam diluuii aquæ guttam pedibus suis tetigit: quo non obscure significatur affectus Deiparæ, per pedes significatus, non in creaturis, sed in solo Deo requieuisse, & exultasse; vnde sicut illa Noe columba in lætitiæ argumentum, quod ira Dei cessasset, ramum virentis oliuæ in ore detulit, sic B. Virgo in signum lætitiæ ob placatum diuinum furorem, propter filii sui in

Cant. 2.

carne aduentum, cecinit mellifluum illud canticum: *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* *Luca 1.*

II. SILEO Mariæ mirificam exultationem, quando agnouit ab originali macula ob merita filii sui fuisse se diuinitus præseruatam: sileo lætitiam, quã percepit, quando in templo fuit à parentibus ipsa præsentata, & diuino cultui mancipata: sileo alacritatem, qua angelica salutatio illam affecit, certiorem eam faciens prædestinatam, & electam fuisse in Dei matrem: taceo iucunditatem, qua Elisabetham visitauit, & Ioannem tanquam diuinæ virtutis instrumentum voce sua sanctificauit: taceo mirabilem lætitiam, quam suscepit, cum agnouit diuinam reuelationem de Verbi diuini conceptione in eius vtero Iosepho sponso suo factam; quantum enim illum amabat, tantum de eius mœrore dolebat, vnde de eius cõsolatione non potuit non ipsa vehementer gaudere: taceo eximium illud gaudium, quo Spiritus sanctus animam eius recreauit tres reges magos impellens, vt ante præsepe Christi Domini in genua procumbentes illum tanquam Deum, hominem, & regem adorarent: taceo hilaritatem illam, qua filium suum, diuino præcepto obsecundans, in templo obtulit Deo, quinque siclis illum redimens, à quo quinque vulneribus mundus totus redimendus erat: taceo quantum Deipara lætata fuerit, cum puerum Iesum, qui per triduum latuerat, inter doctores magno applausu disputantem inuenit: taceo singularem illam, quam habuit exultationem, cum ad eius preces primum omnium miraculorum patrauit Dominus, aquam in vinum conuertens in nuptiis in Cana Galilææ: taceo lætitiam, quam percepit, cum agnouit Christum Dominum in monte Tabor gloriose transfiguratum fuisse inter celeberrimos illos antiquos Patres, ac Prophetas Moysem, & Eliam: taceo iucunditatẽ, qua singulariter anima eius recreata fuit, sciens in Christi baptismo spiritum sanctum in specie colũbæ super caput eius consedisse, & Patris vocem de cœlo delapsam: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, omnibus innotuisse: silẽtio prætereo inenarrabilem eius lætitiam, cum Christum prædicantem cœcos illuminantem, mortuos suscitantem, ac similia alia portenta operantem videbat: taceo lætitiam, quam triumphans Christi resurrectio, & ouantis illius in cœlum empyreum ascensio, ac inde fructuosissima Spiritus sancti in die Pentecostes missio, Mariæ exhibuerunt: in his enim omnibus satis vtique constat Virginem exultasse in Deo salutari suo.

Ioan. 2.

Ioan. 1.

III. SOLVM ergo breui sermonis eloquio animus est varias in memoriam reuocare causas, quæ Marianum cor in Verbi Dei Incarnatione vehementer exhilararunt. De quo argumento pertractans insignis ille HVGO de SANCTO VICTORE ait: *Adueniente Spiritu sancto in Virginem, & omnium gratia virtutum sacrosanctum habitaculum in aduentu filij replente, dubium non est, quin cœlestium gaudiorum,*

Hugo de S. Victore alleg. in Luc. l. 4.

& ater-

& æternæ dulcedinis miram atque inenarrabilem ſuauitatem Virgo ipſa conceperit, quando illud æternum lumen cum toto maieſtatis ſuæ fulgore in eam deſcendit, & quod non capit mundus, totum ſe intra viſcera Virginis collocauit. Alta quidem mente perpendebat Deipara Virgo illapſum Spiritus ſancti in illam ſuperuenientis, qualiter nunquam in creaturam aliquam deſcendit, neq; poſtea deſcenſurus ſit; perpendebat partem ſanguinis ſui Verbo diuino hypoſtatice fuiſſe vnitam; perpendebat ſe matrem illius eſſe in terris, cuius pater Deus eſt in cœlis; perpẽdebat eundem genuiſſe in ventre ſuo, quẽ Deus genuit in vtero ſuo, iuxta illud PSAL. *ex vtero ante luciferum genui te*; perpendebat plenitudinem gratiæ omnium Sanctorum tam hominum, quam Angelorum gratias in vnum redactas longe ſuperantem, quã diuina largitas ei donauerat; perpẽdebat ſe Dominam, ac Reginam Angelorum, cœli, terrę, & infernorum; perpendebat, & contemplabatur vterum ſuum, velut cœlum Empyreum, vbi Deus faciem ſuam beatis manifeſtat: ſi enim Deus adeſt in cœlo, aderat in vtero Mariæ: ſi Deus in cœlo beatificat, beatificat etiam in vtero Marię animam Chriſti imo & ipſam ad eum modum, quo Moyſem, & Paulum ad tempus tunc beatificauit, vt tradunt D. CYPR. D. AVGVST. & D. ANTON. animo etiam voluebat filium ſuum adhuc in vtero ſuo exiſtentem non minus, quam in cœlo pariter cum Patre in vi vnius principii Spiritum ſanctum infinito gaudio ſpirare, ſicut enim Pater ſemper generat Filiũ, ideo enim ait de præſenti: *Ego hodie genui te*, ita Pater & Filius nunquam ceſſant Spiritum ſanctum producere; conſiderabat Virgo filium ſuũ tanquam ſapientiam genitam Patris ex vtero ſuo, tam cœleſtem, quam terreſtrem & infernorũ machinam gubernantem, Angelos in cœlo beatificãtem, orbes mouentem; ſolem & lunam, & reliqua aſtra illuminantem, elementa conſeruantem, hominibus tam naturalia, quam ſupernaturalia bona elargientem, ac totius mundi molẽ tribus digitis (tametſi infantilibus) appendentem. Singula ſane hæc quis nõ videat ſufficientiſſima fuiſſe ad exhilarandum mirifice Mariæ præcordia? audeo dicere, quod ſi ſimul in vnum confluentia omnia gaudia in hac vita à principio creationis mundi omnibus creaturis collata, & in poſterum conferenda in vnum cumulum redigerentur, non ſolum Mariani cordis gaudium ob Incarnationis myſterium in ea celebratum non æquarent, ſed longo interuallo ab eo ſuperarentur; vnde arbitror ſoli Deo, animæ Chriſti, & Virgini magnitudinẽ illius gaudii fuiſſe vſquequaque perſpectam, & comprehenſam: quare merito idem HVGO de S. VICTORE præcitato loco hanc Virginis lætitiam vocauit *inenarrabilem ſuauitatem*: ſi ergo inenarrabilis eſt, ſatis ſuperque erit aliquid de ea narrare tentaſſe.

Pſal.109.

D. Cypr. D. Aug. & D. Antoninus hõ. præterita cit.

Pſal.2.

Hugo de S. Victor. loco præcit.

IV. PORRO iam exploremus varia documenta, quæ ad mores noſtros informandos ex mira hac Virginis exultatione depromere poſſumus. Ego tria præcipue elicienda arbitror: primum eſt, vt ad imitationem Virginis, quæ Deũ ex corde magnificans exultabat, diſcamus non tam diuinas laudes, quam reliqua virtutis opera exultantes & hilares exercere, quia (vt dixit D. PAVLVS) *hilarem datorem diligit Deus*: atque ob eam rationem inter alias potiſſimum Deus inſtabat, vt Pharao ſineret populũ ſuum à captiuitate eius egredi: *Dimitte populũ meum, vt ſacrificet mihi*: quia dum populus ſub tyrannica illius ſeruitute afflictus & oppreſſus miſere iacebat, difficillime poterat hilaris, & exultãs (vt oportebat) victimas Deo ſacrificare. Confirmat hanc doctrinam, ꝙ cõtigit Aaroni: narrat enim ſacra LEVITICI hiſtoria, quod cũ Aarone ſacrificante ante Arcam, & in manu thuribulum tenẽte duo ſacerdotes eius filii, Nadab, & Abiu igne cœlitus delapſo percuſſi repente interiiſſent, tantã ille mœſtitiam ex paterno affectu ortam concepit, vt vltra in ſacrificando non procederet, ſed imperfectum relinqueret ſacrificium, ob ꝙ cum à Moyſe eius fratre acriter increparetur, quod dimidiatam victimã obtuliſſet, integritati ſacrificii non attendens, ipſe reſpondit hæc verba: *Quomodo potui comedere eam aut placere Domino in ceremoniis mente lugubri*; probat autem ſacer textus hanc reſponſionem, dum ait: *Quod cum audiſſet Moyſes, recepit ſatisfactionem*, iudicans certe ſufficientem cauſam habuiſſe Aaronem ad relinquendum imperfectum ſacrificium, quia ob inopinatam filiorum necem non poterat hilarem datorem ſe Deo exhibere; oportet igitur, vt exultantes, & lętantes Deo noſtro inſeruiamus, id plurimi habentes, quod Dominus infinitæ maieſtatis, ac potentiæ, & qui ad eius obſequium, & miniſterium innumeros Angelorum choros, immo & pene infinitas hierarchias vnico verbo & quocumque momento creare poſſet, à nobis nihilominus abiectiſſimis homunculis, & viliſſimis peccatoribus velit inſeruiri, & miniſtrari.

2.Cor 9.

Exod.5.

Leuit. 10.

V. SECVNDVM documentum, & valde vtile eſt, vt cum in nobis iuxta PAVLI ſententiam, duplex homo reperiatur, interior ſcilicet, & exterior, *Spiritus*, inquam, *& caro*, ad imitationem Virginis diſcamus, quiſnam illorũ in nobis exultare debeat: in Maria quidem exultatio fuit ſpiritus: *Exultauit ſpiritus meus*: in peccatoribus autẽ exultatio nõ eſt ſpiritus, ſed carnis, iuxta illud SAPIENTIS in perſona eorum dicentis: *Venite & fruamur bonis, quæ ſunt, & vtamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter: Vino pretioſo, & vnguentis nos impleamus, & nõ prætereat nos flos temporis*: in illis non dominatur, quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, non regnat ſpiritus, ſed caro, contra illud D. PAVLI: *Non regnet peccatũ in veſtro mortali corpore*: quo loco nomine *peccati* appetitus ſenſualis intelligitur, qui eſt cauſa peccati, ſicut etiã intellexit idem D. PAVLVS, cũ dixit: *Iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*. hoc egregie ſignificatur per id quod in I. GENESIS legimus, dum enim Iſmael cum Iſaac luderet & exultaret, ludus aũt erat (vt Hebræi adnotant)

Sap.2.

Ad Ro.6.

Rom.7.

Gen.21. tant)quod idola colere eum docebat, Sara vxor Abraham id ægre ferens, audacter dixit: *Eijce ancillam & filium eius*, quo facto docemur coercendum esse appetitum sensitiuum, ne in suam sententiam trahat voluntatem; actus enim voluntatis, cũ filii sint liberæ, immo & reginæ, reges sunt, & dominari debent; actus vero sensualitatis, cum sint filii seruæ, serui sunt, quia leges ciuiles disponunt, vt partus sequatur ventrem; quare cum contingit prauos appetitus in nobis oriri, summopere curandum est, ne dominentur, vel exultent aduersus spiritum, vt sollicite curabat DAVID, cum dicebat: *Si*
Ps.18. *mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo.* Atque ad id anxie curandum vel illud vnum nos trahere deberet, quod huiusmodi sollicitudo, & cura pignus quoddam est, & indicium nõ leue æternæ prædestinationis,
Ad Gal. 5. Apostolo dicente: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* certe cum
Leuit.2. Deus in LEVITICO præcipiebat sacrificium sine cõdimento salis, qui mordax est, sibi non offerri, significare voluit, quod vt plene gratum sibi existat sacrificium spiritus, cũ carnis mortificatione vel
Iud.7. uti spirituali sale condiendum est. Gedeonis quidem milites victoriam non obtinuerunt, nisi cum lagenis vacuis, & facibus accẽsis, & buccinis, quas manu gestabant, quo Spiritus sanctus significare voluit, nonnisi cum carnis exinanitione, & extenuatione, ac sanctis operib. velut lucernis ardentibus, & bonis exẽplis velut buccinis concrepantibus innumera nostrorum hostium agmina vinci ac expugnari posse. Et quidem hoc satis experientia compertum habemus, quod sicut terra nisi vomere proscindatur, seminum fructus non affert, ita caro nostra virtutum fructus germinare non valet, nisi pœnitentiæ vomere sit proscissa? & sicut ipsum granum frumenti, vt Christus Dominus dixit, nisi
Ioan.12. mortuum fuerit, nullum fructum exhibet, nec Iacob luctando vicit, nisi mortificatus, & femore
Gen.32. percussus; nec Dauid Saulem superauit, nisi præcisa prius ora chlamydis Regiæ, quando etiam vitæ
1.Reg.24. eius pepercit; nec Goliath Philisthæum vicit, nisi
1.Reg.17. cum funda, & lapidibus, asperitatem & mortifica-
Exod. 34. tionem præseferentibus; nec Moyses illustre legislatoris munus adeptus fuit, nisi per ieiunium quadraginta dierum; nec Iudith caput Holofernis am-
Iudith 2. putare potuit, nisi carnis pœnitentia præmissa; nõ secus vt spiritus noster exultet in Deo, & aduersus hostes nostros præualeat, oportet, ne caro exultet,
Sap.2. nec habenæ illi ita laxentur, *vt nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria eius.* Atque in hac parte tanto vigilantiores esse debemus, quanto experientia ipsa compertum habemus, inter omnes animæ hostes carnem esse validiorem, & potentiorem; quod ex eo ortum habere arbitror, quod Christus Dominus pugnans cum Dæmone
Ioan.12. tanquam cum forti armato illum superauit: *Nunc princeps huius mũdi eiicietur foras*: acriter etiam decertauit cum mundo, & victoriam de illo tulit: *Confidite: ego vici mundum*: nunquam tamen Christus Dominus cum carne pugnauit, cum in eo nulla prorsus esset rebellio partis inferioris aduersus superiorem, sed omnimoda subiectio, & obedientia; & hinc est, vires dæmonis, & mundi extenuatas mansisse post aduentum Christi, non sic autem carnis, cum qua Christus nunquam conflixit, aut pugnam aliquam iniit. Cum igitur caro non fuerit facta adeo vincibilis ac dæmon, & mundus, inde est vehementius, ac fortius, quam illos, aduersus spiritum pugnare, & ideo in ea deuincẽda oportet maiorem adhibere conatum, ac illi frequentius violentiam inferre; *quia regnum cœlorum vim pati-* Matth.11.
tur, & violenti rapiunt illud. De his vero, qui id præstant, existimo verificari verba D. PAVLI ad Galat: Ad Gal.6.
Ego n stigmata Domini Iesu in corpore meo porto: non enim vult (vt quidam perperã autumarunt) D. Paulum Christi vulnera habuisse impressa, veluti Seraphicus noster P. S Franciscus, sed eatenus dicebat stigmata Domini Iesu in corpore suo deferre, quatenus per continuam mortificationem mentem & carnem adeo edomabat, vt nec cor, nec sensus, nec manus aut pedes à via mandatorum Dei quidquam deflectere pateretur.

VI. TERTIVM documentum, quod ex Mariano exemplo deduco, & omnium potissimum est, vt ad Virginis imitationem in Deo solo incommutabili bono, non in creaturis exultemus: omnia enim creata bona, diuitiæ, honores, voluptates, futilia sunt & vana; quare D. CHRYS. id perpendens, eleganter dixi: *Salomon cum sæcularium rerum concupiscentia teneretur, magnas eas, & admirandas putabat, multumque in eis laboris, & sollicitudinis insumebat, magnificas ædificando domos, copiosum coaceruando aurum, congregando cantorum choros, varia genera ministrorum mensæ, & popinæ quærẽdo, animæ suæ voluptatem ab hortorũ, & corporum formosorum gratia, & omnem (vt ita dicã) oblectationis, & refrigerij viam sectando. At vbi inde ad se reuersus, & quasi ex vmbrosa quadam abysso ad lumen veræ sapientiæ respicere valuit, tunc sublimẽ illam, & cœlis dignam emisit vocem: Vanitas vanitatum, dicens, & omnia vanitas.* D. Ioa. Chrys. ser. con. concubinar. in fin. tom.5.

Vanitatem hanc Antiqui, vt refert FVLGOS. in hunc modum descripsere: Iunonem, quam omnibus regnis præsidere arbitrabantur, ad latus eius dexterum Pauonem, ad sinistrum vero cœlestem arcum depingebant, quibus temporalis imperii, ac dominii fugacitatem, ac vanitatem significare contendebãt, tamdiu enim durat gloria Pauonis pulchrã suam caudam expandentis, quamdiu deformes suos pedes non aspicit, cum ad solum eius aspectum pompaticus ille caudæ fastus continuo euanescat Iridis autem, aut cœlestis arcus splendor, ac multiplex colorum diuersitas quam cito dispareat, maxime vento flante, quotidiana ipsa experientia satis compertum habemus. Hinc est id, quod D. AVG. scripsit: *Inanis est gloria huius sæculi, fallax suauitas, infructuosus labor, perpetuus timor: periculosa sublimitas, initium sine prudentia, finis cum pœna.* Fulgos. l.2. de Iunone. D. Aug. sup. Ps.169.

SENECA

neo.l.10. i.77. SENECA etiam paucis verbis multa in hoc genere argumenti comprehendit, cum dixit; *Sæculi huius prospera esse fortunæ mendacia*: huius veritatis testes non alios adduco, quam ipsos mundi Sectatores, clamantes illud Sapientiæ: *Ambulauimus vias diffi-* *p.5.* *ciles*: difficultas autem illa non aliunde ortum habuit, quam ex fraude, & fallacia ipsius mundi, qui instar Dedali, aut regis Minois labyrinthi, vt tradit *laud. nblē. 12.* CLAVDIVS, facilē habebat ingressum, egressum vero difficilem, & laboriosum, maxime si in manus Minotauri incidebat ingrediens: ob hanc difficultatem & periculum locus ille labyrinthus vocabatur ꝙ interpretatur *labor intus*. Mundus hic merito *labyrinthus* nuncupari debet; cum totus sit *labor intus*. Ecclesiasticæ dignitates tametsi tibi videantur quietem multā polliceri, sed mentiuntur, quia *labor intus*, cum episcopus tot animarum sarcinam humeris suis imponat Angelis ipsis formidandam: *Pet. 4.* de quibus omnibus, vt ait D. PETRVS, rationē Deo redditurus est. Diuitiarum affluentiam, auri, & argenti copiam dulcem ac suauem sibi futuram facile suadent illam ardenter cupientes, sed mentiun- *latth. 13.* tur, quia *labor intus*, Christo Domino dicēte, diuitias spinas esse pungētes: Carnis tandem lasciuiā, ac libidinosos amantes carnis voluptates saccaro, & melle dulciores sibi promittunt, sed *mentita est* *f.26.* *iniquitas sibi*, quia *labor intus*; nam vt expertus SA- *rou. 5.* LOMON dixit: *Ne attendas fallaciæ mulieris: Fauus enim distillans labia meretricis, &c. nouissima aūt illius amara quasi absynthium.* Quare videntur mihi huius mundi cultores illud quotidie experiri, ꝙ con- *en.29.* tigit Patriarchæ Iacob: narrat sacra GENESEOS historia, quod ille existimabat pulchram, ac perbellam Rachelem sibi in vxorem dandam, propter cuius amorem septem annos magnos perferens labores patri eius seruierat; nocte autem celebrationis nuptiarum non pulchra Rachel, sed fœda, ac lippis oculis Lia ad eum ingressa est; non secus accidit huius sæculi amatoribus, qui cum post oleum & operam perditam, ac ingentes labores perpessos desiderium suum honorum, diuitiarum, aut voluptatum abunde expleturos sperabant, inanes ac vacui inueniuntur. Sed, ô infinitam Dei bonitatem! ô immensum diuinæ clementiæ pelagus! cum id, quod mundi huius cultores aduersa & inimica fortuna sibi accidere opinantur, non nisi ex paterna, ac suaui Dei prouidentia eis contingat, qui instar nutricis, vt a lacte infantem ablactet, felle, aut absynthio vbera inungit, vt ille amaritudinem præsentiens à lacte sugendo sese abducat; ad eundem modū, vt Deus peccatores ab vberibus huius sæculi, & à dulci voluptatum lacte auertat, cōsulto diuitias, voluptates, & honores absynthio, & ama- *Prou. 4.* ritudine inungit, iuxta illud: *extrema gaudij luctus occupat*, vt saltem hac ratione illa omnia sibi inuisa, & ingrata reddantur, nec cum Petro nescientе, quid diceret, ipsi dicant: *Bonum est nos hic esse*; nec tandem iam amplius in creaturis, sed in Deo summo bono exultare ac lætari satagant. In figurā huius lego, quod cum princeps Absalon vocasset ad se celebrem illum Ducem Ioab, quia eius consuetudine vti pergratum habebat, illo renuente venire, iterum eum Absalon accersiuit, cum tamen adhuc non obaudiret, iussit seruis suis, vt messes eius, *2.Reg. 14.* quæ iam albæ erant, ad falcem, igne absumerent: factus tamen huius præcepti certior Ioab cōtinuo obediens, ad Absalonem humilis venit; ita certe non semel accidit: vocat Deus iterum atq; iterum *Prou.1.* peccatores, ipsi autem insurdescunt: *vocaui & renuistis, extendi manum meam, & nō fuit qui aspiceret; despexistis omne consilium meū, increpationes meas neglexistis*: vt tamen illi ad ipsum conuertantur, non *Ezech.20.* iracunde, sed misericorditer ait: *Ego succendam in te ignem, & comburam in te omne lignum viride*: variis laboribus eos premit, terræ fructus grādine absumit, nimio calore adurit, filios interimit, honores adimit, & similibus suppliciis eos mulctat, vt sic in creaturis requiem non habentes, ad Creatorem suum reuerti quodammodo compellantur.

VII. AD extremum Ecclesiæ Patres audiamus, quæ mira de exultatione in Deo habenda, & in creaturis execranda edixere. D. AVGVSTIN. ait: *D. Au. ser. 35. de Sāct. qui est 2. de assump. B. Mariæ, con.10.* *Anima sancta risum luctum computat, & gaudium in mœrorem commutat, cui mundus carcer, cœlumq; habitatio est, cui exultatio de præsentibus nulla est, quia in illo tantum gaudere appetit, qui super omnes est. Vnde in sancto cantico cum diceret Virgo gloriosa: Magnificat anima mea Dominū, & exultauit spiritus meus, signāter addidit, in Deo salutari meo: ac si diceret: Anima mea, quæ magnificat Dominū, non in quolibet alio, sed in illo tantum exultat, quem amando magnificat. Nouerat enim esse aliā vituperabilem exultationem, qua mundus gaudere dicitur, tendens ad luctum, & de quibus Salomon ait: Lætantur, cum malefecerint, & exul-* *Prou. 2.* *tant in rebus pessimis; hinc & Apostolus non quodlibet* *Phil. 4.* *gaudium in sanctorum cordibus esse describit, sed in Spiritu sancto: hinc Dauid cum diceret: Gaudete iusti, sub-* *Psal.32.* *iunxit, in Domino: hinc cum Dauid diceret: Gaudebūt* *Ps.70.* *labia mea, dum cantauero, addidit, tibi; hac enim exultatione nullus eorum gaudet, quisquis de præsentibus tantū exultat, æternisq; bonis interesse non concupiscit, cum exilium patria esse creditur, & mors vita æstimatur, cui Deus venter est.* & infra: *Ingemisce ergo, ô sancta anima, quæcunque in Domino exultas, & quoties te ab hac exultatione abstractam videris esse, dicito: Ne* *Psal.50.* *proiicias me Domine à facie tua, & Spiritum sanctum tuū ne auferas à me: redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Et hic attentius intuere, quā exultationem petierit: quod enim Hebraice, Iesus, hoc Latine, salutaris dicitur. Quæ enim hæc lætitia est Iesu? Contemplatio eius, qualis venturus est in gloria sua: Christus enim Iesus fleuit, sed nunquam eū risisse memoratur. Hinc plane, hinc in spe gaudent omnes electi, cum cœperint aduersitatibus mundi fatigari, & nullius eius prosperitatibus fallaciter decipi.* Idem *D. Au. sup. Ps.94.* etiā S. AVG. super PSAL. sic habet: *Venite exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro*: Inuitat, in-

quit, ad magnas epulas exultandi non sæculo, sed Domino. Nisi enim esset in hoc sæculo exultatio mala, quæ distinguenda est ab exultatione bona, sufficeret dicere: Venite exultemus, sed breuiter distinxit: Quid est, bene exultare? Domino exultare: Ergo exultatio mala est, exultare sæculo, exultatio bona est, exultare Deo. Pie debes Domino exultare, si vis securus mundo insultare. Quid est autem venire? Vnde vocat, vt veniat, cum quibus vult exultare Domino? nisi quia longe sunt, vt veniendo propinquent, propinquando accedant, accedendo exultent? Et infra: Ergo quibusdam longe positis, & male viuentibus psalmus iste dicit: Venite, exultemus Domino. Quo itis, quo receditis, quo disceditis, quo fugitis exultando mundo? Venite exultemus Domino. Quo itis exultare? vbi deficitis? Venite, exultemus in illo, a quo facti sumus; Venite, exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro. Quid est iubilare? Gaudium verbis non posse explicare, & tamen voce testari, quod corde conceptum est, & verbis explicari non potest, hoc est iubilare. Iubilandumque est, quoniam Deus magnus Dominus, & rex magnus super omnes Deos. ac

D. Aug. li, de conflict. vit & vir. tom. 9.

tandem idem D. AVG. lib. de conflictu vitior. & virt. inquit: vnde inest tibi tanta lætitia? Numquid iã diabolum vicisti? numquid iam inferni pœnas euasisti? numquid iam de exilio ad patriam venisti? numquid iam de tua electione securitatem accepisti? An forte in obliuionem venit, quod Dominus dixit: Mundus gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium? An forte memoria excessit, quod idem alibi dicit: Væ vobis, qui nunc ridetis, quia plorabitis, & flebitis: Quod quidem per Salomonem dicitur: Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat. Et è contra per Euangelium: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Quia ergo nescit homo, an odio, vel amore dignus sit, sed omnia in futurum reseruantur incerta, comprime inanem lætitiam, qui necdum euasisti pœnalem ærumnam. Nonne apud omnes insanus iudicatur is, qui tenebris reclusus carceris gaudere conatur?

Ioan. 16.
Luc. 6.
Prou. 14.
Matth. 5.
Eccl. 9.

D. Greg. l. 15. mor. c. 2 tom. 2. Iob 20.

VIII. D. GREGORIVS explicãs illa verba IOB: Hoc scio, à principio, ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum breuis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti: sic loquitur: Hypocrita gaudet in prima sessione, hilarescit in primo recubitu, inflatur in prima salutatione, eleuatur in reuerenti voce obsequentium, tum & in famulatu subditorum, sed hoc eorum gaudium æternitati comparatum quid erit, quando irruente mortis articulo ita consumitur, ac si omnino non fuerit? cuius nimirum gaudij lætitia pertransit, & pœna permanet. Bene autem dicitur: Gaudium hypocritæ ad instar puncti. In puncto enim stylus mox, vt ponitur, leuatur, nec mora vlla agitur, vt per exprimẽdam lineam trahatur. Itaque gaudium hypocritæ ad similitudinem puncti est, quia apparet ad momentum, sed disparet in perptuum: & sicut stylus in puncto dum ponitur, leuatur: sic hypocrita præsentis vitæ gaudia dũ tangit, amittit. Idem S. GREG. exposit. in PSALM. 2. pœnitentialem explicans verba illa: Lætamini in Domino, & exultate iusti, inquit: Non est gaudere impiis, dicit Dominus, quia qui terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur. Et quanto quis ad temporalia acriori cura exarserit, tanto magis ab æternis damnabili torpore frigescit. Iustis ergo solummodo, vt in Domino lætentur, dicitur, quia qui Deum toto corde non diligunt, in eo lætari, quam diu sæcularibus delectantur, non possunt. Scriptum est enim: Quicumque amicus huius sæculi esse voluerit, inimicus Dei constituitur. Neque enim possumus hic gaudere cum sæculo, & illic regnare cum Christo. Sed iusti tantum in Domino exultant, quia ita extra mundum sunt facti, vt nec prosperari in mundo cupiant, nec adversa pati, nullo tacti præsentiũ amore pertimescant. Et notandũ, quia non solum (lætamini) dixit, sed etiam (exultare) adiecit, vt intelligas eos non posse tristari in corpore, quibus diuinæ claritas miserationis fulget in mente. Et gloriamini omnes recti corde.]illi quidem, qui habent cor ad terrena distortum, non gloriantur in Domino, quia spem suam posuerunt in mundo. Vos autem, qui cor vestrum secundum Dei voluntatem dirigitis, in spe beatitudinis æternæ gloriari debetis, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Illa namque sine dubio est vera gloria, quam nullius mœstitiæ obtenebrat pœna. Insuper idem summus Põtifex, & disertissimus Doctor S. GREG. super 1. lib. REGVM, elucidans illa verba Samuelis: Et nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt, ait: Quidquid in hoc sæculo lætum, delectabile, sublime, aut prosperum cernitur, vanum profecto est, quia difficile habetur, & cito amittitur. Repente quidem alta sæculi corruũt, pulchra transeunt, læta & prospera euanescunt. Nam cum stare in his floribus suis mundus blandiens cernitur, repentina fortuna turbatur, aut festina, & omnia deturbante morte concluditur. Vana ergo sunt gaudia sæculi, quæ quasi manentia blãdiuntur, sed amatores suos cito transeundo decipiunt. Et notandum, quia de futuro dicitur non proderunt vobis, quia nimirum nunc prodesse cernuntur, sed cum in futuro pro eis puniri cœperint, nequaquam prosunt, neque eruent vos, quia vana sunt, quasi dicat: idcirco vos tũc non adiuuant, quia cum mundo deficiunt, & post sæculum non habentur. Post sæculum non prosunt, quæ finem vitæ transire non possunt. Multum quidem sæculi bona durant, si cum amatore vsque ad extremum vitæ perueniunt. In hac quidem vita suos amatores peccatis obligant, sed tunc non erunt, vbi quidem per meritum sunt, sed per auxilium non sunt.

S. Greg. expos. in Ps. 2. pœn. to. 2.
Iacob. 4.
2. Cor. 10.
D. Greg. l. 5 c. 11. in l. 1. Reg. 2.

IX. D. CHRYS. hæc eloquenter, vt assolet, scripsit: Mel in sacrificiis numquam oblatum legimus. Miretur aliquis, & dicat, quare cum oleum, cum simila, cum aries, cum agnus, cum sanguis pecudum, cum cætera offeruntur in sacrificio Dei, mel tantum non offertur? Denique quod dicit, & quodcumque offertur, sale conditum offertur in sacrificio, & sermo vester sit sale conditus. Mel penitus non offertur. Et quodcumque contigerit, inquit, immundum erit. Mel sane voluptatis indicium est, & suauitatis, semper enim voluptas mortificat, semper voluptas Deo nõ placet, quodcumque dulcedinẽ habet, in Dei sacrificiis non offertur.

D. Chrys. hom. 4. ex variis in Marcum to. 2. Leu. 2

Mel

Mel quidem ipsum dulce cum sit, sensum suauitate demulcet, sicut & voluptas, sicut & libido, sicut & lascivia. Deinde idem S. CHRYSOST deliciarum amatoribus sic loquitur: *Delicias amas? Ego te in delicijs esse volo, sed in veris, quæ nunquam languescunt: quæ igitur veræ deliciæ sunt? Quæ semper florent. Voca ad prandium Christum, participem rerum tuarum facias, vel suarum potius, hoc immensam habet voluptatem, & semper florentem, verum sensibilia non huiusmodi sunt, sed simul & apparent, & abolentur, & qui in delitijs est, nihil melius se habet, quam qui in nullis est delitijs, immo peius. Ille enim tamquã in portu sedet, hic tamquam in fluctib. & morborum obsidionib. tantum æstum minime ferre potest.* Denique idem S. CHRYSOSTOMVS in idem argumentum hæc habet: *In voluptate præstantissima quidem pars nostri seruit, imperat autem abiectissima, illa excæcatur, vndique vt cæca vinciatur, hæc agat, circumagat vndique, quam conueniebat duci potius.* Infra: *Estq; non menti solum, sed ipsi etiam corpori inimica, & infensa voluptas, ex forti debile reddit, è solido eneruatum, morbidum è sano, tenue ex compacto, ex florente & formoso deforme, olidum ex fragranti, ex mundo & puro impurum, ex vtili inutile, ex recenti vetus, ex robusto flaccidum, ex celeri tardum; ex sano languens, ex recto claudum. Per voluptatem mille mala malignus ille patrat Satan. Sic totam pessum dedit gentem. Impinguatus enim, incrassatus, dilatatus est dilectus, inquit, & calcitrauit.* Hactenus D. Chrysostomus. Ergo si audistis Ecclesiæ Patres, fugite dulcissimum illorum doctrinæ lac, bibite cœlestem ambrosiam, inebriamini hoc diuino nectare, vt iam non in creaturis amplius exultetis, sed in Deo optimo maximo: Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

[Margin: S. Chrys. hom. 27. in ep. Paul. ad Cor. hom. 4. — Idem hom. 9. in 1. ad Cor. — Deut. 32.]

HOMILIA XV.

Varijs expositionibus explicantur verba illa Deiparæ: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: *permultaque de humilitate ex SS. Patrum doctrina traduntur, quæ ad virtutem hanc sectandam mirum in modum inuitant.*

I. VM HVMILITAS amphibologica vox sit; nam, consulto omissis varijs eius significationib. quæ ad rem non faciunt, manifestum & exploratũ est apud omnes, nomine *humilitatis* significari tum exiguitatem, seu abiectionem, iuxta illud ad PHILIP. *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ:* id est, vile & abiectum: tum etiam virtutem humilitatis, iuxta illud Christi Domini: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* hinc oritur controuersia tam inter antiquos, quam inter recentiores huius loci Interpretes, quidnam istorum B. Virgo nomine *humilitatis* intellexerit, ipsamne sibi infusam virtutis humilitatem, an vero exiguitatem, & paruitatem suam; seu abiectionem? Diuus AVGVSTINVS, D. BERNARDVS, S. ILDEFONSVS, D. BONAVENTVRA, D. THOMAS, ORIGENES, RVPERTVS, Venerab. BEDA, HVGO de S. VICTORE, & EVSEBIVS EMISSENVS censent sermonem esse hic de virtute humilitatis, quæ in Beata Virgine valde effulsit; verba D. AVGVSTINI sunt hæc: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. O vere beata humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos innouauit, mundum purificauit, paradisum aperuit, & hominum animas de inferno liberauit.* Non dissimilia scribit D. BERN. præcitato loco, nec non & serm. super Cant. vbi in hunc modum loquitur: *Audierat: pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis, & collum tuum sicut monilia; acceperat & repromissionem ornatus aurei, & nihilominus tamen cum humilitate respondet, & quanto maiore se audit, tanto humiliat se omnib. Non gloriatur in meritis, nec inter laudes suas humilitatis obliuiscitur, quã & humiliter confitetur sub (nardi) nomine, ac si voce Virg. Mariæ dicat, nullius mihi meriti consciasũ ad tantam dignationem, nisi quod respexit Deus humilitatem ancillæ suæ. Nam quid ea aliud: Nardus mea dedit odorem suum, quam placuit mea humilitas? Non mea, inquit, sapientia, non mea nobilitas, non mea pulchritudo, quæ nulla erant mihi, sed quæ sola inerat humilitas, dedit odorem suum,* hæc ille.

[Margin: Phil. 3. — D. Aug. ser. 2. de Assumpt. — D. Ber. ho. 1. super Missus. — S. Ildefon. ser. 1. de Assumpt. — S. Bonau. in spec. B. V. ca. 8. — D. Th. 2. 2. q 161. ar. 1. — Orig. hom. 8. in Luc. — Rupert. l. 1. in Cant. — Ven. Beda super c. 1. Luc. — Hugo de S. Victore ib. — Eus. Emis. — D. Bern. ser. 42. super Cãt.]

II. ALIA his consentanea tradit Ven. BEDA dicens: *Cuius humilitas respicitur, rectè beata ab omnibus cognominanda gratulatur: Sicut è contrario, cuius superbia despecta condemnatur, Eua, id est, væ, siue calamitatis nomine mulctata tabescit. Decebat enim, vt sicut per superbiam primæ nostræ parentis mors in mundum intrauit, ita denuo per humilitatem Mariæ vitæ introitus panderetur.* Quibus verbis de virtute humilitatis, prout superbiæ vitio opponitur, clarissime loquitur Beda. His perquam eruditam ORIGENIS doctrinam adnectamus, qui in commentario super Lucam quæstionem hanc proponit, & his verbis eam dissoluit: *In quam humilitatem Mariæ respexit Dominus? quid habet mater Saluatoris humile atque deiectum, quæ Dei filium gestabat in vtero? Quod ergo dicit, respexit in humilitatem ancillæ suæ, tale est, ac si dixerit: Respexit in iustitiam ancillæ suæ, respexit in temperantiam, respexit in fortitudinem, ac sapientiam. Dignum quippe est, vt virtutes respiciat. Respondeat aliquis, & dicat: Intelligo, quomodo Deus iustitiam ancillæ suæ, sapientiamque respiciat: quomodo autem intendat humilitatem, non satis liquet: Consideret, qui quærit talia, quoniam proprie in scripturis vna de virtutibus humilitas prædicetur. Ait quippe Saluator: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* hæc ibi Origenes. Sed & HVGO Cardinalis in commenta-

[Margin: Bed. loco præcitato. — Orig. hom. 8. super Luc.]

Hugo Car. super Magnificat.

rio huius loci Origenis sententiam sequutus ait: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Placuit enim ei humilitas ancillæ suæ, cui displicebat superbia Euæ: vt sicut per superbiam Euæ mors intrauit in mundum, sic per humilitatem ancillæ vitæ pandatur introitus.*

Ansbert. l. 2. in Apoc.

III. Ac tandem AMBROSIVS ANSBERTVS super APOCALYPSI horum Patrum expositioni adhærens, inquit: *Cum itaque Maria Virgo ideo beata credenda sit, quia sine humano semine ex Spiritu sancto concepit, quia Dei filium hominem factum intemerata virginitate mundo edidit, radicem tamen suæ beatitudinis solerter inspiciens ait: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes; ac si diceret, quia humilitas vera præcessit, quæ Dei filium ad habitaculum carnis meæ inuitauit, quæ Spiritum sanctum ad munditiam cordis mei attraxit, vt Verbi carnem cum Verbo, & Patre in visceribus meis formaret, propterea beatitudinis nomen in cunctis generationibus ipsa promerui.* hęc antiqui illi Patres.

IV. QVIBVS si obiicias ad eorum labefactandam expositionem, non videri consentaneum summæ modestiæ Virginis, vt diceret, Deum respexisse ad virtutem suæ humilitatis, id enim fuisset se laudare, & gloriari de humilitate, quod à vere humili longe alienum esse debet; facile ex eorumdem doctrina responderi potest, beatam Virginem ibi minime in seipsa de sua humilitate gloriari, sed in domino, à quo agnoscebat virtutis humilitatem accepisse, tamquam fundamentum ab ipso summo opifice iactum ad reliquam cœlestium donorum fabricam in illa superexstruendam; quemadmodum & D. PAVLVS absque vllo humilitatis præiudicio dixit: *Abundantius illis omnibus laboraui*; & alibi; *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, &c. neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

1. Cor. 15. Rom. 8.

Euthym. super c. 1. Lu. Caiet. ibid. Isid. Clar. orat. 7. Iansf. in cõc. Beux. in harmonia super Magnific. tom. 1. Vatab. in c. 1. Luc. D. Bern. super signũ mag. ac tãdem Mald. & Cardin. Tolet, sup. c. 5. Luc.

V. CÆTERVM alij Doctores, vt EVTHYMIVS, Card. CAIETANVS, ISIDORVS CLARIVS, IANSENIVS, noster STELLA, & doctissimus BEVXAMIS, VATABLVS, imo D. BERNARDVS, MALDONATVS, Card. TOLETVS, & alij non pauci moderni arbitrantur B. Virginem non fuisse locutam hoc loco de virtute humilitatis, sed de abiectione, paruitate, & exiguitate sua, ita vt sensus sit: quamuis parua sim, & Domini ancilla, ipse tamen dignatus est, vt qui misericordiæ plenissimos oculos habeat, ad hanc meam paruitatem & abiectionem, vt eam exaltet, respicere. Si autem quæras ab his Doctoribus: quænam paruitas erat hæc? respondent paruitatem in natura, quia homo erat in cõditione, quia fœmina in sexu, quia fragilis, immo & peccabilis, quantum est ex se, nisi speciali Dei dono præseruaretur. addunt deinde non solum locutam fuisse B. Virginem de paruitate in natura, sed & in gratia & virtutibus: quia licet hæc omnia in ea essent in heroico gradu, nec ipsa id ignoraret, propter limpidissimam tamen diuinæ bonitatis cognitionem, qua mens eius erat illustrata, omnia sua supernaturalia bona exigua sibi videbantur ad colendum & magnificandum Deum, quia maior est omni laude.

VI. SED iam verba aliquorum ex præcitatis Doctoribus hanc expositionem amplectentibus in medium producamus. EVTHYM. super Lucam disertis verbis illam docuit dicens: *Seipsam deiecit quasi tantæ rei indignam, vel etiam propter abiectionem humanæ naturæ comparatæ ad sublimitatem diuinæ.* CORNELIVS IANSEN. in sua Concordia sic habet: *Itaq; sensus est: Respexit exiguitatem ancillæ suæ, hoc est, me exiguam & infimam ancillam suam. Secundum quẽ sensum magis his verbis Virginis modestia, & humilitas animi nobis cõmendatur, quã si nomen humilitatis hic pro virtute acciperetur Non n. solum Deum respexisse dicit ad ancillam suam, sed ẽt ad infimam ancillam suam, immo quod magis aliquid est, ad exiguitatem ancillæ suæ, quod intelligendum potissimum de exiguitate quoad materiam. Existimabat enim se nullius meriti, nulliusque virtutis. Nec id quidem ficte aut falso, quoniam cõsiderabat seipsam ex parte sui, non ex parte donorum Dei in ipsa. Huiusmodi enim consideratio humilitatis animi mater est.* Ac tandem noster Stella super Lucam hæc præclara in idem argumentum scripsit: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, id est, meam exiguitatem & paruitatem. Et quantum coniectari possum, fuerit mea sententia, sacram Virginem in hoc loco non fuisse locutam de humilitatis virtute. Nam in Græco codice habetur (tapinosim) quod vocabulum paruitatem sonat. ac si dixisset clarius: Quamuis paruula sim, & minima ancilla Domini, ipse tamen adeo est humilitatis amator, vt oculos conijciat in infimam ancillam suam. Quis enim sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & terra? hoc est, in infima & abiecta respicit è cœlo: quod vt cognoscamus ita esse, subdidit: Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem: vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui. Regius Psaltes de seipso loquitur, qui de abiecto, humilique ouium custode ad apicem celsitudinis regni peruenerat. Neq; vbi dicit humilia, intelligas laudabilem cuiusq; abiectionem, & suæ miseriæ agnitionem: nam vt sic, non diceretur humilitas, sed potius superbia, seipsum prædicare humilẽ; sed ibi abiectionem, & sui contemptum apud homines demonstrat. Vnde S. Iob depingens ingenium Dei, inquit: Qui ponit humiles in sublime. Hic (humiles) quasi mundi peripsema & abiectos intelligit, qui pro nihilo habentur apud homines in quo ẽt sensu illa sancta fœmina Lia contemnebatur à viro suo Iacob, dum ardẽti amore prosequebatur speciosam Rachel. Postquam ergo peperit Ruben, Lia dixit: Vidit Deus humilitatem meam: nũc amabit me vir meus: Ecce (humilitas) ibi significat idem, quod contemptus & abiectio erga virum suum propter eius deformitatem.*

Euthym. sup. c. 1. Luc. — *Iansen. ibid.* — *Stella ibid.* — *Psal. 12.* — *Iob. 3.* — *Gen. 28.*

VII. HORVM autem Doctorum expositio, quæ satis rationabilis videtur, his, quæ sequuntur, fulcimentis potest constabiliri. Primo, quia codici

Græco

Græco est valde conformis, in quo pro *humilitate* habetur *tapinosim*, quod paruitatem & exiguitatem significat, & vt auctor est IANSENIVS linguæ Græcæ peritissimus, numquam significat (quidquid alij refragentur) virtutem humilitatis; vnde CATHENA GRÆCA adiuncta psalmis Theodoreti hanc expositionem amplectens ait; *quasi dicat: Virgo; quæ ego sum ad tantum officium? ipse respexit, non ego expectaui; humilis namque eram & abiecta, & nunc à terra in cœlos trãseo, & adarcanũ ministerium trahor.* Secundo, quia licet quandoque sancti viri non ad laudem suam, sed ad maiorem Dei gloriam cœlestia charismata diuinitus accepta manifestẽt, vt non semel factitat D. PAVLVS in suis Epistolis, numquam tamen apud illum nec apud alios reperietur ore suo protulisse se esse *humiles*, seu in virtute *humilitatis* conspicuos, id enim ab ore humilis semper abfuit. vnde non male quidam dixit, dicentem se humilem esse, propositionem se falsificantem proferre, vt loquuntur Dialectici, quia commendatio propriæ humilitatis manifestum superbiæ argumentum est: alienum igitur erat ab humillima Maria dicere, quod respexerat Deus virtutem suæ humilitatis, consentaneum tamen modestiæ illius, vt nomine *humilitatis* intelligeret suam paruitatem, exiguitatem, & abiectionem; quod si Christus Dominus dixit: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde*: inde non potest sumi argumentum, id licuisse dicere sanctis, cum multa licuerint ei dicere & facere, quæ tamen nobis non licent. Tertio, quia intentum B. Virginis, & præcipuus eius scopus erat, exaltare diuinam liberalitatem & munificentiam erga seipsam; hæc autem tanto magis effulget, quanto minora sunt merita ex parte recipientis dona; non ergo B. Virgo loquebatur de suæ virtute humilitatis, quæ maximi meriti erat, sed de paruitate, & abiectione sua, in sensu supra explicato; immo ad significandum fecit antithesim illam inter Deum & se, vocans illum Dominum, *Magnificat anima mea Dominum*, quod magnitudinem redolet, se vero humilem & paruam; *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, quod abiectionem præsefert.

Iansen. super c.1. Lu. — *Matth. 11.*

VIII. EGO autem primam sanctorum Patrum propositionem suspiciens ac venerans, secundam etiam grauissimorum interpretum intelligentiam non inficians, vtramque duplici modo in concordiã redigo: Primo dicendo, quod nomine *humilitatis* B. Virgo comprehendit & exiguitatem suam, & virtutem humilitatis, vt his verbis expresse docuit D. AVGVST. in expositione super *Magnificat.*] *Maria, quæ apud Deum humilis erat, & apud homines propter Deum abiecta, in vtroq; se esse respectam testatur, quia eius humilitas apud Deum acceptabilis fuit, & eius humiliatio apud homines in gloriam commutata.* Secundo arbitror (ni fallor) B. Virginem nomine *humilitatis*, vt quæ humillima erat, non intellexisse virtutem infusam, sed paruitatẽ & exiguitatẽ suam; ad mentem tamen Spir. S. Mariæ linguam mouentis, existimo ibi significatam etiã fuisse virtutem *humilitatis*, & ad illam quoque vere respexisse Deum, & propter illam Mariam exaltasse. Nec verum est, quod IANSENIVS in sua Concordia dixit: verbum illud *tapinosim*, nunquã significare virtutem humilitatis; fallitur enim, vt patet expresse ex MATTH. 11. vbi Christus sub illo verbo se vocat *humilem corde*; & ex 1. PET. 5. & IACOBI 4. vbi iusti eadem voce dicuntur *humiles.*] *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*: immo D. HIERON. in epist. ad Aglasiam pro vitio aliquando accipi docet.

D. Aug. in expos. sup. Magnificat. — *Iansen. vbi supra.* — *D. Hie. ep. ad Aglasiam, q. 10.*

IX. ASSERO itaq; quod licet virgo nomine *humilitatis* paruitatẽ & abiectionẽ suam intellexerit, Spiritus sanctus tamen præcipuus illorum verborũ auctor significare et voluit virtutem humilitatis, quã ipsa Virgo illa proferens mente & ore exercebat, quippe cum posset, quatuordecim Reges, & eo amplius ex suo stemmate numerare, ac innumeris agnosceret cœlestibus charismatib. esse diuinitus locupletatã, vilem tamen & abiectã se prædicabat, perpendens quidem se ad huiusmodi tam naturæ, quã gratiæ dona non merito suo, sed diuino beneficio ac munificentia ab æterno fuisse prædestinatam Immo, quod maxime obseruandũ est, cum videret se vndiq; spiritualibus diuinæ gratiæ opib. affluentẽ recurrit ad naturæ paupertatem, vt inde se magis humiliandi ansã arriperet, quod sane mirum in modum eius humilitatẽ extollit, quẽadmodum D. CHRYS. in Abrahamo obseruauit; nam expendens illa verba: *Ego autem sum terra ac cinis*, ait: *quoniam non habebat peccata, quæ diceret, sed vndique bonis operib. fulgebat, circumcursans, & nihil contra se inueniens, ad naturam ipsam confugit, & quoniam terra nomen videtur quodammodo honestum, cineris addidit: dixit enim cum sim puluis, & cinis.* Erat quidem B. Virgo vera filia Abrahæ & Dauidis, & ideo in virtute humilitatis persimilis illis prodijt, immo illos longe præcelluit: vnde sicut olim Abraham existens in conualle Mambre, quod eximiam eius humilitatem denotabat, Dominus domum eius ingressus est sub apparenti specie humana: *Apparuit autem Dominus in conualle Mambre sedenti in ostio tabernaculi*: ita B. Virgini in conualle profunda suæ humilitatis latenti comparuit Dominus non in apparẽti; sed in vera specie humana, quã ex ea sumpsit, apparuit (inquam) in vtero eius post nouem menses omnibus apparíturus ad erudiendos nos, vt dixit D. PAVL. *Apparuit benignitas & humilitas Saluatoris nostri &c. erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria sobriè, pie, & iuste viuamus in hoc sæculo.*

D. Chrys. hom. 23. in vlt. c. ad Corinth. — *Gen. 18.* — *Ad Tit. 2.*

X. QVEMADMODVM etiam olim cum rex Dauid arcam Domini in domum suam introducere decreuisset, depositis regalibus indumentis, Ephod lineo accinctus, corã illa saltauit, à propria tamen vxore Michol despectus per irrisionẽ illi dicente: *Quã gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiens se ante ancillas seruorũ suorum, & nudatus est, quasi nudetur*

2. Reg. 6.

Ibid. *tur vnus de scurris:* ille nihili pendens hunc despe-
ctum respondit: *Et ludam, & vilior fiam, plusquam
factus sum, & ero humilis in oculis meis:* ita etiam B.
Virgo, antequam Verbum diuinum in domũ eius
vteri virginei intraret, patrem suum Dauid ad a-
mussim in omnibus & per omnia imitans, sicut il-
le tũc alba se induit, & linea veste, Maria purissimo
virginitatis indumento se ornauit; Dauid tunc cã-
tabat & tripudiabat, Maria etiam iubilabat, & ca-
Luc. 1. nebat: *Magnificat anima mea Dominum*] *Dauid to-
tis viribus saltabat coram Domino in omnibus lignis af-
fabre factis, & lyris, & tympanis, & citharis,* inter
1. Reg. 16. quas fortassis illa erat, quam cum spiritus Domini
malus arripiebat Saul, tollebat Dauid, & percutie-
bat manu sua, & refocillabatur Saul, & melius ha-
bebat; & recedebat ab eo spiritus malus; Maria p-
cutiebat citharam oris sui, qua in domo Zacharię.
cum eius lingua tanquam dulcinosa corda Spiri-
tus sancti digitis fuisset tacta, tam suauem sonum
emisit; vt illo audito spiritus malus, qui Ioannem
arripuerat statim ab eo recederet, & Ioãnes sic me-
lius se haberet, adeo vt ad Mariæ vocẽ continuo in
gaudio exultaret; ac tãdem sicut Dauid eo tempo-
2. Reg. 6. re humiliorem, quam vnquã se præbuit, & postea
dixit præcitata illa verba: *Ludam & vilior fiam, plus
quam factus sum, & ero humilis in oculis meis;* ita nũc
Maria dicens: *Respexit humilitatẽ ancillæ suæ:* humi-
limã se exhibuit; cum n. eo tempore iam Christum
humilitatis magistrum & auctorẽ concepisset, di-
uinisq; munerib. copiosius esset cumulata, humi-
lius tunc se gerebat, ad vnguẽ implens illud SALO-
Eccl. 3. MONIS: *Quanto magnus es, humiltate in omnibus.*
D. Anton. quare D. ANTONIN. dixit: *B. Maria quanto maior*
4. p. 1. tit. 5. *fuit tanto minor ipsa sibi videbatur propter immensam*
c. 1. §. 1. *humilitatem.* Et quemadmodum arbor magna po-
morũ copia onusta ramos suos ad terram demit-
tens se humiliat, & quanto magis fructib. onusta,
tanto magis se deijcit: ita Maria quanto post Chri-
sti cõceptionem onusta erat benedicto illo fructu
ventris sui diuinisque charismatibus plenior, tan-
to magis se humiliabat ac demittebat.

Cant. 7. XI. HANC miram Virginis humilitatem spon-
sus quasi admirans dixit ei: *Quam pulchri sunt gres-
sus tui in calceamentis, filia principis:* per *calceamenta*
Virginis eius humilitatem intelligit, quorum pro-
prium est infimum locum tenere, & à planta pedis
calcari: vnde perinde fuit, ac si diceret, placere sibi
valde mirabiles progressus, quos in virtute humi-
litatis in dies faciebat, vt autem significaret hu-
militatem regiam virtutem esse, & illa valde prin-
cipes decorari, idcirco laudans sponsus spnnsam
de humilitate, *filiam principis* appellauit; quemad-
modum n. superbia, licet sit quædam exaltatio &
elatio, vere deprimit, & deijcit superbum, ita è con-
trario, licet humilitas sit quædam deiectio, humi-
lem tamen exaltat & extollit: vnde verba illa, quæ
Matt. 23. Christus Dominus dixit: *Qui se humiliauerit, exal-
tabitur: & qui se exaltat, humiliabitur:* non solũ ve
rificari reor, postquam ille se humiliauerit, & iste se
exaltauerit, sed & in ipso humilitatis actu, in quo
suprema quædam altitudo, & in ipso actu superbię
summa quędam abiectio latet, vt in his verbis per-
acutè docuit D. AVG. *Est aliquid humilitatis miro* D. Aug. l.
modo, quod sursum faciat cor, & est aliquid elationis, 14. de Ciu.
quod deorsum faciat cor. Hoc quidem quasi contrarium c. 15.
*videtur, vt elatio sit deorsum, & humilitas sursum:
sed pia humilitas facit subditum superiori, nihil est a.
superius Deo, & ideo exaltat humilitas, quæ facit sub-
ditum Deo: elatio autem, quæ in vitio est, eo ipso, quod
respuit subiectionem, cadit ab illo, quo non est quidquã
superius, & fit, quod scriptum est in psalmo: Deiecisti* Psal. 71.
*eos, dum eleuarentur, vt postea deijcerentur, sed cum
extollerentur, tunc deiecti sunt, ipsum quippe extolli
iam deiici est.* hæc Augustinus. Aliam eiusdem rei
præclaram etiam rationem affert D. GREGORIVS D. Greg. l.
super illa verba Iob: *Qui ponit humiles in sublimi:* 6. Mor. c.
quo loco docet hic magnus Pater humiles eo ipso, 68. Iob 5.
quod se humiliant, altissimos fieri: *In sublimi* (in-
quit) *humiles ponuntur, quia cum se ex humilitate
substernunt, altæ mentis iudicio cuncta temporalia
transcendunt, & cum se indignos in omnibus æstimant,
rectæ cogitationis examine, huius mundi gloriam tran-
scendentes calcant;* dum autem ipsi magis se calcare
nituntur, Deus magis eosdem extollere satagit,
placido vultu illos respiciens, ad quem aspectum
alludens B. Virgo dixit: *Quia respexit humilitatem
ancillæ suæ.* Luc. 1.

XII. QVÆ verba vt adhuc vberius explicemus,
obseruare oportebit varios modos, quibus
oculi Dei, sole ipso lucidiores, B. Virginem con-
spexere. certe quamuis Deus in Sacra Scriptura *re-
spicere* dicatur ad veniam largiendam, quomodo Luc. 22. &
respexit Petrum, & egressus foras, fleuit amare: & ad Matth. 26.
pœnam infligẽdam, quomodo respexit Ægyptum: Exod. 14.
*Respiciens Dominus super castra Ægyptiorum, interfe-
cit exercitum eorum:* atq; his modis minime respe-
xerit beatam Virginem; nam cũ omni careret cul-
pa, nec venia opus habuit ad eius expiationem,
nec pœna ad punitionem. Multis tamen aliis mo-
dis, quibus sacra Scriptura *respicere* vsurpat, B.
Virginem respexit: Primo enim dicitur Deus *re-
spicere*, occulta cordis penetrando: *En ipse stat post* Cant. 2.
*parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciẽs per
cancellos.* Secundo respicit aliquem, eius opera ac-
ceptando: *respicit Deus ad Abel, & ad munera eius.* Gen. 4.
Tertio respicit, gratiam infundendo, iuxta illud
PSALMI: *Respice in me, & miserere mei.* Quarto re- Psal. 50.
spicit, approbando: *Mundi sunt oculi tui, ne vi-* Habac. 2.
deas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris:
illam scilicet approbando. Quinto respicit, la-
borem remunerando, iuxta illud GENESIS: *La-*
borem manuum mearum respexit Deus. Sexto re- Gen. 31.
spicit, ab inimicis defendendo, quomodo respe-
xit populum suum, vt habetur in EXODO: *Respe-* Exod. 2.
xit Deus filios Israel, & liberauit eos: respicit tan- Psal. 112.
dem, humilem exaltando: *Humilia respicit in
cœlo, & in terra: Suscitans à terra inopem, & de
stercore erigens pauperem.* his quidem modis
omni-

omnibus manifestius est: quam probatione vlla indigeat, Deum respexisse Deiparam Mariam. Ex his omnibus modis illius præsertim memor D. Avg.

D. Aug. ser de Assumpt.

quo *respicere* pro *approbare* accipitur; sic ait: *O vera humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos innouauit, mundũ purificauit, paradisum aperuit, & omnium animas liberauit. Facta est Mariæ humilitas scala cœlestis, per quam Deus descendit ad terras: Quid enim est dicere: Respexit humilitatem ancillæ suæ, nisi approbauit? Multi enim videntur in conspectu hominũ humiles esse, sed eorum humilitas à Deo non respicitur. Si enim veraciter humiles essent, ab hominibus non se laudari vellent, & non in mundo, sed in Deo spiritus eorum exultaret.* hæc ille.

D. Bern. sup. Missus.

XIII. Hvmilitas autem Virginis adeo probata Deo esse perhibetur, vt D. Bern. dicat: *Etsi virginitate placuit, humilitate tamen concepit.* Sapientissima enim Virgo agnouit nullum aptiorem excogitari posse modum ad appropinquare faciendum Deum altissimum sibi, quam si ipsa profundissime se humiliasset. vt enim dixit D. Avgvst.

D. Aug. sup. Psalm 33. Ib. super Psal. 139.

Magna mysteria, fratres: Deus super omnia est, erigis te, & non illum tangis, humilias te, & ipse ad te descendit. & in Psal. 50. *Nosti, quia excelsus est Deus, si te excelsum feceris, lõginquabitur à te; si te humiliaueris, propinquabit ad te. Verum habemus ad idẽ propheticum certiorem sermonẽ: Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longe cognoscit.*

Psal. 139.

quibus in verbis duo obseruanda sunt: Primum, quod quia excelsus est, respicit humilia, quia cum adeo excelsus sit, vt nihil omnino supra habeat, ad quod mentis aciem intendat, opus est, vt inferiora & humilia respiciat, humilia quidem, non secundum locum, sed secundum affectum. Secundum est, quod *alta*, hoc est, superbos, altum sapientes *à longe cognoscit*: nam sicut sol, luna, & stellæ, licet magnæ quantitatis sint, oculis tamen nostris parua videntur, quia à longe cõspiciuntur, ita superbi, licet magnates, & præpotentes sint in hoc sæculo, in oculis tamen Dei à longe eos respicientis paruissimi sunt;

D. Aug. sup. Psalm. 137.

vnde egregie D. Avgvst. dixit: *Quid sibi ergo præstat superbus, nisi vt à longe videatur, non vt non videatur? Ne putes te ideo securum esse debere, quod minus te bene videat, quia à longe te videt: tu enim quod à longe vides, nõ bene vides: Deus etsi à longe te videt, perfecte te videt, & tecum non est. Hoc agis, non vt minus perfecte videaris, sed vt non sis cum illo, à quo videris.* Superbus igitur non male à Deo videtur, quia à longe respicitur, sed paruulus oculis Dei obiicitur, quia longe abest ab ipso: non sic Maria, cui Dominus tam prope erat, vt Angelus ei diceret:

Luca. 1.

Aue gratia plena, Dominus tecum: tecum est in corde, tecum in mente, tecum erit in ventre.

XIV. Cæterum ad moralẽ quandam eorundem verborũ expositionẽ: *Respexit humilitatem ancillæ suæ*, sermonem conuertamus. Ex his duobus principiis, humilitate scilicet ex parte Virginis, & fauorabili aspectu oculorum ex parte Dei, conclusio hæc legitima illatione infertur: beatissimam Virginem prodigium esse gratiæ, ac stupendum diuinæ potentiæ miraculum, vt præuiderat Ioannes,

Apoc. 12.

cum dixit: *Signum magnum apparuit in cœlo* (scilic. Ecclesia catholica:) *Mulier amicta sole*; oculi enim Dei, cum sint *lucidiores super sole*, vt ait Sapiens, B.

Eccles. 23.

Virginem respicientes tanta claritate irradiarunt, vt sole ipso velut amictu vestita videretur. Et quidẽ si fulgurantium radiorum aspectu sol aerem illuminat, tenebras pellit, terram fæcundat, in conchiliis margaritas gignit, in telluris visceribus auri & argenti pretiosa metalla producit, ac vniuersum mundum, tanquam regulatissimum horologium, regit atque gubernat, quos quæso putabimus effectus Deum ipsum *solem iustitiæ* Matrem suam respicientem beneuolo suo aspectu in ea produxisse? Olim dixit Deus Israelitis; *Respiciam vos, & crescere faciam*;

Leuit. 26.

respexit etiam Mariam, & fecit illam crescere, sed quantum inter hoc incrementum & illud intersit, facile est videre, cum illud esset in rebus tẽporalibus, hoc in spiritualibus; illud relinquebat illos seruos, & muneri seruiendi addictos, hoc euehit ad dignitatem matris Dei, & exaltat vsque ad generandum, lactandum, & nutriendũ ipsum Deum, quo altius pura creatura extolli non potest. Ecce quomodo quanto magis Deipara Maria profundius se deiecit & humiliauit, tanto sublimius illam Deus eleuauit & exaltauit. Vnde sancti Patres miram laudem Marianæ humilitatis nobis scriptam reliquere. Rvper. enim super

Ruper. sup. c. 1. Cant.

Cantica introducit Virginem per prosopopeiam in hunc modum loquentẽ: *De altissimis illis respexit Dominus humilitatem meam, hoc est, quod dico, dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum? Quid est enim, vel erat accubitus regis, nisi cor, vel sinus Patris? dum in accubitu esset, nardus mea dedit odorem suũ, & hoc odore delectatus descendit in vterum meũ. Olim in Eua malo superbiæ fætore offensus, & ob hoc ab humano genere auersus fuerat: nunc autẽ delectatus nardo humilitatis meæ ad genus humanum conuersus est.*

D. Bern. ser. 42. in Cant.

D. Bernardvs quoq; in eadẽ Cantica: *Bonus, ait, humilitatis odor, qui de hac valle plorationis ascendens, perfusis circumquaque vicinis regionibus, ipsum quoque regium accubitum grata suauitate respergat. Est nardus humilis herba, quam & calidæ ferũt esse naturæ, qui herbarum vires curiosius explorant & ideo per hanc videor mihi nõ inconuenienter virtutem humilitatis accipere, quæ sãcti amoris vaporibus flagret*, hæc Bernardus.

Idem serm. 45. in Cãt.

Idem etiam S. Bernardvs eãdẽ Virginis humilitatẽ commendans inquit: *Sancta Maria sanctimoniam non amisit, & humilitate nõ caruit, & ideo concupiuit rex decorem eius, quia humilitatem innocentiæ sociauit*, & infra explicans illa verba:

Ibidem.

Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, inquit, *merito pulchra reperitur, cui neutra defuit pulchritudo. Rara auis in terris, aut sanctitatem non perdere, aut humilitatem sanctimonia non excludi, & ideo beata, quæ vtramque retinuit.*

XV. Ad extremum, vt humilitatis sectatores efficiamur,

ciamur, remedia, quæ SS. Patres ad hanc virtutem adipiſcendam nobis exhibuerunt, placet in mediũ proponere. Primum eſt, vt vilia & infima noſtra primordia perpendamus: hoc remedium tradit D. [D. Chryſoſt hom. 12. in Gen tom. I.] CHRYSOST. in Geneſ. exponens verba illa: *Formauit Deus hominem puluerem de terra*, inquit: *Quid dicis? Acceptione de terra puluere formauit hominem? Et iam inquit, & non ſimpliciter, nec fortuito terrã dicit, ſed puluerem, quaſi ſi quis dicat, tenuiſſimum & viliſſimum, quod eſt in terra. Hinc ſi attendere volumus, non parua nobis humilitatis offertur doctrina. Nã cum cogitauerimus, vnde conſtitutionis ſuæ initiũ natura noſtra ſuſceperit, etiamſi ſexcenties ſupercilia erigamus, ea reprimemus, & humiliabimur, & ſubſtantiæ noſtræ qualitatem perpendentes modeſtiam diſcemus. Et propterea Deus, cui tãta ſalutis noſtræ cura, ad noſtri eruditionem prophetæ linguã ſic direxit. Quippe* [Gen. I.] *cum ſuperius dixerat diuina ſcriptura: Fecit Deus hominem ad imaginẽ & ſimilitudinẽ ſuam, & dedit illi omnium viſibiliũ poteſtatem, vt ne ignorando, quomodo cõſtitutus ſit, magnus ſibi videatur, & præſcriptos ſibi limites tranſeat, propterea repetendo docet formationis eius originem, & vnde primus homo productus ſit. Plurimũ .n. ad erudiendũ nos cõducit ſcire, vnde ſubſtãtia noſtra primam originem acceperit.* Idem remedium [D Greg. hõ. 12. in. 4. cap. Ezech.] adhibet D. GREGOR. in Ezechielem, vbi explicans illa verba: *Et tu fili hominis, ſume tibi laterẽ*, inquit: [Ezech. 4. 6. & alibi.] *Inquirendum eſt, cur Ezechiel Propheta, vel quoties ſublimia conſpicit, vel quoties agere aliqua myſtica iubetur, prius filius hominis appelletur. Sæpe enim ſubleuatur ad cœleſtia, & occultis ac inuiſibilibus rebus mens eius paſcitur. Neceſſe ergo eſt, vt inter occulta, quæ penetrat, filius hominis vocetur, vt sẽper agnoſcat quod eſt, & nunquã extollatur de his, ad quæ ducitur. Quid eſt enim Prophetæ ad ſpiritalia ſubleuato sẽper, fili hominis dicere, niſi ei infirmitatis propriæ memoriam facere, vt conſcius cõditionis infirmæ eleuari in cogitatione non debeat de magnitudine contemplationis ſuæ?*

XVI. ALII Patres ad radicãdã in nobis humilitatis virtutem docent (& hoc ſit ſecundum remediũ,) vt frequenter noſtrã ſpiritualem egeſtatem agnoſcamus, vt inde confundamur & humiliemur, hu- [D. Aug. li. de ſpiritu & anima, tom. 3.] mileſq; efficiamur: ita dixit D. AVGVST. libr. de ſpiritu & anima: *Duo nobis neceſſaria ſunt, vt nos cognoſcamus, videlicet, quales ſimus ad malum, & quales ad bonũ. Proni ſumus ad malũ, & ſi miſericordia Dei nõ teneret nos, in omne vitium poſſemus cadere, nec inde ſurgere, niſi miſericordia Dei ſubſequeretur, quæ nos ſubleuaret. Hoc bene cognoſcebat Propheta, cũ dicebat:* [Pſal. 25.] *Domine miſericordia tua ante oculos meos eſt, quæ me* [Pſal. 22.] *cuſtodiat: &: & miſericordia tua ſubſequetur me, quæ* [Gen 18.] *me erigat. Inualidi ſumus ad bonũ, nec ſine Dei gratia bonũ facere, vel in aliquo bono perſeuerare poſſumus. Hãc geminã cognitionem ſui habuit Abrahã, cum dixit: Loquar ad Dominum meũ, cum ſim puluis & cinis. Reuera puluis eſt homo. Sicut .n. puluis ex quacumq; parte venti impellitur, & in aliã area deijcitur, & ibi remanet, ſic homo in omne vitium cadere poteſt, nec adijciet, vt reſurgat, niſi miſericordia Dei ei ſubueniat. Cinis etiã eſt homo, quia ſicut cinis nec profert germen ex ſe, nec ſuſceptũ ſemen germinat, ſic homo nec bonũ facere, nec in aliquo bono perſeuerare ſine gratia Dei poteſt. Quidquid mali non fecimus, eo miſerante non fecimus. Quiſquis in veritate ſe ita cognoſcit, humilis eſt coram Deo, & hominibus: nullum iudicat, nullum accuſat, non ſeruat irã, non mouet rixas, non ſeminat diſcordias, non odit arguentes ſe, nulli detrahit, nulli nocet, nullum odit, ſed omnes diligit.* At tandem CHRYSOST. ſic ha- [D. Chryſ. hom. 38. ad pop. Antioc. tom. 5.] bet: *Si magna vis reddere merita tua, ea ne magna eſſe putes, & magna tunc erunt. Sic & Centurio dicebat: Non ſum dignus, vt intres ſubtectũ meum, & propterea* [Matth. 8.] *dignus factus eſt, & admirationi ſuper omnes Iudæos* [I. Cor. 15.] *habitus. ſic & Paulus dicens: Non ſum dignus vocari Apoſtolus, & propter hoc omnium primus factus eſt. I-* [Matth. 3.] *tidẽ & Ioannes: Non ſum dignus ſoluere corrigiã calce-* [Matt. I.] *amenti eius, & ideo amicus quoq; fuit ſpõſi, & manum,* [Lucæ 5.] *quam eſſe calceamento dixit indignã, hanc ſuper caput ſuum Chriſtus attraxit. Sic & Petrus dicebat: Exi à me, quia homo peccator ſum Domine, & idcirco factus eſt Eccleſiæ fundamentum. Nihil enim Deo tam gratum, quam cum extremis peccatoribus ſemetipſum cõnumerare. Hoc eſt totius ſapientiæ principium. ſic .n. humiliatus & contritus non inani gloria ventilabitur, non iraſcetur, non inuidebit proximo. Nec .n. contritam manũ, licet millies contendamus, in altitudinem tollere poterimus; ſi igitur & animam itidem conteramus, licet innumeri tumefacientes morbi eam extollant, neq; tantillum eleuari poterit.*

XVII. Idem etiam S. CHRYSOST. in Epiſtolam B. [D. Chryſ. hom. 2. in ep. Paul. ad Philem.] Pauli ad Philemonem hæc valde obſeruanda ad profectum humilitatis ſcripſit: *Quantumlibet nos humiliauerimus, magna ipſius virtutis pars adhuc reliqua eſt. Audi, & exhorreſce etiam, nunquam de humilitate eleueris. Extollit humilitas, niſi vera & germana fuerit. Eſt ea ars profecto diabolica, vt ſicut plures, eo quod inanem gloriam vicerunt, gloriantur inanius, ita & qui ſe humiliauerunt, extolluntur? Verbi gratia: Venit quiſquam frater aut etiam ſeruus, ſuſcepiſti eũ, lauiſti pedes eius, feciſti quod nemo, humilitatẽ conſecutus es. Ea te cogitatio extollit, immo ex alto deiicit. Vnde igitur poſſet quis ſolide in humilitate perſiſtere? Si præceptũ Domini ſemper animo verſet, quo ait:* [Lucæ. 17.] *Cum feceritis quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus. Ille ſolus humilitatem animi vere conſecutus eſt, qui ſibi ipſi perſuaſit, quantumlibet peregerit, nihil ſe magnum geſſiſſe, qui nec ad finem perueniſſe arbitratur. Complures ex humilitate in ſuperbiam elati ſunt, ſed nos ne obſecro id patiamur. Feciſti aliquid humile, noli magnum ſapere, alioquin omnia perdidiſti. Eiuſmodi fuit Phariſæus ille, elatus intumuit, quod pau-* [Luca 18.] *peribus decimas daret, & omnia amiſit. Non ſic Publicanus ille, qui quoniam ſe humiliter agnoſcebat, iuſtificari præ illo meruit. Audi rurſum Paulum dicentem: Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtifi-* [I. Cor. 4.] *catus ſum. Vides quã ſe non extulerit, ſed modis omnibus deiecerit, atque humilior euaſerit, idque cum ad ſupremum virtutis culmen perueniſſet. Tres etiã pueri igni-* [Daniel. 3.] *bus iniecti quid in media fornace dicebãt? Peccauimus*

cum

cum patribus nostris, iniquitatem fecimus, sed in corde
cõtrito & spiritu humilitatis suscipiamur. Ita & cum
in fornacem incidissent, humiliores quã antea fuerant,
clăruerunt. Nã postquã miraculũ illud circa se patratũ
v.derũt, seipsos salute indignos arbitrãtes, ad humilita-
tem protinus conuersi sũt. Audi quid & Dauid dixerit:
Quod si dixerit mihi, nolo te, ecce ergo facias mihi, quod
1.Reg.15. acceptũ est corã se. Poterat certe sua plurima recte facta
proferre, sed humilia sentire, & dicere maluit. Heliquo-
q; Dominus inquit, est, quod gratũ est corã se, faciat. &
paulo inferius: Si humiles sumus, vt decet, si mites, ac
mãsueti, vt oportet, non sit nobis ea humilitas elationis
occasio. Humilis es, & cũctis abiectior, noli idcirco infla-
ri, ideo.n.te humilias, vt arrogantiã fugias. Quod si per
hanc arrogantiã corruas, melius fuerat non humiliari.
Quoties tibi subrepit elata cogitatio, quod quasi humi-
litatis culmen occupaueris, considera, vbinam, vnde de-
scenderit Dominus tuus, & tunc deponeste ipsũ admi-
rari & laudare. Immo te, & tua omnia ridere cogeris, cũ
ex collatione dominicæ humilitatis nihil te omnino pro
fecisse cognoueris, debitorem te semper existimans.

XVIII. ALII Patres tertiũ remediũ tradũt ad vir-
tutis humilitatẽ obtinẽdã, illudq; efficacissimũ, vt
Christũ Dominũ opere & sermone, verbo & exẽplo
humilitatẽ docentẽ intueamur & audiamus: vnde
Orig hom. 22. quæ est de humilitate tom.1. ORIG. ait: Vniuersã Domini dispẽsationẽ ad humilita-
tẽ nos instruere deprehendimus. Cũ infans esset, mox in
spelunca, nec lecto, sed præsepi imponitur. Deinde in do-
micilio fabri, & matris pauperculæ enutritur; subditus
matri & illius spõso. Subditur Ioanni, & baptismum su-
scepit à seruo Dominus. Nemini aduersariorũ resistit,
neq; inenarrabilẽ suã potestatem in quẽquã vibrat, sed
quasi potẽtioribus cedit. Principibus sacerdotũ in forma
Rei sistitur, ad præsidẽ ducitur, & iudiciũ illius sustinet,
& cũ posset calũniatores arguere, silẽtio tolerat illorũ ca-
lumnias. Conspuitur à seruis, ac vilissimis pueris; morti
traditur, eiq; (hominum iudicio) turpissimæ: póst tantam
vero animi humilitatem tandem & gloriam suam exe-
rit, vna secum glorificans, quotquot cum ipso ignomi-
niam tulere; quorum primi sunt beati discipuli, qui
pauperes, ac nudi orbem percurrerunt non in sapientia
sermonis, nõ sequaciũ multitudine suffulti, sed soli, &
piscatores, & desolati, terrã ac mare peragrãtes, flagris
cæsi, lapidati, & occisi. Ad horũ nos imitationẽ cõferam⁹,
vt ex humilitate nobis sẽpiterna nascatur gloria. Sit ti-
bi & ornatus, & indumẽtũ, & incessus, & cathedra ad
mediocritatẽ magis quã ad fastũ. Par esto subiectis, qui
nãq; primus esse cupit, omniũ hominũ seruum esse iubet
Christus. Ama humilitatẽ, & glorificabit te. Agnoscet
te Christ⁹ tãquã discipulum suum corã Angelis & glori-
ficabit te, si humilitatis ipsius fueris imitator, qui dixit:
Discite à me, quia mitis sũ, & humilis corde, & inuenie-
Matt.11. tis requiẽ animab⁹ vestris. & D. AVG. li. de sãcta virgi-
D. Aug. li. de S. Virg. tom.6. nitate loquẽs de Chananæa, quæ humili affectu di-
xerat se canem esse, ait: O mulier magna est fides tua,
fiat tibi, sicut vis: quã superius canẽ appellauerat, nec ei
Matth. 15. panem filiorum proiiciendum esse responderat, quod illa
humiliter accipiens, dixerat; etiam Domine, nam &
catelli edũt de micis, ac sic quod assiduo clamore nõ im-

petrauerat, humili confusione promeruit. Hinc illi duo Luc.18.
proponuntur orantes in templo, vnus Pharisæus, alter
Publicanus, propter eos, qui iusti sibi videntur, & sper-
nunt cæteros, & enumerationi meritorum præfertur
confessio peccatorũ: & descendit publicanus iustificatus
magis, quam ille Pharisæus, & causam ostendens cur id
iustũ sit, ait: Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur,
& qui se humiliat, exaltabitur. Quid illud, quod
quærẽtibus discipulis: quis eorum videretur esse maior?
puerũ paruulum cõstituit ante oculos eorum dicẽs: Nisi Matth. 4.
efficiamini sicut paruuli, nõ intrabitis in regnũ cælorũ;
nõne humilitatẽ maxime commẽdauit, & in ea meri-
tum magnitudinis posuit? Vel cum filiis Zebedæi latera
eius in sedium sublimitate cõcupiscentibus ita respõdit,
vt passionis eius calicem bibẽdum potius cogitarent, in
quo se humiliauit vsq; ad mortẽ, mortẽ aũt crucis, quã
superbo appetitu præferri cæteris postularent, quid o-
stẽdit nisi eis se futurum altitudinis largitorẽ, qui eum
doctorem humilitatis antea sequerentur? iam vero qui
exiturus ad passionem lauit pedes discipulis, monuitq;
vt condiscipulis, atque conseruis hoc facerent, quod eis
fecisset magister & Dominus, quãtum commendauit hu-
militatem, cui commendandæ etiã illud tempus eligit,
quo eum proxime moriturum cũ magno desiderio con-
tuebantur? hoc vtique præcipue memoriæ retenturis,
quod magister imitandum vltimum demonstrasset, ait:
hoc facite in meam cõmemorationẽ. & ibidem subiun-
git: Huccine redacti sunt thesauri sapientiæ, & sciẽtiæ
abscõditi in te, vt hoc pro magno discamus à te, quoniã
mitis es, & humilis corde? Itane magnum est esse paruũ,
vt nisi à te, qui tam magnus es, fieret, disci omnino non
posset? Ita plane. Audiant te, & veniant ad te, & mites
atque humiles esse discant à te, qui misericordiam &
veritatem tuam requirunt, tibi viuendo, tibi non sibi:
Audiat hoc laborans, & oneratus, qui sarcina premi-
tur, vt oculos ad cœlum leuare non audeat, percutiens
pectus ille peccator & propinquãs de longinquo. Audiat Matth.8.
centurio nõ dignus cuius tectum subires. Audiat Za- Luc.19.
chæus, maior Publicanorum; audiat mulier in Ciuitate Luca 7.
peccatrix. Audiant meretrices & Publicani, qui Scribas Matt.12.
& Pharisæos præcedunt in regno cœlorum. Hi omnes cũ Rom.5.
cõuertuntur ad te, facile mitescunt & humiliantur corã
te, memores iniquissimæ vitæ suæ, & indulgentissimæ
misericordiæ tuæ, quia vbi abundauit delictum, super-
abundauit & gratia. Ac tandem D. GREGOR. expo- D.Greg. li.
nẽs verba illa Iob, vbi sermonẽ habẽs de Leuiathan 34. mor. c.
dicit: Ipse est rex super vniuersos filios superbiæ; sic ha- 18. Iob. 41.
bet: Audiant omnes; Immundus est apud Deũ omnis, Eccles. 10.
qui exaltat cor suum. Audiãt omnes; Quid superbis ter- Matth.11.
ra, & cinis? Audiãt omnes Dominũ dicẽtẽ; Discite à me,
quia mitis sum, & humilis corde. Ad hoc nãq; vnige-
nitus Dei fili⁹ formã infirmitatis nostræ suscepit, ad hoc
inuisibilis nõ solum visibilis, sed etiam despectus appa-
ruit, ad hoc cõtumeliarũ ludibria, irrisionũ opprobria,
passionumq; tormenta tolerauit, vt superbum non esse
hominẽ doceret humilis Deus. Quanta ergo humilitatis
virtus est; propter quam solam veraciter edocendam is,
qui sine æstimatione magnus est, vsque ad passionem fa-
ctus est paruus? Quia .n. originem perditioni nostræ

superbia præbuit diaboli, instrumentum redemptionis nostræ inuenta est humilitas Dei. Hostis quippe noster videri super omnia voluit elatus; Redemptor autem noster
Isaia 14. *magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus est paruus. Auctor mortis dicit: in cœlum conscendam;*
Psalm. 87. *auctor vitæ ait; Repleta est malis anima mea, &*
Zach. 2. *vita mea inferno appropinquauit. Ille dicit; Super astra cœli exaltabo solium meum, iste humano generi à paradisi sedibus expulso dicit; Ecce venio cito, & habitabo in*
Isaia 14. *medio tui. Ille dicit; sedebo in monte testamenti, in late-*
Psalm 21. *ribus Aquilonis; iste dicit: ego sum vermis, & non ho-*
Isaia 14. *mo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Ille dicit;*
Ad Phil. 2. *Ascendam super altitudinem nubium, & similis ero Altissimo; Iste cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.*

XIX. QVARTVM remedium ad humilitatem comparandam tradit idem D. GREGORIVS super Ezechielem, attentam scilicet ac profundam magnitudinis, & omnipotentiæ Dei considerationem, dum enim diuinam maiestatem contemplamur, quam longe ab ea abest humana infirmitas ac labilis nostra conditio, necesse erit agnoscere. Verba eius, vtpote spiritu, doctrina & eruditione plena, hic referre minime grauabor: *Vox supra firmamentum fit, quando animus hominis omne quod creatum est transcendens, in solo creatoris sui lumine fidei oculos figit, quod vbique est; & vbique totus est, quod nusquam deest, & tamen ab iniquorum cogitationibus longe est; quod nec ibi deest; vbi longe est, quia vbi non est per gratiam, est per vindictam. Huius naturæ potentiam, cum strictius in ea cogitat animus, vox super firmamentum fit, & tunc stant animalia & submittunt alas suas, quia sanctorum mentes, dum Creatoris sui potentiam intenta contemplatione desiderant, vilescunt eorum animo virtutes, quas habent & tanto fiunt apud se humiles, quanto eis illud allatum est, quod super Angelos sonat: Deponant ergo alas suas, cum vox super firmamentum fit, id est, humilientur in eo, quod apprehendunt, cum superna conspiciunt, quæ ab eis comprehendi non possunt. Sæpe etiam sanctorum cogitationibus ipsa, quæ habent bona, blandiuntur, vt eorum mentes in aliqua sui fiducia eleuent, sed protinus ad occulta Dei iudicia recurrunt, quo modo alij ex virtutibus ad infernum per elationem corruunt, alij ex vitiis correcti ad cœlum per humilitatem leuantur. Vnde nos ad humilitatem reuocans Propheta terret, & admonet dicens. Venite & videte opera Dei, terribilis in consilijs super filios hominum. Quis enim digne considerare valeat, quantus super nos terror sit consiliorum Dei, quando alter ex virtutibus in finem tendit in vitia, & alter ex vitiis in virtutibus concludit finem? Quia iuxta Salomonis sententiam: Sunt iusti, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: Et tamen nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta: &: Est via, quæ videtur homini iusta, nouissima autem eius deducunt ad mortem. Hæc itaque occulta iudicia profunde cogitare, quid est aliud, quam alas deponere, id est de nulla iam virtute confidere, sed sub magno timore trepidare? siue enim omnipotentis Dei naturam considerent, siue eius iudicia perpendat, trepidat & pertimescunt. Eis ergo quasi alas deponere, est virtutes, quas habent, humiliare. sic Abraham alas deposuit, qui quando loqui cum Deo cœpit, puluerem & cinerem se esse cognouit dicens: Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis, sic Moyses alas deposuit, qui eruditus in omni scientia Ægyptiorum, mox vt verba Domini audiuit, verba se non habere deprehendit, dicens: Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri, & nudiustertius; Ex quo enim locutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum. sic Isaias, cuius vita Domino ad prædicandum placuerat, cum eundem Dominum contemplatus, carbone de altari in ore tactus est, ait: Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum. Ecce ad superiora subleuatus, sibimetipsi de labiorum pollutione displicuit. Nisi enim cœlestis munditiæ alta conspiceret, esse se iudicabilem non inuenisset, sic loquente Domino: Ieremias clamat: A, a, a, Domine Deus, nescio loqui, quia puer ego sum Iuxta enim ea verba, quæ audiebat, verba se non habere cognouerat. sic Daniel sublimem visionem vidēs per plurimos dies elanguit, & ægrotauit, quia & hi, qui in virtutib. fortes sunt, cum Altiora Dei conspiciunt, in sua sublimi æstimatione infirmi atque imbecilles fiunt. sic B. Iob à Domino laudatus, cum verba Dei colloquentis audiret, respondit dicēs: Insipienter locutus sum, & quæ vltra modum excederent scientiam meam: & paulo post: idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere. Qui enim quantum ad homines sapienter locutus fuerat, loquentem sibi Deum audiens, insipienter se locutum fuisse reprehendit, quia in contemplatione veræ sapientiæ sua ei sapientia viluit. Ad vocem ergo desuper venientem animalia alas deponunt, quia virtutem Dei, siue in natura sua contemplari requiramus, siue in occultis iudiciis inuestigare cogitemus, pro eo, quod eius alta nobis impenetrabilia sunt, nostra nobis, si qua inesse bona credebantur, vilescunt. Et qui in quantumcunque scientia volare credebamur, inuisibilem super nos naturam, & impenetrabilia eius iudicia perpendentes submissis alis humiliter stamus.*

Margin (col. 1): D. Greg. hom. 2. in Ezech. tom. 2. — Psal. 65. — Eccles. 9. — Prou. 14.
Margin (col. 2): Gen. 18. — Exod. 4. — Isaia 6. — Ierem. 1. — Daniel 8. — Iob 42.

XX. TANDEM vltimum remedium, & efficacissimum ad humilitatem inquirendam humiliationem esse his verbis D. BERNARDVS edocuit: *Humiliatio via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam si virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humilitationis. Prodest itaque mihi meam insipientiam sciri, & à scientibus iure confundi, cui sæpe contigit à nescientibus iniuste laudari. Terret me Apostolus, qui & ipse territus dicit: Parco autem, ne quis me existimet supra id, quod videt in me, aut audit aliquid ex me. Quam pulchre dixit: parco. Non parcit sibi arrogans, non parcit sibi superbus, non cupidus vanæ gloriæ, & iactator actuum suorum, qui vel sibi arrogat, quod est, vel mentitur de se, quod est, vel mentitur de se, quod non est. Solus, qui vere humilis est, parcit animæ suæ, qui ne putetur, quod non est semper, quantum in se est, vult nesciri, quod est. Grande reuera periculum, audire quemquam de se supra, quam sentit in se. Quis dabit mihi apud homines tantum de veris digne humiliari, quantum vel de falsis datum est indigne exaltari? Illam mihi vocem propheticam iure assume-*

Margin: D. Bernar. ep. 87. ad Egerium Canonicum regularem. — 1. Cor. 12.

assumerem: Exaltatus autem humiliatus sum, & conturbatus: Et illud: Ludam, & fiam vilior. Ludã scilicet, vt ludar. Bonus ludus, quo Michol irascitur, & Deus delectatur: bonus ludus, qui hominibus quidem ridiculum, sed Angelis pulcherrimum spectaculũ præbet: bonus, inquã, ludus, quo efficimur opprobrium abundantibus, & despectio superbis. Nam reuera quid aliud sæcularibus, quam ludere videmur, cum quod ipsi appetunt in hoc sæculo, nos per contrarium fugimus, & quod ipsi fugiunt, nos appetimus? Ludus iucundus, honestus, grauis, quo ludebat, qui dicebat: Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis & hominibus. Hoc ludo & nos interim ludamus, vt illudamur, confundamur, humiliemur, donec veniat, qui potentes deponit, & exaltat humiles, qui nos lætificet, & in æternum exaltet.

Psalm.87 · *2. Reg 6.* · *1. Cor.4.*

XXI. Ad extremum non possum aliam eorundẽ verborum B. Virginis explicationem silẽtio præter ire; pro qua supponendum est, quod humilitas non semel in sacris eloquiis afflictionem significat, eadem enim fere verba Anna mater Samuelis loquuta est: *Si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ*; vbi in Græco: *Si respiciens humilitatem ancillæ tuæ*; quæ autem fuerit hæc afflictio B. Virginis, si me interroges, respondebo fuisse, tum quod doleret miseram humani generis vicem: tum quod maxima animi anxietate afficeretur propter dilationem aduentus Christi in carne humana, cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

1. Reg.1.

HOMILIA XVI.

Erudite exponuntur verba illa: **Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.**



I. Sacra hæc Virginis verba vt radicitus exponamus, oportet ante omnia, quid sibi velit verbum illud, *ex hoc*, explicare; nam D. Bonavent Episcopus Christopolitanus, Cornelius Iansenius, & alii non pauci moderni sequentes Venerab. Bedam, opinati sunt verbum illud, *ex hoc*, designare humilitatẽ Virginis; nam cum ante dixisset: *respexit humilitatem meã*, & continuo subiunxerit: *Ecce enim ex hoc beatã me dicent omnes generationes*, videtur plane humilitatem signare, tanquam causam huius vniuersalis commendationis & applausus: vnde Beda: *Cuius autem humilitas respicitur, recte beata ab omnibus cognominatur, vnde sequitur: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, hoc est, ex eo, quia respexit meam humilitatem.* Alii volunt, vt verbum illud, *ex hoc*, designet illud, quod in sequẽti versiculo subiicit: *Quia fecit mihi magna*, ita vt sensus sit: *ex hoc, quod fecit mihi magna, qui potens est, beatam me dicẽt omnes generationes.* Mihi tamen germanior videtur D. Hieronymi, Theophylacti, Euthymii, nec non & D. Augustini, & aliorũ interpretatio asserentium, verbum illud *ex hoc* designare tempus in quo iã B. Virgo facta & agnita erat vera mater Dei; vnde D. Hierony. pro eo, quod nos legimus: *Ecce enim ex hoc*, ipse vertit; *ecce enim amodo*, quod idem sonat, quod *ex hoc tempore*. Theophylactus quoq; expresse legit *ex hoc tẽpore*. Euthymius exponit *ecce enim posthac*. ac tandem D. Augustinus hanc probans expositionem inquit: *Vsque ad illud tempus apud homines opprobrium sterilitatis portauerat, quia integritatem virginitatis thoro maritali præponebat, sed vnde in priori generatione carnali quasi maledictionis sententiam sustinuit, inde nunc ab omni generatione mortali benedictionem collaudabiliter recepit.* habetq; hæc expositio magnũ fundamentum in Græco codice; nã vbi Interpres Latinus legit: *Ecce n. ex hoc beatam me dicent omnes generationes*; Græcus transtulit: *Ecce n. ex hoc nũc beatam me dicent omnes generationes*. quare legitimus sensus erit, ex hoc nũc beata ab omnibus prædicabor, quia Domini mater effecta sum, ex hoc enim instãti quod tu, o Elisabeth, Spiritu sancto plena, Domini matrem me esse cognoscis, & fateris, & tuus etiam filius adhuc in vtero tuo existens, contra omnem naturalem cursum, meũ filium, qui Deus est, adorat, *ex hoc* (inquam) *instanti* omnes gentes felicitatem meam prædicabũt. Tu de me nunc dicis, *beata, quæ credidisti*; sed ego dico, quod *ex hoc nunc beatam me dicent omnes generationes.*

D. Bonau. sup c.1. Luc. · *Ianse. in sua Conc. c.1. Luc.* · *Beda ibid. Luc.1.* · *Beda vbi supra.* · *D. Hier. in c.8. Isaiæ.* · *Theoph. in c.1. Luc.* · *Euthym. ibid.* · *D. August. tract. super Magnific.* · *Eus. Emiss. hom. ser.6. ante quartam Dom. Aduent.* · *Hugo Vict. in annot. super Magnificat.* · *D. Aug. vbi supra.* · *Versio Græca in c.1. Luc.* · *Luc.1.*

II. In his verbis prophetiam contineri, atque adeo B. Virginem illuminatissimam fuisse prophetissam docuit expresse Glossa interlinearis, dum in commentario illorum verborum: *Et accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium*; ait, prophetissam istam fuisse illam, quæ prophetauit dicẽs: *Magnificat anima mea Dominum.* & D. Basil. eadẽ verba exponens inquit: *quod B. Maria prophetissa fuerit, ad quam proxime per spiritus prænotionem accesserit Isaias, nemo contradixerit, qui memor sit verborum Mariæ, quæ prophetico afflata spiritu locuta est.* Recte ait (*nemo contradixerit*) quia oẽs Patres, & alii Ecclesiastici scriptores in eandem sentẽtiam conspirant, D. Ambrosius, S. Gregorius Nazianzenus, Cyrillus, Hieronymus, D. Augustin. Nissenus, Epiphanius, Eusebius, Petrus Galatinus, Lyra, Glossa Ordinaria, ac tandem Rupertus, Abbas, qui Mariam vocat *Prophetissam Prophetarum.* Prophetauit igitur B. Virgo beatam ac felicem se prædicandam ab omnibus generationibus: sicut enim de forti ac strenua muliere ait Sapiens; *Surrexerunt filij eius, & beatissimam prædicauerunt.* similẽ in modum surrexerunt in Ecclesia Catholica filij Dei, non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nati, qui per generationes, omniaque sæcula Virginem beatissimam prædicarunt & prædicabunt. Et quidem si Christus Dominus dixit. *Beati qui nõ viderunt, & crediderũt*; quomodo non B. Deipara quæ abditissimum Incarnationis arcanũ Angelo nunciante firmissime credidit: *Beata quæ credidisti, quia perficiẽtur in te omnia, quæ dicta sũt tibi?* & si David ait, *Beatus vir, cuius est*

Isaia 8. · *D. Basil. sup. c.18. Isai.* · *D. Ambro. sup. c.1. Lu.* · *Greg. Nazian. orat. 42. q 2 in Pasch.* · *Cyril. super hunc cũ.* · *Hierõ. sup. c.8. Isai.* · *Aug. lib.18 de Ciu. Dei c. vlt.* · *Nissen lib. de testi. vet. test.* · *Epiph. hær.78. prope fin.* · *Euseb. de demonst. Euãg. l.7. c.6* · *Pet. Gal. li. 7. c.4.5. & 12.*

[*Lyr. in c. 1. Luc.*] *nomen Domini spes eius*; quomodo non beata virgo, cui *fecit magna qui potens est, & sanctum nomen eius*? [*Glos. ord.*] & si SAPIENS inquit: *Beati omnes, qui diligunt te*; [*Ibidem.*] quomodo non Beata Maria, quæ pro amoris magnitudine deficiebat; [*Rupert. li. 1 in Cant.*] *dicite dilecto, quia amore langueo*? & si idem SAPIENS affirmat: *Beatus homo, qui semper est pauidus*; [*Ioan. 20.*] quomodo beata non erit Maria, quæ sancto timore in Angelica annuntiatione expauit: [*Luca 1.*] *Turba est in sermone eius*? & si DAVID dixit: [*Psal. 39.*] *Beatus populus, cuius Dominus Deus eius*; [*Prouer. 3.*] quomodo Virgo non erit beata, cuius Dominus Deus filius eius est? [*Cant. 2.*] & si idem ait: *Beati qui habitant in domo tua Domine*; [*Luca 1.*] quomodo non B. Virgo adhuc in hoc seculo, [*Psal. 143.*] quæ in eadem domo, & sub eodem tecto, [*Psalm 83.*] imo & in infantia Christi in eodem lecto, & cum ipso per triginta & plures annos cohabitauit? & si idem ait: [*Psal 100.*] *Beatus vir, qui miseretur & commodat*; quomodo non B. Virgo, quæ tot misericordiæ opera erga Deum hominem exercuit, illum potauit, cibauit, hospitem in propria domo recepit, nudum vestiuit, captum à Iudæis visitauit, & mortuum sepeliuit? ac tandem si idem Propheta dicit: [*Psal. 118.*] *Beati immaculati in via*; [*Cant. 4.*] quomodo non beata erit Maria, de qua sponsus ait: *Pulchra es amica mea, & macula non est in te*: & quam Salomon vocauit *speculum sine macula*, [*D. Basil. in or. de annunc.*] Hoc laudationis genus docuit me B. BASIL. Seleuciæ Episc. qui in orat. de annunc. ait: *Si Petrus ob id beatus appellatus, regnique cœlorum claues sortitus est, quia Christum Dei filium palam confessus est, quomodo ea super omnes beata prædicanda non est, quæ illum parere meruit, quem ille confessus est?*

III. CÆTERVM cum sanctissimam Virginem dicentem audio: [*Luc. 1.*] *Beatam me dicent omnes generationes*, nomine *beatitudinis* intellexisse, arbitror felicitatẽ & celebritatem sui nominis; sicut enim Christus nominis sui gloriam & exaltationem ex eo obtinuit, quod cum æqualis Patri esset, se exinaniuit, formam serui accipiens, ita Deipara nominis sui gloriam ac celebritatem consecuta fuit, eo quod cum humilis ancilla esset, Dei Genitrix facta fuisset, præcipue tamen beatam se acclamandam, intellexit, quia filium Dei vtero suo conceperat. [*Gen. 27.*] Allusisse mihi videtur Deipara ad verba Liæ, quæ eo, q̃ Zelpha eius ancilla filiũ peperisset, dixit: *Hoc pro beatitudine mea: beatã quippe me dicent mulieres*: quę verba potiori iure poterat B. Virgo sibi vsurpare, quam Lia; tum quia partus ille alienus fuit, & non Liæ, B. vero Virgo ex propria substantia Christum concepit; tum quia si filium illum appellauit Lia *Aser*, quod interpretatur *beatitudo*, quasi felicitatem, & beatitudinem Zelpha ei peperisset, certe beatissima Virgo Christum peperit; qui vere omniũ Angelorum & hominum obiectiua beatitudo est.

IV. ADEO autem bene congruit Mariæ *beatam* nominari, vt sicut inter Deos à Poetis *Tonans* nominatur *Iuppiter*: inter Prophetas *Dauid*, inter sapiẽtes *Salomon*, inter Apostolos *Paulus*, inter Oratores *Cicero*, inter medicos *Galenus*; ita cum auditur *B. Virgo*, continuo Mariam intelligimus significari. Quinque circumferuntur beatitudinis, seu felicitatis definitiones, quæ singulariter in Deiparam conuenire reperio, CICERO in Tusculanis felicem & beatum illum describit: [*Cic. lib. Tusc. quæst.*] *Cui quidquid optauit, ad vota successit*. D. AVG. lib. de Trinit. aliam describit definitionem: [*D. Aug. lib. 13. de Trin.*] *Beatus est habens omnia, quæ vult & nihil mali vult*. ARISTOTELES autem aliter definiuit: [*Arist. libr. Metaph.*] *Beatus est habens actus secundum perfectam animi virtutem*. ac tandem BOETIVS illam assignauit beatitudinis definitionem, quæ per omnium ora vagatur: [*Boet. lib. 3. de consol.*] *Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus*; cum igitur Deipara Maria nihil à Deo obtinere absoluta voluntate optauerit, quod pro votis non fuerit consecuta, cum habuerit omnia, quæ voluit, & nihil vnquam mali voluit, cum incessanter secũdum perfectam animi virtutem semper operaretur ex plenitudine diuinæ gratiæ; cum denique tanta bonorum copia aggregatim in illam confluxerit, vt simul esset Virgo & mater Dei, qui fons est & origo omnium bonorum, merito his omnibus nominibus *beata* nominari & prædicari ab omnibus nationibus debet, vt de seipsa prophetauit dicens: *Beatam me dicent omnes generationes*. Illud tamen silentio non prætereo, quod in magnam Virginis laudem cedit, obseruatum à nobis esse nusquam generationum omnium laudem, & prædicationem nisi Deo tribui, iuxta illud; [*Psal. 139.*] *in generatione, & generationem annunciabimus laudem tuam*; & illud; *Domine memoriale tuum à generatione in generationem*; vnde cum propria hæc Dei laus Mariæ tribuitur, illud certe in causa erit, quod Deũ genuit, & eius mater est, cui omnium generationum laus debetur.

V. PORRO iam explicare opus est, quid intellexerit B. Virgo per *omnes generationes*, à quibus se laudandam vaticinata est. Antequã tamen id præstem, præsupponere oportet beatissimam Virginem certo præcognouisse, prophetico spiritu afflatam, celeberrimi sui nominis famam per vniuersum terrarum orbem longe lateque diffundendam fore; ad quod alludens ipsa dixit: *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum*. [*Cant. 4.*] Sed vsquequo fluent, o dilectissima sponsa, aromata horti tui? vsquequo fluet odor clarissimi nominis tui? certe in *generationes generationum*, quia *generatio & generatio laudabunt opera tua*: [*Psal. 144.*] si enim bonum nomen & famam non solum in vita, sed etiam post mortem sanctos & iustos cõcomitatur, iuxta illud: *In memoria æterna erit iustus*: e cõtra vero, *nomen impiorũ putrescet*, vt dixit SAPIENS, & vt ait DAVID: [*Psalm. 111. Prouer. 10. Psalm. 33.*] *Periit memoria eorũ cum sonitu*: multo magis Dei genitricis immortalis fama, ac præstantissimi nominis eius laus per omnium ora volitabit. Iob quidem, vt significaret suauitatem odoris, quem immaculata eius vita efflabat, dixit: *Dies mei pertransierunt quasi naues poma portantes*, [*Iob 9.*] quia sicut nauibus odoriferis pomis onustis contingere solet, vt flante vento suauissimũ post se odorem relinquant, ita inculpatissimo Iob accidit, vt quacumque via transibat, suauissimum sancti-

sanctitatis vitæ suæ odorem relinqueret, ac per vniuersum orbem illum spargeret. Quid quæso fuit B. Virgo, nisi mystica nauis odoriferis cœlestium charismatum pomis onusta, ipsa dicente: *poma vetera & noua seruaui tibi, dilecte mi*? (Cant. 7.) hæc ergo nauis per mare huius mundi, Spiritu sancto instar nautæ illam gubernante, immaculatæ suæ vitæ suauem adeo odorem spirauit, vt ad omnes nationes mira eius fragrãtia pertingeret, vt in figura eius de regina ESTHER prædictum legimus: *fama nominis eius crescebat quotidie, & per omnium ora volitabat.* (Esther. 9.) quare potiori iure, quam de rege Iosia licebit mihi dicere de regina Maria: *In omni ore quasi mel indulcorabitur eius memoria, & vt Musica in conuiuio vini.* (Eccles. 49.) cum igitur beatissima Virgo exploratum haberet ob celsissimam, ac inauditam Matris Dei dignitatem nominis eius famam à mari vsque ad mare, & vsque ad terminos terræ fore diuulgandam, consequenter agnouit ab omnibus generationibus beatam esse prædicandam.

VI. VERVM vt distinctius agnoscas, quænam sint istæ generationes, duplicem illorum verborum interpretationem: *Beatam me dicent omnes generationes*, breuiter subiiciam. Primã tradit HVGO CARD. (Hugo Card. sup. Magnificat.) qui B. Virginem esse ait velut centrum, seu medium terræ, ad quod omnium hominum generationes tamquam lineæ a circumferentia ductæ respiciunt: eius egregia verba hæc sunt: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Omnes gentes, scilicet Iudæorum & Gentilium, virorum & mulierum, diuitum, & pauperum, Angelorum & hominum: quia omnes per ipsam salutare beneficium acceperunt, homines reconciliationem, Angeli reparationem. Christus enim Dei filius operatus est salutem in medio terræ, id est, in vtero Mariæ, quæ quadam mirabili proprietate terræ mediũ appellatur. Ad illam enim respiciunt, & qui habitant in cœlo, & qui habitant in inferno, id est, in purgatorio, & qui habitant in mundo. Primi, vt resarciantur. Secundi, vt eripiantur. Tertii, vt reconcilientur. Ex hoc ergo beatam te dicent omnes generationes, o beata Virgo, quia omnibus generationibus vitam, gratiam & gloriam genuisti, mortuis vitam, peccatoribus gratiam, miseris gloriam. Ita dicitur Iudith; Tu gloria Ierusalem; tu lætitia Israel; tu honorificentia populi nostri, quæ fecisti viriliter.* (Iudith 15.) *Primum est vox Angelorum, quorum ruina per ipsam reparata est; secundum est vox hominum, quorum tristitia per eam lætificata est; tertium est vox mulierum, quarum infamia per ipsam deleta est: quartum est vox mortuorum, quorum captiuitas per eam reducta est.* Hæc ille.

VII. Secundam interpretationem adhibet ALBERT. MAGNVS in comment. huius loci, (Alb. Mag. sup. Magnificat.) asserens sub nomine *omnium generationũ* intelligi omnes generationes Virorum, Mulierum, Coniugatorum, Virginum & Viduarum, Viuentiũ, & Morientium. Generatio enim virorum Deiparam beatam proclamat, quoniam per eam ad nos propagata est benedictio, sicut per primam matrem maledictio; sicut enim hæc dedit viro suo de ligno vetito, vt comederet, & quia mortiferum erat, mortem illi intulit; ita Deipara dedit nobis lignum vitæ, vt de fructu eius comedentes in æternum viueremus. Generatio mulierum beatam prædicat Deiparam; quoniam ab infamia & opprobrio maledictionis per eam liberata est. Virginum generatio beatam Mariam salutat, immo & beatissimam, vt ait SALOMON: *Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicauerunt*, (Cant. 6.) tamquam virginitatis magistram, & virginum vexilliferam. Viduarum cœtus cum vidua Anna in templo beatam illam prædicat, cuius meminit D. LVCAS. (Luc. 1.) Coniugatorum status cum coniugata Elisabeth in illa verba prorumpit: *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.* Viuentes omnes quid, cum orant, frequentius in ore versant, quam: *benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui?* (Luc. 1.) Moriẽtes quid proclamãt, nisi: *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe?* Mortui tandem in purgatorii carcere detrusi confitentes illam matrem misericordiarum, auxilium eius, vt inde educantur, incessanter implorant. Atq; horum omniũ gradus laudantium: *Beatam me dicent*. CANCELLARIVS autem PARISIENSIS super *Magnificat* (Cancell. Pari. tract. 5 sup. Magnificat.) triplicem rationem assignat, ob quam Deipara ab omnibus generationibus sit laudanda: prima, quia ipsa mater est illius, qui fecit omnes generationes cœli, & terræ: secunda, quia ab initio, & ante sæcula prædestinata fuit, vt esset affinis omnium generationum; est enim nostra soror ab humana specie; est mater ex spirituali nostra regeneratione; est cognata Angelis intelligendi acumine ac mentis, & corporis puritate: tertia, quia cum omnes generationes tam cœlestes, quàm terrestres, hoc est tàm Angeli, quàm homines, varia ab ea receperint beneficia, iure gratitudinis omnes illam perpetuo collaudare tenentur: Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA XVII.

In eadem verba: Beatam me dicent omnes generationes, *varia cõtexuntur B. Virginis encomia, quæ tam Gentiles, Iudæi, Hæretici, quàm fideles ei detulerũt; inter quæ penè innumera, eaq; clarissima epitheta, quibus diuina eloquia, & Sancti Patres Virginem exornant, recensentur.*

I. NTEQVAM Deipara Maria cecinisset canticum hoc, quo prophetãs asseruit: *Beatam me dicẽt omnes generationes*: (Luc. 1.) id ipsum SALOMON prævidens in persona Virginis dixit: *Memoria mea in generatione sæculorum*: (Eccles. 24.) ac fidi-

ac si diceret : **immortalis nominis** mei fama per omnes generationes **vagabitur**, & omnia tempora transcendet. Quā autem id rationi consentaneū sit, his verbis sapienter probauit IOANNES DAMASCENVS: *Si eorū, qui iustitiā coluerunt, memoria laudibus celebranda est, ecquis tandem iustitia fonti, ac sanctitatis thesauro laudē nō adhibeat? Beata es Virgo inter omnes generationes, sola, qua digna, qua beata pra diceris: Ecce enim beatam te dicēt omnes generationes, quemadmodum ipsa dixisti, te filia Ierusalem, id est, Ecclesia viderunt, ac regina, id est, iustorum anima, beatā te dixerunt, atque in sacula collaudabunt.* hæc ille. Verum ego nomine *generationum* non solū fideliū generationes; sed omnes generationes, tam cœlestes, quam terrestres comprehendi opinor, ita tamen, vt vniuersalitas hęc sumatur ꝓ generibus singulorum, non pro singulis generum, cum certum si tam in præterito, quam præsenti & futuro tempore nunquam defecturos, qui diabolico spiritu incitati, ex odio in Christum, B. Virginem execrentur. quare cum omnes *generationes* ad tres possint reuocari, ad generationem diuinam, angelicam, & humanam; hæc vero ad generationem Gentilium, Iudæorum, Hæreticorum, & Fidelium, qui solum legitimi sunt Ecclesiæ Catholicæ Romanæ alumni, ab his omnibus generationibus beatam prædicari Deiparam Mariam facile commoastrabo.

D. Ioan. Damas. orat. I. de Assumpt

Beatam prædicant Mariam generatio Diuina, & Angelica. §. I.

Isa. 53.
Psal. 109.

II. ISAIAS de æterna Dei generatione agens, dixit: *Generationē ei⁹ quis enarrabit?* & de eadē loquēs DAVID in persona æterni Patris ait : *ex vtero ante luciferum genuite.* hæc igitur generatio, hic diuinus partus, vnigenitus scilicet Dei & Virginis Mariæ filius, illam variis modis beatam prædicauit, multisque encomiis ad cœlum vsque extulit ; nam præterquam sancta Marcella dicente : *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, qua suxisti* : cum ipse responderet: *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*: consequenter beatam vocauit Matrem suam, diuini verbi vigilantem adeo custodem, vt nec minimum eius apicem vnquam præteriisset. Obseruaui in celebratissimo illo SALOMONIS epithalamio, quod non contentus ille hac præclara laude Mariam cumulare: *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te*; insuper à vertice capitis vsque ad plantam pedis sub ingeniosis satis metaphoris & allusionibus illam commendat. De capite ait: *caput tuum vt carmelus.* de capillis : *coma capitis tui sicut purpura regis.* de oculis : *oculi tui columbarum.* de naso : *nasus tuus sicut turris Libani, qua respicit contra Damascum.* de genis : *pulchra sunt gena tua sicut turturis.* de dētibus: *dētes tui sicut greges tonsarum, qua ascenderunt de lauacro.* de labiis: *fauus distillans labia tua.* de gutture: *guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum.* de collo: *collum tuum sicut monilia.* de vberibus : *pulchriora sūt vbera tua vino.* de immaculato vētre: *vēter tuus sicut aceruus tritici.* quid plura? vocem eius commendat: *sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis*: imo & gressus eius laudat : *quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis.* Ac tandem, vt paucis multa complectar, RVPERTVS affirmat, totum Canticorum librum sic esse conscriptum, vt præcipue Dei sponsa Maria, qua ille nihil habet charius sibique coniunctius, in eo vel maxime ab amatore diuino, Deoque ipso depingatur; imo quædam illic eius esse generis, vt ad Ecclesiam, & personam aliam, nisi Mariā, vix possint accommodari. Idem docet ANDREAS CRETENSIS non vulgaris Auctor serm. de dormit. Deiparæ, dum ait; Mariam in hoc ipso libro depingi, variisque modis mystice adumbrari.

Luc. 11.
Ibid.
Cant. 4.
Cant. 7.
Ibid.
Cant. 4.
Can. 7.
Cant. 1.
Cant. 4.
Ibid.
Gant. 7.
Cant. 1.
Cant. 4.
Cant. 7.
Cant. 2.
Cant. 7.
Rupert. l. 7 de glor. Trinit.

III. Angelica itidem generatio (hoc enim nomine appellantur, & comprehēduntur Angeli à Moyse, cum dixit: *Ista sunt generationes cœli*, iuxta intelligentiam D. AVGVSTINI) variis encomiis Deiparā exornat: in spiritu enim illam videntes laudarunt, IOBO dicente in persona Virginis: *Cum me laudarēt astra matutina, & iubilarent oēs filii Dei*; deinde in ortu eius cecinerūt: *qua est ista, qua progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol?* in annuntiatione Gabriel Angelus eximiam illam laudem ei detulit: *Aue gratia plena*, & alloquens Iosephum, *matrem Christi* illam vocauit, quo nullus excellentior titulus inter puras creaturas excogitari potest: *Accipe puerum, & matrem eius.* in eius deinde assumptione cœtus Angelorum admirantes clamabant: *Qua est ista, qua ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrha, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* Deinde tempore Magni Gregorij, cum in processione quadam pro expulsione pestis per Romanā Vrbē grassantis, S. Pōtifex progrederetur, præeunte imagine B. Virginis Mariæ, auditi sunt Angeli canentes: *Regina cœli latare, halleluia; quia quem meruisti portare, halleluia, resurrexit sicut dixit, halleluia*: quibus verbis addidit S. GREGORIVS: *Ora pro nobis Deū, halleluia.* Cuius facti vt diuturnior ac firmior maneret memoria, quidam illorum Angelorum, qui specie humana apparuerant, vestigia pedum impressa reliquit in lapide, qui Romæ magna veneratione assetuatur in Conuentu nostro Aræ Cœli. vnde D. ATHANASIVS in Euangelium de sanctissima Deipara ait: *Beatam te pradicant omnes Angelorū, & terrestriū hierarchia, & hierarchicas manus attollentes benedicunt tibi, qua & in cœlis benediceris, & in terris beata pradicaris.*

D. Aug. 1. de Gen. ad lit.
Iob 38.
Cant. 6.
Matt. c. 2.
Cant. 3.
Refert Ber. Basten. 6. par. ser. 2 de Visit.

Mariam beatam prædicant generationes Gentilium, & Idola colentium. §. 2.

IV. SICVT ea est cōditio falsitatis, vel erroris, vt etiā nullo impugnante plerumq; cōsenescat, ac defluat, ita è diuerso hæc est veritatis innata proprietas, vt quantumcunque sepulta, multis etiam

Sen. de verit.

etiam impugnantibus, suscitetur, & crescat; vnde recte SENECA dixit: *Magna est vis veritatis, quæ contra omnium ingeniorum calliditatem, solertiam, & cōtra fictas hominum insidias facile se per se ipsam defendit.* veritas ergo excellentiæ, ac Marianæ sanctitatis eius conditionis esse perhibetur, & multis petulanter oblatrantibus, aliis impudentissime in eam debachantibus supprimi & sopiri non potuerit: quin imo infestissimi etiam Christianæ religionis hostes rei veritate compulsi à laudibus tantæ Virginis se abstinere non potuerint.

Saluat. 2. p. de vict. verbi Dei cont. Hebr. c. 14.

V. VT à Gentilibus, & idololatris exordiar, SALVATICVS de victoria verbi Dei contra Hebræos, refert quondam in Catania idololatras in magna veneratione habuisse Virginem quandam, infantem propriis manib. baiulantem, qui interrogati, quare singulis annis imaginem illam per publicas plateas circumducerent? respōdisse testatur, id in honorem & cultum cuiusdam Virginis præstare, quæ Virgo manens peperit filium suum. BELESPHORET deinde in sua Cosmographia simile quid narrat aliis nationibus accidisse, quæ ex antiqua traditione idipsum factitabant, quam à Sibyllis originem duxisse putabant. Scholasticæ historiæ AVCTOR à tempore Ieremiæ cōmemorat Ægyptiacas fœminas solitas fuisse Virginem cum infante vbera eius sugentem cultu religioso venerari, cuius rationem ab eis postulanti Regi Ptolomæo responderunt, ab antiquissimo tempore eam consuetudinem viguisse, per Ieremiæ Prophetæ prædicationem parituram Virginem eis prædicantem, quibus omnibus, consonat, quod referunt ZONARAS Græcus, & BAPTISTA FVLGOS. Constantinopoli inuentum fuisse sepulchrū, in quo lamina quædam aurea inuenta fuit cum hac inscriptione: *Christus nascetur ex Virgine, & credo in eum: temporibus Syrenæ & Constantini rursū me videbis ô sol.* D. ANTONINVS tradit Virginis imagines nō semel in Turcarum locis visas fuisse adorari, thure adoleri, & eam blasphemātes digno supplicio puniri. LYRANVS in Apologia contra quendam Iudæum, & REGINALDVS referūt memorabile illud Alchorani encomium in Virginis honorem: *Nullus de filijs Adam nascitur, quem nō tangat Satan, & ideo plorat vociferans ex eius tactu, præter Mariam & filium eius*: & ibidem etiam illa alia præclara vox resonat: *O Maria cunctis viris, fœminisque præclarior, soli Deo perseueranter studens.* Ac tandem SVRIVS, & IOANNES BONIFACIVS de S. Procopio referunt, quod cum Diocletiano Imperatore de sua religione cum Flauiano Iudice contenderet, hæc obiecit: *Si oraculis Flauiane fidem habes, Dodonei Iouis & Apollinis, tum Pythij, tum Delphici, & Ammonis quibus tui similes credunt, multa ex his omnib. promere mihi liceret, sed breuitatis causa duo Delphici Apollinis responsa testabor. Nam de humani generis vindice & liberatore Christo Iesu, deque eius matre Virgine ita Iasoni nihil tale suspicanti respondit: cum enim Argonautarū dux ille à Græcis Poetis celebratus, de tempore, quod Athenis in arce constructum esset* de B. V. *Apollinem Delphi consuleret, in hunc modum prædixit: Phœbe vates cuiusnam erit hæc ædes? cui sit in posterum seruitura? quæcunq; ad honestatem virtutemq; vos incitant, facite, ego autem tres cupio, Deū vnum regnātē apud superos, cuius Verbum ab interitu alienum, conceptum in simplici Virgine, quod tamquam ignitus arcus percurrens mundi medium omnes capiens, eos adducet donum patri: huius erit hæc ædes, Maria autem erit nomen eius.* Deinde subiunxit aliud oraculum Christum attestans: *Patrem Christo quidem vitam immortalem, matrem mortalem dedisse.*

Beles. in sua Cosmographia.

Auctor hist. scholast.

Zonaras li. 3. suor. Annal. Bapt. Fulg. 1. l. mirac.

D. Anton. 3 p. sum.

Lyran in fi. noui test. Reginal. li. 3. c. 13.

Sur. tom. 4. Bonif. li. 1. Hist. Virg. c. 2.

VI. His omnibus non prætermittam adiungere Gentilium Sibyllarum oracula, quarum meminere DIODORVS, SOLINVS, ELIANVS, LACTANTIVS, MARSILIVS FICINVS, LVDOVICVS VIVES, VARRO, CANISIVS, VIRGILIVS, PHILIPPVS BERGOMAT, GENEBRARDVS, & BOSIVS. Exordior autem à SIBYLLA PERSICA, quæ secundum sententiam NICANORIS fuit ex Persia & Chaldæa, vel Iudæa; natam vero asserit circa mare rubrū, in Ciuitate nomine Noë; patrem eius ait fuisse Berosum, matrem vero Erimantam: huius Sibyllæ in laudem Virginis hæc sunt verba:

Solo sed satis est oracula prodere verbo,
Ille Deus casta nascetur Virgine magnus.

VII. SIBYLLA LIBYCA, cuius meminit EVRIPIDES in prologo suę Laniæ, idipsum de Virgine prędicauit:

Æquus erit cunctis, gremio rex membra reclinat,
Regina mundi sanctus per sæcula viuus.

VIII. SIBYLLA DELPHICA in Delphos nata ante Troianam ruinam, cuius multa carmina in suo opere HOMERVS permiscuit, alia persimilia cecinit:

Eximij qui virgineo conceptus ab aluo
Prodibit sine contactu maris, omnia vincit:
Hoc naturæ opera: at faciet qui cuncta gubernat.

IX. SIBYLLA SAMIA in Insula maris Ægei nata circa Thraciam, vel vt aliis placet, in altera Insula Samos eiusdem maris, quę respicit contra Ephesū, appellataq; fuit Picone (vt auctor est ERATOSTENES in annalibus Samij) hæc in honorem Virginis prædixit:

In cunctis humilis, castam pro matre puellam
Diliget, hæc alias forma præcesserit omnes.

X. SIBYLLA HELLESPONTICA, dicta MARMISSA, in territorio Troiano nata, de qua Heraclides Pōticus testatur vixisse tempore Solonis Philosophi, & magni regis Cyri, hæc carmina scripsit:

Dum meditor quondam, vidi decorare puellam,
Eximio castam, quod se seruaret, honore,
Munere digna suo, & diuino numine visa,
Quo sobolem multo pareret splendore micantem:
Progenies summi speciosa & vera tonantis,
Pacifica mundum qui sub ditione gubernet.

XI. SIBYLLA PHRIGIA, quæ in ciuitate Ancire nata est, hæc de Virgine vaticinata est:

Ipsa Deum vidi summum punire volentem
Mundi homines stupidos & pectora cæca rebelles:

Diod. li. 5. c. 6. Soli. in Poli. c. 8. Elian. de varia hist. Varro libr. de reb. diui. ad C. Cæs. Lact. lib. 1. de diuinit. Marsil. Ficin. libr. de relig. cath. c. 24. Lud. Viues in cōment. S. Aug. de Ciu. Dei li. 18. c. 23. Canis. de corru. verbi Dei libr. 2. c. 7. Virg. Eglo. 4. Philip. Bergomas. li. 4 supplē. Genebr. lib. 2. Bosius li. 4. c. 6. de signis Eccl. Nican. de gestis Alex.

Et quia sic nostram complerent crimina pellem,
Virginis in corpus voluit demittere cœlo
Ipse Deus prolem, quam nuntiet Angelus alma
Matri, quæ miseros contracta sorde leuaret.

XII. TIBVRTINA SIBYLLA, nomine ALBVNEA. nata in Tiole, seu Tibuli loco à Romana Vrbe per sexdecim miliaria distanti, illa egregia inter alia carmina edidit:

Concipiet quæ Nazareis in finibus illum,
Quem sub carne Deum Bethlemitica rura videbunt.
O nimium felix cœlo dignissima mater;
Quæ tantam sacro lactabit ab vbere prolem.

Clemens in in epist. ad Cor. D. Aug. 18. l. de Ciu. Dei c. 23.

XIII. ERYTHREA SIBYLLA, nata in ciuitate Ioniæ vrbe à CLEMENTE celebrata in epistola ad Corint. nec non à D. AVG. in hunc modum Virginem commendat:

Cerno Dei matrem, qui se demisit ab alto,
Vltima felices referent cum tempora soles,
Hebræa quem virgo feret de stirpe decora
In terris, multum teneris passurus ab annis.
Magnus erit tamen hic diuino carmine vates,
Virgine Matre satus, prudenti tempore verax.

XIV. CVMANA, seu CIMERIA in ciuitate Cuma progenita, quæ & AMALTHEA, HIERAPHILE, aut DEMOPHLE appellata (de qua DIONYSIVS HALYCARNASSEVS, SOLINVS, AVLVS GELLIVS, & SERVIVS commemorant) obtulisse Tarquinio Superbo Romanorum Regi libros nouem pretio trecentorum Philippeorum, qui aurea magni pretii numismata erant, vendendos; rege autem propter excessiuum pretium emptionē respuente, illa confestim coram eo tres illorum librorū combussit: propter reliquos vero sex idem pretium à rege postulauit; illo vero dissentiente tres alios statim concremauit, pro trib. tandem liberis remanentibus eandem auri quantitatem à rege exigens, ille tandem admiratus valde, pariterq; iudicans in illis codicicib. res magni momēti conscriptas delitescere, totum pretium, quod illa postulabat, ei cōsignari fecit: hæc, inquam, SIBYLLA de B. Virgine ista prædixit:

In teneris annis facie præsignis, honore
Militiæ æternæ regem sacra Virgo cibabit
Lacte suo, per quem gaudebunt pectore summo
Omnia, & Eoo lucebit sidus ab orbe.

Ferreolus de Mar. Aug. l. 1. c. 17.

XV. SIBYLLAM EVROPEAM hęc carmina scripsisse refert FERREOLVS de Maria Augusta:

Virginis æternum veniet de corpore verbum
Purum, qui valles, & montes transiet altos,
Ille volens etiam stellato missus olympo,
Edetur mundo pauper, qui cuncta silenti
Rexerit imperio, si credo, & mente fatebor,
Humano simul ac diuino semine natus.

XVI. SIBYLLA AGRIPPINA (eodem FERREOLO lib. de Maria Augusta id attestante) hæc matris & filii præconia cecinit:

Summus erit sub carne satus, carissimus atq;
Virginis, & vere complebit viscera sanctum
Verbum consilio sine noxa spiritus almi,
Despectus multis, tamen ille salutis amore
Arguet & nostra commissa piacula culpa,
Cuius honos constans & gloria certa manebit.

XVII. Adhæc PLINIVS hoc in Dei genitricis laudem profert Delphicum oraculum: Plin. li. 17 hist. natu.

Assidua virtute decus sublime parate
Atque vnum, sic mando, Deum qui cuncta gubernat
Cœlesti residens solio, colite, atq; timete.
Illius æternum atq; omnia sæcula verbum
Nescia Virgo viri quodam partu tenera edet,
Quæ velut igniferis impulsa sagitta procellis
Edomitum reddet diuino munere mundum:
Huius cui Maria nomen sanctissima mater
Agnoscet templum proprium sibi rite dicatum.

XVIII. Hoc templum Idololatræ falsæ cuidam Deæ deuouentes violarunt, sed Zeno Imperator anno à Natali Domini 474. prostitutis simulacris, pro sua pietate, illa falsa Dea exautorata, sacratissimæ Dei matri iterum restituēdum curauit vt auctor est CEDRINVS in historia, nec non & BOZIVS de signis Ecclesiæ libr. 9. Accedunt adhæc, quæ cecinit VIRGILIVS:

Iam redit & virgo, redeunt saturnia regna,
Iam noua progenies cœlo demittitur alto.

Nec non & alia permulta, quæ OVIDIVS de Virgine adducit in libr. de Vetula ad eius commendationem.

Beatam prædicant Mariam generationes Iudæorum, & Hæreticorum, §. 3.

XIX. HAS generationes commemorans olim SALOMON in PROVERBIIS dixit: *Generatio, quæ patri suo maledicit, & quæ matri suæ non benedicit: generatio, quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus suis; generatio, cuius excelsi sunt oculi, & palpebræ eius in alta surrectæ: generatio, quæ pro dentib. gladios habet, & commandit molaribus suis, vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus.* his generationibus Spiritum sanctum opinor designasse Generationes Iudæorum, nec id est commentum meum, sed commentarium Glossæ ordinariæ, quæ in hunc modum prædictum locum interpretatur: Prou. 30. *Hæ generationes congregationes sunt Iudæorum, & Hæreticorum: Iudæorum generatio patri suo maledicit, qui ait: hic est filius meus primogenitus Israel: quando filium eius venientem in carne negauit: & matri suæ non benedixit, id est, Synagoga, cuius priscæ fidei, quam in prophetis de Christo habuerat, detraxit. Nouatianorum generatio videtur sibi munda, dicens, se pœnitētia opus nō habere. Generatio Arrianorū excelsos habet oculos, & palpebras super Dominum erectas, dicens: si natus est, fuit tempus, quando nō fuit filius: Generatio, quæ pro dentibus gladios habet, hæc est, quæ suam perfidiam aliis immittere conatur, & sicut corpora à gladiis, ita audientiū animas veneno allocutionis occidit.* Generatio-

nerationes tamen has reperio laudationis suæ tributum beatę Virgini pēdere. Nec istorum testimonium putet quispiam abiiciendum esse, cum iuxta Apostoli doctrinam, vtile admodum sit *testimoniū habere bonum ab his, qui foris sunt.* Iudęi ergo (auctor est D. BONAVENTVRA) dixerunt hoc mirabile fuisse in Maria, quod cum esset pulcherrima, à nullo vnquam viro fuit concupita. PETRVS etiam GALATINVS de arcanis Catholicæ veritatis tradit, Rabbi Acchados, quem magistrum sanctum Iudæi vocitabant, dixisse: *sicut Abacus est armarium, quod principes conficiunt, vt auri, & argenti vascula in eo recondant, suamq; gloriam & opes cunctis ostendant; ita regis Messiæ mater erat armariū, quod Deus ipse construxit, vt Messias in ea sedeat, ad maiestatis suæ gloriam mortalib. omnib. mōstrādam.* & addit GALATINVS, prius quā Ieremiā hunc Rabbinū dixisse: *creauit Dominus nouum super terram: fœmina circumdabit virum:* & Rabbi Simeonem dixisse illud SALOMONIS: *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.* Similiaque ex aliis libris scripturæ tribuit Rabbi Barachias, Rabbi Iodam, Rabbi Moyses Adarsan, Rabbi Kimki, Rabbi Humna, & Rabbi Iodem, qui multa in laudem Virginis edixere. Addo etiam, quod maioris momenti est in propheticis litteris Isai. 7. & 8. & Ierem. 31. inueniri B. Virginem prægnantem & parientem Deum hominem, & Prophetissam appellari: *Deum virum circumdantem,* quę omnia alia encomia longe superat.

1. Tim. 3.

D. Bon. de spec. Virg.

Pet. Gal. de arcan. Cathol. verit. c. 4.

Ierem. 31.

Cant. 4.

XX. QVOD si ad Hęreticos sermonem conuertamus, facile reperiemus eorum archimagistros, veritatis vi coactos, necnon à veteris, & noui testamenti illustrissimis testimoniis conuictos, multa ac pręclara Virginis encomia euulgasse: & quidem vt à Manichæis exordiar, D. THOM. testatur in tertio sententiarum, hos nonnulla supra commune humanum genus eximia encomia de beata Virgine prædicasse, eamq; ad angelicam dignitatē sublimasse. MARTINVS LVTHERVS nostri temporis hęresiarcha, Virgini alias vehementer infestus, sui veluti oblitus, hoc Marię testimonium alicubi prębet: *Dignum & iustum erat, Mariæ personam ab originali peccato præseruari, de qua Christus sumpturus erat carnem, quæ omnia peccata superaret.* Eiusdem LVTHERI illa quoq; vox est: *Nulla mulier tam sancta est, nec fuit, nec imposterum erit, quæ fructum ventris sui benedictum parit, quando nulla citra voluptatem, & peccatum concipit.* CALVINVS perfidus Ecclesiæ Catholicę inimicus, in sua harmonia Euangelica hanc Virginis commendationem scripsit: *Nunquam de me, vt in Domino confido, audietur, quasi auerser Mariam, erga quam minus bene affici, reprobatæ mētis certum existimem indicium.* & infra subdit: *quæ supra omnes, quæ regina est omnium; quā Deus præ omnibus honorauit, cui similis non reperitur alia, quid nō assecuta, quod eminentissimam probet?* BVCERVS in expositione 1. capitis in Matthæum hoc inter alia habet: *Pius animus de Maria vase tam sancto atq; electo, vt Christum nobis pareret, nonnisi sanctissima cogitabit.*

D. Tho. 3. sentent. d. 4. q. 2.

In Postilla maiori cir. Euan. festi Concept. Mariæ.

Idem in Festo Concep. Mariæ.

BVLLINGERVS in sermone de B. Virg. Maria hęc satis ab impio eius ore aliena protulit: *Si Maria benedicta est inter omnes mulieres, & beata ab omnibus prædicāda nationib. infelices certe sunt Iudæi, qui ipsā nunquā conuitiis lacessere desinunt: infelices sunt Pseudo-Christiani, qui Iudæis nihilo meliores, sua laude ipsā spoliant.* Ac tādem ECOLAMPADIVS serm. de laudādo in Maria Deo, tot ac tanta de B. Virg præconia in lucem edidit, vt non ille, sed quispiam ex nostris Catholicis loqui videatur; sic enim ait: *Recte admonet Propheta, vt in sanctis laudemus Deum. In quo autem plasmate tam laudandus Deus, vt in Virgine Maria, quam hodie nō solum inhabitare ceu templum sacratissimum, sed ex ea, & in ea carne assumpta homo fieri dignatus est? Cœli enarrant gloriam Dei, ne inuideant, quem ipsi continere non poterant, Virginis vtero clauditur. Obstupescant Angeli, quod ipsis præteritis Rex eorum ad Virginem diuertit. Et quomodo non per Mariam laudabilis Deus, in qua se ostentat grauissime, &c.* & paucis interiectis: *Cœlum est ornatissimum; pulchra vt sol, electa vt luna, clarior syderibus, fœcundior terra, profundior abyssis, candidior liliis, odoratior rosis, humilior violis,* & rursus: *procera vt palma in Cades, exaltata vt Cypressus in Sion, exaltata vt platanus iuxta aquas, exaltata vt Cedrus Libani. & quis colligeret omnia? Quid iterum mirum, si figuris suis scriptura nobis eam delineet, quas pij non explodunt, licet doctiores sublimiora reconditioraque ex his hauriant mysteria? Recte & ipsa dicitur ardens rubus Moysis, virga Aarō, vellus Gedeonis, arca fœderis, turris Dauid, thronus Salomonis, hortus conclusus, fons signatus, porta clausa, vestimētum summi sacerdotis, atq; aliis modis: At & ad humanas laudes transeūdum? Quid ergo mirum, si dicatur, cum ita sit, quod fide vincat Abraham, patientia, longanimitateq; Isaac & Iacob, castitate Ioseph, mititate Dauid, maiestate Salomonem, religione Iosiam: & (vt semel dicam) omnes numeris omnib. vincat, excellatq; ita in vnoquoque virtutum genere, ac si solum illud peculiare fuisset? Superuacuū foret eam cōferre Saræ, Rebeccæ, Racheli, Debboræ, Esther, & aliis sanctis mulieribus, quæ & viros in tantum anteiuit. Quin potius si cœlestes, Angelicaq; virtutes nobis cognitæ essent, in eis liceret nobilius cognoscere, quid illi cum vnaquaq; commune: Sed quæ supra omnes, quæ regina est omnium, quam Deus præ omnibus honorauit, cui similis non reperitur alia; quid non assecuta, quod eminentissimam probet?*

XXI. HÆC omnia consulto ab hostibus Ecclesię Catholicæ mutuaui; non quod illorum præconiis à sanctissimis alioqui viris laudatissima Maria indigeat, sed vt clarius innotescat illius Mariani vaticinii veritas: *Beatam me dicent omnes generationes:* tum vt pariter etiam illorum turpitudo magis appareat, qui ex eodem ore (vt aiunt) calidum efflāt & frigidum; & vt alter Protheus, in varias formas se mutant, nunc beatam Virginem ornātes, nunc deformantes. Vnde doctissimus CANISIVS, ac de B. Virgine mirum in modum bene meritus, tam pie, quam sapienter dixit: *Ego immortali Deo singulares*

Canis. de Deipara.

lares ago gratias, qui non ſolum ex ore infantium & lactentium, ſed per iugulum etiam aduerſariorum laudem ſua Matri perfecit.

Beatam Virginem præclaris epithetis, honorificentiſſimiſque Titulis, tam Græci quam Latini Patres frequentiſſime cohoneſtant. §.4.

Pſal. 77. Pſal. 111. Pſal. 23. Sap. 9. Ioan. 1.

XXII. CÆTERVM prætermiſſis multis aliis laudibus, quas B. Virgini exhibuit *generatio alioquin praua & exaſperans, genratio, quæ non direxit cor ſuum*, vt ait DAVID: veniamus iam ad laudes, quas ei defert *generatio rectorum, generatio quærentium Deum, generatio caſta cum claritate*, generatio inquam ſanctorum Patrum, *qui nō ex ſanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* non tamen animus eſt, nō dico omnes declamationes, panegyricos, orationes, ſermones, ſeu homilias, & alia huiuſmodi pene innumera, quæ ſancti Patres tam pie, quam vere in honorem Deiparæ ſcripſere, in medium adducere, cum impoſſibile ſit; ſed neq, longa, quæ ex illis potuiſſem mutuare teſtimonia, referam, cum ad id ēt oporteret, vt in infinitum abiret oratio, ſed ſolum illuſtriſſima apponam epitheta, quib. ſancti Patres ac percelebres Eccleſiæ Doctores miram Virginis excellentiā toti orbi pandere conati ſunt: vt enim olim omnes ſecundum cuiuſque facultatem ad ædificium, & ornamentum Arcæ Propitiatorii munera donarunt, non ſecus Eccleſiæ Patres ad exornandum Marianam veri Salomonis arcam varia, eaq; clariſſima epitheta excogitantes, ea omnia illi obtulerunt.

S Methodius Mart. in tr. habita ob hyppopantem Dom.

XXIII. IN primis METHODIVS MARTYR celeberrimus Olimpii & poſtea Tyri Epiſcopus, Mariam vocat, fidelium facem: Incircumſcripti circūſcriptionem: Speciosiſſimi floris radicē: Creatoris matrē: Nutricem omnia nutrientis: Comprehenſionē omnia comprehendentis: Geſtatricem verbo ſuo vniuerſa portantis: Purificantis carbonis forcipē: Bethlehemiticam ciſternam Dauidem refocillātē: humanitatis filii Dei fontem: Dei indumentum: Glorificatam, Deoq; dignam ſedem: Dilectionis theſaurum: Spiritus ſancti vmbraculum: Humanæ feſtiuitatis principium, medium, & finem: Precioſam cœleſtis regni margaritam: Vberrimum totius ſanctitatis fontem: Animatum altare: panem vitæ: diuinæ charitatis promptuarium: Spiritus ſancti vmbroſum montem.

Rup. Abb. li. de operib Spirit. ſāct. c.8. & lib 8. in Cant.

RVPERTVS ABBAS: Dei patris ſponſam: Sanctæ religionis Magiſtram: Virtutum operatricem: Magiſtram magiſtrorum.

Orig hō ex variis locis collecta.

ORIGENES, Eccleſiaſticæ ſcholæ apud Alexandriam princeps: Mariam, Regis cœleſtis domum immaculatam: Cœleſtem theſaurum Deitatis, vel (vt alii legunt) veritatis.

Chryſ. hō. 2. de patientia Iob, & in ſuo lyturg.

D. CHRYSOSTOMVS: Columbam in medio accipitrum: Ouem in medio luporum: Stellam in medio nubium: Lilium in medio ſpinarum: Germen iuſtitię in oppido iniquitatis.

S. Ignat. Martyr, vt refert Michael Presb. Conton. lib. de viris illuſ.

S. IGNATIVS MARTYR: Placidam & officioſam Magiſtram pœnitentiæ: Animatum Dei templum: Anchoram portumq; tutiſſimum: in bello verſantibus munitiſſimum Propugnaculum: Et in epiſt. ad Ioannem Euangeliſtam: Sacratiſſimum monſtrum, & cœleſte prodigium.

D. Bern. ſer. 2. de aduētu Domini & ſer. 2 in die Pentec. & ſer. 2. aduent. & ſuper Salue Regina.

D. BERNARDVS: Benedicti ſeminis auguſtam Parentem: Magnificum diuinæ gloriæ templum: Regis æterni palatium: Thalamum immaculatū: Reginam cœlorum: Maris ſtellam: Vitæ genitricem: Inuentricem gratiæ: Dominam mundi: Parentum reparatricem: Poſterorum viuificatricem. Lignum vitæ, quod ſolum fuit dignum portare fructum ſalutis: Viam regiam, per quam Saluator aduenit: Omnibus firmamentis firmius Firmamētum: Tubam deſertum: Terram lacte & melle manantem: Ouem: Nauem in medio maris: Apothecā: Roſam: Margaritam.

D. Cyrillus Alex. hō. 6 cont. Neſt.

D. CYRILLVS ALEXANDRINVS coram grauiſſimo Patrum cœtu, & Epheſino templo Deiparæ dicato, Mariam cōpellat: Eximium vniuerſi terrarū orbis decus: Lampadem inextinguibilem: Virginitatis coronam: Rectæ fidei ſceptrum, & normam: Templum inuiolatum: Eccleſiæ fundatricem.

D. Damaſ ora. de dormit. Virg. & in carm. Eccl.

D. DAMASCENVS; Verbi matrem; Paradiſi reſeratricem; dulciſſimum Annæ pignus; Fontem perenniter fluentem; Paradiſi delitias; fidelium turrem.

Chryſip. Hieroſ. ſer. de S. Maria Deipara.

CHRYSIPPVS PRESBYTER IEROSOL. Solis ortum, qui nullum ferre poteſt occaſum; lucis fontem; armarium vitæ; totius fragrantiæ pratum; vitem vuas pulchras producentem; Radicem omnium bonorum.

B. Andreas Hieroſ. explic. ſalut. Angel.

B. ANDREAS IEROSOL. Sanctam tellurem, ex qua nouus Adam formatus eſt; Sacrum Dei fermentū, ex quo Chriſti corpus tanquam panis conficitur; Mirificum aruum, ex quo cœleſtis agricola ſuam ſine ſemine ſpicam eduxit; Lætitiæ inſtrumentum; Ornatiſſimum diuinæ gloriæ templum; Cœlum, in quo ſol gloriæ ſplendet; Domicilium cœlo præſtantius.

And. Cretenſ. in encomio de dorm. Virg.

Alter ANDREAS CRETENSIS: Chriſtianorum propugnatricem. Omnis ſanctitatis theſaurum, & oratione de laudib. Virginis: Declarationem occultorum & profundorum: Diuinę incomprehenſibilitatis ſummam: Diuinorum oraculorum diuini archetypi imaginem.

Eſich. ſer. 2. de Deip.

ESICHIVS PRESBYTER IEROSOL. Cathedram nō inferiorem: Cathedram cherubicam: arcam latiorem, longiorem, & illuſtriorem arca Noë Trinitatis complementum.

D. Aug. de fid. ad Petr.

D. AVG. Vitæ parentem: Euæ aduocatam: Totius Trinitatis tabernaculum: Humani generis reparatricem.

D. Ful. ſer. de laud. Mar.

D. FVLGENTIVS: Feneſtram cœli: Scalam cœleſtem: Fœminarum reſtaurationem.

B. Lau. Iu.

B. LAVRENTIVS IVSTINIANVS; Delinquentium ſpem;

fin. ser. de nat. Mariæ. spem; Sanctitatis speculum; Fœderis arcam; Fidei magisterium.

D. Ans. lib. de excel. B. Virg. c. vlt. D. ANSELMVS: Cœli & terræ summam Dominam & vnicam dominatricem, super choros Angelorum exaltatam.

D. Atha. in Euange. de sanct Dei. D. ATHANASIVS: Regeneratricem, & Heram.

B. Epipha. ser. de laud. Virg. Ioanne Pico Interprete. D. EPIPHANIVS: Clibanum intellectualem, qui ignem, & panem vitæ calidum mundo in esum attulit: Mensam virgineam optimis quibusque cibis abundantem: Splendidam lucernam relucentem: Candelabrum aureum: Purpuram regiam, quæ cœli & terræ regem induit: Librum incomprehensum, qui Verbum Patris mundo legendum exhibuit: Vitem veritatis fertilissimam, & non vindemiatam.

S. Ephrem Diac. Eccl. Edess. orat. De laud. Mariæ. S. EPHREM DIACONVS ECCLSIÆ EDESSENÆ: Patrum spem: Gloriam Prophetarum: Apostolorum præconium: Martyrum honorem: Sanctorum lætitiam: Lumen studiosorum: Cartham diuinissimam: Solatium mundi: Orphanorum susceptionem: Præstantissimum orbis terræ miraculum.

D. Gregor. Magn. li. 1. expos. in li. 1. Reg. c. 1. D. GREGORIVS MAGNVS: Montem in vertice Montium.

Chryso. ser. 140. CHRYSOLOGVS: Matrem viuentium per gratiam.

Iren. lib. 5. cont. hæres. IRENÆVS: Salutis causam.

B. Dam. ser. 2. 3. de nat. B. DAMIANVS: Totius salutis exordium.

Timotheus presb. Hier. orat. de Prophe. Simeo. TIMOTHEVS PRESBYTER IEROSOLYMITANVS: Signum contradictionis.

D. Hieron. in Psal. 71. D. HIERONYMVS: Lucidam nubem.

S. German. in Psal. 44. S. GERMANVS PATRIARCHA CONSTANTINOP. Virginem illustrem: Cœlum, & Sedem Dei: Omnis puritatis receptaculum.

S. Serg. de Maria nat. S. SERGIVS PATRIARCHA: Tenebrarum expultricem: Immortalitatis fontem: Corruptionis interitum: Receptaculum diuinitatis.

Procl. 3. to. Conc. Ephe. PROCLVS EPISCOPVS CIZICENVS: Impollutum & purum illibatæ virginitatis thesaurum: Decus & ornamentum secundi Adam: Paradisum vnitarum inter se naturalium officinam: Pontem, per quem Deus ad homines descendit.

S. Ildef. lib. de virginit. Mariæ. ILDEFONSVS multis ex prædictis epithetis Mariam exornat, illud tamen singularissimum addidit, quod vt perpetuum illius virgineam integritatem declararet, vocauit eam: *Æternitatem virginitatis*, epithetum sane omni acceptione dignum.

D. Antoni. 4. p. summ. ti. 15. c. 23. Diuus ANTONINVS: Virginum primiceriam.

Dionys. Richel. li. 2. de lau. V. ar. 15 DIONYSIVS RICHELIVS: Singulare perditorum refugium: Aduocatam omnium iniquorum ad ipsam confugientium: Mariam Christiferam.

Giselber. apud Tritem. in chron. Cent. 10. c. 10. GISELBERTVS D. Anselmi discipulus: Matrem matrum; Virginem virginum; stellam stellarum; sacrarium Spiritus sancti; Virginem florentissimam, vita, & moribus præcellentissimam,

Innoc. Pap. in hym. B. V. refertur à Can. li. 5. de Dei. c. 27 INNOCENTIVS PAPA: Angelorum Imperatricem: Virginem dulcem & serenam.

Genes. 2. Exod. 6. Gen. 22. Iudith 8. 3. Reg. 19. Gen. 11. 1. Reg. 2. 5. 3. Reg. 1. Dan. 13. 2. Reg. 2. Gen. 7. Exod. 25. Num. 14. Cant. 4. Cant. 2. Isai. 11. 2. Paral. 4. Psal. 45. Psal. 84. Exod. 3. Gen. 2. Iudith 8.

Sacra deinde Scriptura illam designat, & appellat per varios tropos, & metaphoras: Euam; Mariam sororem Moysis; Rebeccam; Iudith; Esther; Saram; Abigailem; Sunamitidem, & Susannam; Salomonis thronum, & Templum; Arcam Noe, Arcam testimonii; Arcam testamenti; Hortum conclusum; Columbam; Virgam Iesse; Domum sanctam; Tabernaculum sanctificatum altissimi; Terram benedictam; Rubum ardentem incombustum; Montem; Scalam Iacob; Vellus Gedeonis; Portam clausam; Electam vt solem; Pulchram vt lunam; terribilem vt castrorum aciem ordinatam; Nubem lucidam; Propitiatorium; Aulam regiam; Thalamum; Lectulum floridum; Turrem Dauid; Lilium inter spinas; Oliuam fructiferam; Cedrum; Palmam; Cinnamomum; Platanum; Rosam Ierichuntinam; Myrrham electam; Virgam Aaronis; Mulierem sole amictam; Mulierem sata tria fermento commiscentem; Ciuitatem Sion; Petram.

B. Damia. serm. 2. de Nat. Nazian. orat. de Christopa. Ioan. 10. Exod. 7.

Ac tandem B. DAMIANVS, & S. GREGORIVS NAZIANZENVS vocant B. Virginem: Deam, non quia deitatem habeat, sed quia inter omnes puras creaturas præstantissima omnium deitatis imago sit. Scio à nonnullis istud horum Patrum epithetũ impeti, & morderi: Verum si illos scriptura Deos appellat, vt Christus Dominus dixit; *ad quos sermo Dei factus est*: cur non Deum appellare licebit, in qua Verbum Dei caro factum est? Et si Moyses etiam vocatus est Deus Pharaonis: *ego constitui te Deum Pharaonis*: quid mirum, si sancti Patres Dei matrem *Deam* compellent: *Deam* inquam per participationem, & strictiorem cum Deo coniunctionem, maioremque, quam vlli creaturæ fuerit communicata, similitudinem? Verum tamen est, quod cum sermo habetur cum insipientibus & rusticis, melius est à *Dea* appellatione abstinere, ne alicuius erroris ansam illi sumant, vnde PETRVS CLVNIACENSIS, quem D. BERNARDVS valde prædicat, non suo tantum, sed totius Ecclesiæ Catholicæ nomine, quã defendit, ait: *Damnat Ecclesia Collyridianos Mariam pro Deo colentes, & quod illam loco numinis adorandam esse putarunt, sicut* EPIPHAN. *adnotauit.* Locus autem Epiphanii habetur lib. contra Antidicomaritas, vbi hæc scripsit verba: *Non cœlitus venit Maria cum corpore suo, neque Deus est, sed ex conceptu, & complexu viri & mulieris carnem accepit.*

Petr. Cluniac. hær. 79. contra Collyridia. Epipha. lib. cont. Antidicomar.

Ecclesia Catholica, ab eius primordiis, multis laudibus & obsequiis honorat Beatam Virginem. §. 5.

D. Petr. in Liturgia Latina.

XXIV. TANDEM ECCLESIA CATHOLICA ROMANA, quam fide diuina docemur à Spiritu S. regi, & gubernari, variis modis Deiparam Virginem, Beatam, commendat: nam D. PETRVS Princeps Apostolorum in sacrificio Missæ primus Virginis

commemorationem introduxit, vt constat ex LITVRGIA LATINA, seu ROMANA, quam B.Petri esse tradit LEO III. Pontifex Maximus epistola ad Michaelem, & post illum D.THOMAS in sua summa. D.IACOBVS Apostolus in Liturgia, quam edidit, *vt habetur de consecrat. dist.* 1. Deiparæ Virginis frequentissime & laudatissime meminit, appellans illam pretiosiorem quam Cherubim, gloriosiorem quam Seraphim; subiungensq; deinde: *Commemorationem agamus sanctissimæ, Immaculatæ, gloriosissimæ, benedictæ Dominæ nostræ matris Dei, & semper Virginis Mariæ.* Deinde ECCLESIA CATHOLICA in officio Romano frequenter Virginis commemorationẽ agit. Officium etiam paruum (quod vocāt) in laudem B.Virginis composuit. Varia illius celebrat festa, Immaculatæ Conceptionis, Natiuitatis, Præsentationis, Annunciationis, Visitationis, Purificationis, Assumptionis, Niuium & Rosarii, præter alia specialia, quæ in variis mundi regionibus celebrantur, vt expectationis partus, transfixionis, & similium, quæ in Hispania coluntur. Item D.Ioannes Apostolus templũ sacrauit B.Virgini, vt habetur in actis CONCILII EPHES. Epist. ad Clerum Constant. & refert ABDIAS in vita Ioannis Apostoli. Templum aliud struxit B. Petrus Apostolus Antaradi Tripoleos, vt auctor est VOLATERANVS lib.2. Geographiæ, ADRIAN. IVNIVS in sua nomenclatura, & THOMAS WALDENS. c. 84. D. etiam Iacobus templum aliud erexit B.Mariæ, vt tradunt VASEVS in Chronico Hispaniæ: HIERON. BLANCA in comment. rerum Aragoniæ ad annũ 1118. SIGONIVS in hist. Italica, & BOZIVS lib.9. de signis. Consueuit etiam singulis diebus ter pulsare, ad recitandam salutationem Angelicam; Variis vtitur Litaniis ad Virginem commendandã: Permultas instituit sacras Religiones in eius cultum & honorem, in quarum numerum primũ refero Ordinem Velleris aurei à Philippo Duce Burgundiæ originem ducentem, cuius meminit IACOB. MEIERVS lib.26. annalium Flandriæ ad annũ 1421. Ordinem Cluniacensem, de quo GENEBRARDVS lib.4. Chronogr. BERGOMAS lib.11. supplementi, & CHRONICON CLVNIACENSE: Ordinem Præmonstratensem, de quo AVBERTINVS in Chronico Præmonstratens. LAVRENTIVS SVRIVS, AZORIVS, & alij. Ordinem Carmelitarum, vt tradunt HIERON. PLATVS libr.1 de bon. stat. relig. c.34. IOSEPH. ANTIOCHENVS in speculo perfect. Milit. primit. Ecclesi cap.12. IOAN. ROBLIVS de antiquitate Carmelitarum. IOAN. BONIFACIVS lib.2. Virg. hist. c.3. & lib.4. c.14. Ordinem Seruorum B. Mariæ in Italia vigentem, cuius meminere POLIDORVS lib. 7. de inuentione c.4. PHILIP BERGOMAS in supplemento lib.13. BOZIVS lib. de signis c.8. IOAN. AZORIVS lib.12. instit. Moral. c. 23. Ordinem Theutonicorum, vt testantur GENEBRARD. in Chronico, POLIDORVS de inuentione, c. 5. & BOZIVS c.8. Ordinem Militum de Auis, vt referunt ARNOLDVS li.1. ligni vitæ, c.73. IOAN. MARIANA lib.11. de reb. Hispaniæ c.6. AND. RESENDIVS lib. de antiquitate Eboræ c.16. Ordinem redemptionis captiuorũ, seu de Mercede, à Iacobo Aragoniæ Rege, cognomento Sancte, institutũ, cuius mentionẽ faciunt CASSANEVS p.9. consid 4. VASSEVS in chronico Hispaniæ, c. 18. & in genealogia rerũ Aragoniæ: Ordinem S.Mariæ Montessæ, vt scribunt POLIDORVS li.6. c.5. HIER. BLANCA in Chron. Hispaniæ ad annũ 1291. Ac tandem Religionem Monialium immaculatæ Conceptionis nuncupatam, cuius præclara monasteria in Hispania florent.

Leo Pontif. in epist. ad Michael. c. 5.
D.Tho.3.p. sum. q.78. ar.2. ad 4.
D. Iacobi Liturgia.

XXV. INNVMERAS tandem instituit Confraternitates in honorem B. Virginis, inter quas celeberrima est illa, quæ nomine ROSARII insignita apud Patres Prędicatores sanctissimi Patriarchę Dominici filios mirificè viget. Adhæc nemo ignorat diẽ Sabbathi in Virginis honorem dicari, variasq; Antiphonas ad eius laudẽ tunc cantari, ieiunia & peregrinationes singulis annis in eius cultum, pie & religiose à Catholicis fieri. D. THOM. ait; Festorum solemnitates institutas fuisse in actionem gratiarũ pro aliquo beneficio suscepto: vnde cum primum beneficiũ fuerit creationis, in huius beneficii gratitudinẽ iussit Dominus sabbatum ab Hebræis celebrari: *Memento, vt diem sabbati sanctifices:* Ratio autem, quã sacer textus assignat, vt sabbati dies ei consecraretur, fuit, *quia requieuit Deus in die septimo ab omni opere, quod patrarat.* non solũ autẽ Deo festa dicantur, sed & Sanctis eius propter participationẽ deitatis, quæ in eis effulget. vnde ACTOR. 4. Gentiles videntes Lystris mirabilia, quæ operabatur Apostolus Paulus, & Barnabas, venerati sunt illos dicentes: *Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos;* & cõtinuo sacerdos Iouis venit secũ ducens tauros, qui illis immolarentur, & diademata, quibus eorum capita in altaribus redimerentur.

D.Thom. 1.2. q. ar.5. ad 2.
Exod. 20.
Genes. 2.
Actor. 14.

XXVI. HINC ergo est, quod cum B. Virgo participatione deitatis longo interuallo omnes Sanctos antecellat, excellentior religionis cultus ei debeatur: & ideo Ecclesia Catholica quasi tributũ dierũ ei persoluens, singularũ hebdomadarum singulos dies sabbati ei sanctificat: commutans festũ actionis gratiarũ propter beneficium creationis mundi in actionem gratiarũ propter beneficiũ creationis Matris Dei, qui fuit nouus mundus abbreuiatus, excellentior & capacior mundo elemẽtari; siquidẽ quem cœli cœlorũ capere non poterant, illa vtero suo cõclusit. Sed quare magis diem sabbati ad hoc elegit, quam alium quẽlibet totius hebdomadæ, variæ possunt congruentes satis assignari causæ: Prima, quia sicut sabbatũ fuit dies, in quo *Deus requieuit ab omni opere, quod patrarat:* ita in vtero Virginis delitescens requieuit, vt ipsa testatur, dicens: *qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Secunda, quia diem sabbati præ cæteris omnibus diebus Deus specialiter sanctificauerat fœcundã suam benedictionẽ ei largiens: *Benedixit Dominus diem sabbati, & sanctificauit eũ.* Tertia desumi potest ex ALBERTO M. super *Missus*, vbi loquens de benedictione sabbati inquit: *Est autẽ ista benedictio operum consumma-*

Gen. 2.
Eccles. 24.
Exod. 20.
Alber. Magnus super Missus, & c.202.

summatio, in beatissima autē Virgine fuit perfecte operum consummatio, quia omnia creata in vno homine vniuntur cum Creatore, & primum fit vltimū, & vltimum primū. Vltima tandē ratio sit: quia B. Virgo est sabbatū illud delicatū, de quo ISAIAS: *Vocaberis sabbatum delicatum, & sanctum Domini gloriosum:* & ideo quasi iure suo sibi vēdicabat, diem sabbati sibi consecrari. quod si, vt refert IOSEPH. de bel. Iud. per medium duarū ciuitatum magnus quidam fluuius pertransit, qui die sabbati copiosiori, & impetuosiori torrente fluit, omnibus fontibus, qui ab eo originem ducunt, largissimas aquas tribuens: nomē autem fluuij huius est SABBATICVS, qui die sabbati potentiam suam ostentat, aquarum suarū thesauros liberalissime profundens: non secus cum beatissima Virgo singulis diebus inuocantibus illam propriam se exhibeat, die tamen sabbati, quia specialiter ei sacratus est, copiosioribus gratiarum imbribus filiorum suorum animas irrigat, & liberalius munera sua eis impertitur.

Isaia 56.

Iosephus de bell. Iud. li. 7. c. 24.

XXVII. QVANDO vero, & ob quam causam sacer hic dies B. Virginis factus fuerit, non est vna omnium sententia. CANIS. lib. 5. c. 29 ex sententia PET. DAM. cœpisse ait à Gregorio VII Pont. Max. RAVEN. lib. 5 hist. & ARNOLD. lib. 5. ligni vitæ, c. 10. id tribuunt Cōcilio Claramontano sub Vrbano II. anno 1096. quod & acceptat RVTILIVS Episc. De causa vero huius institutionis sic loquitur BERNARDVS: *Maria, quæ sola benedicta est in mulieribus, sola per illud triste sabbatum stetit in fide, & saluata fuit Ecclesia in ipsa sola,* propter quod aptissime in laudem & gloriam eiusdem Virginis diem sabbati per totius anni circulum celebrari consueuit. suffragantur Bernardi assertioni de fide in sola virgine ALEXAND. ALENS. DVRAND. TVRRECREM. & CAIET. sed pace tantorū Doctorum dixerim, periculosum iudico asserere in sola Virgine tunc mansisse veram fidem, tum quia pro illo tempore Ecclesia periisset, quia Ecclesia non est vna persona, sed populus, & regnum, seu congregatio fidelium, non ergo potest consistere Ecclesia Catholica vno solo fideli existente, sed ex pluribus, vt minimum duobus coalescere debet; tum etiam, quia illi, qui absentes erant à Ierusalem, & vsque ad illud tempus habuerunt veram fidem, mox illam amisissent sine sua culpa, quod est euidenter falsum. DVRANDVS tamen libr. 4. rational. diuin. offic. c. 1. ait, olim in quadam Ecclesia ciuitatis Constantinopolis fuisse imaginem B. Virg. coram qua dependebat velum totam velans imaginem, quod in sexta feria post Vesperas nullo mouente recedebat, vt ad plenum posset conspici imago; celebratis vero Vesperis in sabbato iterum illam cooperiebat; ob hoc ergo insigne miraculum sabbati dies sacratus fuit.

Ruti. Episc. li. 22. super Magn. dubio 7.

Bernar. li. de pass. Domini.

Alex. p. 3. q. vl. art. 2.

Duran. li. 4 diu. off. c. 1.

Turrec. lib. de eccl. c. 13. & l. 3. c. 6.

Caiet. li. 6. ration. diu. off. c. 2.

XXVIII. NON incongrue etiam dici posset hoc factum fuisse, vt solemnitas matris solemnitati filij, quæ in Dominica celebratur, copularetur: ecce igitur quam veraciter B. Virgo verba illa protulerit: *Beatam me dicent omnes generationes.*

Quod attento animo perpendens insignis ille Cardinalis IOANNES TVRRECREMATA, in hæc Marianæ laudis verba prorupit: *Felix, quam Angeli laudibus prosequuntur, felix, quam Apostolorum Chorus honorat; felix, quam Martyres candidati beatificant; felix, quam sanctorum Confessorum stolatus celebrat numerus; felix, cui sanctarum Virginum cum suis palmis exultans occurrit exercitus; felix non solum Maria, cui non solum ex ore infantium & lactentium, sed per iugulum etiam aduersariorū Deus laudem perfecit; felix, quam non tantum Ecclesia iustorum, sed etiam congregationes hæreticorum honoribus prosequuntur, encomiis illustrant.* hæc ille.

Turrecr. lib. de concept.

XXIX. SED dicet quispiam: qui fieri potest, vt hæc omnia verificentur, cum de paganis & hæreticis præcipue conqueratur B. Virgo dicens: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me;* & non tantum isti, sed & custodes murorū, *qui circumeunt ciuitatem, inuenerunt me, percusserunt me, vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum:* quomodo ergo beatam illam dicunt omnes generationes? nisi forte deprædationem, percussionem, & infandum bellum dixeris benedictionem, laudem, & honorem: *filij,* inquit, *matris meæ,* qui fonte baptismatis tanquam filij Ecclesiæ renati, ab ea tamen degeneres facti, pugnauerunt contra me, scilicet telis mendacij, acuentes linguas suas contra me sicut serpentes; *custodes murorum* impij, blasphemi & damnatæ fidei hæretici non homines, sed hominum fæx, ac putrida sentina *inuenerunt me,* & tulerunt pallium meum, pallium laudis, palliū honoris, quo à filiab. Sion, animabus scil. iustis, fueram exornata. Tulit pallium meum impius Lutherus, dum meum cultū labefactare contendit; tulit pallium honoris mei Caluinus, qui eos, qui me honorificis nominibus cohonestant, atrocē Deo iniuriam facere iudicat; depilauit Buccerus peritissimos meos scriptores, summos Dei Blasphematores reputans; spoliauit me laude mea OEcolampadius hyperduliæ cultū mihi exhibitum idololatriam esse garriens: taceo Ioannis Marbacchi fœdam procacitatē, Coruini virulentam linguā, Vigandi, Brentij, cæterorumq; huius farinę hominum impudentiam aduersus me oblatrantiū: si hæc ita se habent, vbinam sunt laudes omnium generationū? vbi turris Dauidica, ex qua mille clypei ad eius defensionē pendeant? vbinā sexaginta fortes ambientes lectulū Salomonis? vbi Archangelus Gabriel illi assistens, & reliqui angeli in ministerium Deiparæ diuinitus signati, qui venenatas aduersus eam & sibilantes linguas præcidant? vbi tandem fortitudo mulieris illius, quæ ex diuino oraculo caput dæmonis contritura erat?

Can. 1. & 5.

XXX. BIFARIAM huic difficultati satisfaciendū dixi, primo, quod, vt superiori homilia adnotaui, verba illa Virginis: *Beatam me dicent omnes generationes;* nō importāt vniuersitatē pro singulis generū, sed pro generib. singulorū: secundo, quod aliquando omnes generationes erunt *vnum ouile, & vnus pastor,* sub vno capite Christo, & tūc omnes generationes.

Luc. 1.

Ioan. 10.

tiones.

tiones B. Virginem prædicabunt, vt obseruauit D. ANTONINVS, vbi ait: *Et in fine conuertentur ad vesperam, circuibunt ciuitatem Ecclesiæ, ad veritatem fidei recipiendam, plane beatam dicent eam omnes generationes, non enim præteribit generatio hæc (ait Iesus) donec omnia fiant:* Cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

D. Anton. 4 p sum. ti. 15. c. 24.
Luc. 12.

HOMILIA XVIII.

Elucidantur verba illa: Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius: *vbi duo præsertim ostenduntur, primum, quæ sint ista magna, quæ Dei omnipotentia Virgini fecit: secundum, per sanctum nomen eius, intellexisse Deiparam Verbum diuinum incarnatum.*

I. INTER alia magna, quibus mirabilis Dei omnipotētia Deiparam Mariam significauit, illud satis nobis exploratū est, quod sicut nemo Dei magnitudinē comprehendere valet, ita nec Mariæ magnitudinē & excellentiam eius ad mensurā quispiam redigere potest; vnde sicut de Deo, ita de Virgine suo modo veracissime dicemus illud ECCLESIASTICI: *Quis sufficit enarrare opera illius? quis inuestigabit magnalia eius? virtutem autem magnitudinis eius quis annunciabit?* vt tamen magnitudinem hanc (quoad facultatis nostræ paruitas pertingere possit) altius repetamus, ab æterna Virginis prædestinatione exordiamur.

Eccles. 18.

II. MAGNVM quidem fuit, imo & reliquorum omnium magnorum, seu magnalium, quæ in Virgine Dei potentia effecit, fons & origo, quod inter omnes puras creaturas primum in æterna prædestinatione, ac principem locum teneat, ideo enim primogenitam Dei se vocat: *Primogenita ante omnem creaturam:* ideo etiam *in omni populo* (subdit) *& in omni gente primatum habui:* fuit autem prædestinata ad dignitatem matris Dei, qua quidem prędestinatione præter eam, qua Christus prędestinatus est, vt esset filius Dei naturalis, nulla sublimior atque excellentior, tametsi fingendi facultas detur, excogitari potest.

Eccles. 14.
Ibid.

III. MAGNVM, quod eo tempore, quo Christus Dominus Angelis in spiritu præostensus fuit, vt illum adorarent, sicut docuit D. BERNARD. ser. 17. in Cant. eodē etiam præostensa fuit & mater, ex qua carnem sumpturus erat, illamq; hyperduliæ cultu adorarunt: vnde IOB in persona eius ait: *Cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filii Dei.*

Iob 38.

IV. MAGNVM etiam fuit, quod variis figuris & imaginibus copiosius, quam vlla vnquam creatura, esset prænotata & adumbrata: eam enim designauit Eua in iustitia originali creata, Sara mater obedientissimi Isaac, Rebecca mater supplantatoris, Rachel pulchritudine conspicua, Lia fœcunditate insignis Iacob, Maria soror Moysis, diuinarū laudum tympanistria, Ruth, cui dictū est: *benedicta es filia tu à Domino;* Iudith, quæ caput Holofernis amputauit, & cui Ozias princeps populi Israel dixit: *Nomen tuum ita magnificatū est, vt non recedat laus tua de ore hominum qui memores fuerint virtutis Domini;* Abigail prudentissima, quæ regem Dauid placauit; Sunamitis, virgo pudicissima, quæ Regē calefecit, Esther, quę pro populo morti adiudicato intercessit, Susanna, cuius castitas diuinitus fuit comprobata, & illam labefactare conantes occisi, quia mentiti sunt in caput suum, vt dixit Daniel; Debora, quæ filios Israel erudiebat; Paradisus voluptatis à Cherubino custoditus; Thronus Salomonis mirifice elaboratus; Templum eiusdem, in quo malleus, nec sera audita sunt; Arca Noe, quam inundantes aquæ diluuii submergere non potuerunt; Arca testamenti, in qua virga Moysis, tabulæ legis, & manna cœleste seruabantur; Tabernaculum sanctificatū Altissimi; Propitiatorium, in quo Deus oracula reddebat; Rubus ardens incombustus, in quo Dominus latebat; Scala Iacob, quæ summitate sua cœlum tangebat; Vellus Gedeonis, in quod cœlestis ros descendit; Porta Ezechielis clausa; Lectulus floridus Salomonis mirā fragrantiam spirans; Turris Dauid, ab hostibus nunquam expugnata, quia mille clypei pendebant ex ea; fulgentissimus Sol, qui luce nunquam caruit; Luna splendidissima, quæ mater roris est, & super mare dominatur; Nubes lucida cœlestem pluuiam emittens; Mulier sata tria fermento commiscens; ac tandem si omnes typos Mariam præfigurantes recensere vellem, pagina potius, quam materia mihi deficeret.

Gen. 2.
Gen. 16.
Gen. 27.
Ruth 3.
Iudith 13.

V. MAGNVM certe, quod ab infœcundis & senio confectis parentibus nō absq; miraculo progigneretur, vt tradit D. HIER. & D. CYPRIAN. magnum, quod ante patribus cœlitus fuit repromissa, vt testatur BERNAR. magnum, quod absq; peccati macula originali concepta: *Ipse creauit eam in Spritu S.* magnum, quod ex tunc vsu liberi arbitrii prædita, & in ea semper ille perseuerauerit, vt tradit S. BERNARD. SENENS. magnum, quod fomes peccati in ea non pullulauerit, vel si (vt aliis placet) pullulauit, continuo diuina virtute extinctus fuit: magnum, quod nata fuerit sanctior Seraphinis, & in probaticæ piscinæ loco, vt auctor est D. DAMASC. magnū quod ex semine Abrahæ, & regia progenie Dauid oriunda, vt testatur D. MATTHÆVS: magnū, quod triennis Deo in templo se dicauit, vt refert B. EVODIVS: magnum, quod in tam tenera ac infantili ætate scalas sine alicuius iuuamine conscenderet, vt commemorat D. HIERON. magnum, quod eo tempore, in quo filiorum procreatio in magno pretio habebatur, & sterilitas contemnebatur, sacra illa puella absq; alicuius exemplo virginitatem suam

D. Hier. [de] ortu Virg.
D. Cypr. [de] laud. Virg.
in Assump[t.]
D. Bern. [s]per signu[m] magnum
S. Bern[ard.] Sen. ser. 5 de B. Vir[g.] c. 2. a. 1.
D. Dam[asc.] orat. de n[at.] Virg.
Matth. 1.
B. Euod. [a]pud Nicep[h.] lib 2. c. 3 hist.
D. Hier. [...] ue quicu[m] alius a[...]

voto

[or] sit li. de ortu Virg. D. Bernar. hom.3. de B. Virg. S. Greg. Ni. come. hom. de oblat. Virg. in templo. D. Hier. de ortu B. Vir. vel quicũq; alius auctor est illius. Luc. I. D. Bernar. serm. 15. de festiu. Virg. Ioan. I. Luc. I.

voto Deo consecraret, primaq; huius religiosi cultus virginitatẽ vouendi inuentrix existeret, vt docet D. BERNARD. magnum, quod in templo, angelico ministerio, cibo nutriretur, vt scribit S. GREG. NICOMEDIENSIS: magnum, quod desponsaretur Iosepho, ostenso diuinitus duplici illo prodigio, germinationis siccæ virgæ, quã in manu tenebat, & descensus Spiritus S. super illã in forma columbæ, vt refert D. HIER. magnũ, ꝙ ex diuina iussione Gabriel Angelus eam salutat, dicens: *Aue gratia plena*: magnũ, quod cõsensum, vt mater Dei fieret, profundissima humilitate adhibuit, dicens: *Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum*: magnum, quod tanta illa esset plenitudo gratiæ, vt omnes Angelorum & hominum gratias in vnum cumulum redactas longo interuallo superaret, vt docuit D. BERNARDINVS SENENS. magnum, quod Verbum caro in ea factum est, vt testantur IOANNES & LVCAS: magnum, quod illum, quem Pater æternus ab æterno in vtero suo genuit, illa in ventre suo plenitudine temporis adueniente cõcepit: magnũ, ꝙ æternus Pater paternitatis dignitatem, quam solus habet, nulli sicut Mariæ communicauerit; nulla etenim creatura, nisi sola Maria, parens Dei est: magnum, quod pars virginei sanguinis vnionis hypostaticæ vinculo cum verbo diuino cõiungeretur, vnde B. DAMIANVS dixit: *Cum Deus sit in aliis rebus tribus modis, in Virgine fuit quarto speciali modo per identitatem. hic taceat, & contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tantæ dignitatis immensitatem*: magnum, quod Deum & hominẽ absq; dolore pepererit: magnum, quod concipiens & pariens Virgo permanserit: magnum, quod virginitatẽ cum fœcunditate copulauerit, vt his verbis eleganter scripsit CYPRIANVS, insignis Christi Martyr: *Non aliqua naturæ iniuria Matrem Domini læsit, quoniam sine tormento peperit, quæ in conceptione caruit voluptate, vltro maturus ab arbore baiula fructus elapsus, nec oportuit vellicari, quod sponte prodibat*: magnum, quod Maria Christi corpus in ventre gestans, tædium, quod aliæ matres fœtus pondere grauatæ sentiunt, ipsa non persenserit, vt tradit D. BERNAR. magnũ, vt creatura nutrix esset sui creatoris, illumq; vbere de cœlo pleno lactaret, vt canit ECCLESIA CATHOLICA: magnum, quod Deum Regem regum, ac Dominum dominantium obedientiæ suæ subiectum haberet, Euangelista dicente: *Subditus erat illis*: magnum, quod longissimam vitã agens, nec opere, nec verbo, nec cogitatione minimam aliquã venialis peccati labem vnquã contraheret, vt docet SS. CONCIL. TRIDENTINVM: magnum, quod ex ardentis amoris feruore erga dilectum suum interierit: *Dicite dilecto, quia amore langueo*: magnum, quod post triduum mortis gloriosa resurrexerit: magnũ, quod anima & corpore in cœlũ, Angelorum turmis stipata, assumpta fuerit: magnum, quod cœleste regnum, *innixa super dilectum*, possidendũ intrauerit: magnum, quod exaltata sit super choros Angelorum, vt canit ECCLESIA: magnum, quod ad æthereum thalamum contendens diademate pretioso redimita, regiumq; sceptrum manu tenens, à dextris Dei sedeat, DAVIDE dicente: *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* Hæc adeo magna esse perhibentur, vt nemo sit tam mentis inops, qui non videat veraciter dixisse Mariam: *Fecit mihi magna, quia potens est.*

B. Damia. ser. de Nat. Mar.

D. Cypria. Mart. ser. de Nat. Christi.

D. Bernar. serm. super signum magnum.

Luc. 2.

Cant. 2.

Cant. 8.

de B.V.

Psal. 44.

Luc. I.

VI. PATRES tamen communi consensu per hæc *magna* intelligunt Verbi diuini Incarnationem, & Christi conceptionẽ in vtero Virginis celebratam: ita THEOPHILVS in Catena aurea D. THOMÆ ex mente D. AVGVST. vbi ait: *Virgo non per suam virtutẽ se beatam prædicandã, sed causam assignat dicẽs: Quia fecit mihi magna, qui potens est. Quæ tibi magna fecit? Credo, vt creatura ederes creatorem, famula Dominum generares, vt per te mundũ Deus redimeret, per te illuminaret, per te ad vitam reuocaret.* Hæc ille; quibus consona sunt alia præclara antiquissimi Mart. METHODII orat. de hypopanti Domini, vbi ait: *Tu Deo alioquin nullius rei indigo carnem, quam non habebat, dedisti, vt hac ratione omnipotens, id quod esse dignatus est, homo videlicet, vere appareret. Quid hoc illustrius? Quid hoc sublimius? Qui cœlũ & terram implet, cuius præterea sunt omnia, quæcunq; mouẽtur, atq; subsistũt, is tui factus est indigus. Tu enim admirabilẽ Incarnationẽ, quã aliquando non habuit, Deo mutuam dedisti. Tu potentem illũ corpore tanquã decenti quadam panoplia induisti, per quam quidẽ facile à me caperetur & cerneretur: Euge, euge mater Dei & ancilla: Euge, euge, quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuo dat, Deo namq; vniuersi debemus, tibi vero ille debet*: Breuius tamen EVSEBIVS EMISSENVS inquit: *Vere vtiq; magna, & tam magna, quam magna nulli alij & fecit, & facturus est: ex ea carnem suscepit, & cœli, terræq; Dominam & reginam eam fecit.* In eandẽ conspirant expositionẽ D. BONAV. D. THOM. & Vener. BEDA adducens illud IOBI: *Qui facit magna & inscrutabilia, & mirabilia absq; numero.* Olim quidẽ Deus dixit per Prophetã IOELEM: *Dabo prodigia in cœlo sursum, & signa in terra deorsum.* sæpe alias Deus portentosa prodigia patrauerat, in cœlo tantum, vt tempore Iosue fecit solẽ in medio sui cursu sistere, & tempore regis Ezechiæ decem lineis eundem retrocedere; vel in aere tantum, quando tempore diluuij cœlestis arcus variis coloribus distinctus apparuit; vel in igne tantum, quando inter ardentes, ac voraces Babylonici camini flammas tres pueri illæsi diuinas laudes canebant; vel in terra tantum, quando illa Dathan, & Abiron absorpsit, & quando ex petra ad imperium Moysis copiosas aquas eduxit: quod tamen sursum & deorsum simul, in cœlo & in terra pariter signa atq; prodigia faceret, numquam visum fuit, quia id Dei omnipotentia in Virgine sola factitandum reseruauerat in qua vere *fecit prodigia in cœlo sursum, & signa in terra deorsum.*] *Sursum* quidẽ, quando circa Verbum diuinũ factum est magnum illud prodigium, vt per Incarnationis sacramentũ duplicem naturam, diuinam

D. Thom. in Caten.

Method. Mart. in hypopanti Domini.

Eus. Emiss. hom. fer. 6. ante 4. Dominic. Aduent.

D. Bonau. super c. I. Luc.

D. Thom. in catena.

Beda super Luc. c. I.

Iob 5.

Ioel. 2.

Iosue 10.

4 Reg. 20.

Gen. 9.

Dan. 3.

Num. 16.

Ibid.

& humanā eadem Verbi diuini sustineret persona: *deorsum* vero inauditum prodigium patrauit, cum humilis instar terræ Maria mira eius virtute fœcundata filium Dei vtero suo concepit. Ecce prodigia & signa magna coniuncta *sursum & deorsum*, in cœlo simul & in terra, vt vaticinatus fuerat Propheta Ioel.

Exod. 7. 8. 9. 10. 11. 14.

VII. SILEANT ergo iam in conspectu horum signorum omnia illa quōdam patrata signa; sileant, quæ patrauit Moyses, cum fluminis aquas in sanguinem vertit, ranis Ægyptum impleuit, molestos ciniphes immisit, colubrū in virgam commutauit, mare rubrum diuisit, Pharaonem submersit, populum Dei à tyrannica illius seruitute liberauit. Sileant reliqua alia prodigia, quorū sacra eloquia meminere; ferrum super aquā tempore Elisei narans; Asini maxilla instar fontis aquam scaturiens; Asina Balaham articulata verba instar hominis proferēs; sterilis Sara annis onusta concipiens; cœlum manna & carnes pluens; sicca virga Aaronis florens; Iordanis aqua fluxum suum cohibens; rubus ardens non combustus; cum aliis plerisque, quæ importunum esset recensere. sileant, inquam, omnia hæc signa, quia licet magna, maiora tamen absque vlla controuersia, quod fœmina generet Deum, creatura suum concipiat creatorem, ac incomprehensibilē suo vtero comprehendat; maiora, q͂ fons paruus & signatus mare latissimū producat; stella pariat solem; vas conficiat suum figulum; Domus suum architectum condat; Centrum totam sphæram claudat; punctus vniuersum orbem includat. Hęc noua magna, magna adeo sunt, vt illa antiqua magna magno interuallo ab his superentur.

Luc. 1. — *Philo lib. allegor. in Exod.* — *Exod. 2.* — *Cant. 5.* — *Ezech. 10.*

VIII. VNDE infero, non potuisse non ingentem esse Mariæ magnitudinem, in qua tam magna Dei omnipotentia patrauit: *Quia fecit mihi magna, qui potens est.* In huius magnitudinis figurā antiquissimus PHILO acute adnotauit, quod quamuis in S. Scriptura reperiatur arcæ confœderationis (quæ Virginem adumbrabat) longitudinem, & latitudinem mensurari, profunditatis tamen eius nulla in ea assignatur mensura, vt hac ratione nobis significaretur, Marianæ sanctitatis immensitatem à creaturis mensurari, ac comprehendi non posse. Atque ad id ipsum significandum, cum S. Scriptura per rubum incombustū Mariam significauit, continuo adiecit illam flammas emittere, & inaccessibilem esse; cumq; Moyses voluit accedere, non est permissus; cum etiam appellat illam fontem, subinngit esse signatum; & cum vocat portam, confestim subdit esse clausam, vt hinc doceamur magnitudinem Virginis, magnaque, quæ illi in illa, per illam, & cum illa Dei omnipotentia effecit, à nobis penetrari ad vnguem minime posse. Vnde sapienter B. Virgo dicens *magna* sibi fecisse Deum, ne quispiam hac tanta magnitudine deterritus in eorum fide vacillaret aut dubitaret de Dei omnipotentia, in memoriam sapienter nobis reuocauit, vt memores illius potentiæ nihil de hac tanta eius magnitudine hæsitaremus, prout his verbis recte adnotauit TITVS, id referente D. THO. in sua aurea Catena: *Dixit, qui potens est, vt si quis diffidat in Conceptionis negotio, dum Virgo manens concepit, retorqueat miraculum ad potentiam operantis.* quare mihi videtur, quod dum B. Virgo adiecit verba illa, *qui potens est*, solutionem nobis tradidit ad omnia cauillosa rationis humanæ argumenta facile diluenda, cum quæcunq; difficiliora creditu menti occurrant, si ad omnipotētiam Dei illa referamus, à qua omnia facile superantur, tanquā fumus euanescent, cum non sit impossibile apud Deum omne verbum. vnde recte D. AVGVSTINVS scribens ad Volusianum dixit: *in rebus mirabilibus tota ratio facti est potentia facientis.*

Titus apud D. Thom. in sua aurea Caten. — *D. August. epist. 3. ad Volusianū, tom. 3.*

IX. CÆTERVM oportet iam explicemus, quid sibi velint sequentia Mariæ verba: *& sanctū nomen eius*: quidam enim putant hunc sensum reddere: fecit mihi magna, qui potens est, & cuius nomen sanctū est. HVGO VICTORINVS super hunc locū *per nomen Dei* intelligit famam eius; in quo sensu illud non semel vsurpat PLATO in suis politicis; sic n. ait HVG. *quid est nomen eius? fama eius, nomē eius, cognitio eius, fides nomen eius*: in qua acceptione sensus est, propter magna, quæ mihi fecit omnipotens, eius fama, & nomen dilatabitur. Alii accipientes *nomen* ꝓ facultate & virtute ad aliquid efficiendū, vt Christus Dominus illud accepit, cū dixit apud MARC. *in nomine meo dæmonia eÿcient*: arbitrantur sensum esse, quod virtus omnipotentiæ diuinæ magna fecerit B. Virgini: alij per *sanctum nomen* intelligunt hoc loco nomen Dei vocale, quo Hebræi Deum nominabant, & in cuius virtute frequenter Deus magnalia faciebat; secundum quam intelligentiam sensus erit, quod Deus fecit Virgini magna ad inuocationem sui sancti nominis, quod frequenter ipsa mente, & ore inuocabat.

Hugo Vict. super Magnificat. — *Marc. 9.*

X. VERVM cum teste D. ISIDORO HISPALENSE, Hebræi decem nominibus Deum vocitarent, dubium inde emergit, quodnam fuerit ex illis illud, cuius B. Virgo meminit, cum dixit: *& sanctum nomen eius.* Primum nomen apud Hebræos *El* dicebatur, quod *fortis* interpretatur. Secundum *Eloim.* Tertium *Eloach*, quod vtrumq; idem pollet, quod Latinè *Deus*. Quartum *Sabaoth*, quod *exercitus*, seu *virtutes* significat. Quintum *Elion*, quod Latinè *excelsus*. Sextum *Eheie*, id est, *qui est*, iuxta illud: *qui est, misit me ad vos.* Septimum est *Adonai*, quod interpretatur *Dominus* absolute, & quasi per antonomasiam talis. Octauum est *Ia*, quod *existens* interpretatur. Nonum est, *Sciaddai*, id est, *omnipotens*. Decimum est Tetragrammaton, h. e. quatuor literarum, q͂ proprie apud Hebræos, vt tradit CHRYSOSTOMVS LVSITANVS, ponitur in Deo *Iode*, id est, duabus *Ia*, quæ duplicata ineffabile illud & gloriosum Dei nomen efficiunt. Ex his ergo omnibus nominibus sine dubio B. Virgo cum dixit, *& sanctum nomen eius*, intellexit illud, quod apud Hebræos & in sacra Scriptura magis frequentatum erat,

D. Isidorus Hispal. lib. 7. etymologiarū, c. 1. — *Exod. 3.* — *Chrysost. Lusitanus de verbis diuin. lib. 4. c. 11.*

rat,

rat, & magis venerabile. Hoc autem erat *Iehoua*, quod dicitur admirabile & ineffabile propter mysteria mirabilia, quæ portendit: vnde scribitur quatuor literis Hebraicis *Iod, He, Vau, He*, propter quatuor mysteria personalia, & alia quatuor essentialia, quæ continet, & notificat illud nomen in Deo, significata per illas quatuor literas. Nam ista litera *Iod* interpretatur *principium* omnium personarũ, non de principio: *He* vero interpretatur *esse*, ideo significat Verbum, siue *Filium*, per quem facta sunt omnia, & à quo habent esse: *Vau* autem interpretatur *ipse*, siue *Virtus*, ideo significat Spiritum S. qui spirat omnem virtutem, & motum in omnibus rebus. Vltima vero litera, scilicet *He*, significat humanitatem filij iunctam Verbo, & ideo bis ponitur *He* in hoc nomine, ad denotandum, quod ista litera *He* bis sumpta denotat duas naturas in vna persona, & licet sint duæ naturæ in Christo, tamen non manet nisi vna persona. Et notanter secundum *He* ponitur in vltimo loco, ad denotandum, quod licet tres personæ diuinæ sint ab æterno, tamen incarnatio facta est vltimate ex tempore, & illa humanitas ita est iuncta personaliter filio, quod non cæteris personis. Ex quo patet quod per illas quatuor literas significabatur mysterium Trinitatis, & incarnationis simul; significabant enim tres personas diuinas, & humanitatem assumptam in Verbo: & sic designabant supradicta quatuor mysteria personalia in diuinis. Item illæ eædem quatuor literæ significant alia quatuor ineffabilia mysteria Deo essentialia, scilicet summam omnipotentiam, summam sapientiam, summam misericordiam, & summam iustitiam. Et ideo istud nomen dicebatur *ineffabile*, & *mirabile* apud Patres veteris testamenti, quia nunquam supradicta mysteria fuerant scripta, nec reuelata illis Patribus, nisi sub quibusdam figuris. ideo dixit Deus Moysi, quod *nomen meum Adonai nondum indicaui eis*; vnde tria sunt prænuntiata in *ve* de hoc nomine Dei quatuor literarum. Primo, quod Messias in lege promissus debebat habere hoc nomen, & debebat vocari illo nomine Patribus cognito, vt patet IEREM. 23. *Ecce dies veniunt, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra; Et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.* Vbi *Dominus* scribitur quatuor literis, quod soli Deo conuenit, & omnes Hebræi dicunt, quod iste est Rex Messias. Secundo, quod MESSIAS futurum erat, vt re ipsa esset ipsum nomen Dei, vt expresse dixit ISAIAS cap 30. Tertio, quod ipse manifestaturus erat nomen suum, vt idẽ ISAIAS testatur, *vtinam dirumperes cœlos, & descenderes, & notum fieret nomen tuum.* Vnde Iudæi asserebant, vt auctor est Episc. Christopol. quod illi, qui sæculo Messiæ futuri essent, cognoscituri erant virtutes, & proprietates huius ineffabilis nominis.

Exod. 6. Ierem. 23. Iacob. de Valentia Episc. Christop. super Magn. Luc. 1.

XI. MIHI tamen videtur B. Virgo per illa verba: *& sanctum nomen eius*, intellexisse Verbũ diuinum carne indutum. pro cuius maiori intelligentia obseruandum est, ex doctrina ARISTOTELIS 3 de Anima, & 7. Metaphys. & 1. Periermenias, quod conceptus, quẽ intellectus noster format, quo rei naturam penetrat, dicitur *diffinitio, & ratio rei*, nota soli ipsi intelligenti, quẽ conceptum Græci appellant λόγος, quod idẽ pollet, quod Latine *Verbum*; vt autẽ alijs innotescat, oportet, vt externã vocem induat, atque sic indutus (vt ita loquar) & factus vocalis, qui antea solũ erat mentalis, dicitur nomẽ à *notificando*, quia (vt dixit ARISTOT.) *voces sunt notæ earum, quæ sunt in anima passionum.* hinc D. AVGVST. ab hac Philosophi doctrina non discedens docuit, Verbum diuinum esse conceptum diffinitiuum Patris, ipsi soli notũ, quo se diffiniuit secundũ totum pelagus, & plenitudinem suæ diuinitatis. sicut autem accidit in nobis, ad aliis notificandum nostrum conceptũ, oportet illum externa voce induere, & per illam vocem fit nomen, per quod verbum nostrũ mentale aliis innotescit; ita Deus Pater induit Verbum suum humana carne, & per Verbum sic Incarnatum, tanquam per nomen, notificauit mundo se ipsum, & voluntatẽ suam, loquens nobis per illud, vt ait D. PAVLVS: *Nouissime autẽ diebus istis locutus est nobis in Filio; per quem fecit, & sæcula.* Nomen igitur Dei est Verbum incarnatum, vt expresse etiam docuit ISAIAS Propheta, cum dixit: *Ecce nomen Domini venit de longinquo.* Est enim clarius, quam probatione indigeat, hic non promitti venturũ de longinquo aliquod nomen vocale, aut scriptum, sed verbum ipsum diuinum, quod carne indutum, instar conceptus voce induti abscondita cordis exprimentis, diuini pectoris arcana nobis manifestare deberet, vt postea ipso opere compleuit, ipso dicente: *Quæcunq; audiui à Patre meo, nota feci vobis.* cum ergo B. Virgo dixit: *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius*: perinde arbitror esse, ac si dixisset: quia fecit mihi magna Pater per Filium, per quem facta sunt omnia.

Arist. 3. de Anima, & 7. Metaph. & lib. 1. Periherm. Arist. lib. 1. Periherm. D. Aug. li. 15. de Trin. Heb. 1. Isai. 30. Ioan. 15. Luc. 1.

XII. EX quo etiam liquet, quam recte nomen hoc vocauerit, *Sanctum:*] *& sanctum nomẽ eius*: nam cum per illud intellexerit Verbum diuinum carne indutum, quod essentialiter est idem cum Patre, ipso dicente, *Ego & Pater vnum sumus*, consequens est eandem essentialem Dei Patris sanctitatem ei conuenire, à qua summa etiam sanctitas in humanitatem Christi effluxit; quare quomodocunq; etymologiam huius nominis *Sanctum* perpendamus, haud difficile erit ostendere, quam apte *Sancti* epithetum, quod *nomini* tribuit Maria, Verbo Incarnato conueniat. BEDA *sanctum* idem ait esse, quod *separatum*, aut *segregatum*; vnde Hebræum nomen *Kados*, quod ei respondet, interpretatur *purissimum*, ꝙ idem est, ꝙ ab omni immunditia separatum, seu segregatum: in Græco vero correspondet *Agios*, quod interpretatur *sine terra*; constat autem, quod hac ratione Christus Dominus à Diuo PAVLO vocatus est, *segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus.* Sanctum etiam, vt alijs

Ioan. 10.

aliis placet, originē ducit à *sancire*, quod in rigore interpretatur; *Sanguine confirmare*, vt sæpe apud antiquos Scythas, Arabes, Medos, Garamantas, Lydios, imo & apud Hebræos contingebat, iuxta illa EXODI: *Hic sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscū.* Imo secundū Catholicos *Sanctum* idem est, q̄ *Sanguine tinctum*: quis autem non videat, dum Verbum diuinū carnem assumpsit, humano sanguine tinctum? vnde *vir Sanguinum* dictum est EXOD. 4. & ISAIAS 63. de Christi humanitate dixit: *rubrum est vestimentum suum.* Atq; hinc est, iuxta præfatam expositionem, q̄ licet alioquin nomē Dei vocale, aut scriptū, instar imaginis ipsius, adoratione dignum sit, iuxta illud PAVLI: *In nomine* IESV *omne genu flectatur, &c.* vt tamen EPISCOPVS CHRISTOPOLITANVS docuit: *Quando dicitur Gen. 4. quod Enos cœpit inuocare nomē Domini; & c. 12. quando Abrahā ædificauit altare, & adorauit nomē Domini, ibi non est dicendum, quod Enos inuocauerit, nec Abraham adorauerit illud nomen vocale quatuor literis prolatum, aut descriptum, sed adorauerunt Verbum Incarnatum Deum, & Hominē, per illas quatuor literas significatū.* Ibid. etiam hæc præclara scripsit, quæ quia dictam expositionem mirifice illustrant, hic apponere molestè non feram: *Hoc est nomen Dei, quod desiderabāt videre Patriarchæ, & Prophetæ, quod nō potuit videri, nec reuelari nisi in N. Testam. sed quia Moysi desiderāti videre istud nomen Dei, sc. verbū Incarnatū, quod erat venturū in mundum cū omnipotentia, & humana sapientia, & iustitia, & misericordia, ideo scripsit ipsum quatuor literis Hebraicis, scil. iod, he, vau, he: Et sic cū istis quatuor literis reperitur nomen Dei scriptū in tota Scriptura legis, & Prophetarum in Hebræo; quæ quidē quatuor literæ solæ sumptæ nō formant aliquam notam dictionem ad denotandū nomen Dei, quod significabant esse incomprehensibile, sed vbicunq; reperitur nomen Dei istis quatuor literis scriptum, ipsi Hebræi pronuntiabant, & pronuntiant Adonai, id est, Dominus omnipotens. Et idcirco dicunt, quod istud nomen Tetragrammaton, i. e. quatuor literarum, est ineffabile, quo ad ea, quæ comprehendit, & significat, eo quod significabat per quatuor literas illa quatuor incomprehensibilia, quæ sunt in Christo, scil. omnipotentiam, sapientiam, misericordiam, & iustitiam. Sed si istæ quatuor literæ rectè combinentur per puncta, quibus Hebræi combinant literas in scriptura, tunc reddunt istud nomen Hebræum Iehouah, quod Græce dicitur Isus, & Latine Iesus, quod est saluatio, siue Saluator: & sic vbicunq; in Hebræo scribitur hoc nomen Iehosuah: in Latino interpretatiue scribitur Saluator, aut salutare, siue Iesus. Et ideo sicut Hebræi per illud nomen Tetragrammaton, id est, quatuor literarum nominant Deum, & nomē eius, ita nos per hoc nomen Iesus ex illis quatuor literis combinatū, nominamus Verbum incarnatum, quod est nomen Dei reale, quo Deus se nominauit, & notificauit mundo. Et sic sicut illud Verbum incarnatum est nomen Dei reale, quo ipse Deus pater nominauit se ipsum mundo, ita hic nomen Iesus vocale, vel scriptum est nomen, quo nos nominamus illud Verbum incarnatum Deum, & hominem, quod est nomen Dei, quo ipse se nominat: quod quidem nomen non fuit mundo cognitum, nisi vsque ad aduentum Christi, quando Angelus dixit Mariæ: Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum.*

Exod. 34. Philip. 5. Ep. Christ. super Magnificat. Ep. Christ. sup. Magn. Luc. 1.

XIII. PORRO vt proposita Virginis verba ad mores conuertamus, obseruandū est, scite Deiparam Mariam potentiam cum sanctitate copulauisse, dū ait: *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius*, vt nos erudiret, Imperium, & potētiam absq; consortio sanctitatis tyrannidē esse; Pharao quidem, Nabuchodonosor, Antiochus, Nero, Caligula, Diocletianus, & alij permulti Imperatores famosi potentissimiq; fuere, quia tamen sanctitate caruerunt, tanquā impij Tyranni tam in proprios, quā in extraneos sæuierunt. Certe Regum ac Principum cor tale debet esse, quale illud depinxit SALOMON, cum potentia pariter, & sanctitate ipse vigebat: *Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocunq; voluerit, inclinabit illud.* quasi diceret: sicut ad irrigandos, ac fœcundandos agros, non ad perdendos diuidi solent, ac fluere aquæ, sic regum corda nō ad vastandos, sed ad tuendos, ornandos, & locupletandos populos moueri debēt, & quemadmodum aquæ deriuantis ductū, ita cor regis volunta e Dei sequi debet: sicut etiam primū mobile, cui reliqui parent cœli, angeli mouenti paret; ad eundem modum Rex, qui instar primi mobilis, suo motu, & imperio subditos rapit, ac circūfert, Deo ipsi obsecundare debet, & vt alter Dauid esse, qui faciat omnes voluntates eius, & seruet omnes eius leges. Quamobrem in DEVTERONOM. præcipit regi Deus, vt legis librum apud se habeat, ac legat: *Postquā sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secū, leget q; illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba, & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt.* Hinc factum est, vt Regi, cum coronabatur, legis liber traderetur: *Produxitq; filium regis, & posuit supra eum diadema, & testimonium* (i. e. legem) *feceruntq; eum regem, & vnxerunt.* Cum diademate legem coniungit Scriptura; diuinæ enim leges, ac mandata si à rege obseruentur, fulgentissimi sunt pyropi, qui regis diadema illuminant. Præterea dicitur summus sacerdos *testimonium*, i. e. legem, *super regem imposuisse*, super regem (inquam,) quod oporteat regem legi subiectum esse, atq; obtemperantem.

Luc. 1. Prou. 21. Deut. 17. 4. Reg. 11.

XIV. SOLENT reges consiliarios habere multos, quorum consilia sequantur; optimi consiliarij, qui consilio dando nec fallunt, nec falluntur, diuinæ leges sunt: quocirca rex DAVID: *Consilium* (ait) *meū, iustificationes tuæ*: ex Hebræo verti potest: *Testimonia, siue mandata tua, viri cōsiliarij mei*: HIER. vertit: *Viri amicissimi mei.* O fidelissimos illos reges, q̄ animi effrænatas perturbationes, virosq; improbos, quib. illæ dominātur, è suo cōsortio pellūt, his vero cōsiliis obtemperāt. Memorare debēt Princi-

Psal. 118. 3. Reg. 1.

pes,

pes, quod ſunt veluti populi norma, & regula; regulam autem rectam eſſe oportet, vnde PLVTARCHVS inquit: *Quemadmodum oportet, vt ipſa regula primum recta ſit, nihil habens obliquum, deinde cætera ſibi admota quatenus ſibi congruunt, exæquet: conſimili modo Princeps, poſteaquam imperium in ſe ipſo parauerit, ac direxerit, vitamque ſuam compoſuerit, tunc debet ſibi coaptare eos, quibus imperat. Nec enim cadentis eſt alium erigere, nec ignorantis docere, nec incompoſiti componere, nec ordinare inordinati, nec imperare eius, qui non pareat imperio.* hæc ille. Rex probus regula eſt recta, rex prauus regula diſtorta & praua ad quam qui mores coaptant, deprauantur, diſtortamque vitam traducunt; quare ſicut fermẽtum maſſam, ita impius Rex populum corrumpit; vnde apud OSEAM Ieroboam Rex dicitur Iſraeliticum populum fermentaſſe, quia per idolorum cultum illum corrupit: *Quieuit paululum Ciuitas à cõmixtione fermenti, donec fermentaretur totum*, hoc eſt, quieuit ciuitas paululum, poſtquam fermentũ idololatriæ à Ieroboamo Rege accepit, donec eodem fermento tota fuit fermentata, atque corrupta. Idem Rex eodem capite cum piſtore confertur ad coquendos panes clibanum ſuccẽdente: *omnes adulterantes*, ait Deus, ſpiritali ſcilicet adulterio idololatriæ, *quaſi clibanus ſuccenſus à coquente*, id eſt, à Rege Ieroboamo. Piſtor eſt Cacodæmonis Rex impius, qui hominum corda velut clibanos tartareo vitiorum igne ſuccendit, & panes Cacodæmoni ſuauiſſimos, id eſt, peccata, coquit. Huiuſmodi infelices Reges & Principes audiant verba SAPIENTIS acriter eis minantis: *Præbete aures vos, qui continetis multitudines: & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra & cogitationes ſcrutabitur, quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non recte iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, nec ſecũdum voluntatem Dei ambulaſtis, horrende, & cito apparebit vobis, quoniam iudicium duriſſimum in iis, qui præſunt, fiet.* Timeant ergo Reges duriſſimum hoc iudicium, ne in ſumma poteſtate ſumma ſit licentia libertaſq; viuendi. Nam, vt ait AMBR. *Lubrica eſt in bonis moribus licentia poteſtatis, & oblatio facultatis; lubricus locus eſt regnum, adeo vt in eo collocatus ſanctus Dauid in adulteriũ lapſus ſit.* Quamobrẽ fræno timoris Dei opus eſt regi, quo poteſtatis libertatem coerceat: *Difficile eſt* (ait D. ISIDORVS) *Principem regredi ad melius, ſi vitiis fuerit implicatus: populi enim peccantes iudicẽ metuũt, & à malo legibus cohibentur Reges autem, niſi ſolo Dei timore, metuq; gehennæ coercẽtur, libere in præceps proruunt, & per abruptum licentiæ in omne facinus labuntur* hæc ille.

Plutarch. lib. de doctrina Princip. — Oſeæ 7. — Ibid. — Sap. 6. — D. Ambr. 1. Apolog. Dauid in c. 3. — D. Iſidor. de ſummo bono, lib. 3. cap. 51.

XV. TIMEANT igitur, & contremeſcant oportet Principes, quod Deum Iudicem & vindicem habeat, cuius ſola manus paucos in pariete characteres exarans potentiſſimos terrere fecit Reges. Audi DANIELEM: *Apparuerunt, inquit, digiti, quaſi manus hominis ſcribentis. Tunc facies Regis commutata eſt, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius ſoluebantur, & genua eius ad ſe inuicẽ collidebantur.* O Regem Babylonici imperii potentiſſimum, manus parua, non haſta, & gladio, ſed tenui calamo armata, tantum tibi terrorem incutit? tãtũ certe, quia manus eſt omnipotens Dei, ab omnibus Regibus rationem ſeuere expoſcens. Tria verba ſcripſit manus illa, Regibus cunctis aſſidue animo voluenda, *Mane, Techel, Phares*. Illa DANIEL hunc in modum expoſuit: MANE, *numerauit Deus regnum tuum & compleuit illud*; TECHEL, *appenſus eſt in ſtatera & inuentus eſt minus habẽs*; PHARES *diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis.* Vtinam ſicut manu illa in aula regia Babylonici imperii hæc inſcripta fuere, nunc etiã à Regib. in palatiis hæc eadem inſcriberentur, frequentique conſideratione expenderentur. *Mane* numerabit Deus regnum Regis, & numerabit dies, quibus eſt regnaturus, & paulo poſt è vita & regno migrare iubebit. *Techel*, appenſus es in ſtatera diuina, ô Rex, appendit Deus recte facta, appendit quoque mala opera, appendit in ſtatera virtutes Rege dignas, appendit vitia Rege indigna. O illum infeliciſſimum, qui inuenietur minus habens! ô illum feliciſſimũ, qui iuſtitiam, pietatem, Dei cultum, fidem, charitatem, reliquaſque virtutes iuſti, ac recti habuiſſe ponderis reperietur! è regno hic temporario in æternum transferetur; qui vero iuſto, debitoq; pondere caruerit, amiſſo regno, aliiſque tradito in perpetuam miſerrimamque Orci ſeruitutem detrudetur. Hæc qui frequenti meditatione animo vertit, vigilanti cura rempub. adminiſtrat exemplo ad virtutem ſubditos ducit, recte facta recte factis perpetuo cumulat, ne in ſtatera debitum pondus deſit, & de cœleſti regno per ſupremum omnium Iudicem excludatur. Cui ſit honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Dan. 5. — Dan. 5.

HOMILIA XIX.

Explicatur verba illa: & miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum: *vbi oſtendimus B. Virginem per miſericordiam beneficium Incarnationis intellexiſſe; pariterque de timore ſeruili, & filiali pertractatur.*

I. VM proprium ſit charitatis, qua Sancti diligũt proximos ſicut ſeipſos, iuxta diuinum præceptum: *Diliges proximum tuũ ſicut te ipsũ*; eorum bona tamquam propria reputare, vtpote qui per charitatem facti ſint cum illis *cor vnum, & anima vna*, vt loquitur D. LVCAS in actis Apoſtolicis: hinc eſt, quod B. Virgo, quæ inter omnes puras creaturas perfectiorem charitatis gradũ attingit, beneficia facta

Matth. 5. — Act. 4.

vniuerso orbi quasi sibi collata illa reputãs, pro his etiam gratias agit, Deumq; magnificat, & propter eadem exultat spiritus eius: vnde postquam gratã se exhibuit Deo propter beneficia sibi collata: *quia fecit mihi magna, qui potẽs est, & sanctum nomen eius*; continuo gratias refert propter beneficium diuinæ misericordiæ in omnes nationes se diffundentis: *misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum*.

Luc. 1.

II. Vnde obseruatione dignum est, quam egregium ordinem Deipara seruarit in suo cantico; primo n. tractat de fonte, deinde de aquęductu, tandem de agris, in quos aquæ illæ deriuantur: primo dixit; *Magnificat anima mea Dominum*: ecce misericordiæ perennem fontem: deinde ait; *quia respexit humilitatem ancillæ suæ*: ecce Mariam aquęductum, per quem diuinæ gratię fluenta diriguntur: ac tandem ait; *à progenie in progenies timentibus eum*: ecce signat agros, ad quos fluẽta illa deriuantur. Theophylactvs per hæc verba intelligit significari, ꝙ timentes Deum cõsequuntur misericordiam tum in hac generatione, hoc est, in præsẽti sæculo, tum in futura generatione, hoc est, in futuro sæculo; in hac enim centuplum accipiunt, in illa vero vitam æternam possidebunt. Alii cum Cardinale Toleto intelligunt verba illa de successione generationum solius populi Iudaici. Alii vero interpretantur sensum esse, quod misericordia Dei incipiet à progenie Iudæorum, & perueniet ad progeniem gentilium: sed planior sensus est, & verior, vt vniuersas nationes, & ætates comprehendat Davide dicente: *misericordia Domini plena est terra*, adeo vt non sit, qui se abscondat à calore misericordiæ eius. Ita exponit Venerabilis Beda dicens: *Progenies autem, & progenies velut vtriusque populi, Iudæi videlicet, & Gentilis appellat, vel certe per omnium orbem nationum, quas in Christo credituras esse præuidebat.* His adiungo Evthymivm in Lucam opinantem: *à progenie in progenies*, idem significare in Hebræo, quod *semper*: vnde sensus erit, quod in omnes homines indeficiens erit eius misericordia & perennis.

Luc. 1. Ibid.
Tolet. super c. 1. Luc.
Psal. 118.
Beda hom. feria 6. ante quartã Domin. Aduent.
Euthym. in c. 1. Luc.

III. Illvd tamen præcipue in his verbis expositione desiderat, quid sub nomine *misericordiæ* beata Virgo intellexerit; quidã enim Doctores, quos sequitur doctissimus Beuxamus, nomine *misericordiæ* intelligunt diuina beneficia, quæ Deus munificentissima manu omnibus nationibus cõfert: *Incipe tu* (inquit ille) *à primo homine, quid, ne ipsum post peccatũ mors corporalis, & æterna vindicaret, prohibuit, nisi Dei misericordia? Quid Noë à diluuio, Loth ab excidio, Abraham ex Hur Chaldæorum, Iacob ab Esau, Iosephum à carcere, populum ab Ægyptiaca seruitute, eundem ex Babylonica captiuitate eripuit, nisi Dei misericordia?* ac tandem, vt David dixit: *misericordia Domini in æternum vsq; in æternum*; quasi diceret: non est misericordia diuina instar humanæ, quæ solum extenditur ad proxima, nõ ad remota, sed in omnia se diffundit, Ecclesiast. dicente: *miseratio hominis circa proximum suum, misericordia autem Dei super omnem carnem.*

Beuxamus tõ. 1. super c. 1. Lucæ.
Gen. 7. Gen. 19. Gen. 12. Gen. 30. Gen. 41. Exod. 34. 1. Esdr. 1. Psalm. 88. Eccl. 18.

IV. Gessit typum huius amplissimæ misericordiæ flumen, quod è medio paradisi progrediens in quatuor capita diuisum vniuersam terram irrigabat: sicut n. illa irrigatio paradisi his omnib. modis potuit fieri (vt post alios multos adnotauit Pererivs) vt vel flumen illud multos sinus, & anfractus faciens, vsquequaque paradisum allueret, & irrigaret; vel vt ex eo complures alui ducerẽtur, & in omnes paradisi partes deriuarentur; vel vt, instar Nili, ac Iordanis statis anni temporibus augescens, & superfluens, paradisum inundaret, atq; irrigaret; vel denique, vt per subterraneos meatus vniuersam Paradisi terrã humore suo perfunderet: ita omnibus his modis diuina misericordia mortalium animos irrigat, atque fœcundat: aliquando n. diuina gratia per secretissimos quosdam meatus, atque internas inspirationes perfundit mentem hominis, aliquando varias per tribulationes & anfractus faciens, vt ex illis deinde cõsolationum aquæ deducantur ad animam refocillandam, ac recreandam; plerumque vero per variarum virtutum alueos complures deducit; denique adeo interdum inundat, & augescit, vt omnem terrenã conuersationẽ homo deponens cũ D. Pavlo dicat: *Viuo ego, iam nõ ego; viuit vero in me Christus.*

Gen. 2.
Perrer. sup. Genes.
De diuina misericordia vide quæ latissime dixi in homiliis nostris Cathol. li. 2. de Incarn. hom. 12.
Ad Gal. 2.

V. Verum communior & receptior Patrum sententia est, beatam Virginem sub nomine *misericordiæ* hoc loco intellexisse beneficium Incarnationis: vnde D. Avgvst. in expositione huius cantici inquit: *hæc illa misericordia, quam timentibus se exhibuit Deus, quia Verbum suum per assumptã carnem in hunc mundum misit, vt per ipsum aereas potestates potenti virtute debellaret, & genus humanum ab earum potestate redimeret.* D. Ambrosius in hoc etiam sensu explicat verba illa: *Miserere mei Deus secundũ magnam misericordiam tuam*, dum ait: *Magna misericordia, quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Ac tandem D. Hieronym. verba illa Psalmi: *Mirifica misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in te* ipse vertit: *Mirabilem fac misericordiã tuam.* Est autem notissimum, in nullo opere Deũ Opt. Max. mirabilem magis misericordiam suam reddidisse, quam in stupendo Incarnationis prodigio; ante illam enim subleuabat Deus hominũ miserias absq; labore vllo, post Incarnationẽ vero multis doloribus, instar parturiẽtis, nobis opem tulit, quod eximiæ, ac mirificæ misericordiæ euidens argumẽtũ est. Imo, si rem altius perpendamus, reperiemus Deum nunquam ostẽdisse misericordiam rigorose loquendo; quo vsque in vtero virgineo Verbum caro factum est: nã, vt tradidit D. Thomas, misericordia præter efficacem voluntatem subleuandi alienam miseriam, importat compassionem eiusdẽ miserię: vnde D. Isidorvs li. etymologiarum dixit, misericordiam esse, quasi *miserum faciens cor*, cum igitur Deus ante Incarnationem non potuisset habere huiusmodi cordis compassionem, Incarnatus

D. Aug. in expos. sup. Magnif.
D. Ambr. in apolog. Dauid. posteriori c. 2.
Psa. 16.

vero

vero frequenter hominũ miseriis compassus fue-
rit, Apostolo dicẽte: *non habemus Pontificem, qui non*
Ad Heb. 4. *possit compati infirmitatibus nostris*: consequens est,
misericordiam complete, & perfecte non fuisse in
Deo ante Incarnationem, sed post illam; vnde nõ
incõgrue existimauerim, quod licet misericordia,
sicut & cætera diuina attributa omnibus diuinis
personis æque conueniant, speciali tamen ratione
Filio adscribi debet, non solum per quandam at-
tributionem, & accommodationem ad eum mo-
dum, quo potentia Patri, & bonitas Spiritui sancto
aptari solet, sed quia reuera nec Pater nec Spiritus
sanctus, sed solus Filius in Cruce pro nobis mortẽ
subiit ad subleuandam vniuersalem humani gene-
ris miseriã, & diabolica captiuitate eos misericor-
diter liberandum. Atque huc spectant ad eandem
expositionem confirmandam verba illa DAVIDIS,
quibus postulans à Deo, vt ostenderet sibi filium
Psal. 84. suum humana carne indutum, dixit: *Ostende nobis*
Domine misericordiam tuam; quod perinde fuit, ac
Nicol. de Lyra super c. 1. Luc. si diceret (vt exponit NICOLAVS de LYRA,) *Ostendi-*
sti potentiam in creatione mundi de nihilo, & sapientiã
tuã in mundi gubernatione, & iustitiã tuã in peccato-
rum punitione sicut in diluuio, & submersione Sodomæ
& Gomorrhæ; ideo nunc ostende nobis misericordiam
tuam in Filij tui Incarnatione.

VI. FVISSE autem hanc summam misericordiã,
ex eo non obscure probari potest, quia præterquã
summa erat miseria, à qua nos subleuáuit, est ad-
eo gratuitum beneficium, adeoque mera gratia, vt
nec sub merito Christi ceciderit. Diuina quidem
prædestinatio, prima gratia, nec non & donũ per-
seuerãtiæ licet non cadant sub merito nostro (vt
Theol. cum D. Tho. 2. q. 114. ar. 5. cõmuni consensu docent Theologi cum D. THO-
MA:) Christus tamen Dominus (vt iidem fatentur)
causa fuit meritoria nostræ prædestinationis, pri-
mæ gratiæ, & doni perseuerantiæ; suam tamen In-
carnationem nec meruit, nec potuit mereri, vt cũ
Angelico Doctore Theologorum schola edocet:
cum ergo Incarnationis beneficium adeo pura ac
D. Th. 3. p. q. 2. ar. 11. & de ver. q. 29. ar. 6. mera gratia esse perhibeatur, reliquũ est, supremũ
misericordiæ gradũ attigisse, vt & PAVLI verba sa-
tis indicant: *manifeste magnum est pietatis Sacramen-*
tum, quod manifestatum est in carne: vnde Zacharias
1. Tim. 3. magni Baptistæ parens non potentiæ, non sapien-
tiæ, sed misericordię Incarnationis opus attribuit:
Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quib. visitauit
Luc. 1. *nos oriens ex alto.* Adhæc illud dicere non parcam,
quod in quocunq; sensu sumatur verbũ illud *mise-*
ricordia, siue pro beneficio vocationis, & diuinæ il-
luminationis, siue pro beneficio Incarnationis, nõ
aliter quam per Virginẽ illam pręstitit nobis Deus:
vt enim ex regione Eden (vt Hebræi notant super
Genesim) flumen, quod Deus posuit in paradiso, o-
Gen. 2. riginem trahens per ipsum Paradisum cursum suũ
dirigebat, vt non solum illum irrigaret, sed & par-
tes illi confines & circumdantes; ita diuinæ mise
ricordiæ flumen per Mariam, tanquam per secun
di Adam paradisum, transit ad irriganda hominũ
corda; vnde quæstioni illi propositæ sancto IOB:
Dic mihi, si habes intelligentiam, per quam viam spar- Iob. 38.
gitur lux, & diuiditur æstus super terram? abunde sa-
tisfecisse arbitrarer, dicendo Beatam Virginem es-
se viam, per quam lux hæc spargitur, quæ *illuminat*
omnem hominem venientem in hunc mundum: quam
ardens diuini amoris æstus Ecclesię filiis diuiditur;
nam, vt dixit BERNARDVS: *Nihil nos voluit habere* D. Bern.
Deus, quod per manus Mariæ non transiret: vnde & super Missus.
ECCLESIA ipsa ei canit: *Tu regis alti ianua, & por-*
ta lucis fulgida.

VII. EXPONAMVS iam verba illa: *Timentib. eum.*
In his tria præcipue nobis explicare incumbit; pri-
mum est, quare magis dixit misericordiam Dei cõ-
municari *timentibus*, quam credentibus, quã spe-
rantibus, aut diligentibus eum? secũdũ, de quo ge-
nere timoris hic loquatur? tertium est, quomodo
beata Virgo coarctet misericordiam Dei ad timẽ-
tes Deum, cum etiam ad nõ timentes se diffundat, Matth. 5.
Christo Domino dicente: *Qui solem suum facit oriri* Corn. Ianse
super bonos, & malos. Ad primum CORNELIVS IAN- in sua con-
SENIVS in hæc verba respondet: *Apte dicit potius ti-* cord. c. 4.
mentib. eum, quam obedientib. ei, aut diligentib. eum,
quia prius de Dei potentia, & sanctitate cecinit, quibus
respondet in nobis timor, & reuerentia Dei. Bene qui-
dem, sed melius meo iudicio respondetur, consul-
tissime beatam Virginem dixisse, misericordiam
communicandam esse timentibus Deum, quia cũ
ex illa soleant homines ea abutẽtes ansam sumere
ad licentiosius viuẽdum, ideo misericordiæ timo-
rem adiecit, quasi frænum ad compescendam ho-
minum petulantiam, qui ex immensæ Dei miseri-
cordiæ cõsideratione vana fiducia decepti ad pec-
candum quotidie (proh dolor) proniores reddun-
tur: ad quod alludens ECCLESIAST. dixit: *Ne dicas;* Eccl. 5.
miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum
meorum miserebitur. Misericordia enim, & ira ab illo
cito proximant, & in peccatores respicit ira illius. Vn-
de ad hanc rem dignam illam SALOMONE senten- Prou. 25.
tiam esse arbitror: *Mel inuenisti, comede, quod suffi-*
cit tibi, ne forte satiatus, euomas illud. Fauus mellis est
Verbum Incarnatum, quem casta apis Maria, con-
cubitum instar apum nesciens, cœlesti Spiritus san-
cti rore decidente, ex propria substantia illum pro-
duxit, vnde Christo nato dictum est: *Hodie melli-*
flui facti sunt Cœli: ait ergo SALOMON: dulcissimum Antiphona Eccles.
huius tantæ misericordiæ mel inuenisti, comede,
quod sufficit tibi, ne adeo temere confidas in hac
tanta miseratione, vt inde licentiam sumas ad dif-
ferendam pristinę vitę pœnitentiam, aut in noua
prolabendum peccata.

VIII. AD secundum quæsitum, de quonam timo-
re beata Virgo hic loquatur, prætermissa illa EPI-
SCOPI CHRISTOPOLITANI timoris diuisione in ex- Epis. Christopol. in
positione super MAGNIFICAT, vbi ait: *Quadruplex* expositione
potest esse timor, seruilis, castus, & sanctus, aliter n. timet sup. Ma-
seruus, aliter filius, aliter vxor, aliter vir iustus: seruus gnificat.
timet facere malũ, ne verberetur à Domino; filius vero
timet patrem, ne priuet ipsum hereditate; vxor vero

timet

timet virum, ne separetur, & dimittat illam: sed vir iustus, & sanctus timet peccare contra Deum, non propter aliquod propriũ interesse, sed ne displiceat Deo, quẽ diligit in se, propter se, & super omnia: Hac inquam omissa diuisione, bimembrẽ partitionẽ inter Theologos celebrem in medium adducam, timoris seruilis, & filialis, cuius in hæc verba meminit Diuus

D. Hieron. lib. 1. in c. 1. pro tom. 8.

HIERONYM. *Duo sunt timores Domini: prior seruilis, qui principium sapientiæ vocatur: secundus amicalis, qui perfectiorem sapientiam comitatur. Timor seruilis principium sapientiæ est; quia quisquis post errorem delictorum sapere incipit, timore diuino corripitur, ne ad tormenta ducatur. Sed hunc timorem perfecta dilectio foras mittit. Succedit autem timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi, quem non excludit, sed auget charitas. Ipse est, quo timet filius bonus, ne vel in modico oculos amantissimi patris offendat.* Timorem quidem seruilem, quo quis ob gehennæ pœnã, aut extremi iudicij seueritatem perterritus, à peccatis se abstinet, licet multi hæretici damnarint, sacrum

Cõcil. Trid. sess. 6. cã. 8.

tamen CONCILIVM TRIDENTINVM ad exemplum Niniuitarum respiciens, qui pœnæ timore perculsi ad Ionæ prædicationem pœnitentiam egerunt, damnantes illum his verbis anathematizat: *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiã Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccatis abstinemus, esse peccatum, aut peccatores facere, anathema sit.* Et quidem sacrum Concilium videtur mihi hanc doctrinam aperte deduxisse ex verbis Christi Domini:

Matth. 10.

Timete eum, qui postquam occiderit corpus, potest corpus, & animam mittere in gehennam ignis. Vnde & hoc genus timoris laudant vehementer Patres,

D. Greg. li. 2. Moral.

præcipue D. GREG. & D. CHRYSOST. ille enim lib. Moral. *In via Dei timore incipitur, vt ad fortitudinem veniatur: nam sicut in via sæculi audacia fortitudinẽ, ita in via Dei audacia debilitatẽ parit; & sicut in via sæculi debilitatem, ita in via Dei timor fortitudinem gignit.*

D. Chrysost. hom. 25. ad populum Antioch. tom. 5.

Diuus autem CHRYSOSTOMVS in hunc modum loquitur: *Nisi bonus esset timor, filiis patres pædagogos non præponerent, non legislatores ciuitatibus vllos magistratus. Quid gehenna grauius? Sed huius metu nil vtilius. Gehennæ namq; timor regni nobis affert coronam. Vbi timor est, liuor non est. Vbi timor est, extinctus furor est, cupiditas improba correpta, omnis irrationabilis passio exterminata. Et sicut in domo stante milite semper armato non latro, nõ alius quis talia mala patrantium apparere propius audebit, sic & metu animas nostras detinente, illiberalium nulla perturbationum facile nobis subrepit, sed omnes fugiunt, & pelluntur, timoris imperio vndique exactæ.* Itaq; volunt isti Patres, quod licet timor seruilis sit imperfectus, est tamen via, & principium ad perfectum timorẽ: sicut n. acus se habet ad filum, quia perforãdo trahit ipsum, cõiungendo pannum vnum cum altero, & missa acu foras manent partes panni consutæ, & vinctæ per filum, ita similiter timor seruilis formidine futuræ pœnæ pungit cor hominis penetrans, & exinde trahit secum ad timorem filialẽ, per quẽ, quia hic habet charitatem sibi adiunctam, manet anima hominis Deo adhærens, & quasi cum illo consuta.

IX. PRÆTER hunc seruilem timorem est alius filialis, quando quis non propter pœnam, quã Deus peccanti minatur, sed propter vitandam Dei offensam abhorret peccatum. Discrimen autẽ inter hoc filialis, & illius seruilis timoris genus D. AVGVST.

D. August. in Psal. 117.

hac egregia similitudine vtens, hoc constituit: *Pone,* inquit, *aliquam fœminam castam, timentem virũ: aliam pone adulteram, & ipsa timet virum. Casta timet, ne discedat vir, adultera ne veniat.* Sed hoc etiã multo clarius idem AVGVST. super Epistola B. Ioannis:

D. Augu. tract. 9. in epist. Ioan.

Non potest, inquit, *melius explanari, quid intersit inter duos timores, castum, & eum, quem charitas foras mittit; quam si ponas duas maritatas, quarũ vnã constituas volentem facere adulteriũ, delectari nequitia; sed tamẽ ne damnetur à viro, huic onerosa est viri præsentia; tales sunt, qui timent, ne veniat dies Iudicij ne damnẽtur: fac alterã amare virum, debere illi castos amplexus, & nulla se adulterij immũditia maculare, optat præsentiã viri. Vtraq; timet, vox vna, diuersus animus, illa timet, ne veniat; ista ne discedat.* Huius filialis timoris fructus adeo vberes & copiosi sunt, vt vix in numerum redigi valeant; nam ille in primis iuuat ad credulitatem diuinorum arcanorum, iuxta illud: *qui timẽt Dominũ, non erunt incredibiles verbo eius;* (Eccl. 2.) confert scientiã: *plenitudo scientiæ timere Deũ;* (Eccl. 1.) præbet sapientiam: *initium sapientiæ est timor Domini;* (Psal. 110.) illuminat mẽtẽ, & tenebras pellit: *Orietur vobis timentib. nomen meũ sol iustitiæ;* (Malac. 4.) confert bonorum spiritualium vbertatem: *pauperem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum:* (Tobiæ 4.) sed non solum spiritualium, sed & temporalium: *Non est inopia timentib. eum.* (Psal. 24.) Timor Domini fugat peccatũ, ECCLESIAST. dicẽte: *Timor Domini expellit peccatum:* (Eccl. 1.) Prohibet in noua prolabi peccata: *Per timorem Domini declinat omnis homo à malo:* (Prou. 15.) Ingerit animæ dulcedinẽ: *Quã magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quã abscondisti timentib. te:* (Psal. 30.) Confert stabilitatẽ: *Firmamentũ est Dominus timentib. eũ:* (Psal. 24.) Cõfert iucunditatẽ, & delectationẽ: *Timor Domini delectabit cor:* (Eccl. 1.) Præbet animi fortitudinem: *Qui timet Dominum, nihil trepidabit:* (Eccl. 34.) Communicat pacem, & tranquillitatẽ: *Qui timet Dominum, in pace versabitur:* (Prou. 13.) Irrigat animam fluentis cœlestibus: *Timor Domini fons vitæ:* (Prou. 14.) fœcundat illam ac bonorum operũ fœtus eam parturire facit: *A timore tuo Domine concepimus, & quasi parturiuimus spiritum salutis.* (Isa. 16.) Tãdẽ hic filialis timor adeo perfectus esse perhibetur, vt in beatis Deo fruentib. cessante Fide & Spe, ipse nõ cesset, sed in æternum perseueret, DAVIDE dicente: *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi:* (Psal. 12.) & ECCLESIA canente: *Tremunt Potestates, cœli cœlorumq; Virtutes.* (Eccl. Rom in præf. Missæ.) Vnde cum D. HIERON inquit: *Vterq; autẽ timor in futura vita cessabit, charitas vero nũquam excidet, sed in plenitudine sapiẽtiæ perpetua manebit;* (D. Hie. l. 1 in c. 1. Prou. tom. 4.) intelligẽdus est, loqui non de dono ipso habituali timoris filialis, cũ hoc certũ sit manere in patria, sed de actu illo, quẽ iustus elicit in via, timẽs

à Do-

à Domino separari; hic enim cessabit in patria, cũ per visionem beatificam omnino certificentur beati, nunquam à Deo separandos fore: quare ipsi timorem solum exercent, dum diuinam maiestatem incessanter reuerentur, quem actum B. Virgo frequentissime etiam exercuit in via; non vero primũ, quia cum agnosceret, se factam impeccabilem per plenitudinem gratiæ sibi infusæ, non poterat timere separari à Christo Domino. Adeo autem in ea viguit filialis timor, vt se matrem illius esse affirmaret: *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei.* Ad rem ergo nostram redeuntes, quamuis HVGO VICTORINVS existimauerit B. Virginẽ in prædictis verbis: *misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum*; locutam fuisse tàm de timentibus timore seruili, quam filiali, verius tamen esse arbitror cum nostro NICOLAO de LYRA hunc locum intellexisse de casto, & filiali timore: nam licet Dei misericordia in Incarnationis beneficio se diffundat in omnes, quo ad sufficientiam, quo ad efficaciam tamen actualis sanctificationis non se extendit nisi ad iustos tantum, Deum timentes timore filiali.

Hugo Victor. in annot. super Magnificat. *Nicolaus de Lyra super c. I. Lucæ.*

X. AD vltimum tandem quæsitum, quomodo B. Virgo limitauerit misericordiam Dei ad timentes se, cum etiam non timentes innumeros suę misericordiæ effectus quotidie experiantur? Ex nuper dictis facile respondetur, beatam Virginem locutam fuisse, non de communicatione misericordiæ quantum ad sufficientiam, sed quantum ad efficaciam; efficaciter autem non communicatur iustificationis misericordia, nisi timentibus Deum: Cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA XX.

In illa verba: Fecit potentiam in brachio suo, *ostenditur Verbum diuinum incarnatum esse Dei brachium, in quo, & per quod Deus potentiam suam mirificè ostentauit.*

I.  VAMVIS Dei brachium fortitudinem ac virtutem diuinam ad magnalia patranda in sacris quandoque eloquiis denotare soleat, vt constat ex illo EXODI: *Educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & eruam de seruitute, & redimam in brachio excelso*; & ex illo: *brachium eorum non saluauit eos, sed dextera tua, & brachium tuum*: & in hoc sensu B. Virginem hoc loco locutam fuisse putauerint Venerabilis BEDA, EVTHYMIVS, & EVSEBIVS EMISSENVS dicens: *Fecit potentiam Dominus in brachio suo, id est, in virtute, & fortitudine sua, quia Diabolum vicit, & infernum spoliauit, & sanctorum animas secum ad cœlestia vexit*: Diui tamen AVGVSTINI, Sancti nostri Patris BONAVENTVRÆ, FVLGENTII, ATHANASII, EVSEBII, TERTVLLIANI, GREGORII, CYRILLI, Cardinalis CAIETANI, LYRANI, GLOSSÆ INTERLINEARIS, RVPERTI ABBATIS, HVGONIS VICTORINI, & aliorum Patrum interpretationem sequutus, arbitror Deiparam Mariam, quæ tunc temporis (præcipue cum cecinit hoc canticum) tota erat in Incarnationis consideratione immersa, per *brachium Dei* Verbum diuinum Incarnatum intellexisse; in quo sensu frequentissime in sacris literis *Dei brachium* vsurpari video: ait enim DAVID: *Donec annunciem brachium tuum generationi omni, quæ ventura est*, ISAIAS etiam inquit: *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur*: ac tandem D. IOANNEM dixisse nouimus: *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eũ, vt sermo Isaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit: Domine quis credidit auditui nostro; & brachium Domini cui reuelatũ est?* Ecce apertissime sub nomine brachij intelligit Apostolus Verbum diuinum Incarnatum. Vnde hæc perpendens D. CYRILLVS ALEXANDRINVS inquit: *Satis autem constat brachium Domini ipsum Dei filium nuncupari, qui virtus est Patris: Quomodo in cantico sacrosanctæ Virginis dicitur: Fecit potentiam in brachio suo, & crebro apud Prophetas hoc pacto sumitur. Non quidem, quod Deus Pater figura carnis humanæ detineatur, sed quia omnia per ipsum filium facta sunt, ideo brachium Domini dictum est, quandoquidem homines potissimam operandi vim brachiis exercent; si enim homo tanta potestate praualeret, vt sine vllo motu corporis sui, quod diceret, fieret, brachium eius verbum ipsius esset.*

Exod 6. Psal. 43. Bed. hõ. fer. 6. ante 4. Dõ Aduẽt. Euth sup. c. I Luc. Eus. Emis. hom. fer. 6. ante 4. Domin. Adu. D. August. de B.V. l. de essent. diu. ver. & sup. Ioan. tract 53. D. Bona in c. I. Luc. D. Fulg. lib 3. Thym. D. Athan. lib. de communi essentia Patris, Filij & Spirit. S. B. Eus. li 3. de præpar. Euãg. c. 2. D. Cyr. l. 8. in Ioã. c. 6. Tert. cont. Praxeam. D. Gr. l 32. Moral. c. 20. Caiet. super c. I. Luc. Lyrã. sup. c. I. Lucæ Gloss. interlinear. ibid. Rup. lib. 2. super Magnificat. *c. 20. Hugo Vict. sup.* Magn. *Psalm. 70. Isaiæ 40. Ioan. 12. Isaiæ 53.*

II. QVAM autem apta hæc sit metaphora, multa, eaque pręclara mihi ostendunt: vt n. brachium à corpore procedit, & à brachio digitus, quæ tamen cum ipso corpore eiusdem naturæ & essentiæ sunt; sic a Patre Filius procedit, & Spiritus sanctus à Patre per Filium, ac eiusdem naturæ & essentiæ tres inueniuntur esse personæ. Deinde brachio operamur artis opera, & Filius Dei vniuersa, quæ in mũdo continentur, tam magna, quam pulchra, atque ordinata brachio suo cõdidit, iuxta illud IOAN: *Omnia per ipsum facta sũt.* vnde DIONYSIVS dixit: *Pater vniuersa creauit per ipsum, redemit mũdũ, strauit Diabolum, fregit infernum, aperuit cœlum, per ipsum quoque infinita fecit miracula.* Deinde sicut brachium ex tribus substantiis coalescit, carne, osse, & medulla, ita Verbum Incarnatum constat carne, anima, & Verbo diuino; & sicut suppositum humanum carne ipsa tanquam instrumento coniuncto ad exercitium humanarũ operationum vtitur, ita suppositum Verbi diuini humana carne Christi tãquam instrumento non separato, sed vinculo vnionis hypostaticæ coniunctissimo ad excellentissima opera exercenda vtebatur. Adhęc sicut brachio nostro sustinemus infirmos, ac pueros, ita Deus Verbo suo omnia condita sustentat, quibus alioquin si ipse non supponeret manum, & brachium suum ad eorum conseruationem, in nihilum prorsus abirent. Item sicut brachio amplectimur in signum

D. Cyrill. Alexã. l. 8. sup. Ioan. cap. 20. Dionys. Carth. sup. c. I. Lucæ. Cant. 6.

gnum amoris, ita brachium Dei in peccatores ex-
tenditur ad eos benigne excipiendos, charitateq;
ſua amplexãdos; vnde in redeuntis filii prodigi col-
Luca 11. lum brachia ſua pater extendit, dicente LVCA: *ceci-
dit ſuper collum eius*: generaliterq; id cenſetur feciſ-
ſe, quando humanã naturam per vnionem hypo-
ſtaticam eſt amplexatus. Sicut etiam brachiũ mem-
brum eſt muſculis, neruis, atq; lacertis plenum, ac
proinde ad pugnandum, & protegendum robore
ac fortitudine præſtans, ita Dei Verbũ, humana car
ne indutum, ad congreſſum & luctam cum Dæmo-
ne in Crucis palęſtram veniens eũ ſuperauit, & tan-
quam fortius illo, fortis armati arcem ingrediens,
vniuerſa eius arma abſtulit, & ſpolia quoque pre-
tioſa diripuit. Sicut item brachium extendi ſolet
tum ad puniẽdum, aut percutiendum, tum ad ſub-
leuandum, & auxilium impertiendum, ita Deus per
Verbum Incarnatum tanquam per brachium ſuum
potẽter auxiliatur, ac defenſionis oportunam opẽ
Deut. 32. fert: *in brachio ſuo defẽdet illos*: quandoq; punit, per-
Exod. 15. cutit, atq; profligat: *irruat ſuper eos formido & pauor
Iſai. 48. in magnitudine brachij tui.* vnde ISAIAS hac brachii
metaphora vtens ait: *faciet voluntatem ſuam in Ba-
bylone, & brachium ſuum in Chaldæis* in quæ verba
D. Hieron. D. HIERONYMVS ait: *Dominus per Cyrum, & Dariũ
ſup. eund. brachium ſuum exercuit in Chaldæos* (nempe per bel-
locum. la) illos expugnans; ſic Deus per Chriſtum tanquam
per *brachium Dei*, omnem idololatriam per Apo-
ſtolicam prædicationem in variis regionibus ex-
pugnauit, ſopiuit, imo & penitus extinxit, iuxta il-
Iſaia 51. lud ISAIÆ: *Me Inſulæ expectabunt, & brachium meũ
ſuſtinebunt*: brachium, inquam, omnes profligans
idolorum cultores, brachium fortiter pugnans, &
expugnans humani generis hoſtes, brachium eua-
ginatum gladium tenens, de quo Chriſtus dixit:
Matth. 10 *nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terrã;
non veni pacem mittere, ſed gladium.*
Orig. hom. III. ORIGENES ſuper Ezechielem gladium hũc
5. in Ezech. intelligendũ eſſe autumat ad inſtar romphææ, qua
in princ. Angelus cuſtodiebat Paradiſum: hunc gladiũ mi-
ſit Chriſtus in terram, vt diuideret & reſecaret om-
nes carnis affectus, ac omnem animæ inhærentem
putredinem adureret, & conſumeret: verba eius ob
inſignem doctrinam, quam præ ſe ferunt, minime
Orig. in E- ſilentio obuoluam: *Quis iſte gladius, id eſt, romphæa,
zech. præ- quam nos formidare debemus, ne quando mittatur ſu-
loco. per terram noſtram, ſuper quã figuraliter expoſuimus,
vt nobis neceſſe ſit tranſire per gladium duplex aliquid
habentem in pœnam? Habitus quippe ipſius gladij diui-
dit, & ſecat eum, in quem fertur: ſi vero ad acumen a-
ciei eius etiam tactus ipſe pœnalis eſt, dupliciter torque-
tur, qui hoc gladio puniendus eſt, ſcriptum eſt enim: ſta-
tuit igneam romphæam, & Cherubim cuſtodire viam
Geneſ. 2. ligni vitæ. Et quomodo ſi gladius acutus & candens in-
feratur in corpus, duplicem tribuit cruciatum, aduſtio-
nis, & cædis, ſic & romphæa, quæ ad cuſtodiam Paradi-
ſi ſtatuta memoratur, quam nunc ob expoſitionem gla-
dij præſentis aſſumpſimus, duplicia infert tormenta, dũ
adurit, & diuidit. Vt tamen neceſſarium aliquid, ex
quibus Deus ſenſum noſtrum illuminat, in loco præſen-
ti interponamus, accipe exemplum. Aiunt ſtudioſi me-
dicinalis diſciplinæ, ad quaſdam corporum curationes
neceſſariam eſſe non ſolum ſectionem ferri, verum etiã
aduſtionem: Nam ad eos, qui cancro veterno compu-
treſcunt, candentem ſiue nouaculæ laminam, ſiue quod-
cunq; acutiſſimi ferri genus adhibent, vt per ignem ra-
dices cancri euellantur, per inciſionem autem putrida
caro truncetur, & via pateat medicaminibus inijcien-
dis. Quis putas noſtrum cancri (vt ita dicam) habet ſi-
mile peccatum, vt non ei ſufficiat, aut ſimplex acumen
ferri in duobus locis ſignificatum? In alio loco ait: Non* Matth. 10.
veni mittere pacem ſuper terram, ſed gladium; in alio Luc. 12.
*vero: ignem veni mittere ſuper terram, & vtinam iam
ardeat; igitur defert vtrumq; Saluator, gladium, & i-
gnem.* Hæc ille.
IV. Ac tandem (vt multa paucis complectar)
brachium eſt Verbum diuinum Incarnatum, per
quod Deus vindictam ſumit ab hoſtibus noſtris:
Qui percuſſit Ægyptum cum primogenitis eorum, & Oſea 12.
*duxit Iſrael de medio eorum in manu potenti, & bra-
chio excelſo*: brachium, per quod imbecilles confor-
tat: *brachium meum confortabit eum*: brachium pu- Pſalm. 88.
gilis, qui pugnando brachium regis Ægypti, hoc
eſt, Diaboli confregit, iuxta illud Eccleſiaſt. *Filij* Eccl. 30.
hominis brachium Pharaonis regis ego confregi: brachi-
um, quod perditos, ac diſperſos congregat ISAIA
dicente: *In brachio ſuo congregabit agnos*: brachium, Iſaia 40.
cui nemo reſiſtere valet: *Et virtuti brachij tui quis* Sap. 11.
reſiſtet? brachium, quod omnia tam cœleſtia, quam
terreſtria ſuo ſubiecit dominio: *Ecce Dominus in* Iſaia 40.
fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur:
brachium potentiam ſuam oſtendens in creatione
mundi, vt ſub egregia illa figuli metaphora ECCLE- Eccl. 38.
SIAST. dixit: *Figulus ſedens ad opus ſuum in brachio
ſuo formauit lutũ, & ante pedes ſuos curuauit virtutẽ
ſuam*: brachium tandem, cuius mira virtute Deus,
quod creauerat, recreauit, & à Satanica ſeruitute
redemit, DAVIDE dicente: *Redemiſti in brachio tuo* Pſal. 76.
populum tuum, filios Iacob, & Ioſeph.
V. CÆTERVM, quia hæc omnia ſtylo proſequi
præſentis eloquij breuitas non patitur, nonnulla
tantum (Laconico, vt aiunt ſermone) perſtringam,
cum permulta de hoc genere argumenti late per-
tractauerim in noſtris homilijs Catholicis. Multa Homil. Ca-
quidem olim (non inficior) fecit Deus magna, & thol. l. 2. d
mirabilia, quando condidit orbem terrarum, ſed Incarnat.
illa non dicuntur facta per *brachium Dei*; nam in
primis MOYSES imperio Dei tribuit creationem lu- Gen. 1.
cis: *Fiat lux, & facta eſt lux*: creationem vero ani-
mæ rationalis flatui, ſeu reſpirationi Dei aſcribit:
Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt Gen. 2.
homo in animam viuentem. DAVID loquens de mira-
bili cœlorum fabrica, digitis Dei illam tribuit: *Quo-* Pſal. 8.
niam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum: IOB
autem hominis creationem in memoriam reuo-
caps, manibus Dei illam præbet: *Manus tuæ Domi-* Iob. 10.
ne fecerunt me, & plaſmauerunt me: loquens vero
Deipara de Incarnationis opere, vt ſignificaret
mirabi-

mirabilius, quam in reliquis diuinis operibus diuinam Dei omnipotentiam effulgere, non sermoni, non flatui, non digitis, non manibus, sed Dei fortissimo ac potentissimo brachio illud tribuit: *Fecit potentiam in brachio suo.* *Luca 1.* Ostentauit Deus olim potentiam suam, sed non in brachio, hoc est, in proprio filio suo. Deus quidem inundanti illo *Genes. 7.* diluuio, de quo in GENES. legimus, omne genus humanum interfecit, exceptis paucis, qui in arca Noë salui facti sunt; sed id non fecit in solo brachio suo, sed mediante illa ingenti aquæ alluuione: *Gen. 15.* Sodomam, & Gomorrham funditus deuastauit; id tamen non nisi mediantibus ignis ardentis voracibus flammis præstitit; centum etiam octogintaquinq; millia hominum percussisse legimus *1. Reg 19.* in castris Assyriorum; hoc tamen mediante Angelo patrauit, non in solo brachio suo: quando tamen aduenit plenitudo temporis, in quo Deus brachium suum, quod in proprio sinu absconditũ habebat, vniuerso populo per Incarnationem manifestare & reuelare decreuerat, vt loquitur ISAIAS: *Isaia 53.* *Et brachium Domini cui reuelatum est?* ita id immediatè suo proprio brachio præstitit, hoc est, filio suo, vt non solum tres diuinæ personæ efficienter immediate immediatione virtutis & suppositi, vt Theologi loquuntur, sed persona Verbi speciali ratione præ cæteris diuinis personis dependentiam naturæ humanæ in ratione suppositi immediatissime terminet, & tanquam proprium Dei brachium illam sustineat. Recte ergo ait Maria: *Fecit potentiam in brachio suo.*

VI. IN multis autem potentia hæc in mirabili Incarnationis opere splendet: Primo, quod in eo duo extrema inter se distantissima coniuncta sunt, natura nempe diuina & humana, & in eodem supposito diuino principium & finis copulata sunt, sũmum & infimum connexa, natura creata cum increata, actus purus cum pura potentia, immortalis cum mortali, æternum cum temporario, Deus & homo, Verbum & caro. Vnde D. THOMAS dixit: *D. Thom. in opus. 50. art. 1.* *Congruebat hoc opus Deo, quem decebat sapientiam suã ostendere, potentiam & bonitatem. Quid autem potentius, quam coniungere extrema summe distantia? magna enim fecit potentia in coniunctione disparium elementorum; maior in coniunctione illorum ad spiritum creatum, maxima vero in vnione ad spiritum increatum. Quid vero sapientius quam quod ad complementum totius vniuersi fieret coniunctio primi & vltimi, hoc est, Verbi Dei, quod est omnium principium, & humanæ naturæ, quæ in operibus sex dierum fuit vltima omniũ creaturarum? Quid benignius & melius, quã quod Creator rerũ cõmunicare se voluit rebus creatis? Benignitas magna fuit in coniunctione sui cum omnibus rebus per præsentiam; maior, quia communicauit se bonis per gratiam; maxima, quia se communicauit Christo homini, & per consequens generibus singulorum in vnitate personæ.* hæc D. THOMAS.

VII. SECVNDO in eo etiam Deus omnipotentiã suam Incarnationis opere mirifice detexit, quod assumens naturam, humanam non solum illam, sed omnes alias creaturas illustrauit, & nobilitauit: cum enim in illa omnes res creatæ aliquo modo contineantur, Diuo GREGORIO dicente: *D. Greg. hom. 29. in Euang.* *Omnis creatura aliquid habet homo; habet namque commune esse cum lapidibus, vigere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis,* consequens est, quod assumens naturam humanam, omnes creaturas quodammodo Deus specialiter sibi copulauerit, vt etiam PAVLVS insinuauit, cum dixit: *Ephes. 1.* *Omnia esse in Christo restaurata*, seu recapitulata, vt textus GRÆCVS, & HIERONYMVS habent. Cum enim in homine, seu in natura humana omnia creata quasi in summa & compendio contineantur (homo enim omnis creatura, seu mundus minor dicitur, vt tradunt D. GREGORIVS, & D. DAMASCENVS,) *D. Greg. lib 6. Moral. c. 7. & 8. D. Damasc. l. 2. c. 12.* inde efficitur, vt assumpta natura humana à Verbo, cęteræ res in compendium, & epilogum quasi redactæ censeantur illi copulatæ. Quocirca merito omnis creatura in eius Incarnatione, & Natiuitate exultauit, vt palam Angelorum militia testata est: *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* *Luc. 2.* vnde D. GREG. NAZIANZENVS, & IVSTINVS Verbi diuini Incarnationem pulchre vocarunt, *D. Naz. orat. 42.* *Oeconomiam*, hoc est, vniuersalem dispensationem, *Iustin. in expos. fidei.* quoniam in totius orbis & omnium creaturarum cedit illa vtilitatem, & per eam vniuerso orbi magna dignitas, & ornatus accessit.

VIII. TERTIO in eo se manifestauit potentia huius brachii, quod cum infinita essent hominum debita, cum nullum sit peccatum mortale, quod infinitam deformitatem non importet in ratione iniuriæ, vtpote quia beatissima Trias offensa infinitæ est dignitatis, omnium certè istorum debitorum non solum fideiussorem, sed & munificentissimum solutorem se constituerit. Compertum & exploratum est apud sacros & prophanos Auctores per tactum, & porrectionem manus stipulationẽ, pollicitationem, aut sponsionem significari. Circumlocutio enim & cęremonia spondendi est, manum tangere, atq; porrigere: vadimonium enim, seu sponsio alteri data manu, vel percussa, aut defixa ad alterius manum fiebat, vnde SALOMON: *Prou. 6.* *Si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam:* quæ verba apte Christo Domino cõgruunt, qui pro nobis vadimonium promittens, defigendas manus & pedes Cruci tradidit. Quoniã ergo Christus spopondit pro amico suo, hoc est, pro *Ibid.* homine: *& illaqueatus est verbis oris sui, & captus propriis sermonibus sponsione defixit ad extraneum manum suam,* vt liberaret se, cum inciderit in manum proximi sui: Id filius Dei ad vnguem exequutus est, carnem assumens, & in diebus carnis suæ nulli labori parcens, nec morti quidem pro homine: vnde SALOMON in spiritu dixit: *Ibid.* *Discurre, festina, suscita amicum tuum; ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ: Eruere quasi damula de manu, & quasi auis de manu aucupis,* & ei, qui spopondit pro extraneo & alieno (hoc est, Christo)

qui pro homine promisit, pignus & vestimentum ablatum est (hoc est, caro) quæ per separationem animæ à corpore ablata ei fuit, iuxta illud PROVERB. [*Prou. 27.*] *Tolle vestimentum eius, qui spopondit pro extraneo, & pro alienis aufer ei pignus*: vnde D. PAVLVS ad HEBRÆOS dixit: [*Heb. 7.*] *Melioris testamenti sponsor factus est Iesus.* Pretium autem, quod promiserat, non aliter soluit, quam proprium sanguinem in Cruce effundens; in quo etiam mirifice detegitur, quam recte *brachij* munus exercuerit. Ad cuius intelligentiam obseruandum est, quod licet venarum incisio infirmis res sit vtilissima, tamen dicunt Medici, minime scindendam venam, nisi quando contingit, vt duo hæc simul concurrant; *morbus grauis, & virtus constans.* Sicut enim propter leuem morbum tutum non est satis infirmo scindere venam, ita etiã quando infirmus fuerit adeo debilis, vt nullam habeat virtutem, nec vigorem ad sustinendam sectionem venę, non est illi inferenda propter imminẽs mortis periculum. Ita dubio procul erat quidem genus humanum valde infirmum per peccatum, & cum alioquin morbus esset grauissimus, non tamẽ habebat virtutem constantem, carebat brachio, in quo fieret sectio venæ ipsi tantopere necessaria, & ideo extendit Deus brachium suum, misit in mundum filium suum, vt diuinæ iustitiæ ferrum in eo sectionem faceret, qua nos debiles & infirmi omnino sanaremur: [*Psal. 88.*] id quod ipse per DAVID multo ante promiserat, sic dicens: *Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum*: quasi diceret: quia non est huic infirmo manus, quia non est illi propter suam debilitatem brachium, ex quo sanguis infiniti valoris effluere possit, propterea ego porrigam manum meam, ego extendam brachium meum, cuius sanguine confortabitur, & à tanta infirmitate liberabitur, & pretio illius redimetur.

IX. QVARTO tandem in eo non parum enitet diuini huius brachii omnipotentia, quod aduersus insidias communis hostis generis humani, cuius tanta esse noscitur fortitudo, vt IOB dicat: [*Iob. 41.*] *Non est potestas in terra, quæ comparetur ei*, Fideles suos protegat atque tueatur; hoc enim est proprium brachij munus, corpus munire atque defendere, seq; iniuriis instar scuti exponere, vt illius incolumitati consulat. Vnde ISAIAS ait: [*Isai. 33.*] *Esto brachium nostrum in mane, & salus nostra in tempore tribulationis.* hinc D. HIERONYM. [*D. Hie super c. 11. Osea.*] explicans verba illa OSEÆ: *Ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis*, ait: *Ego qui pater eram, nutritius factus sum, & paruulum meum in vlnis meis ipse portabam, ne læderetur in solitudine, & ne vel æstu, vel tenebris terreretur, in die nubes eram, in nocte ignis columna, vt quos protexeram, meo illustrarem & sanarem lumine; cumq; peccassent, & fecissent sibi vituli caput, dedi locum pœnitentiæ, & ignorauerunt, quod curarem eos, & vulnus idololatriæ quadraginta annorum spatio obducerẽ, & pristinæ redderem sanitati.* Est autem pulchrũ ac dignum animaduersione, quod cum res bellica agitur, & diuina protectio imploratur, & periculum imminet, tunc Deus constituitur à dextris hominis (est enim latus dextrum commodius propugnanti & defendenti) sinistrum vero, quod infirmius est, à manu & brachio dextro protegitur: DAVID ait: [*Psal. 129.*] *Dominus protectio tua, super manum dextram tuam*: & alibi: [*109.*] *Dominus à dextris tuis confregit in die iræ suæ reges*: vnde quia ad nocendum oportunior locus hosti est stare à dextris, ideo DAVIDIS illa maledictio: [*Psal. 118.*] *Constitue super eum peccatorem, & diabolus stet à dextris eius*: & ZACHARIAS de eodem dixit: [*Zach. 3.*] *Stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei*: hinc etiam fit, vt imago B. Pauli à dextris B. Petri constituatur in Ecclesia Romana, vt sic intelligamus illũ gladio ancipiti verbi diuini defensorem, ac illius tutorem speciali & oportuna ratione à Deo datum & constitutum esse. Sed ô pelagus infinitę Dei bonitatis! vt ipse ad protegendum nos maiori obligationis vinculo se astringeret: *Fecit potentiam in brachio suo*: hoc est, porrexit ad humanam naturam brachium, & dexteram suam, vt illam in matrimonium sibi copularet, ac maritalem fidem (contrahendo cum ea nuptias) ei daret, vt loquitur D. PAVLVS, [*Eph. 5.*] & exponit D. GREGORIVS: [*D. Greg. hom. 38. in Euan.*] frequentissimum enim est in nuptiis per dexteræ porrectionem fidem inter coniuges dari, vnde de Didone cecinit VIRGILIVS: [*Virgil. lib. 4. Æneid.*]

Nec ne noster amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido.

Et apud OVIDIVM in epistola Phyllidis ad Demophoontem: [*Ouid. in epist.*]

Iura fides vbi nunc, commissaq; dextera dextræ?

X. APVD Armenos, & Iberos, vt refert CORNELIVS TACITVS, [*Corn. Tacit. lib. 12.*] illud peculiare fuit, vt non solum dextris, sed etiam sanguine medio fœdera inirent: *Mos est*, inquit, *Regibus, quoties in societatem coeant, implicare dextras, pollicesq; inter se vincire, nodoque perstringere, donec sanguis in artus extremos se infuderit, leui ictu cruorem eliciunt, atque inuicem lambunt: id fœdus arcanum habetur, quasi mutuo cruore sancitum.* at Dei filius perpetuo atque indissolubili fœdere, firmiori ac sanctiori vinculo, medio nempe purissimo sanguine à matre sua exhibito, nuptias cum natura humana celebrauit, eiq; amplissimam dotem ac patrimonium copiosissimum constituit, pretiosissimo eius sanguine in cruce profuso. suscepit igitur dextera Dei humanam naturam, iuxta illud ISAIÆ: [*Isaiæ 41.*] *Suscepit te dextra iusti mei*: vnde cum Deus iuret, ac pollicitationes suas faciat in dextera sua, & in *brachio fortitudinis suæ*, vt ait ISAIAS, [*Isai. 62.*] & cũ maiestatem & gloriam suam in brachio dextero ostendat, ECCLESIAST. dicente: *Glorifica manum, & brachium dexterum*: Cumque per brachium dexteræ suæ potentiam Deus nobis manifestet, vt ait DAVID: *Dexteram tuam sic notam fac*: oportune Virgo Spiritu sancto afflata per *brachium* Dei Verbum Incarnatum intelligens, in sonoram illam ac dulcem vocem prorupit: *Fecit potentiam in brachio suo*: cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA XXI.

Verba illa: Dispersit superbos mente cordis sui, *explicantur de Iudæis; vbi hæc præcipuè ostenduntur; beneficiorum copia, quibus Deus eos cumulauit; ingratitudo illorum, filium eius occidentium; varia supplicia, quæ ob id perpessi sunt.*

I. E potentia diuini brachii in debellandis hostibus sermonē habiturum, qua omnes suos infestissimos hostes Iudæos, Hæreticos, ac dæmones profligauit, illa me DAVIDIS verba non parum deterrent: *Quis loquetur potentias Domini?* [*Psal. 105.*] quasi diceret: nemo: vnde D. HIERONYMVS hæc verba exponens ait: [*D. Hier. super Psal. 105.*] *Nemo est dignus prædicare potentiam Patris, nisi Filius; nemo potest potentiam Patris loqui, nisi ille, qui & ipse potens est.* illud tamen in hac difficultate leuamen mihi superest, quod memini eundem DAVIDEM alibi dixisse: [*Psal. 70.*] *Quoniam non cognoui literaturam, introibo in potentias Domini:* vbi ORIGINALE HEBRÆVM legit: *Quoniam non cognoui numeros,* siue (vt vertunt SYMMACHVS, & THEODORETVS:) *Quoniam non cognoui numerare:* quasi diceret: quoniam non valeo laudes omnibus numeris absolutas Deo referre, ingrediar ad laudandum, non virtute mea, sed Domini potentia fretus, vt explicat CHRYSOSTOMVS LVSITANVS: [*Chry. Lusit. lib. de ver. Domini, cap. 2. tom. 1.*] diuinæ ergo potentiæ innitens non pro dignitate rei, sed pro modulo nostro de mirabili potentia, quam brachium Dei aduersus immanissimos suos hostes detexit, sermone instituam.

II. PRIVS tamen aduertere oportet, quod tametsi probabilis sit expositio CORNELII IANSENII [*Corn Iansin c. 1. Luc.*] existimantis verba illa B. Virginis: *Fecit potentiam in brachio suo*, intelligenda esse, vt præterita facta respiciat; sicut verbum illud *fecit* plane sonat: quemadmodum enim olim Anna mater Samuelis, postquam diuinam benignitatem decantauerat, continuo ad prædicandam eius potentiam, & iustitiam in præteritis factis elucentem se conuertit, dicens: [*1. Reg. 2.*] *Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore; repleti prius pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt:* ad eundem modum B Virgo, postquam diuinam benignitatem in mysterio Incarnationis exaltauerat, continuo ad eius potentiam in præteritis operibus manifestandam orationem conuertit.

III. RVRSVS, licet probabilis etiam sit EVSEBII EMISSENI, LYRANI, ANSELMI, & aliorum expositio [*Eus. Emis. hom. 6. fer. 6. ante 4. Dom. Aduent. Nic. de Lyra super 1. Luc. Ansel.*] asserentium verbum illud *fecit* de præterito, pro futuro esse accipiendum; nam Virgo tamquam vera Prophetissa propter omnimodam certitudinem, quam de rei euentu habebat, de re futura loquebatur, tamquam si iam præterita esset; licet (inquam) neutra hæc interpretatio improbabilis sit, verius tamen esse arbitror eam esse verborum Spiritus sancti vbertatem, vt sub eodem sermone varia mysteria ad diuersa tempora pertinentia complectatur: [*Laud. apud Sixtum Senen. l. 4. suæ bibliothec.*] quare si verba hæc: *Fecit potentiam in brachio suo*, præterita ante Virginem sæcula respiciebant, alludebat quidem ad tempora illa, in quibus diuini brachii potentia mirum in modum se ostentauit: in illis enim totam terram, immo & vniuersam carnem (paucissimis exceptis) diluuii aquis inundauit & suffocauit: [*Genes. 7.*] quinque copiosissimas ciuitates, igne deuorante, breuissimo temporis curriculo penitus concremauit: [*Genes. 19.*] in turrim Babel ædificantes talem confusionis vertiginem immisit, vt ipsi mutuo sese intelligere non valerent, adeo vt cogerentur ab opere cessare: [*Gen. 11.*] Principem illud Tyri, qui dicebat in corde suo: [*Ezech. 29.*] *Deus sum, & in cathedra Dei sedeo*; acriter adeo puniuit, vt ex ore Deo audierit: *Adducam super te alienos robustissimos gentium, & nudabunt gladios suos, & detrahent te:* Chore, Dathan, & Abiron contra Dei ministros varia consilia machinantes à terræ hiatu absorberi præcepit: [*Num. 16.*] Pharaonem nolentem dimittere populum Dei à tyrannica sua seruitute liberū in mare rubrum submersit, & exercitum illius eiusdem maris aquis inuoluit: [*Exod. 14.*] Regem Nabuchodonosorem aduersus Deum superbe insurgentem bestiarum consortem fecit, adeo vt vna cum illis fœnum comederet: [*Daniel. 5.*] Regem Balthassarem vasa Dei prophanantem in lautoquodam conuiuio repente pauere, & totis artubus contremiscere fecit, [*Ibid.*] mittens manum in parietem, quæ tribus digitis sententiam à supremo iudice latam scriberet, pariterque intimaret: Regem Sennacherib acerbè adeo mulctauit, vt vna nocte plusquam centum & octoginta hominum millia de exercitu illius interfecerit: [*4 Reg. 19.*] Holofernem, populum Dei persequentem, manu imbecillis cuiusdam fœminæ interemit, quæ proprio illius gladio caput eius amputauit: [*Iudith 11.*] Amanem, populum Israel summo odio persequentem in patibulo, quod ipse Mardochæo Iudæo parauerat, misere & ignominiose suspendi fecit: [*Esth. 8.*] Antiochum vermibus deuorandum tradidit: [*Mach. 9.*] Nicanorem grauiter puniuit, linguam eius in varias partes diuisam auibus deuorandam dedit: [*Ibid. 15.*] Permultas gentes deleuit, vt habetur in DEVT. [*Deut. 7.*] Hethæum, & Gergezæum, & Amorrhæum, Chananæum, & Pherezæum, & Heuæum, & Iebusæum, ac tandem, vt ait DAVID: [*Psal. 134.*] *Percussit reges Magnos, & occidit reges fortes: Seon regem Amorrhæorum, & Og regem Basan: & dedit terram eorum, &c.* In his quidem omnibus, & in aliis quam plurimis, quibus diuina scatent eloquia, Deus ante Virginis tempora *fecit* olim *potentiam in brachio suo*.

IV. VERVM ad illa, quæ postea patrauit, sermonem conuertentes, exordiamur primum ab his, per quæ in Iudæos diuini brachii potentia se manifestauit, (per *superbos* enim, de quibus B Virgo ait: *Dispersit superbos mente cordis suis*; Iudæos in-

D. August. super Magnif. Hugo Vict. ibid. telligi testantur D. AVGVST. HVGO VICTORINVS, & alii in commentario huius Cantici.) Sacra narrat historia, quod cum filii Ammon & Moab, & filii montis Seir venissent contra Iosaphat, vertit Dominus insidias eorum in semetipsos; nam filii Ammon & Moab consurrexerunt aduersus habi-
2.Par.20. tatores montis Seir, vt interficerent & delerent eos, cumque hoc opere perpetrassent, etiam in semetipsos versi mutuis concidere vulneribus. Pari modo superbis & cæcis Iudæis euenit, cum enim vellent Dominum occidere, semetipsos occidebant, & non tam Domino, quam sibi ipsis noxii existebant. Sicut enim si quis lapidem manu secare velit, lapidem quidem nō scindit, sed manum vulnerat: Ita Iudæi contra Christum agentes, Christū, inquam, lapidem primarium, lapidem probatum, & pretiosum, lapidem incorruptibilem, lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, qui tamē factus est in caput anguli, perniciem suam moliebantur, & in Deum ipsum interitum tentantes, ipsi interibant. Quod Christus cum illis antea agens ita sub
Matth. 21. his verbum euēturum esse clarissime prædixit: *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur*, hoc est, quicunq; ex vobis super me ceciderit, mihi mortē inferens, ipse morietur.

V. VERVM vt magis Dei potentia effulgeat, quam erga Hebræos exercuit, prius bona, quibus alias nationes eos præcellere fecit, breuiter indicabo, deinde ingratitudinem eorum, ac tandem eorundem supplicium apponam. Decem præcipue beneficiis donata fuit gens Hebræorum à Domino, ob quæ in comparatione omnium aliarum nationum Gens inclyta, potens, sublimis, ac peculiaris appellari meruit. Primum est, quod à Deo fuit electa, vt esset Dei peculiaris populus, vt nar-
Exod.19. & Deut. 7. rat MOYSES in EXOD. & in DEVTERON. Secundum quod plebs ista veram Dei notitiam, verumque Dei cultum inter cæteras omnes mundi nationes
Eccl.29. retinuerit, vt apud ECCLESIAST. legimus. Tertium quod in hoc solo populo ab exordio mundi vsque ad Christi aduentum integre ac perfecte eius fides & religio conseruata fuit. Quartum, sacri libri, diuinæque paginæ eis concreditæ fuere. Quintum, Deus suam præsentiam sæpe tam in oraculis dandis, quam in responsis reddendis, & promissis exhibendis, in vlciscendis hostibus, propulsandis periculis, multisque miraculis edendis declarauit. Sextum, huius populi protectorem contra barbaras nationes, multos non solum viros, sed etiam Angelos defensores mittens, sese ostendit. Septimum, huic soli populo legem à se conditam & scriptam dedit. Octauum, ex hac Iudæorum natione multi tam viri, quam mulieres admirabiles in omni virtutum genere prodiere. Nonum, ex hac gente Iudaica Messias Christus IESVS ortus est. Decimum, ex hoc populo lex Euangelica profecta est, & per Iudæos in omnes mundi partes propagata. Et vt paucis multa dicam, MOYSES in
Deut.7. DEVT. huius populi excellentiam demonstrare volens dixit: *Hæc est enim vestra sapientia, & intellectus coram populis, vt audientes vniuersi præcepta hæc dicant: En populus sapiens & intelligens, gens magna; nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Quæ est enim alia gens sic inclyta, vt habeat ceremonias, iustaque iudicia, & vniuersam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros?* hæc ibi.

VI. HIS tamen tantis beneficiis ingrati, cum alioquin Christus Dominus pene innumeris efficacissimis argumentis, nec nō euidentissimis portentis & miraculis doctrinam, qua se filium Dei naturalem esse asserebat, veram & euidenter credibilem comprobasset, ipsi nihilominus insanientes in eum mille conuiciis & contumeliis affecerunt, *peccatorem* illum vocitarunt, ac Dei inimicū: Ioan.9.
Non est hic homo à Deo, qui sabbathum non custodit: miracula eius calumniabantur, necromanticum, & pactum cum Diabolo habere non sunt veriti dicere: *in Behelzebub Principe Dæmoniorum eiicit dæ-* Luca 15.
monia: eius doctrinam mille cauillationibus impugnantes vili pendebant: *Quænam doctrina noua* Marc.1.
est hæc? murmurabant, quod cum inter peccatores frequenter inueniretur, vnus ex illis esset: *Quare* Matth.9.
cum peccatorib. & publicanis manducat magister vester? Voracem & ebrium illum dicebant: *Ecce homo* Matth.11.
vorax, & potator vini: Samaritanum illum appellarunt, quod perinde erat, ac si quis fidelem aliquē vocaret hæreticum; imo & addiderunt, energumenum esse: *Samaritanus es, & Dæmonium habes.* Sæ- Ioan.8.
pe quæsierunt illum interficere, falso accusarunt, regem suum esse abnegarunt; *Non habemus Regem,* Ioan.19.
nisi Cæsarem: Barrabæ publico latroni, & homicidæ illum postposuerunt: *Crucifige, crucifige*, acclama- Luca 23.
runt, turpissima crucis morte illū damnarunt, interemerunt, ac tandem gloriam resurrectionis illius mille calumniis obscurare conati sunt.

VII. HÆC præuidens, & admirans DAVID interrogauit: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati* Psal.2.
sunt inania? Astiterunt Reges terræ; & Principes conuenerunt in vnum aduersum Dominum, & aduersus Christum eius; quasi diceret: quare Pilatus & Herodes atq; omnes Iudæi aduersus Christum Dominū conspirarunt, vt eum morti traderent? numquid quia sanabat eorum cœcos? quia curabat paralyticos? quia medebatur leprosis? quia curabat hydropicos, & alios male habentes? numquid quia Dæmonia à corporibus ab illis obsessis imperio suo expellebat? numquid quia mortuos eorum ad vitam reuocabat? numquid quia Euangelicæ doctrinæ sacra arcana eis reserabat? numquid quia peccata dimittebat? numquid quia pene innumera satis mirāda prodigia patrabat? Quare ergo fremuerunt gentes aduersus Christum? quare meditati sunt inania contra Dominum? certe cum pro eis nulla prorsus subsistat ratio, aut excusatio: *Qui ha-* Psal.2.
bitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos: irrisit quidē, cum omnia media, quæ ad Christū sper-

spernendum, & vili pendendum appoſuerunt, diuina eius ſapientia contra illos retorſit, & in maiorem Chriſti gloriam conuertit.

VIII. In cuius figuram legimus, quod Ioſeph Iſmahelitis venditus à fratrib. pro rex Ægypti creatus eſt, & fratres compulſi eius dominio ſubiugari. Commemorant Flavivs Iosephvs, & Philo, ꝙ
Fla. Ioſeph. de bello Iud. in eodem monte oliuarum, in quo Iudæi Chriſtum ignominioſe comprehenderunt, fuerunt à Veſpa-
Philo ibid. ſiano, & à Tito comprehenſi, & multi eorum mor-
Ioan. 11. te mulctati: ipſi dixerant: *Si dimittimus eum, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum noſtrum & gentem*: quia tamen eum non dimiſerunt, ſed potius occiderunt, Romani hi Imperatores velut immaniſſimi carnifices, ac Chriſti mortis vindices à Deo miſſi pene innumeros Iudæos trucidarunt, lanceis confoderunt, gladiis transuerberarunt, alios ex propriis locis turpiter expulerunt, alios depauperarunt; qui vero reſidui fue-
Pſal. 2. runt, abierunt in diſperſionem gentium: *Qui habitat in cœlis irridebit eos.* Iudæi Chriſtum duxerunt à Caipha ad Herodem, & ab Herode ad Caipham; at iidem Romani, quos gladio non interemerunt, variis vexationibus excruciarunt, de Iudice ad Iudicem, ad varia inimicorum ſuorum tribunalia
Ibid. eos trahentes: *Qui habitat in cœlis, irridebit eos.* Innocentiſſimam Chriſti carnem multis & prauiſſimis flagellis exulcerarunt, Flaccus tamen Iudææ Præſes triginta & octo eorum primates per publi-
Ibid. cas Ieroſolymæ vias vapulare præcepit: *Qui habitat in cœlis, irridebit eos.* Iudæi Chriſtum Dominum illudentes, purpura illum induerunt, & arundinem inſtar ſceptri in manu eius poſuerunt, vt ta-
Philo de bello Iud. men Philo commemorat, milites Romani quendam nobiliſſimum Iudæum in ſublimi throno collocarunt, papiraceo diademate per irriſionem caput eius redimentes: *Qui habitat in cœlis, irridebit eos.* Noluerunt Iudæi tranſacto Paſchate Chriſtum interficere, ſed tempore Paſchatis mortem ei inferre machinati ſunt, vt eo amplius eius infamia creſceret, quanto apud plures diuulgaretur, qui ad Paſchæ feſtum aduentabant, cum tamen alioquin inueterata conſuetudo vigeret, vt feſta, quæ Romani celebrabant in natalitiis Imperatorum, prius præterirent, quam malefactores morti adiudicati illam ſubirent, factum tamen eſt id, Præſide Flacco iubente, vt Iudæorum mors non differretur, ſed ante celebrationem feſtorum, vel, vt alii volunt, ipſo Paſchate, in quo Chriſtum cru-
Philo ibid. cifixerant, executioni mandaretur: Vnde Philo Ivdævs conquerens dixit: *An non poterat poſtea, ſi voluiſſet, eaſdem ab illis exigere pœnas?* recte ſane id potuiſſet; tamen quia gens Iudaica recuſauit Chriſti mortem poſt Paſcha differre, nec mors Iudæorum poſt feſta debuit dilatari: quia *qui habitat in cœlis, irridebit eos.* Chriſtum Dominum ligno
Flauius ibid. crucis immaniter affixerunt: Flauius tamen commemorat in eodem die ingentem Iudæorum multitudinem ignominioſe fuiſſe crucifixam, tantam que ait illo tempore fuiſſe crucifigendorum copiam, *vt locus non ſufficeret, nec cruces corporum multitudini*: ecce *qui habitat in cœlis, irridebit eos.* Tandem noluerunt Iudæi credere, Patrem miſiſſe in mundum Filium ſuum, quin potius eundem ſpreuerunt, Deus tamen miſit in illos patrem vnum, & filium vnum, Titum ſcilicet & Veſpaſianum, quos ſupra commemoraui, qui grauiter eos oppreſſerunt, vt qui in Patrem & Filium credere recuſaſſent, ab vno patre & vno filio ſuæ incredulæ obſtinationis pœnas luerent. Iudæi Chriſti legem, vera ſacramenta, incruentumque eius ſub ſpeciebus panis & vini ſacrificium refutarunt: Eccleſiæ Catholicæ à Chriſto inſtitutæ regimini ſubiici obdurato animo repugnarunt, in huius tamen obdurationis pœnam ipſi remanſerunt abſque lege, abſque vera doctrina, abſque ſacramentis, abſque templo & altari, abſque vero ſacrificio, abſque ſacerdotio, abſque oraculis, abſque Prophetis, abſque regimine, abſque regno in varias regiones diſperſi, & in ſummo opprobrio apud omnes nationes habiti, vt impleretur, quod Chriſtus ſupremus Propheta in eos, & eis vaticinatus fuerat: *Venient* *Luc. 19.*
dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coanguſtabunt te vndique, & ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eo quod non cognoueris tempus viſitationis tuæ.

IX. His autem malis tria ſingularia addo, quibus diuina ira in eos exarſit: primum eſt, quod eorum corporibus grauis adeo fœtor inerat, vt nomen fœtentium fuerint conſequuti: in cuius probationem Ammianvs Marcellinvs *Ammianus Marcel. lib. 2. de Marc. Imperat.*
ſcribit: *Ille cum in Palæſthinam tranſiret, Ægyptum petens fœtentium Iudæorum, & tumultuantium crebra ſe tædio percitus, dolenter dicitur exclamaſſe: ô Marcomani, ô Quadi, ô Sarmatæ! tandem alios vobis deteriores inueni.* Atque in eiuſdem rei confirmationem Cæsarivs venerandæ pietatis ac re- *Cæſar. Mona. Ciſterc. lib. 2. Mirac. ſeu hiſtor. Mirabil. c. 26.*
conditæ doctrinæ Auctor, qui ante quadringentos fere annos ſcripſit, commemorat: quod veniente quodam Iudæo cum ſuis amicis & cognatis ad monaſterium, in quo erat eius filia puella; quæ illo inuito Chriſtianæ militiæ nomẽ dederat, vt eam inde educeret; Virgo illorum aduentus alioquin ignara, ſentire cœpit fœtorem magnum, adeoque intolerabilem, vt audientibus cunctis in hunc modum loqueretur. *Neſcio vnde ſit, fœtor Iudaicus me grauat*: cumque interim Iudæis pulſantibus, Abbatiſſa diceret: filia Catharina (ita enim in Baptiſmo vocata fuerat) parentes tui cupiunt te videre: cui illa ſtatim reſpondit: Ecce iſte eſt fœtor, quem ſenſi; non videbo illos. Et ſic non acquieuit, neq; ad illos videndos, aut alloquendos acceſſit. Ante Chriſti Domini mortem Iudæi adeo odoriferi erant, vt Oseas ſuaueolentib. *Oſeæ 14.*
liliis eos cõparare nõ dubitarit dicẽs: *Iſrael germinabit ſicut liliũ, & erũpet radix eius vt Libani.* verũ tot⁹ hic odor poſt immane mortis Chriſti patratũ ſcelus con-

lus conuersus est in fœtorem, ita vt in eis illud ISAIÆ impleretur: *Et erit pro suaui odore fœtor.* dixerunt quidem Iudæi contra Moysem & Aaron indignati; *Exod. 5.* *Videat Dominus, & iudicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum:* sed nunc multo maiori iure sibi ipsis irasci, & indignari debent, quia se ipsos suis peccatis omnibus gentibus abominabiles ac fœtidos reddiderunt.

X. SECVNDVM malum, quod incurrerunt Iudæi illud sane fuit, quod non solum sine æstimatione & honore dispersi versentur inter gentes, sed etiam vt omnibus in prouerbium ac fabulam dati sint eo modo, quo illis per MOYSEM multo ante prædictũ *Deut. 28.* fuerat: *Et eris perditus in prouerbium, ac fabulam omnibus populis, ad quos te introduxerit Dominus.* Nulla enim fere regio est, per quam Deus gentem istam non disperserit, iuxta illud eiusdem DEVT. *Ibid.* *Disperget te Dominus in omnes populos à summitate terræ vsque ad terminos eius.* & tamen nullibi in pretio sunt, vbique terrarum cunctis nationibus contemptibiles facti sunt.

XI. TERTIVM ac deterius Iudæorum malum *Ibid.* est, crassissimæ ignorantiæ densissima caligo mentem eorum occupans; *Percutiet te Dominus amentia, & cæcitate, ac furore mentis, vt palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas:* in quibus verbis maxima obseruatione dignũ est, cum cæcitate coniunxisse Moysem amentiam, vt significaret, quod sicut amentes attoniti, & mẽte capti cum ægrotant, nec hoc ipsum sentiunt, quod ægri sint, omnemque medicinam saluberrimumque antidotum respuunt, ita Iudæi adeo dementati sunt, vt neque grauissimum suum morbũ agnoscant, aut sentiant, omniaque suæ amentiæ salutifera remedia valde detestentur. hinc facile erit intelligere, quam apte verba illa Virginis: *Dispersit superbos mente cordis sui,* Iudæis obstinatis conueniant: ipsi enim tamquam superbissimi arroganter *Ioan. 8.* dicebant: *Nos semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam:* & quia proprium est super-*Matth. 23.* borum, velle omnibus anteponi, amabant primos accubitus in cœnis, salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi, gloriabantur se Moysis do-*Ioan. 9.* ctrina imbutos: *Nos Moysis discipuli sumus, nos scimus, quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus, vnde sit:* huius elationis, & arrogantiæ tumẽtes fluctus compescuit Dei potentia, ac seuera iustitia, in abiectissimo omnium loco illos collocãs, ita vt sint omnium nouissimi; vnde vbi nostra vul-*Translatio Græca, & Siriaca in c. I. Luca.* gata legit: *Dispersit superbos mente cordis sui;* Interpres Græcus, & Siriaca translatio vertunt: *Dissipauit superbos cogitatione cordis ipsorum,* id est, (vt EVTHYMIVS interpretatur:) *Dispersit eos, qui superbierant in cogitatione cordis sui, quique apud se ipsos magnifice senserunt.*

XII. SED interrogabit, & merito quispiã, quare Deus non fecit, vt Titi & Vespasiani persecutione per omnem Iudæam grassante omnes penitus interficerentur, ita vt nullus residuus maneret, sed voluit potius, vt in dies multiplicentur, variasque regiones incolant? Huic interrogationi respondet D. AVGVSTINVS in hæc verba: *Quod per omnes fere terras, gentesque dispersi sunt, vnius illius* *D. Aug. li. de Ciu. Dei c. 34.* *veri Dei prouidentia est, vt quod Deorum falsorum vsquequaque simulachra, aræ, luci, templa euertuntur, & sacrificia prohibentur, de codicibus eorum probetur, quemadmodum hoc fuerit tanto ante prophetatum, ne forte cum legeretur in nostris, à nobis probaretur esse confictum:* similem etiam aliam eiusdem Iudaicæ dispersionis rationem his verbis tradit RVPERTVS ABBAS: *Notandum Iudæorum dispersionem ideo factam esse, vt non tantum in vno loco, sed in omni terra fidem gentium confirmarent, dum eum à parentibus suis crucifixum fuisse assererent, & scripturas, in quibus nobis prædictus est, se habere non denegarent.* Itaque volunt hi Patres, propterea Iudæos non occisos, sed potius in dispersionem gentium abire permissos, vt sacræ paginæ libros, qui Christum verum Messiam esse testantur, ad paganos etiam per varias regiones deferrent, vt hinc omnibus innotescat ea, quæ Catholica fides docet de Christo Domino, non esse Christianorum figmenta sed ea solum, quæ antiqui Prophetæ multis retro temporibus de illo vaticinati fuerant, & in illo ad vnguem nunc completa esse perhibentur. Quare sicut serui post dominos suos codices ferunt, quorum pondere ipsi deficiunt, Domini vero legendo proficiunt, sic Iudæi sacros libros nostros portant, quibus ipsi onerantur, Christicolæ vero erudiuntur, & qui ex gentibus ad illos conuertuntur. codicem ergo portat Iudæus, vnde Christianus credat, & ille confundatur, & Catholica veritas gentibus patescat.

XIII. HANC autem D. AVGVSTINI, & RVPERTI rationem pulchra Regis vatis prophetiâ confirmo, quæ mirifice illam illustrat: *Psal. 58.* *Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, ne quando obliuiscantur populi mei: disperge illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine.* D. AVGVSTIN. vertit: *Deus meus demonstrauit mihi de inimicis meis;* alludens forte ad originale Hebræum, quod in hunc modum habet: *Deus videre faciet me in inimicis meis:* *Ibid.* ecce igitur Prophetarum non omnes fore occidendos, *ne occidas eos:* ecce prophetarum dispergendos fore: *disperge illos in virtute tua:* ecce vtriusque rationem propheratam: *ne quando obliuiscantur populi mei:* dum enim ipsi per omnes mũdi regiones sacros libros deferunt, non possunt populi obliuisci, nec inficiari ea omnia, quæ de Christo eius sectatores prædicant, in sacris illis codicibus multis retro annis diuinitus prædicta fuisse. Quare putauerim, quod ad eum modum, quo olim Deus posuit signum in Cain; ita & illud *Gen. 4.* imposuit in Iudæis: quemadmodum enim in Cain quem Deus propter mortem innocenti fratri suo Abel iniuste illatam vagum & profugum super terram esse decreuit, posuitque in illo signum trepidationis (vt aiunt Interpretes super Genesim) ne

occi-

Interpretes super c. 4. Gen.

occideretur, vt facer textus ait: *Posuit Dominus in Cain signum, vt non interficeret eum omnis, qui inuenisset eum*; ita sane Iudæis fecisse videtur, quos propter iniustissimam innocentissimi Abelis, Christi Domini, mortem vagos super terram, profugos & dispersos esse voluit, ne tamen occiderentur, posuit in eis signum, signum (inquam) non solum occultum circumcisionis, sed & manifestum, & omnibus patens; obseruantiam scilicet sabbati, immolationem in Paschate, azymorum comestionem, & alias similes antiquas legis ceremonias, quas ipsi custodiunt. hoc igitur multiplici signo ab aliis omnibus discreti minimè occiduntur, Deo id sic prouidente, vt sacrorum librorum per omnes regiones baiuli sint, & veritas Catholica Christum attestans magis ac magis in dies corroboretur: Cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA XXII.

Eadem verba: Dispersit superbos mente cordis sui, *de Hæreticis explicantur, insignisq; inuectiua aduersus illos proponitur ex variis Sanctorum Patrum testimoniis, præcipuè tamen ex metaphora Vulpis; quam multiplici, tam sacra, quàm humana eruditione prosequimur.*

I.

Ang. Cœl. super Missus, disc. 38.



SEQVVTVS expositionem quorundam Doctorum, qui cum ANGELO COELESTINO verba illa Virginis: *Dispersit superbos mente cordis sui*; apte de hæreticis intelligi opinantur, aduersus hæreticos Ecclesiæ Catholicæ infestissimos hostes sermonem opportunè incidentem minime silentio prætermittā. Damna quidem innumera, quæ Hæretici, mendacii parentes, Ecclesiæ Dei intulerunt, grauia adeo esse perhibentur, vt ad ea melius explicanda sancti Patres, veritatis amantissimi, variis ac ignominiosissimis nominibus eos compellauerint, vt cum nullo quantumuis turpissimo nomine, ac fœdissimo epitheto eorum malitia & petulantia aperiri queat, saltem multiplex eorum varietas aliquid tantæ nequitiæ propalare, ac detegere possit.

D. Hieron. in Zachar. *D. Basil. 5. exam.* *S. Ioan. Cassian. lib. 7. de Incarn.* *Theophyl. Alex. ep. 1. Paschatis.*

II. S. HIERON. vocat Hæreticos *Idololatras*, quia quot errores amplectuntur, & docent, tot idola colunt & colenda aliis proponunt. D. BASIL. vocat eos, *zizaniam*, Catholicæ doctrinæ frumentum suffocantem. IOAN. CASSIANVS, *Veneficos*, qui in vase, quod propinant, cum dulci ambrosia venenum miscent, vt illo alliciant, hoc interimant. THEOPHYLVS ALEXANDRINVS, *prægnantes fœminas*, quæ nauseam habentes super optima quæque condimenta, labruscis acribus, immaturis, ac no-ciuis diuersorum errorum fructibus vescuntur. DAMASCENVS, *Hydras*, ex quibus varia errorum capita pullulant. OPTATVS MILEVITANVS, *fraudulentos aucupes*, qui falso suæ prædicationis sibilo simplices auiculas decipiunt. Insignis MARTYR IGNATIVS, *falsos caupones, & tabernarios*, qui purissimum ac probatissimum scripturæ vinum cū putrida ac fœtenti illorum expositionis aqua commiscent. S. CLEMENS ROMANVS, *feras pessimas*, humano habitu indutas, *Lupos immanissimos*; *Diaboli organa seu instrumenta*. CLEMENS ALEXANDRINVS, *amygdalas vanas absque medulla*. S. IRENÆVS, *Terrestres fungos*, quia sicut ii sunt quædam telluris excrementa, prauum eius humorem ac nocivum sugentes, ita hæretici quasi mundi excremēta, quidquid erroris antiqui hæresiarchæ reliquerunt, ipsi sugunt & bibunt. TERTVLLIANVS, *Vespertiliones Catholicæ veritatis lucem execrantes, hæresum tenebras amantes*. D. ATHANASIVS, *Anguillas*, quæ in squallenti cœno iacere gaudentes, & comprehensæ è manibus elabūtur, non secus hæretici in spurcissimo diuersorum errorū cęno ac luto voluptuario delectantur, & cum à Catholicis argumentorū efficacia comprehenduntur, friuolis quibusdam responsis è manibus eorum elabuntur. ORIGENES appellat eos *falsa monilia*, quia sicut hæc exterius splendent, intus tamen nullius valoris sunt, ita hæretici verborum eloquio, & vt in primum loquentia exterius in ignorantium oculis elucent, interior autem medulla verborum nullius prorsus valoris est. GREGORIVS NAZIANZ. *Chamæleontibus* illos comparat, quia in varios colores instar illorum, excepto candido veritatis, se transformant. Diuus CHRYSOSTOMVS *Simias* illos vocitat, quia sunt Sanctorum falsi, & simulati æmulatores. Sanctus CYPRIANVS appellat *Adulteros Ecclesiæ*, tum quia falsis interpretationibus sacra adulterant eloquia, tum quia tot concubinis sunt mancipati, quot erroribus addicti. Sanctus EPIPHANIVS *Scarabeos* illos vocat super fœtentem glebam ambulantes: *Scarabeorum genus, quod à quibusdam* (ait) *pillularium appellatur*: ac tandem D. EPIPHANIVS comparat illos *Colubro seu serpenti*, nomine *Dipsadis*, quia sicut hæc, si ex aliquo fonte bibit, in illum venenum suum diffundit, non secus hæretici ad Catholicorum libros, tanquam ad fontes, bibere accedentes, multarum hæresum venenum in eos diffuderunt, quo salubrem Catholicæ doctrinæ aquam mortiferam reddunt; vnde sicut cum ad illum fontem à Dipsade serpente infectum reliqua animalia ad bibendum appropinquant, venenū ebibunt, ita Catholici ad libros sacrorum Doctorum accedentes, vt veram ac salubrem doctrinam ebiberent, non semel accidit, vt propter intermixtos in eis ab hæreticis errores diuersarum hæresum infestissimam aquam hauriant.

D. Ignat. Martyr. ep. ad Tralian. *S. Clemen. Roman. li. 2. const. Apost. c. 24.* *Clem. Alex lib. 7. stromat.* *S. Iren. lib. 1. c. 33.* *Tert. cont. Praxeam.* *D. Athan. orat. 5. in Arium.* *Orig. tract. 13. in Mat.* *Greg. Naz. orat. 1. in Iulianum.* *D. Chrys. hom. 9. in Matth.* *Epiph. ser. 32. cont. Heracleonitas.*

III. CÆTERVM inter omnia nomina & epitheta ad hæreticorum prauitatem detegendam, principem locum tenet illud, quod Spiritus sanctus eis impo-

Cant. 2.

D.Chr.super Ps.96. D.Amb. sup.Luc.9. lib.7. D.Aug.in Psal.80. Elias Cret. in or. Naz. 2.de Theol. Inno.ora.1. D.Greg. sup.c.2. Cant. S.Ansel. ibid. Beda ibid. Alcuin.ib. Cassiod.ib. Theodor. ibid. Iustus ib. Angelom ibidem, & Philo ibid. Suidas in collectaneis Theodoret. li.1. collect.

imposuit, *vulpes* illos vocans : *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas:* quē locum de hæreticis intelligi debere testes sunt omni exceptione maiores D. CHRYSOSTOMVS, D. AMBROSIVS, S. AVGVSTINVS, ELIAS CRETENSIS, INNOCENTIVS TERTIVS, MAGNVS GREGORIVS, S. ANSELMVS, Venerab. BEDA, ALCVINVS, CASSIODORVS, THEODORETVS, IVSTVS, ANGELOM, & PHILO; meritoque id Patres hi censuerunt, quia tam quæ in sacra Scriptura, quam quæ à Philosophis naturalibus de Vulpium proprietatibus tradita sunt, cuncta in illos ad amussim quadrant. Nam in primis Vulpes animal est fallax ac fraudulentum, vnde abiit in prouerbium (vt refert SVIDAS in Collectaneis:) *Cum Vulpe habes commercium, dolos caue:* sic hæretici mille calumniis, & fraudibus frequenter vtuntur, vt fideles in suam sententiam trahant, vt visum fuit in TIMOTHEO Episcopo Eutychiano, qui teste THEODORETO, monachorum cellas noctu perambulabat, à somno illos excitans, singulisque ad fores dicens, se Angelum à Deo missum, vt eos moneret, Timotheum in Episcopum eligere. Sæpè etiam hæretici suis libris Catholicos authores mēdaciter imposuere, vt facilius doctrinā suam venditare possent, ac fideles decipere, & Lutherus in Epistolis, quas ad Principes quosdam scripsit, permulta in Euangelii laudem edixit, vt illos deciperet, videns tamen nihil ei hanc fraudem prodesse, multa typis mandauit, Euangelicam doctrinam vituperans, imitans etiam in hoc vulpem illam, de qua finxit ÆSOPVS, quod cum vuas cuiusdam vitis comedere tentasset, & propter nimiam altitudinem eas capere nequiuisset, dixit acres, & acidas esse.

IV. CONFIRMAT etiam fraudulentam ac fallacem vulpium naturam, quod imitantur vlulatum lupi, & latratum canis, cum alioquin gannitus propria vulpis sit vox; ita hæretici cum sæuire datur, vlulant contra Catholicos tanquam lupi, cum autem volunt animas capere, tanquam Ecclesiæ canes Catholicorum latratum, & vocem simulant: alias ganniunt adulando, mulcendo, mentiendo, milleque modis dulciter decipiendo. Vnde nobilis & eruditus auctor, & condiscipulus noster IOANNES DEL RIO dixit : *Catholicos decet similes esse ceruo, quem Albertus Magnus testatur à gannitu vulpeculæ sibi vehementer timere.* Deinde de eadem vulpe sermonem agens inquit: *Illa vorax, immo & omniuorum est animal; fructu, caseo, pisce, carne vescitur; vidi, quæ prorsus paruula cum adiuncta esset feli lactanti, collactaneorum catulorum vnum nō minorem se catum absumpsit, & pari impietate mox alterum tam callida hypocrisi, vt vix tandem parricidam nutricula infelix deprehenderet, & cubili deturbata mammam postmodum denegaret. Simili conditione multæ Respublicæ & Prouinciæ hos receperunt humiles demissosque; mox vt extulere, & ad partem aliquā gubernaculi receperunt; vt Geneuæ Caluinus, sic alibi soboles Caluini, cæteros partim expulere, partim interemerunt. Vulpes cæcos parit, hi videntes, quos decepere, protinus exoculant: Illa vbi minxerit, locum sterilem facit, ita vt & natæ illic herbæ exarescant, alias nequeat tellus germinare : hi vbi virus suum fuderint, virtutes omnes deperdunt, & corda penitus ad opera bona sterilescunt. Quo pacto venetur vulpes auiculas carniuoras, scitis, nonne idem isti, quando carnis licentia, vt homo, carnales homines in fraudem pelliciunt?*

Ioan. del Rio in c. 2. Cantic.

Fraudandi autem consuetudo ita innata & congenita est vulpibus, vt quantumcunque paruulæ in domum ducantur, domari aut domesticæ minimè reddi possunt, sed semper versipelles & fraudulentas in omnibus se exhibent; vnde quidam de Vespasiano loquens, qui ad imperii maiestatem & opulentiam euectus, auaritiæ morbo vt antea laborabat egregiè dixit, vt tradit SVETONIVS: *Vulpes pellem mutant, non mores.* Atque hinc est, quod vulpes nunquam animalia palam insectatur, sed clanculum, quem morem imitatus Lysander, (vt refert PLVTARCHVS) duces illos irridebat, qui generoso animo indignum putabant per stratagemata hostem deuincere, & profligare. vnde frequenter satis in ore versabat : *Si leonina pellis non satis est, addenda vulpina.* nec ab hac sententia longe aberat celebris ille Dux Sylla, de quo Romanus Carbo solitus erat dicere (PLVTARCHO id referente) duo animalia, quæ in pectore Syllæ degebant, leo, & vulpis, bellum cruentum aduersus ipsum gerere; molestius tamen, & importunius vulpem illum vexasse; significans ad vincendum magis profuisse Syllę vulpinam fraudem, quā leoninam fortitudinem, ad quod alludens Curius Boldierus nobilis Italus (vt auctor est CAMILLVS) depinxit hastam, ex qua vulpis cauda pendebat, vt hac ratione significaret in bello non solum fortitudine, quam hasta denotabat, sed & fraude, per vulpinam caudam significata, vtendum esse instar vulpium.

Sueton in vita Vespasiani. Plutarch. in vita Lysan. Plutarch. in vita Sylla. Camill. Camilli in suis impress. sis p.1.

V. ERGO vt ad rem nostram redeamus, hæretici mille fraudes tentant, variasque fallacias frequenter machinantur, vt cum veritatis fortitudine pugnare non possint, vulpinis saltem armis pusillos quosdam animo, & imbecilles scientia expugnent. vndè DAVID eorum fallacias præuidens dixit: *Linguis suis dolose agebant :* super quæ verba D. HIERONYM. affirmat, hæreticos vnum in corde gestare, & aliud ore proferre; quandoque enim apparet pietas in verbis, sed impietas semper residet in præcordiis; sermone produnt Christum, sed intus regnat Antichristus; ac tandem Absalonem æmulantes, qui cum regnum ambiret, litigantes, qui in Curiam veniebant, amplectebatur, ac verborum dulcedine, vt eos ad se alliceret blandiebatur; ita hæretici sermonis melodia ac fucatis verbis animos fidelium aucupari fraudulenter satagunt, vt ad eorum errores sectandos illos inducant. Illud etiam est vulpium ingenium, vt nunquam generosa animalia inuadant, sed pusilla & infirma, Anates, Gallinas, Agniculos, & similia;

Psal. 5.

non

non dissimiliter hæretici rarissimi viros Catholicos doctrina præstantes expugnare, & ad suam sententiam trahere aggrediuntur, frequentissime tamen ignaros quosdam homuncios, ac infirmas mulierculas decipere tentant, vt D. HIERON. obseruauit, cum dixit: *Multa Hispaniarum, & Lusitaniæ deceptæ sunt mulierculæ.*

D. Hier. in tom. 64. Isai.

VI. ADHÆC ea est vulpium conditio, quod instar strabonum quasi extortis oculis oblique respiciunt, & non recto, argumentum planum interioris earum obliquitatis. In hoc hæreticos quis non videat vulpibus ex vna parte persimiles esse, cum nunquam sacram scripturam rectæ, sed obliquæ intentionis oculis inspiciant; ex altera vero Catholicis valde dissimiles esse, quorum oculis instar Columbarũ Catholicæ doctrinæ arcana Christiana simplicitate cernunt? edocti sane à cœlesti illa Spiritus sancti Columba, qui, vt Christus dixit: *Docebit vos omnem veritatem.* Memini Deum per EZECHIELEM Prophetam ad hæreticum hominem dixisse: *Conturbabas aquas pedibus tuis*: in quorum verborum commentario D. HIERONYMVS affirmat claras ac splendentes aquas, in quibus fidelium animæ refrigerantur, diuinas literas esse; hæretici tamen nolentes aquas mundas Siloe ebibere: *quæ vadunt cum silentio*, squallentes, turbidos, ac immundus errorum fontes quæritant, Arium, Sabellium, Nestorium, Caluinum, Lutherum, Oecolampadium, Bezam, & alios huius farinæ perditissimos homines, à quibus nonnisi impudentissimos errores hauriunt. Idque mirabile est in his hæresiarchis, quod sicut olim conuiuæ regis Balthassaris in sacris templi vasis vinum delibantes inebriebantur, falsosque Deos colebant, ita hæretici, vt obseruauit D. HIERONYMVS, in eisdem sacræ Scripturæ vasis bibentes, illi potantur ad ebrietatem, fideles ad sobrietatem. Idem sane est Testamentum vetus, iidem noui Testamenti codices, quibus Catholici & hæretici vtuntur, tamen illi instar apis argumentosæ dulcissimum veræ doctrinæ mel, illi vero instar araneæ venenum educunt. Quibus sane accidit, quod olim Ægyptiis, qui ab eodem flumine, à quo claras ac mundas aquas Israelitæ hauriebant, ipsi Ægyptii impuras & sanguinolentas deducebant.

Cant. 1.

Ezech. 32.

D. Hie. sup. c. 32. Ezec. Isaia 8.

Daniel. 5.

Exod. 7.

VII. EST insuper vulpibus hæc innata proprietas, vt D. GREGORIVS adnotauit, quod nunquam rectis itineribus, sed tortuosis anfractibus perambulent, sic hæretici fugiunt ingredi tritas sanctorum Patrum vias, nolunt eorum sequi vestigia, sed singularitatem amantes, tortuosa itinera quærunt, per prauæ doctrinæ anfractus semper errantes, vt non immerito dixerit DAVID: *Singularis ferus depastus est eam.* quod sane malum Ecclesiæ Catholicæ valde nocium præuidens D. PAVLVS discipulo suo TIMOTHEO, & in illo omnibus Catholicis dixit: *Prophanas vocum nouitates deuita*; vel, vt ingeniose vertit THEOPHYLACTVS: *Prophanas vanitates* vel *vacuitates.* Id non semel obseruaui apud priscos illos Patres sanctitate & doctrina conspicuos, quod ingenti odio nouitatem persequebantur adeo, vt D. AVGVSTIN. scribens ad Optatum super quadam illius opinione parum sibi accepta non alia ratione illam refellat, quam dicens: *Ipsa sola nouitate displicet.* & SOPHRONIVS in Concilio Seleuciano, cum quorundam recentes opiniones multis fucatis rationibus confstabiliri audiret, ægre id ferens dixit, quod si liceret quotidie in rebus fidei nouitates introducere, nihil firmum deinceps in Ecclesia Dei haberetur.

D. Gregor. li. 19. mor. cap. 1.

Psal. 79.

1. Tim. 6.

D. August. ad Optatum.

Sophron. in Concil. Seleuc. id referente Socrate li. 2. hist. trip. cap. 34.

VIII. VVLPES item se dormire, & aliquando se mortuas simulant, vt liberius, quod intendunt, obtinere queant, ad eundem modum hæretici, hypocrisis amantissimi, virtutem simulant, sanctitatem fingunt, externam deuotionem præ se ferunt, vt his pietatis inuolucris tanquam retibus permultos venari possint, & in suam perducere sententiam, & sicut Ecclesia Catholica verbo diuino instar retis vtitur, quo innumeros piscatur, & ad fidem Catholicam ducit: ita hæretici (vt aduertit D. HIERON.) ornata sua oratione & dulci sermone, tanquam reti multos illaqueant: *Sagena*, inquit HIERONYMVS, *eorum est sermo affabilis, blandum eloquium, simulata ieiunia, vestis humilis.* his tamen blandimentis immanes sunt, & eruenti animorum carnifices, instar vulpis, quæ cum gallinam comprehendit, sanguinem eius sugit, trucidat, ac deuorat. Ad quod respiciens idem Diuus HIERONYMVS, hæreticos comparat Esau crudeli, *Edom*, cognominato, quod interpretatur *sanguis*; quia sicut ille proprii fratris sui Iacobi sanguinem effundere curauit, ita hæreticus Catholici fratris sui per regenerationem baptismi sanguinem ebibere satagit; vnde nec Decii, nec Diocletiani, nec Vespasiani adeo crudeles in Ecclesiam fuisse perhibentur, quantum immanes in eandem se ostentarunt Arrii, Sabellii, Nestorii & similes alii. hi ergo infestissimæ vulpes sunt, quæ demoliuntur Ecclesiæ Catholicæ vineam, eamque radicitus deuastare conantur.

D. Hier. sup. c. 9. Eccl.

D. Hier. in Abdiam.

IX. FRAVDES autem, quibus ad illam demoliẽdam vtuntur, persimiles sunt illis, quas vulpes ad vineam deuastandam adhibere solent; illæ quidem radices vitis corrodunt. radicem ego vitæ spiritualis fidem esse agnosco, hanc tamen millies corrosam reperio ab hæreticis. mysteria quæso Catholici symboli in memoriam reuocate, idque verissimum esse facile deprehendetis. Manichæus hæresiarcha Deorum multiplicitatem docebat: Arrius consubstantialitatẽ Filii cum Patre negabat: Valentinianus corpus Christi non esse vere humanum, sed phantasticum sibilabat: Nestorius Mariam non esse Dei Genetricem sacrilego ore promebat: ecce hæreticos radices Euangelicæ doctrinæ corrodentes. Quemadmodum etiam aliter vulpes vineam dissipare solent, teneros vitium

pampinos comedentes,ita hæretici non semel magnum Ecclesiæ nocumentum intulere, dum teneros eius filios,infirmos tamen, quia nondum profundas iecerant in fide radices, à Christo eius vite præciderunt,charissimaque Ecclesiæ pignora,quę ad vbera sua ipsa lactabat, ab eisdem vberibus ea diuellentes, ad hæreticos nutrices, qui corruptissimo hæreticæ doctrinæ lacte illos nutriunt, fraudulenter transtulerunt. Aliud etiam magni momenti damnum solent vulpes vineis inferre, cum maturos eius racemos dentibus præcidunt. Simile nocumentum non semel ab hæreticis suscepit Ecclesia Catholica, dum viros alioquin in doctrina prouectos, qui velut maturi Ecclesiæ Catholicæ vineæ racemi erant,nunc fallacibus argumentis;nunc variis promissionibus præciderunt,& ab Ecclesia separarunt. hoc damnum perpendens doctissimus VINCENTIVS LYRINENSIS dixit, eam esse maximam Ecclesiæ iacturam, cum doctiores illius ad hæreticos se transferunt.

Vinc. Lyr. de profana hæret. nou. c.23.&24.

D.August. sup. Ps.80.

X. VVLPES insuper (vt D. AVGVSTIN. obseruauit) sunt animalia semper fœtentia, in quo egregiè hæreticos adumbrant, quorum doctrina non nisi fœtorem spirat, cum inuitatio sit ad sacrilegas nuptias, & ad omnium libidinum prostibulum licentiosa facultas, nec non bonorum operum & Sacramentorum Ecclesiæ, quæ præsentissima sunt animarum antidota, exterminat ix. Idem etiam D. AVGVSTIN. ait, vulpes solitas habere tales foueas, vt ex vna parte intrent, & ex altera parte exeant: non secus hæretici, & maximè Caluiniani, duas habent suæ foueæ ianuas, vel (vt melius dicam) vnam ianuam habent,& vnicum posticum, quia si sint imbecilles & impares Catholicis, nulli (inquiunt) vis adhibenda fidei causa: si superiores, Papistas clamant non esse tolerandos. Quid plura? DAVID ait: eos, qui persequuntur animas amicorum Dei, *partes vulpium fore*, quibus quæso est pars in hæreticorum consistoriis, nisi persequutoribus amicorum sponsi & sponsæ, hoc est, Christi & Ecclesiæ? Herodes à Christo *vulpes* fuit appellatus: *dicite vulpi illi*. super quæ verba GLOSSA ORDINARIA ait: Herodem hæreticorum typum gerere, quia sicut ille tentauit Christum infantem occidere, ita hæretici totis viribus Catholicas veritates, seu Christum per fidem, & charitatem in animis fidelium inhabitantem extinguere contendunt. Colligatas legimus caudas vulpium à Samsone; & quoties quæso validissimis argumentis conuicti, tanquam funibus colligati, visi sunt hæretici cum Catholicis disputantes? & nihilominus non solum ab Ecclesia, sed à suis etiam capitibus, Caluino & Beza, imo & à seipsis (vt hac nostra tempestate contingit) dissentiunt, modo hoc affirmantes, modo idem negantes; & tamen sic dissentientes semper insurgunt simul in Ecclesiam, maturescentes eius segetes adurere satagentes.

Psal.72.

Lucæ 13.

Gloss. ordinar. in c. 13. Lucæ.

Iudic.15.

XI. O felix Italia! ô felix nostra Hispania! in qua sacerrimum sanctæ Inquisitionis tribunal viget, & in qua tot adsunt Christianæ Fidei defensores, Ecclesiæ Catholicæ oculatissimi Angeli, custodes Christiani gregis, vigilantissimi Pastores, solidæ & incontaminatæ doctrinæ soliciti conseruatores, iniuriarum aduersus Ecclesiam Romanam, & Sedem Apostolicam acerrimi vindices, qui instar Moysis vituli adoratores trucidant, instar Iosue sacrilegos Achanes lapidant, instar Eliæ falsos sacerdotes gladio confodiunt, instar Mathatiæ igne ac zelo religionis accensi, hæreses idolis sacrificantes occidunt,& aras eorum euertunt, instar Samuelis perfidos Saules expoliant,& à sua sede deturbant, instar venerabilium senum inter lepram, & lepram iudicant, vt hæresis lepra, quæ serpit vt cancer, coinquinatos à Catholicis separent, & sequestrent, scientes, quod vna morbida pecus solet inficere omne pecus, instar tandem fortissimi Samsonis, quia sicut ille vulpes comprehẽdit, vt Philisthæorum segetes deuastaret, ita sacri Inquisitores ac fidei censores hæreticas vulpes diligenter quæritant & comprehendunt, vt hæreticam prauitatem exterminent & absumant.

Exod.32. Iosue 7. 3.Reg.17. 1.Mach.2. Iudic.15. Deut.17. Iudic.15.

XII. SI tamen nosse desideratis, quomodo vulpes istæ comprehendi debeant: respondeo, simili modo capiendas, atque siluestres vulpes capi consueuerunt. Tribus quidem modis istæ capiuntur. Primus est agnoscendo earum foueam, tunc enim ad exitum eius plerumque capiuntur. Secundus, quando illa non agnoscitur, laqueum illis parare, vt dum transeunt, incidant in eum. Tertius, vt cum neque à fouea sua exeunt, neque laqueo irretiuntur, ignis fumigans foueæ illarum apponitur, sic enim egredi compelluntur, & comprehenduntur: non secus ad comprehendendos hæreticos, & præcauenda mala, quæ inferunt, tria sunt adhibẽda remedia; primum nosse illorum foueas; hoc est, loca, ad quæ diuertunt, & quibuscum frequentius loquantur: hac enim ratione sponsus nasum sponsæ comparat Turri respicienti contra Damascum: *Nasus tuus sicut turris, quæ respicit contra Damascum*: nam sicut nasus virtute olfactus manifestat, quæ latent, ita speculatores ex sublimi turri prædorari debent inimicorum insidias, illasque detegere; quod sane Inquisitores & censores fidei tam in Italia, quam Hispania vigilantissime præstant. Secundum remedium est, argumentorum laqueos illis parare, & validissima sacræ Scripturæ testimonia velut retia eis ponere, quibus cõuicti & salubriter illaqueati maneant. Tertium tandem si hæc non prosint, igne & fumo de cauernis expellendi sunt, implendo illud: *vre, seca, nedum male parcis vana in malos clementia sis in bonos crudelis*; cum enim hæreticus sit sarmentum siccum, & à vite Christo præcisum, solum ei restat, vt in ignem mittatur & ardeat. Terra quidem quæ spinas & tribulos germinat, reprobata, & ad ignem destinata censetur à D. PAVLO, *cuius consummatio in combustionem*: terra hæc hæreticum hominem de-

Cant.7.

Ad Heb.6.

signat,

ſignat, qui quot errores credit, tot ſpinas veritatem Catholicam ſuffocantes in corde germinat, & ideo tanquam reprobæ terræ conſummatio in cōbuſtionem ei conuenit. Vnde olim Apoſtatæ, qui à MOYSE ſe ſepararunt, igne diuinitus miſſo fuerũt combuſti; ad cuius imitationem ignis pœnâ conuenientiſſime Eccleſia hæreticos mulctare conſueuit. NICEPHORVS enim refert hæreticum Anathalium viuum voracibus ignis flammis fuiſſe abſumptum: Leontius Epiſcopus quædam monaſteria, ad quæ multi confugerant hæretici, igne penitus concremauit: Bonifacius octauus poſtquam viginti retro annis quidam hęremita, nomine Pangelupus, honorificè fuerat Ferrariæ ſepultus, quia tamen hæreticus iuridicè probatus eſt, continuo præcepit exhumari, & oſſa eius publicè comburi. Quid quod D. GREGORIVS laudat, & probat, quod Romæ magicus quidam Baſilius fuerit combuſtus? ſed non ſolum Patres, ſed & Deus ipſe hoc ſupplicii genus probaſſe videtur; cum enim IEREMIAM Prophetam interrogaſſet: *quid tu vides?* ille reſpōdit: *virgam vigilantem ego video*; ſed iterum Deo interrogante, *quid tu vides?* reſpondit: *Ollam ſuccenſam ego video*: quibus non obſcure ſignificare voluit, quod obſtinatis peccatoribus, & maxime hæreticis, quibus non prodeſt virga correctionis, conuenienter adhibetur tanquam pertinacibus ardentis ignis pœna.

[Num. 16. — Nicephor. l.3.c.35. — Theod. lib. cap. 11. — D. Greg. lib. Dialog. 4. — Ierem.]

XIII. CVM tamen contingit (vt perſæpe accidit,) vt hæretici in manus ſacrorum Inquiſitorum non incidant, Deus ipſe tanquam generalis & ſupremus Inquiſitor, cuius manus minime ſubterfugere poſſunt, per ſe ipſum immediate variis ſupplicijs in hoc etiam ſæculo illos afficit: Simon enim Magus per aëra magica arte volitans, diuina virtute ſemimortuus in terram concidit, vt ARNOBIVS ſcribit: Conſtantius Arrianus grauiſſimo dolore confectus inſtar rabidi canis vitam exhalauit, vt refert AMMIANVS MARCELLINVS: Manichæus per ſententiā in eum latam à Rege Perſiæ, integra pelle detracta, decorticatus fuit, vt D. EPIPHANIVS tradit: Montanus carnifex ſui ipſius extitit, cum ſeipſum è collo ſuſpendit, vt EVSEBIVS teſtatur: Parmenianus mortuus eſt, decerptus & dilaceratus ab eiſdem canibus, quibus ſanctam Euchariſtiam (de qua D. THOM. dixit: *vere panis filiorum non mittendus canibus*) impudentiſſime proiecerat, vt OPTATVS conteſtatum reliquit: Arrius ventrem purgās, etiam inteſtina ſummo dolore effudit, & animam Diabolo tradidit, vt ATHANASIVS affirmat: Valens Arrianus viuus fuit cōcrematus, vt Ruffinus commemorat: Iulianus Apoſtata inſtar Datan & Abiron à terra fuit deuoratus, id referente NAZIANZENO: Neſtorius illud tormenti inauditum genus ſuſtinuit, vt à vermibus ſacrilega eius lingua, quæ tot errores protulerat, corroderetur, vt EVAGRIVS narrat in ſua hiſtoria: Anaſtaſius hæreticus Imperator fulmine cœlitus demiſſo miſere interijt, vt apud CEDRINVM legimus: Caluinus pediculis, vel vermibus (vt alii volunt) conſumptus, vitam præſentem cum morte commutauit, vt ſcripſit HIERONYMVS BOZEVS. Ecce igitur quam veraciter B. Virgo de hæreticis prophetauit: *Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui*, cum ab excelſis ac ſuperbis illis cogitationibus alta ſapientibus ceciderint, miſerrimo mortis genere vitam finientes.

[Arnob. li. 2 cōt. Gentes. — Ammian. Marcell. lib. 21. hiſtor. — D. Epiphā. hæreſ. 66. — Euſeb. li 5. hiſt. c. 16. — D. Thom. in proſa — Optat. li. 2. cōt. Parm. — D. Athan. orat. 1. cōt. Arrium. — Ruffin. lib. 11. ſua hiſt. cap. 13. — D. Naziā. orat. ad Athanaſ. — Euag. lib. ſua hiſt. c. 7 — Cedren. in ſuo compen. hiſt. — Hieronym. Bozeus in lib. de vita Caluini.]

XIV. ADVERTERE tamen oportet in his verbis aſſignaſſe Beatam Virginem communem radicem, vnde pullulant hæreſes, nempe ſuperbiam; volentes enim Hæretici arcana noſtræ fidei humanæ rationis diſcurſu ponderare inuenti ſunt minus habentes, quam Catholica veritas doceat; in cuius figuram apud D. IOAN. lib. ſuarum reuelationum lego, vidiſſe equum nigrum & equitem ſuper illum ſtateram habentem in manu ſua: eques hic ſuper equum nigrum hæretici hominis typum gerit; qui ſuper caliginoſam ignorantiæ ſuæ abyſſum equitans, ſtatera fallaci humanæ rationis diuina myſteria ſuperbè, & petulanter præſumit ponderare & menſurare, immemor, quod Deus ad menſuranda es, quæ ad ſanctuarium pertinebant, legem olim ſtatuit, ne communi ſtatera quiſpiam vteretur, ſed propria & ſpeciali ipſius ſanctuarii: ad menſurandas quidem Catholicas veritates fallax eſt ſola humana ratio; vera & fidelis ſtatera eſt diuina reuelatio, & Eccleſiæ Catholicæ expoſitio, quam quia ſuperbi hæretici reſpuunt, etiam à Deo reſpuuntur, Beata Virgine dicente: *Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.*

[Apoc. 6. — Leuit. 27.]

XV. AD extremum illud dicendum reſtabat, quando oportunius hæreticæ iſtæ vulpes capiantur. Spiritus ſanctus certe id non obſcure docuit, dum monet, cum paruulæ ſunt, comprehendi debere: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas*: vulpeculæ paruulæ quantum captu ſunt faciliores, tantum inueteratæ vulpes ſunt difficiliores. Gręco enim prouerbio vulgato dicitur: *Annoſa vulpes haud capitur laqueo*: non diſſimiliter recentes hæretici facilius ad Catholicam fidem redeunt, annoſi vero & inueterati ita tenaciter ſuis impiis adhærent erroribus, vt difficillime ab eis diuellantur. Quantum autem interſit principiis obſtare, & non ſero medicinam parare, experientia ipſa cum magna Eccleſiæ iactura comprobauit: modicum quidpiam eſt ignis ſcintilla, ſi tamen in pulverem bellicum incidat, arces & ciuitates ſolo æquat: parum fermenti modicum quidpiam eſt, & tamen totam maſſam acidam reddit: modicum cāncri exiguo membro inſidēs per totum corpus paulatim ſerpit: vna pecus non ſemel totum gregem infecit, oportet igitur ad hęc incommoda vitanda, vt abſq; vlla mora ſcintilla extinguatur, fermentũ maſſę non miſceatur, cancer vlterius progredi prohibeatur, alioquin domus tota, maſſa tota, corpus totum, grex totus concremabitur, corrumpetur, cancro putreſcet, & morbida fiet. Scintilla quidem vnica fuit Arrius in Alexandria, quia tamen abſq; vlla interpoſita mora non fuit exſtincta, quaſi totũ

[Cant. 2.]

Orientem combussit: parum fermenti fuit Donatus in Hippone, quia tamen continuo non fuit segregatus à fideliũ massa, breuissimo tempore magnam Africæ partem corrupit: Pestilens cancer erat Marcion in Ponto, quia tamen statim non fuit præcisus, hæreticæ doctrinæ cancro partem Septẽtrionis non modicam exulcerauit. Vna sola pecus morbida erat Luther in Witemberga, quia tamen confestim à grege non fuit expulsus, ingentem partem Occidentis labefactauit. O insignem nostræ Hispaniæ laudẽ, quod nullum vmquam genuerit Hispanum nouæ sectæ inuentorem! Hispanus quidem fuit Priscilianus, non tamen hęresis inuentor, eam enim didicit à Monacho quodam Ægyptio, Marco nomine, hæretico gnostico. Hęresis Arriana ortum habuit in Alexandria, per Gothos vero in Hispaniam introducta, penitus tamen fuit extincta felici Regis Recaredi tempore. Vigilantium hæreticum quidam putant fuisse Hispanum, alii Gallum, hoc autem licet in dubium vertatur, certum tamen est ex Gallia eam hæresim adduxisse, vbi edoctus & instructus fuit à sua iuuentute per plurimos annos. quod si in Hispania pullulare cœpit hęresis integerrimam Deiparæ Virginitatem negans, Teudus, & Pelagius Gallici hæretici illam asportarunt, quos tamen verbo, & scripto acriter confutauit, & conuicit sanctus Ildelphonsus Hispanus Archiepiscopus Toletanus. Ad hæc cum hęretici Albigenses in Gallia suam diffunderent hæresim, sanctus Dominicus Hispanus (non solum Hispaniæ, sed totius Ecclesiæ Catholicæ decus, & ornamentum) illos acerrimè expugnauit, & Domina Blanca Regina Galliæ, Hispana tamen natione, Catholicæ Fidei zelo accensa penitus illos extinxit. Vnde GENEBRARDVS (licet natione Gallus) veritate tamen compulsus acrimoniam considerans, qua Hispani tam hæreticos, quã paganos extirpare conantur libr. suæ Chronographiæ dixit: *quasi Hispanorum opus sit expugnare infideles, & Paganos*: & ibidem paucis interpositis loquens de rege Hispaniarum Ferdinando subdit hæc verba: *Quo anno in perpetuum Iudæos suis Hispanicis regnis expulit, & vt hæreticos, & Mauros penitus inde euelleret, Inquisitionis officium instituit, cui etiam Rex ipse subesset.* hæc ille. Cum autem dixit: *Inquisitionis officium instituit*, subintelligi debet ex auctoritate à Sede Apostolica ad id ei concessa.

Geneb. lib. 4. sua Chron. anno 1492.

Cant. 2.

XVI. INGENTES igitur gratias Deo optimo Maximo referat Catholica nostra Hispania, sub CATHOLICO per antonomasiam Hispaniarum Rege Philippo Tertio, quod, vt sponsus dixit: *vinea nostra floruit*, cũ alioquin Angliæ vinea perierit, Germania à singulari Apro partim depasta lugeat, Gallia vero in permultis eius locis (proh dolor) penitus aruerit: gratias iterum immortales Hispania Deo referat, quod si quandoque (quod raro contingit) hæreses in ea pullularunt, aduentitiæ quidem fuerunt, non ibi exortæ, continuoque illæ à vigilantissimis contra hæreticam prauitatem Iudicibus resecantur, & cum earum asseclis comburuntur, vt sic integra, inuiolata, sincera, pura, ac irrefragabilis Christi Fides semper permaneat: Cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA XXIII.

Eadem verba: Dispersit superbos mente cordis sui, *iuxta quorundam Patrum sententiam de Dæmonibus explicantur, nec non de omnibus superbis indiscriminatim; variique modi commemorantur, quibus diuini brachij potentia illos disperdit, & dissipat.*

I. NOMINE *superborum* B. Virginem comprehendisse Luciferum, & omnes eius consortes testatur cũ D. AVGVSTINO EVSEBIVS EMISSENVS, dum ait: *fecit potentiam Dominus in brachio suo, quia Diabolum vicit, & infernum spoliauit*, nec non eruditus auctor SALMERON dicens: *quod ergo ait, dispersit, ad superbos & elatos Dæmones virtute brachij huius è cœlo exturbatos referendum est, vt interpretatur Euthymius.* Scio THEOPHYLACTVM per hos *superbos* intellexisse malignos spiritus, qui Christi virtute, & imperio de corporibus humanis pellendi erant, vt id testimonium esset, ipsum ad eripiendas animas è Satanica potestate venisse; sed verius apparet ad omnes Dæmones verba illa extendi, vt præcitati Patres volunt, & tradit D. THOMAS in sua Catena, & docuit HVGO VICTORINVS in hæc verba: *Fecit potentiam in brachio suo, quia per humilitatem filij sui Diabolum vicit, ideo fecit potentiam in brachio suo. Brachium eius filius est. Potentiam in brachio fecit, quia per id, quod factum est in ipso, redemptum est, quod factum est ab ipso.* Accedit, quod Dæmones sunt superbi per antonomasiam iuxta illud DAVIDIS: *superbia eorum, qui te oderũt, ascendit semper:* rationabiliter ergo hi Patres nomine *superborum* intelligunt omnes Dæmones indiscriminatim.

D. August. tract. super Magnificat. Eus. Emis. serm. hom. feria sexta ante 4. Dominicam Aduentus. Salmer. super Magnificat, 3. de infantia Saluatoris. Euthy in c. 1. Luc. D. Thõ. in sua Catena super cap. 1. Luca. Hugo Vict. in annotationibus elucidariis super Magnificat. Psalm. 73. Ezech. 28.

II. A PRIMORDIIS quidem creationis Angelorum, Lucifer supremus omnium illorum miram suam pulchritudinem intuens velut alter Narcissus, in amorem sui exarsit, vt enim EZECHIEL dixit; *signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in delitiis paradisi Dei fuisti.* in quibus verbis vocans illum signaculum similitudinis, significare voluit, imaginem fuisse ad viuum beatissimam Triadem exprimentem; sancta quippe & adoranda Trinitas, magnitudo, sapientia, & pulchritudo est. Pater potentia, Filius sapiẽtia, Spiritus sanctus pulchritudo: Lucifer autẽ ex his omnibus, hoc est, potentia, scientia & pulchritudine plus cæteris participauit, ideo *signaculum similitudinis* illũ Propheta appellauit. complacens igitur Lucifer in seipso adeo intumuit, vt EZECHIEL dicat: *Eleuatum est cor tuum,*

Ezech. 29.

tuum, & dixiſti: *Deus ego ſum, & in cathedra Dei ſedeo, & dediſti cor tuum quaſi cor Dei*: hoc eſt, nullum ſibi ſuperiorem recognoſcens, quod adeo proprium eſt Dei, vt nec de potentia Dei abſoluta alteri per naturam, aut priuilegium conuenire queat: Lucifer autem non contentus aduerſus Deum inſurrexiſſe, tentauit reliquos omnes Angelos in ſuã ſententiam trahere, cum enim eſſet plenus ſapientia, confidebat facile omnes eius ſuaſione voluntati ſuæ conſenſuros; ait enim de illo EZECHIEL ſub nomine Aſſur: *Flumina eius manabant in circuitu radicum eius, & riuos ſuos emiſit ad vniuerſa ligna regionis, & multiplicata ſunt arbuſta eius, & eleuati ſunt rami eius præ aquis multis*: hoc eſt, flumina, & riuos conſilii, & doctrinæ ſuæ ad vniuerſos Angelos miſit, vt eos circumueniret; qua irrigatione arbuſta, & rami eius creuerunt; ſiquidem tertiam Angelorum partem in ſuam traxit falſam & erroneam opinionem: *Et æmulata ſunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in Paradiſo Dei*: non dixit abſolute, omnia ligna, quia non omnes Angeli illi paruerũt, ſed cum reſtrictione: *omnia ligna voluptatis*: vt ſignificaret eos ſolos angelos ei conſenſiſſe, qui gloriæ ſuæ voluptatem, non Dei honorem, & gloriam quæſiuerunt, quoſque amplius delectabat ſeruire creaturæ, quam Creatori. Sed heu miſerum Luciferum! heu infelices eius aſſeclas! non quidem pro votis, vt falſo ſibi futurum blandiebantur, ſed contra vota omnia illis contigit, dicebat Lucifer: *in cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum: ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper latitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo*: ſed confeſtim mente cordis ſui diſperſus eſt, audiens ſibi dici: *veruntamen in infernum detraheris in profundum laci*: neq; ſolum ipſe, ſed & omnes eius ſectatores, EZECHIELE dicẽte: *ecce deductus eſt cum lignis voluptatis ad terram vltimam*. In delitiis quidem Paradiſi Dei poſiti erant, pleni ſapientia, & perfecti decore; verum quia altiora ſe quęſierũt, & ſapere tentarũt, pluſquã oportet ſapere, deorſum miſeri ceciderunt; & quanto velocius ad alta feſtinarunt, tanto celerius ad ima deſcenderunt.

[Margin: zech. 31. — zech. 31. — aia 24. — aia 14. — zech. 31.]

III. GLORIABATVR Lucifer ſe eſſe Deũ, qui fons eſt omnis pulchritudinis, & origo totius munditiæ; ipſe tamen talem mutationem ſuſtinuit, vt iã ſpiritus immundus ſpiritus turpis, & ſordidiſſimus ſit, vt & nomina poſt lapſum eidem impoſita apertiſſimè indicant: *Satan, Diabolus, Serpens, Draco, Leuiathan, Behelzebub, Belial, Behemoth, Aſtaroth, Mammona: & Aſmodæus*. In rebellione ſua nomen accepit *Satanæ*: in caſu de cœlo in infernum, *Diaboli*: in deceptione Euæ, *Serpentis & Draconis*: quia vero partem ſuperiorem inferiori ſubdere facit, *Leuiathan* nominatur: quia ſordidis cogitationibus mentem humanam replet, *Behelzebub* dicitur: quia æternam noſtram damnationem ardenter deſiderat, *Belial* vocatur: quia per peccatum brutis animantibus hominem ſimilem facit, *Behemoth* appellatur: quia ad auaritiam animos excitat & ſtimulat, *Aſtaroth* nuncupatur, & *Mammona*: ac tandem quia per luxuriã dementat, & aufert cor, *Aſmodæi* nomine ſignificatur. Ad hæc, omnes Luciferi & ſequacium illius cogitationes potenter diſperſit, & fruſtratus eſt, & quæ contra Deũ machinati ſunt, Dei brachiũ in illos penitus retorſit Cogitabat Satanas, cum primum hominem ad peccatum impulit, totum humanum genus in perpetuũ fore euertendum; inde tamen anſam ſumpſit Deus, vt docet ANGELICVS DOCTOR, ad hoc, vt filium ſuum mitteret, factum ex muliere, factum ſub lege, vt PAVLI verbis vtar. Cogitauit Satanas Chriſtum turpi morte occidere, iuxta illud: *ille homicida erat à principio* in intentione, poſtea in executione, vt nomen, & famam eius non ſolum obſcuraret, ſed & penitus extingueret: ſed tam longe abfuit à ſcopo, vt per mortem turpiſſimam crucis immortalem famam clariſſimumque nomen Chriſtus Dominus ſibi comparauerit, Apoſtolo dicente: *Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*. Cogitauit tandem Dæmon per martyrum frequentem necem Chriſti religionem execrabilem reddere, & in dies illam minuere; tamen hoc eodem medio amplius & amplius noua incrementa ſuſcipere cœpit, quia dum terra Eccleſiæ grana illa mortificata ſuſcipiebat, & illorum ſanguine irrigabatur, fœcũdior fiebat, adeo vt inceſſanter noua germina quotidie pullularent, quibus Chriſtiana religio nunquam creſcere & augeri ceſſauit & ceſſat.

[Margin: D.Thõ. 3. p. — Gal. 4. — Ioan. 8. — Ad Phil. 2.]

IV. ILLVD tamen Chriſti victoriã aduerſus Dæmones illuſtriorẽ reddit, quod ſicut Dauid, vt glorioſior eſſet de gigante Goliath triũphus, non ferreis armis indutus, non haſtã vibrãs, non enſem euaginans; ſed baculo, & ſaxo illũ expugnauit, ita Chriſtus Dominus infirmis, & imbecillib. humanę carnis armis diabolicas poteſtates debellauit. Solẽt quidẽ duces in prælio pugnaturi mortale corpus protegere, & vt indemnes in hoſtes irruere poſſint, probatiſſimis armis ſe communire; è cõtra tamen filius Dei factitauit, qui cum eſſet naturæ immortalis, & in palęſtram cũ immaniſſimo hoſte cõgreſſurus deſcenderet, armis mortalis ac paſſibilis carnis ſe induit, vt in ea inimicorũ omnes impetus poſſet ſuſcipere, & moriẽdo mortem ipſam, & eius pariter hoſtes ſuperare. Id ꝙ ego in ipſo Dei filio multo potentius ac admirabilius eſſe puto, q̃ ſi ipſe nõ moreretur. Sicut. n. in trib⁹ illis pueris lõge admirabilius fuit, ꝙ ingreſſi in caminũ ignis per eum deambularent, quam ſi eo nunq̃ ingrederentur: & in Iona etiam multo admirabilius fuit, quod in Cete deciderit, & nihil inde mali perpeſſus fuerit, q̃ ſi abſorptus numquam fuiſſet; ſic in Dei filio maiorẽ admirationem attulit, quod mortuus mortem profligaret, quã ſi non mortuus fuiſſet; in illo enim multo maiorem quam in hoc potentiam cõmonſtrauit. Vnde eleganter HVGO VICTORINVS ſuper *Magnificat* dixit: *Fecit potentiam, fecit infirmitatem, & ipſa infirmitas potentia fuit; quia per illam victus*

[Margin: Dan. 3. — Iona 2. — Hugo Vict. in ãnotat. elucidator. ſuper Magnificat.]

[D. Aug. sup Psal. 130.] *est diabolus, & homo de eius potestate ereptus* hæc ille. Sed audi D. AVGVSTINVM: *Sæuiens tradidit Christum, sæuiens crucifixit, & crucifixo Christo redemptus est orbis terrarum. Ecce sæuitia Diaboli Diabolo obfuit, nobis autem profuit: sæuiendo enim, quos tenebat, amisit.*

[Leo Papa ser. 10. de passione Domini.] V. His similia scripsit LEO Papa in hęc verba: *Claui illi, qui manus Domini pedesq; transfoderant, perpetuis diabolum fixere vulneribus, & sanctorum pœna membrorum inimicarum fuit interfectio potestatum.* Euenit Diabolo in morte Christi illud, [Esth. 7.] quod olim impijssimo illi Aman euenisse legimus, qui in eodem ipso patibulo, quod Mardochæo parauerat, suspensus est. Parauit Diabolus Crucem Christo, sed non ille, in quantum Deus, sed Diabolus in ipso patibulo transfixus est, vt enim dixit [Rupert. l. 3. de victor. verbi Dei cap. 3.] RVPERTVS: *Triumphante verbo, quod impassibilis Deus est, & sumpta carne in immortalitatem, quæ ad breue tempus passa est mortem, ipsum homicidam Deus viuens in suo machinamento strangulauit.* Bene ergo de [Coloss. 2.] Christo dicit Apostolus: *Delens, quod aduersus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians principatus & potestates: traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Ecce impletum: *dispersit superbos*, vnde de Lucifero, & eius consortibus diuini brachij potentia triumphans in æternæ damnationis barathrum eos detrudit: vbi impletum fuit fecisse illos cadere à *mente cordis sui*, hoc est, deturbauit eos ab elatis eorum conceptibus, vanis, & futilibus cogitationibus: relatiuum enim [Euthym. in cap. 1. Luc.] illud *sui* (vt EVTHYMIVS explicuit) referri debet ad superbos ipsos, ita vt superbi fuerint apud se ipsos [Græc. interpr. in c. 1. Luc.] in cogitatione cordis sui elati; quod Græcus interpres plane asseruit, dum vertit: *dissipauit superbos cogitatione cordis eorum*: non tamen propter hoc ab- [D. Aug. super Magn.] iiciendam puto expositionem D. AVGVSTINI, D. [D. Bona. in c. 1 Luc.] BONAV. HVGONIS VICTORINI, & EVSEBII EMISSENI, qui relatiuum *sui* non ad superbos, sed ad Deum ipsum referūt, qui *mente cordis sui*, hoc est pro- [Hug. annot sup. Magn.] fundo suo consilio *dispersit superbos* Dæmones, ita [Eus. Emiss. hom. fer. sexta ante 4. Dom. aduentus.] vt à bona Dei cogitatione, beneuoloq; eius corde, quo illis fauere studebat, ita dissipati sint, & abiecti, vt eorum nolit in suum bonum recordari amplius, cogaturque semper contra illos indignari propter ingentia eorum peccata.

VI. CÆTERVM ad communem sensum istorum verborū: *dispersit superbos*, accedens: quo vnanimi consensu fere omnes Interpretes intelligunt indiscriminatim omnes tumore superbię inflatos, asse- [Prou. 21.] ro, quod cum SAPIENS dixerit: *non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum*, variis modis infinita Dei sapientia, & prudentia dissipat, ac frustratur eorum cogitationes, & comprehendit sapientes in astutia sua: Primo quidem vi, & iure belli; mens enim malignorum, & superborum est quasi arx, & munitio malorum, inimicorumue consiliorum, peruersarum cogitationum, quibus superbia humana, ac terrena sapientia aduersus Deum insolescunt, & quasi firmissimis munitionibus contra omnem externam potentiam se præmunitos existimant. Hos Deus obsidet, expugnat, capit, & apprehendit, omnibus humanæ industriæ machinis destructis & dissipatis: Non enim *est prudentia ad consilium contra Dominum*. Dispergit igitur Dominus munitissimos quosque superborum colles, inuadens eos bellico more & destruens eorum mentes & cogitationes; Verbum enim Hebræum, *Lacham*, significat vi, & iure belli capere, quo verbo vrbes, aut arces capi dicuntur in libris NVM. DEVT. & REG. vnde in lib. IVDITH: *Sic fiant & isti, Domine, qui confidunt in multitudine sua, & in curribus suis, & in contis, & in scutis, & in sagittis suis, & in lanceis gloriantur; & nesciunt, quia tu ipse es Deus noster, qui conteris bella ab initio, erige brachium tuum, sicut ab initio.* & ibidem: *Dominus nomen est tibi, erige brachium tuum, sicut ab initio, & allide virtutem illorum in virtute tua; Cadat virtus eorum in iracundia tua.* [Num 21. Deut. 2. 2. Reg. 9. & 10. Iudith. 9.]

VII. SOLET autem Deus in hac bellica expugnatione inimicorum arma in illos retorquere, & illos proprijs armis prosternere & expugnare. Et quemadmodum tormentis æneis ab hoste captis, Dux quisque fortissimus ad reliquas hostium machinas expugnandas progreditur, sic Deus superborum astutia & calliditate, & eorum peruersis cogitationibus ad eorum vires superandas & conatus expugnãdos vtitur, quod est illustrissimum victoriæ genus Hoc enim nomine dixit DAVID, gladium illū, [1. Reg. 21.] quo Goliath superauit, similem non habuisse, eo, quod ab ipso hoste detractus hostem necauerit: & IVDITH inquit: *Fac Domine, vt gladio proprio eius superbia amputetur.* [Iudith. 9.]

VIII. SECVNDO dispergit Deus superbos, comprehendens illos, quasi iudex in flagranti (vt dicūt) delicto, iuxta illud IOSVE: *Sors inuenit Achā*: Hebraicè: *Deprehēsus est Achan*: Græce: *Ostensus est*, hoc est: [Iosue 7.] *manifestatus est*. Nec sæpe aliter Deus superbos & astutos deprehendit, nisi abscondita illorum consilia & cogitationes occultas ante oculos omnium obiiciendo. Quare per SAPIENTEM impii conque- [Sap. 2.] runtur: *Factus est nobis in traductione cogitationum nostrarum, &c. tamquam nugaces æstimati sumus ab illo.*

IX. TERTIO, dispergit Deus superbos quasi reos, permittens illos captiuos, detentos, & apprehensos in vinculis, & laqueis suorum peccatorum, vt SALOMON docuit, dicens: *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur*: [Prou. 5.] vbi D. HIERONYMVS ait: *Qui funibus peccatorum suorum constringuntur, cum incessabili augmento sua prauitatis intereunt. Qui enim funem facit, torquendo semper, & inuoluendo filis fila adauget. Talis est fortitudo operum malorum, tales libri Hæreticorum, in quibus praua prauis nectentes, non aliud scribendo, quam quo se arctius obligent, agunt.* hæc ille. Atque huc faciunt verba illa ECCLESIASTICI: *Sicut enim eructāt præcordia fœtentiū, & sicut perdix inducitur in caueā* [Eccl 11.]

& vt

& vt caprea in laqueum, sic & cor superborum. Dispergit igitur Deus peccatores, apprehendens illos, & constringens in sua ipsorum astutia, ac propriis dolis tamquam vinculis, summisque difficultatibus eos illaqueans, vnde se extricare non facile queant, quin potius in voracissimas æterni ignis flammas misere incidant.

X. QVARTO apprehenditur superbus in astutia, metaphora deducta à venatoribus, quia retia ex ingenio, seu industria conficiũt ad aues, & feras illaqueãdas. sic dicit ISAIAS: *Et erit, qui fugerit à voce formidinis, cadet in foueam, & qui se explicauerit de fouea, tenebitur laqueo:* vbi HIERON. exponens hanc sententiam ait: *Cũque se putauerint fugisse, ex alio incidentes in aliud, & quocumq; se verterint, impendentem iram Domini non euadent.* Et IEREMIAS similiter ait: *Quia inuẽti sunt in populo meo impii insidiantes, quasi aucupes, laqueos, & pedicas ad capiendos viros, sicut decipula plena auibus, sic domus eorum plena dolo.* vbi idem HIERON. ait: *Quodq; nos diximus, insidiantes, quasi aucupes, in LXX. non habetur: Aquila & Symmachus transtulerunt: quasi retè aucupis, quia etiam qui bonus inter eos videtur, & rectus, instar aucupis tendit insidias, dum inuicem se venantur ad mortem, & aliorum damnis atq; dispendiis suas cõplent domos, vt impleatur Philosophorum illa sententia: Omnis diues, aut iniquus, aut hæres iniqui.* Idem innuit DAVID: *Veruntamen propter dolos,* seu iuxta dolos: vel (vt EVTHYMIVS explicat) *ob eorum dolos posuisti* seu *parasti eis, mala,* seu, *laqueos: deiecisti eos dum alleuarentur,* seu vt EVTHYMIVS legit: *eleuarentur,* hoc est iuxta suos ipsorum dolos, fraudes, astutias, laqueos illis paras, & in ipsis suis fraudibus, tamquam in margine foueæ constitutos, facile eos deiicis præcipites, inciduntque in foueam, quam aliis per dolum & fraudem parauerant. Et hi, qui maxime oculati videntur, non vident laqueos, nec foueam, in quam incauti coniiciunt pedes. In his vero laqueis non deest etiam suus cibus & illecebra, quibus sicut auiculæ inescantur, videlicet spes lucri, honoris & voluptatis, sicut scriptum est apud SAPIENTEM: *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.* Idem etiam EVTHYMIVS super verba eiusdem PSALMI: *Deiecisti eos dum eleuarentur, cum in altum iam eleuati essent, diuitiisque & omni fœlicitatis genere sublimati, tu eos rursus confregisti.*

Isai.24.
D.Hie. super c.24. Isai.
Ierem.5.
D.Hie super c.5. Ier.
Psal.72.
Sap.14.
Psal.71.

XI. QVINTO dispergit Deus superbos potenti sua manu illos comprehendens, quantumuis alioquin longissime per superbas suas cogitationes à Deo se sequestrauerint, & fugerint, iuxta illud PSAL. *Si assumpsero pẽnas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Vbi EVTHYM. per pennas potẽtiam illam mẽtis intelligit, qua humanus intellectus mouetur: *Si alis (inquit) intellectus mei in abyssum maris peruenero eo consilio, vt illic saltẽ possim à te abscõdi, potentia tua nihilominus illuc etiam me deducet, & rursus detinebit me, hoc est, neque illuc etiam sine tua potentia accedam, quin immo illo præibit me, illac iter concedit, atque illic etiam me detinebit, ita vt illud euadere non valeam.*

Psal.138.
Euthy. super Ps.138.

XII. SEXTO & vltimo, Deus dissipat cogitationes superborum, reprehendendo illos, & arguendo: dum enim Deus conuincit illos errare, & manifestat suis dolis deceptos fuisse, arguit, reprehendit, & dissipat illorum mentes, & consilia, vt faciet in extrema iniquorum damnatione. vnde SALOMON dixit: *In impiorum cogitationibus interrogatio erit sermonũ autẽ illius auditio ad Deũ veniet, ad correptionẽ iniquitatũ illius.* quod PAVLVS aliis verbis significauit: *Comprehendam sapientes in astutia eorum:* vbi AMBROSIVS, THEOPHYLACTVS, & OLIMPIODORVS legunt: *Reprehendam sapientes* seu *arguam;* quo etiã modo legit CYPRIANVS: facit ad idem illud DAVIDIS: *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt:* notitia scilicet reprobationis: & cõdẽnationis & illud: *Increpasti superbos, maledicti, qui declinãt à mãdatis tuis:* vbi aduerte, Deum tripliciter increpare peccantes, potenter, prudenter, & clementer; potenter increpat peccantes ex industria; prudenter, peccantes ex ignorãtia; clemẽter, peccantes ex fragilitate; tanta est Dei bonitas, & clementia: cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Sap.1.
1.Cor.3.
D.Cypr. li. 3. testimon. ad Quirinum.
Psal.93.
Psal.118.

HOMILIA XXIV.

In eadem verba: Dispersit superbos mente cordis sui, *proponuntur tremẽdi modi ex sacris literis deprompti, quibus Deus animam impii in hoc sæculo disperdit.*

I. QVIBVS modis Deus animã impij dispergat, ISAIAS pulchra similitudinũ varietate ad viuũ describit: *Væ, inquit, genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis: Dereliquerũt Dominum, blasphemauerunt sanctũ Israel, abalienati sunt retrorsum, super quo percutiam vos vltra, addentes præuaricationem. Omne caput languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas; vulnus, & liuor, & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neq; fota oleo. Terra vestra deserta: Ciuitates vestræ succensæ igni: regionem vestram coram vobis alieni deuorant, & desolabitur, sicut in vastitate hostili. Et derelinquetur filia Sion, vt vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario, & sicut ciuitas, quæ vastatur.* hæc ibi. In quibus verbis septem rebus gens peccatrix, & populus iniquitate grauis, & semen nequam, & filii scelerati apposite comparantur. Quod etiam ex comment. D. HIERON. in Isaiam aperte colligitur.

Isai.1.

II. PRIMVM ergo peccatrix anima à Deo derelicta comparatur infirmo vlceribus pleno, atque in sin-

singulis corporis partibus insanabili fere morbo confecto. Porro peccatum est quoddam corpus, vt Rom.6. dixit PAVLVS: *Vt destruatur corpus peccati*. Describamus nos huius corporis membra, & liquido constabit, omnes eius partes infectas, languidas, & vlceribus plenas esse. Est sane Intellectus huius corporis, quod est peccatum, cœcitas; Voluntas vero, cupiditas, & inclinatio ad malum; Memoria, obliuio Dei, & beneficiorum eius; Oculi, adulteria; Os & aures, blasphemiæ; & maledicentiæ; Nasus, affectus ad libidinosos & sensuales odores; Venter, ingluuies, comessationes, & ebrietates; Tactus, mollities, & delectatio in actib. venereis; Brachia inimicitiæ, & rixæ; Manus, & Digiti, furta, & rapinæ; Coxæ & femora fornicationes, adulteria, & alia huiusmodi opera; Genua, inconstantia & debilitas in bene operando; Crura iniquæ & iniustæ actiones; Pedes, gressus praui, & impudici. Atque ita *à planta pedis vsque ad verticem non est* in hoc corpore, quod describimus, sanitatis vestigium aliquod. E contrario animæ iustæ omnia membra, partes, seu ossa (sic potentiæ animæ in scripturis appellantur) integra, firma, ac virtutibus roborata esse dignoscuntur. Eius Intellectus est veritas; Voluntas bonitas; Memoria, Dei recordatio, & beneficiorum eius memoratio; Oculi, Dei cognitio; Aures, fides; Nares, spes cœlestium; Gustus, desiderium rerum supernaturalium; Tactus exercitatio sensuum in rebus spiritualibus; Brachia, cōcordia, & charitas erga proximos; Manus, iustitia commutatiua, & distributiua; Femora, temperantia, & castitas; Genua, robur, & potentia in bene operando; Tibiæ, promptitudo ad bona opera exequenda; Pedes, pacifici, & virtuosi affectus. Et quēadmodum Deus custodit hæc omnia iustorum ossa, ita vt nec vllū ex illis conteratur: sic ex aduerso omnia impiorum ossa dispergit, frangit, cōminuit. Psal.33. *Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non* Psal. 144. *conteretur*: & illud: *Custodit Dominus omnes diligentes* Euthy. in *se, & omnes peccatores disperdet*. vbi EVTHY. ait: Psal. 144. *Custodit Dominus omnes diligentes, scil. eum ex toto corde; custodit autem ab his omnibus, à quibus custodire decet, & omnes peccatores disperdet, eos scilicet, qui immedicabili morbo laborant: disperdet autem eos, seu exterminabit eos à populo suo*. Ad hanc autem similitudinem amplificandam perbelle ea faciunt, quæ HIERONYMVS scribit in Commentario super Isaiā de peccatis populi Iudaici, quæ per metaphorā, & piam translationem ad animā iniquam trāsferri possunt.

III. SECVNDA similitudo animæ iniustę est *Terra deserta*. Audi HIERONYMVM: *Possumus*, inquit, *hæc tropologice de peccatoribus accipere, qui de sanctitate pristina corruūt, postquam contrariis fuerint traditi potestatibus, quod omnia eorum bona veniant ad desertum, & prioris iustitiæ Deus nō recordetur*. hæc ille: Rupert. lib. 1. Gen. sicut autē desertum (vt notat RVPERTVS) est locus, vbi non est hominum habitatio, sed ferarum, sic anima, quæ tota à peccatis & dæmonibus occupatur, omnibus diuinis auxiliis efficacibus destituta atq; Angelicis persuasionibus resistens, *desertum* dicitur. Et quemadmodum deserti montes dicuntur partes ad vtramque polum inhabitabiles propter frigus, & zonā torridā; sic anima charitate destituta, & ardore concupiscentiarum efferuescens, recte *deserto* comparatur. De qua irrisorie SOPHON. dixit: *Hæc est ciuitas gloriosa, habitans in* Sophon.2. *cōfidentia: quæ dicebat in corde suo: Ego sum, & extra me non est alia amplius. Quomodo facta est in desertum cubile bestiæ? Omnis qui transit per eam sibilabit, & mouebit manum suam*. Quæ verba apposite animæ superbæ ruinam, & desolationem declarant, & Angelorum irrisionem, & sibilum in animam, quæ cū in Dei iustitia gloriosa exultaret, & læta esset ob spiritualiū diuitiarū copiā, miserrime ob suam arrogantiam, & propriorum meritorum confidentiam in desertum, ac vastam solitudinē incidit, & cubile bestiarum effecta est. Quo etiam nomine anima à Deo recedens vuluæ sterili atque vberibus arētibus assimilatur ab OSEA: *Da eis vuluam sine liberis, & vbera arentia*. Osea 9.

IV. TERTIO comparatur anima à Deo derelicta vrbi igne succensæ. Est sane hoc suppliciū grauissimū, ac summopere humanis oculis horribile, ac fæuum: facies .n. eius regionis, quę incendio vastatur, adeo deformata & fœdata, & aspicientibus horrenda redditur, vt nihil supra excogitari possit. Abraham (vt refert MOYSES) dum procul conspiceret Gen.19. Sodomam, & Gomorrham, & vniuersam terram, super quam Deus pluit sulphur, & ignem tempore Loth, vidit ascendentem fauillam de terra quasi fornacis fumum. Atque hodie (vt his verbis scribit Bochard.1. BOCHARD.) *Mare mortuum semper est fumans, & tene-* p.c.7.n.38. *brosum, sicut os inferni, sicut oculis meis vidi obtetrum vaporem inde fumantem; Vallis dicta quondam illustris, à termino huius maris, secus desertum Pharan, vsq; supra Iericho, per mediam dietam fere sterilis, & inutilis reddita est, ita vt ne germen quidē producat in sui latitudine, qua alicubi quinque Leucarum est; alibi sex, præterquam iuxta Iericho, vbi canamellæ, & horti, & viridaria sunt, irrigante fonte Elisæi. Tanta ergo calamitas ei regioni accidit in execrationem peccati Sodomorum, quod Deus tot seculis vlciscitur, vt etiam regio ipsa pœnas luere perpetuo videatur. A dextris insuper & à sinistris mōtes steriles sunt, & aridi, vel barbaræ habitationes permultæ, & longa terrarum stadia, quatenus sc. exitialis ille vapor, impellente vento, pertingere potest*. hæc Bochardus. Sic etiā STRABO, SOLINVS, & TACITVS illam perniciosam cladem, & eius terrę salsuginem, & infœcunditatem describūt; licet hi incendium illud è cœlo venisse tradant, ille Solin.c.37. vero è terra, quod tamē falsum est. Lege SOLINVM. Cornel. CORNELIVM TACITVM & STRABONEM. Sacra autē Tac.lib.5. eloquia verius eandem describunt his verbis: hist. Strabo *Videntes plagas terræ illius, & infirmitates, quibus* lib.17. *eam afflixerit Dominus, sulphure, & salis ardore com-* Deut.29. *burens, ita vt vltra non seratur, nec virens quippiam germinet, in exemplum subuersionis Sodomæ, & Gomorrhæ, Adamæ, & Seboim, quas subuertit Dominus in ira,*

ira, & in furore suo, hæc ibi. Pari ratione Deus interdum animam alias virtutibus præditam ob eius culpam, & occulta aliqua peccata derelinquere solet, vt omnino sterilis, & infructifera in progressu
Psal. 106. virtutũ reddatur, iuxta illud Psal. *Terrã fructiferã*
D. Greg. li. *in salsuginem à malitia inhabitantium in ea.* Pulchre
14. mor. c. autem D. Gregorivs hoc animæ carnale incen-
10. dium cum grauissimis fœtoribus admixtum, & præsertim sulphureis exhalationibus peccato conuenientissim's his verbis declarat: *Quid est aliud sulphur, nisi fomentum ignis? Veruntamen sic ignem nutrit, vt fœtorem grauissimum exhalet. Recte igitur in sulphure peccatum carnis accipitur, quod dum peruersis cogitationibus, quasi quibusdam fœtoribus mentem replet, æterna ei incendia præparat. Et dum fœtoris sui nebulam in mẽte reproba dilatat, contra eam flammis subsequentibus quasi nutrimenta subministrat. Quod enim per sulphur fœtor carnis signetur, ipsa sacri eloquii testatur historia, quæ contra Sodomam pluisse sulphur, & ignem Dominum narrat: qui cum carnis eius scelera punire decreuisset, in ipsa qualitate vltionis notauit maculã criminis: sulphur quippe fœtorẽ habet, ignis ardorẽ. Qui itaque ad peruersa desideria ex carnis fœtore arserant, dignum fuit, vt simul igne, ac sulphure perirent, quatenus ex iusta pœna discerent, quid ex iniusto desiderio fecissent.* hæc S. Greg. Hunc pessimũ, & putridum animarum fœtorem Salomon in
Prou. 10. Prover. innuit dicens: *Memoria enim iusti cum laudibus, & nomẽ impiorũ putrescet.* Porro ciuitates illæ incendio succẽsę quinque in scripturis esse legũtur vt ex variis locis scripturæ cognoscitur: at animę à Deo sic percussæ (proh dolor) hũc numerũ copiosissime excedunt; & quemadmodũ regio incendio illo exusta, & vastata variis nominibus obscuris, atq; amarissimis appellatur in sacra scriptura: dicitur enim; *Mare campestre; Mare salis*, vel *salsissimum; Mare mortuum; Mare solitudinis; Stagnum salsum, in*
Arist. li. 2. *quo nullus piscis nascitur*, vt Arist. & Plinivs te-
Metheor. stantur: sic anima igne punitionis à Deo percussa,
Plin. li. 5. arida, salsa, mortua, infrugifera, ac à Deo derelicta
cap. 16. iure optimo nominatur.

V. Qvarto assimilatur anima à Deo desertæ Ci-
Psal. 137. *uitati*, quæ ab hostib. diruitur: *Beatum* dixit David *populum illum*, apud quem *non est ruina maceriæ, neq; trãsit⁹, neq; clamor in plateis eorũ*: ita ex aduerso infelix populus ille cẽsend⁹ est, in quo ruina macerię,
Euthy. in & transitus, & clamor est in plateis eorum: vbi Ev-
Psal. 143. thymivs sic ait: *Non tamen eorum segetes, & campi florent, & vineæ: sed stabiles etiam sunt eorũ maceriæ.*] *per maceriam etiam, seu, vt græcus ait, per sepem ciuitatis mœnia accipiuntur, aut priuati muri domus. Horũ, inquit, igitur nihil decidit: sed neq; excursiones, aut clamores in eorum sunt vrbibus: vel (iuxta alium Interpretem) in suburbiis eorum; vbi enim tumultuatio est, aut perturbatio ex bello, illic etiam excursiones hostiũ sunt* hæc ille. Vbi vides in vastatione hostili nec segetes, nec cãpos, nec vineas florere, nec mœnia vel muros subsistere, sed omnia ruinis, tumultuationibus, perturbationibus, & hostiũ excursionibus subiacere. Singulæ hæ strages, & omnes simul peccatrici animæ accidunt: in illa non virent bonarũ operationum segetes, sed vitiorum germina multa pullulant, in illa virtutum muri dissipati sunt, in illa tandem omnia supernaturalia dona hostili Dæmonum gladio deuastata reperiuntur.

VI. Postremo comparatur huiusmodi anima
Tugurio in cucumerario; in loco enim, vbi cucume- Isaia 1.
res crescunt, tugurium pro custodis habitatione haberi solet: hoc ab omnibus similiter despicitur, recedente custode, cucumeribus iam collectis: su-
per quem locum Isaiæ Hieronym. sic scribit: *iuxta* Hieron. su-
anagogen vinea Dei, & pomorum paradisus anima no- per Isaiam.
stra appellari potest, cui si mens præfuerit, habet custodẽ mentis Deum: sin autem vitia nos, quasi quædam bestiæ fuerint deprædata, relinquemur à Custode Deo, & omnia nostra redigẽtur ad solitudinem. hęc ille. Quod
etiam à Davide vaticinatum est sub typo Ierusalẽ Psal. 78.
deuastatæ: *Posuerunt Ierusalem in pomorum custodiã.*
sic Evthimivs legit; qui etiam scribit per pomorũ Euthy. sup.
custodiam tugurium quodpiam intelligi, in quo eund. Psal.
pomerii custos maturescentes solet fructus à furibus obseruare, & custodire. Posuerunt etenim ipsã Ierusalem, veluti ruinam quãdam, & rudus, ciuitatis tantum figuram habentem exteriori quadam specie, & non reipsa, ad modum quidem tugurij, quod à longe domus speciem præfert, tamen vere domus nõ est, sed casula quędam ex paucis quibusdam lapidibus tumultuario opere constructa.

VII. Cæterum ad illustrandum præsens argumentum has omnes metaphoras longe superat ea,
quæ à morte corporali sumitur, iuxta illud Salo- Sap. 10.
monis: *Homo per malitiam occidit animam suam*: ad
quod Susanna senib⁹ illã sollicitãtib⁹ inqt: *Si hoc egero,* Dan 15.
mors mihi est; imo ad idẽ respiciẽs Christus Domin⁹
de filio prodigo, peccatoris typum gerente, dixit:
Frater tuus mortuus erat, & reuixit. Vt melius ta- Luc. 15.
men mortis metaphoræ energia ad præsens argumentum locupletandum innotescat, suppono cũ D. Pavlo, in quolibet nostrûm duos homines
inueniri, interiorem scilicet, & exteriorem: *Licet is,* 2. Cor. 4.
qui foris est, noster homo corumpatur, tamen qui intus
est, renouatur de die in diem Adumbrati fuere illi per Gen. 24.
Iacob, & Esau in ventre matris rixantes: sicut autẽ in vnoquoque nostrum duplex est homo, ita & duplex reperitur vita, duplexque succedere potest mors; vita vna est corporalis animantium vitæ similis, alia spiritualis, angelicæ vitæ æmulatrix: illius principium vitæ anima, huius vero Deus ipse est; vnde clare liquet recessum Dei ab anima tanto maiorem fore calamitatem reputandam, quam recessum animæ à corpore, quanto excellentius bo-
num est Deus, quã anima. Hinc Deus per Oseam Osee 9.
dixit: *Væ eis, cũ recessero ab eis*: hũc recessum tãquam
formidandã pœnam minatus est ipse Deus populo Ierem. 6.
suo: *Erudire Ierusalem, ne forte recedat anima à te, & ponam te terram desertam, inuiam, & inhabitabilem:* Peccatum quidem imitatur mortem ipsam, nam sicut hæc etiam Crœsos, Alexandros, & po-

tentissimos Cæsares depauperat, & omnibus bonis spoliat; ita peccatum lethale animā deflorat, omnia vere bona adimit, & in maximā inopiam & egestatem reducit: *cum fueritis, velut quercus, defluentibus* (Isa. 1.) *foliis, & velut hortus absque aqua.* (1. Mach. 1.) Adumbrat egregie hanc stragem, & lachrymandā iacturam sacrilega illa templi deprædatio, quam impius Antiochus parauit. ingressus est hic templum Domini, & abstulit candelabrum, mensam propositionis, argētum, & aurum, vasa omnia sacra, nec non & coronas, & ornamentum templi; non secus accidit animæ, quę templum erat Dei; cum primum enim peccatum in illam ingreditur aufert candelabrum lucens propriæ cognitionis, tollit aurum charitatis, prędatur vasa, hoc est, lacrymas deuotionis ab oculis fluentes, tollit de medio mensam propositionis, hoc est, sacræ Eucharistiæ panem, quo vescendi indignam se reddit anima; ac tandem (quod maxime deplorandum est) aufert coronas, hoc est, merita, non solum, quia dum adest peccatum, prohibet meritoria opera fieri, sed quia præterita omnia merita totius anteactæ vitæ vnicum etiam solum peccatum mortale non solum exterius, sed omnino interius, ac pure mentale penitus destruit, atque deuastat.

VIII. Hoc tam ingens damnum tanti momēti detrimentū summa vigilātia euitare satagens IOB, (Iob. 14.) dixit verba illa consideratione dignissima: *cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea*: mirabilis sane est copulatio illa omnium dierum vitæ suæ cum momento illo, & tūc temporis; qui enim fieri poterat, vt mil taret in vno (Iob. vbi supra.) momento per omnes dies vitæ suæ: *cunctis diebus, quibus nunc milito.* Maxime quia cum illud *nunc* erat præsens, iam pręteriti dies elapsi fuerant, & cum aderat vltima pugna, iam aliæ transierant; quomodo ergo in illo *nunc* poterat militare, & pugnare omnes pugnas pręsentes, & præteritas, quæ iā fere in obliuione erant? iudicabat sane sapientissimus Iob, quod in quocunq; instāti, tētatione instigante, vim sibi inferens ei non succumbebat, non solū pugnabat ad præsentem hostē vincendum, sed ad conseruanda etiam omnia anteactæ vitæ suæ merita, quæ per vnicum peccatum lethale penitus corruere poterat; & ad id significandum scite & cōpendiose dixit: *Cunctis diebus quibus nunc milito*, cunctos vitæ suæ dies pręteritos cum præsenti *nunc* coniungens. Ac tandem sicut mors corporalis, seu recessus animæ à corpore, insensibile illud reddit, ita non semel accidit, (quæ humana peccatoris miseria est) vt illum peccata diuinæ vocationi, ac sanctis inspirationibus insensibilem reddant, IEREMIA di- (Ierem. 6.) cente: *Confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt*, Atque eo vsque creuit eorum insensibilitas, (Ierem. 2.) vt nō vereātur dicere: *Absq; peccato, innocēs ego sum, propterea auertatur furor tuus à me.* sed respondit ei (Ibid.) Dominus: *Ecce ego iudicio contendam tecū, eo quod dixeris, non peccaui.* Satius igitur erit animæ peccatrici cum summo animi dolore, ac profunda humilitate, & submissione cum DAVID flente dicere: *Peccaui.* (2. Reg. 12.) vt, quod ille audiuit, ipsa etiam audiat: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*: Cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA XXV.

Exponuntur verba illa: Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles: *vbi de regnorum inconstantia, & volubilitate, nec non de humilium exaltatione breviter dißeritur.*

I. NTIQVI Patres, & grauissimi alii Expositores in huius loci interpretatione in varias abiere sententias. EVSEBIVS EMISSENVS homilia feriæ sextæ ante Natiuitatem Domini, NICOLAVS de LYRA, CYRILLVS Episcopus Christopolitanus, & alii per hos *potentes* Iudæos intelligunt, qui valde potentes fuerunt, Lege & Prophetis præmuniti. Alii, quos sequitur, & refert Cardinalis TOLETVS, ad exempla Iudæorum (Card. Tol. sup c. 1. Luc.) superiorum tēporum Virginem allusisse putāt; vt ad Saulem, quem Deus de regio solio detrubauit, & ad Dauidem, quem ad regnum euexit. Constat (1. Reg. 16.) item in sacris libris, multos populos, nationes, Principes, & Reges Deum debellasse, & regnis spoliasse, & Iudæos introduxisse, & in eorum sedibus illos collocasse, vt ex libro IOSVÆ satis constat, qui totus in his rebus enarrandis versatur. De hac depositione potentium, & humilium exaltatione est illud DEVTERON. *Cum deleuerit gentes* (Deut. 7.) *multas coram te, Hethæum, Gergezæum, & Amorrhæum, Chananæum, & Pherezæum, & Heuæum, & Iebusæum, septem gentes multo maioris numeri, quam tu es, & robustiores* &c. Et illud PSALMI: *Per-* (Psal. 34.) *cussit Reges magnos, & occidit Reges fortes. Seon Regem Amorrhæorum, & Og Regem Basan, & dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israel seruo suo: Quia in humilitate nostra memor fuit nostri.* Alii, vt CYRILLVS, & GRÆCVS AVCTOR apud D. THOMAM super cap. 1. Lucæ, per *potentes* Dæmones intelligunt, qui ante Christi aduentum in mundo regnabant, per *humiles* vero omnes, qui ab iisdem Dæmonibus vexabantur: *Magna*, inquit CYRILLVS, *sapiebant Dæmones, & Diabolus, Gentilium sapientes, Pharisæi, & Scribæ; hos tamen deposuit, erexitque humiliantes se sub potenti manu Dei, dans illis virtutem calcandi serpentes & scorpiones, omnemque pote-* (D. Aug. & Hug. Vict. sup. Magnificat.) *statem inimici.* Alii, vt D. AVGVSTINVS, HVGO VICTORINVS, & THEOPHYLACTVS in caput 1. Lucæ tam Dæmones, quam Iudæos per hos *potentes* significari autumant. Alii vero, vt ALBERTVS, Tyrannos eos, qui opprimūt iustos, intelligūt; de quibus dicitur SAPIENT. *Sit fortitudo nostra Lex* (Sap. 2.) *iniustitia. Quod enim infirmum est, inutile inuenitur*: & isti sunt, qui propriè vocantur tyranni: Vera

enim

enim potestas illa dicitur, quæ circumscripta est limitibus iusti & æqui, sicut dicitur ad ROM. *Rom.13.* *Non est potestas, nisi à Deo: Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt.* Hi ergo, qui in tyrannide potentiam suã exercent, abusiue certe *potentes* vocantur. cum potentia ad libitum, non ad rationem vtantur. de his ISAIAS ait: *Isa.57.* *Væ, qui potentes estis ad bibendum, ad ebrietatem sectandam vsque ad vesperam, vt vino æstuetis.* Hos igitur potentes deponit Dominus apud IOB: *Iob.12.* *Effudit oppressionem super principes, & eos, qui oppressi sunt liberat.* Alii denique, vt BEDA per *potentes*, & GRÆCVS AVCTOR in catena apud D. THOMAM, intelligũt eosdem superbos, qui postea facti sunt humiles, ita vt qui propter superbiam erant depositi, postea per humilitatẽ fuerint exaltati: *Beda sup.c.1.Luc.* *Quamuis etiã,* inquit BEDA, *ita recte possit intelligi, quod nonnunquã illi ipsi, qui merito suæ elationis à Domino fuerant eiecti, denuo miserãte illo ad humilitatis gratiã redeãt, ita vt merito deuotæ humilitatis erigantur ad gloriam.* *Euthym. sup.c.1. Luc.* EVTHYMIVS, quem sequitur MALDONATVS, existimat, B. Virginem in hoc cantico imitatã fuisse Annam Samuelis matrem quę dicebat: *Maldonat. in c.1. Luc.* *Dominus pauperem facit, & ditat; humiliat, & subleuat.* Itaq; censet, quod etiam BEDA dixit, nullũ ibi præteritũ aut futurum exemplum notari, aut significari, sed quid *1.Reg 2.* Deus facere possit, aut soleat. Est autẽ mos Scripturæ, inter laudes diuinas enumerare, quod regna transferat, & nonnullos de solio deiiciat, & alios ad dignitatis culmen euehat; sic enim DANIEL ait: *Daniel.2.* *Et ipse mutat tempora, & ætates, transfert regna, atq; constituit.* Et PSAL. *Psal.106.* *Effusa est contentio super principes, & errare fecit eos in inuio, & nõ in via.* Et IOB: *Iob. 12.* *Baltheum regũ dissoluit, & præcingit fune reges eorũ.* Et lib. REG. *1.Reg.2.* *Suscitat de puluere egenũ, & de stercore eleuat pauperẽ, vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.*

II. INTER autẽ has omnes expositiones hæc nobis magis arridet; ita vt Virgo abstrahens à Iudæis, atq; Gentilibus, Dei omnipotentiam maxime cõmendet, laudãs illam in eo, quod regna destruat, & ex vna gente in aliã propter iniquitatem venire faciat: sic a Chananæis regnum transtulit ad Iudæos, à Saule ad Dauidem, & à Salomone ad Ieroboam: *Eccl.10.* scriptum est enim apud ECCLESIAST. *Regnum à gente in gẽtem transfertur propter iniustitias, & iniurias, & cõtumelias, & diuersos dolos.* Hoc eodem sensu etiam DAVID dixit. *Psal.112.* *Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperẽ:* vbi EVTHYMIVS: *Laudat* inquit, *atq; admiratur Propheta Dei potentiam, qui de facili immutat, quodcumq; vult: vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui: hoc est, prouehit illum ad imperium, ad quod collocari solet, & potest.* vnde & subdit: *Potiorem potentiam Dei admiratur, qui non ipsas tantum res immutare possit, sed ipsam etiam rerum naturam:* vnde ait: *Qui habitare facit sterilem in domo, matrem de filiis lætantem, quemadmodum sæpe numero efficit.* hæc ille.

III. AD hanc rem præclaram illam PHILONIS sententiam de volubilitate atq; instabilitate regnorũ huius mundi neutiquam hoc loco prætermittam, quæ multiplici doctrina referta est. sic autem scribit in libro cuius est titulus: *Philo lib. quod Deus sit immutab.* *Quod Deus sit immutabilis:*) ait enim: *An putas, rem vllam mortalem vere esse, & non tanquam in suggestu quodam ab inani & incerta opinione sustineri, non aliter quam somniorum ludum? Quod si non libet singulorum fortunas perquirere, vide regionum integrarum, & gentium mutationes. Floruit quondam Græcia, sed Macedones potentiam ei abstulerunt. Postea Macedonia præualuit opibus; sed diuisa in plures portiones sic debilitata est, vt tandem omnino interiret. Ante Macedonum imperium inclyta fuerat Persarũ felicitas; sed vna dies tam ingenti regno finem attulit; & nunc Persæ; penes quos paulo ante fuerat imperium, sunt Parthorum prouincia. Fuit Ægypti olim perampla, & magnifica potentia; sed nubis in modum præteriit eius felicitas. Quid Æthiopes? Quid Carthago in Africa? Quid Pontici reges? Quid Europa, Asiaque, vt compendio dicam, totusque orbis habitabilis? nonne more nauis susque deque iactatæ marinis fluctibus, nunc secundis ventis, nunc aduersis vtitur? Nam verbum diuinum choreas in orbe ducit, quod vulgus hominum Fortunam nominat, & omnes gentes circumlustrando, nunc his, nunc illis imperia vel tribuit, vel adimit. Nihil igitur est humanis rebus præter vmbram auramque leuissimam sine mora prætervolantem: eunt enim omnia vltro citroque tanquam æstuaria. Nam vt marini æstus nunc cum magno impetu sonituque accedunt, & longe lateque per littora diffunduntur, vndis stagnantibus, nunc refluunt retro, nec solum terram, sed maris etiam partem aquis nudatam in similitudinem continentis redigunt: simile quiddam accidit, quando fortuna, postquam populosam aliquam gentem inundauit magnis felicitatibus, fluxu auerso, ne guttam quidem sinit reliquam deletis etiam pristinæ opulentiæ vestigiis.* Hactenus ex Philone.

IV. APTA sane similitudine idipsum, quod dixerat SALOMON: *Prou.8.* *Ludens in orbe terrarum;* Philo illis verbis expressit. *Verbum diuinum choreas in orbe ducit.* Quamuis enim ex Hebręo nonnulli sic transferãt, locum illum explanantes, tamen eundem affirmãt illum hunc sensum facere: *Ludũ faciens de orbe terrarum*: idque duplici de causa: Tum quia orbis terrarum similis est ludo pilæ, quæ ab vno ad aliũ transmittitur secundum quandam reuolutionem: regna enim & imperia transfert Deus de gente in gentem: vnde DIOGENES LAERTIVS in vita Æsopi Philosophi refert, quod quadam die interrogatus, quid faceret in cœlis Iupiter? respõdit: *Exaltat humilia, & fortia quæque deprimit:* Tum etiam quia instar ludi parum mundi pompa durabit, iuxta illud OSEÆ: *Ose 10.* *Transire fecit Samaria Regem suum, quasi spumam super faciẽ aquæ:* vbi HIERON. ait: *D. Hieron. in c.10. Osee.* *Sicut spuma, quæ super aquam est, cito dissoluitur, sic regnum decem tribuum velociter finietur:* Omnes enim Reges ac Principes eleganti similitudine *spumæ*, seu potius *bullis*, quæ super aquã excitantur, & natant, comparãtur. Sicut enim bullæ in aquis emergẽtes, & in earũ summitatib. natantes (vt ait D. HIERON. in OSEAM)

SEAM, quo magis intumeſcunt, eò celerius euaneſcunt, ita Reges, quo magis ſuperbiunt, & potẽtiores euadunt, eo fere celerius ruunt. Et quemadmodum maior bullarum tumor citiſſimum earum exitium demonſtrat; ſic regna potentia & magnitudine breui tempore dilatata celerius deficiunt. Præterea ſicut bullæ in aquis aliæ aliis ſubinde ſuccedunt, eundem tamen omnes exitum tandem habent: ita Reges ſibi inuicem in poteſtate ſuccedunt, ſed omnes tandem, ſicut bullæ, ſeu ſpumæ, breuiſſimo temporis ſpatio euaneſcunt. Neque id ſolum euenit ob humanæ vitæ breuitatem, quæ
Pſal.80. nocturnis excubiis celeriter deſinentibus à DAVIDE recte comparatur, verum etiam ob terrenorum regnorum conditionem, quæ mutabilitati ſubiecta ſunt, vel (vt verius dicam) ob ſecretiora Dei iudicia, quibus regna trãsferendo, & in Reges diuerſos homines ſucceſſiue eligendo, quaſi choreas in orbe ducit, & modo huic, modo illi imperia aut confert, aut aufert, donat, vel adimit. Quocirca huiuſmodi regnorum & regum mutatio recte per verbum
Oſe.10. & 11. *tranſire* OSEAS deſcripſit: *Sicut mane tranſit, pertrãſit Rex Iſrael.*) *Mane* autem vocat (vt ait HIERONYMVS) ortum auroræ inter Solis noctiſque viciniam, vt celerrime terrena regna defluere & dilabi ſignificaret.

V. ILLVD tamen obſeruandum eſt, quod cum B. Virgo ait: *Depoſuit potentes*; notanter addens, *de ſede*, effuſam Dei diſperſionem, ac diſpoſitionem, vſque ad radicem, eleganter deſcribit, dum Reges ac potentes à proprio eorum ſolio ac throno deturbandos, eiiciendos, ac deponendos canit. Quis potentior & ſuperbior Pharaone, qui, iubente Deo, vt dimitteret populum ſuum, quantum potuit, diuinæ voluntati obſtitit, & ex diuina virtute populo ab eius captiuitate egrediente, copioſiſſimo exercitu illum perſequutus eſt; vt illum vel interficeret, vel ad priſtinam reduceret ſeruitutem:
Exod.14. *Perſequar, & comprehendam, euaginabo gladium meum, in-*
Exod.15. *terficiet eos manus mea*: tamẽ, vt cecinit MOYSES: *Flauit ſpiritus tuus, & operuit eos mare*: nõ ſolũ regno, ſed
Dan.4. & vita illum priuauit. DANIEL etiã ait: *Arborẽ, quã vidiſti ſublimem, atq; robuſtã, cuius altitudo pertingit ad cœlum, & aſpectus illius in omnẽ terrã, & rami eius pulcherrimi & fructus eius nimius, & eſca omnium in ea; ſubter eam habitantes beſtiæ agri, & in ramis eius commorantes aues cœli: tu es Rex, qui magnificatus es, & inualuiſti, & magnitudo tua creuit, & peruenit vſque ad cœlũ, & poteſtas tua in terminos vniuerſæ terræ. Quod autem vidit Rex vigilem & ſanctum deſcendere de cœlo & dicere: Succidite arborem, & diſſipate illam, attamen germen radicũ eius in terra dimittite, & vinciatur ferro & ære, in herbis foris, & rore cœli conſpergatur, & cum feris ſit pabulũ eius, donec ſeptẽ tempora mutentur ſuper eum. Hæc eſt interpretatio ſentẽtiæ Altiſſimi, quæ peruenit ſuper Dominum meum Regẽ. Eiicient te ab hominibus, & cũ beſtiis feriſq; erit habitatio tua, & fœnum, vt bos, comedes, & rore cœli infunderis.* hæc Daniel. vbi vides, regnum ac Regem à ſolio & ſede eradicari, & iuxta radicem ſuccidi, quæ grauiſſima atque acerbiſſima cenſetur potentium pœna. Quod autem aliquãdo ex Dei benignitate radices omnino non euellantur, id ad ſummã Dei clementiã ſpectat, qui ſemper homini in hac vita quædam relinquit ſemina ad pœnitendum.

VI. DEINDE Regem Saulem propter ſuperbiam & inobedientiam ſuam à ſede regni ſui deturbatum fuiſſe, nemo ignorat, cum in lib. PARAL. legamus:
Mortuus eſt Saul propter iniquitates ſuas, eo quod præ- 1.Par.10.
uaricatus ſit mandatum Domini, quod præceperat, & non cuſtodierit illud: ſed inſuper etiam Pythoniſſam cõſuluerit, nec ſperauerit in Domino: propter quod interfecit eũ, & tranſtulit regnum eius ad Dauid filiũ Iſai. Inſuper etiam in ſede illius ſedere fecit Dauidẽ, in quem tranſtulit regnum eius. Salomonem etiã potẽtiſſimum Regem Deus de ſede maieſtatis deturbauit, nõ in ſe, ſed in filio ſuo Ieroboam, cui Dominus vnã tantũ Tribum præter ſuam (ſicut GLOSSA INTERLINEARIS ibi adnotauit) dereliquit, & reliquas decem abſtulit, ſuper eaſque Ieroboam, Salomonis ſeruum, Regem conſtituit, vt & dominus i-
pſi Salomoni prædixerat in hæc verba: *Quia habui-* 3.Reg.11.
ſti hoc apud te, & non cuſtodiſti pactum meũ. & præcepta mea, quæ mandaui tibi, diſrumpens ſcindam regnũ tuum, & dabo illud ſeruo tuo: Veruntamẽ in diebus tuis non faciam, propter Dauid patrem tuum: de manu filij tui ſcindam illud, nec totum regnum auferam, ſed Tribum vnã dabo filio tuo propter Dauid ſeruũ meũ, & Ieruſalem, quẽ elegi. Narrat item ſacra Scriptura, quod poſtquam Sennacherib Rex Aſſyriorum cepit ciuitates munitas Iudæ, miſit cum magno exercitu Rabſacem de Lachis in Ieruſalem ad Regem Ezechiam. Cumq; ad eum egrederẽtur nonnulli de ciuitate, ipſe Regis Sennacherib nomine ſic ad eos lo-
cutus eſt: *Dicite Regi Ezechiæ: Hæc dicit Rex magnus,* Iſa.36.
Rex Aſſyriorum: Quæ eſt iſta fiducia, qua confidis? aut quo conſilio vel fortitudine rebellare diſponis? ſuper quẽ habes fiduciam, quia receſſiſti à me? Ecce confidis ſuper baculum arundineum confractum iſtum ſuper AEgyptum, cui ſi innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam: ſic Pharao Rex AEgypti omnibus, qui confidunt in eo. Potens erat Sebna præpoſitus templi Ieroſolymitani: comminatur ei Dominus, quod ſacerdotio deſtituendus ſit; ISAI.22. *Expellam te*, inquit, *de ſtatione tua, & de miniſterio tua deponam te, & erit in die illa: Vocabo ſeruum meum Eliacim filium Helciæ, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & poteſtatem tuam dabo*
in manu eius. Conſulto miſſum facio Antiochum 2. Mach. 9
funeſta morte extinctum: Amanem Principem à Eſth.7.
dignitate depoſitum, & in ligno ſuſpenſum; Hero- Act.12.
dem à vermibus conſumptum, & alios pene innumeros, quibus ſacra volumina ſcatent. Ad Iudæorum depoſitionem, & gentilium exaltationem venio.

VII. IVDÆI quidem depoſiti fuere de ſede honoris, de ſede regali, de ſede ſacerdotali, de ſede iudiciali, de ſede propriæ ciuitatis, de ſede denique pro-

priæ

Deut.28. priæ domus, vt impleretur illud DEVT. *Erunt gentes
ad caput, incredulus autem populus ad caudam*: quod
sub eleganti metaphora explicuit Regius Vates, cũ
Psal.106. dixit: *Posuit flumina in desertum, & exitus aquarũ in
sitim, terram fructiferam in salsuginẽ, à militia inha-
bitantium in ea. Posuit desertum in stagna aquarum,
& terram sine aqua in exitus aquarũ*: In quibus ver-
bis duo nobis Propheta detegit, ostendit miserorũ
& infelicium Iudæorum depositionem, cum dicit:
Posuit flumina in desertum: currebant apud Iudæos
doctrinæ fontes, scaturiebant Prophetarũ oracula;
sed hæc adeo defecerunt, vt merito dicere possint:
Psal.73. *Iam non est Propheta, & nos non cognoscet amplius*. sed
vnde hoc? *à malitia inhabitantium in ea*. hinc enim
est, & non aliunde. Quod si quæratur apud illos
fides Christi, non inuenitur; si Prophetæ, non in-
ueniuntur; si sacerdotes, non inueniuntur; si sacri-
ficium, non inuenitur; si templum, non inuenitur;
immo si quæras; an Deum habeant, respondet A-
zarias filius Obed, diuino spiritu afflatus, reman-
sisse sine Deo: *Transibunt autem multi dies in Israel*
2.Par.15 *absque Deo vero, & absque sacerdote, doctore quoque,
& absque lege*: non potest certe excogitari, quo-
modo eius depositio à sede honoris, & dignitatis
amplius excrescere potuerit, maxime cum iam ve-
re ipsis rebus insensibilibus Iudæi insensibiliores &
stupidiores facti sint. Cœlum Christum agnouit,
ECCLESIA dicente in eius natiuitate: *Cœli melliflui*
Eccl. Romana in offic. *facti sunt*: mare agnouit: *Quis est hic, quia mare &
venti obediunt ei?* Terra agnouit, cum eo moriente
contremuit: Sol agnouit, radiantem suam lucem
Matth.8. in nece eius abscondens: Saxa agnouerunt, E-
Matth.27. uangelista dicente: *Petræ scissæ sunt*: Infernus tan-
Ibid. dem agnouit, mortuos suos reddens: *Monumenta*
Ibid. *aperta sunt, & multa corpora sanctorum surrexerunt*:
soli tamen Iudæi non tantum dicam brutis ani-
mantibus, sed ipso inferno obstinatiores, semper
illum spreuerunt, & longe à se abiecerunt; & ideo
merito Deus illos abiecit, ac de sede deposuit, &
eorum loco introduxit Gentiles. Vnde D. PAVLVS
Rom.11. vocat Iudæos *ramos confractos*, Gentiles vero *ramos
insitos*, fructum ferentes; *quod si aliqui ex ramis fracti
sunt, tu autem, cum oleaster esses, insertus es in illis, &
socius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es*: ecce a-
perte describit Apostolus Iudæorum humiliatio-
nem, dum vocat illos ramos confractos, qui iam vi-
tam radicis non participãt, nec ad aliud, sunt aptio-
res, quam ad combustionem: ecce etiam, quam e-
gregie exaltationem Gentilium decantat ad Chri-
stum conuersorum, insertis in bonam oliuam illos
comparans, qui instar oliuæ semper viriditatem fi-
dei seruant, & oleum bonorum operum producunt,
ne compellantur, si ab aliis oleum postulent, repul-
Matth.25. sam illam pati, quam Iudæi sine dubio patientur: *Ite
potius ad vendentes, & emite vobis*. Porro loquens Sa
lomon in genere de omnibus superbis, vt ad omnes
nationes extenditur, pœnam hanc depositionis,
quam spiritu prophetico prædixit Deipara sub ele-
ganti metaphora his verbis descripsit: *Radices gentiũ
superbarum arefecit Deus, & plantauit humiles ex* Eccl.10.
*ipsis gentibus. Terras gentium euertit Dominus, &
perdidit eas vsque ad fundamentum, arefecit Deus ex
ipsis, & disperdidit eos, & cessare fecit memoriam eorum
à terra: memoriam superborum perdidit Deus, & reli-
quit memoriam humilium sensu*.

VIII. CAVSÆ autem, ob quas frequentius Deus
deponere consueuit potentes, multiplices sunt:
Prima effrænata viuendi licentia, SALOMONE di-
cente: *Malignitas euertet sedem potentium*: Secunda, Sap.5.
superbia, vt ait ECCLESIAST. *Sedes ducum superbo-* Eccl.10.
rum destruxit Deus: Tertia inobedientia, vt aperte
indicant verba ad Saulem; *Pro eo quod abiecisti*, &c. 1.Reg.15.
abiecit te Dominus, ne sis Rex. Quarta, insipientia, vt
testatur ISAIAS: *Non vocabitur vltra is, qui insipiens* Isa.32.
est, princeps: Quinta, iniuriæ, contumeliæ, & iniu-
stitiæ illatio, vt ait ECCLESIAST. in verbis illis su-
pra citatis: *Regnum à gente in gentem transfertur,* Eccl.10.
propter iniurias, & contumelias, & diuersos dolos. Sex-
ta, superbia, vt patuit in Rege Sennacherib, sacra
Scriptura dicente: *Superbus factus est potentia sua*: Eccl.48.
Septima, crudelitas, quia (vt inquit SALOMON de
Rege loquens:) *Misericordia & veritas custodiunt* Prou.20.
Regem, & roboratur clementia thronus eius. Regem
Herodem crudelitas à regia sede in inferni bara-
thrum deturbauit. hæc adeo in illo excelluit, vt Sa-
lomon sororem suam, & virum eius, imo & pro-
prium filium interficeret, vt auctor est PHILO: vn- Philo Iud.
de est illa celebratissima D. AVGVSTINI sententia l.2. de tẽp.
(quam prius refert MACROBIVS) qui cum vidisset Macrob.
inter eos, quos in Syria Rex Herodes intra bima- lib 2. Sa-
tum iussit interfici, filium quoque eius fuisse occi- turn. c.4.
sum, perlepide dixit: *Melius est Herodis porcum esse,
quam filium*. atque hæc sufficiant ad verba B. Virgi-
nis vtcumque elucidanda.

IX. VERVM cum IOB dicat: *Deus potentes non abii-* Iob 36.
cit, cum & ipse sit potens: mirabitur quispiam Deipa-
ram audiens: *Deposuit potentes de sede*: videntur e-
nim hæc duo secum pugnare, potentes non abiice-
re, & eosdem de sede deponere. Nodus tamen iste
bifariam solui potest. Primo si dicamus, Deum nõ
deponere potentes, quia potentes, sed quia ini-
qui; cuius euidens argumentum est, quod in sede
eorum alios meliores eadem, vel maiori potentia
gaudentes introducit; non ergo odio habet Deus
potentiam Principum, sed impietatem eorum. Se-
cundo dici potest, quod cum Iob ait, Deum poten-
tes nõ abiicere, de illis potẽtibus loquitur, qualis e-
rat D. PAVLVS, qui dicebat: *Omnia possũ in eo qui me* Philip.4.
confortat: Tales enim potentes Deus non solũ non
abiicit, sed, vt potẽtiores fiant, opẽ suam illis impẽ-
dit, DAVIDE dicente: *Posui adiutoriũ super potentẽ, &* Psal.88.
exaltaui electũ de plebe mea. De hoc potentiũ genere
sacra Virgo nõ agit, sed illis, qui brachio potentiæ
suæ confisi, supra mensuram suæ conditionis
superbe efferuntur: hos quidem potentes de se-
de deponit, & humiles loco eorum substituit.

X. SED restat adhuc nodus alius dissoluendus,
qua nimirum de causa potentium peccata Deus

agere

ægre ferens, solum eos de sede deponit, & non pariter eorum euertit sedes, id enim condigne merebatur eorum petulantia, & insolentia: vnde Christus Dominus (vt refert D. MATTHÆVS) templum
Matth. 21. ingrediens, non solum vendentes & ementes in eo flagellauit, & eiecit, sed & *mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas, euertit.* Respondeo, hoc esse inter hæc discrimen, quod vendentium in Teplo munera erant illicita, vtpote contra sanctitatem illius loci ad cultum diuinum destinati, & ideo conuenienter Christus Dominus mensas etiam vendentium euertit, ne ipsi, vel alii ad similes emptiones & venditiones in eodem loco exercendas redirent, si paratas mensas inuenissent. Propria autem munera Principum, quæ in throno & sede maiestatis obeunt, non sunt illicita, sed à
Prou. 8. Deo ordinata, ipso dicente: *Per me Reges regnant, & legum cōditores iusta decernunt: per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam*: vnde si debitis circumstantiis illa exercent, sunt valde meritoria; & ideo licet Deus deponat Principes de sede propter prauam regalis muneris functionem, minime
Eccl. 10. tamen eorum sedes euertit. Licet autem ECCLESIASTICVS dicat: *Sedes ducum superborum destruxit Deus*: certe non aliud significare voluit, quam Deum superbos duces propter eorum peccata de sede deposuisse, non tamen sedes eorum detraxisse,
Ibid. cum immediate post illa verba subdat: *Et sedere fecit mites pro eis*: vbi quæso mites sederent, si Dominus sedes destruxisset? vnde GLOSSA INTERLINEARIS locum illum Ecclesiastici exponit per hæc B. Virginis verba: *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.*

XI. DEINDE subdit Deipara: *& exaltauit humiles.*] *Humiles* dicuntur ab humo, cui prostrati sunt, eo quod nihil i excelsum & sublime de se cogitant, sed instar humi conculcandos omnibus se exhibent, est autem humilitas voluntaria mentis in-
D. Th. 2. 2. q. 161. art. 1. ad 2. clinatio in id, quod in homine imum & infimum est, ad Deum ordinata. ita D. THOM. Habet autem humilitas duos respectus seu relationes; alteram ad ipsum met hominem; alteram ad Deum, vt docet D. AVG. lib. 1. de serm. Domini in monte, cap. 9. ante medium. Atque ex prima duæ actiones producūtur, nēpe propria deiectio, & infima æstimatio sui ipsius; itē moderatio appetit⁹ sensitiui, ne inordinate tendat in magna, vel ne homo se existimet aliquid esse supra id, quod est. ex secunda vero duæ aliæ actiones nascuntur, nempe subiectio & reuerentia in Deum; obedientia item exacta mandatorum eius. Notat autem egregie ALBERTVS
Alb. Mag. super Magnificat. MAGNVS, hic quatuor præmia humili deberi propter quatuor, quæ in illo effulgent. Est enim in eo sui depressio, cognitio suæ vacuitatis, exiguitas, & abiectio. Propter depressionem debetur exaltatio: Propter vacuitatem impletio: Propter exiguitatem gratiæ magnitudo: Propter abiectionem autem sui gloriæ sublimatio. De primo D. LVCAS: *Omnis qui se humiliat, exaltabitur.* Luc. 14.
De secundo in lib. REGVM legimus: *Quod mulier offerentibus sibi filiis, impleuit vasa vacua non pauca.* 4. Reg 4.
De tertio D. PETRVS inquit: *Humilibus autem dat gratiam.* De quarto Salomon dixit: *Humilem spiritu suscipiet gloria*: sic Christus Dominus ob profundam eius humilitatem ad supremum gloriæ & honoris culmen fuit euectus, PAVLO dicente: *Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens*: & subdit: *Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* (1. Pet. 4. Prou. 29. Ad Phil. 2.)

XII. VERVM si rem hanc altius perpendamus, inueniemus, ab orbis conditi primordiis cœpisse Deū maiores demittere, & inferiores exaltare. Duo fuerunt primi parentis filii, Cain & Abel, & maiori spreto minorem elegit: *Respexit Dominus ad Abel, ad Cain autem non respexit*: ex filiis etiam Noe primogenitum reprobauit, & minorem secundogenitum benedixit: inter filios Abrahæ Ismael fuit primus, Isaac secūdus; in hoc sibi cōplacet, non in illo: *In Isaac vocabitur tibi semen.* Isaaco deinde duo fuerūnt nati primogenitus Esau, & secundogenitus Iacob; de illis tamen nouimus MALACHIÆ oraculum dixisse à PAVLO relatum: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Ioseph deinde duos commemorat sacra Scriptura genuisse filios, Manassen, & Ephraim, & vt in GEN. legimus, benedictionem Deus voluit dare Ephraim minori, non Manasse maiori. videtur ergo Deus ita primogenitos odio prosecutus, quia ob maioritatem superborum typum gerunt; vnde & omnes Ægyptiorum primogenitos angelico ministerio enecauit: *Et occidit Dominus omnem primogenitum in terra Ægypti.* Vel dicamus, propterea Deum secundogenitos prætulisse primogenitis, vt præfiguraret tum futuram secundi Adami super primum excellentiam, iuxta illud D. PAVLI: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis*: tū vt populū humilem gentilem secundo genitum populo Hebræo, de quo dixerat Deus: *Filius meus, primogenitus meus Israel*, post Christi aduentum anteponendum fore significaret. (Gen. 4. Gen. 21. Malach. 1. Rom. 9. Gen. 42. Exod. 13. 1. Cor. 15. Exod. 4.)

XIII. ARBITROR autē, ea præcipua ratione Deū solitum esse humiles quosque & abiectos exaltare, ac de stercore erigere, quia in hoc omnipotentia eius maxime effulget: quemadmodum enim creare, quia est aliquid ex nihilo facere, ostendit infinitam esse Dei potentiam, ita eandem manifestat ex lapidibus semen Abrahæ suscitans, ex statu pastorali & armentario Dauidem ad regiam dignitatem exaltans; ex statu piscatorio ad Pontificiam tiaram, & ad Apostolatus principatum Petrum euehens; ex telonio Matthæum, & ex arte scenofactoria Paulū ad Apostolicum culmen vocans; hac enim ratione non solum animæ & corporis, sed vocationis, electionis, iustificationis, omniumque cœlestium donorum supremum Dominum luculenter se esse ostendit. Secundo solet Deus humiles & abiectos ad munera magna eligere, quia in eo Dei sapientia maxime splendet, quod per stultitiam prædicatio-

nis

nis crucis, & per simplices ac rudes ministros mundi sapientiam euertat, Philosophorum cathedras confundat, ac inaudita dogmata omnem humanam rationem superantia introducat. vnde scite & eleganter D. AVGVSTINVS dixit: *Iam ergo tria sunt incredibilia, quæ tamen facta sunt; incredibile est enim, Christum resurrexisse in carne, & in cœlum ascendisse cum carne: incredibile est, mundum rem tam incredibilem credidisse: incredibile est, homines ignobiles, infirmos, paucissimos, imperitos, rem tam incredibilē, tam efficaciter mundo, & in illo etiam doctis persuadere potuisse. Horum trium incredibilium primū nolunt isti, cum quibus agimus, credere. Secundum coguntur & cernere, quod non inueniunt, vnde sit factum. Tertio, resurrectio certe Christi, & in cœlum cum carne, in qua surrexit, ascensio toto iam mundo prædicatur, & creditur: si credibilis non est, vnde toti terrarum orbi iam credita est?* ac tandem subdit: *In tam contemptibilibus testibus multo mirabilius diuinitas seipsam persuasit, eloquia namq; persuadentium, quæ dicebat, mira fuerunt facta, non verba.*

Aug. [lib.] 22. de [Ciu]it. Dei, [c. ...]

XIV. AD extremum, cum B. Virgo dicat, superbos de suis sedibus fore deturbandos, & ab humilibus eorum sedes occupandas, oportet explicare, quænam sedes sint istæ: Pro quo obseruandum est sedes sublimiores magnatibus, magistratibus, nobilibus, ac denique Principibus, tam in iudiciis, quā in conuiuiis, disputationibus, locisq; aliis, & publicis, & priuatis, iure concedi solitas, apertissimum esse in scripturis; vbi regia cathedra, thronus, soliū, & similia illis conuenire dicuntur: Thronus Salomonis sex gradus habebat; & 2. REG. *Eleuetur thronus Dauid super Iudam:* id est, sit Rex, & sedeat sublimior reliquo populo; vnde & ISAIAS dixit: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum:* vbi ex celsitudine throni diuinam maiestatem describit. In publicis quoque conuentibus erant primæ, & sublimes cathedræ cæteris sedibus eminentiores, vt apud MATTHÆVM, MARCVM, & LVCAM; immo etiam in conuiuiis (vt legimus) quidā erant lecti aliis sublimiores, vt 1. REGVM innuitur: *Sedit Rex ad comedendum panē super cathedram suam secundum consuetudinem:* & apud LVCAM dicitur: *Intendens quomodo primos accubitus eligerent:* & illud: *Amice ascende superius:* vnde & SALOMON inquit: *Ne gloriosus appareas coram rege, & in loco magnatorū ne steteris: melius est enim, vt dicatur tibi, ascende huc, quam vt humilieris coram principe.*

[3] Reg. 11. [2] Reg. 6. [I]sa. 6. Matth. 23. Marci 12. Luc. 20. 1. Reg. 11. Luc. 14. Prou. 25.

XV. AB his ergo honorificis sedibus deposuit Deus potentes, & loco illorum in eisdem humiles collocauit, vt contigit superbis regibus Babyloniç, quorum sedes occuparunt Darius, Cyrus, & reges Persarum & Medorum; & accidit etiam Romanis Imperatoribus, vt Diocletiano, Maximiano, & Maxentio, in quorum imperium successit humilis Constantinus; ac tandem (vt paucis multa complectar) nemo ignorat potentissimos Cæsares ab Vrbis Romanæ sede multis retro annis diuini brachij potentia expulsos fuisse, & in eadem humiles Christi Discipulos collocatos, Petrum, Linum, Clemētem, Siluestrum, & reliquos Romanæ Ecclesiæ Pontifices, legitimos Christi Vicarios, & Petri successores. Vnde quemadmodū potentissimi illi Cęsares imperium suū in dies magis dilatare satagentes, varias nationes debellarunt, suoque dominio subiugarunt, ita Christi Domini Apostoli per vniuersum orbem eius fidē propagantes pene innumera regna Christianæ legis iugo non aliis, quam verbi diuini bellicis tormentis subdiderunt, ac Dei veræ obedientiæ manciparunt, DAVIDE dicente: *In omnem terram exiuit sonus eorum:* non hyperbolice, sed vere ait: *In omnem terram:* nam cum duodecim essent Apostoli, in totidem partes, ex quibus componitur vniuersus orbis, ad prædicandum Euangelium diuisi fuere.

Psal. 18.

XVI. TRIA noscuntur esse Orientis signa, Gemini, Libra, & Aquarius: Tria Meridiei, Taurus, Virgo, & Capricornus: Tria Occidentis, Piscis, Cancer, & Scorpio: Tria tandem Aquilonis, Aries, Leo, & Sagittarius. per quæ omnia Christi Apostoli peragrarunt diuini verbi gladio, Christi imperio varias nationes subiugantes, Simoni, Bartholomæo, & Matthæo primus ternarius Orientis in sortem cecidit: Simoni Ægyptus sub Gemini: Bartholomæo Bactriana, Licaonia, Armenia sub signo Libræ: Matthæo Æthiopia, quæ sub Aquario iacet. Secundus ternarius Meridiei in sortem cecidit Andreæ, Thaddæo, & Thomæ: Andreæ quidem Achaia in Græcia sub Virgine; Thadæo Persia & Mesopotamia sub Tauro, Thomæ India superior, Brachmanes, & Ircani, qui sub Capricorno degunt. Tertius ternarius Occidentis contigit in sortem Ioanni, Iacobo minori; & Philippo: Ioanni quidem Asia, Ionia, & Phrigia, sub Cancro iacentes: Iacobo minori licet alioquin tamquam Ierosolymitanus Episcopus à Iudæa non discederet, ex Cilicia, & Pamphilia aduentantes, qui sub Pisce habitant, docere & instruere incubuit; Philippo Syria contigit sub Scorpione. Ac tandem quartus Aquilonis ternarius Matthiæ, Petro, & Iacobo maiori, Matthiæ quidem in sortem cecidit pars illa Iudæa, Idumææ, & Syriæ; quæ sub Ariete cadit; Petro principi Apostolorum vniuersa Italia, præsertim tamen Roma, quæ sub Leone degit; Iacobo deniq; Hispania, Celtica, & Arabia felix, quas sub Sagittario esse constat: his omnibus Paulum adiungam, de quo Christus Dominus ad Ananiam dixit: *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israel:* quod sane ita exacte diuina Christi ope præstitit, vt cum primum Catholicam fidem professus fuit, ex Damasco in Ierusalem se contulit ad Christi euangelium euulgandum: deinde in Tharsum Ciliciæ Metropolim, postea in Antiochiam celeberrimam Syriæ vrbem; rursus in Phrygiam, in Galatiam, in Troiam, in Macedoniam, & in Athenas, inde in Corinthum, in Ephesum, in Miletum, & in plures alias Achaiæ & Græciæ insulas peruenit: post ad

Actor. 9.

Arabes, Italiam denique ingressus est, ac Romæ fuso pro Christo sanguine post innumeras nationes euaginato diuini Verbi ense expugnatas, & Christi imperio subactas, animam Creatori suo triumphās reddidit: Cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA XXVI.

Matth. 19.

Variis expositionibus elucidantur verba illa: Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes: *quorum occasione, tremendum illud Christi elogium explicatur*: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cœlorum: *nonnullaque proferuntur aduersus diuites auaros.*

I. VOLENS Deipara Maria diuini brachii potentiam decantare, in tribus præcipue illam mirifice se ostentasse demonstrat, in euertenda superborum sapientia, in expugnāda principiū potentia, infrustranda tādē diuitū suis in opibus vana cōfidentia: vnde primo cecinit: *Dispersit superbos mente cordis sui*: ecce superborum sapientiam euertit: subdit deinde: *Deposuit potentes de sede*: ecce principum potentiam calcat; tandem subiungit: *Diuites dimisit inanes*: ecce vanam illorum in diuitiis confidentiam frustratur, & confringit potentia diuini brachij, opibus suis illos expoliās, & inanes dimittens. Quia tamen in operibus Dei misericordia & iustitia præcipue effulgent, iuxta illud DAVIDIS: *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine*: ideo cum *diuitibus*, in quos diuina iustitia inuehitur, coniūxit *esurientes*, in quibus saturandis diuina misericordia se prodit & manifestat. Ad vtriusque tamen sententiæ expositionem accedens, cum in eo quot capita, tot sint Doctorum placita, omnium illa referam, & quædam eorum nonnihil prosequar, quia si de singulis late differendum esset, prouinciam longe à nostro instituto alienam sumeremus.

Luc. 1. Ibid. Ibid. Psa. 100.

II. PRIMAM ergo expositionem tradit Episcopus Christopolitanus, qui per *diuites* intelligit Angelos, qui de cœlo ceciderunt; per *esurientes* vero iustos, qui ad cœlestes eorum sedes ascenderunt, verba eius sunt hæc: *Homines esurientes & sitientes iustitiam, & cupientes toto conatu iustificari per Christū: & esurientes, & cum effectu, & conatu, & violentia pœnitentiæ desiderantes illam gloriam, Christus impleuit illos bonis cœlestibus, & Dæmones, qui erant in cœlo diuites per naturam, & gratiam, expectantes esse diuites gloriā si stetissent, & Deo paruissent, dimisit inanes, & vacuos, & frustratos in mente cordis sui, & in sua intentione: quia nō solum perdiderunt sedem Christi, quam vsurpare volebant, sed etiam sedes, quas possidebant.*

Episc. Christopolit. in exposit super Magnif.

III. SECVNDAM expositionem tradit CHRYSOSTOMVS LVSITANVS, quæ licet partim cum præcedenti conueniat, partim tamen ab ea dissentit: asserit enim per *esurientes* intelligi Angelos bonos, qui esurierunt claram Dei visionem, in qua beatitudo consistit; per *diuites* vero intelligi Angelos malos, qui multis bonis tam naturalibus, quam supernaturalibus fuerunt locupletati: quia tamen Angeli boni esurierunt beatitudinem, illa fuerunt repleti, isti vero, quia in multitudine diuitiarum suarum spiritualium superbe confidebant, omnibus illis spoliati fuere, exceptis intellectu & voluntate, quę in eis integra remanserunt quoad vim naturalem; sed & id etiam redundauit in maiorem eorum miseriam, quia quo plus penetrant infelicem suum statum, eo plus dolent, maiorique mœrore conficiuntur: vnde verba DAVIDIS in hunc modum illi accommodat CHRYSOSTOMVS: *Et quid erit, si de hac bonorum Angelorum esurie regius propheta tunc loquebatur, cum dicebat: Diuites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono, quasi diceret, cum diuites essent, tamen eguerunt, & esurierunt; & quia in hac sua esurie Dominum inquisierunt, non diminuti sunt omni bono, sed quali, quæso, omni bono? Sane illo, de quo Dominus ad Moysem dicebat: Ego ostendam tibi omne bonum. Hoc est, ostendam tibi meipsum, & illam felicitatem tibi communicabo, quæ in mei visione consistit. Hoc ergo omni bono Angeli esurientes non sunt diminuti, quia cum in sua esurie Dominum, & non seipsos inquisiuerint, sicut fecerunt mali Angeli, seipsos, & non Dominum inquirentes, ipse Dominus esurientes illos bonis omnibus impleuit, bonis (inquam) gloriæ suæ, bonis beatitudinis suæ, bonis visionis suæ.*

Chrys. Lusitan. de verbis Domin. tom. 1. lib. 8. c. 2. Psal. 33. Exod. 33.

IV. TERTIAM expositionem refert ex Theophylacto doctissimus BEVXAMIS in sua erudita harmonia, qui per *esurientes* intelligit Gentiles, non habentes scripturas, Legem, vel mandata; quos tamē impleuit Dominus, ad Ecclesiam suam illos ducēs, bonis scripturarum legis Euangelicæ, & sacramentorum opibus: per *diuites* vero intelligit Iudæos, multis bonis scripturarum & legis, nec non & diuinorum oraculorum responsis locupletes; quos tamen inanes & vacuos dimisit, sine Templo scilicet, sine sacrificio, sine lege, & sine sacramentis, adeo vt instar filii prodigi non vescantur nisi siliquis, hoc est, cortice tantum sacræ Scripturæ, non interiore, & vero eius sensu facti in hoc Iudæi Esau persimiles, sicut enim ille prior natu foris venationi inseruiens patris benedictionē amisit, ita Iudæi foris vagantes, hoc est, foris in literæ cortice iustitiam quærentes, benedictionem cœlestis hæreditatis amiserunt, quam tamen Iacob posterior natu domi remanens acquisiuit, hoc est, gentilis populus soli interiori, & spiritali sensui intendens, à Deo consequutus est. Latet quidem ad modum frumenti sub palea spiritalis, & verus sensus sub cordice literæ; Iudæi instar brutorum animantium palea vescuntur, Gentiles vero tamquam rationis

Beuxamis in sua Harmonia super c. 1. Luc.

par-

participes, spiritus frumentum edunt. Vnde Iob Iudæorum esuriem & esurientium gentiliũ saturitatem præuidens dixit: *Ego vidi stultum, cuius messem famelicus comedet:* hoc est, vidi stultum populum Iudęorum, cuius messem famelicus Gentilium populus comedet. Id etiam ipsum spiritu prophetico præuidens ISAIAS in personaDei hæc locutus est: *Ecce serui mei comedent, & vos esurietis; ecce serui mei bibent, & vos sitietis*: quasi dicat: ecce serui mei Gentiles ad fidem cõuersi comedent cibum corporis mei, vescenturq; suauissimis Catholicæ doctrinæ epulis, & vos famem patiemini vt canes; ecce serui mei gentiles bibent aquam viuam salientem in vitam æternam, ipsi bibent sanguinem meum, & vos siti aridi remanebitis. hanc eãdẽ expositionem acceptat NICOLAVS de LYRA dicens: *Per esurientes designantur gentiles, qui cum magno desiderio verbum Dei receperunt; per diuites vero legisperiti, diuitiis scripturarum prius repleti, quos dimisit inanes per excæcationem eorum, & falsum intellectum scripturarum*, in cuius figura, vt tradit D. PAVLVS: *Moyses ponebat velamen super faciem suam, vt non intenderent filii Israel in faciem eius*: erat quidem vultus Moysis singulari gloria & splendore effulgens, sed tamen velamine contectus, manus autem eius in sinum missa leprosa facta esse memoratur: per quę duo aperte significantur: primum quod Iudæi Christi gloriam, & maiestatem agnoscere renuũt, Apostolo dicente: *Vsq; ad hodiernum diem velamen positum est super cor eorum*: secundum, quod ex operibus legis nullus erat à peccati lepra emundandus, id enim prænotabat leprosa Moysis manus in sinu recondita. Adduntetiam isti Auctores, per hos *diuites* apte intelligi posse Hæreticos, qui adeo se diuites gloriantur, vt se aliis omnibus, etiam antiquissimis Ecclesię Patribus, præferant, eisq; se sapientiores sibi falso blandiantur, cũ tamen reuera Catholica doctrina, solida veritate, & sacramentorum fructu omnino inanes & vacui remanserint. Vtuntur quidem sacramento baptismatis, sed adulti sine gratia illud recipiunt, vt docuit D. AVGVSTINVS: *Firmissime tene, & nullatenus dubites, sacramentum baptismatis non solum intra Ecclesiam Catholicam, sed etiam apud Hæreticos esse potest, sed extra Ecclesiam Catholicam prodesse non potest.* Imitantur etiam Sacramentarij Eucharistiã, sed vacui sunt ipsius medulla & veritate, nam licet dicant vesci & pasci corpore Christi, inania hæc sunt, cum corpus Christi sub speciebus realiter existere negent, solumque eius vmbram in Eucharistia esse agnoscant, vnde consequens est, quod sola vmbra pascantur, non veritate.

[Iob 5.] [Isa. 65.] [Nicol. de Lyra.] [2. Cor. 3.] [Exod. 34.] [Exod. 3.] [D. Aug. to. 3. de fide ad Petrum c. 36. & 39.]

V. QVARTAM expositionem pręcedenti omnino oppositam ex mente Cardin. Toleti referam, illa enim Iudæis aduersabatur, hæc eos exaltat: censet enim promissionis terram fertilem & abundantem, melle & lacte manantem traditam fuisse Hebræis pauperibus, & esurientibus, vt vocat illos DAVID: *Esurientes & sitientes, anima eorum in ipsis defecit*: ab eadem vero exclusos fuisse Idololatras, vt sacrilegus idolorum cultus veræ ac sanctæ Dei religioni cederet.

[Tolet. super c. 1. Luc.] [Ps. 106.]

VI. QVINTAM expositionem nos docet Cardinalis HVGO, qui per *esurientes* intelligit iustos spiritualis profectus auidissimos, quibus saturitas, hoc est, repletio bonorum spiritualium promissa noscitur à Christo Domino dicente: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur*: hi præfigurati videntur per vasa vacua, quæ Elisæus repleuit oleo, vt legimus lib. 1. REGVM: & per altare intrinsecus inane & vacuum, quod Deus sibi fieri præcepit in EXODO: per *diuites* vero intelligit superbos, qui cum multis bonis se locupletes existiment, omni tamen virtute vacui sunt adeo, vt singulis eorum IOANNES dicat: *Tu dicis, quia diues sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, cæcus, & nudus?* è contra vero accidit esurienti Dei gratiam & iustitiam, qui spiritualibus bonis à Deo repletur, vt ait DAVID: *Qui replet in bonis desiderium tuum*, vel (vt vertit D. HIERONYMVS:) *Qui replet bonis ornamentum tuum*, quibus verbis satis ostendit esuriem, seu desiderium proficiendi in sanctitate esse præclarissimum animæ ornamentum ac pretiosissimũ eius monile. Si autem quæras, quæ sint hæc bona, quibus huiuscemodi esurientes replentur? arbitror dicendum cum ALBERTO MAGNO, tria illa esse, vtile, delectabile, & honestum, quorum primum est adminiculans ad meritum, secundum trahens ad desiderium, tertium perficiẽs ad virtutis exercitiũ. Primum est sicut instrumentum, quo vtimur; secundum sicut dulcedo, qua prouocamur; tertium sicut præmium, quo remuneramur: de primo ISAIAS: *Ego Dominus docens te vtilia*: ecce bonum vtile: De secundo DAVID: *Delectationes in dextra tua vsque in finem*: ecce bonum delectabile: ac tandem de tertio increata Dei sapientia ait: *Flores mei, fructus honoris & honestatis.* GLOSSA autem ordinaria per hæc bona æternam beatitudinem intelligit, vnde ait: *Qui etiam æterna toto studio quasi esurientes desiderant, saturabuntur, cum Christus apparuerit in gloria, sed qui terrenis gaudent, in fine totius beatitudinis inanes dimittentur.* Et hanc expositionem sequutus CAIETANVS inquit: *Impleuit eos bonis regni cœlorum, quæ sunt vere bona.* Recte ait, *quæ sunt vere bona*, quia illa tantum solida bona censenda sunt, quæ possessoribus suis prosunt semper, obsunt nunquam, quod aperte constat præstare non posse diuitias, honores, magistratus, dignitates, regna & imperia, cum hæc persæpe nocuisse compertissimũ sit. Hanc solidorum bonorum esuriem experiebatur DAVID, cum dicebat: *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas*. vel (vt HIERON. ex Hebræo vertit:) *Desiderauit anima mea desiderare*: quod perinde esse videtur atq; illud, quod pœnitenti minus dolenti præcipitur, videlicet vt doleat, quod non dolet: ita si quis minus vehementer Deum desiderat, cupiat saltem desiderare; quomodo autem

[Hugo Cardin. super Magnif.] [Matth. 5.] [1. Reg. 2.] [Exod. 27.] [Apoc. 3.] [Psal. 102.] [D. Hier. super Ps. 102.] [Albe. Magn. sup. Magnif.] [Isa 48.] [Ps. 15.] [Eccl. 24.] [Glos. ordin.] [Ps. 118.]

spiritualis hæc animæ esuries causetur, his verbis edocuit Cancellarius Parisien. *Esuries nobis necessaria est, si tantis quærimus impleri bonis; esuries autem causatur ex euacuatione stomachi à noxijs humoribus:* quod perinde est, ac si diceret: quod vt anima cœlestia esuriat, terrena oportet fastidire, & à terrenis affectibus eam purgare. sicut enim qui vere famelicus est, adeo esurie premi solet, vt omnia sua bona pro aliquo cibo facile commutet, vt contigit Esau, qui cum fame periret, & diceret: *En morior, quid mihi proderunt primogenita*: pro pane & lentis edulio vēdidit illa, vnde sacer textus subdit: *Comedit, & bibit, & abijt, paruipendens, quod primogenita vendidisset.* ita cui Deus communicat spiritualem illam esuriem, qua cœlestia charismata ardenter concupiscit, ab omnibus terrenis affectibus se expoliat, & quæcumque pretiosa huius sæculi facile contemnit, vt cœlestibus donis repleatur & saturetur.

Gers. Canc. sup. Magnificat. — *Gen. 25.*

VII. SEXTAM expositionem lego apud egregium auctorem MALDONATVM, qui in commentario super Lucam, per *esurientes* intelligit egenos, & qui carent rebus temporalibus, quos non semel Deus locupletare solet, sicut e contra diuites depauperare, ac bonis temporalibus euacuare, iuxta illud: *Repleti prius pro panibus se locauerunt*; vel (vt EVTHYMIVS legit:) *Repleti prius panibus, diminuti sunt*, hoc est, effecti pauperes: *& famelici saturati sunt*: vel (vt idem EVTHYMIVS legit:) *& esurientes dimiserunt terram.* Terram dimiserunt, in qua ob mercedem ærumnose fatigabantur, vel dimiserunt colere terram, atque esse amplius agricolæ, effecti nimirum terræ, atque agricolarum Domini & diuites demum ex pauperibus iuxta illud PSALMI: *Diuites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* vbi EVTHYMIVS ait: *Cum nullam esse asseuerauit defectionem ijs, qui timent Dominum, nunc sermoni suo fidem facit docens; quomodo huius seculi diuites sæpius effecti sūt pauperes, & fame vexati.* Itaque sicut per *esurientes* intelligit pauperes bonis tēporalibus, quos Deus ditat, ita p *diuites* eos, qui multis opibus affluunt, quos tamen Deus plerumque expoliare solet, & vacuos acinanes dimittere. hos irridens SALOMON dixit: *Reperi aliam vanitatem sub sole. Vnus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitijs, nec recogitat dicens: cui laboro, & fraudo animam meam bonis?*

Maldon. super c. 1. Luc. — *1. Reg. 2.* — *Euthy. super hunc locum.* — *Psal. 33.* — *Euthy. in comment. huius loci.* — *Eccl. 4.*

VIII. MVLTA quidem sunt, quæ effrenatam diuitum cupiditatem compescere deberent, ex illis tamen (quia de hoc genere argumenti latius Deo dante mihi disserendum est, cum de arcanis Euangelicæ doctrinæ sermonem instituam) solum illud diuitibus tremendum Christi elogium in medium producam, & illustrare contendam: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cœlorum.* huius loci varias apud Patres, & Doctores reperio expositiones, tres tamen omnium potissimas referam. Prima est NICOLAI de LYRA asserentis, Christum Dominum loqui de diuite constituente finem suum in diuitiis, cuius Deus pecunia est, vt de gulosis & voracibus dixit D. PAVLVS: *Quorum Deus venter est*: sic autem hunc locum exponendum probat ex verbis Christi Domini apud D. MARCVM, vbi postquam dixisset: *Quam difficile est confidentes in pecunijs regnum Dei introire*: immediate subdit: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum Dei*: ex quibus LYRANVS intentum suum colligit in hæc verba. *Ex quo patet, quod illud, quod dicit impossibile diuitem intrare in regnum Dei, intelligitur non de quocunque diuite, sed de diuite confidente in diuitiis, & in ipsis finem constituente.* consentit huic expositioni GLOSSA INTERLINEARIS, dum *diuitem* exponit, diuitias amantem; fauet & GLOSSA ipsa ORDINARIA dum ait: *Aliud est pecuniam habere & aliud amare. Multi habent, & non amant, & multi non habent, & amant. Item alii & habent, & amant: alii vero non habere nec amare se gaudent, qui tutiores sunt, & quidem cum Apostolo dicere possunt: Mihi mundus Crucifixus est, & ego mundo: vnde & Salomon non ait: Qui habet, sed: qui amat diuitias, fructus non capiet ex eis.* Iuxta hanc autem Lyrani, & vtriusque Glossæ intelligentiam verbū illud Christi Domini, *impossibile* intelligitur rigorose, cum impossibile sit saluari diuitem, dum in eo perseuerat inordinatus affectus ad diuitias, constituendo in eis vltimum suum finem.

Matth. 19. — *Philip. 3.* — *Marc. 10.* — *Glossa interl. super cap. 10. Marc.* — *Glos. Ordinar. ibid.* — *Galat. 6.* — *Eccl. 5.*

IX. SECVNDAM expositionem adhibet D. AMBROSIVS, qui idem putat esse *impossibile*, quod *valde difficile*: censet autem per *foramen acus* portam quandā, per quam difficulter valde Cameli transibant, nisi onus deponebant, aut se inclinabant: verba D. AMBROSII accipe: *Nolite, fratres, diuitias appellare illas, nolite eas amare, quia si seruieritis illis, & cum illis peribitis. Ideo de huiusmodi diuite Iesus Christus alibi dicit: facilius est transire camelum per foramen acus, quam diuitem intrare in regnum cœlorum. Quæ sententia vereor ne forte vobis conueniat, qui diuitias sæculi huius aut habetis, aut quæritis. Sicut enim Camelus animal, quod est tortuosum atque deforme, peruersitas ipsa corporalis per angustissimam acus cauernam præterire non patitur: ita & diuites oneratos auaritia & cupiditate fœdatos ipsa vitæ deformitas per arctam viam regni minime introire permittit. Ait enim idem Dominus: Arcta, & angusta via est, quæ ducit ad vitam. Igitur in Camelo difficultatem ingressus præstat habitudo membrorum; in diuite autem impedimentū magnitudo efficit peccatorum.* Huic Ambrosianæ expositioni astipulantur D. HIERONYMVS, AVGVSTINVS, CHRYSOSTOMVS, ORIGENES, EVTHYMIVS, Cardin. CAIETANVS, & ALBERTVS MAGNVS, qui vltimi Auctores aduertunt, Ierosolymis quasdam exiguas portas tempore belli factas remansisse, quę propter eius angustias foramē acus appellabantur, per quas proinde magna cum difficultate poterant Cameli transire.

D. Ambr. ser. in Domin. 8. post Pent. tō. 5. — *Matth. 19.* — *Matth. 7.* — *D. Hier. ad c. 16. Isa. D. August. lib. quæst. Euan. D. Chrys. super c. 19. Matth. Origen. ibid. Euthym. ibid. Caiet. ibid. Alber. Magn. ibid.*

X. TER-

...g. Cœ... super ...issus disc. ...

X. TERTIAM expositionem adhibent alii, quam veriorem opinatur ANGELVS COELESTINVS, dicētes per *Camelum*, non intellexisse Christum Dominum animal ipsum, sed *funem nauis*, quæ etiā Græce *Camelos* appellatur: per *foramen* autem *acus* significasse id, quod verba sonant, & non portam aliquam vrbis Ierosolymitanæ, & licet videatur impossibile funem illū adeo crassum per strictissimum acus foramē pertransire posse absolute, tamē possibile est, si implicata eius fila explicētur, & paulatim singula, quę subtilia sunt, per foramen mittantur, significare ergo voluit Christus Dominus, quod sicut in hoc magna est difficultas, ingensq; labor impenderetur, ita ingens est difficultas, vt diues multis opipus onustus regnum cœlorum intrare possit, vnde oportet, si ingredi velit, vt vel se, instar Cameli, exoneret, vel instar funis, in varia fila se diuidat, male quidem parta singulis creditoribus, vel pauperibus restituens, iuxta illud PSAL. *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi.*

Psal. 111.

XI. VT tamen ad id præstandum facilius inducamini, audite obsecro innumera mala, quæ auaritia & cupiditas diuitibus pariunt: ea eloquēter descripsit D. CHRYSOSTOMVS; nam exponens verba illa MATTHÆI: *Occurrerunt ei duo habentes Dæmonia de monumētis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo possit trāsire per viam illam:* in hunc modum loquitur: *Auarus est Dæmoniacus in sepulchris habitans. Quid enim ipsum poterit ligare? Certe non timor, non quotidianæ minæ, non exhortationes, non consilia, omnia hæc enim vincula spernit, supplicium putans esse maximum, non viuere in supplicio. Quid enim miserius auaro? Nam Dæmoniacus verbo Christi ab actu Dæmoniis liberatus est, pecuniæ autem seruus Christo non auscultat. Nam si gehennæ terror incutitur, ac inferni pœnæ imminere dicuntur, non credit tamen. Quis mentis compos cum huiusmodi hominibus conuersabitur? Nā mea quidem sententia cum mille Dæmoniacis habitandū potius esset, quam cum vno, qui hoc morbo laboraret. Quando enim simul omnes Dæmoniaci tantum facinoris committent, quantum Iudas solum cōmisit? Qui ad extremam iniquitatē turpi pecuniarū ardore deuect⁹ est, pariterq; oēs, qui auaritiā illius imitātur, quasi feræ bestiæ à catenis solutæ cunctos homines nullo resistente perturbant ac lacerant? Et vincula quidem etiam his vndique coniecta sunt, iudicij timor, legum terror, multorum odia cateraq; huiusmodi, sed his ruptis omnia perturbant. Quod si quis hos nexus omnino ab eis auferret, tunc videres, peiore hos Dæmone ac fortiore quam Dæmoniacos vexari. Fingite videre tetrum quendam hominem, qui ab oculis ignem emittat, cui ex vtero humano dracones loco manuū dependeant, cuius os cauernæ instar magnitudinis sit, in quo pro dentibus acuti enses stent, ex lingua venenosus fons scaturiat, venter omni fornace sit ardentior, cuncta quæ immittūtur, subito consumens, pedes alati, ventis quoque ipsis velociores, facies canis ac lupi, nec hominis vocem emittat, sed insuaue quiddam atq; terribile mugiat; is ad hæc omnia faces ardentes in manibus teneat. Mira hæc forsan vobis videntur, sed non-dum digne ipsum descripsimus, sequi enim debent horū instrumentorum effectus. Itaque imaginemur eum obuiam factos iugulare, carnes eorum deuorare. sed quid facio? Nam & hoc descripto, multo truculentior est auarus, in omnes vt mors insiliens, omnes vt infernus deglutiens; communis hominum hostis, quippe qui vellet res omnium sibi arrogare; nec finem hic facit. Verum cum vndique cupiditate cuncta collegerit, ipsius etiam terræ substantiam in aurum commutari vellet, fontes ac fluuios argento optat defluere. Et si fingamus omnia illi impune licere, tunc videbis ipsum arrepto ense nulli parcere, non amico, non cognato, non ipsis parentibus.* hæc ille.

D. Chrys. hom 29. in Matt. to 2.

Matth. 8.

Luc. 6.

Matth. 26.

XII. EST & aliud in diuitiarum copia & opulentia non leue incommodum, nimirum, quod graue fastidium, anxietatem, atque molestiam parit, timorem, & inquietudinem generat; in illisque acquirendis labor, in conseruandis sudor ac trepidatio, in communicandis timiditas ac liuor, in perfruēdis iniucūditas, imo acerbitas & amaritudo reperitur, cū ex terra, quę plena spinis ac tribulis est, originem ducant, & ad eandem terram, quæ nihil aliud est quam puluis & cinis, tamquam ad vltimum finem dirigātur. De qua re egregie D. AMBROSIVS sic scribit explicans illa verba: *Iucunditatem fecisti cum seruo tuo Domine secundum verbum tuum. Multa videntur in hoc sæculo iucunda esse, quæ non sunt, multa suauia, bona plurima. Luxuries videtur esse iucunda, sed exhausto fit amara patrimonio. Dulcis libido cum feruet, sed eadem horrida & execranda cum proditur. Suaues epulæ cum sumuntur, sed fœtidæ, cum digeruntur. Bona multa in hoc sæculo, dum viuimus, æstimātur, quia vsui nobis sunt, vt pecunia, honor, aurum, argentum, possessiones. Eadem nihil possunt prodesse defunctis, hic omnia relinquuntur. Quin etiam maiori dolore quis moritur, cum his se fraudari copijs ingemiscit.*

D. Ambr. in Ps. 118. sec. 9.

XIII. VERVM iam explicemus, quid Deipara significare voluerit, cū hos *diuites inanes* à Deo dimittēdos fore prædixit. *Inanes* ait, hoc est, à spe sua fraudatos etiam in hac vita, scriptum est enim: *Diues cum dormierit, nihil secum auferet; aperiet oculos suos & nihil inueniet.* Vel dicendum, *Inanes*, quoniam Deus extrahens diuitias de ventre diuitis, quibus repletus erat, vacuum & inanem illum reddit, iuxta illud IOB: *Diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus:* vbi HIERONYMVS: *Quod inique & violenter rapuit & inuasit, merito ei Deus pœnas illatis criminibus eius reddidit, & ita extorquetur ab iniquo, quod iniuste abstulerat.* Idem etiam IOB alibi ait: *Domum rapuit, & non ædificauit eam, nec est satiatus venter eius, & cum habuerit, quæ concupierat, possidere non potuit. Non remansit de cibo eius & propterea nihil permanebit de bonis eius. Cum satiatus fuerit, arctabitur, æstuabit, & omnis dolor irruet super eum. Vtinam impleatur venter eius, aut emittat in eum iram furoris sui: & pluat super illum bellū suum:* In quæ verba idem HIERON. ait: *Cum diuitijs scilicet, & rerum omnium abundantia re-*

Iob 28.

Iob. 20.

D. Hieron. super c. 20. Iob.

Iob. 20.

tia refertus fuerit, subiit° ei interitus veniet: coarctat° miseria irruente, atq; conclusus calamitatũ cladibus.

XIV. Vel dicendum, *inanes*, hoc est, sine radice, & sine trunco, fundati, atq; plantati; ac proinde repente ad omnem venti motionem corruũt, iuxta il-
Isaia 40. lud Isaiæ: *Equidem neque plantatus, neq; satus, neque radicatus in terra truncus eorũ repente flauit in eos, & aruerunt: & turbo quasi stipulã auferet eos.* & Iob: *De-*
Iob.18. *orsum radices eius siccentur, sursum autẽ atteratur messis eius*: vbi Hieron. *Deorsum radices eius siccentur, id est, opera, quæ in hoc sæculo inueniuntur mortua, mortuisque ariditate similia, sursum autem atteratur messis eius, in futuro vtique mercedem laboris sui minime consequatur.*

XV. Vel dicendum, *inanes*, quoniam non solum quantum ad animam, sed etiam quantũ ad corpus, aridus, & inanis iniquus diues redditur, iuxta illud
Iob.18. Iob: *Attenuetur fame robur eius, & inedia inuadat costas illius. Deuoret pulchritudinem cutis illius, consumat brachia illius primogenita mors.*

XVI. Vel dicendum, *inanes*, quoniam in mortis articulo iniqui diuites vacui, & inanes inuenientur, nihil secum portantes, nisi cupidissimum diuitiarum affectum, & rerum terrenarum desiderium,
Iob.27. iuxta illud Iob: *Diues cum dormierit, nihil secum*
Psal.75. *auferet: aperiet oculos suos, & nihil inueniet*: & illud Psal. *Dormierũt somnum suũ, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Aperient autẽ oculos suos in die resurrectionis, vt bene exponit Hieron. ibidem, & nullum meritum boni operis inuenient.

XVII. Vel dicendum, *inanes*, quoniam omnia, quæ sũt in ipsis diuitiis, & in ipso diuite inania sunt. Imo metaphoræ, quibus iudicium Dei aduersus diuites describitur, eorum inanitatem omnino de-
Albe. Magnus sup. c. 5. Sapientiæ. monstrant, vt egregie adnotauit Albertus exponẽs illa verba Sapientiæ: *Spes impij tãquã lanugo est, quæ à vento tollitur, & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, & tanquam fumus à vento dif-*
Sap.5. *fusus est, & tanquã memoria hospitis vnius prætereuntis*: super quæ verba docet tria esse in diuitiis, & tria in diuite, & tria in iudicio diuitis, quæ omnia diuitis inanitatem ostendunt. Primo in diuitiis est flos sæculi, qui arescit, vt lanugo, fastus iactantiæ, qui in ampullas surgit, vt spuma; deinde amaritudo solicitudinis, quę est sicut fumus excęcãs oculos. Secundo in diuitibus sunt aculei spinarũ, in difficultate acquirendi, & timore perdendi, quæ significantur per *carduum* ferentem florẽ, qui arescit in lanuginem, instabilitasq;, quę significatur per *aquam currentẽ*, quia diues vndiq; persequitur fugiẽtes diuitias. Tertio diuitum iudicium tribus figuris describitur, vento iræ Dei, procella, & impetu:
Sap.5. de primo Salomon ait: *Cõtra illos stabit spiritus vir-*
Iob.22. *tutis, & tanquã turbo venti diuidet illos*, & Iob: *Erunt*
Ierem. 50. *sicut paleæ ante faciem venti, & sicut fauilla, quam*
Ezech.13. *turbo dispergit.* De secundo Ieremias: *procella ruens*
Iob.22 *in capite impiorum*: Et Ezechiel: *Vẽtum procellæ dis-*
Iob 38. *sipa.* De tertio Iob: *consumpti sunt in impetu aqua-*
Gen.1. *rum inundantium.* Deus igitur *diuites dimisit inanes* instar terræ in prima mundi creatione, de qua in Gen. *Terra erat inanis, & vacua*: & apud Ierem.
Aspexi terram, & ecce erat inanis & nihil. Quid, quod Ierem.4.
etiam diues seipsum euiscerat, Ecclesiast. dicẽte: Eccl.10.
nihil est scelestius, quam amare pecuniam, hic enim in vita sua proiecit intima sua: quid est, *intima sua*? sane præcordia sua, quia primo Domino dicente: *vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*: certe cum cor suũ Matth.6.
fuderit in diuitias, necesse est corde vacuum, & inanem remanere: vnde recte David monuit diuites: *diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Psalm.61.

XVIII. Hanc tamen inanitatem egregiis aliis metaphoris nemo melius, quam Isaias explicuit: *Sicut somniat esuriens, & comedit, cum autem fuerit* Isai.29.
expergefactus, vacua est anima eius, & sicut somniat sitiens & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est: ita certe contingit diuitibus, qui quanto diuitiis pleni, ardentiori affectu in eas feruntur, tanto diuinis muneribus, imo & temporalibus plerumque magis inanes redduntur. Verum demus semper illos in magna opulentia degere; adhuc vere sunt *inanes*, quia diuitiæ non apponuntur in loco, vbi est cupiditas. Locus quidem illius voluntas est, diuitiæ autem extra voluntatem sunt; vnde sicut nec cibus, nec potus ori non admoti, & in stomachum transiecti esuriem, & sitim extinguunt, atque venter non minus inanis, ac antea remanet, sic diuites quantumuis diuitiis pleni, vacui tamen reuera sunt, & inanes. Ex quo facile conicere licet, diuitias non vera, sed falsa, fallacia, ac mendacia bona esse; promittunt enim saturitatem, & conferunt esuriem, vt ait David: *famem patientur vt canes*: pollicentur diuiti Psal.105.
pacem, & quietem, & conferunt terrorem illum
vexantem: *sonitus terroris semper in auribus illius*: Iob.15.
promittunt honorem, & conferunt opprobrium, & despectionem: *opprobrium abundantibus, & despectio superbis*: pollicentur voluptatem, & conferunt Psalm.122.
dolorem, quia pungunt, cum vere sint spinæ, iuxta Christi Domini sententiam: promittunt tandem fœlicitatem, & conferunt lacrymas, & fletum: *Væ* Luc.18.
vobis diuitibus, qui habetis consolationem, quoniam Luc.6.
flebitis. in quibus verbis duplex innuitur vaticinium, nam prædicunt fletum non solum in futuro sæculo, sed & in præsenti, cum iamiam moribundus compellitur omnibus suis diuitiis expoliari. Hinc ego diuitem auarum testaceæ pixidiculæ angustum orificium habenti, quę Italice *bossoletto*, Hispanice *alcanzia* vocitatur, persimilem dixerim, tum quia sicut illa facile pecuniam recipit, difficile tamen eam reddit, propter orificii angustiam; ita diues ad recipiendas diuitias manum habet porrectam, ad elargiendas vero compressam; tum (quod præsenti argumento magis inseruit) sicut pixidicula illa testacea angusti orificii etiam pecuniis plena non reddit illas, nisi in frusta rumpatur, & frangatur, ita quidem diuites adeo tenaces suarum diuitiarum esse reperiuntur, vt quousque per

mortem

mortem frangantur, animam à corpore diuidentem, diuitiæ illorum haberi non possint; vnde oportet ad hoc, vt illæ aliis prosint, instar pixidiculæ eos à Deo confringi vt dixit DAVID: *Et tanquam vas figuli confringes eos*, qua violenta confractione miseri diuites præ nimio dolore flere coguntur: ecce mendaces diuitias risum promittentes, & nonnisi fletum dantes. Qui igitur fratres diuites estis, pauperes estote spiritu, nam cum SALOMON dicat: *Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia*: recte fieri potest, vt diuitiis affluentes pauperes spiritu sitis, sic enim diuitiæ gratæ erunt Deo, cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Psal.2. *Eccl.13.*

HOMILIA XXVII.

Variæ proferuntur expositiones in illa Beatæ Virginis verba: Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.

I. PROPOSITA verba habent se quasi clausula quædam finalis totius huius Cantici, quasi epilogus omnium eorum, quæ in eo prædicta fuerant, & quasi recapitulatio cunctorum Dei beneficiorum, quasi centrum omnium linearum, quasi complementum omnium canticorum, quasi finis totius legis, & vniuersorum Prophetarum, ac tandem quasi adimpletio omnium vmbrarum, & consummatio omnium figurarum: *Suscepit*, inquit, *Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ, sicut locutus est ad patres nostros*: ac si diceret: Quod prophetæ prædixerunt, iam venit: quod vmbræ indicabant, iam præsens est: quod Patriarchæ figurarunt, iam adimpletum est: quod sancti Patres desiderauerunt, iam obtinemus; quod enixe postularunt, iam accepimus; quod tantopere videre concupiuerunt, iam vidimus; quod denique Deus Abrahæ repromisit, nunc in temporis plenitudine Catholica prælucente fide exhibitum agnoscimus. Beata autem Virgo, vt non ineloquens, quin potius vt disertissima, ac sapientissima oratrix, rhetoricæ gradationi inseruiens, postquam minora beneficia commemorauerat, & pro eis gratias egerat, tandem gradum fecit ad magnificandum Deum pro supremo omnium beneficio, humanæ scilicet carnis susceptione ex populo Israelitico. *Suscepit Israel puerum suum*: vnde magnus ille CANCELLARIVS PARISIENSIS erudite ait: *Sunt alia beneficia Dei magna valde, pro quibus psallat inuecula nostra in hoc psalterio decachordo, magnificās anima Dominum, cū exultatione spiritus in Deo salutari suo. Magnificat, quod respexerat humilitatem ancillæ suæ; quod beata diceretur per omnes generationes, quod fecisset ei magna, qui potens est, & sanctum nomen eius: hoc quoad magnitudinem Dei in se, & ad singulare beneficium collatum in Mariæ pertinebat. Procedebat consequenter ad insinuationem aliorum sub generali narratione beneficiorum, sub varia tropica Antithesi, iungens cum misericordia morem seueritatis, cum dispersione & depositione superborum exaltationem humilium, cum esurie satiante saturitatem inanem. Tandem omnino conclusit vt oratrix peritissima per hoc verbum: suscepit Israel puerum suum*: in quo supremum omnium beneficiorum latebat, humanæ scilicet carnis à Verbo diuino ad vnitatem personæ mira susceptio.

Luca 1. *Gers. Cancell. Parisien. super Magnific.*

II. SCIO quidem non infimi nominis Doctores autumasse, sensum horū verborum esse, quod Israel susceperit puerū Iesū, & recognouerit illū tanquā verū Deum, suscepit enim eū B. Virgo in vtero suo: *inuenta est in vtero habens de spiritu sancto*. suscepit eum sanctus Ioseph in domum suam: *accipe puerum, & matrem eius*: suscepit eū magnus Ioannes Baptista, qui & intra materna viscera inclusus tripudians eum coluit: *Exultauit infans in gaudio in vtero*: & postea testimonium ei perhibuit dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mūdi*: suscepit beata Elisabeth Dominum Deum suum illū vocans: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* suscepit eū Propheta Zacharias, summꝰ sacerdos, celebre illud promens Cāticum: *Benedictus Dominus Deus Israel*, quo Christum Dominum redemptorem mundi esse diuino spiritu afflatus testatus est: suscepit Simeon ille sanctus, & iustus senex, qui in templo multis astantibus Saluatorem mundi illum cecinit: *Quia viderunt oculi mei salutare tuum*: susceperunt Magi reges, tanquam Deum hominem eū adorantes: *Et procidentes adorauerunt eum*: susceperunt tandē Apostoli dicentes. *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te*. Cæterum cum hi omnes paucissimi sint, si conferantur cum ingenti multitudine Israeliticæ gentis, quæ Christum Dominum nō recepit *puerum suum*, vt expressis verbis dixit D. IOANNES: *In propria venit, & sui eum non receperūt*: non videtur, quomodo apte illa verba: *Suscepit Israel puerum suum*, prædictam expositionem sustinere possint.

Matth.1. *Luc.1.* *Ioann.1.* *Luc.1.* *Ibid.* *Luc.1.* *Matth.2.* *Matth.19.* *Ioan.1.* *Luc.1.*

III. SCIO etiam alios eorundem verborum interpretes, intelligentes verba ista de susceptione actiua ex parte Dei, & passiua, ex parte populi Israelitici, ita vt Deus sit suscipiens, Israel vero puer susceptꝰ à Deo, dixisse, susceptionem hanc significare protectionem Dei, qua potenti suo brachio opem tulit populo Israelitico, & ab hostibus eum defendit. ita docet EVTHYMIVS, qui in expositione huius loci legit: *Auxiliatus est Israeli puero suo, protexit Israeliticum populum seruum suū*. & IANSENIVS in sua Concordia hanc sequutus expositionē inquit: *Hūc itaque* (id est, Israelem) *suscepisse Deum, inquit, quia more succurrentis, ac manum porrigentis eum saluandum ab hostibus suis, & omni malo recepit*. Acceptat etiam eādem expositionē doctissimus MALDONATVS, eamque deducit ex Græco vocabulo correspōdenti Latino *suscepit*, quod vim habet declarandi, Deum populum iam omnino deiectum derelictumque

Euth in c.1 Luc. Corn. Ian. in Concord. Euangelica, sup. c.1. Luc. *Maldon in c.1 Luc.*

temque

tumque quaſi porrecto brachio & ſuppoſita manu
Pſal.26. ſuſtinuiſſe, & erexiſſe, ad eum modum, quo DAVID
dixit: *Pater meus & mater mea dereliquerunt me: Do-*
Beda hom. *minus autem aſſumpſit me:* Vnde BEDA homil. de vi-
in viſitat. ſitatione Virginis inquit: *Suſcepit Iſrael quaſi medi-*
Virg *cus ægrum, quem curaret, quaſi rex populum, quem ab*
hoſtium incurſione defenderet, imo hoſte proſtrato libe-
rum redderet, ac ſecum perpetuo regnare donaret. Ac
Hugo Car- tandem HVGO Cardinalis in cõmentario huius lo-
din. ſup. c. I ci prædicta omnia confirmat, dicens: *Suſcepit Iſrael,*
Luc. *id eſt, populus Iudaicus, puerum ſuum, non dicit Domi-*
Matth.22. *num, quia venit miniſtraturus, non dominaturus* (*fi-*
lius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.) *vn-*
de dicere debebant Iudæi illud Iſai. 19. *Puer natus eſt*
nobis, & filius datus eſt nobis. Videnturq; ſane verba
Iſaiæ.42. Virginis alludere ad verba illa ISAIÆ: *Ecce ſeruus*
meus, ſuſcipiam eum, electus meus , *complacuit ſibi in*
illo anima mea: ſenſus igitur horum verborum eſt,
quod Deus ſuſcepit populum Iudaicum ad variis
modis illi opitulandum. Suſcepit.n. illum ad prote-
gendum, iuxta illud: *Dominus illuminatio mea,* &
Pſal.26. *ſalus mea, quem timebo: Dominus protector vitæ meæ:*
Ioan.13. ad docendum: *Vos vocatis me magiſter, & Domine, &*
bene dicitis: ſum etenim: ad regendum, & gubernan-
Pſal.22. dum: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit* : ad pa-
Ioann. 10. ſcendũ: *Ego ſum paſtor bonus:* ad ſanandum : *Qui ſa-*
Pſal.102. *nat omnes infirmitates meas:* ad purificandum : *Lauit*
Apoc,1. *nos à peccatis noſtris in ſanguine agni:* ad ſoluendum
Pſal.145. vincula culpæ, & pœnæ: *Dominus ſoluit compeditos:*
1.Reg.2. ad locupletandum: *Dominus pauperem facit & ditat:*
Oſeæ.11. ad nutriendum velut infantem: *Tanquam nutritius*
Ephraim portabam eos in brachiis meis.
Chryſoſt. IV SCIO tandem alios expoſitores cũ CHRYSO-
Luſitan. de STOMO LVSITANO verba hæc : *Suſcepit Iſrael puerũ*
Verbis Do *ſuum* , interpretari de ſuſceptione non populi Iu-
mini, to.1. daici, quem potius Deus reprobauit, ſed Gentilis,
lib.8.c.4. quem denuo vice illius acceptauit, nec inconuenit
(aiunt) ſub nomine *Iſraelis* plebem Gentiliciam in-
telligi, quia cum *Iſrael* idẽ polleat, ꝙ *videns Deum,*
& Gentilis ad Deum conuerſus eum videat in ſpe-
culo fidei, merito *Iſrael* nuncupari poteſt: itaq; ſic-
ut ex duobus Iſaac filiis, Eſau, & Iacob, maior fuit à
Deo reprobatus, minor ſuſceptus; & ſicut ex duo-
bus filiis Ioſephi Ephraim, & Manaſſes, minorem
natu Ephraim Patriarcha Iacob prætulit maiori
natu Manaſſe, quia licet hunc haberet ad dexterã,
illum vero ad ſiniſtram, commutans tamẽ manus,
dexteram poſuit ſuper minorem, ſiniſtram vero ſu-
per maiorem: non ſecus Deus habuit duos filios,
quorum maior natu erat populus Iſrael, iuxta illud:
Exod.4. *Filius meus, primogenitus meus Iſrael* : minor natu e-
rat populus Gentilis: verum Deus ſuper duos iſtos
populos manus commutauit , & ſuper maiorem
natu, quem antea habebat ad dexteram, poſuit ſini-
ſtram; ſuper maiorem vero quem habebat ad ſini-
ſtram, poſuit dexteram. Nec hoc mirum cuiquam
eſſe videatur, nam licet Iacob oculi præ nimia ſe-
nectute iam caligarent, mentis tamen oculis futu-
ra præuidens, illam fecit manuũ commutationem
dexteram ponens ſupèr minorem natu Ephraim,
qui *frugifer*, ſeu *fructificatio* interpretatur, ſiniſtram
vero ſuper maiorem natu Manaſſem, qui *oblitus*, ſi-
ue *obliuionem* ſignificat: cur non ergo Deus, qui ipſi
Iacob dedit in ſpiritu futura præuidere, & cuius *o-*
culis, iuxta dictum Apoſtoli, *omnia munda ſunt* , *&* *Hebr.4.*
aperta, Iſraelitici populi in Manaſſe figurati ingra- *Matth.4.*
titudinem, & tantorum beneficiorum obliuionem,
quam non ſolum præuidit , ſed poſtea in filii ſui
Incarnatione re ipſa experiens, gentilium populũ
per Ephraim ſignificatum, illi non præferret ? cur
non iſtius populi augmentum , & fructificationẽ,
& illius ſterilitatem prænoſcens , ſuper iſtum de-
xteram manum non collocaret, hoc eſt, ſuam ele-
ctionem, ſuam miſericordiam, ſuam opem, & ſuam
gratiam non impertiretur , ſuper illum vero ſini-
ſtram reprobationis, & expulſionis non porrigeret?
Vere præuidit Deus , præuidit certe populi i-
ſtius ingratitudinem , & illius gratitudinem
erga ſuſceptorem Saluatorem ſuum , & ideo
dixit: *Suſcepit Iſrael puerũ ſuum:* ac ſi apertius dice-
ret: Suſcepit Deus Iſrael non ingratum, ſed gratum;
non carnalem, ſed ſpiritualem ; non veterem , ſed
nouum ; non ſterilem , & infrugiferum , ſed
feracem, & frugiferum ; denique non ſenilis, ſed
puerilis ætatis : *Suſcepit Iſrael puerum ſuum.*

V. PORRO licet has omnes interpretationes pro-
babiles cenſeam, D. BONAVENTVRÆ tamen , AL- *D. Bonau.*
BERTI MAGNI, & LYRANI explicatio nobis magis *ſup. c.1.*
arridet, qui omnes aſſerunt, B. Virginem, quæ tunc *Luc. Alber*
temporis (quando canticum hoc cecinit) tota erat *Magnus.*
intenta & immerſa in Incarnationis Verbi diuini *Ib. Nicol.*
cõtemplatione, per illa verba: *Suſcepit Iſrael puerum* *de Lyra ib.*
ſuum, intellexiſſe mirabilem illam humanæ naturæ *Luc.1.*
à Verbo diuino ſuſceptionem ex populo Iſraelitico:
cum enim *ſuſcipere* iuxta linguæ Latinæ peritos idẽ
ſit, quod *ſurſum capere* , certe Verbum diuinum in
ſublime à Deo euehens carnem humanam, vt illam
aſſumeret ad celſitudinem ſuæ perſonæ, merito di-
cemus, quod illam *ſuſcepit*, ſeu *ſurſum cœpit.* D. Bo- *D. Bonau,*
NAVENTVRÆ verba hæc ſunt: *Suſcepit Iſrael puerum* *vbi ſupra.*
ſuum, memorari miſericordiæ ſuæ; hoc factum eſt, quan- *Ad Heb.2.*
do carnẽ noſtrã ſuſcepit, nuſquã.n. Angelos apprehẽdit, *Albert.*
ſed ſemen Abrahæ apprehendit. *Magnus*

VI. LATIVS tamẽ idipsũ cõfirmat ALBER. MAGN. *vbi ſupra.*
in hunc modũ: *Suſcepit Iſrael. Tria dicit, vnionis vi-*
delicet modũ, & aſſumptũ, & aſſumpti actum. In vnio-
nis modo duo ſunt, vnum quidẽ ex Verbi ſuppoſito ſubin-
tellecto, quod eſt aſſumens: & ſecundum ex verbi ſigni-
ficatione, quod eſt aſſumptionis modus; ſuppoſitum Verbi
eſt, quod primo in Cantico inductum eſt , cum dixit:
Magnificat anima mea Dominum , quia Dominus eſt
aſſumẽs, vel brachiũ Domini; in quo Dominus fecit hãc
potentiã. Dicamus igitur: ipſe Dominus in brachio ſuo
potẽte ſuſcepit. Non.n. hoc facere poterat, niſi Dominus,
nec cõueniens erat facere, niſi in brachio, quod eſt Filius.
Non.n. Pater ab alio eſt, & ideo neq; æternaliter , neque
temporaliter naſcibilis eſt: Spiritus autẽ ſanctus , quã-
uis ab alio ſit, tanquam naſcibilis non eſt , & ideo filius
incon-

inconuenienter esset. In brachio ergo, quod est Filius, qui & ab alto est, & nascibilis, vt dicit Hilarius, hanc perfecit potentiam operationis. hic est ergo assumens, siue suscipiens. Susceptionis autem modus est in compositione quærendus, quod verbum (suscepit) componitur à sursum, & cœpit, quia assumendo nos, sursum erexit, suscepit enim in naturam, in gratiam, in defensionem, in gubernationem, & inbeatitudinem.

Nicol. de Lyra sup. c. 1. Luc.

VII. Ac tandem NICOLAVS de LYRA eidem assentiens expositioni, in hunc modum loquitur: *Suscepit Israel puerum suum: quia Deus accepit carnem puerilem de populo Israel. quod fuit beneficium illi populo collatum particulariter, maxime quantum ad credentes de populo illo: Recordatus misericordiæ suæ. Admodum enim recordantis se habuit, quando filium suum Patribus antiquis promissum in carne misit; ideo subditur: sicut locutus est ad Patres nostros, id est, ad Patriarchas, & Prophetas, Abraham, & semini eius, secundum quod dicitur Gen. In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ.* [*In secula*] *quia caro humana permanebit æternaliter deitati vnita.* hæc ille, quibus præclaram rationem innuit ad stabiliendam hanc expositionem, nam cum B. Virgo dicat, quod suscepit Israel puerum suum, sicut loquutus fuerat Abrahę, loquutus autem fuerat, ex genere eius carnem suscepturum: loquitur igitur B. Virgo de hac susceptione in prędictis versibus: *Suscepit Israel puerum suum.*

Genes. 22.

VIII. QVOD si perconteris, quando suscepit? iam supra dixi, post prolata illa potentissima Marię verba: *Fiat mihi secundum verbum tuum:* hæc enim omnia Dei promissa perfectissime complexerunt: fuit namque illa Mariæ vox instar sonantis illius vocis, quam Dominus Esdræ audire præcepit: ostenderat Dominus quadam nocte ipsi Esdræ nonnulla signa, ipse verò Esdras cum illorum finē scire desiderasset: *O Dominator, inquit, Domine, si inueni gratiam ante oculos tuos, oro, vt demonstres seruo tuo finem signorum tuorum, quorum partem mihi demonstrasti nocte præcedente.* Ad quæ respondens Dominus: *surge, inquit, super pedes tuos, & audi vocem plenissimam sonitus:* Quasi diceret: finis signorū meorum, quorum partem nocte pręcedente tibi demōstraui, tunc erit, quando audies vocem plenissimam sonitus. Hæc vox plenissima sonitus, quam Esdras audire iubebatur, vt videret finem signorum Domini: vox quidem Mariæ erat, qua dixit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum:* nam vox ista sonitus fuit, quia vbi primum intonuit de terra Domina, & humillima dedit vocem suam, statim & vniuersam in cœlis lætificauit sanctam ciuitatem Ierusalem, *& habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis;* lux, inquam, noui gaudij, nouæ lætitiæ, & noui tripudij. An non vox ista sonitus? An non multo velocior, & penetrabilior, quam illorum vox, de quibus dicitur: *In omnē terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum?* Multo quidem per omnem modum. Si quidem hæc Mariæ vox non solum in omnem terram, & in fines orbis terræ velociter discurrit; sed cœli, & inferni secreta fortiter penetrauit. An non etiam vox ista plenissima? ad quam plenissime adimpleta fuerunt omnia signa, omnia figurarū præambula, omnia documenta scripturarum, & omnia desideria Prophetarum? ad istam vocem: *excisus est lapis sine manibus de vertice montium, & repleuit faciem vniuersæ terræ.* Ad istam vocem Aaronis virga floruit: *& flos de radice eius ascendit, super quē requieuit spiritus sapiētiæ, & intellectus: spiritus cōsilij, & fortitudinis, spiritus sciētiæ, pietatis, spiritus timoris Domini.* Ad istam vocem *rorauerunt cœli desuper, & nubes pluerunt iustum, aperta est terra, & germinauit Saluatorem,* quem Prophetæ prænunciauerunt, Angelus prædixit, & ipsa Virgo credidit. Denique ad istam vocem, vocem plenissimam, plenissimè completum fuit magnum illud diuinæ pietatis sacramentum, *quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est mundo, & assumptum est in gloria.*

Luca 1. — 4. Esd. 6. — Luca 1. — Isaia 9. — Psalm. 18. — Daniel. 2. — Isaia 11. — Isaia 45. — 1. Tim. 3.

IX. QVARE autem Deipara Maria vocauerit Christum Dominum *puerum*, non autem Saluatorem mundi, verum Messiam, aut certe filium Dei humana carne indutum? ANGELVS COELESTINVS respondet, quod cum B. Virgo in sacrarum Scripturarum lectione versatissima esset, & ab Isaia, & Dauide multis in locis *puer* vocitaretur: *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis: Ecce puer meus, quem elegi: Puer paruulus minabit eos: Da imperium tuum puero tuo:* ideo *puerum* illum vocitauit. Deinde ait, quia spiritu prophetico prænouerat Deipara Christum Dominum à sacris Euangelistis frequenter appellandum *puerum:*] *Surge, & accipe puerum, & matrem eius: Puer autem crescebat, & confortabatur:* idcirco puerum illum nuncupauit. Ego autem (ni fallor) crediderim Mariam consultò filium suum vocasse *puerum*, quia *puer* in diuinis eloquiis vsurpatur pro seruo; Christus autem Dominus *humiliauit semetipsum formam serui accipiens*, vt ait PAVLVS; vnde & ipse dixit: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Ex quo egregie ALBERTVS MAGNVS dixit, Christum Dominum carnē assumpsisse, vt ageret puerum, hoc est, non Dominum, sed seruum. Discipuli ad hoc alludētes, quamuis alioquin Iudæi conuenissent Ierosolymas ad Christum Dominum occidendum, cum non puer, sed fere triginta & trium annorum adolescens esset, dixerunt: *Conuenerant vere in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes, & Pontius Pilatus.* Quod si pueri etymologiam consulamus, dicitur enim *puer*, quasi *purus aer, propter puritatem* (vt docent ARCHIDIACONVS, & ALBRICVS) ideo *puerum* illum vocauit, tum ad significandam eximiam Christi puritatem, & innocentiam, tum vt doceret, oportere nos, si Incarnationis Verbi diuini mirificos fructus percipere volumus, paruulos effici, iuxta illud Christi Domini: *nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Paruuli quidem absque peccati malitia vitam agunt, vnde Aposto-

D. Bonau. sup. c. 1. Luc. Alber. Magnus. Ib. Nicol. de Lyra ib. Luc. 1. — D. Bonau. vbi supra. Ad Heb. 2. Albert. Magnus vbi supra.

Isaia 9. — Isaia 43. — Isaia 11. — Psalm. 85. — Matth. 2. — Ibid. — Luca 8. — Philip. 2. — Matth. 20. — Alber. Magnus sup. c. 1. Luca. — Actor. 4. — Archid. in c. 1. de Clerico agrot. lib. 6. Albric in suo repertor. in 1. alphabeto verbo puer. — Matth. 18.

Apostolus monens nos in hac innocentia eorum
1.Cor.14. fieri æmulatores, ait: *Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli.* Pueri odiũ facile deponunt,
Ephes. 4. iuxta illud PAVLI: *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Pueri de crastino non sunt solliciti, iuxta
Matth.6. euangelicum consiliũ: *nolite soliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?*
Ierem. 17. Pueri non confidunt in se, sed in patre suo, vnde IEREM. *Maledictus, qui confidit in homine, & ponit carnẽ brachium suũ:* & rursus: *benedictus vir, qui confidit in Domino.* Pueri si percutiantur, confestim plorantes ad parentẽ suum confugiunt, quomodo confugiebat
Psalm.119. DAVID: *ad Dominũ cum tribularer, clamaui, & exaudiuit me.* Pueri sunt timidi, quorũ timorem desiderabat Propheta, cum enixe postulabat: *Confige*
Psalm.118. *timore tuo carnes meas.* Pueri non sunt fraudulenti,
1. Pet. 1. D.PETRO dicente: *Sicut modo geniti infantes sine dolo lac concupiscite.* Paruuli pueri in brachiis portantur
Osee 11. à parentibus: *portabam eos in brachijs meis.* Tandem pueri, si nunc plorãt, facile postea rident, in quo &
Ioan. 16. iusti eos imitantur, quibus Dominus dixit: *Amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos,* ecce fletum; *sed tristitia vestra vertetur in gaudiũ,* ecce risum. Equidẽ licet isti plorantes nascantur, iuxta illud SA-
Sap. 7. LOMONIS: *Primã vocem similẽ omnibus emisi plorans;* ridentes tamen, & spiritaliter gaudentes moriun-
Apoc. 14. tur, vt tradit D.IOANNES: *Beati mortui, qui in Domino moriũtur.* Sed pro dolor pauci huiusce modi pue-
Isaia 66. ri inueniuntur, multi autẽ, quos ISAIAS maledicẽs dixit: *Puer centum annorum morietur:* hi sunt, qui instar puerorũ preciosa monilia pro pomo facile cõ-
Thren. 2. mutant: *Dederunt preciosa quæq; pro vino;* qui mane
Isaia 56. vsq; in sero vescuntur: *canes impudentissimi, qui nescierunt saturitatẽ;* qui somno nimium indulgent:
Ibid. *Dormientes, & amantes somnia,* qui rationis iudicio
Prou. 22. carent: *Stultitia colligata est in corde pueri;* qui di-
Psal. 102. spersi ad domum patris reuerti nesciunt: *Errauerunt in solitudine, & viam ciuitatis habitaculi non*
Isaia 16. *inuenerunt;* qui facile rixantur: *Homo peruersus suscitat lites;* qui tandem tempus in iocis & ludis con-
Ouid. lib. 1. de remed. amor. terunt, quorum singulis OVIDIVS: (portet:

Tu puer es, nec te quicquam, nisi ludere o-
Lude, decent animos mollia regna suos.

Luca 1. X. PORRO iam ad explicanda verba illa Virginis, *recordatus misericordiæ suæ,* nostra pergat oratio. Certum est apud Theologos, quod sicut in Deum obliuio cadere non potest, ita nec recordatio, vnde quãdo in sacra scriptura reperitur, Deus recordari vel obliuisci, metaphorice accipiendũ est: quatenus multum temporis præterierit ab eo, in quo aliquid promisit, ad illud, in quo promissionẽ impleuit. in
Exod. 2. hoc sensu dixit olim MOYSES: *Recordatus est fœderis, quod pepigit cũ Abraham, Isaac, & Iacob;* & in eodem
Luca 1. etiam B. Virgo ait: *Recordatus misericordiæ suæ;* itaq; sicut ille, qui aliquid se nobis daturum promisit, quãdiu promissum non implet, rei promissæ quasi oblitus dicitur; ita Deus, qui filium suũ totius Redemptorem promiserat, quamdiu ipsum in mundũ non mittebat, videbatur quasi suæ pollicitationis oblitus: Verum postquàm illum misit, tunc Deus, qui antea videbatur oblitus, dicitur suæ misericordiæ recordatus. Et ideo per metaphoram de Deo dicit nostra Virgo: *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.* Luca 1.

XI. SED quomodo, dic mihi, Dominus suæ misericordiæ non recordaretur, qui tantis medijs vsus est, vt eius nunquam obliuisceretur? sicut enim nos tribus frequẽtius vti solemus, vt ea, quæ volumus memoria retinere, ab ea non decidant, aut enim in sudariolo nodum conficimus, aut in digito aliquid ligamus, aut in libro scriptitamus: ita omnib. istis tribus modis Deus vsus esse videtur, vt nunquã suę erga nos promissionis obliuisceretur. Inprimis enim indissolubilẽ nodum dedit, cũ filium dare promittens specialiter Abrahę se obligauit, cum primo facta est à Deo de Christo repromissio, *Benedicã tibi, & multiplicabo semen tuũ, sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris, possidebit, semen tuũ portas inimicorũ suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes tuæ.* Sic etiã de Abraham dicit Apostolus: *Abrahæ datæ sunt promissiones, & semini eius.* Gen. 12. Gen. 22. Galat. 3.

XII. DEINDE fecit Deus signũ in digito suo. Sed quid dico signũ? multa signa in digito suo, hoc est, in spiritu sancto operatus est, propter quæ omnino stupefacti malefici Pharaonis dicebant: *Digitus Dei est hic.* De hoc digito locutus est Christus, cũ dixit: *Porro si in digito Dei eijcio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei.* Hoc suo digito signanter Deus & in cordibus, & linguis Prophetarũ scripsit, quæcunq; ipsi de filio suo prophetarunt, & ideo D. PETRVS: *Hoc primum intelligentes (inquit) quod omnis prophetia propria interpretatione non fit, non enim voluntate humana illata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Exod. 8. Luca 11. 1. Petr. 1.

XIII. DENIQVE vt Deus semper recordaretur promissionis suæ factæ de mundi redemptore, vsus est etiam tertio scriptionis medio. scripsit in libro; vnde in persona Christi dicit Propheta: *In capite libri scriptũ est de me, vt facerem voluntatẽ tuam, Deus meus volui.* Idq; est valde conforme cum illo, quod in propria persona ipse Christus dixit: *Descendi de cœlo, non vt faciã voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Itaq; omnibus istis tribus medijs vsus est Deus, vt recordaretur adimplere, quod tãto ante promisit. merito ergo dicit nostra Virgo: *Suscepit Israel puerũ suũ, recordatus misericordiæ suæ.* Quamuis autem certum, & exploratum sit, Deum nunquam misericordiæ suæ oblitum fuisse, cum & iratus illam obliuioni non tradat, ABACVCH dicente: *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis;* postquã tamen filium suum in Virginis Marię thalamũ carnem assumpturum misit, specialem humani generis memoriam habet, vt ei benefaciat, omnemq; iram ab eo auertat. Sicut.n. olim cœlestem arcum posuit Deus in æthere in signum pacis: *Arcũ meum ponam in nubibus cœli, & erit signum fœderis inter me, & inter terrã. & non erunt vltra aquæ diluuij addelẽdum vniuersam carnẽ;* ita adueniente plenitudine Psalm. 93. Ioan. 6. Abacuc 3. Gen. 9.

temporis, Deus cœlestem diuini Verbi arcum in fulgentissima Mariæ nube collocauit, arcum quidem varijs virtutū coloribus distinctū, arcum forte, vnde excussæ fuere sagittæ potentis acutæ, quæ inferni claustra penetrarunt; arcum tandē cœlestē in signum fœderis, & reconciliationis nobiscum. Vnde si quondam SALOMON solius Iridis, seu arcus cœlestis pulchritudinem contemplans nos ad eius Eccl. 43. auctorē laudandum inuitabat: *vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum, valde speciosus est in splendore suo.* quid quæso diceret, si huius diuini Arcus in tā pulchra, ac perbella nube positi miram speciositatē, quæ Iridis pulchritudinem infinita intercapedine superat, oculis suis conspiceret? & si SALOMON et à Simonem Oniæ filium magnum Sacerdotem Eccl. 50. commēdans, inter alias eius laudes dixit: *Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ*, quibus quæso laudibus extollere æterni patris filium summū Sacerdotem in æternū secundum ordinē Melchisedech, cum ille, qui est splendor patris, omnē creatū splendorem præcellat; cœlestis enim arcus, propter solares radios nubi immissos, effulget, hic autē non ab extrinseco opus habuit suā emendicare claritatem, cum per essentiam ipse sit lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum?

XIV. AD extremum arbitror B. Virginem con- Luca 1. sulto dixisse: *recordatus misericordiæ suæ*; vt significaret Verbi diuini Incarnationem, cuius laudes decantabat, non ex humanis meritis, quæ nulla ad tam immensum bonum promerendū valere poterant, sed ex mera Dei gratia, misericordia, ac munificentia profluxisse. non enim Abrahæ fides, non Moysis mansuetudo, non Iob patientia, non planctus Ieremię, nō suspiria, & clamores Prophetarū, non deniq; heroica Patriarcharum opera Verbum diuinum humanæ carnis mortalitate indui meruerunt; sed tantū ac tam sublime opus sola Dei misericordia promisit, & B. Virgine cooperante in eius vtero perfecit: Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA XXVIII.

Interpretamur vltima illa verba Mariani Cantici: Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in sæcula: *vbi tria præcipue ostendimus; primum per sex mundi ætates Deum locutum fuisse de Verbi diuini Incarnatione; secundum, Deum in suis promissionibus fidelem, mundum vero infidelem, & mendacem esse; tertium, verum semen Abrahæ, non Iudæos, sed Catholicos esse.*

I. I ad promissionem de Verbi diuini Incarnatione mentis aciem conuertamus, plane inueniemus non solum Abrahæ, sed multis retro tēporibus ante illum antiquioribus Patribus Deum filij sui Incarnationem pollicitum fuisse. Promisit illam Adamo, & Euæ, eum vindictam sumpturum de serpente affirmauit, cuius caput conterendum erat per semen, seu filium Virginis: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen* Gen. 3. *tuum, & semen illius, ipsa,* seu *ipsum* (vt habet originale Hebræum) *conteret caput tuum.* Eamdem promisit Verbi diuini Incarnationem Abeli in sacrifi- Gen. 4. cio, quod idem obtulit de primogenitis gregis sui, quod figuram gessit cruenti illius sacrificij, quod primogenitus Dei filius in ara crucis oblaturus erat. Promisit eandem Noe, cum cœlestem arcum Gen. 6. in nubibus posuit in signum pacis, & fœderis; ille enim pulcher arcus, absque nubis læsione in ea productus, speciosum forma præ filijs hominum in Mariani vteri nube, absque vlla virginitatis suæ iactura producendum fore prænotabat. Post hos Gen. 22. autem Patres eamdem promisit Abrahæ: *Et benedi-* Gen. 17. *centur in semine tuo omnes gentes terræ*; eandem Isaa- Gen. 49. co in benedictione filiorum suorum, Iacobo in be- Exodi 3. nedictione Iudæ, Moysi apparens in rubo ardenti, 2. Reg. 7. qui non comburebatur, Dauidi in confirmatio- 2. Par. 6. ne, & stabilimento regni sui in æternum, Salomo- Isa. 7 & 9. ni in exauditione precum illius in templo sancto Ierem. 31. suo, Isaiæ in fœcunditate, & partu Virginis, Iere- Dan. 7. miæ in renouatione legis, & scriptione illius in corde humano, Danieli in liberatione populi post septuaginta hebdomadas; multis tandem Prophetis, Zacharia dicente: *Sicut locutus est per os sancto-* Luca 1. *rum, qui à sæculo sunt, prophetarum eius.*

II. SEX commemorant sancti Patres mundi ætates à creatione mundi vsque ad aduentum Christi Domini, in quibus omnibus (si rem attente perpendamus) facile repetiemus, Deum optimum maximum de futura Verbi diuini Incarnatione *multifariam, multisque modis* (vt PAVLI verbis vtar) anti- Hebr. 1. quis Patribus locutum fuisse: multifariam (inquā) quia varijs, & multiplicibus figuris, vt exponit THEOPHYLACTVS, hoc est, per Tropos, per Ænig- Theoph. in ep. ad Heb. cap. 1. mata, per signa, per externas apparitiones, per internas inspirationes, nec non per vocalium verborum Angelico ministerio factam expressionem. Et quidem primo parenti in prima illa mundi ætate promissum fuisse Incarnationis mysterium præter ea, quæ nuper dicebam, duo præcipue apertè suadent: Primum est, quia cum vidisset Adam ex costa eius formatam fuisse Euam, continuo in illa verba prosiliit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, &* Gen. 1. *caro de carne mea*: quibus diuinitus inspiratus Incarnationis arcanum vaticinatus est, vt D. HIE- D. Hier. sup. ad Eph. 5. RONYM. his verbis expresse docuit: *Primus homo, & primus Vates hic de Christo, & Ecclesia prophetauit.* Secundum est mors innocentis Abelis ab inuido fratre Cain, quæ Christi mortem à fratribus suis, hoc est, ab Hebræis per inuidiam sibi inferendam non obscure præfigurabat, maxime quod (vt Hebræi narrant) fer[illegible] ligno fuit occisus Abel, quod & modum mortis Christi aperte delineauit: cum illam fo[illegible]

ferreis clauis in ea confixus. Addunt etiam alii, cum ANGELO COELESTINO, & CHRYS. LVSIT. delineatum fuisse primo parenti mysterium Incarnationis in tunicis illis pelliceis, quibus ipse & Eua induti fuere: quia sicut illi propter peccatum mortuorum animalium pellibus induti sunt, ita secũdus Adam, alioquin *Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus*, propter eorum præuaricationẽ pellicea mortalis carnis tunica induendus erat. Fecit etiam Deus in illa prima ætate aliam huius diuini arcani manifestationem sancto Patriarchæ Henoch, quod ipse firmiter credẽs meruit transferri in terrestrem Paradisum, vt affirmat S. AVGVST. sed & eruditus auctor SALMERON docet propalatum fuisse idem mysterium, quia ille cœpit (vt sacra GENESIS narrat historia) cultum Dei instaurare, *& nomen Domini inuocare*, quod est Verbum Incarnatum. vt docet Episcopus Christopolitanus.

Angelus Cœlest sup. Magnif. *Chrys. Lusit. ibid.* *D. August. lib. 2. cont. Iouin. Tom. 3. sup.* Magnific. *Gen. 4.* *Valent. Episc. Christ pol. sup.* Magnific. *Genes. 7.*

III. IN secunda ætate hoc idem arcanum reserauit Deus Noe, nam præter arcum ex tribus coloribus constantem, qui Christum ex tribus substantijs compactum, diuinitate, anima, & corpore in vnitate eiusdem personæ præfigurabat; per ligneã Arcam ab inundatione diluuij innumera animalia liberantem, ligneam Christi crucem, per quã prædestinati ab inundatione diuinæ iræ infallibiliter liberantur, non obscure ei aperuit.

IV. IN tertia ætate manifestauit hoc mysterium Abrahamo, cum filium suũ primogenitum immolari sibi præcepit, in typum Christi in Caluarię mõte in ara crucis immolandi; manifestauit etiã Isaac, quando ipse morti proximus adductum sibi filium mortui animalis pelle coopertum tangens dixit: *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*: tunc enim præuidit Dei filium carnem sumpturum fore ex semine Iacob, simulq; pręsensit fragrantiam miram meritorum humanitatis Christi Domini. Manifestauit deinde illud in eadem tertia ætate Iacob scalam videnti, quæ vna extremitate terræ hærebat, & altera cœlum tangebat, & per quam Angeli ascendebant, & descẽdebant, illa enim Christum adumbrabat, qui velut mystica scala, altera humanitatis extremitate terram calcauit, altera diuinitatis cœlum tetigit, & super Cherubim volauit, pariterque per ipsum tanquam per scalam homines ad cœlum conscendunt, & Angeli ad eos in cœlestem patriam ducendos descendunt. Agnouit item Iacob mysterium Incarnationis in lucta illa, quam habuit cum Angelo præualens aduersus illũ, in qua ipse Angelus voluit vinci, alioquin nulla ratione vincendus. id enim præsignificabat futurum esse, vt Hebręi aduersus Christum, non tamen ipso inuito, sed volente, in eius passione illum occidentes, in conspectu hominum præualerent. Multo tamen clarius idem præuidit mysterium Iacob, quãdo diuino spiritu afflatus verba illa sacramẽtis plena protulit: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit exspectatio gentium*: quibus verbis aperte ostendit Iudæorum regnum non fore deuastandum, donec filius Dei carnem sumpturus à Patre in mundum mitteretur.

Gen. 27. *Gen. 28.* *Gen. 49.*

V. RVRSVS in quarta ætate præterquam *omnia in figura contingebant illis*, variaq; sacrificia, & ritus, & capri emissarij, & agni Paschalis, aliorum similium Christum adumbrabant, specialiter sacramẽtum hoc reuelauit Moysi; nam cum ei Dominus dixit: *posteriora mea videbis*: quasi diceret, terga humanitatis meæ agnosces, *faciem* tamen diuinitatis meæ, quam aspicere cupis, nunc *non videbis*, vt S. GREGORIVS explicat. Sed adhuc luculenter magis idipsum ei manifestauit dicens: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum tuorum similem tui*: hoc est, *de semine Dauid*, vt exponit GLOSSA INTERLINEARIS, vnde ipse Moyses de Christo ad populum loquens dixit: *Prophetam de gente tua, & fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies*: ad quæ verba alludens (ni fallor) Christus Dominus Hebræis dixit: *si enim crederetis Moysi*, scilicet de me vobis loquenti, *crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit*.

Exod. 33. *D. Greg. lib. 3. moral. cap. 9.* *Deut. 18.* *Glossa interlinearis super c. 18. de Deuter.* *Deut 18.* *Ioan. 5.*

VI. IN quinta deinde mundi ætate pollicitus fuit Dominus Dauid vnigenitum filium suum sibi coæternum ex regali eius familia in tempore oriũdum: *Cum dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filijs tuis, & stabiliam regnum eius: ipse ædificabit domum, & firmabo solium eius vsq; in æternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium*: imo singularia mysteria Conceptionis, Natiuitatis, Circumcisionis, Adorationis Magorum, Baptismi Prędicationis, Mortis, Sepulturę, Resurrectionis & Ascensionis diuinitus ei fuere reuelata, vt ex tota serie Psalmorum liquido constat. In eadem etiam ætate manifestauit Deus non paucis Prophetis Incarnationis mysterium, vt ipsi testantur ISAIÆ. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis*: IEREMIÆ. *Nouum creauit Dominus super terram, mulier circumdabit virum*: DANIELI: *Deleatur iniquitas, & inducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & vngatur sanctus*: AGGÆO: *Lauda & lætare filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui*: ZACHARIÆ: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quẽ vos quæritis*. Id tandem ipsum multis alijs Prophetis reuelatum est, AMOS dicente: *Nõ faciet Dominus verbum, nisi reuelet secretum suum ad seruos suos prophetas*.

1. Par. 18. *Isaiæ 9.* *Ierem. 31.* *Dan. 9.* *Agg. 2.* *Zach. 2.* *Amos 3.*

VII. AD extremum in sexta, & vltima ætate Deus, qui fidelissimus est in suis promissionibus quotquot Patriarchis, Regibus, & Prophetis pollicitus fuerat, plenissime impleuit mittens filium suum, vt in Mariæ vtero carnem assumeret. Ecce quam veraciter B. Virgo dixerit: *Suscepit Israel puerum suum, sicut locutus est ad patres nostros, Abrahã, & semini eius in secula*.

Luca 1.

VIII. ANTEQVAM tamen vlterius progrediar,

non

non possum silentio prætereire, cur Deus, cum filium suum in mundum ab eo mittendum amicis suis pollicebatur, promissionem suam iuramento
Gen. 22.
confirmabat, vt: *Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me: bene dicam tibi:*
Psal. 131. Luca 1.
DAVID etiam inquit: *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum:* & Zacharias: *Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis:* Huic interrogationi exacte respondent verba D.
Ad Heb. 6.
PAVLI dicentis: *Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret, maiorē, iurauit per semetipsum dicens: nisi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te: Et sic longanimiter ferens adeptus est repromissionem. Homines enim per maiorem sui iurant: & omnes controuersiæ eorum finis: ad confirmationem est iuramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum, vt per duas res & immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quem sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, & incedentem vsq; ad interiora velaminis, vbi præcursor pro nobis introiuit Iesus, secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum.* hactenus Apostolus, in quibus verbis tres rationes propositi quæsiti indicat Paulus: Prima est, apud homines omnium controuersiarum finem fieri confirmatione iurisiurandi, quia erga homines hunc morem habebant, vt controuersias iureiurando penitus finirent, ad cū morem se Deus accommodare volens, suas promissiones iureiurando confirmauit, vt nihil eorum desideraretur, quod apud homines certitudinem, ac firmitatem dictis, promissisque addere soleret. Secunda, Deus adhibet iuramentum propter humanam incredulitatem, quo eos impleadæ promissio-
D. Hier. in cap. 14. Isaia.
nis securiores reddat. Vnde HIER. dixit: *Iurat Dominus, cui etiam non iuranti credendum est, quod sua æstimatio non fallatur, & quod mente concepit, irritū non fiat. Hoc autem humano loquitur affectu, quod scilicet non fallatur, qui falli non potest.* Tertia, vt significet immobilem promissionem, & infallibilem euentum eius rei, quam iureiurando futuram dixit.
Damasc. libr. 1. de Orthodoxa fide, c. 14.
Vnde DAMASCENVS de Orthodoxa fide scribit: *Iuramentum significat constantiam, & immutabilitatē consilij eius: & quod apud nos contractus, qui inuicem fiunt, per iuramentum certi sunt firmitatemq; habent.*

IX. QVONIAM ergo duo sunt, quæ dictis fidem & robur afferunt, nempe promissio, & iusiurandū, atq; illa promittentem obnoxium faciant suæ promissioni explendæ: hæc autem maiorem etiam necessitatem imponant efficiendi id, quod iuratur, solet Deus ad firmandam fidem, & spem in animis hominum utraq; re vti, promissione scilicet & iuramento, vt omnino impossibile esse intelligatur, Deum mentiri, vel fallere, aut eius promissionem frustrari posse. Quod si indecens, vel superuacaneum esse dicas, Deum dicta, & promissa sua iuramento firmare, cum nuda, & simplex Dei affirmatio, vel negatio tantam habeat firmitatem, quantam eadem habere potest. Neq; etiam additis iuramentis, & Deum iurare, videtur quidquā minuere de eius auctoritate, & maiestate; audias, quid respondeat THOMAS ANGLVS breuissime, & doctissime huic obiectioni satisfaciens: *Exterior iuratio*
Thomas Ang. in c. 22. Gen.
Dei multum valet respectu nostri ad ampliorē confirmationem nostræ fidei, & spei. Quia secundum Apostolum, per hoc Deus abundantius ostendit propositi & promissionis suæ immutabilitatem; quare licet iurare, nihil secundum rem addat ad simplex Dei verbum, multum tamen addit secundum rationem, & secundum existimationem hominum. Quemadmodum & si Dei voluntas secundum se æqualis semper sit, & vniformis, respectu tamen obiectorum suorum quodammodo se habet secundū magis, & minus. vnde dicitur Deus plus diligere seipsum, quam creaturas, & plus matrem suam, quam alium quempiam sanctorum; & plus vult se diligi à nobis, quam proximum. Similiter igitur de iuramento Dei potest dici: nam quia maius malum est periurium, quàm simplex mendacium; ideo secundum hanc rationem dicitur, impossibilius esse ipsum Deum peierare, quàm mentiri: quamuis secundum se, & absolute vtrumque sit ei æque impossibile. Non est igitur indecens, Deum iurare per semetipsum; tum quia non iurat, quo firmius, & credibilius fiat dictum suum ex parte ipsius, sed respectu nostri, quo scilicet debilitas fidei nostræ roboretur, firmeturque vehementius; tum quia non iurat per aliquem maiorem se, aut per alium à se.

X. VERVM vt hæc magis confirmentur, audiamus (si placet) pulchram quam PHILO instituit, disputationem, an Deo cōueniens sit iurare? quam diserte tractat eo libro, quem inscripsit de sacrificio Abel, & Cain: sic autem ait: *Cū scriptura Deum*
Philo lib. de sacrif. Abel & Cain.
iurasse narrat, inspiciendum est, an id vere Deo conueniens, & conducens esse putandum sit. Quoniam id videtur plurimis esse Deo alienum, atq; indecorum: iusiurandum enim intelligitur testimonium de re ambigua; de Deo autem nihil est incertum, aut dubium; qui etiā alios in cognitionem veritatis videtur adducere. Ipsi certe nullo teste opus est, nec est alius Deus ei honore par. Testis præterea vt dicit testimonium, maior est eo, cui testimonium perhibet: Alter enim opis indiget, alter opem fert: Sed quod opem fert, fide dignus est eo, quod illa indiget; Deo autem nihil præstantius, nihil de fide dignius. Et homines quidem, vt fides eis habeatur, ad iusiurandum confugiunt; Deo vel simpliciter loquenti fidem non habere impium est. Quælibet enim Dei verba, quantum ad certitudinē, iuramento differunt. Itaque fit, vt sententiæ nostræ ex iureiurando fides accedat, ipsi autem iuramento ex ipso Deo fides astruitur. Non enim propter iuramentum creditur Deo, sed iuramento creditur, quia Dei auctoritate firmatur. Cum igitur scriptura iurantem inducit Deum, nimirum vt infirmitatem naturæ nostræ coargueret, & conuictam consolaretur. Non enim potest anima nostra semper habere præcipuam illam de Deo sententiam: Non esse eum ho-

*mini ſimilem, vt tranſcendamus quidquid prædicant
de homine, ſed quia maxima ex parte affines ſumus re-
rum mortalium, nec ſine harum admiſtione cogitare
quidquam poſſimus, ſed induti rebus mortalibus, tam-
quam cochleæ, eiſq; in morem earum inuoluti, eaſdem
de illa beata, immortalique natura, quas de nobis no-
tiones habemus, verbis quidem negantes eum humana
forma, & affectu eſſe, re autem ipſa humanos affectus
& mores ei tribuentes. Nam & manus ei affingimus, &
pedes, & ſurgere, & ſtare, & ambulare, & odium, &
iram, & pœnitentiam affectus profecto nihil ad aucto-
rem illum ſummum pertinentes, in quibus & iuſiu-
randum eſt, quo noſtra ſubleuatur infirmitas.*

XI. His adde, multa Deus prædixiſſe futura,
quæ quia tacitam conditionem importabant, hac
non ſubſiſtente, illa non fuerunt impleta, vt conti-
git Regi Ezechiæ, cui in infirmitate ſua Dominus
Iſaiæ 38. per Prophetam dixit, *morieris*; & tandem incolumis
euaſit: imo & cum augmento quindecim annorum
ad vitam ſuam; illa enim Dei ſententia (*morieris*)
continebat inuolutam conditionem, niſi ille Do-
minum deprecaretur, deprecatus tamen fuit, &
ideo mortem non obijt. Promiſit etiam Deus per
Iona 3. Ionam Prophetam poſt quadraginta dies Niniui-
tarum vrbem eſſe ſubuertendam, quæ tamen ſub-
uerſa non eſt, quia erat ſub conditione, ſi non pœ-
nituiſſent, quia tamen ad prædicationẽ Ionæ pœ-
nitentiam egerunt, ſubuerſionis effectus ſecutus
Abulenſ. non eſt, Vnde recte Abvlensis dixit: *Comminatio
in cap. 23. abſolute facta reſoluitur in conditionẽ.* Similiter Deus
Num. q. 8. promiſit populo Iſrael terram promiſſionis, quam
tamen nemo ingreſſus eſt niſi Caleb, & Ioſue; quia
illa promiſſio fuit cõditionata, nempe ſi filij Iſrael
in fide Dei ſui perſeuerarent, diuinis promiſſioni-
Ad Heb. 4. bus credentes; vnde Apoſtolus dixit: *Non profuit il-
lis ſermo auditus, non admiſtus fidei*: hoc eſt, ſermo,
quem audierunt per Moyſem de requie terræ Palę-
ſthinæ, non profuit illis, quia non fuit coniunctus
fidei; ac tandem Chriſto Domino dicente ad diſci-
Matth. 19. pulos ſuos, inter quos aderat Iudas: *In regeneratio-
ne, cũ ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſede-
bitis & vos ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim
tribus Iſrael:* & tamen conſtat Iudam non ſeſſurum,
quia promiſſio fuit ſub conditione perſeuerantiæ
in bono, quam quia Iudas non impleuit, ſedẽ pro-
miſſam nõ conſequetur. Quando tamen Deus pro-
miſſioni ſuæ addit iuramentum, id certe facit ad ſi-
gnificandum illam non eſſe conditionatam, ſed
ſimpliciter abſolutam, ac infallibiliter implen-
dam. Vnde Concilium Toletanum dixit, Deum
Conc. To- quandoque iurare ad ſignificandum, quod *quæ ab
letan. id re- ipſo ordinata ſunt, nullatenus retractantur.*
ferente Cœ-
leſt. ſuper

XII. Atqve hinc anſam ſumamus oportet, ad
Miſſus diſ- oſtendendum diuinarum promiſſionum certitudi-
nem, & immutabilitatem, humanarum vero è con-
curſu 42. tra inconſtantiam, & volubilitatem. David qui-
Pſal. 144. dem dixit: *Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis, &
2. Par. 6. ſanctus in omnibus operibus ſuis:* & eius filius inquit:
*Domine Deus Iſrael non eſt ſimilis tui, Deus in cœlo, &
in terra, qui cuſtodit pactum, & miſericordiam cum
ſeruis tuis, qui ambulant coram te in toto corde ſuo, qui
præſtitiſti ſeruo tuo Dauid patri meo, quæcunq; locutus
fueras ei, & quæ ore promiſeras, opere compleſti.* Non
ſolũ ergo Deus impleuit, quod promiſerat Davidi: *Pſal. 131.*
De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuã, mittens
filium ſuum, vt ex genere eius carnem aſſumeret;
ſed & voluit, vt illo iam carne induto ad vnguẽ &
perfectiſſime omnia, quæ de Deo prædicta erant,
de illo implerentur: hinc B. Virgine Chriſtum con-
cipiente, impletum eſt illud Isaiæ vaticinium: *Ecce* *Iſaiæ 7.*
Virgo concipiet, & pariet: naſcente illo in Bethlehẽ,
impletum eſt illud Michææ: *& tu Bethlehem, terra* *Michææ 5.*
*Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te
enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſrael.* Chri-
ſto in præſepio poſito inter bouem, & aſinum, im- *Iſaiæ 1.*
pletum eſt illud: *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & a-* *D. Chryſ.*
ſinus præſepe Domini ſui, vt annotarũt D. Chrys. B. *ſerm. de*
Cyril. nec non & Orig. quando nomen Iesvs ſu- *nat. Dom.*
ſcepit in circumciſione, impletũ eſt illud, *vocabitur* *D. Cyril.*
tibi nomen nouũ, quod os Domini nominauit: quando *hom. 5. de*
fuit in templo pręſentatus, impletum eſt illud Ma- *Trinit.*
lachiæ: *Statim veniet ad templum ſanctum ſuum* *S. Proſp. de*
dominator, quẽ vos quæritis: vt annotauit Theodo- *benedictio-*
ret. ſuper Iſaiam: quando propter Herodianam *nibus.*
perſecutionem in Ægyptum iuit, impletũ eſt illud *Orig. hom.*
Isaiæ: *Ingredietur Ægyptũ*: quando autem immanis *13. in Luc.*
facta eſt infantium occiſio, impletum eſt illud Ie- *Iſaiæ 62.*
remiæ: *Vox in Rama audita eſt, ploratus, & vlulatus* *Malach. 3.*
multus: quando redijt ex Ægypto, illud Oseæ im- *Iſaiæ 19.*
pletum eſt: *Ex Ægypto vocaui filiũ meum*: quando *Ierem. 31.*
in baptiſmo Iordanis aperti ſunt cœli, & ſuper ca- *Oſeæ 11.*
put eius ſedit Spiritus ſanctus ſub ſpecie columbæ, *Iſaiæ 30.*
impletũ eſt illud: *Reuelabitur gloria Domini, & vi-* *Iuſtinus*
debit omnis caro ſalutare Dei, vt obſeruauit Ivsti- *Martyr*
nvs Martyr Dialogo contra Triphonem: quan- *dial. cont.*
do in deſerto tentatus fuit à Diabolo, impletum eſt *Triphonẽ*
illud Zachariæ: *Oſtendit mihi Dominus Ieſum Sa-* *Iudæum.*
cerdotem magnũ, & Satan ſtabat à dextris eius vt ad- *Zach. 3.*
uerſaretur ei, vt annotauit Origenes iuxta allego- *Orig. hom.*
ricum ſenſum, nec non & D. Ambrosivs libro de *9. Leuitici.*
Fide. Quando Chriſtus Dominus turbas docebat, *D. Ambr.*
impletum fuit illud: *non faciet auolare à te vltra do-* *lib. 5. de fi-*
ctorem tuum; & erunt oculi tui videntes præceptorem *de cap. 4.*
tuum: quando ab humanis corporibus dæmonia *Iſaiæ 30.*
expellebat, impletum fuit illud: *In illa die viſitabit* *Iſaiæ 27.*
*Dominus in gladio ſuo duro, & grandi, & forti ſuper
Leuiatan ſerpentẽ veterem*, vt aduertit Tertvllia- *Tertul. l. 4.*
nvs: quando miracula patrabat, impletum fuit il- *contr. Mar-*
lud: *Aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum* *cionem.*
patebunt, tunc ſaliet, ſicut ceruus claudus, & aperta e- *Iſaiæ 33.*
rit lingua mutorũ: vt ſanctus Hylarivs annotauit: *D. Hylar.*
quando è Templo illud prophanantes expulit, im- *ſup. Pſ. 105*
pletum fuit illud Davidis: *Zelus domus tuæ comedit* *Pſal. 68.*
me: cum ingredientem Ieruſalem infantes illum *Pſalm. 8.*
laudabant, impletum fuit illud Regij vatis: *Ex ore
infantium Deus, & lactentiũ perfeciſti laudem*: quan-
do tunc Hebræi varijs conuitijs, & detractionibus
illum lacerantes conſilium inierunt ad illum occi-
dendum,

Psalm. 2. dendum, impletum fuit illud: *Quare fremuerunt
gentes; & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges
terræ, & principes conuenerunt in unum aduersus Do-
minum, & aduersus Christum eius*: quando discipu-
los suos ad Eucharistiæ mensam inuitauit, imple-
Isaiæ 23. tum fuit illud: *Et faciet Dominus conuiuium in mon-*
Aymon *te hoc*, vt obseruauit AYMON super Isaiam: quando
sup. Isa. 23. triginta argenteorum pretio sacrilego ausu vendi-
tus fuit, impletum nouimus illud ZACHARIÆ:
Ruffin. in *Appenderunt mercedem meam triginta argenteis*, vt
exposit. exponit RVFFINVS super Symbolum: quando à fa-
Symboli. miliari, & domestico discipulo, & per proditio-
nem in manus inimicorum fuit traditus, imple-
Psalm. 87. tum est illud PSALMI: *Qui edebat panes meos, magni-*
D. Chrys. *ficauit super me supplantationem*, vt tradit CHRYSOS.
tractatu quando discipuli fugientes appropinquante mor-
quod Chri te illum deseruerunt, impletum fuit illud, quod in
stus sit eius persona prædixerat IOB: *Fratres meos longe fe-*
Deus. *cit à me; & noti mei, quasi alieni recesserunt à me*, vt
Iob 19. exponit D. GREGOR. in suis Moral. quando variis
Greg. ibid. opprobriis fuit impetitus, impletum fuit illud: *Pro-*
Psalm. 68. *pter te sustinui opprobrium tota die, operuit confusio*
Orig. in c. *faciem meam*, vt interpretatur ORIGENES super
27. Matt. Matthæum: quando alapis percussus, & flagellis
Isaiæ 50. cæsus, impletum fuit illud ISAIÆ: *Corpus meum de-*
di percutientibus, & genas meas vellentibus: quando
Pilatus dixit: *Ecce homo*, & Iudæi clamabant: *Tol-*
Isaiæ 5. *le, tolle*, impletum fuit illud: *Expectaui, vt faceret iu-*
dicium, & ecce iniquitas, & iniustitia, & ecce cla-
Tertul. lib. *mor*, vt explicat TERTVLLIANVS aduersus Iudæos:
contra Iu- quando ligneam crucem humeris suis baiulabat,
dæos. impletum est illud: *Et factus est principatus super*
Isaiæ 9. *humerum eius*, vt docet IVSTINVS in suo Apologe-
Iustin. in tico: quando ligno Crucis affixus, impletum fuit
Apologet. iuxta expositionem HIERONYMI ad Augustinum
2. pro Chri- illud IEREMIÆ: *Venite, mittamus lignum in panem*
stianis. *eius*: quando acutissimis clauis manus & pedes e-
Ierem. 1. ius fuerunt confossi, impletum est illud PSALMI.
Psalm. 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos*: quando sitibun-
Psalm. 68. dus aceto fuit potatus, impletum credimus illud
Hieron. in DAVIDIS: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea*
symbolo *potauerunt me aceto*: quando in latere percussus fuit
Ruffini. lancea à Longino, impletum est, iuxta HIERONY-
Isaiæ 48. MVM, illud ISAIÆ: *scidit petram, & fluxerunt aquæ*:
Amos 8. quando sol obscuratus est in nece Domini: imple-
Tertul. lib. tum est (vt ait TERTVLLIANVS) illud AMOS Pro-
4. contra phetæ: *Occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam*
Marcionẽ *terram in die luminis*: quando sepulturæ mandatus,
cap. 61. & in sepulchro nouo positus, impletum fuit (vt ait
Iust. Mar- IVSTINVS MARTYR) illud ISAIÆ: *& erit sepul-*
tyr. Dialo. *chrum eius gloriosum*: quando descendit ad infe-
cõt. Triph. ros, & carceres expoliauit, tartareas regiones con-
Isaiæ 11. triuit, impletum fuit illud: *Gloriosos terræ humiliabo,*
& 45. *portas æreas conteram, vectes ferreos confringam*, vt
Hylar. in HYLARIVS interpretatur: quando victor de mor-
Psal. 138. te surrexit ad immortalem vitã, impletum fuit te-
Cyprian. ste CYPRIANO illud DAVIDICVM: *Exurge gloria*
lib. 2. cont. *mea, exurge Psalterium, & cithara; exurgam dilucu-*
Iudæos. *lo*; quando triumphans super cœlos ascendit, ecce
impletum illud PSAL. *Ascendit Deus in iubilatione,* Psalm. 56.
& Dominus in voce tubæ: sedente in cœlo ad dexte- D. Chrys.
ram patris, impletum fuit, quod cecinerat DAVID: tract. q
Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, vt Christus
RABANVS explicat in comment. huius loci: quando est Deus.
in cœlo regnans inde Spiritum sanctum misit su- Psal. 46.
per discipulos, & ad prophetandum, & ad euange- Psal. 109.
lizandum diuina illustratione mentes eorum in- Raban.
struit, & linguas disertissimas reddidit, aperte satis sup. Psal.
impletum fuit illud IOELIS: *Effundam de spiritu meo* 109.
super omnem carnẽ, & prophetabunt filij vestri, iuxta Ioel. 2.
expositionem D. PETRI: quando deinde diuino Actor. 2.
spiritu afflante Apostoli in varias mundi regiones
diuisi euangelicam doctrinam disseminarunt, im-
pletum fuit illud DAVIDIS: *In omnem terram exiuit* Psal. 18.
sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum; vt Ad Rom.
Doctor gentium explicuit ad ROMANOS scribens; 10.
ac tandem si omnia, quæ Deus promisit, ac fidelis-
sime impleuit, recensenda mihi forent, oporteret,
vt in infinitum abiret oratio.

XIII. QVOD si aliquando videatur Deus aliquid
pollicitus fuisse, & non impleuisse, vt in Rege Eze-
chia, Niniuitis, & aliis paulo ante commemoratis,
dicendum est primo ex doctrina Angelici Docto-
ris S. THOMÆ, quod Deus aliquando pronunciat D. Thom.
aliquid futurum, secundum quod cõtinetur in or- p. p. q. 19.
dine causarum inferiorum, vt puta, secundum dis- ar. 3. & 2.
positionem naturæ vel meritorũ, quod tamen re- 2. q. 171.
ipsa non fit, quia aliter est in causa superiori diui-
na: quomodo prædicta fuit Ezechiæ ægrotanti
mors, & peccantibus Niniuitis subuersio; quod ta-
men non ita euenit, quia ab æterno aliter fuit in
scientia; & voluntate diuina, quæ immutabilis est.
Et propter hoc dicit GREGOR. quem referunt D. D. Greg.
THOM. & GLOS. ORDIN. quod *Deus immutat sen-* lib. 20.
tentiam; non tamen immutat consilium: quæ verba mor. c. 23.
exponens ibidem GLOSSA ORDINARIA: *per senten-* D. Tho. p. p.
tiam (inquit) *debemus intelligere sensum verborum:* q. 19. ar. 7.
consilium vero ab æterna dispositione est. Secundo Glos. ordin.
dicendum, quod in libro præscientiæ diuinæ non sup. c. 38.
omnia, quæ in eo scripta sunt, prophetæ legentes Isaiæ.
percipiunt, sed quædã tantum iuxta diuinũ bene-
placitum; atque inde est, quod ISAIAS in illo libro
legerat, Ezechiæ iuxta eius opera non fore vltra
protendendam vitam, non tamen legit ibidem la-
crymas, & instantes preces, quibus longiorem vi-
tam erat impetraturus. Similiter etiam IONAS in
eodem diuinæ præscientiæ libro legerat ob Niniui-
tarum scelera quadragesimo die fore complendã,
& iuxta illorum merita ciuitatem penitus deua-
standam, non autem legerat futurum esse, vt per e-
ius prædicationem in cinere & cilicio pœnitentiã
essent acturi, & misericordiam consequuturi. Vter-
que igitur, quod legerat, prædicauit; sed quia Deus
aliud disposuerat, quod ipsos tunc latebat, ideo
quædam prædixerunt, quæ tamen postea non fue-
runt exequutioni mandata, sed vice illorum alia
excellentiora Deus impleuit, misericordiæ suæ
thesauros ostentans.

XIV. TAM igitur Deus fidelis est in suis adimplendis promissis, vt frequentissime maiora dona conferat, quam promiserat. Promisit quidem tempore Moysis, & Aaron virgam eius, qui in sacerdotem esset eligẽdus, flores esse germinaturam, postea vero non solum germinauit flores, sed & fru- Num. 17. ctus produxit: *Turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis, in amygdalas deformati sunt.* pollicitus fuerat Deus iusto illi Simeoni nõ prius è vita discessurum, quam oculis suis Verbum diuinum Luca 2. humana carne indutũ conspiceret: *Responsum acceperat Simeon à Spiritu sancto, non visurum se mortẽ, nisi videret Christum Domini:* postea tamen non solum datum est ei, vt videret, sed vt vlnis suis susciperet, & proprijs manibus contrectaret. Ecce maiora Deus implet, quam promiserat, cuius tamen contrarium semper factitat fallax mundus, qui cũ magna tibi polliceatur, paucissima tamen, eaque curte, diminute, & auare nimis implet: in cuius figuram legimus, quod Laban promiserat Iacob pulchram filiam Rachel in vxorem, si septem integros annos ei inseruisset, sed inito pacto, & transacto se- Gen. 29. ptennio, vice pulcherrimæ Rachelis sibi promissæ tradidit ei filiam suam Liam, quæ lippis erat oculis; non secus certe fraudulentus hic mundus per Laban, qui *dealbatio* interpretatur, merito significatus, quia mundus velut sepulchrum dealbatum est, quod foris splendet, & intus fœtet, hic inquam promittit pulchram Rachelem, quæ *ouis* interpretatur, quæ symbolum est abundantiæ, quia lacte suo nutrit, carne pascit, lana corpus induit, & pelle pedes calceat: bonorum igitur copiam promittẽs, inopiam donat, ac vice pulchræ Rachelis lippientem Liam, quę *laborem, & defatigationem* significat, nobis tradit, non sic, non sic noster Deus (inquit Maria,) sed quod olim promisit, in plenitudine tẽ- Luca 1. poris ad amussim compleuit: *Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in sæcula:* semini (inquam) non solum carnali, sed spirituali, vtrũque enim Deus comprehendit, cum Abrahæ dixit: Gen. 22. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & sicut arenam, quæ est in littore maris:* semen quidem carnale, hoc est, *Iudæos* accipit per *arenam*; semen vero spirituale, hoc est, *fideles* intelligit per *stellas cœli* fidei lumine splendentes.

XV. NOS igitur Catholici Ecclesiæ Romanæ legitimi alumni, verum semen, & veri filij Abrahæ sumus per Christum, qui de semine Abrahæ carnem assumpsit, vnde Apostolus dixit: *Si autem & vos Christi, ergo semen Abrahæ estis, secundum promissionem hæredes.* & alibi: *qui ex fide sunt, hi sunt filij Abrahæ*: sic enim Zachæum Christus Dominus filiũ Abrahę nominauit, & mulierem illam fidelem, quę per decem annos incuruata, tandem curata fuerat, filiam Abrahæ nuncupauit; perfidi autem Iudæi, quibus Christus Dominus dicebat, cum sese filios Abrahæ iactabant: *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*, ab Abrahæ fide degenerarunt, & ideo ab eius filiatione longe absunt, ipso Deo de illis dicente: *Filij alieni mẽtiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis tuis:* quibus verbis videtur DAVID allusionem facere ad claudicationem Iacob Iudæorum claudicationem adumbrantem; sicut enim Iacob pedem vnum claudum habebat, alium rectum & sanum, ita duo sunt filij Abrahæ, Iudæi quidem claudicantes, Christiani vero secundum fidem sani, & recti.

Ad Gal. 3. Luca 19. Luca 13. Ioan. 8. Psal. 17.

XVI. AD extremum aduertendum est (vt proposita verba magis enucleata maneant) quod cum Beata Virgo addidit *in sæcula*; bifariam contextus potest ordinari; primo cum vltimis verbis superioris versiculi, nempe *recordatus misericordiæ suæ*: ita vt hunc sensum reddant: Deus recordatus misericordiæ suæ in sæcula, hoc est, in æternum, quia dictũ est, *quoniam in æternum misericordia eius*: secundo potest ordinari cum verbis huius vltimi versiculi: nempe, *sicut loquutus est*, & tunc idẽ valet, quod per *sæcula*, hoc est, per singulas ætates successiue: ac si diceret: nunquam cessat omnibus benefacere Pater misericordiarum: cui sit honor, & gloria in sæcula sęculorum,

Luca 1. Psal. 135.

AMEN.

FINIS LIBRI SEXTI.



DE EXPECTATIONE PARTVS DEIPARÆ MARIÆ, AC DE PERPEtua, & nunquam violata integerrima eius Virginitate,

LIBER SEPTIMVS.

Homilia I.

FESTI EXPECTATIONIS PARTVS PRIMORDIA TRADVNTVR; & tria, quæ complectitur hoc Festum, variâ eruditione enucleantur, explicatis illis verbis: Venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus lilijs.



RIA, quæ complectitur præsens festiuitas, nimirum Deiparæ Mariæ inuiolatæ virginitatis cultum, felicissimi eius partus expectationem, nec non singularem illam nomenclaturam: qua apud Hispanos Festvm Dominæ Nostræ De La. O. nuncupatur, mirifico artificio clausit Spiritus sanctus in dulcissimis illis verbis, in quibus non pauca deli-
Cant. 7. tescunt sacramenta: *Venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus liliis.* Lilia apud Antiquos symbolum extiterunt virginitatis propter innatum eorum candorem; ac miram fragrantiam: ecce Marianæ virginitatis cultum. Spei etiam lilia argumentum erant, quia à radice præcisa, quando folia inter sese complicata sunt, adhuc expectantur in aqua fore explicanda, & expandenda, ac suauissimum emissura odorem: ecce festum expectationis partus, in quo fœtus, instar odoris, qui absque floris violatione prodit, è thalamo Virgi-
Ibid. nis egressurus erat: *Venter* autem *aceruo tritici* comparatur, qui figuram habet orbicularem: ecce delineatam nomenclaturam illam Festi Dominae Nostrae De La. O. in qua mira latent arcana in præsenti homilia à nobis detegenda, quæ ad illustrandum propositum Canticorum locum non parum conferent,

II. In primis tamen, antequam ad hæc elucidanda veniam, oportet Festi huius originem recensere. narrant Hispaniarũ rerũ historiographi, hæresim illam, integerrimam Deiparæ Mariæ virginitatem negantem, quam Diuus Hieronymvs multis & efficacissimis argumentis expugnauerat, & quasi mortuam sepelierat, eandem iam sepultam Pelagium & Elladium hæreticos ex Gallia Gotica, in Hispaniam venientes tempore D. Ildefonsi ab inferis reuocasse, & illam euulgare cœpisse: tunc autem circa annum Dominici circiter sexagesimum supra sexcentesimum sub Martino I. conuenerunt in Concilium Toletanum decimum Eugenius III. Archiepiscopus Toletanus, & decem & septem alij Episcopi, regnante Catholico Rege Recensuintho, qui vnanimi consensu nunquam violatam Deiparæ virginitatem acclamarunt. In quo sane mihi videtur illis contigisse, quod olim Ephesijs; qui Dianam, hoc est, lunam, tanquam Deam venerabantur, cui dicarunt celebre illud templum, quod Dianæ Ephesinæ vocabatur, & quod plebeius quidam, & infimi nominis homo, vt æternum sibi compararet nomen, tentauit igne supposito penitus demoliri; hanc etiam falsam Deam cum sagittarum manipulo depingebant, varios influxus significantes, quibus terram fœcundabat, & locupletabat, his acutis sagittis Ephesiorum corda adeo vulnerauit, vt cum Ephesis prædicante Paulo, mira diuini

Verbi virtute inciperet Dianæ veneratio corruere, Demetrius quidam argentarius conuocatis opificibus suæ artis, proposita illis sui lucri magna iactura, præcipue tamen collapsæ antiquæ venerationis magnæ Dianæ, quam non solum Asia, sed vniuersus Orbis colebat, ita Ephesiorum animos in defensionem Dianæ inflammauit, vt omnes pa-
Act. 28. riter in illa verba prorumperent: *Magna Diana Ephesiorum*: non secus Eugenio Archiepiscopo Toletano varios Episcopos ad Concilium conuocante, de instaurando, & resarciendo Marianæ virginitatis honore ab hæreticis impudenter læso, omnes vna voce acclamarunt, non quidem falso & impie, vt illi: *Magna Diana Ephesiorum*; sed pie & vere: *Magna integerrima Virgo Maria*: cuius virgineæ integritatis veritas vt fidelium mentibus firmius inhæresceret, publico edicto hi Patres præceperunt, vt octauo die ante natiuitatem Domini præsens festum celebraretur, id quod anno proximo Sanctus Ildefonsus, qui eo anno ob Eugenij mortem in Archiepiscopum Toletanum electus fuit, executioni diligenter mandauit. erat enim virgineæ integritatis Mariæ acerrimus defensor: vnde sicut olim Cherubim cum
Gen. 3. gladio versatili paradisum voluptatis custodiebat, ne à quopiam conculcari posset, & vt quondam Propheta Daniel Susannæ castitatem ab impudicis illis senibus eam commaculare conantibus defendit, ita S. Ildefonsus, vt nomen ipsum præsefert, quod à multis interpretatur *ille defensor*, quasi per antonomasiam, Mariani paradisi vigilantissimus custos, ac virgineæ eius castitatis indefessus & inuictissimus propugnator extitit. In cuius singularis obsequij, & protectionis præmium, cum ipse accederet ad officium Matutinum illius festiuitatis, cœleste indumentum de manu Reginæ Angelorum suscepit, quod modo magna veneratione asseruatur in Hispania in ciuitate Ouetensi; & vt perpetua tanti beneficij memoria nunquam aboleretur, singulari cultu custoditus perseuerat hucusque lapis, in quo ex vetustissima, & indubitata maiorum traditione sacrata Virgo plantas posuit, & iugiter Hispani adoramus locum, *vbi steterunt pedes eius*, Ecclesiaque Toletana in insignibus & stemmatibus suis id vbiq; repræsentat.

III. Caeterum ad tria illa, quæ præsens Festum complectitur, & prosequi polliciti sumus, sermonem conuertentes, certe Spiritus S. vt virginei vteri miram puritatem declararet, candidis lilijs illum circumdedit; vt autem significaret, Mariam vndequaque virginem esse mente & corpore, consulto dixit, ventrem eius vallatum esse lilijs, quod enim vallatur, vndique cingitur. Atque hinc ortum habuisse existimo laudabilem Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem, constituentis ante imaginem Virginis tanquam insignia, & stemmata propria, vas mundissimum candidissimis lilijs plenum, ad manifestandum certe eius Virginitatem non esse communem, & vulgarem instar aliarum virginum, quæ eo ipso, quod illam seruant, fœcunditate carent, mirum in modum lilia prodesse agnouit, quippe cũ miro eorũ candore tam eximiam fœcunditatem habent coniunctam, vt ex vno duntaxat illorum semine in terram sato tota area lilijs impleatur: quemadmodum etiam candidum lilium sex habet folia candida, in tot similiter diuiditur castitas ad expugnanda sex libidinis vitia, quæ illam demoliri satagunt, fornicatio, incestus, adulterium, stuprum, venereum sacrilegium, & peccatum contra naturam. Ac tandem, quemadmodum flos lilij intus continet semen aureum, septem habens grana; sic Maria, virtute Spiritus sancti grauida, semen illud aureum & diuinum, æterni Patris filium, in medio sui vteri continebat, qui septem donis Spiritus sancti erat exornatus, quia septiformis spiritus super illum requieuit, vt
prædixit Isaias: ecce per lilia virginitatem Dei- Psal. 11.
paræ cum mira eius fœcunditate coniunctam e- Isa. 11.
gregie adumbratam.

IV. Cvm autem obiiciunt hæretici, quod si Deipara fuisset perfecte fœcunda, oportuisset non vnum, sed plures filios edidisse, quia quanto fœmina sæpius concipit, tanto fœcundior esse perhibetur. Nullius prorsus momenti est versuta hæc, & hæretica calumnia, quam proinde non aliter infringam, quam ex fabula illa vulpis, cuius nonnulli meminêre Poetæ: illa enim ad leænam contendente, minus eã fœcundam esse, cum nonnisi vnum ederet fœtum, ipsa vero perplures, certe leæna respondit, vnicum tantum partum eius pluris æstimandum, maiorisque valoris esse, quam omnes simul fœtus generis vulpini; seque fœcundiorem esse iudicandam, vnum solum fœtum producentem, quam vulpem multos parturientem: sic sane nihil diminuit excellentiam fœcunditatis Deiparæ Mariæ, quod vnicum tantum, & non plures filios peperit, cum ille solus omnium aliarum matrum natos infinito perfectionis interuallo superet. Aliæ enim matres fallaces vulpes, quæ demoliuntur vineas, pariunt, Davide dicente: *Mendaces filij hominum*: B. autem Virgo peperit leo- Psal. 61.
nem de Tribu Iuda, Christum scilicet Dominum,
qui de seipso dixit: *Ego sum via, veritas, & vita*. Ioan. 14.
atque hoc est primum, quod præsenti Festo celebrat nostra Hispania, virginitatem scilicet Deiparæ per fœcunditatem eius minime labefactatam, sed potius auctam & illustriorem factam, de qua longus nobis restat in sequentibus habendus sermo.

V. Nvnc sufficiat explicare vim illius verbi *vallatus*; certe *vallum* significat locum munitissimum exercitus, vbi milites resident cum ciuitatem aliquam obsident, vel è regione inimicorum se constituunt, vnde *vallare*, idem est ac fossa circumdata li-

ta lignis fortissimis,&terreo muro locum militum struere; ad quod alludens Diabolus Deo dixit de IOB: *nonne tu vallasti eum?* immo, & Christus Dominus in Euangelio ait: *Circumdabunt te inimici tui vallo*: [Iob 1. Lucæ 19.] lilijs ergo vallatur frumentum, quia fœcunditas Mariæ à virginitate fuit custodita velut ab exercitu militum armatorum, nec passa est illam quidquam lædi, sicut aliæ fœminæ læduntur, in quibus virginitas obest fœcunditati, & virginitati fœcunditas.

VI. SECVNDVM, quod complectitur hoc Festum, est Expectatio virginei partus, præsertim cum B. Virgo proxima erat ei: quod etiam eleganter significauit Spiritus sanctus per lilia, quia flos illorum hieroglyphicum erat olim *spei*, & vt refert PIERIVS VALERIANVS, [Pier. l. 55. c. de lilijs.] in multis antiquorum Imperatorū nummis ex altera facie Dea quædam sculpta erat, lilium dextera protēdens, cū hac inscriptione: *Spes publica* [Psal. 11. Isa. 11.] quod præsenti argumento mirifice conuenit, cum in B. Virgine partum redemptoris expectante, tanquam in communi omnium matre omnes fideles eundem exspectarunt; vnde merito illi hodie quadrat inscriptio illa: *spes publica*: ratio autem, propter quam lilium in spei symbolum accipiebatur, iam supra tacta est, quia hasta illius à radice præcisa, quando nullius floritionis videtur spes habenda, adhuc effloreseit, postea folia sua expandens, ac suauem odorem emittens; cui consonat illud IOB: [Iob 14.] *Lignum habet spem, si præcisum fuerit, rursum virescit, & rami eius pullulant.* Licet antiqui Patres firma spe Christi venturi præmuniti essent, multo tamen firmior erat spes Mariæ, quia illorum soli Deo promittenti nitebatur. Mariæ autem spes non solum diuina promissione firmata, sed pignore etiam rei promissæ sibi exhibendæ, ab ipsa accepto, constabilita erat. Pignus hoc fœtus erat in ventre conceptus, qui cum Spiritum sanctū habuisset opificem, nullus in Virginem poterat aborsus timor subrepere, qui spem eius infirmaret. Est autem manifestum augeri, & firmiorem reddi in nobis spem de futura exhibitione rei nobis promissæ, cum non solum verbum promittentis, sed insuper preciosum pignus ab eo accepimus, vnde si quidam firmam spem vocarunt, *vitam vitæ*, [Psal. 61.] quia vita sine spe mors est, alij *fugam timoris*, alij *condimentum insulsi*, [Ioan. 16.] alij *solatium laborum*, alij cum D. PAVLO, *firmissimam anchoram*, certe dilatio partus, qui Mariam excruciabat, SALOMONE dicente: [Prou. 13.] *Spes, quæ differtur, affligit animam*, magnum solatiū habuit comitem ad sui doloris leuamen, spem scilicet firmissimam, qua infantem Christum intra breue octo dierum curriculum se parituram certissime expectabat. Vnde videor mihi Mariam proferentem audire verba illa patris sui DAVIDIS: [Psal. 129.] *Sperauit anima mea in Domino, à custodia matutina vsq; ad noctem*: bene inquit, *vsque ad noctem*, [Sap. 18. Eccl. in Missa Vir. Natiuit.] quia in nocte nasciturus erat Christus Dominus: *Dum medium silentium teneret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet.* CASSIODORVS vertit: *Sperauit anima mea in Domino, qui est verbum Patris, & de Virgine nasci dignabitur.* Fauetque huic interpretationi PARAPHRAST. CHALDÆVS dicens: *Anima mea ardentius desiderauit aduentum Domini, quam vigiles nocturni aduentum matutinum*, hoc est, quam Prophetæ, & sancti Patriarchæ, de quibus ISAIAS [Isaia 62.] dixit: *Super muros tuos constitui custodes:* quib. verbis allusionem facit ad speculatores militares in arcibus constitutos, qui vigilantes & tota nocte insomnes aduentum solis auidissime cupiunt: non minus ardenti, sed feruentiori potius desiderio B. Virgo expectabat aduentum solis iustitiæ: *Sperauit anima mea in Domino, à custodia matutina vsque ad noctem:* non fuit fraudata certe Deipara Maria à sua firma spe, quia illam collocauit in Domino.

VII Vos, ô mundi sectatores, millies fraudamini vestra spe, qa ponitis illā non in Domino, sed in rebus caducis, & futilibus; vnde merito vanam vestram *Spem* vt antiqui ad viuum exprimerent, fœminam quandam pingebant à vertice capitis vsque ad plantas pedis ex nubibus compactam, forsan alludere volentes ad facetam fabulam illius viri, cui cum data esset in vxorem Iuno, cuius corpus factum fuerat ex subtili nube (quæ facile ad solis aspectum in pluuiam resoluitur) cum voluit illam amplexari, nihil aliud reperit, quam vaporem facile euanescentem; non dissimiliter vobis contingit, qui in vanis ac fugacibus huius sæculi bonis spem vestram collocatis: nam cum auidissime ad illam apprehendendam manus admouetis, nihil solidum, & stabile inuenitis, omnia sunt inania, & infirma non secus ac nubes, quam flatus venti dissoluit. vnde prudenter loquutus est, qui dixit: *Spes vana vigilantium somnus est:* non sic, non sic erat Spes Deiparæ, non in creaturis, sed in summo, & increato bono totam suam spem fixam habebat. Placet quidem Deo, vt multa admodum sacrificij ei offerantur, cuius vna pars spectabat ad Deum, alia ad sacerdotem; placet quidem illi, vt partim in pauperes erogetur, partim in emolumentum vestræ familiæ; placet vt partem temporis in vacando orationi insumas, partem etiam honestis lucris comparandis præbeas, & sic similiter in alijs; at cum de spe agitur, non placet sibi sacrificium vt partim in creatore, partim in creaturis; spei holocaustum à te postulat, vt sicut illud totum in Dei obsequium igne consumebatur, ita totam tuam spem, & fiduciam absque vlla diuisione in solo ipso constituas.

VIII. FACIT mirifice ad hoc explicandum illud, quod supra GENESEOS narrat historia; præcepit Dominus Noe, vt in Arca fenestram quandam faceret

Gen. 6.

faceret vnius cubiti magnitudinem habentem: *Fenestram in Arca facies, & in cubito consummabis eam*: hæc fenestra non fuit ex ligno, sicut Arca; sed ex clarissimo crystallo, vt auctor est doctissimus COMMESTOR in sua historia scholastica; vnde nõnulli, vbi nostra vulgata legit: *facies fenestram*: verterunt: *facies lucernam*, quia cum fenestra esset crystallina, irradiante illam sole, instar ardentis facis ac splendidissimæ lucernæ apparebat. Docet autem OLEASTER, ex contextu ipso nõ obscure colligi Deum fenestram hanc in tecto fieri præcepisse; quia postquam loquutus fuerat de fenestra, continuo adiecit, vt faceret ostium in latere Arcæ, quasi in eo condistinguens locum ostij à loco fenestræ, vt illa in tecto, hoc in latere Arcæ fieret. videbatur sane (si res humano modo pensanda est) conuenientius fuisse, etiam fenestram in vno latere Arcæ fieri, vt sic habitantes in Arca per illam fenestram intuentes explorare possent tempus, quo inundatio cessasset, & terra discooperiri cœpisset, & sic ab Arca egrederentur, ita sane faciendum videbatur humano consilio, sed non diuino: consulto enim voluit Deus fenestram illam crystallinam in tecto Arcæ fieri; quia cum per illam nec modicum terræ, sed solum cœlum pateret, intuentes per eam grassante illo vniuersali naufragio, cum tumentes aquarum vortices celsissimos quosque montes inundabant, minime in terrestribus euentibus, sed in cœlestibus Dei consilijs totam suam ponerent spem, ac soli diuinæ prouidentiæ se totos fiducialiter committerent.

Commest. in sua hist. scholast.

Oleaster su per c. 6. Gẽ.

IX. CÆTERVM iam ad singularem illam nomenclaturam, quã Hispani huic solemnitati adhibent, vocitantes eam *Festum Dominæ nostræ de la O.* propius accedens, duplicem illius rationem adhibeo: Prima est, quia festum hoc incidit in eundem diem, in quo Ecclesia Catholica intonare incipit Antiphonas illas, quæ inchoantur per Latinam hanc interiectionem, O] desiderium aduentus Christi exprimentem: O sapientia: O Adonai: O radix Iesse: O clauis Dauid: O oriens splendor: O rex gentium: O Emanuel, & ideo ab illa Festum hoc nomen merito mutuauit. B. Virgo his præcipue diebus natiuitatem Christi expectans varijs & ardentissimis desiderijs Christum videndi æstuabat.

X. SECVNDAM rationem desumo ex mira proportione & conuenientia, quam habet litera hæc. O, ad virginitatem, fœcunditatem, & alia sacra Virginis arcana detegenda. Et quidem in primis, inter omnes alphabeti characteres hic solus grauiditatem præsefert, vt non immerito ad grauidum Virginis vterum significandum adaptetur, ad idque denotandum sponsus in præcitatis verbis Canticorum Deiparæ Mariæ prægnantem ventrẽ aceruo tritici congruentissime comparauit: *Venter tuus sicut aceruus tritici*: nomine *tritici* Christum intelligit, qui à ZACHAR. appellatur *frumentum electorum, & vinum germinans virgines*: ipseque de se dixit: *nisi granum frumenti cadens in terrã mortuum fuerit, ipsum solum manet*; per quod fœcunditatem Mariæ aperte significauit, per *aceruum tritici* eleganter satis designatam: tum quia frumentũ symbolum est fœcunditatis non solũ apud prophanos, sed & sacros auctores, vt constat ex somnio Pharaonis, cum in signum futuræ abundantię vidit culmũ stantem cum septem spicis, significantibus septem vbertatis annos in Ægypto futuros: *Septem spicæ pullulabant in culmo vno, plenæ atque pulcherrimæ*: tum quia solum annum illum fertilem iudicare solent agricolæ, qui magnam frumenti copiam affert, licet in reddendis alijs fructib. vt pomis, malogranatis, & similib. auarus fuerit; è contra vero si penuria frumenti vrgeat, licet magna aliorum fructuum copia suppetat, sterilem annum esse dicunt, *aceruus* ergo *tritici* Marię fœcunditatem iure optimo adumbrat.

Zach. 9.

Ioan. 12.

Gen. 41.

XI. SIMILIS etiam est prædictæ similitudini alia eiusdem Sponsi dicto cap. dum ait: *Venter tuus sicut crater tornatilis*, id est, orbicularis, & rotundus: satis superque constat figuram hanc omnium capacissimam esse, ideoque recte ventri Mariæ quadrat, quæ fœcunditatem cum virginitate coniunctam, quam tota natura etsi amplissima capere nõ potest, in se vna continuit, immo & ipsum Deum, quem cœli cælorum capere non possunt, suo gremio contulit, vt canit ECCLESIA. Vnde si olim in Faustinæ nummo circulus imprimebatur, cũ scriptione hac: *Magnæ matri*: vt auctor est PIERIVS, potiori iure & circulus ille, & subscriptio hæc Mariæ debetur, quæ tanquam magna mater, non iam tantum vt Faustina circulum orbem significantem, sed & Dominum orbis, & conditorem circumdedit, iuxta vaticinium IEREMIÆ: *Fœmina circumdabit virum.*

Cant. 7.

Eccl. in resp.

Pie. Valer. in Hierogl. lib. 29.

Ierem. 31.

XII. VERVM alia etiam ratione aptissime vterum Mariæ circularem esse dixit, quia & hæc figura eo, quod vndique clausa sit, virginalem clausuram Mariæ refert, & symbolum etiam munditiæ apud veteres omnes semper extitit, VIRGILIO teste in epigram. de viro bono, cuius ratio est, quia figura circularis angulis caret, in quib. sordes facile delitescere solent; vnde etiam apud Latinos *orbis* idem pollet, quod *mundus*.

XIII. ADHÆC, si figuræ circulari omnes mathematici primas deferunt in pulchritudine: vnde cœlestibus orbibus, qui sunt pulcherrima omnium corporum, non aliam quam orbicularem figuram naturæ auctor contulit; id etiam significat animari illius cœli virginei vteri Mariæ prægnantis eximiam pulchritudinem per *aceruum* etiam *tritici* egregie adumbratam, cum tota campi pulchritudo in copia frumenti, & fructuum vbertate consistat.

XIV. Ac tandem cum in Euangelica hodiernæ festiuitatis lectione de ineffabili incarnationis mysterio sermo fiat, recte ad id significandum præsens Festum nuncupationem ab O mutuauit: est enim satis manifestum in figura hac circulari coniungi principium cum fine; Verbi autem diuini Incarnatio quid aliud est, quam initium nostræ salutis, & finis diuini consilii, & humani desiderii, ac mira copulatio Creatoris, qui est omnium principium, cum homine, qui in prima rerum creatione fuit vltimus creaturarũ? HOMERVS ille (inter Græcos Poetas facile Princeps) circularem catenam effinxit è manu Dei de cœlo in orbem suspensam, atque omnia creata mutuis circulis religantem, eamque fieri solis virtute, qui per omnia gyrans cuncta lustrat per circuitum; solis enim virtutem mundi esse mentem, & viuificatricem dicebant Platonici, huius circularis catenæ descriptio consonat non parum nostræ fidei, siquidem ipse Dominus ait: *Ego sum Alpha, & O mega*, hoc est, principium, & finis. Principium quidem rerum omniũ, quia ab eo effluxerunt, & finis earum, quia in eum omnia sunt ordinata: *vniuersa enim propter semetipsum operatus est Dominus*: vbi *propter* causam finalem denotat. Hoc igitur principium, quod est finis omnium rerum, clausit in se B. Virgo, cum dixit: *Fiat mihi secundum verbum tuum*: vnde recte illi dicere possumus in hoc die, quod æterno patri: *Tecũ principium* (ô Virgo sanctissima) *in die virtutis tua*, vel (vt habet lectio Hebraica:) *Ex vtero aurora ros tibi adolescentia tua*. Idem enim Dei filius ex vtero paterno ante tempora, & à diebus æternitatis genitus, in Mariæ vtero in tempore conceptus delitescit.

Apoc. 1.
Prou. 16.
Luc. 1.
Ps. 109.

XV. Si igitur fratres vultis Christum concipere, eximiam Mariæ puritatem æmulamini, quia cum ille sit puritatis fons, puram mentem quærit, & in ea summa voluptate requiescit. Vt hanc autem munditiam nanciscamini, oportet à sordida huius sæculi conuersatione sequestrari, vt per ZACHARIAM monet vos Dominus: O, O, *fugite de terra Aquilonis. O Sion fuge, qua habitas apud filiam Babylonis*: ter quidem repetit O, tum quia triplex est concupiscentia, carnis, oculorum, & superbiæ vitæ, vt IOANNES docuit in prima sua Canonica, tum vt trina geminatione magnitudinem periculi, cui expositi manent, qui effrenatos appetitus suos non compescunt, explicaret. hinc Apostolus ad idem nobis suadendum scribens ad TITVM ait: *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobrie, iuste, & pie viuamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem*: quibus verbis Apostolus ad expellenda desideria inutilia inuitat nos ad expectationem beatæ spei: contra triplicem vero illam concupiscentiam, quam præcitato loco Ioannes commemorat, triplex illud antidotum exhibet, *sobrie, iuste, & pie viuamus*.] *sobrie* contra desideria carnis; *iuste* contra effrenatam oculorum licentiam; *pie*, contra impiam superbiam: Vel aliter; *sobrie*, in ordine ad nos; *iuste*, in ordine ad proximum; *pie*, in ordine ad Deum: Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Zach. 2.
1. Ioan. 2.
Ad Tit. 2.

HOMILIA II.

Catholica nostra Hispania diem festum agit ardentibus desideriis, quibus B. Virgo videndi Christũ natum flagrabat: vbi etiam de feruore horum desideriorum pertractamus, & in effrenata perditorum hominum desideria inuehimur, & ad bona promouenda exhortamur.

I. SERENISSIMVS Rex DAVID verbi diuini in carne humana felicissimum aduentum in hũc mundum enixe postulans, dicebat: *Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ouem Ioseph, qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Beniamin, & Manasse*. Psalmus, in quo hæc verba habentur (iuxta INCOGNITI expositionem) hunc habent titulum: *Pro his, qui commutabuntur testimonium Asaph*: id est (vt ille exponit) iste Psalmus, quem fecit Asaph, dirigit nos in finem, qui est Christus Dominus, simulque est testimonium pro commutandis, seu conuertendis Gentilibus contra Assyrios aduersus Christum se erigentes. Assyrius enim *dirigens*, seu *erigens* interpretatur. EPISCOPVS vero CHRISTOPOLITANVS hunc titulum huic Psalmo apponit: *Ad Victoriam* siue *in finem super rosas testimonium Asaph*: hoc est, in hoc Psalmo agitur de Christo, qui de morte & Diabolo victoriam tulit in bonũ Ecclesiæ Catholicæ significatæ per Asaph, quod interpretatur *congregatio*: quam etiam vocat *rosam*, quia inter omnes orbis nationes habet se velut rosa inter spinas. Vulgatus autem interpres hoc titulo notauit hunc Psalmum: *In finem pro his, qui commutabuntur*: vel (vt legit ORIGINALE Hebræum) *Psalmus Asaph præfecto cantorum super liliis*; quæ duo reddunt hunc, quem puto veriorem sensum: Psalmus hic dirigit nos in Christum vltimum finem nostrum, fuitque consignatus Asaph Cantorum præfecto, vt iuberet cantari in eorum solatium, qui spretis mundi voluptatibus ex nigredine peccati transferendi erant ad candorem gratiæ, & velut in candida lilia commutandi.

Psal. 79.
Incog. supp. Ps. 79.
Episc. Christopolit. Iacob. de Valentia super Ps. 79.

II. Hoc supposito, vt exponamus priora illa verba: *Qui regis Israel, intende*; obseruandum est, quod cum Israel vocatus fuerit Iacob, à quo per duodecim Patriarchas eius filios descendebat populus Dei, ideo per Israel intelligitur Dei populus,

quem ſpeciali regimine Deus gubernat tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus: quod ſingulare beneficium recolens DAVID dixit: *Qui regis Iſrael, intende* nobis, dirige nos, exaudi preces noſtras.

III. SVBIVNGIT deinde: *Qui deducis velut ouem Ioſeph*, quæ verba quidam (vt auctor eſt INCOGNITVS) in hunc modum interpretantur, quod Ioſeph (vt ſacra GENES. hiſtoria commemorat) in morte adiurauit fratres ſuos dicens: Scio, quod Deus viſitabit populum ſuum, & vos hinc educet ad terram veſtram, ideo tunc aſportabitis oſſa mea vobiſcum, vt non hic, ſed cum patribus meis ſim ſepultus in terra promiſſionis, filii autem Iſrael præceptum hoc complere volentes, cum in exitu de Ægypto propter inundationem Nili Ioſephi ſepulchrum inuenire non poſſent, tunc apparuit eis quædam ouis, quæ ductu angelico nauauit vſque ad locum ſepulchri, in quo Ioſephi oſſa iacebant, quæ accipiens Moyſes ſecum aſportauit, vt legimus c.13.EXODI, propter quod vocata eſt ouis illa Ioſeph: iuxta quam hiſtoriam, ſi vera eſſet, ſenſus eſt: *Qui deducis populum Iſrael* per Angelum præcedentem caſtra illius (vt habetur EXODI 14.) *velut ouem Ioſeph*: quæ ſimiliter ductu angelico peruenit ad ſepulchrum Ioſeph. Quia tamen huius hiſtoriæ nullum probatum inuenitur monumentum, germanam B. THEODORETI expoſitionem ſuſcipio aſſerentis, ſenſum eſſe: qui paſcis & regis paſtorali cura populum tuum velut Ioſeph, qui tamquam ouis in fratres veluti in quoſdã lupos incidit; ſicut ergo ab illorum manibus illum liberaſti, in Ægyptum deduxiſti, inſidiantibuſque ſuperiorem feciſti; ſic curam noſtri habeto.

Incogn. ſuper Pſ. 79.
Gen. 50.
Theodoret. in Pſ.

IV. QVIA tamen nouerat DAVID Deum non aliter id præſtiturum, quam manifeſtando ſe hominibus in carne humana, continuo ſubdidit: *Qui ſedes ſuper Cherubim, manifeſtare coram Ephraim, Beniamin, & Manaſſe*, dicebatur quidem *Deus ſedere ſuper Cherubim*, quia arca teſtamenti duobus Cherubinis ſuſtentabatur, vt habetur li.3. REGVM; & ad hoc alludens Propheta ait: *Qui ſedes ſuper Cherubim*. Mihi tamen verius videtur, alluſionem feciſſe ad veros Cherubinos plenitudine ſcientiæ conſpicuos, in quibus Deus ſedere dicitur: *Quia Deus ſcientiarum Dominus* eſt cui omnium clara ac limpida cognitio ſubeſt. ab illo igitur, qui latibulũ ſuum habet ſuper abſconditos nobis Cherubinos, inſtanter poſtulat Dauid, vt dignetur ſe manifeſtare humana carne indutus. Notanter autem petit, vt manifeſtetur coram Ephraim, Beniamin, & Manaſſe, quoniam per hos tres populum Chriſtianum intelligebat: *Ephraim* enim interpretatur *augmentum*, ad denotandum, quod Eccleſia Chriſti augenda & propaganda erat per vniuerſum Orbẽ: per *Beniamin*: qui dicitur *filius dexteræ*, ſignificatur eadem Eccleſia, dextera Dei Patris regenerata; per *Manaſſen* autem, qui idem pollet, quod *obliuio*, populus Gentilicius, ex quo facta eſt Eccleſia, & qui quondam oblitus videbatur à Deo; vnde EPISCOPVS CHRISTOPOLITANVS ex prædictis omnib. hunc ſenſum eruit: *O Chriſte, qui ſedes ſuper duo Cherubin in cœlo, & etiam in arca, quæ ſignificabat myſterium Incarnationis, ita veni in carne, vt ſedeas ſuper duo Cherubim, ſcilicet animæ, & corporis in eadem humanitate, aut ſuper duo teſtamenta, nouum ſcilicet, & vetus, & ſedeas etiam ſuper duos populos ad fidem conuerſos, ſcilicet ex Iudæis, & Gentilibus: veni ergo & manifeſta te coram Ephraim, Beniamin & Manaſſe, id eſt, veni ad populum Chriſtianum per totum orbem augmentatum.*

3. Reg. 8.
Ibid.
1. Reg. 2.

V. TANDEM addit DAVID: *Excita potentiam tuam, & veni, vt ſaluos facias nos*: videbatur potentia diuina quaſi dormiens, & ideo excitat illam, vt manifeſtet ſe in Verbi diuini Incarnatione, ita explicat S. THEODORETVS dicens: *Tanquam otio vtentem Deum excitat; omnem tuam, inquit, potentiam moue, noſtram ſalutem tractans*: non ſolum autem Dauid, ſed & Patres multo illo antiquiores ita ardenter aduentum Chriſti Domini deſiderarunt, vt facilius aſſererent ſe velle ſuſtinuiſſe mortem, quam aduentus Chriſti dilationem: in hoc enim ſenſu D. GREG. PAPA exponit verba IOB: *Si flagellat, occidat ſemel, & non de pœnis innocentium rideat*: ſuper quæ verba ait magnus hic Pater: ſanctum Iobum vocaſſe innocentium pœnas ardentiſſima deſideria Chriſtum videndi, quorum complementi dilatio ſanctorum Patrum animos vehementer excruciabat: verba illius ſunt hæc: *Ante redemptoris aduentum pœnam ſuam electi omnes habuerunt, quia æſtuante deſiderio Incarnationis eius myſterium videre cupierunt.* ridere autem Deum dicebant de huiuſmodi pœnis innocentium, quatenus eorum precibus non annuens, magis ac magis aduentũ Chriſti differebat, quod adeo moleſte ferebant, vt dicerent: *Si flagellat, occidat ſemel, & non de pœnis innocẽtium rideat*: quod perinde erat, ac ſi dicerent (iuxta S. GREGORII intelligentiam:) *quia vita noſtra quotidie flagello vindictæ pro culpa atteritur, illa iam veniat, qui pro nobis ſemel ſine culpa moriatur, vt de innocentium pœnis Deus vltra non rideat, ſi ipſe carne paſſibilis appareat, in cuius ſe deſideriis mens noſtra caſtigat.*

Pſ. 79.
Theodoret. in cõment. huius loci.
Iob 9.
D. Greg. lib. 9. Moral. c. 15.
D. Greg. præcitato loco.

VI. VERVM licet antiqui illi Patres auidiſſime cuperent Verbi diuini temporalem conceptum & ortum, deſideria tamen beatiſſimæ Virginis exarſerunt adeo, vt in comparatione eorum, illorum feruor, tepor cenſeri debeat; vnde merito Catholica noſtra Hiſpania, apud quam ſolam auctoritate Apoſtolica *Expectatio partus* ſolemni ritu & ſpeciali Feſto colitur, hæc feruentiſſima Mariæ deſideria celebrat: in quo id ſane ſingulare ac mirabile eſt, excellentiam Virginis valde commendans, quod ſpecialis feſtiuitas ad celebrandas, & colendas Mariani cordis cogitationes, & deſideria inſtituta ſit, DAVIDEM audio dicentem Deo: *Reliquæ cogitationes* meæ *diem feſtum agent tibi*: tamen quo deſideriis, & cogitationibus dies Feſtus

Pſ. 75.

agatur,

agatur, inauditum sane est; sed debitum tantæ Virgini, cuius cogitationes & desideria videndi Christum iam natum tanta adeo erant, tantoque diuini amoris ardore exæstuantia, vt specialis Festi religione coli mereantur. Quamuis autem semper Marianum cor sanctis desideriis esset ignitum, proxima tamen partui ardentius inflammabatur; quemadmodum enim lapidis motus naturalis (vt Philosophi docent) velocior est in fine, quam in principio: quia proximior est suo centro, ita cum sacrosanctum Mariæ cor vehementi desiderio videndi Christum infantem iam natum, multis retro diebus non violenter, sed spontanee moueretur, proximiore tamen facta partui, velocior erat ille motus, frequentiores de Christo erant eius cogitationes, ardentiora illum intuendi desideria. Et quidem si ISAIAS dicebat: *Vtinam disrumperes cœlos, & descenderes: à facie tua montes defluerent, sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent igni:* à facie Christi, qui ardentissimus amoris ignis est, non poterant non ex Mariæ præcordiis ardentissima illum videndi desideria effluere. Quod si omnibus matribus prægnantibus nescio quis insitus videndæ prolis affectus inest, quamuis alioquin certo sciant variis doloribus in partu esse crucian das: quanto maiori & ardentiori desiderio prolem suam videndi teneretur Virgo, quam ex Spiritu sancto cooperante conceperat, & quã tot tantisque votis Reges & Prophetæ videre concupierant, & non obtinuerant? ideo doctissimus BEVXAMIS in sua harmonia Euangelica, considerans Mariam variis desideriis cruciari videndi filium suum, ingeniose eam cõparat fœminæ illi APOCALYPTICÆ: *Quæ cruciabatur, vt pareret*: non quod dolorem aliquem in partu Virgo senserit, sed quod cruciari dicatur summo illo desiderio, quo tenebatur, vt pareret filium suum.

Isaia 64. — *Beux. sup. c.1. Luca.* — *Apoc.12.*

VII. ATQVE hinc est, quod apte præsens solẽnitas: *Expectatio partus* nuncupetur: aliæ quidem matres non sperant partum, sed timent illum; timor enim est de malo, spes de bono; cum ergo illas comprehendat maledictio ore Dei prolata: *In dolore paries filios tuos*; malum hoc doloris timent; Virgo autem, quia lætabunda summa animi exultatione, omnisque doloris expers Christum Dominum paritura erat. Vt enim dixit D. FVLGENT. serm. de laud. Mariæ: *Nulla fieri grauedo potuit concipienti, nulla tristitia parturienti, qui enim venerat triste lætificare sæculum, ventris non contristabit hospitium*: non timebat partum, sed sperabat illum, vt ait B. PETRVS DAMIANVS: *Erat spes in partu, cum non fuerat voluptas in coitu*: id quod & in Maria magis augebat infantem Christum videndi, desideriũ illud tamen super omnia ardentius illud inflammabat, quod illum ob infinitam suam bonitatem summe desiderabilem contemplabatur Virgo; sic enim eum vocat sponsa, nam postquam à vertice capitis vsque ad plantam pedis sponsi elegantiam & pulchritudinem laudasset, volens ea, quæ dixerat, in compendium, & epilogum redigere, inquit: *Totus desiderabilis*, vel (vt originale Hebræum habet) *Totus desideria*: hoc est, totus est scopus nostrorum desideriorum in amorem suum rapiens. In cuius figuram EXODI cap. 12. lego, totum agnum paschalem edendum esse, ita vt nihil eius abiiceretur: Christum sane, qui Agnus Dei à IOANNE compellatus est: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: agnus ille adumbrabat, quia Christus totus aptus est ad manducandum: *Accipite, & manducate: hoc est corpus meum*: nihil eius est, quod abiiciatur, caro eius nos nutrit, sanguis fouet, ossa confirmant, & roborant.

Gen.3. — *D Fulgen. ser. de laud. Maria.* — *B.Petr. Dam. ser. 3. de nat. Maria.* — *Cant.5.* — *Ioann. 1.* — *1.Cor.11.*

VIII. AD id etiam significandum arbitror Christum Dominum consulto *balsamo* se comparasse: *Quasi balsamum aromatizans odorem dedi*: Inter plantas, quædam habent proficuas radices, aliæ ramos, aliæ frondes, aliæ flores, aliæ tandem fructus, arbor tamen balsami vndequaque vtilis & medicinalis est, radices, rami, frondes, flores, & fructus, adeo, vt nihil illius tamquam inutile opus sit abiicere. Talis sane est Christus Dominus omni ex parte proficuus; manus eius sanitatem cõferebant: *Imponens manum super eam, sanauit illam*: Vox eius mortuos suscitabat: *Lazare, veni foras*: Intuitus illius contritionem infundebat, pœnitentiam, & lacrymas dabat: *Respexit Dominus Petrum, & egressus foras fleuit amare*: Respiratio eius Spiritum sanctum conferebat: *Insufflauit, & dixit eis: accipite Spiritum sanctum*: quid plura? fimbria vestimenti sui semel tacta sanguinis fluxum cuiusdam fœminæ repressit, vt narrat D. MATTHÆVS; immo ex saliua, quæ excrementum est capitis ad os descendens, cæcum illuminauit, vt refert D. IOANNES. vnde quemadmodum Aurifices magna cura seruant minutissimos auri pulueres, qui decidunt, quia nihil illius est, quod aurum non sit, non secus in Christo Domino nihil inuenies, quod aurum non sit, quod pretiosum non sit, quod æstimabile non sit, quod infiniti valoris non sit, ac tandem quod summe desiderabile non sit; recte ergo à sponsa *totus desiderabilis* nuncupatur, iureq; optimo in illum tamquam in scopum omnia Deiparæ Mariæ desideria tendebant. Illud tamen merito quispiam interrogare posset, quomodo si B. Virgo tanto amore Christum prosequebatur, illudq; sit amantis ingenium, vt velit numquam à se dimoueri dilectum; vnde DAVID: *Mihi autem adhærere Deo bonum est*; & alibi: *Adhæsit anima mea post te*. nihilo secius tamen Deipara ardenter desiderabat Christum Dominum à visceribus suis separari, quibus coniunctissimus erat, & foras extra se illũ mittere. Sane Obededom diligenter curauit Arcam Domini domi suæ detinere. & Dauid videns, quod benedixerat Deus Obededom, & domui eius propter Arcam, voluit eandem in domum suam reducere; ac tandem nunc deuote communicantes nihil carius habent, quam per Eucharistiæ sacramentum intra pectoris sui claustra corpus

Eccl.24. — *Luca 14.* — *Ioann.11.* — *Matth.26.* — *Ioan.20.* — *Matth.14.* — *Ioann. 9.* — *Psal.72.* — *Ps.61.*

pus Christi continere. In hoc sane mirifice effulget ardentissima Mariæ charitas erga genus humanũ, quod cum alioquin valde vtile sibi esset Christum Dominum in vteri sui tabernaculo requiescere, illumque sibi non solum mente, sed & corpore quasi conglutinatum habere instar animæ Ionathæ, de
1.Reg.18. qua dicitur: *Anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid*: ipsa tamen communem vtilitatem propriæ
1.Cor.13. anteponens, quia (vt inquit Apostolus:) *Charitas non quærit quæ sua sunt*; ardenter cupiebat egressum Christi Domini ex thalamo eius virgineo, vt sic Ecclesiæ Catholicæ dilectissimæ eius sponsæ desideria complerentur in illa verba prorumpentis:
Cant.1. *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer, & iam me nemo despiciat?*

IX. Ex his tam Virginis, quam Ecclesiæ Catholicæ ardentissimis desideriis illud magni momenti emolumentum vellem vos perciperetis, vt sancta
Isaia 26. concipiatis desideria, praua longe abiiciatis. ISAIAS quidem tanquam vir desideriorum dicebat: *Anima mea desiderabit te in nocte, mane vigilabo ad te*: vbi obseruandum est: quod verbum hoc *desideratur* geminam habet significationem, nam Latina phrasi ad significandum *aliquid deficere*, dici solet, *desideratur*: quando etiam voluntas aliquid cupit, dicitur id ab ea desiderari; quo non obscure docemur, quoties aliquid boni ad integritatem vitæ nobis deficit, illud ardenter desiderandum esse, sic enim fiet, vt quod desideratur, desideretur, & defectum boni semper desiderium illud habendi con-
Isaia 26. comitetur; imo & cura idipsum quærendi, & adipiscendi, vt præstabat ISAIAS, qui postquam dixerat: *Anima mea desiderabit te in nocte*; continuo subiunxit: *mane vigilabo ad te*.

X. VERVM vt sanctis desideriis animus vester vacare assuescat, illud scitote, quod sicut praua desideria eadem essentiali pœna puniuntur à Deo,
Matth. 5. quasi opere ipso fuissent consummata, vt non obscure colligitur ex verbis Christi Domini: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iã mœchatus est in corde suo*; ita etiam sancta desideria perinde remunerantur à Deo, ac si opere illa quis compleuisset, vt contigit Abrahamo, cui, quia efficaciter desiderauit iuxta diuinũ præceptum filium suum Isaac Deo immolare, licet alioquin re ipsa illum non immolauit, quia diuinitus impeditus fuit
Gen. 22. per Angelum, Dominus tamen dixit: *Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli*: Ecce tam acceptum fuit Deo desideriũ, & voluntas filium suum immolandi, quam si opere ipso illum occidisset, & immolasset; & propterea ei dixit: *Quia fecisti rem hanc*. Huc etiã facit, quod
Ps.50. Vulg. versio. vbi nostra vulgata legit: *Si voluisses sacrificium, dedissem*: alii vertunt: *mille sacrificia dedissem*, q̃ translatio fundamentum habet in literis Hebræis, quæ instar notarum communis abachi millenariũ numerum conficiunt: ecce ardentem Dauidis deuotionem, qui cum non posset mille sacrificia simul Deo offerre, desiderio tamen illa offerebat, nec minus Deo illa accepta erant, quam si reipsa illa obtulisset. Ex quo aperte constat, quam vberes fructus pariant bona desideriorũ semina in corde puro sata, è contra vero, quanta ex prauis desideriis nocumẽta oriantur, pluribus in locis nos monuit PAVLVS, vt proinde ab illis nos abstineamus, præsertim tamen cum dixit: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum Diaboli*: quem locum versans D. 1.Tim. 6.
AVGVST. libro 50. homiliarum in hunc modum illum ponderat: *Non dixit, qui diuites sunt, sed qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum Diaboli: cupiditates accusauit, non facultates*. Sed & hoc ipsum verba illa eiusdem D. PAVLI ad GALATAS scribentis D.Aug. li. 50. homiliarum, hom.13.
mirifice illustrant, dum ait: *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem*. Mirabile quidem bellum, in quo non aliis armis, quam desideriis pugnatur. quis quæso ridiculam pugnam non iudicaret, si Turca non aliter in regem Catholicum desæuiret, quam desiderans totius regni sui iacturam; & similiter si Rex Catholicus nõ aliter Turcam expugnare tentaret, quam regni illius omnimodam ruinam ei concupiscens; quis quæso genus hoc pugnæ futile esse non diceret? ita plane est: verum in hoc clarius detegitur mira vis, singulareque carnis robur aduersus spiritum, seu partis inferioris aduersus superiorem, cum solis desideriis, & concupiscentiis, absque alio armorum strepitu, aliisue tormentis bellicis illum oppugnet, & expugnet. Ad Gal.5.

XI. VT tamen adhuc vis, & potestas huius infestissimi hostis amplius innotescat, in memoriam quæso reuocate; quod, vt Regius vates miram Dei potentiam ostentaret, dixit: *Omnia quæcunque voluit, fecit*: vnde in GENESI legimus, quod dixit Ps.114. Gen.1.
Deus: *Fiat lux, & facta est lux: fiat firmamentum, & factum est firmamentum*. Igitur vis hæc Deo innata in construendis bonis suo modo competit prauæ voluntati in bonis spiritualibus demoliendis, ac deuastandis; siquidem vnico dumtaxat suo velle, seu mortifero desiderio omnia bona opera facta, etiam si plura fuissent, quam sint stellæ cœli, & guttæ aquæ maris, penitus absumit, ac demolitur.

XII. ITAQVE vt hanc tam lacrymandam iacturam vitemus, nostra coerceamus praua desideria, quæ emergunt in interitum, & facti Deiparæ æmulatores, nihil aliud quam Christum desideremus. Si enim omnia naturali impulsu attingere desiderant suum terminum, quiescere in suo loco, coniungi cum suo principio, & peruenire ad suum centrum, merito nos, nisi rebus insensibilibus deteriores efficiamur, Christum ardenter cupere debemus, cum ipse sit terminus, ipse principium, ipse requiei locus, ipse tandem centrum cordis nostri, extra quod proinde necesse est violentiam pati, & male se habere, vt dixit AVGVSTINVS: *Traxisti nos Domine ad te, & inquietum* Aug. in l. confr.

est

est cor nostrum, donec veniamus ad te. quod idem
Ps. 41. Cerui metaphora expressit DAVID dicens: *Quem-*
admodum desiderat Ceruus ad fontes aquarum, ita de-
siderat anima mea ad te Deus: sitiuit anima mea ad
Deum fontem viuum: cum enim Ceruus calore æ-
stuat, & à venatorum canibus insequutus cupit re-
frigerari, non sistit in riuulis, nec ab eis haurit a-
quam, sed pergit ad fontem, vnde illi effluunt, vt
plenius sitim suam extinguat; sic animus noster si-
tiens non debet se dimittere ad riuulos creatura-
rum, vt inde voluptatem hauriat, sed vltra pergere
ad inexhaustum, & perennem omnium bono-
rum fontem, Christum Dominum, qui omnem
prauam sitim extinguere, & bonam facile, & per-
fecte explere potest.

XIII. OMNIA certe, quæ in hac vita desiderari
possunt ab humano corde, ad tres classes reduci
possunt, vel ad bona temporalia, vel ad spiritualia
in via possidenda, vel ad cœlestia, & æterna in pa-
tria fruenda. Cor quidem peccatoris bona tempo-
Michææ 7. ralia semper concupiscit: *Immaturas ficus desidera-*
uit anima mea: apte vocat illa *immaturas ficus,*
quia instar fructus immaturi valde nocent; isti
quidem corpora, illa vero animam lædunt. Dixi
autem consulto cor peccatoris semper concupi-
scere bona hæc caduca, quia instar maris semper
est in fluxu, & motu, nisi forte quando auis cogno-
mento *Halcyon* circa vndas eius nidificat, tūc enim
Plin. l. de naturali hist. per quatuordecim dies (vt docet PLINIVS) mare
cessat à fluctibus, & vt aui illi sufficiens tempus
pullos fouendi præbeat, serenum & quietum red-
ditur; non secus certe cor peccatoris variis deside-
riorum fluctibus instar spumosi, & furentis ma-
Prou. 21. ris continuo agitatur, SALOMONE dicente: *Deside-*
ria occidunt pigrum, noluerunt enim quidquam ma-
nus eius operari, tota die concupiscit, & desiderat: nisi
alioquin cœlestis Halcyon Christus Dominus in
corde eius nidificet, & pullos bonorum desiderio-
rum in illo foueat: tunc enim mirabilis eius præ-
sentia quietum, & placatum reddit, sicut eiusdem
absentia inquietum, & turbulentum reddiderat.
Rursus iusti, & sancti viri sitiunt iustitiam, omnis
eorum sitis, & desiderium circa diuina charismata
Isaiæ 54. à Deo sibi promissa versatur per ISAIAM prophe-
tam: *Sternam per ordinem lapides tuos, fundabo te in*
sapphyris, & ponam iaspidem propugnacula tua, & o-
mnes portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos
tuos in lapides desiderabiles: hoc est, replebo te diui-
nis muneribus per hos lapides designatos. his san-
cti & iusti locupletati ad cœlestem patriam anhe-
lant, & æterna, quæ in illa latent bona, sibi patefie-
Philip. 1. ri ardenter desiderant, & cum PAVLO frequenter
clamant: *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* ille vero
pro sua solita munificentia clamorem eorum ex-
Ps. 9. audit, & desiderium eorum explet iuxta illud DA-
VIDIS: *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus;*
cui sit honor, & gloria in sæcula sæ-
culorum, Amen,

de B.V,

HOMILIA III.

Partim aduersus Gentiles, partim aduersus Iudæos, & Hæreticos variis Naturæ exemplis ad concionandum aptißimis, multisque testimoniis tam ex ipsorum Gentilium doctrina, quam ex Sibyllarum vaticiniis, nec non ex miraculosis rerum euentibus depromptis, integerrima Deiparæ Mariæ virginitas constabilitur.

I. 
VM infestissimi Marianæ virgini-
tatis hostes ad tres classes redu-
cantur, nimirum ad Gentiles, ad
Iudæos, & ad Hæreticos, aduer-
sus omnes illos oportet me per-
petuam, ac nunquam violatam
Deiparæ Dominæ meæ virgineam integritatem
multifariam, multisque modis comprobare, ad-
uersariorumque tela in ipsos retorquere, vt sic im-
pleatur; quod DAVID cecinit: *Sagittæ paruulorum* *Psal. 63.*
factæ sunt plagæ eorum. Primo tamen aduersus Gen-
tiles, deinde contra Iudæos, & Hæreticos stylum
acuemus.

II. EQVIDEM cum idem sit sapientissimus tam
naturæ, quam gratiæ conditor, voluit in natura i-
psa nonnulla relinquere vestigia, quibus & Catho-
licorum pietas erga virginitatem Mariæ magis iu-
uaretur, & Paganorum incredulitas, duraque eo-
rum ceruix infringeretur. Tot enim animalium, a-
uium, & piscium exempla suppetunt ad confirma-
tionem virginitatis Mariæ, vt si Ethnicus eam ne-
get, merito ei dicam illud IOB: *Interroga iumenta,* *Iob 12.*
& docebunt te: Volatilia cœli, & indicabunt tibi: Lo-
quere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt tibi pisces
maris.

III. ET vt ab his exordiar, ARISTOTELES docet *Aristot. in*
plura piscium genera, inter quæ alexem & anguil- *problem.*
las enumerat. quæ sine commistione maris & fœ-
minæ generantur; & S. AVGVST. lib. 21. de ciuitate
Dei, cap 5. Equas in Cappadocia ex vento conci-
pere affirmat; vt quid ergo dicemus Virginem non
potuisse concipere ex viuifico vento Spiritus san-
cti? simile ait de aliis animantibus LACTANTIVS l.
4. c. 14. & ALBERTVS 3. Meteor. tit. 3 refert in nube
virtute cœli generatum fuisse vitulum, & quotidie
etiam ex guttis pluuiæ de cœlo in puluerem deci-
dentibus animalia quædam repente prodire con-
spicimus: & EVODIVS epist. 3. ad Augustinum me-
minit vermiculi, qui in ligno absq; patre nascitur,
& ibi adducit exempla aliorum animalium, quo-
rum conceptionem compertum est sine libidine
esse, quia quædam ex terra & in terra, quædam in
aqua & ex aqua, immo & in igne, vt Salamandra,
sine masculi sexu gignuntur; & quorumdam et-

iam seminum; quæ vltro è terra proueniunt, & sine humana cultura sola virtute cœlestis constellationis fructificant. Apes etiam absque concubitu generant, vt refert VIRG. in Georg. vbi ait:

Virg. l. 4. Georg.

Illum adeo placuisse apibus mirabere morem,
Quo nec concubitu indulgent, nec corpora senes
In venerem soluunt, aut fœtus nexibus edunt.

Vnde EVCHOR. dixit, apem virginitatis imaginem esse; & AMBROS. 4. exam. c. 21. valde commendat apes, quod communis est omnibus illis integritas virginalis, & nihilominus maximum filiorum examen emittant; & AVGVSTIN. de bono coniug. cap. 2. ait: *Deus Apibus prolem sine concubitu dare potuit: ergo carnem Christi in vtero virgineo recte formare potuit.* Vultures etiam teste BASIL. in cap. 7. Isa. & oratione 19. de prouid. & AMBROS. 5. Exam. c. 20. absque masculorum commistione in aere concipiunt, nullo rerum naturalium auctore contradicente; addit: *Auis sine masculo parit, & nullus refellit, & quia desponsata viro Maria peperit, pudoris eius faciunt quæstionem.* Persimilia sunt, quæ dicit LACTANTIVS FIRMIANVS l. 4. de vera sapientia: *Si animalia quædam vento, & aura concipere solere omnibus notum est, cur quisquam mirum putet, cũ spiritu Dei, cui facile est, quidquid velit, grauatam esse Virginem dicimus?* & ALBERT. 3. de anima scribit auem nomine *Carbas*, de arbore hiberna nasci, & ISID. 12. etymol. c. 58. & RVFFIN. in symbolo testantur orientis auem (quam *Phœnicem* vocant) ita alienam esse ab vsu venereo, vt sola semper existens in rerum natura & nascatur, & renascatur, & sibi ipsi mirabili quodammodo succedat. sed quod in idem argumenti genus omnia supradicta longe superat (vt ad præsens spectat) illud vnum esse arbitror, quod refert POMER. li. 1. part. 7. art. 3. c. 2. & nos libro 5. meminimus, multisque illustrauimus, regiam quandam auem esse nomine *Orm. mellam*, in Arabia tantum commorantem, quæ sic filium producit: emittit guttam sanguinis, ex qua virtute solis eam irradiantis, filius sibi similis concipitur, mirabile sane naturæ exemplum ad Mariæ virginitatem, & conceptionem Christi illustrandam, cum ex solo purissimo Mariæ sanguine Spiritus sancti virtute in illam superueniente Christus Dominus fuerit conceptus.

IV. VERVM cum modo contra Ethnicos agamus, non erit abs re fabulosa eorum figmenta, quibus ipsi non modicam fidem adhibent, in medium adducere, vt eos argumento (vt aiunt) ad hominem conuincamus; sic enim opes Ægyptiacas in vsum & vtilitatem sancti tabernaculi conuertemus, & vt dixit AVG. quæ pagani, & Ethnici impie vsurparunt, ab illis tanquam ab iniustis possessoribus in vsum nostrum vindicabimus: & vt olim erat lex DEVTERON. vt si quis captiuam vellet ducere in vxorem, caluitium ei faceret, vngues resecaret, vt auctor est HIERONYM. ad eundem certe modum quandoque licet Gentilium figmentis vti resecatis tamen superfluis, ac turpibus eorum: vnde PAVLVS poetarum Ethnicorum Arati astronomi ACT. 17. & Epimenidis Cretensis testimoniis vsus est contra paganos, vt eos non aliis, quam domesticis eorum telis superaret, instar Iudith, quæ proprio Holofernis ense eum iugulauit.

Exod. 4. — *Aug. 2. de doct. Christ. c. 4.* — *Deut. 21.* — *Hieron. in ep. ad Dã.* — *Act. 17.*

V. EST ergo receptissimum apud fabulosam antiquitatem, teste Diuo CYRILLO, Vulcanum ex sola Iunone sine patre natũ, Bacchum ex labii cruore, & Mineruam ex cerebro Iouis sine matre. Et RVFFINVS in expositione Symboli enarrat Gentiles credere Venerem de spuma maris fuisse genitam; Castorem, & Pollucem ex ouo natos; Mirmidones ex formica; tandem Deucalioni, & Pirræ hoc à diis consilium datum fuit ad restaurandum mundum, vt ossa magnæ matris in homines conuerterent, id est, vt efficerent magnam hominum segetem ex lapidibus terræ. ossa enim tamquam siccidiora, & solidiora vocabant lapides, terram vero, quia omnes tam viuentes, quam morientes suo gremio recipit, *magnam matrem* appellabant. Si ergo adeo hæc portentosa monstra, & cum natura ipsa adeo pugnantia, credibilia putant Ethnici, credibilius sane iudicare debent conceptum Christum ex Virgine matre, cum in hoc plura, quã in illis prodigiosis effectibus naturæ consentanea concurrant, vt eleganter dixit RVFFINVS in hæc verba: *Hic fœmina est, hic naturæ ordo seruatur, hic conceptus & partus temporibus suis editur: ibi nunquã fœmineus sexus, sed vir solus & partus; qui illa credit, cur ista miretur?*

D. Cyril. catech. 12. — *Ruff. in sym. Apost.*

VI. TAMEN si adhuc rebelles existant Pagani, vrgendi sunt vlterius ex Sibyllarum scriptis, quas ipsi, vt Orbis magistras diuinitus illustratas venerantur. Vnde S. CLEMENS ALEX. dixit: *Libros Græcos sumite, agnoscite Sibyllam, quomodo vnum Deum significet, & ea quæ futura sunt.* AVGVST. enim 18. de Ciuitate c. 23. ait SIBYLLAM ERYTHREAM multa carmina ea arte condidisse, vt primæ eorum literæ simul iunctæ, & quæ sequuntur, redderent hæc verba, *Iesus Christus filius Dei Saluator.* hæc ergo Sibylla, vt in libris oraculorum legitur, inter alia dixit:

Cle. Alex. l. 6 strom.

Cerno Dei matrem, qui se dimisit ab alto,
Vltima fœlices referent cum tempora soles,
Hebræa quem Virgo feret de stirpe decora.

& VIRGIL. agens de SIBYLLA CVMEA, quæ & CVMANA, adducta est à Cumis Ciuitate, quæ est in Campania, cuius sepulcrũ adhuc est in Sicilia, ait:

Virg. de Sibyl. Cumã. Egl. 4.

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas,
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo:
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna,
Iam noua progenies cœlo demittitur alto.

Et SIBYLLA PHRYGIA:

Virginis in corpus voluit dimittere cœlo
Ipse Deus prolem, cum nunciet Angelus Almæ
Matri, quæ miseros contracta sorde lauaret.

SIBYLLA SAMIA dixit:

Nunc poterunt clarum viuorum tangere regem,

Hu-

Humano quem Virgo sinu inuiolata fouebit:
SIBYLLA PERSICA:
Ille Deus casta nascetur Virgine Magnus.
SIBYLLA DELPHICA, quæ fuit tempore Regis Priami, & belli Troiani, dictaque fuit Delphica, quia fuit genita in tẽplo Delphici Apollinis, dixit Deũ ex virgine nascendum, & pro omnibus passurum. SIBYLLA LIBYCA, cuius meminit EVTROPIVS: *Soluetur* (inquit) *nexus in agone, & videbunt Regem viuentem, & tenebit illũ in vtero Virgo Domina Gentiũ.* SIBYLLA etiam CHIMEA in Italia nata, de qua ÆTHNIVS ait: *In prima facie Virginis puella quædam nutriet puerum Virgineum dans lac ad comedendum.* ac tandem CLAVDIANVS GENTILIS, vnde tamen id hauserit nescimus, in hunc modum locutus est:
Quemque vtero incluso Mariæ mox numine iusso,
Virginei intumuere sinus, innuptaque mater
Arcano obstupuit compleri viscera partu,
Auctorem paritura suum.

VII. CÆTERVM si Ethnici his omnibus non annuant, annuere certe debent portentis, signis, & singularissimis rerum euentibus, quibus Deus perpetuam Mariæ virginitatem voluit illustrare: nã vt referunt D. ANTON. & Oros. Augustus Cæsar Sibyllam quandam consuluit, an in mundo quispiam illo potentior futurus esset? & eodem die, quo Christus natus, vidit Sibylla illa circulum aureum Romæ iuxta solem, in quo Virgo pulchra residebat, & in gremio suo infantem gestabat, & tunc respondit Cæsari, iam potentiorem illo esse natum, auditaque fuit vox, *hæc est ara cœli*, quo nomine insignita extat modo Romæ Ecclesia, quæ antea erat palatium Octauiani. Cur autem Ara cœli templum Deiparæ Virginis vocatum sit, colligunt quidam, qui de auctoritate prædictæ historiæ hæsitant, ex NICEPHORO, vbi ait, quod Augustus Cæsar venit ad oraculum Pythii Apollinis, & Hechatombe sacrificio oblato, quæsiuit, quisnam post eum Romanum administraturus esset imperium? at cum nullum ederetur responsum, alterum adiecit sacrificium, denuoque rogauit, quid ita oraculum conticuisset? tunc ad hunc modum respondit:
Me puer Hebræus, Diuos Deus ipse gubernans,
Cedere sede iubet, tristemque redire sub orcum.
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.
Tali respono accepto Cæsar Romam est reuersus, atque ibi in Capitolio aram maximam extruxit, cum huiusmodi inscriptione: *Ara primogeniti Dei.* hæc ex Nicephoro, quæ eadem SVIDAS scribit in Augusto, & INNOCENTIVS III. refert, quod etiam tradit historia scholastica, Romæ constructum esse Templum pacis fortissimum quidem, & ingentis molis, de quo Romani consulentes Oraculum Apollinis, quamdiu esset duraturum? responsum ait: *quousque virgo pareret*, quo audito valde gauisi sunt, credentes semper duraturum, quia impossibile putabant Virginem parituram: itaque in valuis illius Templi hanc posuerunt inscriptionem: *Templum pacis æternum*; ipsa tamen nocte, qua Deipara Maria peperit, templum illud funditus corruit, & MARTINVS POLONVS tradit Romæ auream statuam in Palatio constitisse cum huiusmodi inscriptione: *Non cadet, donec Virgo pariat*: cecidit autem, cum primum Maria Christum enixa est: NAVCLERVS etiam, & VOLATERRANVS, immo D. THOM. 2.2. quæst. 2. art. 7. ad tertium aiunt, vetustissimum huius rei monumentum repertum esse Irene matre, & Constantino imperantibus in Laminis quibusdam aureis intra terram absconditis, quæ hanc expressam inscriptionem habebant: *Christus nascetur ex Virgine: & ego credo in eum: O sol sub Irene, & Constantini imperatoris temporibus iterum me videbis.*

VIII. NEC dissimilis apud ZONARAM extat testimonium in historia Imperii Irene, & Constantini; ibi enim scribit, Hebræum quendam, cũ vineæ colendę causa in terram foderet, vetustissimum inuenisse librum triplici lingua scriptum, in quo hæc verba continebantur: *Christus Iesus nascetur ex Virgine, & pro salute hominum patietur.* Qui liber inuẽtus fuit sub Honorio Pontifice, & Frederico 2. cũ Ferdinandus Castellæ Rex Hispaniæ imperaret. Item S. DOROTHEVS MARTYR in Synopsi, & EPIPHAN in vita Ieremiæ referunt, quod cum hic Propheta aliquando apud Ægyptios exulasset, ei prædixit: *Omnia suorum Idolorum simulacra demolienda fore, cum primum Virgo pareret, & infantem suum in præsepe locaret*; cui vaticinio tantam Ægyptii fidem adhibuerunt, vt deinceps imaginem Virginis cum infante posito in præsepio summa veneratione colerent, in eiusque honorem aram struxerint cum titulo hoc: *Virgini parituræ*, quod & tradit INNOCENT. serm. 2. de Natiuit. Domini; cum primum tamen Christus natus ex Maria, omnia illa Idolorum simulacra euersa sunt, postea tamen restaurata corruerunt, iterum Christo Domino Ægyptum intrante in manibus suæ Genitricis, vt olim prædixerat ISAI. *Ecce Dominus ascendit super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur simulacra Ægypti à facie eius, & cor Ægypti tabescet in medio eius.* TERTVLLIANVS deinde libro contra Marcionẽ, & EGESIPPVS libro de supplemento Euan. verit. explicans verbũ illud: *responsum accepit Simeon*, narrat, quod iste, qui Rabbi erat apud Hebræos, dum in cathedra interpretaretur locum ISAIÆ: *Ecce Halma concipiet*, deleuit litteram aspirationis, h, vt sensus esset *iuuencula concipiet* non *Virgo*, diuinitus tamen ablata litera mox restituta est; ipse vero iterum eam deleuit; sed iterum miraculose scriptam inuenit; ter quidem id fecit, & scripta *Halma* cum aspiratione, h reddebat: quam singularem rei nouitatem considerans Simeon ad orationem recurrit, ibique responsum accepit à Spiritu sancto de partu Virginis, & non se visurum mortem, donec videret Christum Dominum, & in vita S. Ægydii teste SVRIO mense Aprili legitur, quod cum quidam Magister

D. Anton. 1. part. hist. tit. 4. c. 6.
Oros. l. 6. c. 20.
Niceph. l. 1. c. 17.
Innocent. 3. serm. 2. de Nat.
Martin. Polonus l. 4. Chron.
Isaia 19.
Isaia 19.
Sur. in vita S. Ægid

gister Theologus vacillaret in Virginitate Mariæ, accessit ad sanctum Ægidium Minoritam, vt ab eo solidaretur circa integritatem Virginis, cui ille occurrẽs percussit baculo terram dicens: *Virgo ante partum*, & statim candidissimum lilium subito excreuit; iterum percussit aliam terræ partem dicens: *Virgo in partu*, & mox simile lilium prodiit, tandem tertio terram percutiens: *Virgo post partum* exclamans, aliud non minus candidum lilium repente exortum fuit, quo mirabili euentu incredulus ille firmissime amplexus est virginitatem Mariæ. Recte ergo Christus Dominus Ethnicis dicere

Ioan. 5. potest, quod olim Hebræis IOAN. *Opera, quæ ego fa-*

Ioan. 10. *cio, testimonium perhibent de me*, & illud: *Si mihi non vultis credere, operibus credite.*

IX. QVID plura? certe contra Ethnicos non tantum humana testimonia, sed cœlestia signa virginitatem Mariæ indicare comperio. ALBVMAZAR celeberrimus Astrologus in suo maiori introductorio tractatu 6. inquit: *Ascendit in prima facie illius signi Virgo pulchra, & honesta habens in manu sua duas spicas, & nutrit puerum, & vocat ipsum quadam gens Iesum, & ascendit cum ea stella virginis.* Hæc ille, quæ verba adducens ALBERT. suo sæculo magnus in libro, cui speculi titulum imposuit, vt

Sixtus Senensis l. 6. annot. 10. refert SIXTVS SENENSIS: *Nos autem scimus, quod sub hoc ascendente eiusdem Virginis natus fuit Dominus noster Iesus Christus, cum hoc, quod æquatio motus octauæ Sphæræ in tempore eiusdem fuit octo graduum, & triginta minutorum, secundum calculationem certissimam, & quod ipsa erat tunc minuenda de locis planetarum inuentis per canones; non quia subiaceat stellarum motui, aut earum iudicio natorum desideratissimus qui creauerat ipsas stellas, sed quia cum extenderet cœlum, sicut pellem, formans librum vniuersitatis, noluit literis eiusdem deesse ex his, quæ secundum prouidentiam suam in libro æternitatis scripta sunt, etiam illud elegantissimum à natura, quod de Virgine nasceretur, vt profecto per hoc innueretur homo carnalis, & verus, qui non naturaliter nascebatur; non quod cœli figura causa esset, quare nasceretur, sed potius significatio, immo verius ipse erat causa, quare modus admirandæ suæ natiuitatis significaretur per cœlum.*

X. AD extremum interrogo Ethnicos, an his, quæ hucusque commemorauimus, præstent fidẽ? HOMERVS, qui bellantes inter se Deos finxit, cum alii Troiam capi vellent, alii repugnarent: maiorne fides adhibenda est Diodoro Siculo, qui Deorum procreationem, & interitum, ac multiplicitatem describit, & persuadet? Mendaces vtique sunt, & mendacium locuti; quod & vos creditis, veritatem autem, quam Deus per amicos suos Prophetas, & os Domini in terris pronuntiauit, spernitis. Quid enim magis naturæ repugnans, quam Deos plures dari omnipotentes, eosque libidini vacare, parricidas celebrari, exules interim posse, atque interemptos arbitrari? *Hæc* (vt ex vestris dixit CICERO lib. 2. de natura Deor.) *& dicuntur, & creduntur stultissime*: ad quod nos credimus de Virginis conceptu, & partu singulari, ab ipsa Sapientia propositum est, & sapienter euulgatum, & creditum. Quandoquidem vt arbores germinant absque sui fractione, seruata duritia, & integritate; marmor aquam desudat; ignem silex transmittit infractus; extra producit speculum fulgentem splendorem, cum desuper sol illud irradiat: immo & sol nubem oppositam splendentem reddit, non dissoluta, sed illustrata potius nube; ita fieri posse crede, ô Philosophe, Verbum assumpta carne in vtero Virginis, de Virginis vtero, illæso claustro prodiisse: *Humano vsu* (ait D. LEO serm. de Natiuit. Domini) *quod credimus, caret, sed diuina potestate subnixum est, quod Virgo conceperit, quod Virgo pepererit, & Virgo permanserit. Non hic cogitetur parentis conditio, sed nascentis arbitrium, quod sic homo natus est, quia volebat, & poterat.*

Summi est potestas omnis & gloria Dei,

dixit ÆSCHYLVS apud Iustinum Mart. lib. de Monarchia; & apud Athenagoram oratione ad gentes SOPHOCLES cecinit:

Vnum profecto numen, vnus est Deus,
Qui condidit cœlum, & solum terræ patens.

ergo qui omnia fecit, cuique cuncta patent, potuit carnem in Virgine assumere, & ex ea Virginitate seruata concipi, & nasci: *Modus autem, quo hæc gesta sunt* (ait MACHARIVS ad Philosophos in Concilio Niceno lib. 2.) *omnis creaturæ rationalis cogitationem transcendit. Miraculum namque Dei est fugiens rationem.* Tandem THEODORVS Ancyræ Episcopus oratione de Natiuit: Saluatoris in Concilio Ephesi. 1. tom. 6 append. 5. c. 2. ait: Quare Gentiles, qui fabulosa contra rationem, & omni ex parte impossibilia admittunt, excusationem non habebunt de peccato suo, quod non crediderint, quæ tantum supra rationem sunt, possibilia tamen omnipotenti, qui dixit, & facta sunt; cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA IV.

Virginitatem Deiparæ cum fœcunditate coniunctam, ex locis sacræ scripturæ, & ex similitudine Apis aperitur.

I. 

VLTA quidem comitabantur integerrimam Deiparæ virginitatem, quæ velut quibusdam pyropis mirum in modum illam exornabant, profunda humilitas, taciturnitas, clausura, modestia, verecundia, & aliæ similes virtutes, quæ propria sunt virginum monilia: illud tamen, vtpote singularissimum, prodigiosum, & nusquam

au-

auditum, celeberrimam, & splendidissimam illam reddit, quod fœcunditatem comitem habuerit, vnde vix secerni potest in Deipara Maria virginitas, & fœcunditas, adeo virginitas fœcunda, & fœcunditas virginea esse perhibetur: quod
Eccl. 24. significare volens Maria, dixit per ECCLESIASTICVM: *Flores mei fructus honoris, & honestatis.* Certe in arboribus diuersi sunt flores à fructibus, hi enim nascuntur ab illis, & istis exortis decidunt illi, cũ igitur flores non sint fructus, sed quidpiam ab illis distinctum, non potest reuera mysterio vacare, quod B. Virgo flores suos dicat
Ibid. esse fructus: *flores mei fructus honoris, & honestatis.* Ego sane arbitror, illud ibi latere, quod voluit significare virginitatem suam esse fœcundam, non sterilem instar cæterarum Virginum, & ideo flores suos virginitatem eius designantes, dixit esse fructus, quos constat esse fœcunditatis non obscurum argumentum: aderat ergo simul in Maria flos virgineæ pudicitiæ, & fructus maturæ fœcunditatis. Existimo autem consulto addidisse Deiparam, *honoris & honestatis*, vt significaret fructum benedictum ventris sui, cum ex eo per natiuitatem erupit, virginis honorem, & honestatem minime læsisse: ac tandem censeo notanter B. Virginem vocasse in plurali virginitatem suam *flores*, & partum eius *fructus*, quia virginitas Mariæ, vt quæ prima religioso voti cultu Deo fuerit oblata, origo reliquarum fuerit, quę in tot virginibus effulgent, vnde licet in se sit vnicus, & singularis flos, plures tamen extitit in virtute: & similiter quia Christus futurus erat radix fructuum innumerabilium, hoc est, innumerorum fere prædestinatorum, qui fructus sunt sanguinis Christi Iesu, ideo merito Deipara non in singulari, sed in plurali vocauit filium
Eccl. 24. suum *fructus* non *fructum*; in quo etiam sensu mihi loquuta videtur, cum dixit: *& à generationibus meis adimplemini*: vnam solum habuit generationem, & plures illas vocat: quia spiritu prophetico agnoscebat, initium illam vnam fore pene infinitarum spiritualium regenerationum, quibus pene infiniti lauacro baptismatis in filios Dei erant regenerandi, & renascendi. Ad idem etiam mysterium virginitatis, & fœcunditatis manifestandum ipsa Virgo dixit CANTIC. 7. *omnia poma noua & vetera seruaui tibi, dilecte mi*: poma, & fructus veteres erat fœcunditas apud veterem legem in magno precio habita, poma vero noua, & noui fructus, sunt virginitas, quæ in noua lege gratiæ mirum in modum æstimatur, vtraque tamẽ hæc poma affirmat Maria seruasse dilecto suo; quia virginitatem colens, & illam inuiolatam semper conseruãs tam singulari fœcunditate fuit diuinitus prædita, vt non minus, quam Deum, & hominem virgo manens conciperet, & pareret.

II. PERPLVRA quidem in naturalium rerum ordine in superioribus dixi fœcundam Mariæ virginitatẽ delineasse, inter quæ ob mirabilem sympathiam cum Virgine apis exemplum mihi valde arridet, quod proinde hoc loco prosequendum duxi. SALOMON I ECCLESIASTICI dixit: *Breuis in volatibus est apis, & initium dulcoris habet fructus eius*: Eccl. 11.
quæ verba mirifice conueniunt in Mariam; fuit n. breuis, hoc est, exigua per humilitatem: *Ecce ancilla Domini*, & Christus Dominus fructus vteri eius initium fuit, est, & erit, ac fons perennis omnis suauitatis, & dulcedinis animam tam in hac vita, quam in futura iucundantis; vnde vbi nostra vulgata legit: *Initium dulcoris habet fructus eius*: Eruditus interpres VATABLVS vertit: *Fructus eius origo dulcium*: quod & significantius expressit versio LXX Interpretum, dum legit: *& principatus dulcorum fructus eius*: sicut autem nulli prius dulcis & gratus est fauus, quam ipsi api, ita nulli prius dulcis extitit fructus B. Virginis, quam ipsi, cum è materno vtero, velut exturgente gemma, instar arboris fructus erumpens non solum dolorem parturienti nõ intulit, sed singulari animi lætitia eam
perfudit, vnde ISAIAS id præuidens dixit: *transiuit in pace, semita, in pedibus eius non apparebit*: alij filij cum è materno vtero egrediuntur, non transeunt Isa. 40.
in pace, sed in dolore parturientium, iuxta illud: Gen. 3.
In dolore paries filios tuos: at Christus Dominus transiuit in pace matris, hoc est, absque vllo eius dolore, igitur integra inuiolata manente virginea eius integritate, alioquin à dolore non fuisset immunis, cum violatio dolorem pariat propter diuisionem illarum partium. Atque INCOGNITVS DAVIDEM ait dixisse in persona Christi: *Tu es, qui extraxisti me de ventre spes mea ab vberibus matris meæ* (sic n. loquitur) *Per ista verba: Christus commendat duo, scilicet matris integritatem, & suã cum verbo hypostaticam vnitatem. vbi nota, quod aliqua sunt, quæ Deus facit se solo, sicut est animæ creatio; aliqua facit, sed mediante creatura, vt quod vinum nascatur in vite. Vnde quod homo nascatur de muliere, est opus naturæ, quia Deus illud facit mediante natura; quod a. quis nascatur de Virgine, non est opus naturæ, sed solius diuinitatis potentiæ. Ad ostendendum ergo, quod non modo naturali Christus natus est, sed supra naturam, quia saluo virginitatis sigillo, hoc suæ natiuitatis soli Deo attribuit.* Hæc Incogniti expositio etsi à quibusdam mordeatur, immerito tamen, quia præter TITELMANVM, EVSEBIVM, & PATRIARCHAM AQVILENSEM, & AGELLIVM insignem psalmorum interpretem Sanctus etiam THEODORETVS illam amplectitur in commentario huius loci, qui omnes docent Dauidem voluisse ostendere Christum Dominum non iuxta naturæ ordinem ac cæterorum animantiũ, quæ ex mari & fœmina generantur, ortũ fuisse, nec alium patrem, quã cælestẽ habuisse, ex quo infert in sequentib. verbis: *spes mea ab vberibus matris meæ*; quasi diceret, quemadmodũ nullum alium generationis meæ patrẽ præter te habui, ita non alius præter te tota spes mea est; ipse et AGELLIVS pro eadẽ expositione hæc duo egregia, ac valde notanda testimonia adducit. primum est, EVSEBIVS ex insigni lib. 10. de Euangelica demon-

(Incogn. sup. Psal. 21. — Titelman. Psal. 21. Euseb. sup. lib. 10. Euang. demõstr. Patriarcha Aquilens. sup. Ps. 21. Theod. ib.)

demonſtratione: *Sicut mihi,* inquit, *auxilio fuiſti, cum corpus humanum ſuſcepiſſem, & ex ipſo, qui me geſtabat, vtero tu ipſe Deus meus, & pater meus, tanquam obſtetricis munere functus, carnem ſancti Spiritus opera compactam extraxiſti, tuamque potentiam interpoſuiſti, ne aduerſariæ poteſtates, & nequam ſpiritus inſidiis aut fraudibus ſuis meo ad homines aduentui inuidentes ſe opponerent.*

Euſebius in Pſal. 21.

III. SECVNDVM affert ex ipſius expoſitione in Pſal. *Oſtendit,* inquit, *non ſecundum naturam, neque vt cæteri homines, & reliqua animantia, quæ ex mare & fœmina gignuntur, ad eundem quoque modum eius generationem eſſe perfectam, ſed amplius quiddam in ea fuiſſe præter vſitatum ordinem, curſumque naturæ.* Hanc eandem expoſitionem D. AVGVST. refert epiſt. 120 ad Honoratum; ita enim ait: *Tu extraxiſti me de ventre, ſi ad ipſum Ieſum de Virgine procreatum refertur, quaſi alios Deus non extrahat, in cuius prouidentia eſt hic ordo naſcendi? an inde ſignificare voluit, partum Virginis, ſeruata Virginis integritate mirabili, cum ait: Tu extraxiſti me de ventre, quod illic mirabiliter factum eſt, cum Deus feciſſe dicitur, nemini incredibile videatur?* hæc Aug. Germanus igitur (vt paucis dicam) ſenſus illorum verborum eſt: *Obſtetricante manu tua, O Deus, extractus ſum ex vtero matris præter conſuetum modum, vſumque pariendi, cum Virgo peperit, & poſt partum Virgo permanſit.*

D. Ambr. l. 1. de virginit.

IV. VERVM præter hæc illa apis omnibus notiſſima conditio hoc mirabile myſterium luculenter delineat, D. AMBROSIO dicente: *Digna virginitas, quæ Apibus comparetur, ſic pudica, ſic continens, rore paſcitur, neſcit concubitus:* ſic beata Virgo neſciens virum cœleſtem rorem Verbi diuini vtero ſuo recipiens, Spiritu ſancto illam obumbrante, Chriſtum admirabili adeo, ac ſingulari modo concepit, vt merito Diuus BERNARDVS ad inſtar Phœnicis, quæ vnica eſt, Mariam deſcribens diceret: *Vnum eſt, in quo nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem; gaudia matris habens cum virginitatis honore. Mariæ priuilegium eſt, non dabitur alteri, ſingulare eſt, ſed continuo et indicabile inuenitur.* GREG. tamen NISSEN. ſe continere non potuit, quum ad tantæ nouitatis contemplationem admirabundus diceret: *O miraculum ingens, Virgo Mater fit, & virgo permanet; vides opus nouum naturæ. In aliis fœminis, quamdiu virgo aliqua eſt, mater non eſt: poſteaquam enim mater facta fuerit, virginitatem non habet: hic vero duo illa nomina ſimul concurrerunt. Eadem enim & Mater, & virgo eſt; at neque virginitas partum prohibuit, neque partus virginitatem ſoluit.* Sicut autem apis dulcem fauum conficit ex melle, & cera compactum, ita & Beata Virgo melle diuinitatis, & cera humanitatis Chriſtum inſtar melliflui faui compoſitum in apiario vteri ſui mirifice elaborauit: ad quod alludens HVGO VICTORINVS ſermone de beata Maria, pertractans illa verba CANTICOR. *Et odor veſtimentorum tuorum,* quibus adiungit & illa alia: *Odor vnguentorum tuorũ, & lac & mel ſub lingua tua:* docet tria hic commendari in B. Virgine, labia, linguam, vnguenta; in labijs oſculum, in lingua eloquium, in vnguentis odorem, ita vt tota Trinitas veniat ad Virginem, quæ ſuſceperat in *labiis* ab ore Patris oſculum: in vtero Patris verbum, & in *vnguentis* Patris, & Verbi ſpiritum: *Fauus,* inquit HVGO, *mel, & ceram habet: mel diuinitas eſt, cera humanitas: fauus Verbum caro factum eſt in Virgine, ac ſi Deus dicat: Ego expertus ſum, quod laudo, fauus diſtillans labia tua. Ego deuinctus tibi charitate, oſculo oris mei labia tua preſſi, ſimulque dulcedinem vere expreſſi. Valde expreſſi dulcedinem, & vere expreſſi ſuauitatem, quando meum tuo in te ſociaui, & per tuum à te cum meo pariter, & tuo exiui.*

D. Bern. ſer. de B. Virg. in Verba Apocal.

Greg. Niſſ. in orat. de Chriſti Natiuitate.

Hugo Vict. ſer. de Aſſumpt. Mariæ tom. 2.

V. AD hæc pene innumera alia reperio, quibus (ſi credimus D. ISIDORO, D. AMBROSIO, AVICENNÆ, ARISTOTELI, PLINIO, BERCORIO) Maria api perſimilis eſſe perhibetur. Si apis ſecundum etymologiam D. ISIDORI intepretatur *ſine pedib.* quia re vera cũ naſcitur, illis caret, certe Maria ita clauſuræ cuſtodem ſe exhibuit, ac ſi pedibus careret; quod ſi ad Eliſabetham viſitandam proficiſcitur, apis alas aſſumit; vt innuunt Euangeliſtæ verba: *In montana cum feſtinatione,* ne vt denotauit AMBR. *extra domum diu in publico verſaretur.* Si apes ſollicitæ ſunt in ædificando domum regi ſuo, vt tradit ARISTOTELES, Maria adeo ſedula fuit in fabricanda Chriſti Domini humanitate, quæ propria domus erat Verbi diuini in ea corporaliter inhabitantis, vt Spiritus S. virtute cooperante, abſque vlla temporis mora in ſolo vnico eius momento illam efformauerit, vt communis docet Theologorum ſententia. Si apum (ſecundum PLINIVM) per tres ante dies egreſſus ab alueario ſtrepitu, & clamore prædicitur, ac diuulgatur, etiam Chriſti ortus, & exitus ex virginei thalami alueario prędictus fuit in triplici lege, per trinã diem ſignificata, ſcilicet in lege naturæ, gratiæ, & ſcripta. Et quemadmodum Rex apum, cum egreditur, multis apibus eum ſtipãtibus foras prodit, ita naſcente Chriſto: *Subito facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum.* Si apes quãdo rex non poteſt volare, vt idem tradit ARISTOT. ipſæ illum geſtant, Maria, quando Chriſtus Rex Regum in infantia ſua ambulare nequibat, ipſa brachijs illum ferebat, adeo vt vſque ad Ægyptum hoc modo illum portaret. Si apes, quocumque pergit Rex, ſequuntur illum, quaſi ad nutum ei obſequentes, vt narrat PLINIVS, certe Maria non ſolum per imitationem Chriſtum ſequuta eſt, ſed fere ſemper quocunque ibat, illum vſque ad mortem comitata eſt, iuxta illud IOANNIS: *Stabat iuxta crucem Ieſu mater eius.* Si Apes, vt affirmat BERCORIVS, Rege ſuo perdito contriſtantur, & hac & illac illum quærentes vagantur, donec eum inueniant, Maria Chriſto Domino, cum eſſet duodecim annorum, perdito vehementer doluit, & per varia loca circumcurſans non ceſſauit, donec inuenit,

D. Iſid. apud Bercor. in reductorio lib 10. cap. 16.
D. Ambr. in exam.
Auicen de apibus.
Ariſt. l. 9. de anima. lib. c. 14. & li. 2. de gener. anim.
Plin. l. 3. de natur. hiſt. lib. 6. & 9. & lib. c. 6.
D. Iſid lib 12. etym. c. 18.
Ambr in c. 1. Luc.
Ariſt. vbi ſupra.
Plin. vbi ſupra.
Luca 2.
Ioan. 19.

quem

quem diligebat anima eius: Si apes (vt aduertit ARISTOTELES, & ad sensum patet, posteriores pedes anterioribus longiores habent, ita primi affectus ad hæc temporalia, sine quibus vita transigi non potest, per anteriores pedes significati (quia, vt ait Apostolus: *Prius quod animal est*) tepidi erant in Maria, & quasi emortui, affectus vero spirituales per posteriores pedes denotati, ipso Apost. ibidem dicente: *Deinde, quod spirituale est*, feruentissimi fuêre, & frequentissimi, iuxta illud IOB: *Priora tua fuerint parua, & nouissima tua multiplicentur.* Si apes, cum nocte adueniente compelluntur extra aluearium in rure manere, excubant facie conuersa versus cœlum, vt tradit PLINIVS, certe Maria cũdormiebat, versa faciein Deũ per mentis contemplationem somnum ducebat, vt ipsa de se testatur: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Si apes vaticinãtur, auctore PLINIO, futuros imbres & procellosos ventos, Maria ẽt vaticinata fuit copiosos imbres, ac ventorũ procellã, quib. Hebræi dissipãdi erant, dum prophetans dixit: *Dispersit superbos mente cordis sui: deposuit potentes de sede.* Adhæc (vt ad id, vnde nonnihil digressi sumus, reuertamur) si apes nunquam sunt otiosæ, quædam enim inuigilant circa victum, aliæ cellulas quadras, aliæ rotundas conficiunt, aliæ mella componunt, aliæ futuros imbres explorant, aliæ speculatorum instar, inimicorum animalium in aluearium incursum præcauent; vnde SALOMON dixit, vt ex Græco quædam adducit GLOSSA super NVMER. *Vade ad apem, & disce, quam sit operosa, quamque seriam operationem exerceat, cuius labores & Reges, & idiotæ ad sanitatem assumunt*: non secus Beata Virgo, ita otiositatem virginitatis inimicam odio habuit, vt saltem mente ab operatione nunquam vacaret, ad quod significandum D. AMBR. de illa dixit: *Legendi studiosior, intenta operi.* Quod si dormiendo (vt nuper dicebam) otiosa non erat, sed contemplationi vacabat, qui fieri potest, vt vigilans à suaui dilecti contemplatione, & ardenti amore cessaret? quod si Apes serenum aerem valde diligunt, quia tunc plus roris inueniunt, Maria serenitatem conscientiæ adeo adamasse constat, vt serenissima Maria ab omnibus appelletur, sicut Imperatorum vxores vocitari consueuêre, *vt habetur in libro 1. c. nemini licere*; atque hæc serenitas maxime illam iuuabat ad diuinas laudes alacrius decantandas, nam vt OVIDIVS cecinit:

Carmina proueniunt animo deducta sereno.

Ac tandem si Apis est animal bellicosum, vt testatur ISAIAS dicens; Deum vocaturum fore apem, vt regem Achaz, & populum suum deuastaret, quod constat etiam ex illo DEVTERONOMII: *Amorrhæus persecutus est vos, sicut solent apes persequi:* suis enim pungentibus aculeis vehementem dolorem incutiunt, & sanguinem extrahunt, ita etiam Beata Virgo non solum instar bellicosæ apis, *sed tanquam acies castrorum ordinata*, aculeo suæ potentiæ antiquum serpentem adeo exulcerauit, vt & caput eius contereret, iuxta diuinum elogium: *Ipsa conteret caput tuum.*

Cor. 15. — Iob 8. — Cant. 5. — Luca 1. — Glos. sup. c. 33. Num. — Ambr. l. 2. Virg. init. — Ouid. l. 2. Trist. — Isa. 7. — Deut. 1. — Gen. 3.

VI. HINC discant oportet Virgines bellatrices fieri aduersus suæ virginitatis impugnatores: hoc enim genus bellandi multo illustriores, & gloriosiores illas reddet, quam si ingentes prouincias expugnassent: vnde eleganter HORATIVS:

Latius regnes auidum domando
Spiritum, quam si Lybiam remotis
Gadibus iungas, & vterque Pœnus
——Seruiat vni.

Et BOETIVS in eandem sententiam consentiens hæc præclara dixit:

Qui volet esse potentem,
Animos domet ille feroces,
Nec victa libidine colla
Fœdus submittat habenis.

VII. CERTE in hoc genere pro tuenda virginitate bellandi non possum non valde mirari sedulam curam, ac inuictam fortitudinem, qua quondam Gentiles quædam fœminæ mirifice effulserunt, quas in vnum ita eleganter concinnauit Diuus HIERONYMVS, vt moleste non feram hic ascribere egregia, ac insigni eruditione plena eius verba: *Referunt Athlantham*, ait D. HIERONYMVS in vita Pauli Eremitæ, *Galidoniam virginem semper in venatibus, semper in syluis, non tumentes vteros fœminarum, fastidiaque conceptuum, sed expeditam, & castam amasse virtutem. Quid referam Sibyllas, Erythræam, atque Cumanam, & octo reliquas, quarum insigne virginitas, & virginitatis præmium diuinatio? Sacerdos Vestæ Minutia propter suspicionem stupri viua defossa est, iniusta (vt reor) pœna, nisi grande crimen putaretur læsa virginitas. Certe Romanus populus quanto honore virgines semper habuerit, hinc apparet, quod Consules, & Imperatores, & in curribus triumphantes, qui de superatis gentibus trophæa referebant & omnis dignitatis gradus eisdem via cedere solitus sit; Claudia virgo Vestalis, cum in suspicionem venisset stupri, & simulacrum matris Idææ in vado Tyberis hæreret ad comprobandam pudicitiam suam, refertur cingulo duxisse nauem, quam multa millia hominum trahere nequiuerant. Nec mirum hoc de hominibus, cum Mineruam quoque & Dianam, virgines Deas, finxerit error gentilium, & inter duodecim signa cœli, quibus mundum volui putant, Virginem collocarint. Triginta Atheniensium Tyranni cum Phidonem in conuiuio necassent, filias eius virgines ad se venire iusserunt, & scortorum more nudari, ac desuper pauimẽta patris sanguine cruentata impudicis gestibus ludere. Quæ paulisper dissimulato doloris habitu, cũ temulentos conuiuas cernerent, quasi ad requisita naturæ egredientes, inuicem se complexæ præcipitauerunt in puteum, vt virginitatem morte seruarent. Demotionis Areopagitarum principis virgo filia, audito sponsi Leosteni interitu, qui bellum Lamiacum concitarat, se interfecit, asserens, quanquam intacta esset corpore, tamen si alterum accipere cogeretur, quasi secundum acciperet, cum priori mente nupsis-*

Hora. Ode 2. lib 2. — Boet. de cõsol. philos. lib. 3. metro 3. — D. Hieron. l. aduersus Iouin. t. 2.

nupsisset. Spartiatæ, & Messenij diu inter se habuerunt amicitias in tantum, vt ob quædam sacra etiam virgines ad se mutuo mitterent. Quodam igitur tempore cum quinquaginta ipsas virgines Lacedæmoniorum Messenij violare tentassent, de tanto numero ad stuprum nulla consensit, sed omnes libentissime pro pudicitia occubuerunt. Aristoclides Horcometi tyrannus adamauit virginem Stymphalidem, quæ cum patre occiso ad templum Dianæ confugisset, & simulacrum eius teneret, nec vi posset auelli, in eodem loco confossa est, ob cuius necem tanto omnis Arcadia dolore commota est, vt bellum publice sumeret, & necem virginis vlcisceretur. Quo ore laudandæ sunt Scedasi filiæ in Leuctris Boetiæ, quas traditum est absente patre duos iuuenes prætereuntes iure hospitij suscepisse, qui multum indulgentes vino, vim per noctem intulere virginibus, quæ amissa pudicitia, nolentes superuiuere, mutuis conciderunt vulneribus. Iustum est & Locridas virgines non tacere, quæ cum Ilium mitterentur ex more per annos circiter mille nulla obscœni rumoris, & pollutæ virginitatis vllam fabulam dedit. Quis valeat silentio præterire septem Milesias virgines, quæ Gallorum impetu cuncta vastante, ne quid indecens ab hostibus sustinerent, turpitudinem morte fugerunt? exemplum sui cunctis virginibus relinquentes, honestis mortibus magis pudicitiam curæ esse, quam vitam. Nichanor, victis Thebis atque subuersis, virginis vnius captiuæ amore superatus est, cuius coniugium expetens, & voluntarios amplexus, quos scilicet captiua optare debuerat, sensit pudicis mentibus plus virginitatem esse, quam Regnũ, & interfectam propria manu flens, & lugens amator tenuit. Narrant scriptores Græci, & aliam Thebanam virginem, quam hostis Macedo corruperat, dissimulasse paulisper dolorem, & violatorem virginitatis suæ iugulasse postea dormientem, seque interfecisse gladio, vt nec viuere voluerit post perditam castitatem, nec ante mori, quam sui vltrix existeret. Sed & Timæus scribit Pythagoræ virginem filiam choro virginum præfuisse, & castitatis eas instituisse doctrinis. Deo ergo immortali virginitatis custodi, & auctori honor, & gloria, in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA V.

Rationes variæ proponuntur, quibus non obscurè probatur, decuisse Deiparam Mariam non aliter, quam inuiolatâ eius virginitate Christum Dominum concepisse & peperisse.

I. PERGO iam integerrimam Deiparæ Virginitatem varijs rationibus comprobare, non quidem euidentibus, cum mysterium fidei sit adeo reconditum & abstrusum, non aliter, quam per speculum in ænigmate caliginosæ reuelationis videatur, vnde Diuus BERNARDVS sermone 3. in vigilia Natiuitat. inter tria fidei difficillima sacramenta illud annumerauerat dicens: *Tria opera fecit omnipotens illa maiestas in assumptione carnis nostræ ita singulariter mirabilia, & mirabiliter singularia, vt alia nec facta sint, nec facienda sint amplius super terram. Coniuncta quippe sunt ad inuicem Deus & homo, mater & Virgo, fides & cor humanum: his duobus fidem accõmodauit, quomodo credi potuit, quod Deus homo esset, & quod Virgo manserit, quæ peperisset* Hinc D. AMBROS. l. de institutione Virginis cap. 5. dixit: *Virginem parturire maius est miraculum, quam mortuum reuiuiscere:* & SOPHRON. in synodicis, inter ea, quæ in sexto Constantinopolitano laudem publicam meruerunt, Mariam post partum intemeratam Virginem permansisse narrat. Quid multa? merito ænigma inextricabile videri potest talem reperiri creaturam, quæ vicissim de sua carne auctorem, patremque suum generet, non ab alio, quam quem peperit, fœcundata, & quæ eidem simul & filia, & sponsa, & mater existat. Vtimur tamen adeo congruentibus argumentis, vt nemo sanæ mentis diffiteri possit, decuisse valde, vt Verbum diuinum non nisi ex matre Virgine temporalem ortum habuerit.

II. PRIMAM ergo congruentiæ rationem desumo ex grauissimis verbis CONCILII EPHESINI, vbi dicitur: *Quæ parit carnem puram, à virginitate cessat; sed quia natum est in carne verbum, Deus custodit Virginitatem, seipsum ostendens per hoc verbum.* In eo autem id ostendit, quia sicut Verbum diuinum generatur à Patre absque aliqua diuini intellectus, seu potentiæ generatiuæ corruptione, ita idem Verbum carnem indutum ex matre, inuiolato manente virginei claustri sigillo, processit; vt enim dixit THEODORETVS Anciræ Episcopus, & habetur in eodem CONCILIO EPHESINO: *Nec nostrum Verbum cum parit, corrumpit mentem, neque Deus verbum substantialem partum eligens peremit virginitatem:* & D. THOMAS, qui in exponendis Marianis arcanis diligentissimam curam adhibuit, alludens ad verba Concilij Ephesini sapienter dixit: *Hoc fuit conueniens proprietati ipsius filij, qui mittitur, quiquidem est verbum Dei: verbum autem absque omni corruptione cordis concipitur: quin immo cordis corruptio perfecti verbi conceptionem non patitur: quia ergo caro sic fuit à Verbo Dei assumpta, vt esset caro Verbi Dei, conueniens fuit, quod etiam ipsa sine corruptione matris conciperetur:* Vnde D. IGNATIVS MARTYR inquit: *Decebat creatorem non consueto, sed peregrino & admirando vti partu, vtpote omnium Opificem.* quibus consonant, quæ præcitato loco THEODORETVS scripsit: *Si quod natum est, matris integritatem illæsam conseruauit, apud recte ratiocinantes Deus esse vtique cognoscetur.* Ac tandem eleganter in huius confirmationem SANCTVS MAXIMVS Taurinensis Episcopus dixit: *Duas in Christo generationes*

Theodor. Ancir. t. 6. Conc. Ephes. in Append. 5. & or. de Christi natiu.

D. Tho. 3. p. q. 28. ar. 1.

D. Ignat. Martyr epi. ad Heron. Theo. Ancir. Epis. hom. 2. habita in Syn. Ephes. to. 6. c. 10. S. Maxim. hom. 12. & 6. in nat. Dom.

nes

nes legimus, sed in vtraq; comprehensa diuinitatis est virtus: ibi enim eum ex semetipso genuit Deus, hic eum Virgo Deo cooperante concepit: ibi sine initio, hic sine exemplo: illa ante hominem, ista supra hominem: illa incogitabilis, ista mirabilis. Generationem ergo eius quis enarrabit? sed si narrari non potest, credi potest, si lingua deficit, fides proficit. Quid hoc est miraculi? secreto quodam incomprehensoq; conceptu procedit de mortali fœmina diuina progenies. Hodie noua fœminei sexus gloria peperit Virgo, & quod vniuersa nobiscum creatura miratur, natus est homo non per hominem procreatus: nascitur Christus ex Maria, vt sexus fœmineus hominem daret, & Deum proderet integritas virginalis. hactenus S. Maximus.

III. SECVNDA ratio sit, quia nemo est tam iudicii inops, qui inficiari possit, quod supposito immutabili Dei decreto, vt filius eius, quem ab æterno genuit, in tempore conciperetur & nasceretur, decuisse conceptum & partum eius digniorem, ac puriorem reliquis omnibus esse; ille autem dignior, & purior est, qui concipientem, & parientem non violat & corrumpit, sed integram relinquit; hoc igitur conceptionis & ortus genus habuit Dei Filius, perennis puritatis fons: vnde eleganter D. CHRYSOSTOMVS rationem hanc tangens dixit: *Ingressum omnium Domini digniorem esse oportet, quam nostrum: Regius enim fuit introitus: Oportebat autẽ & partim cum nostra natiuitate communicare, & partim alienum esse. & vtraq; hæc fuerunt. Nam de vtero prodire, commune habet nobiscum, absq; nuptiali autẽ congressu nasci, supra nostram est natiuitatem. Naturale est conceptum fieri in vtero, supra naturam humanam est absq; commistione esse prægnantẽ. Et propterea vtraq; habuit, vt & excellentiam, & communionem, quam habet tecum, discas.* hæc ille.

D Chrys. hom. 49. in Gen.

IV. TERTIA ratio: quia cum Christus numquam legatur damnum aliquod, dum vixit, alicui intulisse, quin potius multis multa bona condonasse, vt dixit PETRVS: *Qui pertransiuit benefaciendo, & sanando omnes:* rationi cõsonum erat, vt dilectissimæ matris suæ integritati nullum prorsus detrimentũ inferret, sed pertransiret potius vterum maternum benefaciendo, non lædendo. Certe alii Prophetæ ædificabant, & plantabant in agro Domini, prius tamen euellebant & destruebãt; iuxta illud IEREM. *Vt euellas, & destruas, ædifices, & plantes.* Christus a. Dominus, qui apud ISA. vocatur: *Ædificator sepiũ, non destructor*, ingreditur mundum non euellens, & destruens in matre virginitatis sepẽ, & inexpugnabilem suæ integritatis murũ, sed illum potius mirabili suo ortu magis firmãs, & stabiliens quod pulchre videtur significare spõsus in CANT. dicẽs: *Quid faciemus sorori nostræ, quando alloquenda est?* (scilicet ab Angelo in Annunciatione) *si murus est, ædificemus super eum propugnacula:* ac si dicat, licet muro virginitatis munita sit, propugnaculis tamẽ immaculatæ conceptionis, & mundissimi ortus eã corroboremus: sequentia etiam verba: *Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis:* id ostendunt, cũ

Act. 10. *Ierem. 1.* *Isaia 5.* *Cant. 8.*

Cedrus eius naturæ sit, vt nunquam putrescat, & ideo apud Antiquos æternitatis symbolum semper extitit, vt docet PIERIVS, quare diuinus sponsus Mariæ Virginitatem in æternum duraturam nõ obscure ibi prædixit. *Pier. li. 50.*

V. QVARTAM rationem docuit me D. ANSELM. in lib. 2. cuius titulus est, CVR DEVS HOMO? vbi tradit voluisse Christum ex Virgine concipi, & nasci absq; virili opera, vt hunc mirabilem, inusitatum, immo & inauditum nascendi modum suæ subiacere potestati ostẽderet: verba D. ANSELMI hæc sunt: *Quatuor modis potest Deus facere hominem, videlicet, aut de viro & fœmina, sicut vsus monstrat; aut nec de viro, nec de fœmina, sicut creauit Adam; aut de viro sine fœmina, sicut fecit Euam, aut de fœmina sine viro, quod nodum fecerat. Vt igitur hunc quoq; modum probet suæ subiacere potestati, & ad hoc ipsum opus delatũ esse, nihil conuenientius, quam vt de fœmina sine viro assumat illum hominem, quem quærimus. Vtrum autem de Virgine, vel non Virgine dignius hoc fiat, non est opus disputare, sed sine omni disputatione asserendum est, quia de Virgine Deum & hominem nasci oportet.* hæc ille.

VI. QVINTA ratio sit: quia decebat valde eum, qui legem de honorandis parentibus condiderat, ne, cum nasceretur, virginitatis honorem in matre minueret, sed potius augeret, quod sane præstitit Christus; nam cum in omni partu semper concurrat dolor parientis, & fletus nascentis, certe licet ipse fletus, & lacrymas in sua natiuitate non respuerit, iuxta illud SAPIENTIÆ: *Primam vocem similem omnibus emisi plorans:* in matris tamẽ partu dolorem non admisit, sed eam potius eximia lætitia perfudit, iuxta illud ISAIÆ: *Germinans germinabit* (scilicet Maria) *& exultabit lætabunda: gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron:* certe gloria hæc Libani nulla est alia, quam illa, quam ipsa Virgo significauit dicens: *Ego quasi Libanus non incisus odorem euaporaui:* ac si diceret: ego sine scissura claustri virginalis Christum peperi: aliæ fœminæ, dum pariunt, fœdiores & sordidiores redduntur, partus autem Mariæ ita pulchram illam reddidit, vt decorem Carmeli, & Saron induisse videretur.

Exod 20. *Sap. 7.* *Isa. 35.* *Eccl. 42.*

VII. SEXTA ratio: quia cum Christus cohonestare, & suadere veniret inusitatam virginitatem, quę fere apud omnes in opprobrio erat, MOYSE dicente: *Maledicta sterilis, quæ non parit:* oportebat, vt tam ipse, quam mater eius Virginitatem perpetuo colerent, vt sic quod postea de virginitate Euangelicis eunuchis prædicaturus erat, & facilius, & efficacius suaderet; ille enim perfectus censetur Magister, qui *cœpit facere, & docere*, veniens igitur ad docendam virginitatem non debebat prius matris violare integritatem, quam facile illæsam custodire poterat, sic enim fiebat, vt tam filius, quam mater exemplum essent virginitatis, quod magni momenti erat ad illam reliquis suadendam. hinc GREGORIVS NAZIANZEN. oratione de laudibus Basilii

Deut. 6. *Act 1.* *Greg Naz. orat. 20.*

dixit: *Christus ex Virgine oritur, virginitatem velut lata lege sanciens*: non quod præcepto ad virginitatem compulerit, sed quia efficacis exempli vi ad illã sectandã trahat. Ad idem etiã tẽdunt verba IOANNIS DAMASCENI dicentis: *Christus Virginitatis decus, & ornamentum est, vt qui non modo ex parte citra congressum genitus sit, sed etiam carnem ex Virgine sine virili congressu assumpserit*: ipseq; omnibus numeris absolutam virginitatem in seipso ostenderit: vnde merito D. AMBR. lib. de institutione Virginis Christum virginitatis ducem, Mariam vero virginitatis vexilliferam appellauit, cuius sane vexillum militiæ sequitur cœlestis Virginum exercitus, eodem AMBR. dicente: *Hæc est cœlestis illa militia, quam laudantium exercitus Angelorum promittebat in terris*, LVCÆ 2. ac tandem THEODORETVS dixit: *Christus Dominus honorauit virginitatem, vt qui natus sit ex Virginitate, prata virginitatis germinauit, & hos suaueolentes, & qui non marcescunt flores, offert creatori.* Accedunt his egregia D. GREG. NAZIAN. carmina:

Damasc. l. 4. fidei cap. 25.
D. Ambr. l. de instit. Virg. cap. 5.
D. Ambr. l. 1 de Virg.
Theodoret. in fine Historia religiosa.

Ante quidem vmbroso in paucis splendore micabat,
Dum lex iura daret terris, & in orbe vigeret,
Exiguis spectanda notis.
At postquam Christus per castæ viscera Matris
Absq; patre, & tædis vitæ progressus in auras,
Lustrauit muliebre genus, tum deniq; nostro
Virginitas generi præclaro lumine fulsit.
Connubium tantum exsuperans, & vincula vitæ,
Quantum animus carni præstat, conuexaq; cœli
Regia tellurem superant, quantoq; fugaci
Illud in æternum durans præstantius æuum est.

VIII SEPTIMA ratio Christi liberalitati, & munificentiæ in remunerandis hospitibus, à quib. recipiebatur, innititur. Domum Zacchæi ingressus ore dixit, & opere cõpleuit: *Hodie salus Domui huic facta est*, ingressus domum Matthęi, & Marię, ad illarum preces Lazarum mortuum earum fratrẽ ad vitam reuocauit; ac tandem sepulchrum, in quo per triduum iacuit, quasi ei hospitium persoluens adeo illustrauit, vt de illo ISAIAS prędiceret: *Et erit sepulchrum eius gloriosum.* Et quidẽ si hominis grati illud ingenium est, vt beneficium receptũ, quoad possit, rependat, vt vidimus in Elia, qui Sarephtanæ viduæ placentulam sibi datam adeo liberaliter persoluit, vt per multos dies tempore ingruentis famis nec farina de hydria deficeret, nec lecythus olei minueretur, vt sacra REGVM narrat historia. Elisæus etiam cum frequenter hospitio reciperetur à quadam pia fœmina, gratum adeo se illi exhibuit, vt omnia debita illius creditoribus solueret, & filium suscitaret: cum igitur B. Virgo speciali illo virginei vteri sui hospitio per integros nouem menses Christum Dominum suscepisset, summaq; sit Christi erga benefactores suos gratitudo, consequens est sacram illam domum non violasse, nec permisisse ad introitum, aut egressum illis iacturã aliquam pati, vnde D. ILDEPH. lib. de perpetua virginitate, & parturitione Mariæ dixit: *Oportuit, vt primã genitricis integritatẽ nascẽs incorruptio custodiret, & cõplacitũ claustrũ pudẽs sanctitatis hospitiũ virtus diuini spiritus infusa seruaret.* consonãt his quæ D. CHRYSOLOG. eleganter scripsit: *Qui ingreditur, & egreditur, & introitus sui, & exitus nulla vestigia relinquit, diuinus habitator est, non humanus, & qui conceptu suo virginẽ seruat, & ortu suo relinquit virginem, non terrenus homo est, sed cœlestis.* Nec fas certe est dicere, Christum Dominum post egressum ex matris vtero, factam virginei claustri iacturam diuina virtute postea reparasse, nam qui eadem facilitate poterat integram illam seruare superfluũ sane fuisset illam ortu suo violare, quam confestim redintegrare volebat. vnde *cũ mirabilius sit* (B. PETRO DAMIANO id attestante) *& valde præcellentius Virginem incorruptam manere post partum, quam corruptam ad virginale decus redire post lapsum, quia & maius est quemlibet clausis ianuis ingredi, quam eas quæ patuerint, ianuas claudere*: rationi consonum est, vt id quod perfectius ab omnibus putatur, filium matri suæ præstitisse putemus.

Luc. 7.
Ioan. 11.
Isa 53.
3. Reg. 17.
4. Reg. 4.
D. Ildeph. de virgin. partu Mar.
D. Petrus Chrysolog. serm. 41.
B. Petrus Dam. ep. 4. c. 10. & habetur to. 3. Bibl SS. Patr.

IX OCTAVA ratio fit: quia cum primus Adam de terra terrenus typum gesserit secundi Adam de cœlo cœlestis (vt verbis PAVLI vtar) oportuit, vt sicut ille ex terra virginea nullius culturæ subiecta procreatus fuit, ita etiam Christus ex vtero Virgineo, & matre intacta nasceretur: quam rationẽ his verbis illustrauit AMBROS. *Adam de terra Virgine natus est, & Christus de Maria Virgine procreatus: illius maternum solum necdum scissum fuerat, istius maternum secretum numquam concupiscentia violatum: Adam Dei manib. plasmatur è limo, Christus Dei spiritu formatur in vtero: vterq; ergo oritur sine patre, vterq; Virgine oritur matre*: in eandem rationem recidit alia, quam assignat AVGVST. vt sicut in cœlo Christus habebat patrem incorruptibilem, sic in terra haberet matrem omni corruptione carentem.

1. Cor. 15.
D. Ambr. serm. 39.
D. Aug. ser. 14. de nat. Christ.

X. NONA ratio, & valde singularis traditur ab AVGVST. lib. de sancta Virginit. vbi ait: Oportebat caput nostrum ex Virgine nasci, vt significaret mẽbra sua de Virgine Ecclesia secundum Spiritũ sanctum nascitura: Ecclesia enim, cuius filii sunt Catholici, immaculata est ex cõcubitu, fœcunda partu, Virgo perpetua, concepit nõ à viro, sed spiritu, parit non dolore, sed gaudio; nutrit non vbere corporis, sed lacte doloris, vt verbis eiusdem AVGVST. vtar serm. 6. in Nat. Domini.

D. Aug. li. de virgin. cap. 6.

XI. DECIMA tandem ratio sit, decuisse Christum Dominum ex matre Virgine oriri, vt etiam ex vi cõceptionis peccato originali careret: nam vulgaris modus humanæ conceptionis hoc genus peccati parit, conceptio vero ex sola Virgine absq; virili opera omnis peccati expers est, & consequẽter Christi conceptio nõ potuit esse immaculata, quæ ex Virgine fuit à Spiritu sancto obumbrata. vnde D. AVGVST. inquit in suo Enchyridio. *Nulla voluptate carnalis concupiscentiæ seminatus, siue conceptus est Christus, & ideo nullum peccatum originaliter contrahens.* & lib. 13. de Trinitate cap. 18. *Non interfuit concupiscentia carnalis, per quam seminantur, & concipiun-*

D. Aug. in Enchyr. cap. 41.

cipiuntur cæteri, qui trahunt originale peccatum, sed ea penitus remotissima; credendo, non cõcumbendo, sancta est fœcundata virginitas, vt illud, quod nascebatur, ex propagine primi hominis, tantummodo generis, non etiam criminis originem duceret: Cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA VI.

Ex diuinis oraculis aggredimur iam probare perpetuam Deiparæ Mariæ virginitatem: Exordimur *autem à tribus valde memorandis: Primum est;* Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & inter semen tuum, & semen illius: *Secundum;* Mulier si suscepto semine pepererit masculum: *Tertium;* Viam viri in adolescentula.

Gen 3.
Leu. 12.
Prou. 31.

I. VAMQVAM hæretici Ebionitæ primi & præcipui Marianæ Virginitatis hostes in Dominico agro instar pessimæ zizaniæ pullulantes (vt auctor est TERTVLLIANVS) & tamquã ex serpentino semine procreati nouæ Euæ calcaneo insidiantes, diligentes adeo ac celeres illius impugnatores se exhibuerunt, vt ab incunabulis ipsius Ecclesiæ Catholicæ acerrime illam insectarentur, vt testis etiam omni exceptione maior extat percelebris MARTYR IGNATIVS qui Apostolorum vidit ætatem, & illius Ecclesiæ certamina expertus est: hic certe non semel de impiis hæreticis conqueritur, quod Mariæ virginitatem proscindere tentarent: *Partum (inquit) Virginis calumniantur:* diligentior tamen, & multo sollicitior extitit Dei prouidentia, virginitatem futuræ matris suę à primordiis creationis mundi singulari oraculo stabiliens, quo illam veluti scuto præmunitam hæreticorum iacula lædere nequirent; vnde egregie ad id respiciens LEO PAPA dixit: *Deus omnipotens, & clemens statim, vt nos diabolica malignitas veneno sua mortificauit inuidiæ, prædestinata renouãdis mortalibus, suæ pietatis remedia inter ipsa mundi primordia præsignauit.* Primo enim c. GEN. affatus Dominus seductorem serpentem verba illa dixit: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuũ, & semen illius,* in cuius loci expositione, licet quantum ad id varient Doctores, quod quidam legunt *ipse* seu *ipsum*: scilicet: *semen conteret caput tuum*, vt D. CYPRIANVS, IRENÆVS, HIERONYMVS, CHRISOLOGVS, & PARAPHRASTES CHALDÆVS: Alii vero, vt D. CHRYSOSTOMVS, AVGVSTINVS, GREGORIVS, AMBROSIVS, BERNARD. BEDA & EVCHERIVS vulgatam lectionem seruantes legunt: *Ipsa conteret caput tuum:* Consentiunt tamẽ in eo, quod licet hoc, vel illo modo legas, hoc loco prædicitur Deiparæ Mariæ virginitas, cum de solo semine mulieris facta sit mentio: si enim illa ex viri semine conceptura esset, non matris solius, sed viri præcipue semen diceretur eius filius, per quem ipsa caput serpentis

Tertul. de carne Christi.
S Ignat. Mar. in ep. ad Trallianos, Philadelph. Magnesianos.
Leo Papa ser. 2 de nat. Dom.
D. Cypr. li. 2. testim. aduer. Iudæos c. 9.
Iren. lib. 4. cont. hæres. c. 78.
D. Hier. in qq. Hebr. in Gen.
S. Chrisol. serm 63.
D. Chry hõ 17. in Gen.
D. Aug. lib 12. de Gen. ad lit. c. 36.

contritura erat. Hinc eleganter RVPERT. dixit: *De quo semine hæc dicuntur, nisi de vno, qui est Christus? ipse namque solus ita semen mulieris est, vt non etiam viri semen sit:* consonant verba antiquissimi auctoris SERAPIONIS apud LIPPOMANVM super caput 3. GEN. vbi ait: *Inimicitias ponam inter semen tuum, & semen illius: nonne clarum est pronunciatum de Christo? quem sine semine peperit intemerata Virgo; singulari n. semen, non numero multitudinis, semina.* hanc intelligentiam illustrat mirifice, quod S. CYPRIANVS acute adnotauit dixisse Deum: *Ponam inimicitias inter te, & mulierem:* non vero *pono*, ne ad Euam pertinere videretur. Verbum ergo promissionis protulit, quod transmittitur in futura: *Ponam,* inquit, *inimicitias inter te, & mulierẽ:* id est, suscitabo mulierem, quæ repudiata facilitate credendi, non solũ te non audiat, sed ipso et Gabriele deferẽte verbũ rationẽ de ꝓmissionis exigat nouitate dicẽdo: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*

II. SECVNDVM testimonium ad probandũ B. Virginem absq; violatione suæ integritatis Christum concepisse, celebre est apud Patres illud LEVITICI: *Loquutus est Dominus ad Moysen dicens: Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit, &c.* & paulo inferius: *omne sanctum non tanget, nec ingredietur in sanctuarium, donec impleãtur dies purificationis:* quibus verbis Diuinus legislator excepit B. Virginem, quam sine suscepto semine, diuino spiritu afflante, cõcepturã præcognoscebat, alioquin superuacaneum fuisset dicere: *Mulier si suscepto semine*, cum naturaliter nulla possit parere, nisi illud susceperit, voluit igitur in ea lege Mariam excipere, quæ paritura erat sine suscepto semine.

III. ATQVE hanc esse germanam intelligentiam huius loci, tria mihi præcipue suadẽt. Primum est, quod agnoscunt hoc arcanum in his verbis latere omnes sancti Patres, & alii grauissimi Doctores, CYRILLVS ALEXANDRINVS, BERNARDVS, ILDEPH. CHRYSOSTOMVS, ORIGENES, EVTHYMIVS, EVSEBIVS, THEOPHYLACTVS, TITVS Bostrorum Episcopus, AYMON, GVERRICVS Abbas, LAVRENTIVS IVSTINIANVS, BEDA, ENRICVS, PAVLVS BVRGENSIS, LYRANVS, HVGO CARDIN. RABBANVS, CLARIVS, GLOSSA ORDINARIA, & alii innumeri illius loci interpretes. Quia tamen omnium horum Doctorum monumenta in medium producerem molestum & inutile esse reor, pauca selectiora tamen, contentus ero ꝓferre. D. CYRIL ALEXAND. super LEVITICVM hæc scripsit: *Consideremus secundum historiam, si nõ videtur quasi ex superfluo additum: Mulier quæ susceperit semen, & pepererit masculum, sed nõ ex superfluo additur, ad discretionẽ namq; illius, quæ sine semine cõcepit, & peperit, istũ sermonẽ pro cæteris mulierib. legislator adiecit.* subscribit quoq; D. BERN. *Quis,* ait, *nõ* aduer

& lib. 2. de Gen. cont. Manich.
D. Greg. li. 1. Moral.
D. Amb. li. de fuga sæculi, cap. 7.
D. Bern. hõ de laud. Virg. & ser. 2. sup. signũ magn
Beda in ca. 3. Gen.
Eucher. l. 2 in Gẽ. c. 29.
S. Cypr. l. 2. testim. adu. Iud. c. 9.
Rupert. l. 3. in Gen.
Serapio apud Lippõ. sup. c. 3. Gẽ.
Luca 1.
Leuit. 12.
S. Cyril Alex. lib. 8. in Leuit.
D. Bern. ser 3. de Purif. Mariæ.
S. Ildeph. ser. 1. de Purif. Mariæ.
D. Chrys. orat. de occursu Domini.
Orig. hõ. 8. in Leuit.
Euthy. super Luc. c. 2
Euseb. Emis. de Pur. Mariæ.
Theodor. super c. 2. Luc
Titus Epis. ib.
Aymon. ib.
Guerric. Abb. ser. 1. de Pur. Virgin.
B. Laur Iust. in eod. Festo Beda super c. 2. Luc Enricus hom. de Pur. Paulus Bur. super c. 12. Leuit. Lyran ib. HugoCard. ib. Rabban. de Cle. inst. c. 3. Clar. or. 21. Glos ord. c. 21. Leu D. Cyril. Alex. lib 8. in Leuit. D. Bernar ser. 3. de Purif. Mar.

aduertat ipſo ſententiæ huius initio liberam matrē Domini ab hoc præcepto? putas enim, quia dicens Moyſes, mulierem, quæ peperiſſet filium, immundam eſſe, non timuerit ſuper matre Domini blaſphemiæ crimen incurrere, & idcirco præmiſerit, ſi ſuſcepto ſemine? alioquin niſi pariturā præuidiſſet ſine ſemine virginē, quæ neceſſitas erat de ſuſcepto ſemine fieri mentionem? Patet itaq́ʒ, quod lex iſta matrem Domini non includit, quæ non ſuſcepto ſemine filium peperit. Putas ergo non poterat moueri animus eius, & dicere: Quid mihi opus purificatione? cur abſtineam ab ingreſſu templi, cuius vterus virum neſciens templum factus eſt Spiritus ſancti? cur non ingrediar templum, quæ peperi Dominum templi? nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum, nimirum cum proles iſta fons puritatis ſit, & purgationem venerit facere delictorum. breuius tamen ORIGENES ad idem in hūc modum loquitur: *Non de ſuperfluo addidit legislator: Mulier ſi conceperit ſemen, & pepererit filium, ſed exceptionem poſuit, quæ ſolam illam mulierem à reliquis mulieribus ſegregaret, cuius partus non exceptione ſeminis, ſed ex præſentia Spiritus ſancti, & virtute Altiſſimi fuerit:* cum ergo omnes ſancti Patres in hanc conſpirent illius loci intelligentiam, & ſacrum CONCILIVM TRIDENTINVM præcipiat, nemini licere ſacram Scripturam interpretari contra communem SS. Patrum expoſitionem, verba illius hęc ſunt: *Ad coercenda petulantia ingenia decernit ſacroſancta Synodus, vt nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram ſcripturam, ad ſuos ſenſus contorquens contra eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum, aut etiam contra vnanimem conſenſum Patrum ipſam Scripturam ſacram interpretari audeat, etiam ſi huiuſmodi interpretationes nullo vnquam tempore in lucem edendæ forēt. Qui contra fecerint, per Ordinarios declarentur, & pœnis à Iure ſtatutis puniantur.* Inde aperte efficitur prædictam expoſitionem veriſſimam eſſe, & abſq; graui temeritatis nota non poſſe ab omnibus non acceptari.

Orig. hom. 4. in Leuit.

Conc. Trid. ſeſſ. 14.

IV. SECVNDVM idipſum mihi probat, quod ex ipſa lege palam deprehenditur ob Marianæ virginitatis myſterium conditionem illam fuiſſe appoſitam, cum ſolum adhibeatur in fœmina pariente maſculum: *Mulier*, inquit, *ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum?* non vero in muliere pariente fœminā, de qua poſtea dicitur: *Si autem fœminam pepererit.* Cur enim non ſimiliter dixit: *Si autem ſuſcepto ſemine fœminam pepererit?* niſi quia vna tantum mulier futura erat, quæ non ſuſcepto ſemine maſculum erat paritura, ad quam ſolam excipiendam fuit ea particula adhibenda? Atq; hoc eodem modo LXX. INTERPRETES legem illam intellexerunt, ſic enim verterunt: *Mulier quæcunque, ſi ſeminata fuerit, hoc eſt, ſemen à viro receperit.*

V. TERTIVM tandem, quod eamdem aſtruit expoſitionem, eſt, quod ea, quæ ab Epiſcopo ABVLENSI, Card. CAIETANO, IANSENIO, & OLEASTRO, qui auſi ſunt illam labefactare, obiiciuntur, parui momenti ſunt, & facile diluuntur. aiunt enim inprimis, nullum myſteriū latere in illis verbis, quia in eis non eſt ſermo de ſemine, quod eſt principiū generationis, ſed de ſemine accepto pro prole ſeu fœtu, vt accipitur in GENES. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius.* HEBRÆVS enim textus ſic habet: *Mulier, ſi Tazriang*, id eſt, ſi ſemen fecerit; *ſemen* autem *facere* idē eſt, quod *prolem generare*; eodemq; modo exponitur in LEXICO COMPLVTENSI HEBRÆO legēte: *Mulier ſi ſeminauerit*, id eſt, *generauerit*: neq; lectio editionis vulgatæ ab hac abhorret intelligentia, cum ſæpe ipſa *ſemen* pro *filio*, & *prole* vſurpet, vt patet in verbis illis GENESIS: *Mihi autem non dediſti ſemen*, id eſt, *filium*; & ex illis libri I. REGVM: *Reddat tibi Dominus ſemen de muliere hac.* Deinde hanc annectunt rationem: quia ſi lex illa Leuitici fuiſſet lata ſub conditione propter Virginem, opus quidem erat, vt aliquid Virgini prodeſſet vel ad hoc, vt à Iudæis crederetur abſque virili ſemine concepiſſe, quod tamen è contra factum fuiſſe videmus, cum D. LVCAS expreſſe dicat: *Chriſtum Dominum putatum fuiſſe filium Ioſeph*: vel certe vt immunis eſſet à lege purificationis reipſa implenda, quam tamen ex Euangelica lectione conſtat impleuiſſe inſtar aliarum parturiētium; cum igitur ad neutrum iſtorum ei profuerit, videtur ſane non fuiſſe additam illam particulam ad Mariam excipiendam. Verum prima iſtarum obiectionum ex eo facile euaneſcit, quod (vt adnotant Hebraicæ linguæ periti) verbum Hebręum, quod eſt in originali, proprie ſignificat *ſerere* & *ſeminare*, vt & in verbis illis DAVIDICIS: *Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent.*] *ſemen* deinde non ſolum pro filio, ſed etiam pro principio generationis accipitur, veluti GENES. I. *Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemē*: quare optime vertit vulgatus: *Mulier ſi ſuſcepto ſemine*: & ita quoque legunt GALATINVS, & ADRIANVS FINVS, linguæ Hebraicæ peritiſſimi. Secunda etiam obiectio debilis eſt; quia Spiritus ſanctus, qui fuit legislator, non intendebat per illam legē, vt illo tempore omnib. palam fieret inuiolata Mariæ virginitas, aut quod illa purificationis legem non impleret, ſed vt poſtea labentibus annis, quādo Iudæi, & Hæretici Marianam integritatem impeterent, celebre hoc teſtimonium à Catholicis eis obiiceretur, quo vel ſacram Scripturam negare, vel Mariæ virginitatē profiteri, niſi dementati ſint, compellantur.

Abulenſ. q. 2. ſuper 12. cap. Leuit. Caiet. ibid. Ianſen. in concord. Euang. Oleaſt. in 12. c. Leuit.

Gen. 3.

Gen. 15.

1. Reg. 2.

Luca 3.

Pſal. 125.

Geneſ. 1.

Galat. li. 9. arcan. c. 14. Adri. Fin. li. 2. flagelli cont. Iud. cap. 3.

VI. TERTIVM ac percelebre teſtimonium ad corroborandam Catholicam veritatem de perpetua Deiparę virginitate deſumo ex verbis illis SALOMONIS: *Tria ſunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro; viam aquilæ in cœlo, viam colubri ſuper petrā, viam nauis in medio maris, viam viri in adoleſcētula.* Scio LXX. præſertim in editione facta ex mandato Clem. VIII. legere *in adoleſcentia*, ſicut & BEDA,

Prou. 30.

imo & D. HIERONYM. eam lectionem acceptat, & exponit in commentario huius loci, nec non & D. AMBROS. lib. I. de Salomone, & de obitu Valentiniani Imperatoris, vbi legit *viam viri in iuuentute*, eaque lectio quandoq; reperitur in aliquibus codicibus nostræ vulgatæ: & qui hanc lectionem sequuntur, vt BEDA, & alij volunt scopum Salomonis esse, indicare instabilitatem vitæ adolescentiũ, ad quod proponit tres illas vias aquilæ in aere, &c. quarum nullum relinquitur vestigium, vt sic postea difficillimam cognitu constituat esse viam viri in adolescentia, quia via vitæ illius volubilis varia, & instabilis est, ac in diuersa frequenter rapitur, & per momenta mutatur, ita vt difficile sit apprehendere, quo tendat, cum instar quatuor illorum ventorum inter se pugnantium, quos vidit DANIEL in mari, cogitationes variæ pugnent in corde vagi, & liberi adolescentis, de quo POETA LYRICVS in arte Poet. dixit:

Dan. 7.

Orat. in arte ante med.

Cereus in vitium flecti monitoribus asper,
Vtilium tardus prouisor, prodigus æris;
Sublimis, cupidusq; & amata relinquere pernix.

VII. VERVM licet hanc expositionem minime improbemus, nonnullas tamen patitur difficultates, tum quia ORIGINALE HEBRÆVM habet: *via viri in Halma*, id est, adolescentula abscondita, & incognita viro, vnde D. HIER. inquit: *Halma non solum puella vel Virgo, sed cum epitasi, Virgo abscondita dicitur, & secreta, quæ nunquam virorum patuerit aspectibus, sed magna parentum diligentia custodita sit: lingua quoq; Punica, quæ de Hebræorum fontibus manare dicitur, proprie virgo Halma appellatur. Et quantum cum mea pugno memoria, nunquam me arbitror Halma in muliere nupta legisse, sed in ea, quæ Virgo est, vt non solum Virgo sit, sed Virgo iunioris ætatis, & in annis adolescentiæ, potest enim fieri, vt Virgo sit vetula.* nostra VVLGATA in multis Codicibus, & PARAPHRAST. CHALD. transtulit: *Viam viri in Virgine*, nec non PAGNINVS, LYRA, ISIDORVS, CLARIVS, & Card. CAIET. multi alij etiam existimant LXX. vertisse *in adolescentula*: Librariorum tamen incuria quidam ausi sunt dicere positam fuisse particulam illam, *in adolescentia*, qui error facile irrepsisse potuit, nec enim illi (inquiunt) ignorare potuerunt germanam significationem illius vocis *Halma*: tum quia idem Salomon superius repetit tres illas vias, quas sibi difficiles dixerat, vt sibi notissimas, ideoq; illas in exemplum adducit ibi, ad ostendendum vitæ humanæ instabilitatem: ergo ne dicatur Salomonem sibi contradicere, videtur (aiunt) dicendum tres illas vias, quas intellectu difficiles dixit, alia eleuatiora, & abstrusiora mysteria significare, quã quæ materialis aquilæ volatus, colubri gressus, & transitus maris præ se ferunt: tum quia cum Salomon tantæ sapientiæ lumine fuerit illustratus, vt de eo sacra Scriptura dicat: *Deum dedisse illi cor sapiens vsque adeo, vt nemo ante illum similis fuerit, nec post eum futurus est*: non adeo verisimile est ea sibi difficilia fuisse, quæ mediocri Philosopho facillima sunt.

D. Hieron. super cap. 7 Isai.

3. Reg. 3.

VIII. VOLVIT ergo Salomon iuxta hanc versionem ibi virginei partus mysterium nobis reserare, quod sane difficilius est cognitu, quam aquilæ volatus, quam via nauis in mari, & colubri semita super petram, hæc enim omnia vere scindunt, & diuidunt partes corporum, per quæ transeunt; in transitu vero Christi Domini, quando per verum partum ex materno vtero prodiit, nulla virginei signaculi scissura facta est, & ideo nullum alicuius diuisionis vestigium in ea remansit, adeo vt si fingeretur, ipsam matrem negare se peperisse, non esset, vnde posset mendacij conuinci. Iuuatque non parum hanc expositionem, quod in eod. cap. 30. SALOMON vere agit de filio Dei, cum dicat: *Quis ascendit in cœlum, atque descendit? quis continuit spiritum in manibus suis? &c.* Iuuat etiam, quod Salomon non sine mysterio dixit: *Viam viri*, non *adolescentis*, quia scilicet Christus Dominus, de quo agebat, ab instanti conceptionis in vtero materno *vir* fuit, id est, *homo* præditus ratione, & discursu; alij vero in eo instanti non *viri*, sed *infantes* appellantur. Vnde propter eandem rationem IEREM. dixit: *Fœmina circumdabit virum*, non *adolescentem*, aut *infantem*, quare iuxta hanc lectionem sensus erit illius loci: *Tria sunt difficilia mihi*, Hebraicè *admirabilia*, Græcè *impossibilia* ad cognoscendum lumine naturæ, ac perinde supernaturalia. quod præsertim affirmat HIERONYM. de præsenti mysterio serm. de Assumpt. tom. 4. dicens: *Quod natura non habuit, vsus nescit, ignorat ratio, mens non concipit humana, pauet cœlum, stupet terra, creatura etiam cœlestis miratur, hoc totum est, quod per Gabrielem Mariæ promittitur, & per Spiritum sanctum adimpletur.* Salomoni ergo visa est mirabilis via Aquilæ in cœlo, cum Christus vt Aquila in cœlum ascendit, pandens iter ante eos, quod nullus ante eum aperuerat, quia vt ipse dixit apud IOANN. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis, qui est in cœlo.* visa etiam est mirabilis via serpentis super petram, cum Christus serpens salutaris figuratus per serpentem æneum Moysis, egrediens ex sepulchri spelunca, petram superpositam ita subtiliter penetrauit, vt à nullo videri penitus potuerit, qua transierit. Visa etiam mirabilis est nauis in mari, quia cum Christus, vt nauis, tot laborum, passionum, & mortis fluctibus agitatus fuerit, nullius tamen vnquam impatientiæ naufragium pertulit. huic autem tertiæ viæ quartam addit Salomon, quam ingenue se ignorare fatetur, scilicet, *Viam viri in Virgine*, id est, qua ratione Christus Dominus absque virili semine fecerit sibi viam ad ingrediendum vterum virgineum: nec mirum certe hoc Salomoni difficile sibi visum fuisse, cum eandem difficultatem agnoscens B. Virgo Angelo conceptum Christi ei annuncianti obiecerit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*

Prouer. 30.

Ierem. 31.

Ioan. 3.

IX. CÆTERVM vt Iudæis omnem viam præcludamus ad reijciendam hanc expositionem, addendum est eam tradidisse R. ACCADOS, quem ipsi *sanctum Doctorem* proclamant, hic enim in lib. quem *Arcanorum reuelatorem* inscripsit, ad petitionem Antonini consulis Romani, qui interpretationem illius loci exquisierat ab eo, respondit hæc verba: *Magnam rem quæsisti, sed quia scriptum est Prou. 11. qui abscondit firmamentum, id est, doctrinam, maledicetur in populis, dicam tibi rem admodum sublimem:* & statim subdit expositionem à nobis traditam de integerrima virginitate Mariæ; qua ergo fronte Iudæi illā oppugnare poterunt? Nec refert, quod quidam obijciunt, dissonam esse contextui, quia statim post prædicta verba addit Salomon: *Talis est & via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os suum dicit: Non sum operata malum*: ergo in prædicto loco *Halma* non significat incorruptam virginem, alias perperam compararet eam adulteræ. Respondetur primo, hanc clausulam independentem esse a præcedenti, & se sola constituere sensum integrum, nam vt exponit ibi R. ACCADOS, verba illa referri debent ad Adam, qui de peccato suo se excusauit dicens: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*: in quo sane imitatus est meretricem, quæ comedit, & tersit os suum, & nihilominus contendit se nihil mali fecisse. Sed secundo & melius respondetur, quod si velint prædictam clausulam cōnexionem habere cum supradictis, quia post illas quatuor vias subiungit Salomon quintum de via mulieris adulteræ; tunc verba illa: *talis est via*; referenda sunt ad id, quod superius dixerat: *Tria sunt difficilia mihi*, id est, admirabilia: eodem ergo modo mirabilem ait esse *viam mulieris adulteræ*, id est, Euæ, quæ nesciens, quod tenderet in mortem, dedit se in præcipitium illius: Eua enim comedit contra Dei præceptum, & tersit os suum excusando se, & dixit: *non sum operata malum*, reijciens culpam in serpentem. Tertio, NICOLAVS de LYRA, & ADRIANVS FINVS præcitatis locis respondent, cum subiungitur: *Talis est via mulieris adulteræ*, nō de communi adultera sermonem esse, sed de synagoga Iudaica, quæ hoc loco nomine mulieris adulteræ exprimitur: ea enim in monte Sina in susceptione legis sponsa Dei effecta, statim per adorationē vituli adulterium spirituale commisit, & cum regem Messiam non susceperit, imo impie in Crucem egerit, negat tamen se quidquam in Deum peccasse, & quasi tergens os suum dicit: *Non sum operata malum*: & cum alioquin tanquam fera pessima deuorauerit verum Ioseph, & biberit eius sanguinem, cū Pilato vult lauare manus suas inter innocentes, quæ tamen plenæ sanguine sunt, ipsis in Christum clamantibus: *Sanguis eius super nos & super filios nostros*. Hæc igitur impudentissima proteruia huius meretricis digna est admiratione, quæ cū tam graue necis Christi scelus commiserit, adhuc putat se nihil mali fecisse; vnde ad illam ait Dominus: *Maculata es in iniquitate tua coram me: quomodo dicis, non sum polluta?*

R. Accados apud Galatinum li. 7. de arcanis S. Scriptur.

Prou. 31.

Matth. 27.

X. TANDEM obijcit Card. CAIET. in Comment. huius loci, licet alioqui retineat lectionem illam: *Viam viri in adolescentula*: quod illa, de qua Salomon hic loquitur, prius fuerat corrupta, vt sensus sit, difficile esse cognoscere viam viri in adolescentula iam ante corrupta; mouetur que ea ratione, quoniam via viri in adolescentula virgine, facile deprehenditur, cum signaculum integritatis depereat: at si iam ante sit corrupta, nullo pacto nouus congressus dignoscitur, nec sciri potest, num ad illam rursus vir accesserit. Confirmatque hanc suam expositionem ex sequentibus; nam statim subiungitur: *Talis est via mulieris adulteræ*. quibus verbis manifeste videtur concludi sermonem fuisse in præcedentibus de adolescentula iam corrupta. Verum hæc obiectio Caietani ex doctrina D. Hieronymi, Paraphrastis Chaldæi præcitatis locis, & germana significatione illius vocis *Halma*, quæ *incorruptam iuuenculam* significat, facile eneruatur. Deinde incredibile est, quod sapientissimus Salomon inter difficilia, quæ sibi videbantur, annumeraret viam incorruptæ puellæ cognoscere, cum id præter libidinem, quam præsefert, nullam prorsus vtilitatem afferret, alienumq; id esset a Salomone, qui Spiritu S. afflatus hæc loquebatur; cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA VII.

Integerrimam Mariæ virginitatem apertissimè probat celebre illud Isaiæ vaticinium: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium: *quod multiplici eruditione illustratur, & ab hostium calumniis vindicatur.* Isaiæ 7.



INTER omnia S. Scripturæ monimenta ad veritatem hanc Catholicam comprobandam illud quidem principem locum tenere arbitror, quod ISAIAS Propheta scripsit: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Ita legit Diuus HIER. & nostra VVLGATA. Alij ad lectionem Hebræam, vt sibi videtur, magis accedentes vertunt: *Ecce Virgo prægnans, & pariens filium.* Alij cum VATABLO, & PAGNINO transferunt: *Ecce Virgo prægnans, & fœta*: sed in idem redit. Alij tandem: *Ecce Virgo grauida pariens est filium*, quibus verbis clare prædixit Isaias inuiolatam Mariæ virginitatē, cum ipsam prægnantem & parientē Virginem compellet. Triplici tamen via contendunt Marianæ virginitatis hostes vim huius illustris loci eneruare. Primo respondent falso nos legere apud Isaiam: *Ecce Virgo concipiet*: nam loco illius verbi, *Virgo*, in originali Hebræo est verbum *Halma*, quod signifi-

cat

eat *puellam*, siue *adolescentulam*, siue *iuuenculam*.
hanc solutionem amplexi sunt postea duces Ebio-
nitarum, Theodosiõ Ephesius, & Aquila Ponticus.
Sed contra est: nam vt refert GALATINVS lib.7. de
Arcanis. R. DAVID KIMBI in lib. Sciarascim, radice
244. Halma à verbo Halam deriuatur, quod *abscon-*
dere, seu *celare* significat: igitur Halma idẽ est apud
ipsos, quod *Virgo abscondita & intacta*, quod maxi-
Galatin. me verum habet (vt egregiè adnotauit ipse GALA-
vt suprà. TINVS) quando nomen *Halma* scribitur cum aspi-
ratione, vt contingit in prædicto loco Isaiæ. Vbi
obseruandum est, quod hoc loco excepto, nusquã
in tota sacra pagina inuenitur *Halma* cum aspira-
Gen 24. tione, nisi de Rebecca, cum ibat ad hauriendam
aquam; & ex contextu patet tunc Virginem esse,
Exod 2. & de Maria sorore Moysis, de qua dicitur: *Et per-*
rexit Ahalma, quam etiam constat tunc virginem
fuisse, nam (vt docet R. SALOMON ibi) erat paruula
Cant. 3. quatuor annos habens; similiter cum dicitur: *A-*
dolescentulæ dilexerunt te nimis; Hebraica lectio
habet *Virgines*. cum igitur apud ISAIAM scribatur
cum aspiratione, consequens est *Virginem* signifi-
LXX. In- care non *iuuenculam*, vt testantur LXX. & Para-
terp super phrasis Chaldaica, & communis expositio tã He-
c.7. Isaiæ. bræorum, quam Græcorum & Latinorũ Interpre-
tum, qui vnanimiter vertunt *Virginem*. imo R. IO-
NATHAN Vzielis filius, Paraphrastes Chald. (vir
apud ipsos Hebræos summi nominis) transtulit,
sicut Ecclesia Romana: *Ecce Virgo concipiet*; vt re-
Canis. li.2. cte obseruauit CANISIVS. Lingua etiam Punica,
de Deip. c.9. quæ (vt ait D. HIER.) de Hebræorum fontibus ma-
16. nare dicitur, Halmam virginem incorruptam si-
D. Hieron. gnificare affirmat: vnde ipse HIERON. in comment.
li. 1. aduer. huius loci ait: *Vsq; adeo Halmam significare virginem*
Iouin. *absconditam, & incognitam, vt non dicatur Halma,*
D. Hieron. *nisi ea potissimum, quæ nunquã virorum patuerit aspe-*
in commen. *ctibus, sed magna parentum diligentia custodita sit.* &
huius loci. multo luculentius li. 1. cont. Iouin. tractans eundẽ
locum ait: *Scio*, inquit, *Iudæos opponere solere, in He-*
bræo verbum Halma non Virginem sonare, sed adole-
scentulam, & reuera virgo proprie Bethula appellatur:
adolescentula autem, vel puella non Halma, sed nagha-
ra. Quid est igitur, quod significat Halma: Absconditã
Virginem, id est, non solum Virginẽ, sed cum epitasi Vir-
ginem, quia non omnis virgo abscondita est, nec ab ho-
minum fortuito separata conspectu. Deniq; & Rebecca
in Genesi ob nimiam castitatem Ecclesiæ typum, quã in
sua virginitate signabat, Halma scribitur, non Bethu-
la; sicut manifestum esse poterit ex sermonibus pueri A-
braham, Gen 24. In eo enim loco, in quo ait: Virgo, quæ
egredietur, vt hauriat aquam, in Hebræo scriptum est,
Halma, i. e. Virgo secreta, & nimia parentum diligentia
custodita: aut certe ostendant mihi, vbi hoc verbo ap-
pellentur & nuptæ, & imperitiam confitebor. Hacte-
nus D. Hieron.

II VERVM ad hæc omnia quidam Hebræi illis
conuicti fatentur ibi Halma significare *Virginem*;
addunt tamẽ, quod cum ISAIAS ait: *Ecce Virgo con-*
cipiet, & pariet filium: verba intelligenda sunt in
sensu diuiso, ita vt nõ manens virgo pariat, non in
sensu composito, ita vt virgo manens partum edat.
Sed cõtra hoc est, quia ibi Deus ꝓmittebat Achaz
mirabile aliquod signũ iuxta illud: *Pete tibi signum.*
ꝙ a. virgo aliqua pariat nõ manens virgo, nullum
sane prodigium, aut portentosum signum est, vt ex
se constat: verba igitur necessario sunt intelligenda
in sensu composito. hinc D. HIER. in commen. hu-
ius loci inquit: *Quando autẽ dicitur: Dabit Dominus* Idem Ibid.
ipse vobis signũ, nouum debet esse, atq; mirabile; sin autẽ
iuuencula vel puella (vt Iudæi volunt) & nõ virgo pa-
riet, quale signũ poterit appellari, cum hoc nomen æta-
tis sit, non integritatis? Vt tamẽ res hæc illustrior fiat, Isaiæ 7.
obseruandum est, regnante Ierosolymis Achaz im-
pijssimo Rege Iuda, Rasin regem Syriæ, & Phacee
filium Romeliæ regem Israel coegisse copias ad-
uersus Ierosolymã, tunc vero Deum misisse in oc-
cursum eius Isaiam, qui soluendã vrbis obsidionẽ
prædiceret. Regemq; securum esse iuberet, atq; in
tanti beneficij confirmationẽ moneret, vt signum
aliquod siue in cœlo sursum, siue in inferno deor-
sum postularet. Quod cùm Rex petere per summã
impietatem renueret, veritus nimirum, ne ex eo
magna in Deum gloria redundaret subdole, & fal-
laciter prætexens, nolle se Dominũ tentare: *Non pe-* Ibid.
tam, ait, *& non tentabo Dominum*: ꝙ responsum non
humilitatis, sed superbiæ fuit, vt ait D. HIERO. imo D. Hieron.
& summæ impietatis: nec enim erat tentare Domi- sup. Isai. 7.
num tunc signum petendo, cum Deus ipse, vt pe-
teret, hortaretur. Iratus ijs verbis Dominus, pro-
misit daturum se aliud signum longe præstantius
ac sublimius, ex quo multo maiorem ipse gloriam,
honoremque consequeretur, conceptum videli-
cet, atque ortum Messiæ ex intacta Virgine: *Au-*
dite, inquit, *ergo domus Dauid: Nunquid parum vo-*
bis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo
meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum:
Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur no- Isai. 7.
men eius Emmanuel. Itaque signum hoc de conce-
ptione, & partu Virginis idcirco Deus promisit, vt
Deus suam ipsius gloriam, potentiæque magnitu-
dinem demonstraret, quas Achaz Rex impijssi-
mus obscurare moliebatur. hæc autem diuinæ po-
tentiæ magnitudo in eo certe ostendebatur, quod
Virgo manens Virgo conciperet, & pareret. Ac-
cedit, quod signa, quæ Deus in alicuius pollicita-
tionis confirmationem promittebat, omnia erant Iud. 6.
supra naturæ vires, vt patet in virga Moysis, Ge- Isaiæ 38.
deonis vellere, & horologio Ezechiæ: quare
cum Deus hic signum etiam promittat ad poten-
tiæ suæ magnitudinem declarandam; cum etiam
eius signi nouitatem, sublimitatemque vsq; adeo
illis verbis amplificet: *Propter hoc Dominus ipse da-*
bit vobis signum; perspicuum est, signum, quod
promittitur, nouum, insolitumq; esse debere, atq;
adeo prædici Virginem concepturam, parituramq;
fore absque vllo suæ virginitatis detrimento: alio-
quin ridiculum plane esset illud pro signo pollice-
ri, quod familiare, & commune habetur, cuius-

modi

modi est, virginem ex viri congressu, atq; deperdita virginitate concipere, & parere.

III. Scio Marianæ virginitatis oppugnatores dicere, prodigium & portentosum signum, quod ibi denotatur, nō consistere in eo, quod virgo manente virginitate concipiat, & pariat, sed in eo quod pariat Deum hominem; ad quod significandum addit Propheta: *Et vocabitur nomen eius Emmanuel*, quod interpretatur: *Nobiscum Deus*: vel certe in eo, quod concipiat, & pariat, non suscepto virili semine; quod valde mirabile est, non vero in eo, quod concipiat, & pariat incolumi manente eius virginitate. Sed imbecillis & futilis est hæc hæretica responsio, quia vt tradit Rabb. Accados (quem ipsi Iudæi *sanctum magistrum* vocitant) in tertia petitione libri, qui *Reuelator arcanorum* dicitur, rogatus à Consule Vrbis Romanæ de nomine *Maria*, inter alia arcana, quæ ei propalauit, & quæ ab Isaia Propheta sibi reuelante accepisse dicebat, hoc vnum singulare fuit, quod in medio huius dictionis Hebraicæ *Lemarbe*, in qua Mariæ nomen ostenditur, litera *M*, quæ Hebraice *mem* dicitur, clausa ponitur præter morem, & consuetudinem scribendi apud Hebræos; ad significandum virginalem Mariæ integritatem, & clausuram. igitur signum miraculosum, quod in Isaia promittitur, illud est, quod Maria paritura esset virgo manens, licet alioquin id futurum esset sine susceptione virilis seminis, & pariendo Deum pariter & hominem.

IV. Alii tertio ex Hebræis cōfinxerunt in prædicto loco non esse sermonem de Matre Christi, sed de matre Ezechiæ regis, vel de coniuge ipsius Prophetæ. Verum hoc esse merum commentum ex eorum superciliofo cerebro excogitatum, satis ostendit Origenes in hæc verba: *Si Iudæus pergat hærere verbis dicens, ad Achaz spectare: Pete tibi signū à Domino; rogabimus, quis fuerit natus Achaz temporibus, de cuius natiuitate dicatur Emmanuel, quod est, nobiscum Deus: nam si nullus inuenietur, manifestum est id, quod ad Achaz dictum est, promissum esse domui Dauid eo, quod scriptum sit: Ex semine Dauid natum Saluatorem secundum carnem; quin & signum ipsum in profundum & in altum dicitur, quoniam qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia.* Deinde quia, vt probat Hieronymus, Ezechias vt minimum nouem annis prius natus erat, antequam id prædiceret Isaias; ergo verba illa non possunt illi accommodari. Nec valet confugium aliorum Iudæorum dicentium, Isaiam ibi non loqui de Ezechia, sed de quodam filio suo nomine Iasub; nam certe: *Voca nomen eius, accelera, spolia detrahere, festina prædari*; quod dicitur ibi ab Isaia, nulla ratione ei adaptari potest, cum nullibi legatur deprædatus aut spolia tulisse. Item ille non habebat amplam terram, & ditionem, cui dominaretur; cum tamen ibi scriptum sit: *Implens latitudinem, ô Emmanuel.* Accedit ad hæc, quod ille non abstulit fortitudinem Damasci, & diuitias

Origen. lib. 1. contra Celsum.
Rom. 1.
Ephes. 4.
D. Hieron. in c. 7. Isai.
Isaia 8.

Samariæ, prout ait ibi Propheta de Messia, nec, gratis admisso, quod id fecerit, dici potest id præstitisse, cum puer esset, antequam sciret vocare patrem, & matrem, prout ibi vaticinatus est Isaias, quod tamen, vt recte notauit Tertullianus, impleuit Christus debellando mundum, infernum, & vniuersam dæmonum potestatem, quæ nomine Damasci, & Samariæ intelliguntur.

Tertul. lib. cont. Iud. c. 9. & lib. de carne Christi c. 38.

V. At quidam Hebræi prædictam expositionem alicuius apparentis veritatis colore fucare cupientes, dixerunt (vt auctor est D. Cyrillus) vere prophetam loqui de vxore Achaz promittique conceptum, & partum Ezechiæ filij, darique pro signo, quod ipsa filium, & non filiam paritura esset; & quoniam nemo potest discernere, vtrum is, qui concipitur, aut in vtero gestatur, masculus sit, an fœmina, optimo iure potuisse dari pro signo eiusmodi prædictionē, quod vxor (scilicet Achaz) filium & non filiam conceptura, & paritura esset. Sed hanc fictionem multa clarissima labefactant, tum quia (vt recte argumentatur ibi Cyrill.) ea quæ in illo vaticinio continentur, nullo pacto in Ezechiam quadrare possunt, cum ipse nec appellatus sit, nec appellari potuerit *Emmanuel*, id est, *nobiscum Deus*: tum quia, quod mulier aliqua masculum, vel fœminam concaeptura sit, multis & certis argumentis naturaliter apprehendi potest: ad idque nonnulla remedia tradit Iacob. Wikerus Basiliensis opere de secretis naturalibus: tum quia filius ille Ezechiæ nomen habuit *Iasub*: cum hoc tamen nomine nihil commune habet id, quod ait ibi Isaias: *Voca nomen eius, accelera, spolia detrahere, festina prædari.* Ac tandem, quia vxor Isaiæ nec erat virgo, nec puella, nec sterilis; ergo ineptum est dicere, quod fuerit signum miraculosum illam concipere & parere.

Cyril. Alex. l. 1. in Isai.
Iac. Wikerus de secret. nat.
Isaia 8.

VI. Delirant ergo perfidi Iudæi: sed non cessant adhuc Catholicam veritatem impugnare dicentes, quia in eo loco Isaiæ datur signum aliquod prodigiosum liberationis vrbis obsessæ, quæ tempore Isaiæ facta est; hoc ergo signum nō potest esse, quod B. Virgo Maria paritura sit virgo manēs, cum multis post annis fateamur nō id factum esse; signum autem præcedere debet rem significatam: ita enim Gedeoni in vellere sicco manente, humidâ totâ terrâ, datum est signum ad indicandam de hostibus victoriam; & Isai. 38. in argumentum adiectorum quindecim annorum datum est Ezechiæ signum, quod vmbra in horologio Achaz reuerteretur per decem lineas; at cauillationē hanc bifariam diluere licet: Primo obseruando duplex esse signum, alterum rememoratiuum, alterū prognosticum: Achaz ergo, quia incredulus erat, noluit dare Deus signum prognosticum, de cuius ratione est antecedere rem promissam, dedit ergo rememoratiuum, quod quia ad rememorandum ordinatur, non opus est prius esse, quam rem promissam, sed potius è contra. Exempla huius manifesta habemus.

Iud. 16.

Primo

Exod. 3. Primo enim huius generis ſignum fuit datum
Moyſi in Exod. cum ei dictum eſt: *Hoc habebis ſignum, quod miſerim te, cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo ſuper montem iſtũ*: certum
namque eſt immolationem illam à Moyſe poſt eductum populum faciendam non fuiſſe ſignũ prognoſticum rei futuræ; id eſt, legationis illius, quã
ipſi Deus eo tempore demandabat, cum ea legatio
Moyſis ad Pharaonẽ multo tempore ante eiuſmodi immolationem præceſſiſſet; ſed ſignũ duntaxat
rememoratiuum, quo Moyſes poſtea ad agendas
gratias pro ſua legatione, & populi liberatione
excitaretur. Deinde ſimile etiam fuit ſignum illud
datum Ezechiæ Regi 4. Reg. cum ei liberatio à
Sennacherib Rege Aſſyriorum, à quo per id tem-
4. Reg. 19. pus Ieroſolyma obſidebatur, promiſſa eſt: *Tibi*, inquit, *Ezechia, hoc erit ſignum: Comede hoc anno, quæ repereris, in ſecundo autem anno, quæ ſponte naſcuntur, porro in tertio anno ſeminate, & metite, plantate vineas, & comedite fructum earum, & quodcumque reliquum fuerit de domo Iuda, mittet radicẽ deorſum, & faciet fructum ſurſum*: quæ omnia eo promittebantur, vt Ezechiam certum redderent de nece Aſſyriorum, ſoluendaque obſidione, cum illa eadem
nocte Angelus Domini percuſſerit in caſtris Aſſyriorum centum octuaginta quinque millia hominum, & ipſe Sennacherib relictis Ieroſolymis Niniuem fugiens properauerit. Sic igitur partus Virginis hoc loco Iſaiæ rememoratiuum ſignum eſt
præteriti beneficij, non prognoſticum futuri, atq;
adeo non oportuit ante liberationem vrbis, & ſolutam obſidionem impleri, ſed multo poſt tempore, ſcilicet à Dei conſilio, & prouidentia conſtituto.

VII. Verum proterui Hebræi adhuc obiectant,
non poſſe locum illum intelligi de Virgine concipiente Chriſtum Dominum, cum ibi expreſſe di-
Iſaia 7. catur: *Et vocabitur nomen eius Emmanuel*: Chriſti
autem nomen Iesvs erat, vt dixit Angelus Ioſepho:
Luc. 1. *Vocabis nomen eius Ieſum*. Huic obiectioni reſpon-
Tertul. lib. 3. con. Marcion. c. 12. det Tertvllianvs contra Marcionem: *Emmanuel, nobiſcum Deus eſt, Deus autẽ nobiſcum Chriſtus eſt; tam propitius eſt Chriſtus in ſignificatione nominis, quod eſt nobiſcũ Deus, quam in ſono nominis, quod Emmanuel, atque ita conſtat veniſſe iam illum, qui prædicabatur Emmanuel, quia quod ſignificat Emmanuel, venit, id eſt, nobiſcum Deus*. hæc Tertullianus.
Lact. Firmian. li. 4. diuin. Inſt. c. 12. eodem modo reſpondet Lactantivs Firmianvs,
vbi inquit: *Chriſtus Emmanuel nunquã vocatus eſt, ſed Ieſus, ſed Propheta declarauit hoc nomẽ, quod Deus ad homines in carne venturus eſt. Emmanuel autem ſignificat, nobiſcũ Deus, ſcil. quia illo per Virginẽ nato confiteri homines oportebat Deum ſecũ eſſe, i. e. in terra, & in carne mortali*. Itaq; Iſaias ſolum vult Meſſiam
Deum ſimul & hominem futurum, req; ipſa, & facto Emmanuelem appellandum, cum eum fideles
Deum, & hominem eſſe crederent, & nominarent.
Quid enim aliud confitemur, cum dicimus Chriſtum verum Deum, verumq; hominem eſſe, quam
eſſe *Emmanuelem*, duplici ſcil. in vno eodemque
ſuppoſito natura conſtantem? Quo eodem etiam
ſenſu dixit Isaias eum appellandum: *Accelera ſpo-* Iſaia 8.
lia detrahere, feſtina prædari, & c. 9. dicendum eſſe: Iſaia 9.
Admirabilem, conſiliarium, Deum, fortem, patrem futuri ſæculi, principem pacis: non quod hæc omnia
propria eius, &(vt aiunt) impoſitionis nomina eſſe
deberent, ſed quoniam re, factoque ipſo his eum
nominibus appellamus, cum eum ſpoliatorem, deprædatoremque inferorum, operibus & prodigiis
admirabilem, Dei ſapientiam, inſtauratorẽ ſæculorũ, ſempiternæq; pacis inter homines, Deumq;
auctorem, verum deniq; naturalemque Dei filium
confitemur. Imo ſi rem altius perpendamus, ex illis
verbis: *Et vocabitur nomen eius Emmanuel*; nouum Iſaia 7.
argumentum deducitur ad ſtabiliendũ magis Mariæ virginitatẽ. pro quo obſeruare oportet, quod
in originali Hebræo, vt docent iſtius idiomatis periti, non habetur, *vocabitur*, ſed *vocabis nomen eius Emmanuel*: quod verbum *vocabis*, eſt in genere fœminino; verba namque apud Hebræos genera habent ſicut nomina; prædixit ergo Iſaias, quod Virgo (de qua paulo ante loquutus fuerat) impoſitura
erat nomen filio, quem pareret; vnde cum in lege
veteri ſoli patres filijs nomina imponerent, ſicut
patet ex illo Lvcæ: *Innuebant autem patri eius, quem* Luc. 1.
vellet vocari eum: idq; in vſu ſit apud reliquas nationes; certe cum Virgo ipſa dicatur nomen impoſitura filio, non leue argumentum eſt, illum humano patre carere, atq; adeo ex ſola Virgine abſq; viri
opera naſci.

VIII. Hinc cogimur contra conſuetudinem
noſtrã dicere, perperam Ianſenium in ſua concordia Euangelica docuiſſe, ex prædicto loco Isaiæ:
Ecce Virgo concipiet; non ſatis colligi Virginẽ pari- Iſaia 7.
turam ſalua virginitate, id enim plane eſt contra
communem ac receptiſſimam Patrum ſententiam, D. Baſil.
præcipue Basilii, Cypriani, Hiero. Irenæi, nec hom. in Na-
nõ & Tertvl. qui inquit: *Virginẽ parere natura non* tiu. Domi-
patitur, & tamẽ credendũ eſt Prophetæ, & merito: per- ni.
ſtrinxit enim fidem incredibilis rei, dicendo, quod ſignũ D. Cypr. li.
eſſet futurum. Propterea, inquit, dabitur vobis ſignum: 2. teſt. ad-
Ecce Virgo concipiet, ſignum autem à Deo, niſi nouitas uen. Iud.
aliqua monſtruoſa fuiſſet, ſignum non videretur. & c. 9.
ſubdit, quod ſi quiſpiam diceret ibi non contineri D. Hier. in
Virginem, ſed iuuenculam concepturam & paritu- c. 7. Iſaiæ.
ram: *Hinc quoq; euincimus, quod nihil ſigni videri* D. Iren. l. 3.
poſſit res quotidiana, iuuenculæ ſcil. prægnatus & par- aduer. hær.
tus: in ſignum ergo nobis poſita Virgo mater creditur. c. 24.
Quare crediderim locum hunc Iſaiæ tanti roboris Tertul. li. 3.
eſſe ad Mariæ virginitatem aſtruendam, vt ſi veri- cont. Mar-
tas hæc non fuiſſet iam ab Eccleſia diffinita, ſolus cion. & lib.
ille locus ſufficeret ad veritatem hanc, tanquam aduer. Iud.
veriſſimum fidei dogma in Deiparæ Mariæ honorem definiendam; cui ſit honor, & gloria,
in ſæcula ſæculorum,
Amen.

* *
*

HOMILIA VIII.

Tria alia testimonia ab eodem Isaia petita, ad eandem integerrimam Deiparæ virginitatem comprobandam pulchrè explicantur: Primum est: Generationem eius quis enarrabit? *Secundum:* Accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit. *Tertium:* Multiplicabitur eius Imperium.

Isaia 55. Isaia 8. Isaia 9.

I. ANCTISSIMVS, ac celeberrimus vates ISAIAS sicut in Christi Domini innocentia defendenda parem non habuit, ita in Matris eius virginitate protegenda & propugnanda omnes alios Prophetas longo interuallo præcelluit; vnde omnia vaticinia, quæ ille nobis scripta reliquit de nunquam inuiolatæ Mariæ integritate, explicare & illustrare prosequar. Primo ergo exordiar à verbis illis, quæ in ore omnium versantur: *Generationem eius quis enarrabit?* quorum verborum licet non vna sit Doctorum interpretatio, quia VATABLVS ea intelligit de praua Iudaici populi generatione, ita vt sensus sit, quis poterit describere peruersam Iudaicæ plebis generationem, aut verbis amplificare eius perfidiam, impudentiam, ac effrenem audaciam? Alij è contra intelligenda esse censent de spirituali, & copiosa filiorum Christi generatione, ita vt sensus sit: quis poterit spiritualem Christi sobolem, ac pene infinitam filiorum posteritatem enumerare? vnde ibidem in sequentibus verbis dicitur: *Quia abscissus est de terra viuentium*: alludens ad arborem, quæ abscinditur, & putatur, vt fortius erumpat, pluraque germina emittat. Alij deinde prædicta verba interpretantur de æterna Verbi à Patre generatione, quam ineffabilem adeo putat Propheta, vt omnem tam humani, quam Angelici intellectus facultatem longe præcellat: vnde D. IRENÆVS aduersus quosdam hæreticos decertans, qui diuini Verbi generationem naturali rationis acumine penetrari posse falso sibi blandiebantur, ex hoc Isaiæ loco contendit illis probare, æternam filij generationem à creatura comprehendi non posse; disputationemque concludit in hæc verba: *Generationem eius inenarrabilem existentem nemo nouit, non Valentinus, nō Marcion, neq; Saturnianus, neq; Basilides, neq; Angeli, neque Archangeli, nec Principes, neq; Potestates, nisi solus, qui generauit, Pater, & qui natus est, Filius, & qui ab vtroque procedit, Spiritus sanctus.*

Isaia 53. Vatab. sup. Isaia 53. D. Iren. lib. 2. aduersus hæres. c. 48.

II. GRAVISSIMI tamen alij Patres, licet præcedentem intelligentiam nō respuant, prædictum tamen Isaiæ locum ad Christi Domini temporalem ex Maria generationem referunt, quam ex eo capite inenarrabilem, & ineffabilem esse arbitrantur, quod supra totam naturæ facultatē facta fuerit, salua & incolumi Deiparæ virginitate, adeo vt ISAIAS hoc tantum mysterium præuidens, in admirationem raptus dixerit: *Generationem eius quis enarrabit?* Et quidem si Christus Dominus communi modo, & ordinaria ratione genitus fuisset à matre, non erat cur Isaias per admirationem in ea verba prorumperet, cum humanæ generationis communis propagatio lumine solo rationis facile à Philosophis explicetur. Expositionem hanc recipit inprimis D. ATHANASIVS, qui ait: *Natiuitatem eius quis enarrabit? Hic est, qui ex Virgine prodijt, & vt homo in terris apparuit, & cuius inenarrabilis secundum carnem natiuitas censetur: non enim est, qui patrem eius carnalem dicat, cum non ex viro, sed ex Virgine sola corpus eius ortum trahat.* D. BERNARD serm. 1. in vigilia Natiuit. *O partus solus sine dolore, solus nescius pudoris, corruptionis ignarus, non reserans, sed consecrans virginalis vteri templum. O natiuitas supra naturā, sed pro natura miraculi excellentiam superans, sed reparans virtute mysterij Fratres generationem istam quis enarrabit? Angelus nuntiat, virtus Altissimi obumbrat, superuenit Spiritus, Virgo credit, fide cōcipit, Virgo parturit, Virgo permanet, quis nō miretur? Nascitur Altissimi filius, Deus de Deo, genitus ante secula, nascitur Verbum infans, quis vel satis miretur? Generationem eius quis enarrabit?* D. AVGVST. ad idem in hunc modū loquitur: *Generationē eius quis enarrabit? quam generationem? ante Luciferum genui te: ecce vna generatio, ante Luciferum, ante omnia, quæ facta sunt, ante omnes Angelos, ante omnem creaturam. Sed forte secunda eius generatio narratur, fide concipitur, masculus nō accedit, vterus Virginis tumet, procedit tanquam sponsus de thalamo mirabilis vtraque generatio, mirabilis illa, quia sine matre.* D. CHRYSOST. hom. de Ioan. Baptista hæc scripsit: *Generationem eius quis enarrabit? Hoc nobis ostendit, quoniam natus quidem sit, sed quomodo natus sit, ignoramus. Beata Maria mater & virgo, virgo fuit ante partum, virgo post partum. Ego hoc miror, quomodo de Virgine virgo natus sit, & post natiuitatem virginis mater virgo sit.* ac tandem IVSTINVS Martyr, Dialogo contra Iudæos ait: *Natiuitatem eius quis enarrabit? Hic est, qui ex Virgine prodijt, & vt homo in terris apparuit, & cuius inenarrabilis secundum carnem natiuitas censetur: non enim est, qui patrem eius carnalem dicat, cum non ex viro, sed ex Virgine sola corpus eius ortum trahat. Natiuitatem eius quis enarrabit? Quia nullus omnino hominum natiuitatis Christi fuit conscius in conceptu, cum Virgo Maria Verbo Dei prægnans inueniatur.*

D. Athan. li. de Incar. verbi, eiusque corporali ad nos aduentu. D. August. li. 50. hom. hom. 36. Iustinus Mart. c. 12. contra Iudæos.

III. DEINDE celebrem illum ISAIÆ locum: *Adhibui mihi testes fideles, Vriam sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ, & accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me: voca nomen eius: Accelera spolia detrahere, festina prædari, quia antequā sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum.* SS. Patres, D. HIERONYMVS, CYRILLVS ALEXANDRINVS, AMBROSIVS,

Isaia 3. Hiero. sup. c. 8. Isaia. Cyr. Ae. sup. c. 7. Isa.

D. Ambro. in Ps. 100. & 18. D. Chrysos. hom. 1. in c. 1. Ioann. & hom. 5. in 1. c. Matth. D. Gregor. Naz. in S. Pascha. D. Iren. l. 3. cont. hæres. c. 18. S. Epiph. li. cont. hæres. l. 3. hær. 78. cont. Antidic. Mariæ nit. & hær. 79. contra Quolid. Procul. sup. c. 7 Isaiæ. Euseb. Cæs. libr. 7. demon. Euangel. in 2. testim. ex Isaia. Tertul. ad uer. Iudæos c. 9. & lib. de resurre. c. 2. & lib. cont. Marcion. ca. 12. & 13. & li. 5. c. 18.

BROSIVS, CHRYSOSTOMVS, GREGORIVS NAZIAN. IRENÆVS, S. EPIPHANIVS, PROCVLVS, EVSEBIVS CÆSARIENSIS, & TERTVLLIANVS vnanimi consensu exponunt de Christi Domini conceptione in vtero Virginis. Vnde aiunt illum, qui accessit ad prophetissam, Spiritum sanctum fuisse, quando in ea superuenit, Gabriele dicente: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Sic enim loquitur D. CYRILLVS: *Etenim ipse, qui dixit: Cape tibi librum nouum magnum, accessit ad Prophetissam: illud enim sanctissimum corpus ex Spiritu sancto è supernis verbo formatum esse, cui dubium esse poterit? Quocirca Spiritus sancti virtus, ac vis, per quam illud corpus in sanctissima Virgine formatum est, hoc congressus habitu, ac figura oblique significatur.* His similia eleganter scripsit in hæc verba EVSEBIVS CÆSARIENSIS: *Vndenam esset conceptura, quæ virum experta non esset? Ipsum hoc, de quo quæritur nunc, oraculum docet: Et accessi, inquit, ad Prophetissam, & in vtero accepit, & peperit filium. Est autem intelligendum de Spiritu sancto, à quo afflatus Propheta diuinabat: Ipse enim Spiritus S. se accessisse ad Prophetissam fatetur, quod quidem ipsum plane completum est in Christi ortu, quo tempore missus est Angelus Gabriel ad Virginẽ, dixitq; ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Et CYRILLVS ALEXAN. l. 1. in Isai. c. 8. ait: *Quod, inquit, non ex sanguine, & carne, neq; ex voluntate viri Christi natiuitas secundum carnem peracta fuerit, sed insolita, & vltra leges humanæ naturæ extiterit, Deus Prophetæ reuelauit: Etenim ipse,* inquit, *qui dicit: Cape tibi librum nouum magnum, accessit ad Prophetissam.*

Zach. 9.

IV. QVARE sensus est, vt Deus ipse loquatur, dicens, quod cum accessit ad fœcundandam diuina sua virtute B. Virginem, adhibuit sibi non re ipsa, sed in promissione duos testes omni exceptione maiores, hoc est Zachariam, qui post captiuitatem Babylonicã illustrissima promulgauit de Christo Domino vaticinia, vt patet ex eiusdem Zachariæ cap. 9 & Vriam, qui apud Ieremiam insignem prophetiam edidit de euersione vrbis ac templi Ierosolymitani, & postrema captiuitate, quam modo Hebræi sustinent, propterea quod Christum Dominum occidissent, quibus testimonijs quia vaticinij huius Isaiæ veritas valde confirmatur, & stabilitur, ideo dixit Deus Zachariam, & Vriam elegisse sibi tanquam testes conceptum, & ortum Christi contestantes: ita explicant LYRANVS in commentario huius loci, & GALATINVS de Arcanis Catholicæ veritatis; sed prius illis IONATHAS Paraphrastes Chaldæus dicens: *Contestare coram testibus fidelibus maledictiones, quas dixi, vt inducerem in diebus Vriæ sacerdotis, ecce venerunt, & etiam omnes consolationes, quas dixi in prophetia Zachariæ filij Barachiæ ego adducturus sum.*

Lyra. sup. c. 8 Isai. Galat. li. 7. de Arcanis Cathol. verit. c. 16. Ionat. Paraph. Chal. in suo Targum.

V. PROPHETISSAM autem, ad quam fœcundandam Spiritus Dei accessit, beatissimã Virginem esse, præcitati Patres contestantur, quæ mirabile illud edidit vaticinium, dum in suo cantico ex eo, quod concepisset Christum Dominum, prædixit beatam se ab omnibus generationibus prædicandam: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Cum ergo ex accessu Spiritus sancti conceperit, & pepererit Maria infantẽ Iesu, consequens est, salua virginitate illum concepisse, & peperisse. Arbitrorque notanter ad id significandum vocatam fuisse beatã Virginem *Prophetissam,* vt prænotaret Spiritus sanctus modum corporalis illius conceptionis, spiritualis & propheticæ conceptionis conditionem imitari; nam sicut Propheta non aliter vaticinium concepit, quam ex diuina virtute sibi diuinitus infusa, ita Beata Virgo non aliter concepit Christum Dominum, quam ex Spiritus sancti virtute in ea superueniente: vnde recte PROCOPIVS inquit: *Dominus ait, quod ipse superueniet Prophetissæ, & sic vocat Prophetissam matrem Christi, quod Spiritus sancti particeps sit futura, iuxta illud: Spiritus sanctus superueniet in te.*

Procop. sup. c. 8. Isaiæ.

Luc. 1.

VI. PERFIDI tamen Hebræi hunc celebrem Isaiæ locum è manibus nobis eripere conantes, obstinato animo docent, hic sermonem non esse de Christo Domino, nec de eius matre, sed totum vaticinium pertinere ad Prophetam Isaiam, qui iubetur adhibitis illis duobus testibus accedere ad vxorem suam, vt ex congressu partus infantis sequatur, cui nomen erit: *Accelera spolia detrahere, festina prædari.* quoniam per huiusmodi filium prædicebat Deus euersionem decem tribuum, deprædationemque ac vastitatem Samariæ, quæ ipso adhuc infantulo ventura erat: quam expositionem, vt magis persuadeat, adducunt illud OSEÆ, cum Dominus præcipit ei, vt fœminam fornicariam, hoc est, idololatram vxorem duceret, ex eaque liberos procrearet, quibus vtriusque regni, & Israel, & Iuda euersio prædiceretur. Consueuit namque Deus non solum verbis, sed etiam factis ventura prænunciare, vt tradit ISAIAS. Verum hanc expositionem à veritatis scopo longe aberrare multa comprobant; nam prætermissa absurditate illa, quod sanctissimus Vates Isaias præciperetur coram illis testibus ad vxorem suam accedere, & illis spectantibus rem peragere, planum quidem est nomen illud: *Accelera spolia detrahere, festina prædari;* Isaiæ filio minime conuenire, cum nec ita fuerit appellatus, neq; heroica aliqua eius facta in sacris literis commemorentur, propter quæ tanto nomine insigniretur.

Osea 1.

Isaiæ c. 26.

VII. DEINDE, quia (vt tradit RABBI SALOMON) Vrias, qui hic testis inducitur, fuit filius Simei, qui prophetauit tempore Ioachim filij Iosiæ, (vt legimus apud IEREMIAM:) Zacharias autem fuit ille, qui in duodecim Prophetis minoribus est vndecimus; isti tamen neutiquam potuerunt ab Isaia induci tanquam testes alicuius ipsius operis, cum multo posteriores illo fuerint; a quarto enim anno regni Achaz, quo tempore, vel circiter, Isaias hoc edidit vaticinium, vsque ad regem Ioachim, sub quo Vrias ille fuit vaticinatus, fluxerunt anni

Rabbi Salomon sup. c. 8 Isaiæ. Ierem. 26.

plusquam centum; & ab eodem quarto anno regni Achaz vsq, ad tempus Zachariæ fil j Barachiæ (qui fuit vndecimus Prophetarum minorũ) transierunt plusquam ducenti anni, vt affirmãt GALATIN. l.7. Arcan. Catholicæ veritatis c.16. LYRAN. & DIONYS. CARTH. in comment. huius loci.

VIII. Ac tandem Isaias in prædicto loco euenturam fore ait Syriæ, & Samariæ deuastationẽ adhuc filio illo infantulo, quod nulla ratione aptari potest filio Isaiæ, cum illa calamitas acciderit sexto anno Ezechiæ, quo tempore necesse fuit filiũ Isaiæ habuisse iam septendecim, aut octodecim annos, cum conceptus esset quarto anno regni Achaz, à quo anno vsq; ad sextum Ezechiæ, qui ei successit, fluxerunt octodecim anni: nam Achaz sexdecim annis regnauit, vt illorum computatores tradunt, nõ igitur, quando contigit illa vastitas, filius Isaiæ erat infantulus nesciens vocare patrem, & matrem, sed potius adultus & nubilis.

IX. CHRISTO autem Domino recte illa verba quadrant, qui infans, & ab vberib matris pendens, gentilitatis idola colentis fortitudinem abstulit, spoliaq; diripuit, cum tres illos reges magos, tanq̃ gentium primitias, ex orientalibus partibus ad se infantulum adorandum stella duce euocarit. Hi enim quia & Reges, & sapientes simul erant, merito Gentilitatis fortitudo, & optima gentium *spolia* appellari potuerunt. Quod vero addicur, *corã Rege*
Isaia 8. *Assyriorum*, vel de Dæmone ipso, vel de Herode intellige: ijs enim Regibus videntibus, ac frementibus, bellator noster potentissimus ea spolia gentibus incredibili potentia, fortitudineque detraxit.

X. ATQVE hæc est communis veterum Patrum
Tertul. aduers. Iud. cap. 9. expositio: sic namq; inprimis interpretatur TERTVLL. in lib. aduersus Iudæos: *Spolia*, inquit, *Samaria accepit ipsos Magos, qui cum illum cognouissent, & muneribus honorassent, & genu posito adorassent, quasi Dominum Regem sub testimonio iudicis & ducis stellæ, spolia sunt facti Samariæ, id est, idololatriæ, credentes in Christum: idololatriam enim Samariæ nomine notauit, vt ignominiosæ ob idololatriam, quæ desciuerat à Deo sub Rege Ieroboam aduersus Regem Assyriorum, hoc est, aduersus Diabolum, qui ad hoc se regnare putat, si sanctos à religione Dei deturbat*: hæc ille. IVSTINVS
Iustinus Mart. Dialogo cum Triphone. quoq; Philosophus & Martyr in dialogo cum Triphone aduersus Iudæos: *Antequam*, inquit, *possit puer patrem, & matrem appellare, Damasci potentiam Samariaq; spolia capiet: nec cuiquam eorum, qui apud Iudæos fuerunt Reges, hoc vmquam accidisse potestis docere, nos autem in nostro Christo factum docere possumus; simul namque atque natus est, Magi ab Arabia venerunt, eumque adorauerunt, cum venissent ad Herodem, qui tunc in terra vestra regnabat, quem verbum propheticum Regem Assyriorum appellat.* Eodem sensu hæc Damasci, Samariæque spolia intellexerunt D. EPIPHAN. l.3. contra hæreses post hæresim 80. titulo: *Compendiaria doctrina de fide Catholica, & Apostolica Ecclesia.* D. AMBROS. l.3. in Luc. D. CHRYSOSTOM. hom.2 in cap.2. Matth. D. AVGVST. serm. 1. in festo Epiphaniæ, & alij non pauci.

XI. CELEBRE etiam est ad Marianam Virginitatem astruendam aliud eiusdem ISAIÆ vaticinium, quod c. 9. scripsit: *Multiplicabitur eius imperium.* licet enim verba hæc secundum superficiem spectata nihil prorsus ad Virginis integritatem pertinere videantur, tamen si sensus illorum medullam degustemus, comperiemus multum per omnem modum facere ad præsens virginitatis Mariæ argumẽtum illustrandum: nam inprimis (vt adnotauit ex veteribus Rabbinis noster GALATINVS) in his *Galat. l. 7. Arcan. c. 13.*
dictionib. Deiparæ Mariæ nomen clauditur, quod Hebraice *Miriam* dicitur: includi etiam aiunt dictione alia *lemarbè*, quæ *Domina* interpretatur, vt significaretur dominij, & imperij Christi Domini (de quo ibi agitur) B. Virginem, tanquã veram eius matrem, valde participem esse futuram. Tamque admirabili ratione, & artificio nomen Mariæ cum Christi imperio esse connexum, vt vbicunque Messiæ imperium propagatum legeretur, ibi quoque sanctissimum Mariæ nomen audiretur: nec possent Messiæ principatus regniq; fines prorogari, & extendi, quin simul Virginis laudes, nominisq; eius amplitudo augeretur, nec ècontra magnitudo imperij Christi quidquam minui posset, quin etiam Reginæ Mariæ imperium minueretur: vnde sicut olim Phidias ille sculptor imprimis illustris cum Mineruam armatam finxisset ex ebore, in eius clypeo suam ipsius imaginem tanto artificio, ingenioq; celauit, vt nemo eam posset abradere, quin vniuersum statuæ opus perderet, vt auctor est ARISTOT. in lib. de mundo ad Alexandrum; ita Deus matris memoriã cum suo ipsius imperio ita coniunctam esse voluit, vt nemo, qui ipsius imperium commemoret, de Virgine silere posset, nemo virginis magnitudinem obscurare, quin magna ex parte Messiæ dignitatem comminuat, siquidem & Virginis præcipua laus in eo posita est, quod mater sit Messiæ, & Messiæ splendor in eo etiam eluceat, quod ex matre Virgine fuerit progenitus.

XII. VT vero indicaretur Virginem filium suum absque reserata virginali eius clausura esse concepturam, & parituram, in medio illius dictionis Hebraicæ, quæ Maria significat, apposuerunt Mem clausum contra eorum vsum & consuetudinem, debebat enim esse apertum, quia Hebræi non vtuntur Mem clauso in principio, aut in medio alicuius dictionis, sed in fine duntaxat; vnde cum nusquam alias, nisi in hoc loco, & in Isaiæ c. 7. vbi sermo est de eadẽ Virgine, inueniatur Mem clausum in medio dictionis positum, consequens est aliquod arcanum ibi latere, illud autem reperiunt ADRIANVS FINVS, LYRAN. GALAT. & multo ante illos RABBI ACCADOS, quod propterea Mem omnino clausum præter Hebræorum scribendi rationem appositum fuerit, vt significaretur præter totum naturæ ordinem Virginem parituram esse absque virginei sui sigilli violatione. *Adrianus Fin. l.2. flagelli c.7. Lyran. in c.9. Isaiæ. Galat. li.7. Arcan. c.13*

Rabb. Ac- ados in 3. etitione e- us libri, ui reuela- or Arcan. nscribitur

Dvo tamen, quæ in commentario huius loci adnotauit LEO CASTRENSIS, silentio non prætermittam. Primũ est, quod Mem illud clausum, & quadratæ figuræ, quod appositum fuit in dictione illa *Lemarbe*, quæ interpretatur *ad multiplicandum*, vbi de Christi imperio est sermo, significat stabilitatẽ illius tantam esse futuram, vt nullus pateat hostib. aditus ad illud irrumpendum. Secundum est, quod loco illius verbi *Marbe*, quidam legunt *Sarbe*, id est, *spina*, vel *rebellio*, ita vt sensus sit *spina*, vel *rebellio eius imperij*, vt per hoc significaretur Imperiũ Christi cœpisse vel à spinea corona, qua fuit redimitus, vel à rebellione Iudæorum, qua in auctorem vitæ sæuientes ligno Crucis eum affixerunt: cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA IX.

Ierem. 31 — *Ezech. 44.* — *Dan. 4.*

Tria grauißima Prophetarum oracula elucidantur ad Deiparæ Mariæ virginitatem magis confirmandam. Primum est Ieremiæ: Nouum creauit Dominus super terram: Fœmina circũdabit virum. *Secundum Ezechielis:* Porta hæc clausa erit. *Tertium Danielis:* Abscissus est lapis de monte sine manibus: *ac tandem varia testimonia noui Testamenti expenduntur, & præcipue Concilia, quibus hæc veritas diffinitur, afferuntur.*

Ierem. 31.

I. ELEBRE est illud Ieremiæ oraculum, & omni acceptione dignum ad Marianæ virginitatis Catholicam veritatem magis stabiliendam: *Nouum creauit Dominus super terrã: Fœmina circumdabit virum:* nouitas autem hęc in eo consistit, quod manens virgo concipiat filium, & pariat; quod enim mulier violata virginitate filium suo vtero circumdet, commune est omnibus prægnantibus, nihilque id noui habet: ita obseruarũt sancti Patres, præsertim D. HIERONYMVS, dum inquit: *Nouam rem creauit Dominus super terram, absq; vllo semine, absque vllo coitu, atque complexu fœmina circumdabit virum gremio vteri sui, qui iuxta incrementa quidem ætatis per vagitus, & infantiam proficere videbitur sapientia, & ætate, sed perfectus vir in ventre fœmineo solitis mensibus continebitur.* D. etiam BERNARD. eidem consentiens expositioni hæc præclara scribit: *Nouum faciet Dominus super terram. Quæris, quod nouum? mulier, inquit, circumdabit virum: Non ab altero viro virum suscipiet, non humana lege concipiet hominem, sed intra viscera intacta, & integra virum claudet, ita sane, vt intrante, & exeunte Domino, iuxta alium Prophetam: Porta orientalis clausa iugiter perseueret.*

D. Hieron. sup. cap. 30. Ezech.

D. Bernar. serm. 30. in Purific.

II. VERVM respondent Iudæi nouum, quod indicat Propheta Ieremias creandum à Deo, non esse, quod mulier salua virginitate concipiat, sed quod concipiat virum: aliæ enim fœminę infantes concipiunt, non viros rationis participes, prudentes, & maturos: nouitas ergo consistit in hoc, quod mulier illa concipiet virum non ętate, non viribus corporis, non animi vigore, sed maturitate iudicii, non corpulentia membrorum. Hanc tamen responsionem verba ipsius Ieremiæ penitus labefactant, tum quia consulto dixit: *creauit*, vt significaret generationem Christi non esse futuram ex duobus principiis, masculo scilicet & fœmina, instar generationis aliorum infantium, sed ex vno solo instar creationis, & quia sicut creatio est ex nihilo, ita generatio Christi, quantum attinet ad virum, qui nullus in ea interuenit, fuit ex nihilo, vtpote ex nulla viri materia, atq; adeo quasi semicreatio, vt ita loquar, licet alioquin ex purissimis Mariæ sanguinibus vere fuerit genitus, tum etiam, quia vsurpans verbum illud *circumdabit*, aperte ostendit mulierem illam vndiq; clausam esse; nam certe circulus, qua parte apertus est, minime circumdat: igitur cũ B. Virgo dicatur à Ieremia circũiens & circumdans filium suum, consequens est, quod illæsa virginitate illum cõceperit. Vnde Ieremias in prædictis verbis non solum nouitatem concipiẽdi virum, sed & nouitatem illam absq; iactura virginitatis id præstandi paucis illis perstrinxit.

III. CETERVM vt contra Hebræos magis vrgeat hic locus, obseruandum est, celebre arcanum RABBI MOYSIS ADDARSAN in c. 1. Gen. vbi Rabbi nomine Iehosuah filii Leui in Midras echa, hæc quæ sequuntur verba dixisse enarrat: *Veni & vide, quia nõ est modus Dei, sicut modus hominis carnalis: Homo enim carnalis lancea percutit, & emplastro, vel vnguẽto medetur, sed Dominus Deus noster non sic, quia cum quo percutit, cum eo ipso etiam medetur, quod quidem videmus in Ioseph, & in Israel verificari: nam Ioseph per somnia percussus est, & per somnium curatus est; & Israelitæ in Virgine peccauerunt, vt habetur Ezech. 23. & fornicatæ sunt in Ægypto, vel secundum aliquos: in adulterio peccauerunt: & sequitur ibidẽ: subactæ sunt vbera earum, & tractæ sunt mammillæ pubertatis earum, & in virgine punitæ fuerunt, vt Ierem 5. Mulieres in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda; & in virgine sunt consolati, sicut ait Ieremias: Quia creauit Dominus nouum super terram, fœmina, alias, Virgo circumdabit virum:* ecce hoc discursu diserte docet hic Rabbi *mulierem* hanc *circumdantem virum* virginem esse, vt magis autem illustretur prædictus locus, adiungi debet ille alius ex libro IVDICVM: *Eliget Deus nouitates, & tunc expugnabit portas.*] *nouitates* autem, quæ in conceptione, & partu Mariæ mirifice splendent, conceptio est sine venere, partus sine dolore, virginitas cum maternitate coniuncta, & similes aliæ; vnde notãter Propheta non dixit: *nouum creauit Deus*, sed *Dominus*, vt significaret illum tamquam absolutũ Dominũ

Rabbi Moysis Addarsan.

Gen. 1. *Ierem. 30.* *Gen. 37.* *Gen. 41.*

Ierem. 1.

Iud 5.

naturæ legib. non adſtrictum prędictas omnes nouitates naturæ facultatem tranſcendentes diuina ſua virtute operari.

IV. NEC ſilẽtio hic prætermittam, quod GALAT. de arcan. c 14. ſcribit, ſcilicet in lib. dierum Eliam prophetam ad Rabbi Iudam dixiſſe, propterea Meſſiam non ac elerasſe ſuum aduentum, quia omnes fere virgines aut per maritos, vel per alios deflorari cupiebant; quia ergo ſola virgo Maria ſemper virginitatem ſeruare propoſuit, digna inuẽta fuit, vt ipſa vtero ſuo circumdaret virum, & verum Meſſiam conciperet. At Hebræi, vt celebre hoc Ieremię
Iudith.13. teſtimonium eludant, Reſpondent de IVDITH,
Thren.5. quæ Holofernem circumuenit, & detruncauit, Ie-
Pſal.13. remiam intelligi. O genus hominum nequam, fugam quæritis, & mendacium guttur veſtrum meditatur. Non enim nouum, imo perantiquum fuit mulieribus viros circumuenire. ex Hebræis habemus Deboram, quæ Siſaram vicit: ex orientalibus Semiramidem, quæ Aſiam, & Indiam ſexu mentito bellis turbauit, ſuoque imperio Æthyopiam adiecit; ex Amazonibus Panthaſilæa, vt ſcribit VIRGILIVS:

Vicit victorem candida forma virum.

Deficeret quidem tempus, ſi mulieres omnes, quæ viros, familias, vrbes, regna, imperia, atq; orbem, & præſtantes in eo robore, & ſapientia deceperũt, vicerunt, & perdiderunt. Non ergo Iudith arbitremur ſolam, quæ animi præſtantia virum ſuperauit, atque protriuit, multo minus reputari debet ea, quam Ieremias dixit virum circumdaturam, quoniam hoc nouum eſt, imo miraculum à ſæculis abſconditum. Adde quod fœmina iſta per Rabbinos *Virgo* exponitur: nullo ergo modo valet de Iudith intelligi, quę cum viro aliquot annos à virginitate ſua vixerat.

V. SECVNDVM locum non minus celebrem EZECHIELIS adiungam, qui capite quadrageſimo
Orig. hom. 14. ſup. Ezech. quarto dixit: *Conuertit ad viam portæ ſanctuarij exterioris, quæ reſpiciebat ad Orientem, & dixit Dominus ad me: Porta hæc clauſa erit, non aperietur, & vir nõ tranſibit eam, quoniã Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eã, eritque clauſa principi, princeps ipſe ſedebit in ea.* Scio quidem ORIGENEM per hãc portã intellexiſſe cognitionem ſacræ Scripturæ, quæ clauſa, & obſerata fuit, quouſque *princeps pacis* Chriſtus Dominus claui ſuæ ſcientiæ illam aperuit, ac reſerauit. præclara ORIGENIS verba hęc ſunt: *Quænam iſta porta eſt, quæ ſemper clauſa eſt, & ſolus Dominus Deus Iſrael ingreditur per eam? nempe illa, de qua*
Matth. 13. *Saluator loquitur in Euangelio: Væ vobis Scribæ, &*
Luc. 11. 52. *Phariſæi hypocritæ, & væ vobis legis doctoribus, qui tollitis clauem ſcientiæ, ipſi non ingredimini, & intran-*
Iſa. 29. 11. *tes prohibetis. De hac ſub nomine libri ſcribit & Iſaias: Erunt verba libri ſignati, quem cum dederint homini neſcienti literas, & dixerint ei: Lege: reſpondebit tibi, neſcio literas, & dabunt illum homini ſcienti literas, dicentes: Lege: & dicet, non poſſum legere, quia ſignatus eſt ille liber, cuius nemo poteſt ſoluere, & aperire ſignacula neq; in cœlo, neq; ſub terra, niſi ille, de quo in Apocalypſi Ioannis dicitur: Ecce vicit Leo de Tribu Iuda,* Apoc. 5. 5.
radix Dauid, aperire librum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius: prius enim quam Saluator humanum corpus aſſumeret, & humiliaret ſe formã ſerui accipiens, clauſa erat lex, & Prophetæ, & omnis ſcientia ſcripturarũ. Poſtquam autem ille pendet in Cruce, ſtatim velum tẽpli ſciſſum eſt, & aperta ſunt omnia, ablatoq; velamine dicimus: Nos autem omnes reuelata facie gloriam 2. Cor. 3. 18.
Domini contemplantes in eamdem imaginem trãsformamur à gloria in gloriam.

VI. MVLTI tamen celeberrimi Patres, imo omnes, vno vel altero excepto, communi cõſenſu per hanc *portam* intelligunt Deiparam Mariam, per quam Chriſtus Dominus ad nos ingreſſus eſt, iuxta illud ECCLESIÆ CATHOLICÆ: *Tu regis alti ianua & porta lucis fulgida* (& quomodo nõ fulgida per quã fulgor, & ſplendor Patris tranſibat?) per clauſuram vero illius portæ cenſent intelligi virgineum vterum Mariæ clauſum, adduntque Prophetam non abſque myſterio dixiſſe portam illam eſſe clauſam, vt ſignificaret integritatẽ Deiparæ Mariæ non ſolum ante partum, & in partu, ſed etiam poſt partũ, quod & indicant ſatis aperte verba illa eiuſdẽ Prophetæ: *Eritque clauſa principi*, hoc eſt, etiam cum
Ezech. 44. Princeps per eam egredietur, non aperietur, & reſerabitur, ſed clauſa manebit: vnde PAGNINVS vertit: *Eritq; clauſa Principis*: quo apertius ſignificauit, quod licet in ſupremi Principis palatio permultæ eſſent portæ, illa tamen quæ obſerata ſemper erat, per excellentiam porta Principis clauſa appellabatur, per quam ipſe abſque violatione clauſuræ in mundum introiuit. Non ignorarunt LXX INTERPRETES hoc abditum arcanum in his verbis deliteſcere, ſiquidem in hunc modum illa verterunt: *Et* Gen. 3.
erit clauſa, quia dux iſte ſedebit in ea: hoc eſt, obſerata erit, quia Chriſtus Dominus, inſtar ſtrenuiſſimi, ac fortiſſimi Ducis, illius clauſuram indemnem ſeruabit, & velut alter Cherubinus ad portam paradiſi conſtitutus gladio extento tranſitum prohibens nulli aditum patere permittit.

VII. TANDEM adnotant Prophetam cõſulto vocaſſe portam illam clauſam Orientalem, quoniam D. Amb. de Viſit. ad Euſ. c. 7. & 85.
(vt inquit D. AMBROS.) *verum lumen effudit, quæ generauit Orientem, peperitq; ſolem Iuſtitiæ.* Atque huc faciunt ad illuſtrandum magis hunc Ezechielis locum verba illa DAVIDIS de portis Eccleſię loquen- Pſ. 147.
tis: *Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum*: ad quæ alludens D. AMBROS. acute ſatis dixit: *Deus curam habet obſerandi portas, & ſuam portam confortare non potuit? confortauit profecto, & ſeruauit intactã, quam ſemel clauſit Sanctus, & verus, qui habet clauem* Apoc. 5.
Dauid, qui claudit, & nemo aperit.

VIII. RESTAT modo, quæ in expoſitionem huius Ezechielis loci ediximus, SS. Patrum teſtimoniis cõſtabiliamus. D. AVGVST. ſer. 2. in Natiu. Domini: *Porta*, inquit, *erat clauſa, & non eſt aperta: & quaſi interrogaretur, cur non aperta eſſet? adiecit: quia Dominus trãſiuit per eam, porta clauſa eſt, id eſt, ſignaculum*

culum

culum pudoris, immaculata carnis integritas: non enim est violata partu, quæ magis est sanctificata conceptu. Idem habet RVFFINVS Aquileiensis Presbyter in expositione symboli Apostolorum, quę falso sub nomine D. CYPRIANI circũfertur. *Partus*, inquit, *ipsius mirabilem modũ Ezechiel propheta ante formauerat, Mariam portam Domini nominans, per quam scilicet Dominus ingressus est mundum: dicit ergo hoc modo: Porta autem quæ respicit ad Orientem, clausa erit, & non aperietur, & nemo transibit per eam, quoniam Deus Israel trãsibit per eam, & clausa erit. Quid tam euidens dici de cõseruatione* (seu, vt alias legitur, *consecratione*) *Virginis potuit? clausa fuit in ea virginitatis porta, & per ipsam introiuit Deus Israel, & per ipsã in hũc mundũ de vtero virginis processit, & in æternũ porta virginis clausa seruata virginitate permãsit.*

IX. EANDEM expositionem tradit D. AMBROS. li. de institutione Virginis ad Eustoch. c. 6. *Quæ est*, inquit, *hæc porta, nisi Maria? ideo clausa, quia virgo. Porta igitur Maria per quam Christus intrauit in mũdum, quando Virginali fusus est partu, & genitalia virginitatis claustra non soluit, mansit intemeratum septũ pudoris, & inuiolata integritatis durauere signacula, cum exiret ex virgine.* & multo luculentius ca. 7. *Bona*, inquit, *porta Maria, quæ clausa erat, & non aperiebatur: transiuit per eam Christus, sed nõ aperuit; est enim & porta ventris, vnde ait Iob c. 3. Intenebrescant stellæ noctis illius, quia non conclusit portas ventris matris meæ. est ergo & porta ventris, sed non omnis clausa semper, verum vna sola potuit manere clausa, per quam sine dispendio claustrorum genitalium Virginis partus exiuit. ideo ait Propheta: Porta hæc clausa erit & non aperietur, & nemo transibit per eam, hoc est, nemo hominũ: quoniam Dominus, inquit, Deus Israel transibit per eam, eritq; clausa, id est, post transitũ Domini erit clausa, & non aperietur. Hæc porta ad Orientem aspiciebat, quoniam verum lumen effudit, quæ generauit Orientem, peperitq; solem iustitiæ. Audiant ergo imprudentes: clausa, inquit, hæc porta est, quæ solũ recipit Deum Israel. Deniq; non est aperta: audiant Prophetam dicentem: Non aperietur, eritq; clausa, hoc est, non aperietur ab eo, cui desponsabitur; non licebit enim, vt aperiatur, per quam Dominus transibit, & post, cum inquit, erit clausa, hoc est, non aperiet eam Ioseph: quoniam dicitur ei: Noli timere accipere Mariam coniugẽ tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu S. est: porta ergo clausa virginitas est.*

X. Ac tandem quamuis D. HIER. Origenis expositionem non respuat, hanc tamen tamquam solidiorem acceptat in hæc verba: *Pulchre quidam portam clausam, per quam solus Dominus Deus Israel ingreditur, & dux, cui porta clausa est, Mariam virginẽ intelligunt, quæ & ante partũ, & post partum virgo permansit. Etenim tempore, quo Angelus loquebatur: Spiritus S. superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: quod autem ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei, & quando natus est, virgo permansit æterna, ad confundendos eos, qui arbitrantur eã post natiuitatẽ Saluatoris habuisse de Ioseph filios ex occasione fratrum eius, qui vocantur in Euang. super qua quæstiuncula Romæ aduersus Heluidium illius temporis hæreticũ in adolescentia non grandem librum scripsisse me noui.*

XI. TERTIVM tandem oraculum Marianam virginitatem attestans illustre datis est, quod DANIEL nobis reliquit dicens: *Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam, & factus est mons magnus.* Quamuis antiquissimus TERTVLLIANVS, & THEODORETVS propositum vaticinium interpretentur de Orbis imperiis per Christũ dissipandis in secundo aduentu; SS. tamẽ Patres de infantis Christi primo aduentu illud explicant, ad inuiolatam Deiparæ virginitatem magis astruẽdã. Inter hos primum refero IVSTINVM MARTYREM dialogo cum Triphon in hunc modum loquentẽ: *Quasi filium hominis Daniel dicit eum, qui æternum regnum accipit, an hoc ipsum significat? quod enim ait, vt filius hominis apparuisse, hominem factum esse indicat, sed non ex humano semine esse declarat: nam cũdicit excisum sine manibus, hoc ait non esse hominis opus.* D. IREN. lib. 3. contra hæreses cap. 18. inquit: *Daniel prauidens eius aduentum lapidem sine manibus abscissum aduenisse ait in hunc mundum: hoc est enim, quod sine manibus significabat, quod non operãtibus humanis manibus, hoc est, virorum illorum, qui solent lapides cadere, in hunc mundum eius aduentus erat, id est, non operante in eum Ioseph, sed sola Maria cooperante.* D. AVGVST. tract. 9. in Ioan. hæc scripsit: *Lapis de monte præciditur, ipse est lapis, quem reprobauerunt ædificantes, & factus est in caput anguli. De quo monte præciditur, nisi de regno Iudæorum, vnde Christus secundum carnem natus est? & præciditur sine manibus, sine opere humano, quia sine amplexu maritali de Virgine ortus est. Mons ille vnde præcisus est, non impleuerat vniuersam faciem terræ: non enim tenuerat regnum Iudæorum omnes gentes: at vero regnum Christi vniuersum orbem terrarum cernimus occupare.* Eidem expositioni consentiens D. HIER. ait: *In fine horum omnium regnorum auri, argenti, æris & ferri abscissus est lapis Dominus, atq; Saluator sine manibus, id est, absq; coitu, & humano semine de vtero virginali, & contritis omnibus regnis factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram.*

Dan. 2.

Tertul. l. 3. cont. Marcion. c. 7. & lib. aduers. Iudæos cap. 14.

Theod. in comment. sup. Danielem.

XII. Ac tandem THEODORETVS in Commentario super Danielem perdocte annotauit, ortum supra naturam non semel in sacris eloquiis excisioni lapidis comparari, vt legimus apud Isaiã, vbi quia Isaac ex Abraham sene & sterili fuit genitus, Israel, qui ex illo processit, dicitur excisus de petra; cum ergo ortus Christi Domini valde esset supra totam naturam, vtpote ex matre Virgine, ideo Christus dicitur excisus ex petra, quia hæc ex sua natura nihil potest producere, itaque Christus, qui lapis angularis est faciens vtraque vnum, prodiit ex Virgine, quæ nomine montis propter sanctitatis eius celsitudinem significatur. prodiit autem sine manibus, id est, sine viri opera, manus enim amplexũ maritalem significare solet, vt HIER. adnotauit ep. 22. de custod. Virgin. iuxta illud CANTIC. *Læua*

eius

Cant. 2. *eius sub capite meo, & dextra illius amplexabitur me.*

XIII. HACTENVS veteris testamenti non paucis testimoniis integerrimam Deiparæ Mariæ virginitatem comprobauimus; tempus est iam, vt eãdẽ multis Euangelicis oraculis commonstremus. Et quidem quod attinet ante conceptionem Christi, notissima est Virginis integritas, nam præterquam triennis in templo fuit, à parentibus præsentata, vbi vsq; ad nubiles annos ab omni humano cõsortio segregata inter solas virgines degebat, vt tradit HIERON. lib. de ortu Virg. certe ipsa Angelo nuncianti Christi conceptum continuo dixit: *Quomodo* Luc. 1. *fiet istud, quoniam virum non cognosco?* deinde post conceptionẽ Christi in virgineo eius thalamo Angelicum adest Gabrielis eloquium apud LVCAM: nam cum Ioseph videns Mariæ vterum grauidum valde anxiaretur, Angelus Gabriel ei dixit: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu S. est*: igitur cum concepit B. Virgo Spiritus S. aura fœcundata, integra mansit eius virginitas; vnde D. MATTHÆVS post illa verba continuo adiunxit: *Hoc autem totum factum est,* Matth. 1. *vt adimpleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam: Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium.* Isaia 7. quibus verbis (licet id obiter dicam) hæc duo coniungit, virginem, & habentem in vtero, vbi apertissime maternitatem cum virginitate copulat, vt sic iam cessent hæretici Ebionitæ ad sensum diuisum misere confugere, cum certe compositum prophetico, & Euangelico oraculo audiant luculenter satis contestatum.

XIV. IDEM etiam D. MATTHÆVS, dum enarrans Christi genealogiam vsque ad Iacob, ait: *Iacob au-* Matth. 1. *tem genuit Ioseph, virum Mariæ, de qua natus est Iesus:* notanter dixit, *de qua*, non *de quo*, aut *de quibus*, vt significaret Christum fuisse genitum ex sola Maria, non ex Ioseph. Si enim ex vtroque Christus natus fuisset, non est, cur Euangelista fugeret dicere, *ex quo*, vel *ex quibus* natus, nec erat, cur MATTH. mutaret stylum, sed postquam dixit: *Iacob autem genuit Ioseph*, consequenter oportebat subiungere: *Ioseph autem genuit Iesum:* cum ergo id non dixerit, manifeste relinquitur Mariam non ex viro suscepisse. Extat item illud D. LVCÆ testimonium: *Inuen-* Luc. 1. *ta est in vtero habens de Spiritu sancto*; certe in materno vtero communi modo concipiente non inuenitur fœtus, sed ab extrinseco venit ex virili semine; quia tamen Virgo ex obumbratione Spiritus S. conceperat, Christus fuit inuentus in illa, vt his verbis explicuit D. HIER. epist. ad amicum ægrotantem: *Semen promissum est mulieris, quod secundum hominẽ Dominus Deus noster est, qui non infusus est in vtero, sed inuentus, Euangelista confirmante, cum dicit de Maria: inuenta est in vtero habens.*

Ad Gal. 4. XV. ACCEDIT ad hęc testimonium D. PAVLI vocantis Christum Dominum *factum ex muliere*, si enim virgo Christum Dominum ex viro concepisset, certe cum vir principalius, quam fœmina concurrat ad generationem filii, non erat, cur D. Paulus fugeret vocare illum filium viri: vocans igitur illum factum ex muliere, id absq; dubio dixit, vt illum humano caruisse patre, atque adeo ex intacta Virgine conceptum indicaret. Ponderat in hunc modum præsentem D. PAVLI locum magnus pater HIER. super ad GALAT. 4. vbi ait: *in eo, quod dixit: ex muliere monstrat non more solito ex conuentu viri, & fœminæ, sed per Spiritũ S. ex matre Christum incarnationem hominis suscepisse. Nam idem Apostolus ad Cor. scribẽs ait: Sicut mulier de viro, ita & vir per mulierẽ: vnde sicut in principio generationis mulier ex viro sumpta est, ita & Christus secundum carnem ex matre tantum est:* Cum item D. PAVLVS 1. ad COR. c. 11. dixit: *Sicut mulier de viro, ita & vir per mulierẽ*, hoc ipsum non obscure significauit, vt his verbis explicauit idem D. HIER. in comment. huius loci: *Sicut in principio generationis mulier ex viro sumpta est, ita Christus secundum carnem ex matre tantum est.* Et D. HILAR. l. 10. de Trin. explicãs locum PAVLI 1. Cor. 15. vbi Christum Dominum hominem cœlestẽ vocat, ait: *Hominem dicens natiuitatem ex virgine docuit, quæ officio vsa materno, sexus sui naturam in cõceptu, & partu hominis executa est: & cum ait: secundũ hominem de cœlo, originem eius ex superueniente in Virginem S. Spiritus aditu testatus est. Atq; quũ & homo est, & de cœlis est, hominis huius & partus à Virgine est, & cõceptus ex spiritu est.* Et D. AMB. ep. 97. ex verbis Christi Domini in cruce commendantis Mariã Ioanni virgini, vt acciperet illam in suam, inquit: *Qui hoc legit in Euangelio, quomodo quasi naufragus titubat, & fluctuat? Non ergo testamentum filij est de matris integritate: hæc Mariæ locuples integri pudoris hæreditas.*

XVI. Ac tandem si Hebraicam linguam consulamus, in qua eadẽ vox & præsens, & futurum pariter tempus denotat, facile inde deprehendemus, quod cũ B. Virgo dixit verba illa supra relata: *Quo-* Luc. 1. *niã virũ nõ cognosco*, non solũ significauit virũ nunquã cognouisse, sed neq; vnquã illum cognoscituram esse cum virginitatem suam perpetuo seruandam Deo iam consecrasset. Ad hæc eruditissimus MALDONATVS virginitatem Mariæ post partũ col- Maldonat. ligit ex verbis D. LVCÆ c. 2. *Peperit filium suum, &* sup. cap. 2. *pannis eum inuoluit*, nam si Christũ parturiens vio- Luca. laretur, cõsequenter instar aliarũ parturientiũ dolores in partu sustinuisset; vnde nõ potuisset expedita manere ad inuoluendũ continuo pannis filiũ suũ; maxime ꝙ primus partus solet pariẽtẽ grauius excruciare, & debilitare propter maiorẽ, vt in plurimum, eius difficultatẽ: cum igitur B. Virgo filiũ suũ, cũ primũ natus est, facile potuerit pannis inuoluere, & similia alia obsequia ei pſtare, non leue indiciũ est eius post partũ virginitatem indicans.

XVII. QVARE Ecclesia Catholica tot apertis Prophetarũ oraculis, ac Euangelicis monumẽtis innitens veritatem hanc de perpetua virginitate, tanquam Catholicum fidei dogma diffiniuit in V. SYNODO can. 6. & SYNODO VI. action. 11 in SYNODO VII. artic. 13. in confessione TARASII, in COMCILIO

LATE-

LATERANENSI sub Martino II. Canone 3. & in CONCILIO NICÆNO, cuius symbolum canit Ecclesia, asserens, *Christum natum ex Maria Virgine*; vnde inter alias laudes, quibus illa Deiparæ Mariæ virginitatem cohonestat, & exornat, illa mirabilis est, & omni acceptione digna, quod non contenta vocare Mariam *Virginem virginum*, eam compellat ipsam virginitatem: *O sancta Virginitas, quibus te laudibus efferam nescio, quia quem Cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti*: sicut enim vulgari loquendi sermone ad exaggerandum quempiam valde liberalem, aut modestum esse, abstractis nominibus vtimur dicentes: *hic est ipsa liberalitas, ille ipsa modestia*, ac de Deo dicimus non solum esse bonum, sed *ipsam bonitatem*, ita Ecclesia Catholica ad exprimendam magis Marianæ virginitatis perfectionem, quę conceptu, & partu illustrior facta est, non solum appellat Mariam Virginem, sed *ipsam Virginitatem*, quidquid omnes hæretici oblatrent; quibus sane recte quadrat illud OVIDII, quod in defensionem Claudiæ virginis protulit, quæ nauem per Tyberem fune trahebat:

Offic. paruum B. Virg.

Ouidius 4. Fast.

Claudia quinta genus clauso referebat ab alto,
Nec facies impar nobilitate fuit.
Casta quidem, sed non est credita, rumor iniquus
Læserat, & falsi criminis acta rea est.
Conscia mens recti famæ mendacia ridet,
Sed nos in vitium credula turba sumus.

Huius tamen credulitatis, ac falsæ, & hæreticæ opinionis debitas sumet pœnas supremus Iudex; cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA X.

Variæ metaphoræ, egregiaq; similitudines ex diuinis eloquiis depromptæ eandem Deiparæ Mariæ virginitatem mirificè confirmant.

I. CVM Marianę virginitatis versipelles hostes totis viribus moliantur sacerrimam Mariam candidissima pulcherrimaq; virgineæ suæ integritatis veste sacrilego ausu expoliare, & ex virgine non virginem impudenter facere, opus est contra has truculentas belluas mille arma sumere, inter quæ quia *gladius spiritus, quod est verbum Dei*, quo hucusque vsi sumus, omnium optimus, & fortissimus est, eodem armorum genere pugnare insistens, ex diuinis eloquiis varios tropos singularesque similitudines depromam, quibus magis inuerecunda Hæreticorum, & Iudæorum petulantia retundatur, virginitatisque illius Catholica veritas magis solidetur.

Ephes. 6.

II. VNANIMIS sane est non solum priscorum Patrum, sed & Hebræorum Magistrorum sententia, virginitatem matris Messiæ præfigurari per terram paradisi omnis humanæ culturæ expertem, per rubum ardentem incombustum, quem vidit Moyses, per virgam siccam Aaronis florem & fructum germinantem, per virgam Iesse, de cuius radice flos ascendebat, per vellus Gedeonis cœlestem rorem absq; læsione in se recipiētem, per hortum conclusum, per portam Ezechielis clausam, per solem, per lunam, per stellam, per nubem leuem, per petram deserti, per montem, ex quo lapis fuit sine manibus abscissus, & per similia, quibus diuina eloquia ad humani ingenij imbecillitatem magis prouehendam scatent. Quia tamen hæc omnia stylo prosequi longissimum esset, quæ ex illis selectiora mihi videbuntur, paucis perstringere curabo.

III. EXORDIAR autem à metaphora Paradisi, cui sponsus virginem comparauit: *Emissiones tuæ sicut paradisus*: vt enim D. IRENÆVS dixit: *Quemadmodum protoplastus ille Ada de terra rudi, & adhuc virgine (nondum enim pluerat Deus, & homo non erat operatus terram) habuit substantiam, & plasmatus est manu Dei, & sumpsit Dominus limum de terra, & plasmauit hominem, ita recapitulans in se Adam ex Maria virgine recte accepit generationem Adæ recapitulationis, si enim ille de terra sumptus est, & verbo Dei plasmatus, oportebat idipsum verbum recapitulationem Adæ in semetipso faciens eiusdem generationis habere similitudinem.* Addit tamen sapienter THEODORETVS Episcop. Ancyrę oratione de natali Christi, vt habetur tom. 6. in Concilio Ephesino appendice 5. cap. 2. B. Virginem longo interuallo excellentiam illius paradisi superare: *O virgo, quæ ipsum vicisti deliciarum paradisum; ille namq; sine semine omne plantationum genus protulit ex virgine terra, hæc autem virgo illa terra melior est, non enim pomum protulit arborem, sed virga Iesse Saluatorem fructum hominibus afferentem: & illa terra virgo erat, & ista virgo, sed illius quidem arborem nasci præcepit Deus, huius autem Virginis ipse creator secundum carnem factus est germen.*

Iren. lib. 5. aduers. hæres. cap. 21.

IV. DEINDE adduco metaphoram illam ab antiquis Patribus satis decantatam, immo & ab Ecclesia Catholica frequenter vsurpatam ardentis & incombusti Rubi, quem vidit Moyses: transiens (inquit) videbo visionem: hanc oportet quidem transeamus, iuxta intelligentiam GREGORII NISSENI in oratione de Natali Christi, *non loci mutatione, sed temporis transitu*. Quod enim tunc per flammam & rubum significabatur, progrediente tempore perspicue in mysterio Virginis apertum fuit, quemadmodum enim illic est rubus, & tangit ignē, & non comburitur, sic virga est hic, quæ lucem parit, & non comburitur: itaque quemadmodum rubus ille, in quo Deus apparuit olim, ignem concepit, & virorem conseruauit, ita Virgo Christum Dominum ardentem ignem concepit, & virginitatis virorem non amisit; ad quod alludens D. GREGOR. NISSEN. dixit: *Deitatis lux assumpta carne illuxit hominem, eamq; omnimodo incorruptam seruauit, virginitatis viriditate nullo pacto commutata.*

Exod. 3.

D. Ambr. lib. 5. Exā. c. 8. in fine.

Greg. Nissē lib. de vita Moysis.

V. Quod ſi quiſquam curioſe interroget (vt id obiter dicam) quare Deus in loco illo varijs arboribus conſito, cum aliæ permultæ plantæ rubo nobiliores exiſterent, hanc præ cæteris ad viſionem illam grandem virgineum partum adumbrantem eligeret? reſpondeo, quod D. Ambrosivs, Philo Ivdævs, & Dioscorides duplicem aſſignant proprietatem rubi, quę facile propoſitam quæſtionem ſoluunt: prima eſt, quod folia eius ſerpentibus ſūt infeſtiſſima: ſecunda, quod ob pungentes ſuas ſpinas ab omnibus manet intacta: vt ſignificaret ergo Deus Virginem intactam ſemper ob virginitatis eius perennitatem antiqui ſerpentis inimiciſſimam eſſe futuram, ideo *Rubum* præ cæteris alijs plantis ad Mariam adumbrandam elegit. Scio alios dicere conſulto Deum elegiſſe rubum, ne Iſraelitæ, quod ad idololatriam erant procliues, ad idola fabricanda inde excitarentur: materia namque rubi inepta eſt ad id, ſed hoc noſtro argumento non inſeruit.

Dioſcorides lib.4. c. 38.

VI. Vermi item comparauit ſe Chriſtus: *vermis ſum, & non homo*, qui conceptum Chriſti ex matre virgine adamuſſim repræſentat: Chriſtum Dominum hanc comparationem vſurpaſſe, tum ad ſignificandum adeo ab hominibus paruipendendum, vt inſtar vermis eſſet ab eis conculcandus; tum ad impietatem occidentium illum declarandam, quia ſicut vermis abſq; vlla compaſſione interimitur, ita & ipſe omni depoſito compaſſionis affectu fuit immaniter occiſus; tum ad oſtendendum, quod ſicut vermis lignū intus corrodēs, quod alioquin ſolidum & graue erat, leue & facile ad portandu reddit; ita Chriſtus Dominus Crucis lignum aſcēdens ita illud alleuiauit, vt ipſe *onus leue* illud vocaret, & *ſuaue iugum*. Vnde & pueri, & tenerrimæ virgines (diuina gratia eis opitulante) facile illud portarunt. Præter hoc inquam, ideo vermi ſe comparauit, vt matris ſuæ Virginitatem aſtrueret, ſicut acute obſeruauit Origenes ſuper Lucam, vbi introduxit Chriſtum Dominum dicentem: *Ex mare & fœmina homo naſci ſolet, ego vero non ex maſculo & fœmina, ſed in exemplum vermis natus ſum. cuius non eſt aliunde ſemen, ſed in ipſis, & ex ipſis, in quibus coaleſcit corporibus, origo eſt*: vnde optime conuenit Chriſto Domino illud Salomonis: *Ego autem tāquam tenerrimus ligni vermiculus*: nam ſicut hic ex viſceribus ligni, vt ex matre, ſolo iuuamine cœleſtis influxus & gignitur, & naſcitur; ſic Chriſtus ex viſceribus Mariæ Spiritu ſancto diuinitus influente & conceptus, & in lucem editus fuit.

Pſal.22. Matth. 11. 2. Reg. 23. Pſal.17.

VII. Tertio David comparat Chriſtū pluuię: *Deſcēdet ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillātia ſuper terrā*: vel, vt vertit Paraph Chaldævs: *Deſcendet ſicut pluuia ſpontanea*: Cardin. Caietanvs transfert: *ſicut pluuia ſuper tonſam, & velut imbrium guttæ terræ*. Vocauit herbam tonſam, quia cum hęc metitur, tonderi videtur. Scio varias eſſe huius loci expoſitiones, nam Caietanvs præcitato loco exiſtimat ſermonem eſſe hic de ſecundo aduentu Chriſti: ſic enim ait: *Qua ſimilitudine deſcribitur ſecundus Chriſti aduentus opportunus, deſideratus, & fœcundus comparatione terræ tonſæ ad nouum germen, quod ſane conuenit expectationi iuſtorum poſt tonſionem, ſiquidem cum eis huius vitæ germen præciſum fuerit, expectant nouum reſurrectionis germen.* Verū hanc expoſitionem ſequentia verba aperte labefactant, cum ſtatim ſubiiciat David: *Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis. Coram illo procident Æthyopes, & inimici eius terram lingent: Reges Tharſis & Inſulæ munera offerent*: quæ aperte primo aduētui Chriſti conueniunt, cum de adoratione Magorum, qui Chriſtum infantem adoraturi erant, loquantur. D. Avgvstinvs, & D. Chrysostomvs aliam excogitarunt expoſitionem dicentes, per *rorem* gratiam intelligi, quæ prius in populi Hebræi vellere deſcendit, ſed poſtea illo relicto gentilitatis aream perfudit. verba D. Chrysostomi hęc ſunt: *Deſcendet ſicut pluuia in vellus, hoc eſt, prædicatio in Synagogā, quando ſcilicet Chriſtus ſedebat & docebat in tēplo, tūc pluuia in vellus deſcēdit, ſed poſtea relicto vellere in areā pluuia infunditur, quoniā tranſactis ſacrificiis à Synagoga tota mundi area impleta eſt prædicatione Chriſti.* Eundem etiam ſenſum habent verba D. Avgvstini, quæ propterea ſilentio miſſa facio. Deinde Nicolavs de Lyra aliam viam ingreſſus ait hoc loco indicari manſuetudinem Meſſiæ, q in primo aduentu humili, & manſueto animo, & aſpectu futurus prædicitur inſtar pluuiæ, quæ in vellus nullo ſtrepitu deſcendit. Vatablvs tamen aliter eundem locum intelligit, exiſtimans illud dumtaxat in illis verbis prænotari, quod ſicut herba arida, adueniente pluuia creſcit, ita adueniente Chriſto futurum erat, vt omnia bona per illum effloreſcerent, & germinarent. At Patres communi conſenſu prædictum locum explicant de Deiparæ Mariæ virginitate; D. Hieronymvs, S. Theodoretvs, Evthymivs, Arnobivs, Cassiodorvs, Lyranvs, Remigivs, Adrian. Finvs, & D. Ambrosivs, qui in ſer. de Nat. Domini in hunc modum prædicta verba explanat: *Deſcendet ſicut pluuia in vellus: quid*, inquit, *tam ſilenter & ſine ſtrepitu fit, quam cum imber in lanæ vellus infunditur? nullius aures ſono verberat, nullius corpus humore repercuſſionis aſpergit, ſed ſine inquietudine hominum totum imbrem per multiplices effuſum partes toto corpore in ſe trahit. Recte ergo Maria velleri comparatur, quæ ita concepit Dominum, vt toto eum hauriret corpore. Nec eius diſciſſuram corporis pateretur, ſed eſſet mollis ad obſequium, ſolida ad ſanctimoniam. Recte, inquam, Maria velleri comparatur, de cuius fructu ſalutaria populis veſtimēta texuntur. Vellus plane Maria eſt, ſiquidem de molli ſinu eius agnus egreſſus eſt, qui & ipſe matris lanicium, hoc eſt, carnem geſtans molli vellere cunctorum operit vulnera populorum: omne enim peccati vulnus Chriſti lana ſuffunditur, Chriſti fouetur ſanguine, & vt ſanitatem recipiat, Chriſti indumento veſtitur.* Hactenus D. Ambrosivs. Nomine autem *velleris* videtur facta alluſio ad velles Gedeonis cœleſti rore plenum.

Pſal. 71. Caiet. vbi ſupra. D. Auguſt. ſup. Pſ. 71. D. Chryſ. ſup. Pſ. 71. Nicol. de Lyra ſup. Pſal. 71. D. Hieron. ſup. Pſ. 71. Theod. ibi. Euthy. ibi. Arnob ibi. Caſſiod. ibi. Lyran. ibi. Remig. ibi. Adriā. Finus lib. 2. flagelli con. Iud. c. 12. D. Ambr. ſerm. 1. in nat. Dom.

num, quod Dominus dedit Gedeoni in signum, & pignus reportandæ victoriæ aduersus Madianitas; quam figuram Marianæ virginitati accommodans INCOGNITVS ait: *Congrua similitudo: lana enim accipiendo, vel reddendo aquam non rumpitur, sed integra manet, sic in gloriosa Virgine virginitas ante partum, post partum, & in partu permansit inuiolata.* quibus consonant verba D. HIERONYMI dicentis: *Sicut in vellus Gedeonis pluuia descendit, ita filius Dei illapsus est in vterum virginalem per Spiritus sancti infusionem.*

Incogn. sup. Psalm. 71. — *D. Hie. sup. Psal. 71.*

VIII. QVARTO, Christus Dominus rorem se vocauit apud Prophetam OSEAM: *Ero quasi ros Israel*: aptissime Christus rori comparatur, quia sicut ex rore subtiliter ingrediente conchilium, virtute radiorum solarium, pretiosissima margarita gignitur, sic filio Dei conchilium vteri virginei ingrediente facta est inæstimabilis Verbi incarnati margarita, de qua in Euangelio: *Inuenta vna pretiosa margarita, vendidit omnia quæ habuit.* persimilis est huic loco ille ISAIÆ, qui in ore omnium versatur: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra & germinet Saluatorem*: licet enim in eo capite multa dicantur de Rege Cyro, tamen (vt perdocte annotauit Diuus CYRILLVS) Propheta in his verbis conuertit se ad Christum, sicut etiam idem Propheta, postquã in capite decimoquarto egerat de Nabuchodonosor ad inferos descendente, continuo ad descensum Luciferi commemorandum se transtulit: verba CYRILLI ALEXANDRINI hæc sunt: *Lõga oratio in superioribus consumpta de Cyro Persarum, & Medorum principe; deinceps vero sententiarum vim transfert Propheta iam ad ipsum Emmanuelem, qui exhibitus erat à patre, vt captiuis remissionem prædicaret.* adstipulantur eidem intelligentiæ D. CYPRIANVS, D. AVGVSTINVS, D. HIERONYMVS, D. ATHANASIVS, D. CHRYSOSTOMVS, & TERTVLLIANVS.

Osea 14. — *Matth. 13.* — *Isaia 45.* — *D. Cyrill. c. 45. Isaiæ.* — *Isaia c. 14.* — *D. Cypr. lib 1. aduer. Iud.*

IX. CVM ergo ISAIAS in his verbis de Christo sermonem faciat, virginitatem Deiparæ astruit, tũ comparando conceptionem vteri ipsius irrorationi, qua cœli fœcundam eius terram irrorarunt, vt Christum Dominum germinaret absque humano satore, sicut & terra solo rore desuper irrigata, absque vlla humana cultura, varios flores, & fructus producere solet; tum quia cum à cœlis postulatur vt pluant iustum, rorem suum mittentes, perspicue significatur, non ex viri opera, sed cœlesti Spiritus sancti virtute à Virgine esse germinandum facta allusione ad vellus Gedeonis: ob idque Christus à PAVLO cœlestis homo nuncupatur: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis*: in cuius loci cõmentario magnus Pater HIERONYMVS ait: *Cœlestis dicitur, quia non humanæ fragilitatis ritu, sed diuinæ maiestatis nutu conceptus est, & enixus.*

D. Aug. de quinq; hæres. tom. 6. — *D. Hieron. c. 45. Isaiæ.* — *D. Athan. lib. de vnit. Trinit.* — *D. Chrysos. hom. in Ps. 71.* — *Tertull. lib. cont. Iud. c. 7. & cont. Praxeam. cap. 11.* — *Isa. vt sup.* — *1. Cor. 15.*

X. TANDEM cum subiungit ISAIAS: *Aperiatur terra*, idem est, ac si diceret *parturiat*, vt habet originale Hebræum: ad eum certe modum, quo flores, cum aperiuntur, ad emittendum fructum parturire dicuntur, iuxta illud CANTICORVM: *Si flores fructus parturiunt.* Vel aliter: *aperiatur terra*: aperiat Maria os suum dicens: *Fiat mihi secundum verbum tuum*, & sic *germinet Saluatorem*, id est, concipiat Iesum, qui *Saluator* interpretatur.

Cant. 7.

XI. DEINDE in idem argumentum celebris est locus DAVIDIS: *Ex vtero ante luciferum genui te*: quem propterea obscurare conantur Iudæi somniantes sermonem esse hoc loco de Rege Ezechia; illos tamen euidenter refellit D. CYPRIANVS MARTYR dicens: *Perspicuum est psalmum illum de eo non fuisse dictum; quis enim Ezechiam non esse sacerdotem perpetuum ordinis Melchisedech non fateatur? aut eundem non esse, qui Ierosolymam redẽmerit, quis ignorat? quis etiam nescit eum non misisse Ierosolymam virgam potentem, quæ dominata sit in medio illius hostium, sed Deum esse, qui ab eo hostes auerterit?* verum cum Christus Dominus ex hoc psalmo probauerit Pharisæis se esse naturalem filium Dei, cum enim eos interrogasset: *Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est?* respondentibus illis: *Dauid*: continuo illis obiecit: *quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo*: reliquum est indubitata fide asserendum esse, Dauidem loqui in illis verbis de Christo Domino, prout & docuit etiam D. PAVLVS, cum ait: *Ad quem Angelorum dixit: Sede à dextris meis, quoadusq; ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?* Arcanum igitur latens in illis verbis detexit eleganter TERTVLLIANVS in hæc verba: *Sed nec, generauite, dixisset Deus, nisi filio puero, nam & si de toto populo ait Isaia 1. Filios generaui, sed non adiecit: ex vtero. Cur autem adiecit (ex vtero) tam vane, quasi aliquis hominum ex vtero natus dubitaretur, nisi quia curiosius voluit intelligi in Christum. Ex vtero generaui te, id est, ex solo vtero sine viri semine.* & eodem libro explicans verba illa: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*: inquit: *Quis iste venter est? ipsius Dauid? vtiq; non, neq; enim pariturus esset Dauid: sed nec vxor eius, non. n. dixisset: ex fructu ventris tui, sed potius ex fructu ventris vxoris tuæ. Ipsius ergo dicendo ventrem, superest, vt aliquem de genere eius ostenderit, cum ventris futurus esset fructus caro Christi, quæ ex vtero Mariæ floruit, ideoq; fructum vẽtris tantum nominauit, vt propriè ventris, quasi solius ventris, non etiam viri; & ipsum ventrem ad Dauid redegit, ad principem generis, & familiæ patrem: nam quia viro deputare non poterat, Virginis eum ventrem, patri deputauit.*

Psal. 109. — *D. Cypriã. dialog. cum Triphone adu. Iud.* — *Matth. 22.* — *Ad Heb. 1.* — *Tertul. lib. 3. cõt. Marcion. cap. 9.* — *Psal. 88.*

XII. SED ad illustrandum magis hunc locum obseruare oportet, quod vbi nostra vulgata vertit: *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum ex vtero ante luciferum genui te*; ORIGINALE HEBRÆVM habet: *In splendoribus sanctitatis ex vtero auroræ tecum ros natiuitatis tuæ.* notanter ait: *In splendoribus sanctitatis*, vt indicet Christum non fuisse conceptum ardoribus concupiscentiæ, sed cœlestibus sanctitatis, & munditiæ splendoribus. idem. n. est *sanctũ*, quod *mundum*, aut *sine terra*: vnde vbi vulgata nostra legit: *In splẽdorib. sanctorũ*,

Psal. 109.

alii vertunt ex originali Hebræo: *In decoribus ſanctitatis*, alij: *in pulchritudinibus*, quia nihil pulchrius, quam virginitas, & maxime cum fœcunditate coniuncta, vt effulget in Deipara: Id enim denotat, quod Mariam *auroram* vocauerit. Nam certe ſicut aurora diem, ſeu lucem parit non amiſſo proprio ſplendore, & claritate, ſed potius aucta; ſic Maria peperit Chriſtum Dominum lucem mundi, qui de ſeipſo dixit: *Ego ſum lux mundi*: nullo tamen ſuę virginitatis amiſſo ſplendore; ſed potius aucto. Illudque in hac expoſitione eſt ſingulare, quod quãuis aurora ſit ſolis prænuntia, tamen ipſa non continet reipſa ſolem, at Virgo prodigioſa adeo aurora extitit, vt ſolem iuſtitiæ in ſe ipſa concluderet, ex ipſiuſque vtero quaſi ex quodam oriente Chriſtus inſtar fulgentiſſimi Phœbi prodierit. Vel aliter, *ex vtero auroræ*, hoc eſt, Virginis tibi ô Chriſte ſuppeditata eſt materia generationis tuæ, videlicet ſanguis puriſſimus, velut ros auroræ nitidiſſimus; ſicut. n. terrenus vapor virtute cœleſti in ſublime fertur, fitque ros, ſic puriſſimus Virginis ſanguis à Spiritu ſancto fœcundatus a dmirabilis huius generationis ros, & materia factus eſt. Ac tandem rori in aurora deſcendenti comparat Chriſtum, vt oſtendat conceptum fuiſſe inſtar earum rerum, quæ tempore auroræ ex ſola roris virtute ſine induſtria humana gignuntur, meritoque diem Incarnationis diem virtutis ſuæ appellauit, quia in eo præcipue die maiora Deus ſuæ virtutis, & potentiæ ſigna oſtendit, ima ſummis, cœleſtia terrenis ineffabili modo coniungendo.

Ioan. 8.

XIII. HANC eandem expoſitionem tradunt doctiſſimi RABBINI in lib. *Midras Tillim*, id eſt, in expoſitione Pſalmorum, vbi in hunc modum legunt: *Ego hodie genui te ex matrice, & de matrice auroræ tibi ros natiuitatis tuæ*: per *matricem auroræ* matricem Mariæ accipiunt, quæ ſalua eius integritate Chriſtum conceptura, & paritura erat, non ſecus ac aurora ſolem ſine corruptione parit. Ad illud autem, quod quibuſdam difficile videtur in hac expoſitione, nimirum, quod propter illa verba: *Ante luciferum genui te*: videtur ibi ſermonem eſſe de generatione æterna ex Patre, non de temporali ex matre, reſpondet acute D. AVGVST. in hæc verba: *Hoc ipſum ſignate dictum, proprie dictum eſt, & ſic impletum, noctu enim natus eſt Dominus ex vtero Virginis Mariæ, quod indicant teſtimonia paſtorum, qui vigilias excubabant ſuper gregem ſuum.*

D. Aug. ſup. Pſ. 109

XIV. EXTAT & alia floris metaphora, ſub qua Propheta ISAIAS Mariæ virginitatem prædixit: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* Pro cuius loci intelligẽtia omiſſa quorundam modernorum interpretatione, qui cum LEONE CASTRENSI aiunt, *Nazaræum* à ſeparatione dictum eſſe, non à flore; hoc tamen ſecundum eſt certum, vt tradunt D. HIERONYMVS, BEDA, PAGNINVS, LYRANVS, ADRIANVS FINVS, & alii Hebraicę linguę peritiſſimi, quos ſequitur Card. CAIETANVS. Hoc ſuppoſito licet ORIGENES, CYRILLVS ALEXANDRINVS, D. HIERONYMVS, D. HILARIVS, & S. CLEMENS per *virgam & florem* Chriſtum Dominum intelligant, qui propter potentiam nomine *virgæ*, ob pulchritudinem vero appellatione *floris* denotetur, cui intelligentiæ fauet PARAPHRASTES CHALDÆVS in hunc modum verba illa vertens: *Egredietur Rex de filijs Ieſſe, & Meſſias de filiis filiorum eius*: difficilis tamen intellectu eſt hæc interpretatio: nam ſi flos de virga naſcitur, neutiquam fieri poteſt, vt idem ſit *flos*, quod *virga*; alioquin idem ex ſeipſo oriretur. aliud igitur opus eſt eſſe virgam, aliud florem; quare plures alij grauiſſimi Patres per *virgam* Mariam intelligunt, per *florem* vero Chriſtum; ita S. HIERONYMVS, D. CHRYSOSTOMVS, D. ISIDORVS, D. BERNARDVS, D. LEO PAPA, S. IOANNES DAMASCENVS, S. EPHRÆM SYRVS, nec non & antiquiſſimus TERTVLLIANVS lib. de carne Chriſti, vbi hæc præclara ſcripſit: *Ipſe eſt flos de virga profecta ex radice Ieſſe: radix autem Ieſſe genus Dauid, virga ex radice Mariæ ex Dauid, flos ex virga filius Mariæ, qui dicitur Ieſus Chriſtus, ipſe erit & fructus. Flos enim fructus, quia per florem, & ex flore omnis fructus eruditur in fructum. Quid ergo? negant & fructui ſuum florem, & flori ſuam virgam, & virgæ ſuã radicem?*

Iſaia 11.
Leo Caſtr. ſup. cap. 11. Iſaia.
D. Hier. ib.
Beda hom. 1. in Luc.
Pagnin. ib.
Lyrã. ibid.
Adriã. Fin li. 2. flagelli cap. 11.
Orig. hom. 9. ſup. Nũ.
Cyril. Alex lib. 3. in Iſa.
D. Hie. ſup. c. 11. Iſaiæ.
D. Hila. in Pſalm. 3.
S. Clẽ Alex l. 1. pedogogone cap. 7.
Paraphraſ. ſup 11. c. Iſa
D. Hieron. ſup. c. 11. Iſa
D. Chryſoſ. Pſalm. 28.
D. Iſid. ad ſororem Florent.

XV. TOTA igitur vis huius metaphorę ad adſtruẽdam Mariæ virginitatem conſiſtit in hoc, quod Chriſtus Dominus non minori puritate, & pulchritudine, quam flos ex virga pullulat, ex virgineo vtero prodierit: ſicut enim flos non ex ſemine, vt arbor ipſa, ſed ex virga, cœleſti virtute perfuſa, oritur; non ſecus Chriſtus Dominus abſque vllo virili ſemine ex Virgine, Spiritus ſancti virtute illam obumbrante, ortus eſt: & quemadmodum virga florem parturiens tantum abeſt, vt aliquid ſuæ venuſtatis, & pulchritudinis amittat, vt pulchrior, & venuſtior euadat, ita tantũ abfuit, vt Virgo Deipara per conceptum, & partum Chriſti Domini aliquid amiſerit de ſuæ integritatis pulchritudine, vt tunc potius eius virginitas pulchrior, illuſtrior, nobilior, clarior, ſanctior, excellentior, glorioſior, ac mirabilior redderetur, vt eleganter his verbis ſcripſit EVSEBIVS: *Quid primum mirer, quidue poſtremum? quod ſine conceptu eſt collata fœcunditas, an quod per partum magis eſt glorificata virginitas?* hinc illud eſt mirabile ac valde prodigioſum in hac myſtica virga Maria, quod cum reliquæ omnes virgæ fructum producentes florem amittant, hæc tamen virgo (quod omnem facultatem naturæ longe trãſcendit) retento virginitatis flore pretioſum fructũ, auctorem vitæ nobis protulit, vt D. BERNARDVS obſeruauit in hęc verba: *Si diligentius volueris intueri, intelliges in omni arborum genere in ortu fructus florem decidere, & perire; in hominibus quoque & fere cunctis animantibus fructus filiorum florem virginitatis abſcindit. Nam ſic erat in natiuitate vitis noſtræ; beatiſſima enim mater illius fructum protulit benedictum, non amiſſo virginitatis flore: imo magis per partum mirabilem, & mundiſſimum eſt decorata, vbi lex, vbi iura naturæ abſciſſa ſunt.* hanc eandẽ

S. Bern ſer. 2. de adue. & hom. 2. ſup Miſſus & ſer. 2. in Annunc.
D. Leo Papa ſerm de Nat. Dom.
S. Ioan. Damaſc. orat. 1. & 2. de Nat. Mariæ.
S. Ephræm. Syrus de Matris Dei laud.
Tertul. lib. adu. Iud. c. 9. & lib. de carne Chriſti cap. 21.
Euſ. Emiſſ. hom. 2. Nat. Dom.
D. Bern. lib de paſſ. Dom. c. 16.

floris

floris metaphoram tam suaui melodia prosequitur piissimus GVERICVS ABBAS, vt nulla ratione nec possim, nec debeam eius verba silentio prætetire: *Partus quidem meus non habet exemplum in sexu mulierum, sed habet similitudinem in naturis rerum. Quæris, quomodo virginitas genuit Saluatorem? sicut flos vitis odorem; si corruptum inueneris florem pro eo, quod dederit odorem, violatum crede pudorem, quia dedit Saluatorem. Quid potes calumniari in proprietate similitudinis? quid aliud est virginitas, quam flos inuiolati corporis? & quid aliud est filius Virginis, quam suauitas odoris?*

Gueric. Abb. vt refertur in biblioth. hom. lib. 4.

XVI. TANDEM id satis probat elegantiam huius metaphoræ, quod Christus Dominus illa vsus est dicens: *Ego flos campi, & lilium conuallium*: non enim sponsa, vt alii putarunt, sed sponsus est, qui loquitur, vt docent D. GREGORIVS, D. BERNARDVS, & Venerabilis BEDA in comment. huius loci; PARAPHRASTES autem CHALDÆVS in hunc modũ transfert prædicta verba: *Ego similis sum lilio viridi ex paradiso voluptatis, & opera mea pulchra sunt, sicut rosa, quæ est in campo*: ecce comparat se flori orto in paradiso, qui nullum alium cultorem habuit quam Deum, nec non & *flori campi*, qui absque vlla humana industria, virtute cœli terram fœcundante, ex ea pulcher erupit: ad eundem certe modum Christus Dominus ex Mariano paradiso humanã culturam nesciente, & ex inculto campo virginei illius vteri instar pulcherrimi floris ortus fuit, vt mellifluo suo sermone adnotauit S. BERNARDVS dicens: *Hortus vt floreat, hominum manu, & arte excolitur, campus vero ex semetipso producit flores absq; omni humanæ diligentiæ adiutorio. Putasne tibi iam videris aduertere, quisnam ille sit campus nec sulcatus vomere, nec defossus sarculo, nec manu hominis seminatus, venustatus tamen nihilominus nobili illo flore, super quem constat requieuisse Spiritum Domini?* ipse etiam BERNARDVS hom. 2. super *Missus* comparat Virginem virgæ Aaronis: *Quid rogo virga Aaron florida, nec humectata significat, nisi Virginem concipientem & virum non cognoscentem*? Sed cur quæso cum virga de radice dicatur educta, flos à virga non dicitur ascendisse, sed à radice; non hæret radici flos, interest virga, quæ humorem attrahens à radice florem promat: quare igitur non dicitur ascendere à virga, sed à radice? certe vt denotetur Christum natũ fuisse ex Virgine, corpusq; verum & non phantasticum adaptasse sibi ex illis Mariæ sanguinibus, quos à parentib. tanquam à radice traxerat, non ex alterius virtute, ideo dixit: *Et flos de radice eius ascendet.*

Cant. 3.

D. Bernar. serm. 47. in Cant.

XVII. AD hæc non longe ab hac metaphora *floris* abhorret illa alia *virgulti*, & *radicis de terra sitienti*, cuius meminit ISAIAS: *Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti*: vbi notandum est, quod iuxta Hebraicæ linguæ peritos verbum, cui in Hebræo respondet *virgultum*, significat *lactare*, vnde LXX. INTERPRETES vertũt illa verba in hunc modum: *Annunciauimus coram eo quasi puerulus, & quasi radix de terra sitienti.* Solliciti sunt Hebræi, vt hunc locum obtenebrescant, interpretari illum de populo Iudaico: sed mendacissimam esse hanc intelligentiam ex eo constat, quod ille, de quo loquitur ibi Propheta (vt apertissime constat ex ipso contextu) prædicitur tanta sanctitate conspicuus, vt nunquam iniquitatem facturus sit, nec inueniendus sit dolus in ore eius: quod impossibile est in populum Iudæum conuenire, quem certum est (nec ipsi diffitentur) permulta commisisse peccata: sermo igitur est in prædicto loco de Christo Domino ex intacta Virgine orto, vt his verbis sapienter interpretatus est EVSEBIVS CÆSARIENSIS, vbi lectioni LXX. acquiescens ait: *Annuntiauimus coram eo quasi puerulus, quasi radix in terra sitienti: pro quo Aquila sic interpretatus est: Et prædicabitur tamquam quod vbere nutritur in facie eius, & tamquam radix de terra inuia. Theodotion vero: & ascendet, sicut quod lacte alitur, coram eo, & sicut radix de terra sitienti: vbi puerulus quidem ille, qui vbere, atque lacte nutritur, plane ortum Christi declarat, terra vero inuia, & sitiens Virginem, quæ illum enixa est, quam scilicet nullus vir adijt, de qua, quamuis inuia, laudata illa radix prodiit, & puerulus, qui vbere, lacteq; nutriretur. Verũ hæc adumbrate admodũ significauit, apertius vero idem propheta sententiam suam interpretatur, vbi ait: Ecce Virgo in vtero accipiet, & pariet filiũ, & vocabit nomen eius: nobiscũ Deus, hoc. n significat Emanuel.* hactenus Eusebius.

Isaia 97.

Euseb. Cæsar. lib. 3. de demonst. Euang. c. 2.

Isa. 7. 13.

XVIII. HIS metaphoris & similitudinibus adnecto illam aliam ISAIÆ: *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem*: ORIGINALE HEBRÆVM habet: *Ecce Ieuonah equitans super nubem leuem*; quæ verba (omissis aliis expositionibus, quæ præsenti argumento non inseruiunt) de Christo Domino ex Maria Virgine orto interpretatur AMBROSIVS in exhortatione ad Virgines dicens: *Hic est, qui venit in nube leui, sicut dixit Propheta: Ecce Dominus sedet super nubem leuem, & veniet in Ægyptum, significans, quod in Ægyptum, id est, in afflictionem istam mundi huius veniret per Virginem. Nubem itaque Mariam dixit, quia carnem gerebat; leuem, quia Virgo erat nullis oneribus grauata coniugij: ipsa est virga germinans florem, quia pura ad Dominum libero corde directa virginitas, quæ nullis in hoc sæculo curarum anfractibus reflectatur.* Præter hoc tamen mihi ea ratione in nube virginitas Mariæ eleganter describi videtur; quia sicut nubes & gignit, & mittit pluuiam sola virtute venti in illam flantis non aperiendo, sed potius illam condensando, & constringendo, sic Maria flante vento Spiritus sancti concepit, & peperit absque læsione suæ virginitatis Christum significatum per pluuiam, iuxta illud: *Sicut pluuia in vellus descendisti.* consonatque prædicto loco illud pueri Elisæi 3. REG. qui iussus contra mare prospicere dixit, se videre nubeculam ascendentem de mari, in qua erat quasi vestigium filii hominis: certe nubecula hæc de mari ascendens Deiparam Mariam refert, quæ ex mari huius mundi

Isaia 19.

D. Ambr. in exhortat ad virgines.

Eccl. Cathol. in offic.

3. Reg 19.

per carnis propaginem, ſicut & cæteri homines, aſcendit, altior tamen, & eleuatior ipſo mundo, vt quæ nullis carnis illecebris deprimi potuerit: figura autem filii hominis in medio nebulæ exiſtens, quid aliud eſſe poteſt, quam Chriſtus verus Deus, & homo in medio vteri virginalis deliteſcens, cõſeruans eius integritatem?

XIX ACCEDIT etiã metaphora *Petræ deſerti*, qua
Iſaiæ 16. vſus eſt idem ISAIAS: *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ de petra deſerti ad montem filiæ Sion.* Hebræi conantur etiam hunc locum nihil virginitati Mariæ prodeſſe, dicentes ſermonem eſſe de magna agnorum copia, quam Rex Moabitarum pro tributo pendebat Regi Iſrael, vt habe-
4. Reg. 17. 3. tur lib. 4. REG. quod quia perſoluere recuſabat, ideo Propheta, regnante Ezechia, Moabitis ſuadet, vt huic Regi Ezechiæ ſolitum illud pendant tributum, dicens: *Mittite agnum dominatorem terræ:* ſic enim etiam poſſe legi ex Hebræo docuit D.
D. Hieron. ſup. Iſaiæ 16. HIERONYMVS: verum (quidquid ſit de hac lectione, quæ nihil ad rem facit) falſum eſſe hoc Hebræorum commentum, ex duplici capite apertiſſime commonſtro: tum quod Ezechias non potuit abſolute, & ſimpliciter *dominator terræ* nuncupari, cum ſolum ſuper duas tantum Tribus in vna parte Palæſthinæ dominaretur: tum quia cum illud tributum ſoli Regi Iſrael ſolitum eſſet pendi, non eſt, cur Propheta voluiſſet ius ſuum illi tollere ſuadendo, vt tributum illi debitum alteri Regi perſolueretur. Loquitur igitur Iſaias de Chriſto Domino manſuetiſſimo agno ex intacta Maria naſcituro, ad quod ſignificandum vocat illam petram deſerti, petram (inquam) ſolidam atque integram, quæ quia virtute Spiritus ſancti conceperat, adeo omnis carnalis illecebræ expers fuit, vt in hac re *petra* quædam inſenſibilis fuiſſe videatur: Addit autem *petrã deſerti*, vt eandem Marianam virginitatem magis exprimeret, quia deſertum plantas producit non humana induſtria cultum, ſed cœlitus fœcundatum. Ex hoc facile videre eſt (quod ſingulari obſeruatione dignum cenſeo,) quam egregie Chriſti occaſus ortui, ſepultura conceptioni reſpondeat: emittitur quidẽ Agnus de petra, cuius corpori monumẽtum excidendum erat in petra, ipſe ab initio conceptus ſui corpus ſibi excidit de petra, integritatemque petræ, cum ex ea prodiit, non imminuit, ſicut nec ſignatam ſepulturæ petram, cum de ea
1. Cor. 10. egrederetur, aperuit. Si ergo *petra* Chriſtus (vt ait Apoſtolus,) non degenerat à matre filius, quoniam & ipſa petræ nomine cenſetur, meritoque eo cohoneſtatur, quæ in amorem integritatis propoſito firma, affectu ſolida, aduerſus illecebras carnis tota erat lapidea.

XX. RVRSVS idem propheta ISAIAS de B. Virgine mirum in modum bene meritus, quippe qui tot egregiis ſimilitudinibus perpetuam eius virginitatem illuſtrauerit, ſub metaphora *ſplendoris & lampadis* egreſſum Chriſti ex matre Virgine expreſſit: *Propter Sion non tacebo, & propter Ieru-* *Iſaiæ 62.*
ſalem non requieſcam, donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius, & ſaluator eius vt lampas accendatur. Communis eſt omnium huius loci interpretum ſententia, ſermonem eſſe hic de Chriſto Domino, qui per antonomaſiam *iuſtus* dicitur, iuxta illud ISAIÆ: *Vocaberis Ciuitas iuſti, Vrbs fidelis.* vocat *Iſaiæ 1.*
autem Propheta illum *ſplendorem, & lampadem accenſam*, tum quia (vt ait D. HIERONYM.) venturus *D. Hieron. ſup. c. 62. Iſaiæ.*
erat, vt mũdum ignorantiæ caligine obtenebratum illuminaret, iuxta illud Zachariæ: *Illuminare his, qui in tenebris, & vmbra mortis ſedent:* tum quia *Lucæ 1.*
(vt docet GLOSSA INTERLINEARIS, nec non & GALATINVS) ſicut ſplendor egreditur à ſole *Galatin. lib. 4. arcan. c. 14.*
abſque vlla ſolaris corporis corruptione, & diffunditur per medium abſque ipſius medii diuiſione, & ſicut lampas ex admoto igne ſine vlla ipſius *Gloſ. interl. ſuper c. 2. Iſaiæ.*
ignis iactura accenditur; ita Chriſtus inſtar ſplendoris conſeruata Virginis integritate ortus eſt, & inſtar lampadis ardentis abſque vllo virginei pudoris detrimento carne indutus prodiit. Confirmat & illuſtrat hanc expoſitionem, quod vbi noſtra vulgata legit: *Donec egrediatur vt ſplendor*; alii ex Hebræo vertũt: *Donec egrediatur ſicut fulmen iuſtus meus*: vbi apte ſub metaphora fulminis adumbratur Deiparæ Mariæ virginitas, ſicut enim fulmen integram & illæſam omnino relinquit vaginam enſem continentem, & in vniuerſum non corrumpit ea, quæ ſibi non reſiſtunt; ita Chriſtus Dominus intrauit & exiuit ex vtero virginali integram & illæſam eius virginitatem ſeruans, quia neque in ingreſſu inuenit reſiſtentiam, Maria dicente: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum ver-* *Lucæ 1.*
bum tuum: nec etiam in egreſſu & ortu, cum virtute diuina per penetrationem, in qua nulla ſentitur reſiſtentia, ex materno thalamo prodierit.

XXI. QVID plura? ADRIANVS FINVS in illis *Adrian. Fin. lib. 2. flagelli.*
verbis CANTICORVM: *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius*; Mariæ vir- *Cant. 3.*
ginitatis arcanum latere putat. Pro cuius intelligentia præſupponere oportet, per *diadema* intelligi hoc loco Chriſti humanitatem, vt docet D. AM- *D. Ambr. lib. de Iſa. cap. 1.*
BROSIVS, D. GREGORIVS, & S. BERNARDVS, quo B. Virgo Dei filium coronauit in inſtanti deſponſationis ſuæ cum natura humana: verba D. BER- *D. Gregor. ſup. c. 3. Cant.*
NARDI (vt reliqua aliorum Patrum omittam) ſunt: *Si Rex eſt, diadema eius vbi eſt? ſed vos eum vere videtis in diademate, quo coronauit eum mater ſua in* *D. Bern. ſerm. 2. in Epiph.*
ſacco mortalitatis, de quo reſurgens ait: Quia conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia: Egredimini virtutes angelicæ, incolæ ciuitatis ſupernæ: Ecce Rex veſter, ſed in corona noſtra, in diademate, quo *Pſal. 29.*
coronauit eum mater ſua. hoc ſuppoſito, illud myſterium ea ſimilitudine comprehendi exiſtimat Adrianus, quod quia verbum humanitatem ex Virgine ſumpſerit, abſque vllo virginitatis eius detrimento, atque adeo non communi cætero-

rum more factus fuerit homo, ideo inter omnes homines regalis corona, regiumque diadema propter tam nouum suæ conceptionis modum ei debeatur.

XXII. Tandem *speculi* metaphora, qua non solum æterna sapientia in sensu litterali, sed in mystico B. Virgo designatur, eius virginitatem egregie manifestat. quemadmodum enim figura & imago intuentis se in speculo, imprimitur in illo absq; aliqua ipsius speculi læsione, ita æternus Pater intuens se in nitidissimo, ac tersissimo Mariano speculo impressit in eo figuram suam, quia *Filius figura est substantiæ eius*, vt ait Pavlvs; (Ad Heb. 1.) hæc autem figura istud ingrediens speculum per conceptum, & ab eo egrediens per natiuitatem non solum integrum, illæsum, & infractum illud reliquit, sed splendidius & rutilantius, vt decebat matrem illius, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA XI.

Exquisitis quibusdam locis ex Ezechiele, ex libro Psalmorum, nec non ex Cantico Canticorum eamdem Deiparæ Mariæ inuiolatam Virginitatem magis illustramus.

I. Hvcvsqve testimonia produximus, & qua potuimus diligentia exposuimus, quibus antiqui Ecclesiæ Patres intemeratam Deiparæ Mariæ virginitatem comprobant; nunc difficiliorem prouinciam suscipientes in idem argumentum extraordinariis & inusitatis quibusdam locis vtemur, quibus forte viam aperiemus, vt alii tum feliciori ingenio, tum maiori in Deiparam pietate præditi alios exquirant (est enim iucundum, & pium hoc venandi genus) quibus huius Catholicæ doctrinæ veritas tenacius fidelium mentibus inhærescat, & impudentissima Hæreticorum audacia magis confundatur. Tertvllianvs igitur lib. de carne Christi cap. 23. & Epiphanivs aduersus Ebionitas citant locum quemdam Ezechielis, qui tamen si in sacra Scriptura non reperiatur, ex antiqua tamen traditione credebatur esse huius Prophetæ: verba illius valde notanda sunt hæc: *Vitula peperit, & non peperit*: ea Tertvllianvs citato loco applicat virginitati, & fœcunditati Mariæ. Queadmodum enim non semel accidit, vt quæ grauida erat, tempore partus appropinquante ita facili negotio ac incolumi salute pariat, vt dicamus ei: videris non parturiens: ita Virgo *peperit, & non peperit*: peperit, quia vere Christum enixa est, non peperit quia perinde incorrupta remansit, ac si non peperisset: peperit ergo, vt Dei matrem decebat, non vero peperit instar aliarum fœminarum, quæ honore virginalis pudicitiæ parturientes priuantur. Obseruandum tamen est, quod locus hic Ezechielis videtur potius esse apud Iob, vbi dicitur: *Vacca peperit, & non abortiuit*: in Hebræo autem (Iob. 21.) est: *Vitula peperit, & non est priuata fructu suo*: vbi forte Patres ex aliquo alio codice legerunt, *non peperit*: ita obseruat Iacobvs Parmelivs ad locum illum Tertulliani: vel certe D. Epiphanivs, & Tertvllianvs non attendentes ad verba, sed ad sensum Ezechielis (vt non semel contigit aliis Patribus) tribuunt illi dixisse: *peperit & non peperit*: quia dixerat de Virgine, quod porta erat clausa, & quod princeps ipse sedebit in ea clausam illam relinquens, quæ verba eundem sensum reddunt, ac illa.

II. Deinde huic argumento satis congrue adaptari mihi posse videntur verba illa Davidis: (Psal. 76.) *Deus in mari via tua, & semita tua in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur*. nemo ignorat Mariam *mare* interpretari, vt D. Hieron. adnotauit: (D. Hier. de nom. Hebr.) semitæ, quas Deus perambulauit per hoc mare, conceptio quidem & natiuitas fuere, per illam enim intrauit in hoc Marianum mare per nouem menses in eo nauigaturus, per hanc vero ad Bethlehemiticum portum appulit: has quidem semitas quantumcunque oculatissime explores, nulla alicuius viatoris vestigia reperies, quia neque ingrediens, neque egrediens Iesus ex Maria virgineam eius integritatem quidquam læsit. atque ad hoc mysterium putant quidam allusisse Salomonem, cum dixit difficilem cognitu sibi esse *viam nauis in medio mari*, intelligens per hanc nauem (Prov. 30.) humanitatis Christi nauiculam mare Mariani vteri sulcantem. Annotauit autē ingeniose D. Chrysologvs, Christum Dominum nullum sui egressus vestigium relinquens in matre sua, se non hominem solum, sed pariter Deum esse demonstrasse. *Qui ingreditur*, inquit, *& egreditur, & introitus sui & exitus nulla vestigia relinquit, diuinus habitator est non humanus; & qui conceptu suo Virginem seruat, & ortu suo relinquit Virginem, non terrenus homo est, sed cœlestis.* (Pet Chrysol. ser. 142.) (Psal. 78.)

III. Præterea D. Ambros. in illis verbis Davidis: *Imperfectum meum viderunt oculi tui*; Marianæ virginitatis arcanum latere putat: vertit tamen illa in hunc modum: *Inoperatum meum viderunt oculi tui*, docetque illa esse verba filii Dei ad Patrem, quibus fatetur opus mirabile Incarnationis in vtero virgineo celebratum, non esse operatum ab homine, sed à Spiritu sancto in Mariam superueniente: verba eius sunt hæc: *Inoperata est ergo caro Christi, quam vt Maria virgo conciperet, inusitato quodam & nouo Incarnationis mysterio, sine vlla virilis seminis admistione, diuina gratia dispositione, quod erat carnis, assumpsit ex Virgine.* (D. Ambr. lib. de inst. Virg. c. 16.)

IV. Adhæc singularia quædam loca ex Canticis Canticorvm obseruaui, in quib. (ni fallor) inteme-

intemeratam Mariæ virginitatem latere censeo. Ex his primus occurrit ille, in quo sponsus cum
Cant. 1. Turture componit sponsam: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut Turturis*: licet enim ad exprimendam virgineam Mariæ pudicitiam non videatur apta Turturis metaphora, cum huius castimonia in eo solum consistat, quod post primum coniugium nullum alium agnoscat, vt communi consensu tradunt naturalium rerum Historiographi; propter eamdem tamen rationem non est nisi apta metaphora: nam cum B. Virgo à nullo sponso nisi à Spiritu sancto filium conceperit, vt aperte significant
Luca 1. verba illa: *Inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto*: nec post illum alium cognouerit sponsum, cum à Iosepho semper fuerit intacta, aptè Turturi comparatur, quæ post primum coniugium nullum alium coniugem agnoscit. Vel dicamus (quod & mihi satis verisimile est) nomine *Turturis* in eodem CANTICO CANTICORVM etiā Christum Dominum Virginum Regem, & virginitatis auctorem intelligi; de illo enim, cum in mundo appa-
Cant. 2. ruit, dicens: *Vox Turturis audita est in terra nostra*: ab eius enim aduentu & prædicatione cœpit virginitas vigere, & in magno pretio haberi: vt ergo Spiritus sanctus singulari encomio virginitatem Mariæ extolleret, Christi Domini integritati, & puritati illam assimilauit, dicens, virginalem eius verecundiam per *genas* eius significatam, quia in illis præcipue apparet, verecundiæ rubor instar Turturis esse, hoc est, instar Christi per Turturem significati: vnde non incongrue putauerim propterea Deum in lege veteri iussisse, vt in sacrificio
Leuit. 12. offerretur par Turturum, vt scilicet per illos hi cœlestes Turtures, Christus, & Maria, castimoniæ virtute insigniores significarentur, intuitu quorū propitiationem peccatorum faciebat.

Cant. 1. V. DEINDE sub illis verbis sponsæ: *Filii matris meæ pugnauerunt contra me, posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui*, Marianæ virginitatis latet sacramentum, perinde enim fuit, ac si diceret, filii quidem matris meæ synagogæ, sed non filii patris mei, cum ipsi ex patre Diabolo sint, sicut Christi honori, ita & virginitatis meæ pudori infestissimi hostes semper extitere, falso existimantes, quod licet operam nauauerim ad custodiendam virginitatem, minime tamen eam custo-
Cant. 1. dierim: *Vineam meam non custodiui*; secundum falsam, & erroneam eorum mentem, opinantium floridam, ac fructiferam virginitatis meæ vineam non fuisse semper intactam. Quam vero apte nomine vineæ virginitas veniat intelligenda, auctor est D. AMBROS. lib. de exhort. ad virg. eleganter atque erudite dicens: *Nemo auferat animæ vestræ vineam, & vilia olera serat? vinea enim quidem puritas virginalis est, coniugia velut olerum plantaria sunt, in quibus frequens zelus est, & ideo sicut olera herbarum cito cadunt, atque marcescunt, nisi finem imponat senectus, aut ad perfectum vehat continentia: non ve-*
3. Reg. 2. *niat ergo in vos Achab, qui concupiscat vineam vestram delere, & extinguere; nec veniat in vos Iezabel vanum illud, & seculare profluuium, sed veniat Naboth, qui venit à patre, sicut significat nominis ipsius interpretatio, qui vineam sanguine defendat suo, & pro eo mortem offerat.* hæc Ambrosius. Virginitas ergo vinea fuit dilecto nostro Christo, quam, cum primum mundum ingressus est, in matre sua elegit: hanc vineam sepiuit forti clausura, qua Maria ab omnium hominum se sequestrabat aspectu, ita vt ab Angelo nonnisi in penetralibus domunculæ suæ reperiretur, vt ait D. AMBROS. Ex hac vinea of- D. Ambr.
fensionis lapides amouit dilectus, auferens ab ea super c. 1.
omne opprobrium, & maledictionem, qua virgi- Luc.
nes in populo Hebræo affici solebant; vt autem vinea ista ab his, quæ illam demoliri student, custodiri posset illæsa, ædificauit in ea turrim, dum Verbum caro in ea factum est. Hæc fuit ei turris fortitudinis à facie inimici (vt DAVIDICIS verbis vtar) perpetuam eius conseruans virginitatem.

VI. AD hæc insignis est locus CANTIC. 7. a-
perte Marianam virginitatem indicans: *Iunctura* Cant. 7.
femorum tuorum sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis: per *iuncturam femorum* virginei vteri clausuram designat: sicut enim diuisio femorum lasciuiam portendit, iuxta illud EZECHIELIS: *Di-*
uisisti pedes tuos omni transeunti, & multiplicasti for- Ezech. 16.
nicationes tuas: ita iunctura, seu coniunctio femorum virginitatem designat: vnde verbum Hebræū *Hamuk*, quod correspondet latino *iunctura*; significat *orbem*, vel *circulum*, quem constat nullibi habere diuisionem, & vndique esse clausum. Confir- Cant. 7.
mat idem comparatio illa monilis: *sicut monilia*, D. Ambr.
quia (vt auctor est D. AMBROSIVS) monile erat tor- serm. 17.
ques, qui triumphantis collo appendebatur; constat autem Torquem orbicularis figuræ esse, ex nulla parte apertum; quia tamen insigne hoc virginitatis donum, quod in Maria tantopere fulsit, non fuit monile à Mariæ industria fabricatum, sed
cœlitus collatum, ideo addidit: *quæ fabricata sunt* Ibid.
manu artificis: quia manus illius summi artificis diuinæ gratiæ operatione illud elaborauit. Addit autem ALANVS, nobilis auctor, in commentario huius loci, per *iuncturam femorum* intelligi connexionem virginitatis corporalis cum mentali; vel, vt aliis placet, concordiam virginitatis cum maternitate. verba illius hæc sunt: *Femora solent es-* Alan. duæ
se generationis signa; iunctura autem femorum nihil a- fœcundi-
liud intelligitur, quam concordia duarum fœcundita- tates in B.
tum, quæ fuerunt in Virgine, vna mentis, & altera Virg. Ma-
ventris. Et hac iunctura fuit sicut monile, id est, ha- ria; mentis
buit secum duplicem comitem, virginitatem carnis, & & corpo-
virginitatem mentis. Per monile solet notari castitas. ris.
monile.n. solet apponi pectori ad ornandū, & in castitatis signum, vnde dicitur monile, id est, monens castitatem, est ergo sensus: [Iunctura femorum tuorum sicut monilia, id est, sicut tu prædita es duplici fœcunditate, ita duplici virginitate.

VII. EST autem obseruandum ad huius explicationem,

cationem, Marianam virginitatem non esse instar aliarum virginum, sed puriorem, & excellentiorem ac omnis illecebræ carnis expertem; & ideo continuo addidit illa alia verba: *Vmbilicus tuus sic ut crater tornatilis*: quorum tam præclaram, quam ingeniosam expositionem reliquit nobis RVPERT. ABBAS in hæc verba: *Ista laus tua, ô libera Sunamitis, opposita est ancillæ vituperationi, quam apud iam dictum habemus his verbis, [& quando nata es, non est præcisus vmbilicus tuus, & aqua non es lota in salutem.] Quibus utique verbis luxuriæ superfluitatem vituperat; quia viris quidem in lumbis, fœminis autem in vmbilico luxuria est, testante Domino, qui de Diabolo loquitur ad B. Iob: Virtus eius in lumbis eius, & potestas eius in vmbilico ventris eius. Igitur [vmbilicus tuus crater tornatilis] quid est, nisi, ac si diceret: perfecta est in te virtus castitatis, & liberata es ab omni carnalis appetitu voluptatis? Parū quippe fuisset ad laudem veræ virtutis dixisse [iuncturæ femorum tuorum] sicut monilia, nisi istud adderetur [vmbilicus tuus sicut crater tornatilis, nunquam indigens poculis;] quia scilicet illo præcedenti versiculo solum denegatur opus sine affectu carnalis commercii: isto autem sequenti appetitus quoque cogitationis, qui si inesset, nūquam veraciter diceretur, vmbilicus sic præcisus, immo & circumcisus, vt crater tornatilis; neque adderetur adhuc [numquam indigens poculis.] Quidnam est vmbilicum non indigere poculis, nisi non vri vel sitire per appetitum libidinis.*

Rupert. Abbas super cap. 7. Cant.
Ezech. 16. 4.
Iob. 40. 11.

VIII. TANTA igitur fuit Mariæ virgineæ puritatis excellentia, vt idem locus, in quo in aliis virginibus carnis concupiscentia ardet, in Virgine, quæ Deum & hominem genuit, sedes libidinis non fuit, sed sanctitatis, non obscœnitatis, sed honestatis, non turpitudinis, sed decoris; vnde nihil vmq̄ pudendi motus experta fuit, nec illud PAVLI sibi vsurpare poterat; *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*: vnde ALANVS præcitato loco dixit: *In Virgine Deum parituræ locus ille ab initio singulari quadam gratia consecratus erat, in membris autem aliarum virginum non ita: nempe in illis ignis concupiscentiæ, contra quem assidue dimicant, viuit vsque ad finem vitæ, & saluo virginitatis bono, innati mali violentos motus patiuntur. Ita ergo in illis est virginitas salua, vt tamen non sit satis pura, ita expers corruptionis, vt tamen non sit immunis à sordibus malæ titillationis.*

Rom. 7.
Alan. vbi supra.

IX. FREQVENTER etiam antiqui Patres, præcipue tamen RVPERTVS verba illa sponsi: *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus*: [*hortum* vocat cœlestem sponsam Mariam propter fœcunditatem, *conclusum* propter virginitatem, itaq; *hortus* fuit, quia mater, *conclusus*, quia Virgo; *hortus* vero *conclusus*, quia mater pariter & virgo. Dignum miraculum, quod frequenter inculcetur; subiunxit: *fons signatus, sigillo scilicet virginitatis perpetuæ* (vt exponit GVILIELMVS) *habente imaginem sponsi cœlestis ex impressione annuli, de quo S. Agnes dixit: Annulo suo subarrauit me Iesus.* Vede B.V.

Cant. 6.
Guilielm. sup. c. 6. Cant.

rum si à sponso vocatur Maria *fons signatus, & clausus*, quomodo infra appellatur ab eodem: *fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano?* si enim est *fons clausus*, quomodo *aquæ fluunt ab ea?* Et si aquarum suarum auara illas in se conclusas retinet, quo pacto dicuntur ab illa fluere, & communicari? Voluit certe Spiritus sanctus significare in Maria maternitatem cum virginitate coniunctam esse, vnde primo vocat eam fontem clausum aliunde aquas non recipientem, quia ex virili semine non conceperat: ecce virginitatem: vocat deinde eandē hortum aquarum fluentium, quia peperit Christum Dominum: *fontem aquæ viuæ salientis in vitam æternam*: ecce fœcunditatem. Vel aliter: *clausus puteus* erat B. Virgo, quia viro nunquam patuit, ipsa dicente: *Quoniam virum non cognosco*: aperta autem, & patens Spiritus sancti virtuti illam fœcundanti, iuxta verba Angeli: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*: vnde sicut conchilium ex parte inferiori omnino clausum est, ne terrestrē humorem sugat, ex parte vero superiori apertum est, vt cœlestem influxum recipiens pretiosam margaritam in se concipiat; non secus in Deipara Maria inferior portio animæ eius clausa erat omnino non solum libidini, sed & omni terrestri affectui, portio vero superior eiusdem cœlestibus imbribus, ac diuinis Spiritus sancti influxibus patebat, quibus ipsa plena, & locupletata copiose Ecclesiam Catholicam irrigat: recte ergo fontem signatum, & puteum aquarum viuentium, quæ fluunt de Libano, illam vocat.

Ioan. 4.
Luca 1.

X. FACIT ad idem secundum expositionem RVPERTI, ille alius CANTICORVM locus: *Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis.* Scio Doctores in varias abiisse sententias in expositione horum verborum: quidam enim per duo *vbera* intelligunt vetus, & nouum Testamentum, quibus Ecclesia lac suæ doctrinæ fidelibus propinat: Alii per duo vbera intelligunt duas tabulas legis Mosaycæ; alii amorem Dei, & amorem proximi significare autumant; alii ad virginem referentes aiunt, per duo vbera denotari duplicem eius maternitatem, primam naturalem respectu Christi, secundam spiritualem respectu fidelium, quos in filios adoptauit: sed melius RVPERTVS nostro argumento inseruiens docuit per duo vbera intelligi virginitatem Deiparæ cum fœcunditate coniunctam; vnde eleganter dixit: *Nulli vnquam fœminæ contigit, vt iisdem vberibus lactet filium, & Virgo permaneat, & sola vtrumque gratia tanta donum apprehendat.*

Cant. 4.
Rupert. super 4. Cant.

XI. ADHÆC sub nomine Melchisedech, sub quo Christum Dominum intelligi vnanimis est omnium Patrum sententia, quam verba DAVIDIS satis confirmant: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*: nec non & D. PAVLI ad HEBRÆOS scribentis, arcanum natiuitatis illius ex matre Virgine delitescit, vt auctor est D. GREGORIVS

Psal. 109.
ad Heb. 7.
D. Gregor.

Naz. orat. 38. GORIVS NAZIANZENVS: vbi affirmat Chriſtum Dominum in natiuitate ſua factum fuiſſe integrũ Melchiſedech, quia (vt acute ſatis adnotauit ibidem NICETAS eius interpres) Filius Dei ante Incarnationem erat ſemi Melchiſedech, qui licet ex Patre, non tamen ex matre proceſſerat, cum vero homo ortus eſt ex muliere, integer Melchiſedech factus eſt, vtpote qui ſine matre in æternitate, ſine patre in tempore genitus eſt. ſicut ergo (vt fingebant Antiqui) Minerua ex Ioue patre abſque matre, & Mars ex matre ſine patre; ita non ficte, ſed veraciſſime Chriſtum confitemur ab æterno ſine matre, & in tempore abſq; humano patre natum. *Gregor. in harmon. mundi cant. 2. tom. 6. c. 7.* Vnde FRANCISCVS GREGORIVS in harmonia mundi adnotauit, nomen *Ieſus* componi ex illis duobus nominibus *Iehoua* & *Miriam* ad ſignificandũ Chriſtum Dominum eſſe ex *Iehoua* ſine matre, & ex *Miriam* ſine patre, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

HOMILIA XII.

De integerrima Deiparæ Mariæ virginitate pulchra, & ſolida ex priſcorum Patrum ſelectioribus monumentis contexitur Catena, quæ ob ſingularem eruditionem ac vberrimam conceptionum animi copiam non poterit legenti non vtilis eſſe pariter & iucunda.

I.  LLVD ſanè non leue, imo irrefragabile argumentum eſſe arbitror aduerſus hæreticos, quod omnes Sancti Patres, nullo dempto, vnanimi conſenſu Mariæ virginitatem nunquam violatã conſtanter aſſeuerant, quos inficiari velle ſumma temeritas, perfricatæ frontis indicium, execranda inuerecundia, immo apertiſſima fatuitas & amentia eſt: maxime Chriſto Domino ad illos dicente: *Matth. 10.* *Non enim eſtis vos, qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Primum ergo huius catenæ annulum apponat

Cyrill. Ieroſol. catech. 18. II. D. CYRILL. IEROSOLYMITANVS, *qui perdocte, ac erudite aduerſus Deiparæ Mariæ virginitatis infeſtiſſimos hoſtes in hunc modum inuehitur.* [Perquire, vtrum eſt difficilius ſenem & ſterilem, mulieribus iam deficientibus, parere, aut virginem iuuenem generare? ſterilis erat Sara, & deficientibus iam mulieribus, præter naturam peperit. Igitur cum & ſterilem, & virginem parere ſit præter naturam, aut vtrumque nega, aut vtrumque concede. Idem enim Deus vtrumque operatus eſt. Neque enim audebis dicere, quod illic quidem poſſibile, hic autem impoſſibile eſt Deo.] *Et rurſus:* [Quæ natura manum hominis vna hora in diuerſas ſpecies mutare poteſt, & rurſus reſtituere? quomodo igitur Moyſis manus ſicut nix alba apparuit, & rurſus ſtatim albedine illa deſtituta eſt? Sed dices, quia Deus voluit, mutata eſt. illic Deus volens poteſt, hic autem numquid non poteſt? ac illud quidem ſignum ad Ægyptios tantum, hoc autem datum erat ſignum vniuerſo orbi. O Iudæi, vtrum autem difficilius eſt Virginem parere, aut virgam in animal mutari? Confitemini, quod tempore Moyſis rectiſſima virga ſerpentina ſpecie facta eſt, & horrenda fuit etiam proiicienti illam. Et qui ante tenebat virgam, paulo poſt fugiebat illam tanquam Draconem. reuera enim draco erat, fugiebat autem non metuens id, quod tenuit, ſed timens mutatum. Dentes habuit virga, & draconis oculos; de virga itaque oculi pullularunt, & de vtero Virginis puer non naſcitur Deo volente? Taceo hic, quod & virga Aaron, quod reliquæ arbores per annos plures faciunt, hoc per vnam noctem fecit. Quis enim neſcit, quod virga cortice deſtituta, etiamſi in mediis fluminibus plantetur, numquam florebit? Sed cum Deus non naturam arborum ſequatur, verum naturæ eſt fautor; etiam infructuoſa ſiccaque virga, & ſine cortice effloruit, & nucum fructum protulit. Qui igitur virgæ propter typicum ſummum ſacerdotem præter naturã fructum contulit: nunquid Virgini, vt verum ſacerdotem ſummum pareret, hoc non conferret? ô doctiſſimi Iudæi, *inquit*, vnde Adam factus eſt? Nonne Deus accepit puluerem de terra, & creauit creaturam hanc admirandam? Quid igitur? lutum quidem in oculum mutatur, & virgo non generabit? quod apud homines maxime eſt impoſſibile, numquid DEVS præſtare non poterit?]

III. D. CHRYSOSTOMVS *cognomento, os aureum, inter alia multa, quibus perpetuam Deigenitricis probat virginitatem, hæc nobis conteſtata reliquit:* *D. Chryſoſt. in Hipopanti Domini.* [Ancilla eſt Deipara, Virgo eſt, & mater. Nemo hic ambigat, ac dicat: quomodo ſi Dei ancilla eſt Maria, Dei quoque parens eſt? fide, ô homo, quæ dicuntur, apprehende; crede, inquam, & anxie noli perquirere. Alioquin ſi duntaxat ratione aſſequeris, quæ credere volueris, caue ne in periculũ teipſe coniicias. Si vero verbi internuncio, & Eccleſiaſtico fidem adhibueris, non tu rationem de fide tua, ſed Antiſtes redditurus eſt. Crede igitur his, quæ de Virgine à nobis dicuntur, neq; dubites eandem & Dei ancillam, & Dei parentem, tum rurſus virginem, & matrem profiteri. Ancilla quidem eſt, quia vera illius, qui ex ipſa prodiit, creatura; Deipara eſt, quandoquidem Deum ipſum, qui carnem ex ipſa ſuſcepit, enixa Virgo eſt, vtpote omnis virilis ſeminis omniſque concubitus expers: ac mater eſt denique, quod parens eius effecta ſit, quæ abſq; principio ab ipſo pariente ſuam habuit generationem]

IV. D. LEO PAPA, *qui aduerſus hæreticos frequenter rugiebat, ſic de Mariæ virginitate loquitur:* *D. Leo ſer. 2. de Nat. Dom.* [Humano vſu, *inquit*, & conſuetudine, quod credimus, caret, ſed diuina poteſtate ſubnixum eſt, quod

virgo

virgo conceperit, & quod virgo pepererit, & virgo permanserit. Non hic cogitetur parientis conditio, sed nascentis arbitrium, qui sic homo natus est, quia volebat, & poterat.]

Euseb. Emiss. homil. de Nat. Dom. V. EVSEBIVS EMISSENVS, *celebris inter antiquos Scriptor, sic Marianam Virginitatem extollit.* [Ecce absq; vllius seminis incremento de intacta ac rudi terra fœcundum germen ascendit, & de radice mortali vitæ arbor effloruit, & salutifera propago nullo plantante processit. Obstupescit natura rerum, Virgo procreat sobolem, nullum procreandæ sobolis experta consortem, & venienti in vitam homini per vnius confertur ministerium munus duorum. Creator ex creatura nascitur, & fructum ventris sui mater innupta miratur, ac fœmina auctoris sui auctor efficitur. Quid primum mirer? quidue postremum? quod sine conceptu est collata fœcunditas? an quod per partum magis est glorificata virginitas? sed non mirum, si ita peperit: talis erat ille cui nupserat: ait enim Angelus stupenti Mariæ: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*: *Lucæ 1.* Ecce præbitura Deo nascenti corporis sui habitaculum, prius mente efficitur Dei templum.]

Chrysip. de Virg. Deip. VI. CHRYSIPPVS *Virginem appellat solis ortum in hæc verba*: [Aue solis ortus, qui nullum ferre potes occasum: sol oriens orientem non inficit atrore, sed decorat splendore: ita Christus oriens oriẽtem suum, id est, Virginem, ex qua est ortus, non infecit corruptione, sed illustrauit admirabili in partu virginitatis conseruatione.]

B. Pet. Damian. ser. 3. de Nat. Domin. VII. B. PETRVS DAMIANVS *sic de eadem loquitur*: [O mirabiliter fœcunda virginitas, quæ nouo, & inaudito miraculo & mater dici possit & Virgo! Qui toto mundo non capitur, puellæ innuptæ membris infunditur. Sentiebat quidem pondera ventris, quæ pudorem non amiserat castitatis. Mirabatur partus insignia, quæ nulla viri nouerat contagia: erat spes in partu, cum non fuisset voluptas in coitu. Immensum concepit, æternum genuit, genitum ante sæcula parturiuit, qui sibi & munus fœcunditatis attulit conceptus, & decus virginitatis non abstulit natus.]

Greg. Naz. referente Canis. lib. 1. de Deip. c. 4. VIII. D. GREGORIVS NAZIANZENVS *de Christo patiente* carmina Græca edidit, quæ Latino sermone translata refert CANISIVS libro de Deipara:

[*Libidinis auersor, vt nec verbulo*
Audire pictura, nec eas feram aspicere;
Spernendo siquidem hac virginem animum possideo,
Testem facio, quem latere potest nihil, numquam vlla
Placuit, nec animum cepit Venus.]

Sed & alia in hunc modum scripsit:

[*Virginis ab aluo prodiit matris suæ,*
Clausoque surgens sepulchro exit velut antea
Infracto, seruans claustra quam castissime.]

D. Hieron. lib. 1. adu. Iouin. tom. 2. IX. D. HIERONYMVS *in eundem sensum hæc scripsit*: [Hortus conclusus, fons signatus, soror mea sponsa: Quod clausum est atq; signatum, similitudinem habet Matris Domini, matris & Virginis; & tamen hæc Virgo perpetua multarum est mater virginum,] *& infra Apologia aduersus Iouinianum eundem locum explicans*: [Hortus conclusus, ait, Maria fons signatus, de quo fonte ille fluuius manat iuxta Ioel, qui irrigat torrentem spinarum, quæ suffocant sementem patrisfamilias: Hæc est porta Orientalis, vt ait EZECHIEL, semper clausa, & lucida, operiens in se, vel ex se proferens Sancta Sanctorum, per quam sol iustitiæ, & pontifex noster ingreditur & egreditur:]

Greg. Niss. serm. de S. Christi Natiu. X. D. GREGORIVS NISSENVS *ea, qua solet, eloquentia præconia Deiparæ decantare, ser. quodam sic inquit*: [Ecce Virgo concipiet, & pariet filium. O miraculũ ingens, Virgo mater fit, & virgo permanet, & nec virginitas partum prohibuit, neq; partus virginitatẽ soluit; decebat enim eum, qui propter integritatem initium faceret ab ea, quæ natiuitati eius inseruiret, integritate atq; incorruptibilitate. Hoc mihi longe ante per eam, quæ ei per lumen facta est, Dei apparitionem, magnus ille Moyses animaduertisse videtur, cum ignis accenderetur ex rubo, & rubus non conflagraret, nec consumeretur: Transiens, inquit, videbo visionem hanc magnam. Non de loco ad locum, opinor, sed ad illud tempus transgressionem referens. Cum enim, quod intercessit, medium tempus transiret, id, quod nunc in flamma ac rubo per figurã significabatur, aperte in eo, quod in Virgine cõtigit, mysterio reuelatum est: vt enim illic frutex & incendit ignem, & non crematur: itidem etiam hic virgo, & lumen parit, & pariendo non corrumpitur.]

D. Bern. hom. 2. super Missus. XI. D. BERNARDVS *homilia quadã ait*: [Et nomen virginis Maria. Maria maris stella dicitur, & hoc nomen matri Virgini valde conuenienter aptatur. Ipsa namq; aptissime syderi comparatur, quia sicut sine sui corruptione sydus emittit radiũ, sic absque sui læsione Virgo parturit filium, nec syderi radius suam minuit claritatem, nec Virgini filius suam integritatem.] *Idem. Ber. serm. 7. de verb. Apocal.* *Et serm. de verbis Apocalypsis*: [Fulget etiam nouus ille conceptionis modus, vt nõ in iniquitate, sicut aliæ mulieres, sed superueniente Spiritu sancto verum Deum, & Dei filium genuit, vt idem ipse Dei, atque hominis filius, vnus omnino Deus, & homo prodiret ex Maria: abyssus est luminis, nec facile dixerim; quod vel Angelicus oculus ad huius vulgoris vehementiam non caliget. De cætero sane & virginitatem carnis, & propositum virginitatis, & ipsius quoq; propositi nouitas vehementer illustrat, vbi vero in promissione filii manifestum virginitatis periculum videbatur, non potuit vltra dissimulare, quin diceret: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* *Lucæ 1.* merito proinde & illam meruit benedictionem, & hanc non amisit, vt longe gloriosior fiat & virginitas ex fœcunditate, & ex virginitate fœcunditas, ac mutuis sese radiis illustrare hæc duo sydera videantur.]

D.Bernar. ser. 4. de Assumpt.

XII. Idem etiam D. Bern. *serm. in Assumptione:* [Vnum est, *inquit*, nec primam similem visa est, nec habere sequentem, gaudia matris habens cum virginitatis honore. Optimam partem elegit sibi Maria, optimam plane, quia bona fœcunditas coniugalis, melior castitas virginalis, prorsus autem optima fœcunditas virginea, seu fœcunda virginitas. Mariæ priuilegium est, non dabitur alteri, quod non auferetur ab ea: singulare est, sed continuo etiam indicibile inuenitur, vt nemo assequi possit, sic nec eloqui quidem. Quid si & illud adiicias: cuius mater, quæ iam poterit lingua etiam si angelica sit, dignis extollere laudibus Virginem matrem? matrem autem non cuiuscumque sed Dei.]

D. Epipha. hæres. 78.

XIII. D. Epiphanius *hac eleganter in idē argumentum scripsit:* [Quis vnquam aut quo sæculo ausus est proferre nomen S. Mariæ, & interrogatus, non statim intulit Virginis vocem? ex ipsis enim nominibus, epithetis etiam virtutis signa elucent; dignitatis enim appellationem acceperunt iusti, vnusquisque decenter, vt congruum fuit: & Abraham quidem impositum est epitheton, *amicus Dei*, & non dissoluetur: Iacob vero, vt *Israel* vocetur, & non alterabitur: Apostolis *Boanerges*, hoc est, *filii tonitrui*, non relinquetur; & S. Mariæ vox, *Virgo*, & non mutabitur, impolluta enim permansit, & sancta.]

Petrus Rauennas apud S. Ildephons.

XIV. Antiqvissimvs *item* Petrvs Ravennas, *cuius verba refert* D. Ildefonsvs *lib. de perpetua virginitate S. Mariæ, & eius parturitione, hac memoranda valde scripsit:* [Non te conceptus turbet, non te partus confundat auditus, quando virginitas quidquid est humani pudoris excusat: Quæ hic verecūdiæ læsio, vbi iniit diuinitas cum amica sibi semper integritate consortium? vbi est interpres Angelus, fides pronuba, despōsatio castitas, dotatio virtus, iudex conscientia, causa Deus, conceptus integritas, virginitas partus, virgo mater.] *Ac deinde de eodem.* [Stulte, vnde sordes in virgine matre, vbi non est concubitus cum homine patre? vnde sordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo est passa dolorem? Vnde sordes in domo, ad quam nullus hospes accessit, sed solus in eam fabricator Dominus venit? vestem, quam non habebat, induit eā, quia sicut inuenit, clausam reliquit; & sicut ille natus est solus inter mortuos liber, sic istius, ex qua natus est, matris pudor, solus integer est. Et ideo nemo vestrum iudicet humano modo, quod diuino geritur sacramento. Nemo mysterium cæleste discutiat ratione terrena, nemo ex vsu tractet nouitatis arcanum: nemo quod singulare est, vllo metiatur exemplo.

Orig. hom. 1. ex var. tom. 3.

XV. Origenes *exponens verba illa* Matthæi: *Cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto*, ait: [Mater eius, mater immaculata, mater incorrupta, mater intacta, mater eius. cuius eius? mater Dei vnigeniti, Domini, & regis omnium, plasmatoris & creatoris cunctorum: illius, qui in cœlis est sine matre, & in terra sine patre. O magnum, & inenarrabile sacramentum! ipsa eademque Virgo, ipsa & mater Domini, ipsa & genitrix, ipsa eius ancilla, plasmatio eius, ipsa quæ genuit. Et quis cogitare potuit, vt mater virgo esset, & intacta generaret, quæ & virgo permansit, & genuit? Sicut enim quondam rubus comburi videbatur, & ignis eum non tangebat; & sicut tres pueri in camino ignis inclusi habebantur, & tamen eos non lædebat incendium, nec odor fumi erat in eis; vel quemadmodum Danieli intra lacum Leonum incluso, claustris non apertis, allatum est prandiū ab Habacuc, ita & hæc Virgo sancta genuit Deum, sed intacta permansit: Mater effecta est, sed virginitatem non amisit.]

Orig. sup. c. 23. Matth.

XVI. Origenes *explicans verba illa* Matth. *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est, &c. vsque ad sanguinem, &c. inquit:* [Zachariam dici patrem Ioannis Baptistæ, de quo per canonicas scripturas ostendere non possum, quod Scribæ & Pharisæi interfecerunt eum inter templum, & altare; sed venit ad nos quædam traditio talis, & quasi sit aliquis locus in templo, vbi virginib. quidem cōsistere licet, & orare Deum. Expertæ autem thorum virilem non permittebantur in eo consistere. Maria autem postquam genuit Saluatorem, ingrediens adorare, stetit in illo virginum loco: prohibentibus autem iis, qui nouerant eam iam filium genuisse, Zacharias stetit, atq; dixit prohibētibus eam, quoniam digna est Virginum loco, cū sit adhuc virgo. Ergo manifestissime Zachariam aduersus legem agentem, & in loco virginum permittentem stare mulierem, occiderunt inter templum, & altare Iudæi.]

Basil. hom. 15. ex variis huius hom. tom. 2.

XVII. Hanc *eandem historiam docet* Basilivs *his verbis:* [Hæc historia ex traditione ad nos vsq; peruenit. Zacharias Mariam post Domini conceptionem in Virginum loco constituens à Iudæis inter templum & altare interfectus est: à populo namq; accusatus, quod rem prodigiosam, inauditamque prædicaret, Virginem videlicet parientem citra virginitatis corruptionem.]

Greg. Nyss. de sancta Christi natiuitate. D. Ambros. epist. 8.

XVIII. Eandem *etiam historiam reperio apud* D. Gregor. Nyssenvm. *Sed iam* D. Ambrosivm *audiamus dicentem:* [Quid incredibile, si contra vsum originis naturalis peperit Maria, & virgo permanet, quando contra vsum naturæ mare vidit, & fugit, atque in fontem suum fluenta Iordanis remearunt? non ergo excedit fidem, quod Virgo peperit, quoniam legimus petram vomuisse aquas & in montis speciem maris vnda solidata est. non ergo excedit fidem, quod homo exiuit de Virgine, quando petra pro fonte fluuium scaturiuit. ferrum super aquas natauit, ambulauit homo super aquas; ergo si hominem vnda portauit, non potuit hominem virgo generare?] *Et l. de institutione virginis c. 7. incidens in locum* Ezechielis: *Porta hæc erit clausa, inquit:* [Quæ est hæc porta, nisi Maria? ideo clausa, quia Virgo: porta igitur Maria, per q̄ Ezech. 44.

Christus intrauit in hunc mundum, quando virginali fusus est partu, virginitatis claustra non soluit, sed inuiolata integritatis durauêre signacula, cum exiret ex virgine, cuius altitudinem mundus sustinere non posset.]

D. Maxim. hom. 3. in Nat. Dom. XIX. *Et* D. MAXIMVS: [Non putes, *ait*, nouum hominem in aluo virginis Deum potuisse formare, qui cumprimum conderet hominem, nec semen patris, nec viscera materna quęsiuit? dic itaq;, quicumq; es supernæ dispensationis arbiter, & discussor, quę tibi videtur virtus eminĕtior, partū dedisse virgini, aut perfectū hominem creasse de terra? *Primus enim homo* (vt ait Apostolus) *de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis.* *I. Cor. 15.* Contraria horum esse contendis, quod in mysterio redemptionis nostræ sine viro puella asseritur concepisse. cuius quęso naturæ est, quod in parente generis nostri caro sine carne formata est? quæ est illa ratio, imo quam cæca contentio, vt non credatur Deum hominem facere posse de fœmina virgine, quem creditur fecisse de puluere? Si omnipotentis, ô homo, tali in negotio esse perspicis, cur de opere tractas? omnia enim, sicut legitur, Dominus quæ voluit fecit in cœlo, & in terra.] *& homilia 2. de Cruce, & sepultura*: [Vterum virginis comparat sepulchro Christi, in quo nondum positus quisquam fuerat: estque non parua similitudo inter hæc duo, cum & Maria virgo, & sepultura Christi virgo extiterit, siquidem *nondum in ea quisquam positus fuerat*: *Ioan. 19.* & sicut à sepulchro lapide illæso exiuit Christus, ita ex vtero materno illæsa virginitate prodiuit, & sicut sepulchrum signatum est, ita & vterus Mariæ signatus fuit signaculo, & sigillo virginitatis; & ideo Maria: *Hortus conclusus, & fons signatus* dicitur.] *Cant. 4.*

D. Fulg. ser. de laud. Maria. XX. D. FVLGENTIVS *hæc scribit*: [Qui dirupta corporis membra in aliis poterat integrare tangendo, quanto magis in sua matre, quod inuenit integrum, potuit non violare nascendo? Creuit enim eius partu integritas potius, quam decreuit, virginitas ampliata est potius, quam fugata.] *Et lib. 4. de Fide ad Petrum cap. 2.* [Quia in conditione generis humani, quæ de solo viro facta est, contigit, vt mortis vinculo teneremur obstricti, hoc in redemptione humani generis diuina bonitas egit, vt per virum, qui de sola muliere natus est, vita hominis redderetur. illic humanam naturam nequissima deceptione sibi diabolus in peccati similitudinem sociauit, hic Deus humanam naturam in vnitate personæ suscepit: ibi fœmina decepta est, vt fieret filia diaboli, hic virgo gratia repleta est, vt fieret mater summi, atque incommutabilis vnigeniti Dei. Ibi Angelus deiectus per superbiam seductæ mulieris animam obtinuit, hic Deus humilians se per misericordiam incorruptæ Virginis vterum ex ea nasciturus impleuit.]

Cyprian l. 1. cont. Iud. cap. 9. XXI. D. CYPRIANVS *ait*: [Non aliqua naturę iniuria matrem Domini læsit, quoniam sine tormento peperit, quæ in conceptione caruit voluptate: vltro maturus ab arbore baiula fructus elapsus est, nec oportuit vellicari, quod sponte prodibat.]

XXII. D. AVGVSTINVS: [Ipsa, *inquit*, lex sine graphio scripta est in tabulis lapideis; lege, & intellige, quod panem in heremo terra produxerit, cuius semen nullus induxerit arator. virga etiam Aaron. annis plurimis siccata in templo floruit, nuces produxit: ergo qui scripsit lapideas tabulas sine stylo ferreo, ipse grauidauit Mariam Spiritu sancto; & qui produxit panes in heremo sine aratore, ipse prægnantem virginem reddidit sine corruptione; & qui fecit virgam sine humore folia germinare, ipse fecit filiam Dauid sine semine. *D. Aug. serm. 14 de nat. Dom.* *Et in serm. in Dominica ante natale Domini ait*: [Dicat mihi Iudęus incredulus, quomodo arida virga floruit, & fronduit, & nuces protulit? & dicam illi, quomodo virgo conceperit, & pepererit:] *Idem* AVGVST. *serm. 63. de natiuitate Christi ait*: [Maria mater Christi electa est super omnes creaturas, & prælecta, vt de mūdissima matre mūdissimus nasceretur filius, quia sicut in cœlo habuit Christus patrem immortalem, & incorruptibilem, sic & in terra habet matrem omni corruptione carentem.] *Et lib. 3. de mirabilibus sacræ Scripturæ cap. 2. dicit*: [Contra cunctorum hominum conceptionis consuetudinem absque viri semine, & carnalis oblectamento voluptatis Virgo concepit, & sine damno virginitatis peperit] *Et li. 4. de symbolo, ad Catechumen. inquit.* [Aluus tumescit virginis, claustrū pudoris permanet, impletur vterus matris, sine vllo complexu patris: sentit prolem, quæ se ignorabat coniugem. Angelus ad virginem loquitur, à Virgine corpræparatur, Christus fide concipitur. Miraris hæc? adhuc mirare, parit mater, & virgo fœta, & intacta: nascitur filius sine homine patre, qui fecit & ipsam matrem.] *Ac tandem super Psalm. 21. perlepide dixit*: [Quare vermis? quia mortalis, quia de carne natus, quia sine concubitu natus. quare non homo? quia in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.]

XXIII B. IRENÆVS LVGDVNENSIS *eleganter dixit*: *B. Irenæus Lugdun. li. 3. c. 31.* [Quemadmodum Adam protoplastus de rudi terra, & adhuc virgine (nondum enim pluerat Deus, & homo non erat operatus terram) habuit substātiam, est plasmatus ex manu Dei, ita recapitulans in se Adam ipse Verbum existens ex Maria, quæ adhuc erat virgo, rectè accipiebat generationē Adæ recapitulationis.] *& li. 5. contra hæreses circa medium ait*: [Quemadmodū Eua seducta est per Angelum, ita & Maria, vt portaret Deum, euangelizata est per Angelum: & sicut illa seducta est, vt effugeret Deum, sic hæc suasa est obedire Deo; vt virginis Euæ virgo Maria fieret aduocata: & quemadmodum astrictum est morti genus humanum per virginem, soluatur per virginem]

XXIV. TERTVLLIANVS CARTHAGINENSIS in idem argumentum *inquit*: [In virginem Euam irrepserat verbum ædificatorium mortis, in Virginem ęque introducendum erat Dei verbum extructorium *Tertull. Carth. lib. de carne Christi post med.*

ctorium vitæ, vt quod per huiusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eua serpenti, credidit Maria Gabrieli, & quod illa credendo deliquit, hæc credendo deleuit. Sed Eua nihil tunc tale concepit in vtero ex Diaboli verbo: imo concepit; nam exinde vt abiecta pareret, & in doloribus pareret, verbum diaboli semen illi fuit. Enixa est denique diabolum fratricidam, è contra Maria eum edidit, qui carnalem fratrem Israel interemptorem suum saluum quandoque præstaret. In vuluam ergo Deus verbum suum detulit bonum fratrem, vt memoriam mali fratris eraderet.] *Ad calcem etiam libri de Mariæ perpetua virginitate disserit; & libro de Virginibus velandis contra Ebionem disputat: Docetq; ibidem, mulierem etiam posse Virginem significare Mariã:* [Quam, ait, Virginem vtique constat fuisse, licet Ebion resistat. Agnosco & Angelum Gabrielem ad Virginem missum, sed cum benedicit illam inter mulieres, etiam Virginem deputat: Benedicta tu inter mulieres. Sciebat & Angelus mulierem etiã virginem dici. Quod si ex Virgine natus est Christus, licet ex desponsata, tamen integra, agnosce mulierem, etiam virginem, etiam integram dici.]

D. Leo Papa serm. 5. de nat. Dñi. XXV. D. Leo Papa *in eam singularem incidit cogitationem, vt putaret, quod mirandus Christus ortus ex virgine nobis in hoc quoq; prosit, vt sacri baptismatis admoneamur, ac pulchram eius velut imaginem adumbrantem habeamus: verba eius sunt hæc:* [Originem, quam sumpsit Christus in vtero Virginis, posuit in fonte baptismatis. Dedit aquæ, quod dedit matri: virtus enim Altissimi, & obumbratio Spiritus sancti, quæ fecit, vt Maria pareret Saluatorem, eadem facit, vt regeneret vnda credentem: Omni homini nascenti aqua baptismatis est instar vteri virginalis eodem Spiritu sancto replente fontem, qui repleuit & Virginem, vt peccatum, quod ibi vacuauit conceptio, hic mystica tollat ablutio.]

Guaric. Abb. Ps. 45 XXVI. Beatus Guaricus Abbas, *qui tempore D. Bernardi mirifice floruit, multa in hoc genere argumenti eleganter, & erudite prosecutus est, quæ proinde ad locupletandam hanc auream catenam hic adiungẽda duxi: loquens ille serm. 2. in Annunciatione de cõceptu Christi in vtero Virginis, ait:* [Ab hoc ergo die Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster, Deus Iacob, quia hodie est Domini assumptio nostra, vt inhabitet gloria in terra nostra. Prorsus hodie benedixisti Domine terram tuam illam benedictam in mulieribus: Hodie dedisti benignitatem Spiritus sancti, vt terra nostra daret benedictũ fructum ventris tui; & rorantibus cœlis desuper vterus virginalis Saluatorem germinaret. Maledicta terra in opere præuaricatoris, quæ etiam exercitata spinas & tribulos germinat hæredibus male dictionis; ac nunc benedicta terra in opere redemptoris, quæ remissionem peccatorum, fructumque vitæ parturit vniuersis, & filiis Adæ præiudicium originalis dissoluit maledicti. Prorsus benedicta illa terra, quæ omnino intacta, nec fossa, nec seminata, de solo rore cœli saluatorem germinat, & mortalibus panem Angelorum, alimoniam vitæ æternæ ministrat. Hæc itaque terra, quia inculta erat, videbatur esse deserta, sed erat optimo fructu referta: videbatur esse heremus solitudinis, sed erat paradysus beatitudinis. Plane hortus deliciarum Dei: heremus, cuius campi germinauerunt germen odoris; plane desertum refertum, de quo agnum dominatorem terræ Pater emisit: Emitte (inquit) agnum Domine de petra deserti, id est, abscinde petram de petra, sanctum & inuiolabilem sancta & inuiolata proferat virginitas. *Isaia 16.* Sane in hoc ipso satis decenter Christi occasus ortui, sepultura respondet conceptioni: dum videlicet emittitur agnus de petra deserti condendus in petra monumenti, & cuius corpori monumentum excidendum erat in petra, ipse ab initio conceptus sui & corpus sibi excidit de petra, & corpori locum in petra; sic integritatem petræ, cum de ea emitteretur, non imminuens, sicut nec signatam sepulturæ petram, cum de ea egrederetur, aperiens. Si ergo petra Christus (vt ait Apostolus) non degenerat à matre filius, quando & ipsa petræ nomine censetur. An non recte vocatur petra, quæ & in amorem integritatis, proposito firma, affectu solida, sensu quoque ipso aduersus illecebram peccati tota insensibilis erat, & lapidea? An non recte petra virginalis integritas, quæ & nihil parit per naturam sui; & cum parit roris virtute diuini, nec admittens conceptum, nec emittens partum, nouit aperiri? Sed aperiatur terra (inquit Esaias) aperiatur, & germinet Saluatorem. O sancte Isaia, quid dicis aperiatur? quid ergo est, quod Dominus ad Ezechielem testatur: Porta hæc clausa erit, & non aperietur. *Isaia 45. Ezech. 44.* An tibi reseratum fuit tantummodo cõsilium fœcundandæ matris, & clausum tibi mysterium clausæ perenniter integritatis? Absit, inquit, nemo magis, quã ego conscius huius secreti. Quomodo enim me latuisset perpetuæ virginitatis mysterium, qui tanto ante prædixi: Ecce virgo concipiet, & pariet filium. Quæris igitur, quomodo dicamus ergo, aperiatur, si illa non aperietur? Non aperietur Domino (sicut ibidem ad ipsum dicitur Ezechielem:) vir non trãsibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam? Aperietur autem Domino non virginalis integritas corporis, quia (sicut Ezechiel post prędicta subdidit:) hęc clausa erit ipsi etiam principi, sed aperietur auris, & porta cordis, quia videlicet intrauit per aurẽ Virginis Verbum Incarnandum, & exiuit per clausam portam corporis incarnatũ. Pone me, inquit, vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum. *Cant. 8.* Iesus quippe impressus in corde, expressus in opere: sigillum plane, & munimentum est inuiolabile castitatis sponsæ suę, & eo ipso, quo se imprimit per imitationis formam, imponit etiam incorruptionis custodiam. Sit ergo, ô Virgo fidelis auris tua aperta ad audiendum, & mens tua ad credendum: auribus percipe verbum Angeli, &

corde

corde suscipe Verbum Altissimi, & corpore concipe filium Dei. Dic & tu, ô beata, tam humilis, quam fidelis, dic: Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico: retrorsum non abii: Ecce ancilla Domini, præsto sum eius voluntati, quin imo iuuabo votis, si possum: fiat mihi secundum verbum tuum.]

Luc. 2.
Ibid.

XXVII Rursus *idem* Guaricus Abbas *serm. de Annunciatione*: [Locutus est Dominus ad Achaz dicens: Pete tibi signum? non petam, inquit, & non tentabo Dominum. O religio prophana! ô pietas execranda! ô humilitas dolosa! Ne tentes (vt ait) Dominum, contemnis Dominum? Quomodo enim tentares, si fideliter obedires? Nunc autem quomodo non grauius tentas, quem manifesto contemptu irritas? Nouimus vtique, nouimus dolum, & inuidiam Iudaicæ radicis, quæ & antequam Christus nasceretur, inuidere cœpit gloriæ illius. Nam & iste Achaz, quantum ex vita & moribus ipsius intelligi datur, cultor idolorum erat, non alia religione aut metu signum recusauit petere, cum iuberetur, nisi ideo, scilicet ne Dominus glorificaretur. Sane mira, & plane digna ira Dei, & hominum, tam dira peruersitas Iudæorum, qui cum iubentur signa quærere, renuunt, non vt fingant, ne tentent, sed ne glorificent Dominum: cum non iubentur, tentant, & quærunt, & si dantur, calumniantur, & initiari contendunt, vt manifeste confiteantur, quia tentantes quærebant, non vt crederent facienti, sed vt insultarent non facienti. O gens peccatrix, semen nequam, filii scelerati, ait Isaias, nunquid parum est vobis molestos esse hominibus, mihi, & aliis prophetis, imo vniuerso generi hominum, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Quia enim vos in peruersum aduersum eum inceditis, & ipse, vt ait, peruersus incedet vobis. Nō vultis signum dari, ne glorificetur auctor miraculi: Et ipse propter hoc dabit, vt ipse glorificetur, & confundamini. Fac Domine, fac mecum signum in bonum, vt videant, qui me oderunt & confundantur, ait de Iudæis ad patrem filius. Primum autem signum, quod pater, & filius operati sunt in confusionem infidelium, & gloriam fidelium, in testimonium suæ virtutis, & opus nostræ salutis, arbitror hodiernum esse virginis conceptum. Nam de ipso cum præmissum esset: dabit Dominus signum, quasi quęrentibus, quod signum? intulit contextus prophetæ, verbis tamen Euangelistæ: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, vt plane aut consequentia vel veritate contextus careat, aut, quod est probabilius, mendacium Iudęorum latebram non habeat. Merito proinde cum iam generatio praua, & adultera signum quærit, signum non datur ei, nisi signum Ionæ, vt videlicet, quia ob peruersitatem mentis non ædificantur signo virtutis, scandalizantur signo infirmitatis, triduanæ sepulturæ, & mortis: nam verbum crucis & mortis Iudæis, qui pereunt, scandalum est; his autem, qui salui fiunt, id est, nobis, virtus Dei est: nec minor, aut inferior nobis est filius hominis in corde terræ, quam in consessu paternæ dexteræ. Signum quippe, quod illi recusauerunt, siue in profundum inferni, siue in excelsum supra, nos fide plena, ac vere ratione deuota suscipimus; agnoscentes filium, quem concepit Virgo, in profundo inferni, signum nobis esse liberationis & veniæ, in excelsum supra, signum & spem exultationis esse, & glorię. Qui. n. primum descendit in inferiores partes terræ, vt in sanguine testamenti sui extraheret vinctos de lacu, in quo non est aqua, ipse est, & qui ascendit super omnes cœlos, vt adimpleret omnia Iam leuauit Dominus signum primum in patibulo crucis, postmodum in throno regni: & exaltauit signum ad populos nationum, quia contradictum est ei à populo Iudæorū, & quotidie à quatuor ventis congregat dispersos filios Israel ad hoc signum. O radix Iesse, qui stas in signum populorum, super quem iam continent reges os suum. obstruatur etiam os loquentium iniqua, id est, Iudæorum blasphemantium, qui adhuc signo immaculati conceptus tui contradicunt, & nec Angelo Gabrieli credunt, quia non est impossibile apud te omne verbum Beata, quæ credidit, cui hæc ratio satisfecit, & cum quæsisset, quomodo filium susciperet, quæ non cognosceret virum? tam de integritate, quam de prole securam deinceps effecit. Quicquid ergo garriat impietas infidelium, nobis concipiat, & pariat Virgo filium: nos quippe signum habemus in bonum, etiam matrem, & filium: Nobis plane mater tota miraculum est, quæ singulariter, & sine exemplo mater est, & virgo: nobis filius totus miraculum, qui non solū singulariter, sed incomprehensibiliter Deus est, & homo: Mater virgo concipiens & pariens signum nobis est, quia Deus est homo iste, qui concipitur, & paritur.]

Guaricus Abbas ser. 3 de Annūt
Isaia 7.
Isaia 1.
Isaia 7.
Matth. 12.
Isaia 11.
Luca 2.

XXVIII. Theodorus Ancyræ Episcopus *in oratione de natali Christi in Concilio Ephesino habita dixit*: [O Virgo, quæ ipsum vicisti delitiarum paradisum: ille namq; sine semine omne plantationum genus protulit ex virgine terra, hæc autem Virgo illâ terrâ melior est, non enim pomorum protulit arborem, sed virga Iesse Saluatorem fructum hominibus afferentem; & illa terra Virgo erat, & ista virgo, sed illius quidem arbores nasci præcepit Deus, huius autem virginis ipse creator secundum carnem factus est germen.]

Theod. Ancyræ Episc. orat. de nat. Christ. append. 5. c. 2. tom. 6.

XXIX. D. Ildephonsus *li. de virginitate, S. Maria alloquens Virginem inquit*: [Quomodo fiet, quęris? de origine interrogas, de ratione perscrutaris, & de experientia requiris, de ordine sciscitaris? audi inauditum oraculum, considera inusitatum opus, animaduerte incognitum arcanum, attende iustum factum: Spiritus S. superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Tota inuisibiliter Trinitas conceptionem operabitur in te. Sola persona Filii Dei in corpore tuo nascitura carnem assumet de te; ideoque quod concipietur in te, quod

D. Ildeph. lib. de Virg. Maria c. 1.
Luca 1.

quod nascetur ex te, quod prodibit ex te, quod generabitur ex te, quod parturietur ex te, sanctum vocabitur Filius Dei, erit. n. hic magnus, erit hic Deus virtutú, hic rex omniũ sæculorum, hic factor omnium rerum: Ecce beata tu inter mulieres, integra inter puerperas, domina inter ancillas, regina inter sorores: Ecce. n. ex hoc beatam me dicent omnes generationes: beatam te nouerunt omnes cœlestes virtutes: beatam prædicant omnes vates, beatam celebrant omnes nationes: beata tu fidei nostræ, beata tu animæ nostræ, beata dilectioni nostræ. beata præconiis, & prædicationib. meis. Prædicem te, donec prædicanda es, laudem te, donec laudabilis es, seruiam tibi, donec seruiendum est gloriæ tuæ: Tu enim concipiens solum Deum, postremum sponsa facta es filij Dei. Tu generans simul Deum, & hominem, genitrix facta es filii Dei. Quem suscipiendo tantum, tibi hospes est Deus. Credula promissionibus Angeli, ideo dono fœcũdata es Spiritus sancti. Genuisti filium imperatoris quem adorant Angeli Deum in cœlis. Sine cõsortio virili Dei filium edidisti, & post fœtum illibata mansisti]

Ibid. XXX. Et *post pauca conuertens se ad hæresiarcham Iouinianum, his verbis eius petulantiam compescit:* [Audi quæso præcipue Iouiniane, corde sopito, fatue præcordiis, cognosce stulte, sensu disce caduce. Nolo pudorem nostræ Virginis corruptum partu causeris: nolo integritatem generatione decerpas: nolo virginitatem per exitum nascentis scindas: nolo virginem genitricis officio priues: nolo genitrici virginalis gloriæ plenitudinem tollas. Si horum vnum confundis, in toto confusus es: si hæc concordantia nescis; concordia veritatis ipse priuatus es: si hæc discordantia causaris, semper discors iustitiæ inueniris: si Virgini nostræ aut generationem, aut integritatem adimis, grandi dedecore Deo iniuriam facis. Negas enim valuisse incorruptam seruare, quem fateris absque corruptione adire virginem potuisse. Negas Deum, quod vellet facere, quiuisse, quem contendis genitricem integram inuenisse, corruptioni deditam reliquisse. Vt ergo asseris, omnipotentis diuinitas non profuit virginitati, sed obfuit, quia dum virgineum decus nascendo violauit, summam virginitatem destruxit: ac per hoc ipsum astruis Virginem deturbasse nascẽdo, quam decorauerat ipse creando. Obmutescat os talia proloquens: hebetescat cor talia meditans, adhæreat faucibus lingua talia promens, non respiret sermo talia narrans. Ecce e-
Matth.10. nim virgo ex Deo, virgo ex homine, virgo attestante Angelo, virgo iudice sponso, virgo ante sponsum, virgo cum sponso: indubitata virgo, etiam dubitante sponso. Virgo ante filii aduentum, virgo post filij generationem, virgo cum filij natiuitate, virgo post filium natum: verbo fœcunda, verbo repleta, verbo vberrima, verbi partu digna; humana quidem natiuitate, humana lege, humano sensu, humana conditione, humana veritate illęsa, incorrupta, inuiolata, intemerata, integerrima vere. Diuino autem munere, diuino fauore, diuina collatione, diuina adinuentione, diuino dono, diuino concessu. Nouo opere, noua efficacia, noua operatione, nouo effectu partus. Cum conceptu virgo, per conceptum virgo, in conceptu virgo, post conceptum virgo, in partu virgo, cum partu virgo, post partum virgo. Virgo cum nascituro, virgo cum nascente, virgo post filiũ natum. Coniux dicta, & virgo coniux assumpta, & virgo coniux credita, & virgo cum coniuge simul & prole perennis virgo. Ignota semper coniugio, ignota cõplexu, ignota tactu, ignota maritali collegio. Et tunc certe, tunc non dubie, tunc vere, tũc veraciter sancta virgo, beata virgo, gloriosa virgo, honesta virgo, sed post generationem Incarnati Verbi, post natiuitatem Dei hominis facti, post generationem in Deo hominis assumpti, post natiuitatem Deo homini vniti. Sanctior, & sanctissima virgo, beatior, & beatissima virgo, gloriosior & gloriosissima virgo, nobilior, & nobilissima virgo, honestior, & honestissima virgo, augustior, & augustissima virgo]

S. Ildeph. lib de Virg. Maria c.2. XXXI. *Deinde c. 2. orationis suæ aculeos contra alium hæresiarcham intorquens, hæc præclara ei obijcit:* [Audi ergo & tu Heluidi, ad me attende impudorate, me ausculta impudice, me intuere inhoneste, me conspice inuerecunde. Quid impudicitia commoueris? Quid inhonestus accedis? quid sine reuerentia occurris? quid sine pudore vexaris? Quare virginis nostrę principia corruptionis fine coarctas? Quamobrem initia pudoris exitu actæ procreationis infamas? cur integritatem diuinitate sacratam humana coniectatione deturbas? nolo huius maiestatis vim irrumpas: ne possessionẽ Dei conuexare ausu pertentes: ne mansionem diuinitatis audeas præsumptione contemnere: ne domũ Domini iniuriis corruptionis confodias: ne portã domus Dei eius in exitu clausam à quocumq; posse adiri contendas. Virtutum Deus est Dominus possessionis huius, Cœlorum rex, est possessor iuris istius Omnipotens, est artifex ædificii huius. Solus egressor, & custos est portæ egressionis huius. Nemo cum illo ingressus est, nemo egressus, in adeundo eam nemo socius, in egrediendo nemo sodalis. Qualiter introierit, nemo nouit: qualiter exierit, egressio sola cognoscit: absque veste Deus (vt ita dicam) ingreditur, qui (vt certe dicam) carne vestitus egreditur, ad domum sui operis venit, carnis tantummodo vestem tulit. Idem, qui venerat, rediit, sed aliter, quam incesserat, ipse inde processit. Hanc domum ingrediens non pudoris spolia tulit, sed egrediens integritatem donauit: à Domino quidem erat fundata, sed aduentu Domini nondũ plena, nunciante Angelo fundatoris sui cognouit aduentum, & nouæ congregationis admiratur accessum, habitatorem esse sibi cognoscit, & qualiter in abditis agat, plene non penetrat. Verumtamen animi virtutes parat in officia virtutis, defert Do-

mino

mino debita iura conditionis, quod ille cœlo præsidens iusserat, hæc in se recepto ministrat. Approbat se conditori suo mundam carnem, simulque animam præparasse, quę & spiritualia obsequia carnali filio detulit. Et Dominum suæ carnis incorrupta, & incommutabili veritate vestiuit. Definito tempore hunc, qui venerat, egredi sentit, & placido egressionis læta processu aliter procedentem inspicit, quam accedentem sciuit, suæ carnis veritate hunc videt esse vestitum, & in se sui nitoris, ac pudoris integritatem minuisse non sentit, sed potius creuisse cognoscit.]

Ibid. XXXII. Et *paulo inferius eodem capite hæc dulcissima scripsit.* [Ecce enim insolito modo, insolito vsu, insolito ordine, insolito iure, in vna persona, in vno corpore, in vna conditione, in vna ætate: alternat honor matris, & virginis, & alternat pudor virginis, & matris: alternat in generante virginitas, alternat in virgine generandi facultas, & neutrum cedit vlli, & vtrumque in alterutrum deriuatur, & neutrum impeditur ab inuicem, & ambo properant sibi. Vtrumque seruatur in proprio, vtrumque trãsit in alterum: quia ambo vnum, qui duo idem, quia diuersa idipsum; quam distinctum accidens, quia indiscretum concurrens, quia indifferens superuentum. Non matrem virginitatis deserit Deus, non virginem maternus impedit partus, & virginem non violat fœtus: & matrem nobilitat pudor virgineus, & virginẽ nobilitat fœtus, & matrem non violat pudor virgineus Sicq; matris & virginis nomina nullis dissociata sunt casibus, nullis impedita difficultatibus, nullis læsa prouentibꝰ, nullis dubia rebus. Indiscreta vtraque, inseparabilia vtraq;, indissecabile totum, indiuisibile totum. Accidit aliquando, vt esset mater, quæ virgo erat, aduenit, vt generaret, quæ nusquam corrupta vsu generis maneret. Affuit, vt parturiret, lege parturitionis ignota. Occurrit, vt existeret in filio integra, quæ in coniuge non extiterat diminuta. Sed illud est inæstimabile, illud incomprehensibile, illud inenarrabile, illud admirabile, illud inauditum, illud inuisum, illud inusitatum, vt virginitas conceptu clarescat, vt partum virginitas comitetur, vt generatio adsignet virginem, vt virginitas probet matrem; matrem quoq; vt virginitas glorificet, virginem, vt grauitas matris ornet, vt decus maternum virginitas assequatur, vt decus virgineũ matris fœcunditate seruetur: ita maternam virgo accipit veritatem: ita virginis gloria transit in genitricem: ita nomen genitricis accidit in virgine, sic venit, sic adfuit, sic occurrit, vt si matrẽ quærã, virgo est; si virginem quęrã, mater est; si florẽ quærã, virginis est; si pudorẽ quęrã, matris õnino est.]

XXXIII. Rursus *post hæc capite tertio cõtra Iudæos hæc tela conijcit.* [Quid dicis, o Iudæe? quid proponis? quid astruis? quid obiicis? quid obiectas? ecce virgo nostra ex stirpe, tua est; ex genere, tua est; ex radice, tua est; ex gente, tua est; ex populo, tua est; ex plebe, tua est; ex natione, tua est; ex origine, tua est. Verũtamen ex fide, nostra est; ex reuerentia, nostra est, ex honorificẽtia, nostra est; ex laude, nostra est; ex glorificatione, nostra est; ex dilectione, nostra est; ex amore, nostra est; ex prædicatione, nostra est, ex pręconio, nostra est; ex defẽsione, nostra est; ex vindicatione, nostra est. Quod enim tibi Spiritus sanctus de illa per Prophetas prædixit, per oracula intimauit, per figuras innotuit, per pręcedentia promisit, per subsequentia compleuit, te negante, te non credente, te abnuente, te respuente, te resultante, te blasphemante, ego noui, ego credidi, ego sapio, ego vereor, ego honoro, ego glorifico, ego amplector, ego amo, ego diligo, ego prædico. Quia me gratia præuenit, fides impleuit, misericordia subsecuta est, amor prouexit, & rei huius gloria exaltauit. Te autem quæ perfidia auertit? quæ prauitas occupauit? quę cæcitas adiit? quis error obtinuit? quæ obstinatio indurauit? Dicito, quare non credis in genere tuo puerperam Virginem Mariam? quare non credis sine viro virginem concepisse? quare non credis proprium virginem gestare filium? quare non credis sine viro virginem manere post partum? An illo mendaci genere illinitus, illo primæuæ perfidiæ veneno crapulatus, illo parentalis fallaciæ argumento confusus, illo infidæ persecutionis actu peruersus, illo antiquæ pertinaciæ munimento firmissimus in sacris literis, adolescentulam non Virginem parere posse causaris? Plane mentiris, fallax es, & falleris, falso criminaris, falso proponis, falso contendis, falso arguis, falso defendis. Si enim (vt ais) iuuencula non virgo parere posset, quod signum, sicut promisit, daret Dominus? quod miraculum faceret? quid admirabile demonstraret? quid inusitatum ostenderet? si iuuencula pareret, quod consuetudinis erat; si puella pareret, quod ætatis erat, ꝙ mirabile fieret? si adolescens fœmina parturiret, quod teneritudinis erat? si non impar matrimonio pareret, quod naturæ simul, & temporis erat? Cuius interdum maxima cura de sponsi manet electione solicita? Cuius mens de futuræ coniunctionis est expectatione peranxia? cuius vota sunt secundum sodalium experientiam non incerta? Sed vere illud esset signum, si virgo pareret, & integra esset. Illud efficeret nouitatem, si virgo parturiret, & integra esset. Illud efficeret nouitatem, si virgo parturiret, & pudore nitesceret. Illud haberi admiratione condignum, si virgo generaret, & incorrupta consisteret. In illo ostendi miraculum, si humana conceptione fieret, quod humana natura nesciret. In illo dari signum, si nulli maritata viro, fieret pariens virgo. In illo rei stuporem fieri, si fœmina & virginalibus simul, & maternis inseruiret officiis. In illo facti admirationem peractam iri, si vno mulier tempore lætaretur præmiis simul & pudoris, & prolis.] Esa. 7.

D. Ildelph. lib. de virginit. Maria cap. 10.

XXXIV. *Ac tandem cap. 10. ad Archangelum Gabrielem sermonem dirigens, in hæc verba illum affatur:* [Tu sancte Gabriel, Angele Domini, qui mitteris ad Vir-

ad Virginem Israel; qui venis ad matrem Domini; qui properas ad singulare virgineum decus in mundo; enarra, quid incorruptius, quid sincerius, quid integrius, quid solidius inter virginitatem maternam, & conditionem angelicam? inter virgineam fœcunditatem, & angelicam formationem? inter incorruptibile virgineum decus, & angelorum exordium? inter pudorem prole peraustum, & angelicæ nobilitatis initium? Virgo, quæ fœcundatur, & non corrumpitur, an angelica celsitudo, cuius pars in ruina prostratur? decus Virgineum, quod post partum enitet, an nobilitas angelica, quæ post gloriam culminis damna sustentat in sociis? integritas materna, quę post partum prolis concrescit in gloria Virginis, an conditio angelica, quæ detrimentis læsa est in eiectis? Beatitudo matris, quæ inde fit generatio Dei, vnde nescia corruptionis est Angelicæ plebis tuæ, quæ ante soliditatem incurrit diminutionem partis multitudinis suæ. Certum est, quod Angelorum castra superbia rupit, cuneos eorum præsumtio minorauit, plebes ipsorum prauitas diminuit, turmas ipsorum elatio collisit. Nam virginitatem Dominæ meæ genita proles nec introiens, nec exiens læsit, nec cōcepta, nec nata violauit: nec eam, cum hospitaretur in illa, tristauit, nec illam, cum egrederetur, in corruptione priuauit. Hanc ergo fœminam conceptio virginem reddit, hanc fœminam partus Virginem seruat, hanc fœminam generatio virginem habet, hanc fœminam filius ita post exitum nouit, sicut ante conceptum inuenit. Et huius vere virginitas semper incorrupta, semper integra, semper illæsa, semper inuiolata. Nam Angelicæ forma naturæ ante soliditatem fragilis, ante firmamentum labens, ante stabilitatem ruens, ante robur titubans, atque nutans. Hæc fœmina satisfactionis vas est, æternitas virginitatis est, Mater Dei est, Sacrarium sancti Spiritus est, templum singulariter vnicum factoris sui est.]

Prudent. XXXV. *Accedat ad auream hanc contexendam catenam annulus* PRUDENTII *Marianam virginitatem in hunc modum decantantis:*

Intacta thalami virtus diuina puellam
Sincero afflatu per viscera casta maritat,
Incomperta ortus natiuitas iubet, vt Deus esse
Credatur Christus, sit conditus, innuba Virgo
Nubit spiritui, vitium nec sensit amoris:
Pubertas signata manet, grauis intus, & extra.
Incolumnis flores de fertilitate pudica
Virginitas, & prompta fides Christum bibit aluo
Cordis, & intactis condit paritura latebris.

Sedulius lib. 2. op. Pasch. XXXVI. SEDULIUS item hæc eleganter, & compendiose cecinit;

Et velut in spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil quod lædat habens, matremq; obscurat honore,
Sic Eua de stirpe sacra veniente Maria,
Virginis antiqua facinus noua virgo piaret,
Angelus intacta cecinit, properata Maria.
Et dictum comitata fides, vtrumq; puellæ
Sydereum mox implet onus, rerumq; creator
Nascendi sub lege fuit: stupet innuba densos
Virgo sinus, gaudetq; suum paritura parentem.

XXXVII. MODERNUS *auctor* CANISIUS *eruditione, & styli grauitate antiquis scriptoribus nō impar, præter multa, quæ aduersus hæreticos disputans adducit, hæc in comprobationem Marianæ virginitatis scripsit:* [Quæret autem aliquis, vbi, & quando iudicauit Ecclesia, vt de perpetua Deiparæ virginitate fides, & doctrina certa constituatur? Respondemus, hoc dogmatis genus inter illa recenseri, quæ Apostoli, nostræ fidei principes, viua voce magis quam scripto (vt BASILIUS, & EPIPHANIUS comprobant) Ecclesiæ initio tradiderunt; quæq; porro Ecclesia, cum aduersariorum procacitas, & publica vtilitas ita postularet, conceptis etiam verbis contestata est. Extat liber non vulgaris de Ecclesiasticis dogmatibus, AUGUSTINO ascriptus, quisquis eum tandem cum ex aliis Patribus, tum ex Augustino primum collegit, in quo etiam hæc fidei traditur regula: Integra fide credendum est, beatam Mariam Dei Christi matrem, & virginem concepisse, & virginem genuisse, & post partum virginem permansisse. Necesse blasphemiæ Heluidii acquiescendum, qui dixit: Fuit virgo ante partum, non virgo post partum. Hanc fidei regulam repetit ISIDORUS HISPALENSIS (cui fortasse totus ille liber debetur, sicut etiam inter eius opera legitur sub hoc titulo: Liber de doctrina, & fide Ecclesiasticorum dogmatum. Quid vero impedit, quo minus ad perpetuam Deiparæ virginitatem astruendam referamus, quod AUGUSTINUS ad Laurentium scribens affirmat? Totam, ait, confiteri Ecclesiam, quod Christus de Virgine Maria nascatur. Mox vero lectorem admonet de legendo libro, quem nūc extare non arbitror [de virginitate sanctæ Marię,] nisi fortasse sit cum illo vnus & idem, qui de sancta virginitate ab eodem D. AUGUSTINO inscribitur, cuius mentionem quoque facit in libris Retractationum. Iam vero SYNODUS, quæ Nicææ secundo celebrata est, hunc proponit Athematismū: [Si quis non confitetur Sanctam semper Virginem Mariam proprie, & vere Deiparam, anathema sit:] vbi præterea legimus, *Mariam immaculatam*, & explicite, *castitatis matrem* appellari. Nec temere factum est, quod sancta hæc & gloriosa semper Virgo dicitur in CONCILIO CONSTANTINOPOLITANO, sicut eadem Dei genitrix, semperque virgo, & immaculata, in LATERANA SYNODO, quæ sub Martino Primo est habita, prędicatur. Ad hæc SOPHRONII epistola circumfertur, eaque digna iam olim visa Patribus, quæ in Constantinopolitana Synodo recitaretur, atque approbaretur. Huius autem testimonio Mariæ virginitas illibata est, quam ante partum, in partu, & post partum intemerabilis præseruauit. Postremo apud AMBROSIUM epistola legitur multorum quidem Episcoporum nomine promulgata, & illos anathemate feriens, qui dixerint, immaculatam Christi genitricem Mariam concepisse quidem salua virginitate, sed non peperisse,

Canisius lib. 2. de Deip. c. 16.

Basilius lib. de Spiritu sancto c. 27.

Epiphan. contra Apostolic. hæres. 16.

Cap. 64.

Isidor. c. 53.

De Enchirid. c. 34.

Retractationum lib. 2. c. 23.

Ex Can. 3.

D. Ambr. in Epist. 81.

[*Epist. 79.*] periſſe. Ac rurſus idem AMBROSIVS aliam ſcribit Epiſtolam, in qua cōfirmat iudicium Epiſcoporum, illos plane damnantium, qui Mariam poſt partum haud manſiſſe virginem, ſed plures ex Ioſepho generaſſe filios mentiebantur. Loquitur autem AMBROSIVS de Synodo Thelenſi, cui & ipſe dicitur interfuiſſe, quamque Syricius Pontifex confirmauerat. Accedit, quod ſolemni Eccleſiæ ritu iam olim receptum, & probatum cernimus, vt contra Heluidianorum, Antidicomarianitarum, & Hæreticorum omnium linguas, menteſque blaſphemas in templis publice decantetur, quemadmodum Orthodoxos omnes de Maria ſentire, & profiteri par eſt: [Beata es virgo Maria quæ omnium portaſti creatorem: genuiſti, qui te fecit, & in æternū permanes virgo.] Ac rurſus: [Virgo Deum, & hominem genuiſti, & poſt partum virgo inuiolata permanſiſti.] Et complures quidem hymni de more veteri decantantur, in quibus eadem veritas publice confirmatur, nimirum gratulante ſibi Eccleſia de Mariæ perpetua virginitate, velut de monili precioſiſſimo. Hinc illud carmen ex FORTVNATO repetitum:

[*In hymno,*] *Radix Ieſſe iam floruit, & virga fructum edidit,*
Fœcunda partum protulit, Deivirgo mater permanet.

Agnoſcat omne ſæculum.

XXXVIII. *Ac tandem vltimum annulum huic catenæ adnectat* CARDINALIS BARONIVS, *vir hoc noſtro ſæculo pietate, & doctrina conſpicuus, qui primo tomo annalium in principio hæc ſcripſit:* [*Card. Baron. tom. 1. Annal. fol. 58.*] [Cum naturæ Dominus gignitur, naturæ legibus non tenetur, quæ conceperat ſine viro, parit ſine dolore, & quæ virgo ſemper fuerat ante partum, æque permāſit in partu, ac ſubinde eadem perſeuerauit poſt partum. Vnde in Eccleſia Dei à perpetua virginitate conſecuta eſt cognomentum: nam quantumuis Dei mater eſſet, quo excellentior nullus eſt titulus, tamen nunquam nominari à maioribus conſueuit ſine ſuperaddito cognomine Virginis] Vnde in hanc ſententiam hæc EPIPHANIVS: [*Epiph. hær. 78.*] [O quis vmquam, aut quo ſæculo auſus eſt proferre nomen ſanctæ Mariæ, & interrogatus non ſtatim intulit Virginis vocem? Ex ipſis enim nominibus, epithetis, etiam virtutis ſigna elucent: dignitatis enim appellationem acceperunt iuſti, vnuſquiſque decenter, vt congruum fuit, & Abraham quidem impoſitum eſt epitheton, amicus Dei, & non diſſoluetur: Iacob vero, vt Iſraël vocetur, & non alterabitur: Apoſtolis, Boanerges, hoc eſt, filius tonitrui, & non relinquetur: & S. Mariæ vox, Virgo, & non mutabitur, impolluta enim permanſit, & ſancta.] hæc Epiphanius. Quæ ergo in partu, & poſt partum Virgo diuina virtute permanſit, æque ſine dolore parturiit, nec aliquo indiguit obſtetricantis obſequio; ſed ipſa genitrix, & obſtetrix deuotam dilectæ ſoboli exhibet clientelam, attrectat, amplectitur, iungit oſcula, porrigit mammam: totum negotium plenum gaudio, nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio.] [*Apud Cyp.*] hæc apud Cyprianum. nihil ſane commune cum cæteris mulieribus habuit, vt non, ſicut illæ, peccati pœna ita expoſcente, cum dolore pareret, vel quæ partum ſequuntur, experiretur moleſtias laſſitudinis.] [*de ape. card. in na. Chriſti.*] *hinc &* S. ZENO EPISCOPVS VERONENSIS *de his agens, hæc ait;* [*S. Zen. Epi. ſer. 6. de nat.*] [Non mater eius tanti partus pondere exhauſta totis pallens iacuit reſoluta viſceribus: non filius matris aut ſuis eſt vllis ſordibus delibutus; neque enim reuera aliquid circa ſe habere poſſet immundum, qui humani generis peccata, ſordes, & maculas venerat mundaturus; denique purgationes, quæ ſunt tarditate periculoſæ, nullo puerum maternorum viſcerum ſecutæ ſunt damno, nulla adhibita rudiferæ, ſueto more, fomenta; neque enim fratres, his poterat indigere, quæ accipere in vterum meruerat animarum omnium Saluatorem.] Hæc ille. Quæ autem mox ſubdit de pœna incredulæ obſtetricis, & ſoſpitate eidem reſtituta, haud dubium ex apocryphis eſt mutuatus, ſic enim ait: [Maria incorrupta concepit, poſt conceptum Virgo peperit, & poſt partum virgo permanſit. Obſtetricis incredulæ periclitantis enixa in teſtimonium reperta eiuſdem eſſe virginitatis, inceditur manus, qua tacto infante, ſtatim edax illa flamma ſopitur: ſicque illa medica feliciter curioſa, dum admirata mulierem virginem, admirata infantem Deum, ingenti gaudio exultans, quæ curatum venerat, curata receſſit.] hactenus Zeno: ſed non aliunde, vt diximus, quam ab apocryphis accepta. Refelluntur prædicta de obſtetricis obſequio ex his, quæ ATHANASIVS ſcribit his verbis: [*Athan. ſer. de nati. Chriſti apud Lip. tom. 8.*] [Quæ ſine dolore aliquo mater fuit, eadem & obſtetricis munere functa eſt, cum à nulla muliere didiciſſet: non enim permiſit quemquam impuris manibus attrectare partum ab omni labe purum: illa per per ſe eum qui ab ipſa, & pro ipſa genitus eſt, ſuſcepit, pannis inuoluit, & in præſepio reclinauit, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

HOMILIA XIII.

Omnia, quæ tàm Gentiles, quàm Iudæi, & Hæretici aduerſus integerrimam Mariæ Virginitatem obiectant, inania & futilia eſſe commonſtrantur.

I. CVM D. ILDELPHONSVS in libro de perpetua Virginitate Mariæ, & eius parturitione dicat: [*D. Ildelph. lib. de virginit. Maria, cap. 1.*] [Pro ea cōtra hæreticam prauitatem dimicare ac vincere opus eſt Spiritus ſancti, qui eam obumbrauit, vt ſine coitu viri, & ſine vlla corruptione Deum & hominē pareret, virgoq; ſemper maneret:] liceat mihi (quamq̄ nonnihil concionatorii muneris limites tranſilire videar,) vt q hucuſq; diuini Spiritꝰ (vt arbitror) fauēte aura, quib. potui argumētis, & monu-

mentis perpetuam Dominæ meæ Deiparæ Mariæ virginitatem constabiliui, eamdem ab Hæreticorum calumniis, & cauillis nunc acerrime vindicem.

II. Impvdentissimi Hæretici vehementer in illam debacchati sunt, diuersimode tamen: nam Ebionitæ (teste D. Clemente lib. 6. constit. cap. 6.) & Corinthus, & Carpocrates (vt referunt D. Irenævs cap. 26. & Tertvll. lib. de præs. hæreticorũ cap. 38.) in ea sacrilega fuerunt sententia, vt dicerẽt Virginem concepisse ex Iosepho, quem putabant esse verum patrem Christi Domini. Alii vero, vt Iouiniani (auctore D. Avgvstino libr. de hæresibus cap. 82. & libr. 2. contra Iulianum fere in principio) & Gualtherus cum multis eius asseclis (vt scribit Tritthemivs in Chron. anno 1315) Molineus, & Protestantes huius nostræ tempestatis affirmant, beatam Virginem in conceptione seruasse virginitatem, illã tamen in partu amisisse. Alii tandem hęretici, quos vocãt Antidicomarianitas, id est, Mariç contrarii (vt referunt D. Hieronymvs cõtra Iouin. & D. Avgvstinvs hæresi 84. & D. Hilarivs Can. 1. in Matth.) affirmarunt, beatæ Mariæ virginitatem tam in conceptione, quam in partu integram permansisse, postea tamen dicunt violatam fuisse per actus matrimoniales cum Iosepho.

III. Ad hæc hæretica deliramenta mouentur: Primo, quia in sacra Scriptura sæpe dicuntur nonnulli *fratres Christi*: non ergo semper virgo seruauit virginitatem. quod si respondeas cum D. Hieronymo contra Heluidium, & cum D. Avgvstino lib. 22. contra Faust. cap 35 *fratres Domini* ita appellari propter sanguinis propinquitatem, non quia nati fuerint ex Maria: Contra obiiciunt, quia si solutio hæc semel admittatur, nullus erit firmus locus sacræ Scripturæ ad probandum aliquos fuisse veros fratres, quia quisque poterit dicere, ita appellari propter sanguinis propinquitatem, nõ quia ex eadem matre ortum habuerint: tum quia Diuus Matth. cap. 1. vocat Christum primogenitum Mariæ; habuit igitur alium secundogenitum, cum primum non nisi per relationem ad secundum dicatur. Quod si eisdem aliter respondeas cum Epiphanio hæresi 51. & Origene in Matth. 3. Oecvmenio, & aliis Patribus Græcis: *fratres Domini* appellari eos, qui erant filii Ioseph ex alia vxore, quam antea habuerat, & ideo sicut Ioseph, secundum vulgi opinionem, erat pater Christi, sic filii Ioseph, secundum eandem, erant fratres Christi. Contra obiectant, quia in Euangelio assignatur manifeste alius pater fratrum Domini præter Ioseph: nam Iacobus minor, qui *frater Domini* dicitur, appellatur Iacobus Alphæi apud Marcvm & Lvcam: vbi etiam Iacobus maior dicitur Iacobus Zebedæi: est autem euidens, sic appellari, quia ille filius erat Alphæi, iste Zebedæi: nam secundum phrasim sacræ Scripturæ filius à nomine patris cognomen accipiebat, prout tunc moris erat, vt clare constat ex lib. Machab. vbi Alexander Philippi dicitur, quia filius Philippi erat. Ad hãc obiectionem, omissa secunda solutione, admitto primam: ad impugnationem vero illius primam respondeo, quod licet ex vi huius vocis, *frater*, non colligatur semper esse verum fratrem, colligitur tamen ex contextu id & ex aliis sacræ Scripturæ locis, vbi id palam traditur. Ad secundam vero impugnationem respondeo, primogenitum dupliciter posse sumi, positiue, & negatiue, positiue, quando dicit relationem ad secundogenitum; negatiue vero, quãdo solum importat negationem prioris filii, sicut quando in lege præcipiebatur offerri primogenitum, sine dubio comprehendebatur vnigenitus, alias nemo obligaretur ad offerendum vnigenitum, quousq; nasceretur alius secundogenitus, quod est aperte falsum. Vel aliter dici potest, Christus primogenitus non respectu sequentium carnalium, cum nullum alium habuit, sed respectu adoptiuorum, licet enim vnicum Virgo in sanctissimo vtero genuerit, in eo tamen spiritualiter facta est mater magnæ multitudinis filiorum, quorum Christus est primogenitus. Ac tandem aliam D. Epiphanii accipe acutam intelligentiam in eo, quod dixit Euangelista *filium suum*, significauit ex Virgine secundum carnem genitum esse, in cognomine vero *primogeniti* non amplius vocem *suum* apposuit, sed *primogenitum* solum: quasi diceret: peperit filium suum Virgo, primogenitum vero æterni patris. Subiungit etiam idem S. Epiphanivs duplicem aliam interpretationem in hæc verba: *Primogenitum*, inquit, *quoniam primogenitus est, priusquam essent creaturæ, & primogenitus inter multos fratres, iuxta Apostolum, non iuxta eum, qui est à Maria, velut alii sint ex ipsa, sed inter eos, qui digni facti sunt accipere per ipsum adoptionem in filios.*

Marc. 3.
Luc. 6.
Mach. 1.
Epiphan. hæres. 78.
D. Epiph. ibid.

IV. Secvndo obiiciunt hæretici duplicem locũ sacræ Scripturæ: primus est ille, quem ex veteri lege, Exo. 13. refert D. Lvcas: *Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur:* vbi Israelitis præcipiebatur primogenita sua Deo consecrare, & D. Lvc. indicat ibi, hoc præceptum etiã pertinere ad Christum, vt Mariæ primogenitum: ergo supponit illum aperuisse matris vuluam, vnde D. Epiphanivs ait: *Hic est, qui vere aperuit vterum matris:* & Tertvll. lib. de carne Christi circa finem: *Imo, inquit, Paulum dixisse factum ex muliere, non ex virgine, quia Christus egrediens ex vtero adaperuit eius vuluam antea clausam, vt in posterum nõ virgo potius, quam mulier dicenda sit:* vbi etiam ait, *non est virgo à partu.* & Greg. Nyss. Chrysost. & Amphilochivs hom. de Purificatione, seu de occursu Domini, & D. Ambros. lib. 2. in Luc. cap. de Circumc. & oblatione Saluatoris, & Orig. hom. 14 in Luc. & alii affirmant Christum nascendo matris vuluam aperuisse, idque singulare fuisse in Virgine, quod aliis mulieribus aperitur in conceptione; Mariæ vero solum in partu.

Luc. 1.
D. Epiph. hæres. 78. circa fin.

V. Secvndvs locus est apud Matth. *Cum esset despon-* *Matt. 1.*

desponsata mater Iesu Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de spiritu sancto: ergo supponit postea conuenturos, sic enim de non cursuro non dicitur, antequam curreret, & de non pransuro, antequam pranderet, ita dici non potest de non conuenturis, antequam cōuenirent. quod si respondeas cum REMIGIO, *conuenire* idem ibi significare, quod *cohabitare in eadem domo*, sicut D. *1.Cor.11.* PAVLVS accipit in epist. ad CORINTH. dum ait: *Conuenientibus vobis in vnum iam non est Dominicam cœnam manducare*; atque ideo cum dicitur: *Antequam conuenirent*, subintelligendum esse in ædes proprias Ioseph ad simul in eis cohabitandum; quam expositionē confirmat id, quod Angelus dixit Ioseph: *Noli timere accipere Mariam coniugē tuam*, hoc est: noli timere illam ducere in domum tuam: nam quantum ad matrimonii contractum, iam illam acceperat. Contra est, tum quia MATTHÆVS paulo post prædicta verba subdit: *Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum*; quibus aperte indicat post partum eam cognouisse, cum aduerbium *donec* ex proprietate sermonis significet determinatum tempus, quo expleto, fiat, quod vsque ad illud tempus non fiebat. Nec iuuat responsio EPIPHANII referētis verbum illud, *cognoscebat*, non ad carnis, sed ad mentis cognitionem: *Epiph.heres.78.* *quia*, inquit, *ante partum Ioseph non satis percipiebat dignitatem & excellentiam virginis, quam tamen post partum melius cognouit, & ideo Euangelista dixit: non cognoscebat eam, donec peperit filium suum*: hæc inquam responsio non satisfacit, quia textui minime quadrat, vt facile patebit legenti; aperte enim ibi verbum *cognoscendi* significat carnis cognitionem, sicut GENES.4. dum ait, quod *Adam cognouit vxorem suam*: & in hoc sensu communiter omnes Patres interpretantur verbum illud. Tum etiam impugnatur principalis huius obiectionis solutio quia B.Virgo, & Ioseph ante conceptionem Christi habitabant in eadē domo; ergo verbum illud, *antequam conuenirent, &c.* non potest ibi significare cohabitationem, sed congressum vtriusque. Consequentia, vt multis videtur, est euidens, & illam docet expresse D. CHRYSOST. homil.4. in Matth. & D. THOM.3.p.q.29. art.2. ad 2. & ratio à multis iudicatur moraliter euidens, quia alias non fuisset satis prouisum famæ B. Virginis: nam quando sponsa cohabitans cum sponso concepit, conceptio merito iudicatur maritalis, ante cohabitationem autem semper est suspecta, & addit D. THOMAS hanc sententiam esse magis consonam Euangelio, quia MATTH. cap.1. ait: *Voluit occulte dimittere eam:* ergo supponit, iam ad cohabitationem fuisse antea admissam, nam (vt recte dixit D. AMBROSIVS lib.2. in Luc. in principio) *quam non accipit, nemo dimittit, & ideo qui volebat dimittere, fatebatur acceptam.*

VI. AD hanc secundam hæreticorum obiectionem respondeo, primum locum D. LVCÆ nihil vrgere, quia eius difficultas bifariam euanescit: Primo dicendo, quod sicut *claudere vuluam* in sacra Scriptura significat *infœcundam & sterilem reddere fœminam*, vt patet ex GENES.29. & 30. & ex 1. REG.1. sic etiam è contrario, *aperire vuluam*, significat *fœcundam reddere*, seu *fœcunditatem illi conferre.*

VII. SECVNDO respondeo, ibi non esse sermonem de apertione vteri, sed de apertionis effectu, hoc est, de egressu ab vtero materno: vnde quando apud Sanctos Patres reperitur Christum aperuisse matris vuluam, nihil aliud intendunt dicere, quā Christum ex clauso vtero matris prodiisse, non minus, quam si illum re ipsa aperuisset, sicut MATTH. 3. dicitur: *Et ecce aperti sunt cœli, & vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se.* ita enim vere Spiritus sanctus de cœlo descendit, ac si vere aperuisset cœlos. Ita Christus tam vere de clauso vtero Virginis nascendo egressus est, ac si illum aperuisset. & MARC.1. *Vidit cœlos apertos*, non quod in cœlis apertio aliqua sit facta, sed quod de cœlis vox sit audita. & ACT.7. *Video cœlos apertos*, nimirum, quia Christum in cœlis existentem sine impedimento videbat. & MARC.7. *Aperta sunt aures eius*, quia vox iam audiebatur; vnde HIERONYM. lib.2. cont. Pelag. *Solus*, inquit, *Christus clausas portas vuluæ virginalis aperuit, quæ tamen clausa iugiter permanserunt.* Nec alio modo intelligi potest aperuisse, & tamen clausas semper permansisse, nisi quia non vere aperuit, sed tamen vere exiit, ac si aperuisset. sic quoque interpretatur Græcus auctor in Catena D. THOM. qui ait, vuluā virginalem naturaliter semper clausam fuisse, licet supernaturaliter illā Christus aperuerit, hoc est, per eam exierit iuxta EZECHIELIS vaticinium: *de* *Ezech. 44.* *porta orientali clausa, per quam solus princeps egreditur*, quæ nihilominus semper clausa permanet. Huc etiam pertinet AMBROSII comparatio ep.11. vbi scribit Christum sic exiisse de vtero Virginis, sicut aquæ fluxerunt de petra. *Num.20.* Constat igitur ex his quæ sit vera intelligentia illius loci, nec non verborum Sanctorum Patrum.

VIII. SOLVM vero TERTVLLIANVM moderni omnes damnant asserentes, verba illius manifestam hæresim cōtinere; verum ego existimo, quod licet verba, quæ de illo referuntur, simpliciter sumpta falsitatem præferant, si tamen ad scopum, ad quem illa dirigebat, respiciamus, nihil continent contra perpetuam Deiparæ virginitatem, intendit enim ibi probare contra Marcionem hæreticum, quod licet Maria esset Virgo, vere tamen peperit Christum. Vnde cum ait: *Non esse Virginem à partu*, solum vult, quod ab alio habet formaliter, quod sit virgo, & ab alio, quod sit mater: sicut enim Deus ab alia ratione formali habet, quod sit vnus, & ab alia, quod sit trinus, licet alioquin re ipsa vtrumq; sit; ita Deipara Maria per rationem formalem, per quam est mater, non est Virgo, nec per rationem formalem, per quam est Virgo, censenda est mater; à clausura enim virginea Virgo est, à conceptu

vero & partu mater. Vere ergo ait TERTVLLIANVS non esse dicendam virginem à partu in sensu explicato, seu à maternitate, sicut non est mater à virginitate: minime igitur negat ille Mariam esse Virginem post partum, vt falso quidam calumniantur, non attendentes ad intentum illius in eo capite.

IX. DEINDE tertio respondeo: *aperire vuluam*, secundum phrasim sacræ Scripturæ non significare re ipsa vere aperire, & clausurã disrumpere, sed nasci primum ante alios, quia qui primus nascitur, viam aliis post se nascituris aperire videtur (licet hoc de facto Deiparæ non contigerit,) quæ vnicum solum habuit filium; vnde masculus, qui post fœminam nascebatur, etiam si primus masculus esset, non offerebatur in Templo, quia ille non iudicatur aperuisse vuluam, sed apertam inuenisse. hanc expositionem sequuntur RVPERTVS lib. 2. de Trinit. ABVLENSIS cap. 13. Exod. in prin. & IANSENIVS cap. 10. suæ Concordiæ.

X. AD secundum vero locum: *Antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto*; dico perperam hæreticos ex eo colligere, postea conuenisse; sicut enim ex verbis illis libri I. REGVM:

1. Reg. 3. *Heli iacebat in lecto suo, & oculi eius caligauerant, nec poterant videre lucernam, antequam extingueretur*; male quis colligeret, quod extincta lucerna cerneret, ita certe ex illis verbis: *Antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto*; absurdissime colligitur postea conuenisse, imo fortius innuunt non conuenisse post inuentam illam graui dam esse virtute Spiritus sancti; nam si antea Ioseph non tetigerat Virginem, manifestissimum est postea noluisse tangere, quam cognoscebat sacrarium Spiritus sancti, ac veram sui creatoris matrem: vnde eleganter D. HIERON. huius doctrinæ non immemor dixit: *Requiro, cur abstinuerit Ioseph vsque ad partus diem? respondebit, quia Angelum audierat dicentem: Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. Qui ergo somnio tantum credidit, vt vxorem non auderet tangere, is, postquam pastorum voce cognouerat, Angelum Domini venisse de cœlo, & ad eos dixisse: Ecce euangelizo vobis gaudium magnum; & Gloria in excelsis Deo; Simeonem iustum: Nunc dimittis seruum tuum Domine; Annam prophetissam, Magos, stellam, Angelos viderat, qui, inquam, miracula tanta cognouerat, Dei templum, Spiritus sancti sedem, Domini sui matrem audebat attingere?* hactenus D. Hieron.

D. Hieron. aduer. Eluid. tom. 2. Matth. 1. Luca 2. Ibid. Ibid. Matth. 2.

Deinde, quia apte satis *conuenire* potest accipi pro deductione à domo paterna ad proprias ædes, & ad conuictum, & familiaritatem; vere enim dicuntur conuenire, qui simul viuunt & conuersantur, in quo sensu D. PAVLVS dixit: *Cum conuenitis, vnusquisque vestrum psalmum habet*: vnde sumpto vocabulo *conueniendi* pro *deducendi in propriam domum*; recte colligitur, quod postquam Ioseph cognouit eam concepisse de Spiritu sancto, deduxit illam in domum propriam, & cum ea ad communem mensam, & conuictum conuenerit.

1. Cor. 14.

Nonnulli etiam, vt refert D. THOM. idem verbũ, *cognoscebat*, cognitionem oculorum significare existimarunt, hoc sensu: Non cognoscebat oculis Ioseph Virginis vultum, donec peperit: nam quamdiu in vtero Deum gestauit, tantum è vultu splendorem emittebat, vt Ioseph ipsam perspicue intueri nequiret, quem in modum Israelitæ fulgidam Moysis faciem intueri non valebant, vt EXOD. 34. & 2. CORINTH. 3. memoriæ proditum est. Immo & ipse D. THOM. ibidem hæc scribit: *Dicit Chrysost. quod non cognouit eam Ioseph, antequã pareret, cuius fuerit dignitatis; sed postquam peperit, tunc cognouit eam, quia per ipsius prolem speciosior & illustrior facta fuerat, quam totus mundus.*

D. Thom. 3. p. q. 28. art. 3. D. Thom. ibid.

XI. TANDEM ad locum illum, quo Heluidius deceptus est: *Ioseph autem non cognouit eam, donec peperit filium suum*; dicendum est, per particulam illam, *donec*, non affirmari aliquid, quod posteriori tempore efficiendum sit, sed solum negari effectum fuisse vsque ad illud tempus, vt si quis dicat; antequam audirem sacrum, iter arripui: non statim efficitur, quod post arreptum iter illud audierit; & in GENESI dicitur, missum fuisse Coruum, *qui non reuertebatur, donec siccarentur aquæ*: & tamen constat postea non reuersum fuisse, quando siccatæ sunt aquæ: & DAVID ait: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*: vbi non est sensus, quod postquam posuerit inimicos sub pedibus, non debeat amplius sedere ad dexteram; ad hunc modum etiam ait Dominus per ISAIAM, iuxta versionem LXX. INTERPRETVM: *Ego sum, donec senescatis*: nunquid inferri poterit: ergo non erit Deus post illorum senectutem: & si quis dixerit: maritus vxorem non cognouit, donec mortua est, rectene colliget impius Heluidius: ergo post mortem illam cognouit: sicut ergo, si forte Ioseph, cum primum Virgo peperit, è vita discessisset, vere diceret MATTHÆVS: Ioseph non cognoscebat eam, donec peperit, nec tamen vllo modo sequeretur: ergo cognouit, postquam peperit, cum iam esset mortuus, ita quod mors in Iosepho effecisset, id Virginis admirabilem dignitatem, Iosephique votum effecisse affirmamus, vt stupenda Virginis dignitas, & Iosephi votum omnem prohibuerit coniugalem accessum.

Gen. 8. Psal. 109.

XII. TERTIO obiiciunt: quia vel corpus Christi in natiuitate exiuit ex thalamo materno per claustrum virginale, vel non: si detur hoc secundum, Christus non fuit vere natus ex Maria contra Symbol. Nicænum; de ratione enim natiuitatis humanæ est, quod fit per consuetum parientium locum; si vero detur primum; contra est, quia naturales viæ angustiores sunt, quam vt intra se capere possint corpus pueri, ergo oportet, vt ipsæ dilatentur, & laxentur ad modum, quo os dilatari solet, vel corpus ipsum pueri comprimatur & condensetur, vel partes ipsæ pueri inter sese penetrentur: quæ omnia habent manifestum in

D.Thom. 3.p.q.28. art.3.

stum inconueniens, vt ex discursu, quē modo conficiam, constabit.

Durandus 4.dist.41. q.6.n.11. August. li. 17.Ciuit. Dei. Ezech.40.

XIII. RESPONDET DVRANDVS, Christum non natum fuisse per naturalem locum sine eius corruptione, aut diuisione, sed solum per dilatationem partium diuina virtute factam, ad eum modum, quo secundum D. AVGVSTINVM, Fœminæ parerent in statu innocentiæ sine dolore per solam dilatationem partium. Contra: quia EZECH. ait: *Porta hæc clausa erit, & non aperietur*: ergo nec per dilatationē, aut laxationem ad modum, quo os aperiri solet, aperta fuit, hoc enim esset vere aperiri, sicut & os vere dicitur illo modo aperiri. vnde ESYCHIVS dixit: *Nequaquam Rex gloriæ vincula virginitatis laxauit, aut dilatauit*: & PROCLVS NICÆNVS hom. de Christi Natiu. in Concil. Ephes. tom. 6. cap. 7. *Ita enim*, inquit, *ex vtero est egressus, sicut per aurem ingressus, ita natus, sicut conceptus*: sed in conceptione nulla fuit dilatatio partium claustri virginalis, vt fatetur ipse DVRANDVS: ergo neque in partu. Tum, quia si partus Virginis futurus esset, sicut in statu innocentiæ, per solam partium dilatationem, non ita illum exaggeraret CONCIL. TOLET. II. cum D. AVG. in ep. sua dicens: *Si haberet exemplum, non esset singulare; fateamur ergo Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse.*

Esychius hom.1. de laud. virg.

XIV. ALII secundo (quos suppressis nominibus refert DVRANDVS vbi supra) respondent. Christum egressum fuisse in natiuitate, salua matris integritate, quia non transiuit per medium, sed de extremo ad extremum, ita vt prius esset in vtero, & postea extra vterum ex diuina virtute id operante. Sed contra est, quia in CONCIL. EPHESINO in confessione fidei in princip. dicitur, quod *Filius Dei natiuitatem nostram sustinuit, ex vulua homo de muliere procedens*. Et infra cap. 3. ait: *Verbum similiter, ac nos, hominem ex muliere processisse*: ergo sentit processisse per medium claustrum, alias non saluaretur in Christo perfecta & formalis ratio natiuitatis humanæ, neq; in Virgine ratio formalis humani partus.

XV. ALII tertio respondent (vt refert ABVL. paradox. cap. 64.) quod Christus exiuit per naturalem locum, salua matris virginitate, quia in egressu ex vtero illius non se habuit modo quantitatiuo, sed modo indiuisibili, ad eum modum, quo est in Eucharistia. Sed contra: tum quia eo modo exiuit Christus ex Virgine, quo fuit in vtero: sed in vtero fuit modo quantitatiuo, ergo sic exiuit: tum quia Patres communiter dicunt, Christum ita egressum fuisse ex vtero, sicut egressus ex sepulchro, & ingressus est ad discipulos ianuis clausis: tunc autem modo quantitatiuo existens exiuit, & intrauit: tum quia non tam mirabilis erit Natiuitas Christi, si modo indiuisibili existens ex vtero matris exierit, ac si modo quantitatiuo se habens sine violatione claustri virginalis egressus fuerit.

XVI. ALII quarto dicunt, Christum sine matris corruptione egressum fuisse ex eius vtero, quia diuina sua virtute ita coarctauit, & compressit corpus suum, ac in tam subtilem figuram redegit, vt sine vlla dilatatione, aut noua apertione claustri virginalis per locum ordinarium exierit, in quo certum est dari naturalem aliquam apertionem, etsi minimam. Sed contra: tum, quia iuxta hanc solutionem non potest saluari, partum virginis aut Christi natiuitatem fuisse in seipsa miraculosam; nam facta illa magna compressione corporis Christi commensurata apertioni naturali illius loci, certe sine vllo miraculo egredi potuisset: sed natiuitas formalis consistit in illo egressu: ergo natiuitas illa non esset in seipsa miraculosa, quæ ratio etiam conuincit præcedentem solutionem esse nullam: tum tandem, quia hæc solutio fingit in corpore Christi nouam & indecentem figuram absq; alia necessitate.

XVII. QVARE respondeo, quod Christus Dominus exiuit ex Virgine salua & incolumi eius virginitate, quia se penetrauit cum claustro virginali, & cum partibus proximis illis, quanto opus fuit ad exitum capitis, & corporis: hæc solutio est communis Patrum & Theologorum: D. HIERON. GREG. AVGVST. THEODORET. EVTHYMII, BEDÆ, NAZIANZ. MAXIMI, & D THOMÆ. Accepit enim Christus Dominus transeunter, dum vixit, quatuor dotes; agilitatem, cum ambulauit super aquas; claritatem, cum in Transfiguratione resplenduit facies eius sicut Sol; impassibilitatem, prout erat in Eucharistia; subtilitatem tandem in egressu, tum ex thalamo virgineo, tum ex sepulchro, cum quibus virtute huius dotis vere se penetrauit.

D. Hieron. sup. Isa. c.7 D. Gregor. hom.26. in Euang. D. Aug. 22 de Ciu. c.8. & tit. 125. in Ioann. D. Chrys. hom.2. de Symb. Theod. dialog. 2. Euthym. in Matth. 28. Beda hom. in Vigil. Pasche. Nazian. hom. de Christo. Maxim. hom.2. de Cruce, & sepulch. Christi.

XVIII. SED contra occurrit duplex replica: prima, quia sequitur Virginem non concurrisse effectiue ad suum partum, quod est contra veritatem partus: nam Christus virtute sua diuina se penetrauit cum claustro virginali; ergo ex vi huius penetrationis egressus fuit ex vtero materno, seclusa omni vi impulsiua matris: hanc enim opus non erat exhibere, siquidem Christus virtute sua se penetrabat, virtuteque sua propria egrediebatur. Secunda replica, quia repugnat duo corpora quanta se penetrare, & eundem locum adæquate occupare: nam per quantitatem redditur corpus formaliter impenetrabile: ergo quantitate manente, repugnat actu esse penetrationem. Dices: repugnare naturaliter, non supernaturaliter. Sed contra, quia quantum quantitate molis essentialiter est impenetrabile; est enim ipsa quantitas ipsa formalis impenetrabilitas: ergo nec supernaturaliter potest actu penetrari, probo consequentiam, quia hæc est euidens consecutio: punctum est essentialiter indiuisibile: ergo repugnat ei per omnem potentiam actualis diuisio: ergo similiter hæc erit euidens illatio: Quantū est essentialiter impenetrabile (non. n. impenetrabilitas conuenit ei accidentaliter,

D. Th. 4. d. 44. q. 2. ar. 2. quæstiunc. 3. & quodl. 6. art. 18.

taliter, aut ab extrinseco, sed ab intrinseco:) ergo repugnat ei actualis penetratio, etiam per omnem potentiam. Explico vim huius rationis, quia repugnantia huius quanti ad occupandum eundem locum, qui occupatur ab alio, non prouenit à quantitate, vt à causa effectiua, cuius influxus impediri posset, sed vt à causa formali, quæ existens in subiecto inimpedibilis est: ergo manente quantitate implicat non manere eandem repugnantiam, aut illam impediri per omnem potentiam, vt expresse docet DVRAND. 4. dist. 44. q. 6 cuius sententiam, vt probabilem, sequitur PALVD. q. 3.

XIX. RESPONDENT quidam ad primam replicam, quod sicut ad hoc, vt dicatur B. Virgo vere genuisse Christum, sufficit passiue tantum concurrisse ad generationem (secũdum probabilissimam D. THOMÆ sententiam asserentis, fœminas non concurrere actiue ad illam,) ita etiam ad verificandum B. Virginem peperisse Christum, non opus est, vt actiue ad partum concurrerit, sed passiue tantum. Ego vero respondeo, B. Virginem eandem vim adhibuisse, quam aliæ matres ad emittendam prolem actiue adhibere solent, absque dolore, & labore; diuina tamen virtute factum esse, vt partes vteri Virginis nihil resisterent corpori Christi, quod actiue à seipsa emittebat.

XX. AD secundam replicam respondetur, quãtitatem ad hunc sensum esse essentialiter impenetrabilem, quod repugnat eius essentiæ eundem locum naturaliter occupare, quem occupat alia quantitas; quo etiam modo calor in summo essentialiter est incompatibilis cum frigiditate in summo, quia repugnat essentiæ illius naturaliter esse simul cum illa in eodem subiecto, licet alias ex diuina virtute id non repugnet; quare hæreticis, quibus impossibile apparet, Virginem salua virginitate concipere, & parere posse, B. MAXIMVS respondet: *Si contra naturam esse contendis, quod in mysterio redemptionis nostræ sine viro puella asseritur concepisse, cuius quæso natura est, quod in parente generis nostri caro sine carne formata est?* Respondet etiam D. AMBROSIVS dicens: *Quid incredibile, si contra vsum originis naturalis peperit Maria, & virgo permanet, quando contra vsum naturæ mare vidit & fugit, atq; in fontem suum Iordanis fluenta remearunt? non ergo excedit fidem, quod Virgo peperit, quando legimus, quod petra vomit aquam, in montis speciem maris vnda solidata est.* Et D. CYRILLVS IEROSOLYMITANVS in hunc modum argumentatur: *Sterilis erat Sara, & deficientibus iam mulieribus, & præter naturam peperit. Igitur cum & sterilem, & virginem parere sit præter naturam, aut vtrumque nega, aut vtrumque concede.*

Maximus hom. 3. de Nat. Dom.

D. Ambr. epist. 81.

Cyril. Ierosol. Catech. 15.

XXI. ADVERTO tamen, quod licet naturaliter fieri possit, vt virgo concipiat non amissa virginitate, vt tenent multi doctores, cum MARSIL. 2. quæst. decimaoctaua, articulo 1. ad 2. & docet D. THOMAS quodlibet. 6. articulo decimoquarto, vbi refert quandam puellam pubescentem, quæ propter pudoris custodiam à patre in proprio lecto seruabatur, concepisse attrahendo semen, quod ille dormiens fuderat, sine aliqua tamen virginalis claustri apertione: & AVERROES 2. de cœlo testatur, virginem quandam concepisse in balneo salua eius virginitate per solam attractionem seminis ibi decisi à viro simul se balneante; ac denique in statu innocentię fœminæ conciperent, imo parerent, salua integritate virginea, vt docet D. THOM. 1. part. quæst. 8. ad 4. cum D. AVGVST. 14. de Ciuit. cap. 16. & tamen constat tunc generationem & partum fieri naturaliter; nihilominus tamen Christi Domini conceptio in sacratissimæ Virginis vtero valde miraculosa & supernaturalis fuit, cum absque virilis seminis susceptione Spiritu sancto illam obumbrante, & cooperante, inuiolata semper virgo manens conceperit filium, & absq; apertione aut dilatatione virginei claustri illum pepererit.

XXII. QVARTO obiiciunt: quia secundum fidem inter Virginem & Iosephum fuit verũ & proprium matrimonium ratum, vt constat ex MATTH. vbi vocat Iosephum virum Mariæ, & Mariam coniugem illius, & patet etiam ex illis verbis: *Antequam conuenirent*; quibus indicat, quantum erat ex parte vinculi, potuisse conuenire: sed sic est, quod matrimonium ratum, verum, & proprium consistere nõ potest sine consensu & obligatione voluntatis ad carnalem copulam: ergo Beata Virgo habuit talem consensum, & obligationem, & consequenter non fuit mente Virgo, cum hæc excludat omnem consensum in copulam carnalem. Consequentia huius discursus est nota: maior est de fide, vt ostensum est: minor autem, in qua est difficultas, probatur ex D. PAVLO dicente: *Vxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro, &c. mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* ecce Apostolus docet essentiam matrimonii consistere in mutua traditione corporum, & obligatione ad reddendum debitum. Deinde vel Beata Virgo post votum virginitatis emissum habuit voluntatem reddendi debitum, cum accepit Iosephum in virum suum, vel non: si dicas, habuisse: cõtra: ergo iam fidem irritam fecit, quia, *vt constat ex cap. vouentibus 7. q. 1. Vouentibus non solum nubere, sed velle nubere damnabile est.* Si dicas, virginem nupsisse ex diuina dispensatione, & reuelatione: bene quidem respondetur ad saluandum virginem non peccasse nubendo post emissum votum virginitatis, tamen non videtur saluari, fuisse virginem mente, siquidem habuit voluntatem reddendi debitum. si vero è contra respondeas, eligens secundam partem argumenti, Beatam Virginem, cum nupsit, non habuisse talem voluntatem: contra est in primis Textus expressus *in cap. Beata Maria 27. quæst. 2.* vbi dicitur: *B. Virgo committens virginitatem suam diuinæ dispositioni, consensit in carnalem copulam:* Tum quia, si non consensisset; nullum

Matth. 1.

1. Cor. 7.

Exod. 13. Deut. 7.

nullum fuisse eius matrimonium, cum voluntas reddendi debitum sit intrinseca matrimonio. Dices: Beatam Virginem contraxisse cum adiecta cõditione, quod non esset redditura debitum suo viro, eamque conditionem libenter admisisse Iosephum. Sed contra: quia conditio quæ est contra substantiam matrimonii, reddit illud nullum, vt si dicas: contraho tecum sub conditione, si prolis generationem euites: hoc enim est contra bonum prolis, cuius procreatio est finis matrimonij: ergo si B. Virgo contraxisset cum Iosepho sub conditione, quod non esset ab eo cognoscenda, nullum fuisset eius matrimonium; nam (vt inquit GREGORIVS IX. *& habetur c. finali de conditionibus appositis*) matrimonium fit nullum ex conditione impediente generationem prolis.

XXIII. RESPONDEO ad hanc obiectionem, B. Virginem ex diuina reuelatione ante matrimonium omnino certam fuisse Ioseph nunquam petiturum sibi debitũ, & ideo opus non fuit habere actũ expressum absolutum aut conditionatũ reddendi illi debitum: notanter q; addo (expressum) quia in virtute, in radice, & in causa nullũ est inconueniens, habuisse talem consensum consentiendo in matrimonium, quod ex natura sua ad copulam ordinatur, alias nulla apparens solutio poterit assignari *d. c. Beata Maria 25. quæst.* 1. hoc tamen nihil perfectioni virginitatis illius derogauit, cũ per id nec corpore, nec mente quidquam integritatem eius minuens admitteret, supposita diuina reuelatione, qua dignoscebat Iosephum nunquam petiturum ab ea debitum.

XXIV. VLTIMO obiiciunt, quia in veteri lege erat præceptum ad generationem obligans præcipue respectu illorum, qui erant de Tribu Iuda ꝓpter spem Messiæ: at B. Virgo erat ex Tribu Iuda, & non ignorabat se obligari illo præcepto; ergo habuit propositum implendi illud: igitur non semper fuit virgo mente. Consequentia cum minori est nota, & maior, præterquam quod est D. AVGVST. li. de bono coniugali, c. 9. & lib. 24. cont. Faustinum, cap. 13. constat aperte ex illo EXODI: *Non erit infœcunda, nec sterilis in terra tua:* & DEVTER. *Non erit apud te sterilis vtriusq; sexus.* quod si respondeas cum ABVLENS. MEDI. & SOTO, quos refert, & sequitur Doct. SVAREZ 3. p. q. 28. disp. 6. sect. 1. in prædictis de B. V. *Exod. 13. Deut. 7.*

verbis non contineri præceptum, sed liberalem quandam Dei promissionem. Contra est: Tũ quia, si fuisset promissio Dei, impleri debuisset, cũ fuisset absoluta; at non omnes fœminæ, nec viri Hebræi erant fœcundi, sed multi steriles: ergo ibi nõ continetur promissio, sed præceptum: Tum quia sancti Patres cum D. AVGVSTIN. contra Faust. cap. vltim. citant dictum esse in veteri lege, quamuis in vulgata editione non habeatur: *Maledictus sterilis, qui non suscitauerit semen in Israel:* at pœna maledictionis non cadit nisi super culpam violationis alicuius legis: ergo in prædictis verbis lex continetur, non promissio. Sed hæc facile diluuntur: Dicendum enim est illam promissionem non esse ita stricte intelligendam, vt omnes & singuli futuri essent fœcundi, sed quod in plurimum id euenerit. Ad illum vero locum respondeo, ex eo non posse colligi, fuisse præceptum prohibens à nuptiis abstinere, sed vt plurimum, & ex suppositione, quod quis vellet ducere vxorem, tenetur fratris defuncti vxorem accipere, nec aliud intendunt Patres ibi relati.

XXV. Ex prædictis omnibus in discursu totius huius Libri de integerrima Mariæ virginitate colligo, quod cum habeamus firmissimam Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem, & clarissimam nostrorũ maiorum, omniumque sanctorum Patrum ab ipsis etiam Apostolis traditionem, qua, velut inexpugnabili muro, intemerata Deiparæ virginitas aduersus quoslibet hostium impetus se tuetur, etiãsi sacræ Scripturæ testimoniis destitueremur, quæ tamen non desiderantur, cum pene innumera, eaque illustrissima adduxerimus, omnes tamen Catholici perpetuam Deiparæ pudicitiam, numquamque violatam integritatem constanter profiteri deberemus. Atque his (vt quondam dixit D. ILDEPHONSVS in simili Marianæ virginitatis propugnatione:) *Arbitror me per virtutem Dei hostem, vt potui, confodisse, reliquisse cæsum, abiecisse eneruatum, exanimem dimisisse. Vnde & pallidus adest, exanguis superest, defessus angitur, fatigatus manet, concisus iacet, confossus ruit, elisus interiit, de vitali flatu nihil superest*, quia illum grauiter sauciarunt sagittæ potentis acutæ; cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen. *Ildephon. de virgin. S. Mariæ c. 4. prope finem.*

FINIS LIBRI SEPTIMI.

INDEX HOMILIARVM DE SACRIS ARCANIS ÆTERNÆ PRÆDESTINATIONIS AC IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS Deiparæ Virginis Mariæ.

LIBER PRIMVS.

Homi-

LIBER SECVNDVS.

De sacris arcanis felicissimi ortus Beatæ Virginis Mariæ.

LIBER TERTIVS.

De sacris Arcanis Præsentationis Beatæ Virginis in Templo.

LIBER QVARTVS.

De Sacris Arcanis Desponsationis Beatæ Virginis, nec non de eximiis laudibus dilectissimi eius sponsi Ioseph.

Homi-

LIBER QVINTVS.

De Sacris Arcanis Angelicæ Annunciationis, & Christi Conceptionis in vtero Virgineo.

LIBER SEXTVS

De ſacris Arcanis Viſitationis B. Virginis, ac de celeberrimo, quod in illa cecinit, Cantico.

LIBER SEPTIMVS.

De explicatione partus Deiparæ Mariæ, ac de perpetua, & nunquam violata integerrima eius Virginitate.

Homi-

FINIS INDICIS HOMILIARVM.



INDEX
SANCTORVM PATRVM ET ALIORVM AVCTORVM, TAM ANTIQVORVM, QVAM RECENTIORVM, QVI in hoc opere frequenter referuntur.

FINIS INDICIS SS. PATRVM.

INDEX
LOCORVM S. SCRIPTVRÆ,
QVI VEL AB AVCTORE, VEL AB ALIIS SIVE AD LITTERAM, SIVE mysticè explicantur.

Primus numerus indicat Paginam, secundus latus prius vel posterius.

EX VETERI TESTAMENTO.

Ex libro Genesis.

Ex libro Exodi.

Ex libro Leuitici.

Ex libro Numerorum.

Ex libris Regum.

Ex libris Esdræ.

Ex libro Esther.

Ex libro Iob.

E Psalmis.

Ex Prouerbijs.

Ex Canticis.

Finis Indicis locorum S. Scripturæ.

INDEX

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

Prior numerus paginam, alter latus prius vel posterius designat.

A

B

C

Celari-

D.

Deside-

H.

I.

L

Despon-

N

O

P.

chari-

Pulchri-

figura

Z.

FINIS.



Ante octavum mensem nascitur in paus. 340
Vide pulchra De Sancto Joseph sponsi B. V. M. fol 224. Col 3 et 4.

[illegible]

B. V. [illegible]

[illegible]

Conci[illegible]

[illegible]